




ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR

CAJETANUS. — ERASMUS.

In S. Marcum Commentaria.

LUCAS BRUGENSIS. — JANSENIUS.

In S. Lucam Commentaria

INDEX RERUM.

EXCUDEBAT E.-J. BAILLY, IN FORO SORBONICO, 2.

SCRIPTURÆ SACRÆ
CURSUS COMPLETUS,

EX COMMENTARIIS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICÈ CONFLATUS;


Plurimis annotantibus presbyteris ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ANNOTAVIT VERO SIMUL ET EDIDIT

J.-P. M***.


TOMUS VIGESIMUS-SECUNDUS.


IN S. MARCUM ET IN S. LUCAM COMMENTARIA.





PARISIIS,
APUD EDITOREM,
IN VIA GALLICÈ DICTA:
RUE D'AMBOISE, BARRIÈRE D'ENFER.

1840.











DE VIO SEU CAJETANI VITA.

De Vio (Thomas), celeberrimus cardinalis sub nomine Cajetani magis notus, Gaietæ in regno Neapolitano natus est anno 1469. D. Dominici familiæ aggregatus anno 1484, ingenio doctrinâque admodùm inclaruit, adeò ut theologiæ doctor necnon professor nominatus, ordinis sui procurator generalis ac postremò superior anno 1508 evaserit. Multis præclarisque officiis Julii II ac Leonis X Pontificum benevolentiam demeruit, in tantum ut Romanâ purpurâ nobilitatus anno 1517, à Leone X in Germaniam legati munere functurus missus fuerit. Hic cum Luthero sæpiùs collocutus est Cajetanus, inani verò prorsùs labore, quippe qui errantem virum ad Ecclesiæ gremium facundiâ aut religionis studio revocare non potuit. Gaietæ episcopus anno 1519, legatusque in Hungariam missus an. 1523, officii sui partes egregiè omninò implevit, ac Romam redux anno 1534, è vivis excessit anno ætatis 67. Magna inter munera quibus functus est, nullam prætermittere diem solebat, quin studio per aliquot horas incumberet, unde tot enata opera, inter quæ præcipuè commendantur : 1° *Commentaria in Scripturam sacram*, Lugduni 1639, 5 vol. in-fol. In his quædam annotatæ sunt singulares opiniones : vir quippe doctissimus, neglecto sæpiùs SS. Bibliorum litterali sensu, ad allegoricas explanationes confugit : sciendum verò doctissimum interpretem ante concilium Tridentinum scripsisse, in quo conditum est solemne illud decretum quo prohibitæ sunt sacrorum librorum arbitrariæ interpretationes. 2° *De auctoritate Papæ et Concilii, sive Ecclesia comparata*, de quâ multæ olim habitæ controversiæ. Illud opus, utpote ultramontano sensu conceptum, censurâ notavit Jacobus Alensis, jubente sacrâ Parisiensi theologiæ facultate. 3° *Commentaria* in *Summam* D. Thomæ, quibus *tractatus diversis de rebus* adjunguntur.

ERASMI VITA.

Erasmus (Desiderius) Roterodami natus est anno 1467. Templo primùm deserviit puer in ecclesiâ cathedrali Ultrajectensi, ad annum ætatis nonum ; annos verò septemdecim natus, in ecclesiâ S. Augustini in oppido Stein canonicus regularis, quinto vigesimo ætatis anno ad presbyterii dignitatem ab episcopo Ultrajectensi evectus est. Sagacissimo vir ingenio necnon memoriâ admodùm felici à naturâ præditus est : quas quidem innatas facultates ut perficeret, Galliam Angliamque et Italiam itineribus peragravit. Bononiæ per unum annum commoratus, theologici doctoris infulâ nobilitatus est anno 1506. Narrant historici Erasmum in hâc urbe degentem, cùm sæviret pestis, lapidibus appetitum, vitæ ipsius periculum incurrisse, cùm ob album quo insigniebatur scapularium, ægrotantium chirurgus à multitudine habitus esset. Quâ de causâ, missâ ad Lambertum Brunium, Julii Papæ II secretarium, epistolâ, votorum dispensationem impetravit. Post hæc Venetias Pataviumque invisit, ac Romam, præeunte operum famâ, se contulit, ubi à summo Pontifice necnon à cardinalibus, potissimùm verò à cardinali Mediceo (qui postea Leo X) honorificentissimè exceptus est. Hæc iis succedentibus, nobilis optimæque sortis obtingendæ viro spes affulgebat ; amicorum verò quos in Angliâ habebat promissis allectus, Londinum se recipere maluit, ac regis Henrici VIII cancellarii Thomæ Mori hospitio fruitus est ; quem cùm tacito primùm nomine adiisset, eum in hanc suî admirationem ob sermonis leporem ingeniique præstantiam adduxit, ut ab ipso audire meruerit : *Vel Erasmus es, vel dæmon*. Oblata est ei curialis parochia ut sedem in Angliâ figeret ; hanc verò accipere renuit Erasmus, qui etiam ab Universitate Oxoniensi linguæ Græcæ professor designatus, hujuscemodi munere fungi recusavit, seque contulit Basileam, nec propterea natalem regionem Angliamque sæpiùs invisere, nec tot inter itinerum labores, multa in publicum opera emittere cessavit. Cùm ad Sedem Apostolicam Leo X provectus esset, ab eo licentiam petiit Erasmus, ut suam novi Testamenti Græco-Latinam Editionem ipsi dicaret ; cui benignè respondit summus Pontifex, misso ad eum Brevi quo multùm retundi debent qui tantas viro celeberrimo circa orthodoxiam lites intentârunt. Ita verò se habet Leonis X epistolæ tenor :

« Dilecto filio Erasmo Roterodamo, sacræ theologiæ professori, Leo Papa X.

« Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Valdè nos delectârunt lucubrationes tuæ in Testamentum novum jampridem editæ, non tam quia nostro nomini dicatæ fuerant, quàm quòd non vulgari, sed novâ et insigni quâdam eruditione præstabant, omniumque doctorum calculo plurimùm laudabantur. Quas nuper à te recognitas, et pluribus additis annotationibus locupletatas illustratasque fuisse, certiores facti, non mediocriter gavisi fuimus, ex primâ illâ editione, quæ absolutissima videbatur, conjecturam facientes, qualis hæc futura, quantùmve boni, sacræ theologiæ studiosis, ac orthodoxæ fidei nostræ sit allatura. Macte igitur istius animi tui esto, ac publicæ utilitati studens, operi tam sancto, ut in lucem exeat, sedulò invigila, dignam quidem tot laborum mercedem ab ipso Deo relaturus ; à nobis verò meritam commendationem, et cunctis Christi fidelibus perpetuam laudem consecuturus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris ; die 10 septemb. 1518, pontificatûs nostri anno 6. »

Nec minori gratiâ apud Leonis successores valuit Erasmus; quippe quem purpurâ Romanâ Paulus IV honorare voluit, Clemens verò IX necnon Henricus VIII, scriptis ad eum litteris sibi devincire tentârunt. Insuper Galliæ rex Franciscus I, Ferdinandus quoque Hungariæ, ac Sigismondus Poloniæ reges, pluresque alii principes eum ad se allicere, inani prorsùs labore conati sunt. Liberioris enim vitæ amans, apud Carolum Austriacum (postea Carolum V) consiliarii tantùm munere fungi contentus fuit. Virum ad suas partes attrahere nisus Lutherus hæresiarcha, in vacuum impendit operam. Erasmus enim, habitâ de pseudoreformatorum moribus ac principiis intimâ cognitione, verbis eos prosecutus est acerbissimis, *pertinaces* vocans, *maledicos, hypocritas, mendaces, fraudulentos, seditionum faces, vesanos, cæteris noxios ac intra se divisos.* Nota sunt etiam quæ de novatoribus istis jocando scribebat : *Errant,* inquiebat, *qui censent Lutheranismum tragœdiam olere; meâ quidem sententiâ, nihil magis ad comicum accedit; hinc enim, sicut in theatro fieri videmus, matrimonia semper enasci solent.* Basileæ verò increbrescentibus in dies hæreticorum seditionibus, Friburgum secedere coactus est, ubi septem annis commoratus, Basileam rediit, nec multò post dysenteriâ correptus, vitâ defunctus est anno 1536, ætatis verò 69. Statua ipsi à popularibus suis Roterodami erecta est, cujus in basi hæc verba inscripta sunt :

DESIDERIO ERASMO
MAGNO SCIENTIARUM ATQUE
LITTERATURÆ POLITIORIS
VINDICI ET INSTAURATORI.

Porrò ad hanc statuam conficiendam, magnifica Christi è cruce pendentis imago ex ære conflata liquefacta est, unde per jocum dixit Batavus poeta Vondellius, ad Roterodamorum liberalitatem alludens, *dolendum quòd Christus Roterodamus civis non exstitisset.*

Neminem in suâ ætate sive ob ingenii excellentiam, sive ob scientiæ omnia complectentis meritum Erasmus habuit superiorem. Ipsius potissimùm operâ humaniores litteræ è tenebris eductæ, plurimorum Patrum in lucem primò productæ editiones, saniorisque criticæ leges institutæ. Illustres antiquorum temporum viros è sepulcro quasi revocavit, eorumque scripta perlegendi studium coætaneis suis inspiravit. Nitido ac eleganti dicendi genere pollens, facilis quoque, licèt paululùm versicolor in verbis, nulli certè sui temporis auctori secundus fuit. Liberior quandoque in describendis ævi quo exstitit vitiis ac deformitatibus, mordaciori sæpiùs calamo res et personas Deo sacras impetiit. Hanc verò animi sui habitudinem ipse sibi ingenitam non inficiebatur, qui (lib. 1, epist. 11) hæc de se scribebat: *Cæterùm, ut ingenuè quod verum est fatear, sum naturâ propensior ad jocos quàm fortassè deceat, et linguæ liberioris quàm nonnunquàm expediat.* Fatendum tamen, quoad res ad religionem attinentes, multos in eum criticæ immoderatioris æstu invectos, severiores aliquando censuræ notas ipsi inussisse. Illud sanè constat, eum in Ecclesiæ catholicæ gremio vixisse necnon obiisse. Multis agitatus est procellis inclytus auctor, quas impatientiori animo sæpè tulit, utpote qui laudis amans ac controversiarum studiosior fuit. Cæterùm à luxu abhorrens, summâ in victu temperantiâ, adulationem perosus, fidelis in amicitiis, commodis moribus non minùs quàm scientiæ laude apud omnes excellens homo fiebat. Omnia ejus opera Basileæ à celebri Froben, quem amicum habuerat, collecta, novem voluminibus in-fol. comprehensa sunt. In his, ut omnia summatim complectamur, tractantur res ad grammaticam, rhetoricam ac philosophiam attinentes. Leguntur ibidem *Encomium dementiæ, Colloquia, Epistolæ, Translatio* et *Paraphrases novi Testamenti,* nonnullorum Patrum Græcorum opera in Latinam linguam conversa, ac postremò propriæ auctoris *Apologiæ.* Erasmi tumulo inscriptum est sequens epitaphium :

Pallida mors nobis magnum accepit Erasmum,
Sed Desiderium *tollere non potuit.*

Nunc autem, ut aliquid de nostro labore dicamus, Erasmi in S. Marcum *Annotationes* typis mandaturi, in id incubuimus, ut loca, si fortè quædam reperirentur à vulgatâ lectione discrepantia, ad litteram ab Ecclesiâ intentam restitueremus; si quid verò uspiam in commentarii decursu paululùm à vero et rigoroso sensu alienum visum fuerit, illud idem secundùm sanioris criticæ regulas tractatum occurret in adjuncto opere Cajetani, cujus etiam singulares, si quæ sint, opiniones, annexis Erasmi annotationibus emendabuntur; adeò ut ex duorum illustrium interpretum fœtibus sic juxta positis unum quoddam opus enascetur, quo luculentius nihil aut meliùs digestum nemo profectò desiderare potest. Illi enim duo præstantes viri, si quid in paucis forsan peccaverint, at certè non in iisdem, utpote indole atque ingenio dissimiles. Hùc accedit quòd in nostro hocce *Cursuum* opere, in quo omnes magni nominis auctores affluere necnon conjungi debent, nobis certè timendum erat, ne omissis talibus ac tantis Bibliorum interpretibus, subscriptor unusquisque rem tulisset molestiùs, dolendæque nos negligentiæ reos quotidiè arguisset. Superest ut moneantur lectores Cajetani commentaria ad S. Marcum Vulgatæ capita in nostro *Cursu* immediatè sequi, Erasmi verò lucubrationes annotationum instar ad calcem paginarum subjectas à nobis fuisse.

DIVI HIERONYMI

(UT NONNULLI PUTANT)

IN EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM

Præfatio.

Marcus evangelista Dei electus, et Petri in baptismate filius, atque in divino sermone discipulus, sacerdotium in Israel agens secundùm carnem levita, ad fidem Christi conversus, Evangelium in Italiâ scripsit, ostendens in eo quid et generi suo deberet et Christo. Nam initium principii in voce propheticæ exclamationis instituens, ordinem leviticæ electionis ostendit; ut prædicans prædestinatum Joannem filium Zachariæ, in voce angeli annuntiantis emissum, non solùm verbum carnem factum, sed et corpus Domini in omnia per verbum divinæ vocis animatum, in initio evangelicæ prædicationis ostenderet, ut qui hæc legeret, sciret cui initium carnis in Domino, et Jesu advenientis habitaculum caro deberet agnoscere, atque in se verbum vocis quod in consonantibus perdiderat inveniret. Denique perfecti Evangelii opus intrans, et à baptismo Domini prædicare Deum inchoans, non laboravit nativitatem carnis quam in prioribus viderat dicere, sed totius exprimens expositionem deserti, numerum jejunii, tentationem diaboli, congregationem bestiarum et ministerium protulit angelorum, ut instituens nos ad intelligendum, singula in brevi compingens, nec auctoritatem factæ rei demeret, et perficiendi operis plenitudinem non negaret. Denique amputâsse sibi post fidem pollicem dicitur ut sacerdotio reprobus haberetur; sed tantùm consentiens fidei prædestinata potuit electio, ut nec sic in opere verbi perderet, quod priùs meruerat in genere. Nam Alexandriæ episcopus fuit, cujus per singula opus fuit scire, et Evangelii in se dicta disponere, et disciplinam legis in se agnoscere, et divinam in carne Domini intelligere naturam. Quæ in nobis primùm requiri oportet, dehinc inquisita volumus agnosci, habentes mercedem exhortationis; quoniam qui plantat et qui rigat unum sunt, qui autem incrementum præstat, Deus est.

IN S. MARCUM

Commentaria.

CAPUT PRIMUM.

1. Initium Evangelii Jesu Christi, filii Dei.

2. Sicut scriptum est in Isaiâ prophetâ : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te :

3. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini ; rectas facite semitas ejus :

4. Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

5. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.

6. Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zonâ pelliceâ circa lumbos ejus; et locustas et mel sylvestre edebat. Et prædicabat, dicens :

7. Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.

8. Ego baptizavi vos aquâ : ille verò baptizabit vos Spiritu sancto.

9. Et factum est, in diebus illis, venit Jesus à Nazareth Galilææ : et baptizatus est à Joanne in Jordane.

10. Et statim ascendens de aquâ, vidit cœlos aper-

CHAPITRE PREMIER.

1. Commencement de l'Évangile de Jésus-Christ fils de Dieu.

2. Comme il est écrit dans le prophète Isaïe : Voilà que j'envoie mon ange devant votre face, qui préparera votre voie devant vous ;

3. Voix de celui qui crie dans le désert : Préparez la voie du Seigneur ; rendez droits ses sentiers :

4. Jean était dans le désert, baptisant et prêchant un baptême de pénitence, pour la rémission des péchés.

5. Toute la Judée et tous les habitants de Jérusalem venaient à lui ; et confessant leurs péchés, ils recevaient de lui le baptême dans le fleuve du Jourdain.

6. Et Jean était vêtu de poil de chameau : il avait autour de ses reins une ceinture de cuir ; il vivait de sauterelles et de miel sauvage ; et il prêchait, disant :

7. Un autre plus puissant que moi vient après moi ; et je ne suis pas digne de me prosterner devant lui pour lui délier le cordon de ses souliers.

8. Pour moi, je vous ai baptisés dans l'eau ; mais pour lui, il vous baptisera dans le Saint-Esprit.

9. Or il arriva en ce même temps que Jésus vint de Nazareth, en Galilée ; et fut baptisé par Jean dans le Jourdain.

10. Et aussitôt qu'il fut sorti de l'eau il vit les cieux

tos, et Spiritum tanquàm columbam descendentem, et manentem in ipso.

11. Et vox facta est de cœlis : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

12. Et Statim Spiritus expulit eum in desertum.

13. Et erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus : et tentabatur à Satanâ, eratque cum bestiis, et angeli ministrabant illi.

14. Postquàm autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei.

15. Et dicens : Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei : pœnitemini, et credite Evangelio.

16. Et præteriens secùs more Galilææ, vidit Simonem et Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare (erant enim piscatores);

17. Et dixit eis Jesus : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

18. Et protinùs, relictis retibus, secuti sunt eum.

19. Et progressus inde pusillùm, vidit Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi;

20. Et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum.

21. Et ingrediuntur Capharnaum; et statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos.

22. Et stupebant super doctrinâ ejus : erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut scribæ.

23. Et erat in synagogâ eorum homo in spiritu immundo, et exclamavit,

24. Dicens : Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.

25. Et comminatus est ei Jesus, dicens : Obmutesce, et exi de homine.

26. Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magnâ, exiit ab eo.

27. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes : Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei.

28. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ.

29. Et protinùs egredientes de synanogâ, venerunt in domum Simonis et Andreæ, cum Jacobo et Joanne.

30. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans : et statim dicunt ei de illâ.

31. Et accedens elevavit eam, apprehensâ manu ejus : et continuò dimisit eam febris, et ministrabat eis.

32. Vespere autem facto, cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, et dæmonia habentes :

33. Et erat omnis civitas congregata ad januam.

34. Et curavit multos qui vexabantur variis languoribus, et dæmonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

35. Et diluculò valdè surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

36. Et prosecutus est eum Simon, et qui cum illo erant.

ouverts, et l'Esprit, en forme de colombe, descendre et demeurer sur lui.

11. Et une voix se fit entendre du ciel : Vous êtes mon Fils bien-aimé; c'est en vous que je me complais.

12. Incontinent après, l'Esprit le poussa dans le désert.

13. Et il demeura au désert quarante jours et quarante nuits. Et il y était tenté par Satan; et il y vivait parmi les bêtes sauvages, et les anges le servaient.

14. Or, après que Jean eut été mis en prison, Jésus vint dans la Galilée, prêchant l'Evangile du royaume de Dieu,

15. Et disant : Le temps est accompli, et le royaume de Dieu est proche. Faites pénitence et croyez à l'Evangile.

16. Et passant le long de la mer de Galilée, il vit Simon et André son frère, qui jetaient leurs filets dans la mer, car ils étaient pêcheurs.

17. Et Jésus leur dit : Suivez-moi et je vous ferai devenir pêcheurs d'hommes.

18. Et aussitôt quittant leurs filets, ils le suivirent.

19. De là s'étant un peu avancé, il vit Jacques, fils de Zébédée, et Jean, son frère, qui étaient aussi dans une barque où ils raccommodaient leurs filets.

20. Il les appela à l'heure même, et laissant dans la barque leur père Zébédée avec les gens qu'il avait loués, ils le suivirent.

21. Et ils vinrent à Capharnaüm, et Jésus entrant d'abord le jour du sabbat dans la synagogue, il les instruisait.

22. Et ils s'étonnaient de sa doctrine, parce qu'il les instruisait comme ayant autorité, et non pas comme les scribes.

23. Or il se trouva dans leur synagogue un homme possédé d'un esprit impur, qui s'écria,

24. Disant : Qu'y a-t-il entre vous et nous, Jésus de Nazareth? Etes-vous venu pour nous perdre? Je sais qui vous êtes, le Saint de Dieu.

25. Mais Jésus le menaça, disant : Tais-toi, et sors de cet homme.

26. Alors l'esprit impur le tourmentant horriblement, et jetant un grand cri, sortit de lui.

27. Et tous en furent si surpris, qu'ils se demandaient les uns aux autres : Qu'est-ce que ceci? et quelle est cette nouvelle doctrine? Car il commande avec autorité, même aux esprits impurs; et ils lui obéissent.

28. Et aussitôt sa réputation se répandit par toute la Galilée.

29. Et aussitôt sortant de la synagogue, ils vinrent avec Jacques et Jean en la maison de Simon et d'André.

30. Or la belle-mère de Simon était au lit, ayant la fièvre; ils lui parlèrent aussitôt d'elle.

31. Et lui s'approchant, la prit par la main, et la fit lever; au même instant la fièvre la quitta, et elle se mit à les servir.

32. Sur le soir après le coucher du soleil, ils lui amenèrent tous les malades et les possédés.

33. Et toute la ville était assemblée devant la porte.

34. Il guérit plusieurs personnes affligées de diverses maladies, et il chassa plusieurs démons, et il ne leur permettait pas de dire qu'ils le connaissaient.

35. Le lendemain, s'étant levé de fort grand matin, il sortit et s'en alla dans un lieu désert, où il se mit en prière.

36. Simon, et ceux qui étaient avec lui, l'y suivirent.

37. Et cùm invenissent eum, dixerunt ei : Quia omnes quærunt te.

38. Et ait illis : Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi prædicem : ad hoc enim veni.

39. Et erat prædicans in synagogis eorum, et in omni Galilæâ, et dæmonia ejiciens.

40. Et venit ad eum leprosus deprecans eum, et genu flexo, dixit ei : Si vis, potes me mundare.

41. Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam, et tangens eum, ait illi : Volo, mundare.

42. Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est.

43. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum;

44. Et dicit ei : Vide nemini dixeris : sed vade, ostende te principi sacerdotum, et offer pro emundatione tuâ, quæ præcepit Moyses in testimonium illis.

45. At ille egressus cœpit prædicare, et diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifestè introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, et conveniebant ad eum undique.

37. Et quand ils l'eurent trouvé, ils lui dirent : Tout le monde vous cherche.

38. Il leur dit : Allons aux villages et aux villes qui sont autour d'ici, afin que j'y prêche aussi; car c'est pour cela que je suis venu.

39. Il prêchait donc dans leurs synagogues et par toute la Galilée, et il chassait les démons.

40. Et un lépreux vint à lui, le priant et se jetant à genoux, il lui dit : Si vous voulez, vous pouvez me guérir.

41. Jésus eut pitié de lui, et étendant la main, il le toucha, et lui dit : Je le veux; soyez guéri.

42. Dès qu'il eut dit cette parole, la lèpre quitta cet homme, et il fut guéri.

43. Jésus le renvoya aussitôt, en lui disant avec de fortes menaces :

44. Gardez-vous bien de parler de ceci à personne; mais allez vous montrer au prince des prêtres, et offrez pour votre guérison ce que Moïse a ordonné, afin que cela leur serve de témoignage.

45. Mais celui-ci s'en allant, commença de raconter la chose, et de la publier partout; de sorte que Jésus ne pouvait plus paraître publiquement dans la ville, mais il se tenait dehors dans des lieux déserts, et on venait à lui de tous côtés.

COMMENTARIA.

Finito Matthæo, occurrit Marcus exponendus breviori sermone, ne reperiantur eadem quæ in Matthæo dicta sunt à nobis. Titulus itaque apud Græcos est : *Evangelium secundùm Marcum.* Qui expositus est in titulo Evangelii secundùm Matthæum. Sed tamen advertendum quòd Marcus, licèt in Italiâ scripserit Evangelium, Græcè tamen scripsit; propter quod corrigendus est textus ex Græcis exemplaribus.

Vers. 1. — Initium Evangelii. Aperit intentionem suam, unde intendit incipere evangelicam historiam atque doctrinam scilicet ab initio Evangelii; hoc est, publicæ annuntiationis bonæ. Et hoc ad differentiam aliorum qui incœperunt aliunde; nam Matthæus incœpit à generatione Christi : Lucas à nativitate Joannis Baptistæ. Et intendit initium Evangelii fuisse prædicationem Joannis Baptistæ, quia tunc primùm evangelizatus est Jesus Christus. Nec obstat quòd priùs fuerat à Gabriele archangelo beatæ Virgini, ab angelis pastoribus, à Simeone et Annâ iis qui in templo, evangelizatus : quoniam privatæ fuerunt hujusmodi annuntiationes, non enim publicè ad populum fiebant. Sed prima evangelizatio publica fuit à Joanne Baptistâ, et propterea Marcus asseruit initium Evangelii à prædicatione Joannis Baptistæ. Jesu. Specificat de quo Evangelio loquitur, apponendo materiam evangelizatam. Simile quid fecit Paulus ad Roman. 1, dicendo : *In evangelium Dei de Filio suo qui factus est ei,* etc. Jesus igitur nomen proprium est. Christi. Nomen dignitatis est : hoc est, Messiæ Hebraicè, Latinè autem uncti, in regem et sacerdotem oleo Spiritûs sancti et virtutis. Filii Dei. Totam materiam Evangelii proponit in his tribus Evangelista, *Jesu, Christi, Filii Dei.* Nam universum evangelium nihil aliud tradit, quàm Jesum Nazarenum esse verum Messiam; in quo verus homo, et rex ille missus à prophetis redempturus Israel, etc., comprehenditur, et eumdem esse Filium Dei : in quo verus Deus explicatur; filius enim ejusdem est naturæ cum patre; ac per hoc Filius Dei est divinæ naturæ, est verus Deus : sicut filius hominis est verus homo. Adverte subintelligi verbum substantivum *est.*

Vers. 2. — Sicut scriptum est in Isaia propheta, pro, *sicut scriptum est in prophetis*, etc. Magna Evangelii auctoritas, magnumque fidei Christianæ testimonium adhibetur; dùm *non nova* adinventio, sed à prophetis longè ante prænuntiatum est Evangelium quod credimus. *Duo* autem prophetæ afferuntur testes initii à Joanne Baptistâ. Alter est Malachias, cap. 3. Ecce mitto. Deest Latinis pronomen ego; nam et in Græco Evangelio et in Hebræo prophetâ habetur, ecce ego mitto. Et loquitur Deus. Angelum meum. Angelus Græcè, Latinè nuntius, ita quòd nomen officii est, non naturæ, quo officium Joannis Baptistæ significatum est. Ante faciem tuam. In prophetâ Hebræo habetur pronomen meam, ante faciem meam : ita quòd mittens testatur se esse Deum qui venit. Sed Evangelista mutavit pronomen, ad exponendum quòd secundùm naturam humanam Messiæ conveniebat

Vers. 1. — Initium Evangelii; et hìc Hebræorum more exorsus est ab ipso operis titulo, quemadmodùm Matthæus, cujus epitomen scripsit Marcus, auctore Augustino.

Vers. 2. — In Isaia propheta. In Græcorum exemplaribus, quæ quidem ego viderim, *Isaiæ* nomen non exprimitur, sed tantùm, ἐν προφήταις, id est, *in prophetis.* Verùm id apparet mutatum datâ operâ à doctis, qui deprehenderant hoc testimonium è duobus prophetis esse conflatum : quemadmodùm indicat Hieronymus in libro de optimo Genere interpretandi. Siquidem prior pars, nempe illa : Ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te, est apud Malachiam, cap. tertio. Quo sanè loco illud obiter annotandum Hieronymum in eo quod modò citavimus, opere memoriâ lapsum videri posse, cùm ait hoc testimonium haberi in fine Malachiæ. Nam cùm totum hujus prophetæ vaticinium quatuor capitibus absolvatur, et hic locus in ipsâ statim fronte tertii capitis, in medio veriùs est quàm in fine. Verùm suspicor quæ res imposuerit Hieronymianæ memoriæ, nimirùm quòd in extremo calce

habere nuntium præcedentem, habere Joannem Baptistam præcursorem ante faciem suam; hoc est, annuntiantem populis ut cognoscant Jesum Christum Filium Dei; facie enim propriâ cognoscitur et discernitur homo ab aliis; ad hoc namque prævenit Joannes, ut appareret et innotesceret Jesus propriâ facie in propriâ personâ. QUI PRÆPARABIT VIAM TUAM. Evangelista apposuit pronomen, *tuam*, ad exponendum viam rectam viam Dei, esse viam propriam Christi. Et describitur officium Joannis esse præparare viam Christo: quia ad hoc austeritates vitæ, Baptismum, et prædicationis officium assumpsit, ut in mentibus hominum viam ad credendum Christo præpararet. ANTE TE. Non longè à te, sicut alii prophetæ, sed ante, coram, seu à fronte tuâ.

VERS. 3. — VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI; RECTAS FACITE SEMITAS EJUS. Alter propheta, id est, Isaias, cap. 40, affertur; appellans Joannem *vocem clamentem in deserto: Parate viam Domini.* Quorum expositio Matth. 3 habita non est repetenda.

VERS. 4. — FUIT JOANNES. Monstrat prophetarum dicta adimpleta esse in Joanne Baptistâ. IN DESERTO. Verificat locum prophetatum. BAPTIZANS. Verificat præparationem; baptismus enim Joannis præparatorius erat ad Christum. ET PRÆDICANS. Non solùm facto baptismi, sed doctrinâ prædicationis præparavit viam Domini. BAPTISMUM PŒNITENTIÆ. Prædicatione declarabat Joannes qualis esset suus baptismus, et quorsùm tendebat; erat enim in signum pœnitentiæ; et ad hoc tendebat ut accipientes ipsum profiterentur se pœnitere. IN REMISSIONEM PECCATORUM. Particula hæc non determinat baptismum, sed pœnitentiam; nam non significatur quòd Joannis baptismus esset baptismus in remissionem peccatorum (hic enim effectus reservabatur baptismo Christi) sed quòd pœnitentia esset in remissionem peccatorum, ita quòd qualitas pœnitentiæ explicatur. Nec mirum quòd hoc de pœnitentiâ dicitur cùm idem scriptum sit de salutis scientiâ in cantico Zachariæ, ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum.

VERS. 5. — ET EGREDIEBATUR AD EUM OMNIS JUDÆÆ REGIO, ET JEROSOLYMITÆ UNIVERSI. Superfluit, *universi.*

habeatur non dissimile vaticinium, quod et ipsum de Joanne interpretantur: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequàm veniat dies Domini.* Neque enim mihi satis facit excusatio cujusdam, qui putat in fine dictum esse, quòd sit paulò infra medium. Sunt qui indicent in bibliothecâ Vaticanâ haberi codicem Græcum majusculis descriptum, qui consentiat cum Latinâ editione. Quid mirum si consentiat ad Latinorum exemplaria castigatus? Quanquàm arbitror hanc germanam esse lectionem. Duriusculum est quod affert Beda, Augustinum, ni fallor, secutus, fieri potuisse ut Marco scribenti aliud nomen pro alio occurrerit, quod tamen admonitus non putàrit corrigendum, eò quòd arbitraretur non temerè permisisse Spiritum sanctum, ut nomen pro nomine tum occurrerit scribentis animo. Frigidior est et illa solutio, quoniam prophetæ, licèt diversis modis, eadem prædixerunt eodem Spiritu, omnium omnia esse communia. Quod si recipimus, non refert quo titulo citetur aliquid è sacris voluminibus. Certum est hìc alteram vaticinii partem esse apud Isaiam. Sed hoc quæri poterat, cur geminum adducens vaticinium, unum tantùm prophetam nominet. Quod ad sensum attinet, unum reverà vaticinium est. Sed apud Matthæum 4, quem sequitur Marcus, solus Isaias nominatur, et hujus tantùm verba citantur: Marcus Isaiæ vaticinio prætexuit vaticinium Malachiæ, contentus nominare prophetam celeberrimi nominis. Cæterùm quanquàm sententiæ summa consentit, verba tamen Evangelistæ nonnihil dissident tum à Septuaginta, tum ab Hebraicâ veritate. Siquidem Hebræa sic reddidit Hieronymus: *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam,* consentientibus per omnia Septuaginta, nisi quòd *mitto* verterunt in futurum *mittam*, in quo Marcus concordat cum Hebræis. Cæterùm addidit, *tuam*, cùm tantùm sit, *viam*. Et rursùm quod illìc est, *ante faciem meam,* hìc refert, *ante faciem tuam,* mutatâ personâ loquentis. Nam apud prophetam hæc verba videntur esse Christi de se loquentis, etiamsi mox mutatâ personâ de se tanquàm de alio loquatur: *Et statim veniet ad templum Dominator.* Contra apud evangelistam hæc verba Patris sunt loquentis ad Filium: *Qui præparabit viam tuam ante te.* Jam posterior pars: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini*, etc., est apud Isaiam, cap. 40. Hebraica sic vertit Hieronymus: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini; rectas facite semitas Dei nostri.* In nullo dissentientibus Septuaginta ab Hebræis. Dissentiunt et hìc nonnihil Evangelistæ, sed in verbis duntaxat. Nam quod cæteri dixerunt: *Rectas facite semitas ejus,* Joannes dixit: *Dirigite viam Domini.* Deinde quod habet Hebraica veritas, et Septuaginta transtulerunt: *Rectas facite semitas Dei nostri,* Matthæus, Marcus, et Lucas posuerunt *semitas ejus;* opinor quòd evangelistæ, cùm Hebraïcè scirent, non indigerent translatione Septuaginta; deindè cùm ab Hebræis non anxiè decerperent quod scriptum esset, sed quod memoria suggerebat describerent, verbis nonnunquàm dissident, in sententiâ concordant, id quod pluribus in locis admonuit divus Hieronymus. Jam illud, quando notum est iis quoque qui Græcè nesciunt, *angelum* significare *nuntium,* non arbitror admonendum. Fortassis hìc meliùs vertisset *nuntium.* Deinde non dixit simpliciter *angelum,* sed addito articulo, τὸν ἄγγελον, ut certum aliquem angelum sive nuntium intelligas designari; cùm omnes alioqui prophetæ nuntii fuerint venturi Christi. At hic unicus ille et eximius fuit nuntius, qui non solùm prænuntiârit adventum Domini procul adventantis, sed qui præcurrens ipse præparârit viam jam advenientis. Præterea quod ait:

ANTE FACIEM TUAM. Non est Græcis, ἔμπροσθεν, aut ἐνώπιον, quod aliquoties ita vertit, hoc est, *coram te,* et *in conspectu tuo*, sed πρὸ προσώπου, ut intelligas hunc nuntium præcedere, et hoc discutiente obstacula viæ, jam videri, et apparere faciem advenientis Domini. Mox autem: QUI PRÆPARABIT VIAM TUAM ANTE TE. Græcè est quasi dicas, *à fronte tuâ;* ut intelligas Christum qui nuntiabatur jam adesse. Aliter enim dicitur: *Ante Ciceronem dixit hoc Cato*, id est, *priusquàm Cicero diceret.*

VERS. 4. — FUIT IN DESERTO. Quidam offensi hyperbato, sic legunt: *Joannes baptizans in deserto, fuit initium Evangelii.* Non absurdè tamen, ut mihi quidem videtur, hæc verba: *Initium Evangelii Jesu Christi*, etc., tituli loco erunt, qui mos est prophetis, et Herodoto quoque, atque in totum illi genti. Porrò quod Valla mavult *exstitit*, pro *fuit*, et argutatur nescio quid de: *Fuit Joannes baptizans*, haud multùm ad rem theologicam pertinet. Erat enim idioma sermonis Hebræi, quod tamen reperies et apud Atticos. *Erat baptizans,* id est, *baptizabat.* BAPTIZANS, articulum non addidit Græcus, unde perinde valere potest, ac si dicas, *cœpit baptizare, factus est baptizans*, sive *cœpit baptizare. Fuit in deserto.* Apud Græcos alius est verborum ordo. *Fuit Joannes baptizans in deserto.* Ac rectiùs *erat* quàm *fuit.* IN REMISSIONEM PECCATORUM. *In* hìc

Et baptizabantur. Deest Latinis illa dictio, *omnes*. Et est sensus, non quòd omnes egredientes ad eum audiendum baptizarentur (multi enim non receperunt ejus baptismum), sed quòd omnes egredientes ad suscipiendum baptisma, baptizabantur non à discipulis Joannis, sed ab illo, Joanne, baptizabantur. Remansit apud Latinos in ecclesiasticis mysteriis dictio Græca; deberet dici, *et abluebantur*. Non solùm novani inchoavit Joannes prædicationem, sed novum inchoavit factum, scilicet baptismum, à quo *Baptista* cognominatur. Ambo hæc nova intulit Joannes. In Jordanis flumine. Ipsemet Joannes ministerium abluendi exercebat in Jordane. Confitentes peccata sua, quæ commiserant. Confitentes autem non specie, sed in genere profitendo, se peccâsse, computando seipsos non inter justos, sed inter peccatores, et in signum quòd pœnitentes essent, offerebant se abluendos à Joanne, tanquàm exterior ablutio esset quædam professio pœnitentiæ et mundæ deinceps vitæ ducendæ.

Vers. 6. — Et erat Joannes vestitus pilis cameli et zona pellicea circa lumbos suos : locustas et mel sylvestre edebat. Describitur austeritas Joannis à qualitate tum vestitûs, tum victûs; hæc enim voluntaria præ se ferunt hominem humana omnia contemnentem. Animalia quæ locustæ nominantur, inter munda Judæis computantur clarè Levit. 9, et propterea ex parte legis nihil prohibet intelligere quòd illis vescebatur Joannes. Solùm obstat quòd non crudæ, sed coctæ videntur in usum sibi assumi locustæ; coctum autem aliquid sumere in deserto, luxuria est, ut Hieronymi tempora testantur. Propter quod suspicor æquivocum nomen esse ad animalia illa et radices, vel summitates teneras virgultorum seu ramusculorum, seu aliquid ejusmodi quo crudo vescimur. Quia tamen videmus cancros marinos parvulos manducari crudos, non est ab opinione alienum ut etiam locustis tenellis crudis vescerentur ibidem pauperes; ac per hoc Joannes Baptista. Et prædicabat dicens. Præcipua prædicationis materia modò subjungitur.

Vers. 7.—Veniet fortior me post me. Erat Joannes fortis in sustinendo asperitates victûs, et vestitûs, et in aggrediendo correctionem vitiorum; sed Jesum fortiorem prænuntiat, quia et fortior Joanne veniebat, tum in sustinendo injurias et persecutiones usque ad crucem inclusivè, tum in aggrediendo debellationem mundi, imò et dæmonum; tum in robore operandi miracula; quia Joannes nullum signum fecit; Christus autem robur suæ virtutis monstravit innumeris miraculis, tum in penetrando usque ad intima animarum, quia Joannes suadere tantùm poterat et exteriùs abluere : Christus autem interiùs ablulurus veniebat animas. Hoc enim ideò dixit Joannes ne reverentes ipsum existimarent ipsum esse Messiam; sed intelligerent ab eo quòd Jesus esset Messias qui statim post ipsum venturus esset. Cujus non sum dignus. Dixerat, fortior me, ne hinc intelligeres comparationem inter ipsum et fortiorem venturum, subjunxit se non esse dignum ad minimum servitium illi exhibendum, dicendo : Procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Apud Matth. Joannes dicit, *cujus non sum dignus portare calceamentum :* apud Marcum longè viliori officio et actu se indignum dicit. Utrumque enim dixit Joannes augendo orationem; sed neuter evangelistarum utrumque retulit. Poterat Joannes dicere, *cujus non sum dignus osculari vestigia pedum;* sed ministerium quod de facto exhiberi Jesu poterat, maluit exprimere minister ad baptizandum et parandam viam. Unde Jesum non nudipedem, sed calceatum pedes intelligimus. Quod etiam habetur ex hoc quòd communem vitam elegit.

Vers. 8. — Ego baptizo. Deest Latinis conjunctio opportuna. Legendum est enim : Ego quidem baptizavi vos aqua : ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. Deest utrobique Latinis præpositio *in;* nam textus Græcus habet, *in aquâ, in Spiritu sancto*. De-

præparationem significat, non effectum ; nam Joannis baptismus præparabat ad Christi baptismum, quo remittebantur peccata. Fortassis et illud annotandum, quòd apostoli jubentur priùs docere, postea baptizare. Joannes priùs baptizare dicitur, deinde prædicare baptismum. Judæus per cæremonias ducitur ad cognitionem, Christianus priùs discit ; nisi mavis intelligere de baptismo Christi, quem post suum baptismum prædicabat Joannes. Sequitur enim : *Ego quidem baptizavi vos in aquâ; ille verò baptizabit vos*, etc. Hinc apparet quòd baptizatis ab ipso prædicârit Christi baptismum mox secuturum, ne ipsius baptismo confiderent. Judææ regio, *Judæa regio*, ut cohæreant duo nomina substantiva. Et Jerosolymitæ universi. Græci secùs distinguunt : *Et Hierosolymitæ et baptizabantur omnes*. Nec enim veniebant omnes *Hierosolymitæ*, sed *ex omni Judæâ et Hierosolymâ qui venerant baptizabantur*. Nam *omnem Judæam* dixit pro eo quod erat, ex *omnibus Judææ partibus*. Nec est, in Jordanis flumine, sed, *in Jordane fluvio*, sive *fluvio Jordane*. Addidit autem, quòd vox *Jordanis* esset plerisque ignota.

Vers. 6. — Et erat, id est, *erat autem*, vestitus; id est, *indutus*, pilis camelorum. *Cameli* est Græcis, et item in aureo codice, item in Constantiensi. Quanquàm hoc nihil ad sensum. *Camelus* enim hìc speciem notat animantis, non unum aliquod ejus generis. Suffragabantur aureo codici volumina divi Donatiani. Speciem animantis expressit, ut ostenderet vestis asperitatem, juxta Domini testimonium : *Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt*. Pictores onerant Joannem exuvio cameli, quemadmodùm Græci vestiunt Herculem exuvio leonis. Imò vestis erat contexta non è lanâ Britannicâ, aut serum velleribus, aut lino Hollandico, sed *è pilis camelorum*. Asperitatem augebat zona pellicea premens ilia. Et zona pellicea. Ablativus est nobis, non nominativus, et refertur ad participium, *vestitus*, sicut et ablativus, *pilis*. Et lumbos suos dicendum erat, non ejus. Mel sylvestre edebat, id est, *edens*, ut pertineat ad verbum quod præcessit, *erat*. Quanquàm hoc rectè variavit, nisi quod aptius erat *vescebatur*, quàm *edebat*, aut certè *victitabat*, sive *esitabat*, cùm de genere cibi loqueretur.

Vers. 7. — *Venit* Græcè vel præsentis est temporis, vel futuri. In Donatiani lib. habebatur *veniet*. Et notandus est articulus ὁ ἰσχυρότερος, id est, *ille qui me fortior et potentior est*. Non sum dignus, id est, *non sum idoneus*, aut *sufficiens*, ut vulgò loquuntur. Et calceamentorum ejus. *Ejus* addidit Hebræorum more, Latinis non est fas ita loqui.

Vers. 8. — Ego baptizavi. Non in tempore omisit *quidem* conjunctionem quæ est in Græco, et quæ hanc partem opponit Spiritui. Spiritu sancto. *In Spiritu*

clarat enim per hoc excellentem fortitudinem illius de quo dixit : *Veniet fortior me:* declarando vim sui baptismi et vim baptismi Messiæ ; manifestat enim per hoc quòd baptismus suus non penetrat ad animas, sed aquæ tantùm vim habet, quamvis sit signum pœnitentiæ ; baptismus autem Christi vim habebit penetrativam ad abluendum intima animarum à sordibus et maculâ peccatorum ; quia abluet in Spiritu sancto, penetrante spiritus nostros et purgante ac mutante et elevante illos in amorem Dei divinorumque omnium. Et significavit per hoc quidem Messiam esse verum Deum ; nam solius Dei est abluere in Spiritu sancto. Hanc ablutionem exercuit Christus : spiritualiter quidem, quoties remisit peccata ; cum visibili autem signo in die Pentecostes ; dicente ipso ad apostolos cùm ascenderet in cœlum : *Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Exercet quoque quotidiè Christus hanc ablutionem mediante sacramento Baptismi in omnibus non ponentibus obicem.

VERS. 9. — ET FACTUM EST IN DIEBUS ILLIS, VENIT JESUS A NAZARETH GALILÆÆ, ubi habitabat et habitaverat continuè. ET BAPTIZATUS EST A JOANNE IN JORDANE. Sicut non dedignatus est circumcidi, ita non dedignatur baptismum pœnitentium suscipere ; ut quemadmodùm habebat carnem non peccati sed similem carni peccatrici, ita haberet non pœnitentiam, sed similitudinem pœnitentium, exteriùs ; intrinsecùs autem sanctificabat tactu carnis suæ aquas, ut idoneæ essent ad sanctificandum nos in sacramento baptismi.

VERS. 10. — ET STATIM ASCENDENS DE AQUA, VIDIT CŒLOS APERTOS, pro, *findi;* in Græco enim præsentis est temporis participium, loco cujus puto interpretem posuisse *apertos,* non pro participio præteriti temporis, sed nominaliter. Et ad litteram describitur cœlum aperiri, tanquàm hinc et inde cedendo ut Spiritus in specie columbæ descenderet. Et quoniam species columbæ corporea fuit (ut clarè Lucas testatur), consequens est quòd tam descensus quàm divisio cœli fuerit quoque secundùm corpoream speciem ; disponit enim et facit omnia suaviter divina sapientia, ac per hoc quòd oculis corporeis visa sint hæc, non ab omnibus tamen ; cùm etiam corpora gloriosa præsentia non ab omnibus videantur. Et sicut non columba sed similitudo columbæ fuit (utentibus omnibus evangelistis aliquo similitudinis adverbio), ita non scissio cœlorum, sed similitudo apertionis, et similiter non descensus de cœlo, sed similitudo descensûs de cœlis fuit. Nec propterea fallacia aliqua intervenit, nec deceptus, est visus ; sicut absque ullâ fallaciâ et deceptione visæ sunt linguæ in specie ignis super apostolos in die Pentecostes ; formata siquidem est in aere similitudo columbæ cum similitudine descensûs ex cœlo aperto ; et cùm hoc fuit realis descensus illius speciei in aere ad Jesum. ET SPIRITUM SANCTUM. Superfluit Latinis dictio, *sanctum,* quamvis non sit dubium quòd de Spiritu sancto sit sermo. TANQUAM COLUMBAM DESCENDENTEM ET MANENTEM IN IPSO. Non sunt in Græco textu istæ duæ dictiones. *In ipso,* pro, *super ipsum,* seu, *super se.*

VERS. 11. — ET VOX FACTA EST DE CŒLIS, hoc est à superioribus tanquàm de cœlis sonans : TU ES FILIUS MEUS. Hinc apparet totius mysterium Trinitatis ; nam Patri soli convenit dicere Christo : *Tu es Filius meus;* et soli Christo verè debetur à Deo Patre : *Tu es Filius meus;* Spiritus autem sanctus in specie columbæ apparuit. DILECTUS, singularissimâ dilectione, utpote quem constitui hæredem universorum, etc. IN TE COMPLACUI, pro, in quo mihi benè *complacui,* seu, in quo mihi benè complacitum est. Priùs explicavit Christum esse verum Deum, dicendo : *Tu es Filius meus;* deinde immensum gratiarum pelagus in eodem vero homine, dicendo, *dilectus,* et demùm explicat opera ejusdem omnia gratissima Deo dicendo, *in quo mihi benè complacitum est.* Opera siquidem Christi omnia et singula fuerunt materia divinæ complacentiæ, pro quanto fuerunt digna ut delectarent Deum, propter quod additur adverbium *benè,* significans modum complacentiæ ; non ex parte Dei (à quo nullus actus potest non benè exire), sed ex parte rerum quæ possunt benè et malè adimplere divinam voluntatem ; nam et Judas et crucifigentes Christum adimpleverunt divinam voluntatem, sed non benè. Christus autem in omnibus suis operibus non solùm adimplevit, sed benè adimplevit divinam voluntatem, et propterea ad ipsum dicitur, *in quo mihi benè complacitum est.*

sancto est Græcis, tametsi præpositionem rectè omisit interpres. Quidam codex Græcus hoc quoque loco addebat, *et igni,* ex Matthæo, sicuti conjicio, quanquàm Theophylactus non addit.

VERS. 10. — ASCENDENS VIDIT. Sermo Græcus anceps est, utrùm Joannes viderit, an Christus. *Vidit* CŒLOS APERTOS ; *vidit scindi,* sive *diffindi cœlos.* Nam participium est passivum præsentis temporis, quod non per *scissos,* ut Laurentio visum est, sed per verbum erat transferendum. Elegantiùs autem vertisset, *diduci cœlos,* sive *findi.* ET SPIRITUM *sanctum. Sanctum* non additur, nec in Græcis, nec in antiquissimis Latinis codicibus, nec in aureo codice, ne in Constantiensi quidem. Porrò articulus additus indicat intelligendum de Spiritu sancto, de quo paulò ante meminit. Similiter paulò post : *Et statim Spiritus expulit eum,* ut de eodem accipias Spiritu. DESCENDENTEM ET MANENTEM. *Et manentem* non additur in Græcis, videtur adscriptum ex Evangelio Joannis. Ex sermone Græco non potest aliud intelligi, quàm Spiritus descendens à Christo visus fuisse, cùm res magis postulet, ut intelligatur à Joanne cæterisque visus descendere. Deinde si Christum accipimus vidisse, dicendum erat, *super se,* non, *super eum.* Neque video tamen quo pacto queat res explicari, nisi dixerimus ἀναβαίνων rectum casum positum loco paterni ἀναβαίνοντος, id est, *cùm ascenderet ex aquâ Jesus, vidit,* etc. Nisi accipiamus Joannem unà cum Jesu descendisse in flumen ad tingendum eum, atque ita legamus : *Joannes ascendens ab aquâ, vidit,* etc.

VERS. 11. — DILECTUS. Articulus Græcus ὁ non caret emphasi, quasi dicas, *ille dilectus.* Idem additur Filio : multi filii, multi dilecti, at hic ille eximius et unicè dilectus. Deinde nomen hic est, non participium, *dilectus,* quod vertere solet, *charissimus.* COMPLACUI, quasi dicas, *bonam habeo opinionem,* sive *benè complacitum est mihi.*

VERS. 12. — EXPULIT, id est, *emittit,* præsentis temporis, quanquàm verbum Græcum aliquando est *ejicere,* sive *extrudere.* Significat autem impetum spi-

VERS. 12. — ET STATIM SPIRITUS EXPULIT, pro, emittit, EUM IN DESERTUM. *Et significatur quòd* Spiritus sanctus statim post baptismum movebat animum Jesu tanquàm pellens ad eundum in desertum.

VERS. 13. — ET ERAT IN DESERTO QUADRAGINTA DIEBUS, ET QUADRAGINTA NOCTIBUS. Hæ tres dictiones non habentur in Græco. ET TENTABATUR A SATANA. Tacet Marcus tentationes ipsas. ERATQUE CUM BESTIIS; ut non desertum domesticum, sed verè desertum intelligeremus. ET ANGELI MINISTRABANT ILLI; superatâ tentatione.

VERS. 14. — POSTQUAM AUTEM TRADITUS EST JOANNES, VENIT JESUS IN GALILÆAM, PRÆDICANS EVANGELIUM REGNI Dei. Universa materia Evangelii hoc verbo comprehensa est.

VERS. 15. — ET DICENS QUONIAM IMPLETUM EST TEMPUS. In quatuor secatur partes evangelizatio regni Dei. Prima est venisse plenitudinem temporis prædicti à lege et prophetis, quo scilicet misit Deus Filium suum in mundum. ET APPROPINQUABIT, pro, *appropinquavit*, REGNUM DEI. Secunda est appropinquâsse regnum cœlorum; ad differentiam veterum, qui annuntiabant regnum terrenum, promittentes felicitatem regni in terrâ promissionis. Et per hoc declarat regnum Dei esse idem quod regnum cœlorum. Et sicut in primâ particulâ prædicat veritatem legis et prophetarum, ita in hâc secundâ prædicat spem non terrenæ felicitatis sed regni cœlorum, quod tunc dicitur appropinquâsse, quia venerat introductor hominum in regnum cœlorum. POENITEMINI, pro, *pœniteat vos*. Tertia pars ad malè actæ vitæ pœnitentiam inducit, sine quâ vana est spes regni cœlorum, in quod nihil coinquinatum potest introire. ET CREDITE EVANGELIO. Fides quarto loco prædicatur adhibenda non solùm veteri testamento, sed novo, quod Evangelium appellatur. Considera has quatuor partes, et perspice primam et quartam comprehendere differentiam veteris et novi Testamenti; secundam autem et tertiam comprehendere differentiam boni et mali.

VERS. 16. — ET PRÆTERIENS, pro, *ambulans autem*, SECUS MARE GALILÆÆ (lacum Hæbraico more appellat mare). VIDIT SIMONEM ET ANDRÆAM FRATREM EJUS, scilicet Simonis, MITTENTES RETIA IN MARE; ERANT ENIM PISCATORES. — VERS. 17.—ET DIXIT EIS JESUS: VENITE POST ME; ET FACIAM VOS FIERI PISCATORES HOMINUM. — VERS. 18. — ET PROTINUS RELICTIS RETIBUS, deest, *suis*, SECUTI SUNT EUM. — VERS. 19.—ET PROGRESSUS INDE PUSILLUM, VIDIT JACOBUM ZEBEDÆI ET JOANNEM FRATREM EJUS; ET IPSOS COMPONENTES, pro, *reficientes*, seu, *sarcientes*, RETIA IN NAVI. — VERS. 20. — ET STATIM VOCAVIT ILLOS, ET RELICTO PATRE SUO ZEBEDÆO IN NAVI CUM MERCENARIIS, SECUTI SUNT EUM.—VERS. 21.— ET INGREDIUNTUR CAPHARNAUM. ET STATIM SABBATIS, diebus congruis populo ad audiendum verbum Dei. INGRESSUS IN SYNAGOGAM, locum congruum et deputatum ad doctrinam divini verbi. DOCEBAT EOS. Pronomen, *eos*, non est in Græco.

VERS. 22. — ET STUPEBANT SUPER DOCTRINA EJUS. ERAT ENIM DOCENS EOS QUASI, pro, *tanquàm*, POTESTATEM HABENS, doctrinam confirmando miraculis, ET NON SICUT SCRIBÆ, qui doctrinam miraculis non confirmabant. —VERS. 23. — ET ERAT IN SYNAGOGA. Subjungit evangelista factum monstrans quòd Jesus docebat ut po-

ritûs rapientis hominem quocumque velit. Theophylactus et Chrysostomus in Catenâ citatus admonet significari non esse committendum ut homo semet conjiciat in periculum tentationis, sed, si Deo volente incidat, fortiter agendum.

VERS. 13. — ET ERAT IN DESERTO. Quidam codex Græcus tantùm habebat: *Et erat ibi*. Alter præterea addit, *in deserto*. Quorsùm autem attinebat repetere *desertum*, cùm mox præcessisset? QUADRAGINTA DIEBUS, in Græcis non additur, *et quadraginta noctibus*.

VERS. 15. — QUONIAM IMPLETUM. Ὅτι hoc loco fuerat omittendum interpreti. ET APPROPINQUAVIT, sive *appropinquat*: ut in hujusmodi verbis Græci nonnunquàm utuntur præteritis loco præsentium, ut non semel jam admonuimus. POENITEMINI. Μετανοεῖτε, id est, *pœniteat vos*, quod consuevit vertere: *Pœnitentiam agite*, aut quod ego malim: *Resipiscite*. ET CREDITE EVANGELIO, Græcè: *in Evangelio*, tametsi id ex proprietate est sermonis Hebræi. Theophylactus putat hìc abrogatam legis observationem, cùm ait: *Credite Evangelio*, quasi dicat: *Cessent umbræ, lux adest*. Ad id facit quod præcessit, *tempus impletum est*. Proinde non omninò idem docuit Christus initio quod Joannes.

VERS. 16. — ET PRÆTERIENS, Græcè, *ambulans autem ad mare*, sive *juxta mare*; quanquàm alius codex habebat: *Et præteriens juxta mare*. Porrò lacum *mare* vocat. FRATREM EJUS. Pro *ejus* Græcè est *Simonis*. Quidam utrumque repetunt, *ipsius Simonis*, sive, *ejus nempe Simonis*, quod opinor additum à quopiam qui voluerit effugere amphibologiam, ne intelligeremus fratrem ipsius Christi. Nec est hoc loco, *retia*, ut paulò post, sed genus retis cujus meminit Julius Pollux.

VERS. 19. — COMPONENTES RETIA, *sarcientes*, sive *reconcinnantes*.

VERS. 20. — SECUTI SUNT EUM, *abierunt post eum*, ut verbum verbo reddatur. Quod et aliàs verti poterat, *sequere me*. Theophylactus putat hìc narrari secundam vocationem, eò quòd narratio Lucæ 5, dissonet à narratione Matthæi et Marci. Cæterùm quod addit, Petrum et Andream fuisse discipulos Joannis Baptistæ, qui permoti illius de Christo testimonio Christum sequi cœperint, sed Joanne conjecto in carcerem redierint ad pristinum quæstum, unde denuò vocati protinùs secuti sint, quoniam nullâ Scripturæ auctoritate nititur, pro conjecturâ humanâ habendum censeo.

VERS. 22. — QUASI POTESTATEM HABENS, id est, *tanquàm*. Quanquàm hoc *quasi*, et quod mox sequitur, *sic*, eidem Græcæ voci respondent ὡς, unde vertere poterat utrobique, *ut*. Porrò de potestate diximus in Matthæo.

VERS. 23. — IN SPIRITU IMMUNDO. Quid hâc formâ loquendi durius Latinis simul et Græcis auribus? Dici poterat, *obnoxius immundo spiritui*.

VERS. 24. — QUID NOBIS ET TIBI? Ἔα, τί ἡμῖν καί σοι; id est, *Sine, quid nobis et tibi?* Quanquàm ἔα rectiùs accipitur, ut sit adverbium Græcis, nobis interjectio exclamantis; et Latinè vertisset, *Quid rei nobis tecum est?* Aut, quod pollet idem: *Quid tibi nobiscum est rei?* VENISTI *ante tempus* PERDERE NOS. *Ante tempus*, nec additur apud Græcos, nec in codice aureo, ne in Constantiensi quidem. Videtur huc adjectum è Matthæi capite 8. SCIO QUOD SIS, Græcè: *Scio te qui sis*, et sic habent antiqui nostri codices, *qui sis*, non *quod sis*, sive *novi te quis es*, ut magis ad verbum exprimam. SANCTUS DEI, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. Nec hìc articulus otiosè additur, ut aliàs sæpiùs indicatum est. Nec enim est simpliciter *sanctus*, sed, ut certum et insignem intelligamus, videlicet illum unum verè sanctum, et omnis humanæ sanctimoniæ fontem. Proinde dilucidius erat: *Novi te qui sis, nempe sanctus ille Dei*.

VERS. 25. — ET COMMINATUS EST, *et increpavit*. DE HOMINE. Græcis est, *ex eo*.

testatem habens. Homo in spiritu immundo; et exclamavit, —Vers. 24.—dicens : Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? querula vox est. Venisti *ante tempus*, vel opinatum vel perditionis nostræ futuræ, cùm claudemur in inferno. Vox ista tristitiæ est sentientium spiritualem torturam, in hoc quòd cogebantur præcepto Christi exire inviti ab hominibus possessis, ut patet ex verbis Luc. cap. 9 ; ipsa enim coactio ad relinquendum possessa, tortura est spirituali creaturæ. Appellatur autem ante tempus, vel opinatum, eo modo loquendi quo dicimus evenire senium vel infortunium ante tempus, quia ante opinatum tempus occurrit. Vel torturæ; nam tempus quo torquebimur erit post judicium; interim autem est tempus quo nos torquemus alios, et propterea ante tempus nostræ torturæ dicunt ipsum venisse ad torquendum eos. Perdere nos? Appellant dæmones perditionem suam, vel perditionem regni sui in hominibus, vel coactionem spiritualem quâ sentiebant se cogi à Christo ad exeundum ab hominibus. Scio quod sis, pro, *novi te quis es*. Mentitur dæmon et fingit se scire ad tentandum ut sciat, prout in deserto tentaverat. Sanctus Dei. In Græco habetur articulus, insinuans ac si diceretur, *ille sanctus Dei*. Et est appositivè jungenda hæc particula præcedenti, *novi te quis es*, appositivè, *ille sanctus Dei*, scilicet prædictus à lege et prophetis, expectatus à Judæis. Non obliviscitur diabolus officii sui; tentationem enim quam in deserto inchoaverat post Christi jejunium ad explorandum si Filius Dei esset, modò prosequitur; ex industriâ et arte exploratoriâ appellans *Sanctum Dei ;* non quòd jam sciret ipsum esse Filium Dei, quia *si cognovissent nunquàm dominum gloriæ crucifixissent*, 1 ad Corinth. 2.

Vers. 25. — Et comminatus est ei, pro, *increpavit eum*, Jesus, dicens : Obmutesce. Imponit silentium dæmoni, refutans testimonium illius : instruens per hoc homines ut testimonia dæmonum etiam oblata refutent. Et exi de homine. — Vers. 26.—Et discerpens eum spiritus immundus et exclamans voce magna, exiit ab eo. Præterita sunt *discerpens* et *exclamans*, significantia, discerpto illo et clamore emisso. Per discerptionem non intellige scissionem alicujus membri (quoniam testatur Lucas, cap. 4, quòd dæmon projecit hominem illum in medium, et nihil ei nocuit), sed scissionem virium. Itaque discerptio, non membrorum, sed virium corporalium significatur : quam Lucas ab effectu projectionis in terram absque membrorum læsione significavit. Permisit autem Jesus hominem illum affligi in modo exeundi, tum ut discerneretur spiritus immundus à spiritu hominis, et cognosceretur quòd non homo ille ex spiritu proprio, sed ex dæmone dixerat quæ dixit, tum ut cognosceretur à quanto malo liberaverit eum.

Vers. 27.—Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se, dicentes : Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova? quia in potestate spiritibus immundis imperat, et obediunt ei. Hinc apparet quare dictum sit quòd erat *docens ut potestatem habens*. Reddunt enim rationem doctrinæ novæ; ex potestate imperativâ dæmonibus, imò etiam dæmonibus, nam in Græco præponitur conjunctio, et, dicendo quia in potestate et spiritibus immundis imperat. Summum enim imperii genus apparet imperare dæmonibus; et propterea cum emphasi dicunt, *et spiritibus immundis*.

Vers. 28. — Et processit rumor, pro, *fama*, ejus statim in omnem regionem, pro, *in totam circumjacentem regionem*, Galilææ. Dativi casûs est *Galilææ*. Et hinc apparet quòd intendit evangelista dicere, in totam regionem finitimam Galilææ.

Vers. 29.—Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis et Andreæ cum Jacob et Joanne. —Vers. 30.—Recumbebat autem socrus Simonis febricitans; et statim dicunt ei de illa.— Vers. 31.—Et accedens elevavit eam apprehensa manu ejus : et continuò dimisit eam febris, et ministrabat eis. Cùm civitas Simonis fuerit Bethsaida, cura socrûs in Bethsaidâ videtur facta.

Vers. 32.—Vespere autem facto cum occidisset

Vers. 26. — Et discerpens eum, et exclamans. Utrumque participium Græcis præteriti temporis est, quasi dicas, *discerpto illo, et clamore emisso*.

Vers. 27. — Quidnam est hoc? Particulam *nam* addidit interpres de suo, cùm aliàs negligat exprimere, nimirùm ad hunc modum paria faciens. Et rursùm : Quænam doctrina; de suo addidit *nam*. Quia in potestate etiam spiritibus imperat. *Quia in potestate et spiritibus*, habetur tum in Græcis, tum in antiquis Latinis, ut conjunctio addat epitasin. Cæterùm Græci codices locum bifariam distinguunt; nonnuli sic legunt : *Quæ est hæc doctrina, quoniam secundùm potestatem*, ut subaudias, *est*. Alii conjungunt hæc cum his quæ mox sequuntur : *Quæ est doctrina hæc, quoniam cum auctoritate spiritibus quoque immundis imperat*.

Vers. 28. — Et processit, *et exivit*, sive *emanavit*, rumor *ejus*, id est, *fama ejus*, quod alicubi vertit *opinio*. Cæterùm ut *famam hominis* dicimus, ita non dicimus *rumorem hominis* in eodem sensu. *Rumor* enim magis ad rem refertur, ut *rumor belli*. *Fama* generale nomen est. Regionem, totam undique regionem Galilææ finitimam, ut intelligamus et ultra Galilææ fines famam Jesu progressam.

Vers. 30. — Recumbebat; *decumbebat*, ut et antiqui codices habent, cumque his aureus ille, atque etiam Constantiensis. *Recumbit* enim quiescens et supinus. *Accumbit* in convivio. *Decumbit* ægrotus lecto affixus.

Vers. 31. — Apprehensa manu ejus, κρατήσας, quod toties vertit *tenuit*, veluti de Jesu capto, *tenuerunt eum*, ubi tempestivius erat, *comprehenderunt*. Et cur non potiùs, *reliquit*, quàm, *dimisit*, nisi fortè febris dicto vale discessit.

Vers. 33. — Omnis civitas, *civitas tota*, ne plures civitates intelligas.

Vers. 34. — Qui vexabantur, *malè habentes*, sive *malè affectos*. Variis languoribus, id est, *variis morbis;* quod tamen ita perpetuò ferè vertit. Quoniam sciebant eum. Græcè sic est, *quòd noverunt ipsum Christum esse*. Nam hæc duo verba adduntur in nonnullis Græcis exemplaribus, velut in Theophylacto; in nostris tantùm est, *quoniam sciebant eum*. Græcus tamen sermo ambiguus est, *non passus eos hoc proloqui quòd agnoscerent Jesum;* sive, *non passus est eos omninò loqui, propterea quòd agnoscerent Christum esse Messiam*, ne id antè tempus effutirent. In priore sensu magis conveniebat *ipsum*, quàm *eum*.

Vers. 35. — Et diluculò valdè. Græcè : *Et mane, multâ adhuc nocte*. Nam id sonat ἔννυχον, cùm adhuc aliquantùm est noctis.

Vers. 37. — Dixerunt, Græcè, *dicunt*. Et mox : Quia omnes; conjunctio fuerat omittenda.

SOL AFFEREBANT AD EUM OMNES MALÈ HABENTES ET DÆMONIA HABENTES. Dies ille sabbatum significatur, ex eo quòd post solis occasum afferebant ægros, quos in die sabbati vehere non licebat.

VERS. 33. — ET ERAT OMNIS CIVITAS, id est, tota civitas, CONGREGATA AD JANUAM, domùs Petri.—VERS. 34. — ET CURAVIT MULTOS; non dicit nec excludit omnes; QUI VEXABANTUR, pro, *malè habentes,* VARIIS LANGUORIBUS; ET DÆMONIA MULTA EJICIEBAT, ET NON SINEBAT EA LOQUI QUONIAM SCIEBANT EUM. In multis Græcis exemplaribus adjunguntur duæ dictiones, scilicet, Christum esse. Sed adverte diligentissimè in Græco haberi conjunctionem, *quòd;* non sunt enim hæc verba evangelistæ reddentis rationem quare non sinebat ea loqui (ut Latinus textus sonat: significans evangelistam affirmare dæmones scire eum esse Christum), sed sunt verba explicantia sermonem inhibitum, sermonem non permissum dæmonibus. Ita quòd sensus est: Non sinebat dæmones dicere quòd scirent eum esse Christum. Dæmones enim isti dicebant quòd sciebant eum esse Christum; sicut etiam clarè dixerat dæmon exclusus ab homine in synagogâ. Et hos sermones non permittebat Jesus, refutans eorum testimonia, et nihilominùs mentiendo et perseverantes tentando dæmones hoc dicebant.

VERS. 35. — ET DILUCULÒ VALDÈ SURGENS, EGRESSUS ABIIT IN DESERTUM LOCUM; IBIQUE ORABAT.—VERS. 36. ET PROSECUTUS EST, pro, *prosecuti sunt,* EUM SIMON ET QUI CUM ILLO ERANT. Hinc apparet quòd Jesus summo mane solus recessit è domo in desertum ad orandum, exemplum prædicatoribus præbens rapiendi tempus aliquod ad orandum, ad mentem in Deum elevandam, precando quæ sunt salutis, etc., et postea Petrus et alii discipuli venerunt ad eum.

VERS. 37.—ET CUM INVENISSENT EUM, DIXERUNT, pro, *dicunt,* EI, QUIA OMNES QUÆRUNT TE.—VERS. 38.—ET AIT ILLIS, EAMUS IN PROXIMOS VICOS ET CIVITATES, pro, *municipia.* Quod tamen non propriè respondet Græcæ dictioni, significanti potiùs rusticana oppida. UT ET IBI PRÆDICEM; AD HOC ENIM VENI.—VERS. 39.—ET ERAT PRÆDICANS IN SYNAGOGIS EORUM ET IN OMNI GALILÆA, ET DÆMONIA EJICIENS. — VERS. 40. — ET VENIT AD EUM LEPROSUS, DEPRECANS EUM; ET GENU FLEXO DIXIT: SI VIS, POTES ME MUNDARE. Signum sensibile honorationis genu flectendo exhibebat; nota præterea magnam fidem, quæ fatetur potentiam in voluntate consistere.

VERS. 41. —JESUS AUTEM MISERTUS EJUS, EXTENDIT MANUM SUAM, ET TANGENS EUM, ut Dominum legis prohibentis tactum leprosi se ostenderet, simulque virtutem humanæ naturæ in se astrueret, dùm non inquinatur, sed tactu mundat lepram. VOLO. Respondet ad id quod dixerat: *Si vis.* MUNDARE. Altera dictio est imperativi passivi. Et respondet veram confessionem: *Potes me mundare,* dùm imperativè dicit: *Mundare.*

VERS. 43. — ET COMMINATUS EST EI, more comminantis inhibuit, STATIM EJECIT ILLUM, invitum jussit abire.

VERS. 44. — ET DIXIT EI: VIDE NEMINI. Deest, *quidquam dixeris.* Nec ulla præcepti dissimulatio intervenit; sed intimi affectûs virtute humilitatis prædicti, desiderium verum et urgens ad fugandum quantùm ex parte suâ est fomenta humanæ gloriæ, hujus enim veracis desiderii verba sunt: Vide ne cui quidquam dixeris, et ideò non obligatoria erant mundati ad peccatum inobediendi, sed manifestabant quid ex intimo corde humili Jesus desiderabat. SED VADE, OSTENDE TE PRINCIPI SACERDOTUM, pro, *ostende te sacerdoti;* et OFFER PRO EMUNDATIONE TUA QUÆ PRECEPIT MOYSES, IN TESTIMONIUM ILLIS, ut cognito miraculo moveantur ad credendum; et si non crediderint reddantur inexcusabiles, utpote accipiendo munus duorum agnorum et ovis (Levit. 14 præceptum), profitentes te mundatum, et non credendo negantes me qui curavi.

VERS. 45. — AT ILLE EGRESSUS CŒPIT PRÆDICARE. Deest, *multùm.* Cœpit enim ille prædicare multùm; ET DIFFAMARE, pro, *divulgare,* SERMONE. Infamare siquidem in malam partem sonat. Non intelligas propterea leprosum hunc reum fuisse inobedientiæ; intellexit enim Jesum prohibuisse ne diceret factum, ad evitandam humanam gloriam: et quod officii ipsius curati erat publicare divinum miraculum, et gratum se exhibere Jesu, prædicando et extendendo famam ipsius. ITA UT JAM NON POSSET MANIFESTÈ INTROIRE IN CIVITATEM; SED FORIS IN DESERTIS LOCIS ESSE, pro, erat; ET CONVENIEBANT, pro, *veniebant,* AD EUM UNDIQUE. Quod verbo significaverat Jesus, scilicet fugere se gloriam humanam, facto monstravit, dùm extensâ suâ famâ vitabat manifestum ingressum in civitatem, in quam non poterat manifestè ingredi sine multâ gloriâ; sed erat foris in locis desertis.

VERS. 38. — IN PROXIMOS, *adhærentes,* sive *contiguos,* VICOS ET CIVITATES, Græcis est dictio composita, quod quidam interpretantur *municipia. Oppidula rusticana* significat, quæ vel *vici,* vel *oppida* videri possint. Siquidem ex *vico* et *oppido* Græca vox composita est. UT IBI PRÆDICEM, Græcè est, *ut et ibi.* Consentientibus et antiquis exemplaribus nostris. Et *in hoc,* apertius erat, AD HOC, sive *hâc gratiâ.*

VERS. 39. — ET IN OMNI GALILÆA. *Et* non est Græcis, sed, *in synagogis illorum, per totam Galilæam.*

VERS. 40. — SI VIS. Hoc loco interpres rectè omisit ὅτι: quod cùm alicubi faciat, mirandum, cur non idem perpetuò faciat, quoties sermonis exigit ratio.

VERS. 41. — VOLO, MUNDARE. *Mundare* hìc passivum est, imperandi modo, quemadmodùm est in Matthæo.

VERS. 43. — ET COMMINATUS EST. Græcè: *Et comminatus ei, statim ejecit,* hoc est, *acriter interminatus, nec ubi proferret.* Et *ejecit,* dixit pro *ablegavit,* sive quòd celeriter, sive quòd invitum.

VERS. 44. — VIDE NEMINI, id est: *Vide ne cui.* OSTENDE TE, *teipsum ostende.* Quanquàm interpres hujusmodi composita pronomina plerùmque vertit per simplicia. Et quod in nostris codicibus legitur *principi sacerdotum,* apud Græcos est τῷ ἱερεῖ, nisi fortè id efficit articulus, ut de summo sacerdote dictum accipiatur.

VERS. 45. — CŒPIT PRÆDICARE. Græci addunt *multùm* sive *multa.* DIFFAMARE. Græcè non sonat in malam partem. Verti poterat *spargere* seu *divulgare.* ITA UT NON POSSET JAM. Ex Græcis verbis apparet de mundato dictum. Proinde ne quid hìc hæreret lector, in nostrâ translatione, pro αὐτὸν subjecimus *Jesus,* hoc est, nomen pro pronomine. Ne quis hoc ut temerè factum statim corrigat. IN DESERTIS LOCIS ESSE. *Erat* Græcè est, non *esse,* Vulg., *esset.* ET CONVENIEBANT, et veniebant.

CAPUT II.

1. Et iterùm intravit Capharnaum post dies :

2. Et auditum est quòd in domo esset, et convenerunt multi, ita ut non caperet, neque ad januam : et loquebatur eis verbum.

3. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.

4. Et cùm non possent offerre eum illi præ turbâ, nudaverunt tectum ubi erat : et patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat.

5. Cùm autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico : Fili, dimittuntur tibi peccata tua.

6. Erant autem illic quidam de scribis sedentes, et cogitantes in cordibus suis :

7. Quid hic sic loquitur ? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ?

8. Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit ilis : Quid ista cogitatis in cordibus vestris?

9. Quid est facilius dicere paralytico : Dimittuntur tibi peccata, an dicere, Surge : tolle grabatum tuum, et ambula?

10. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata (ait paralytico),

11. Tibi dico : Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.

12. Et statim surrexit ille : et sublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, et honorificarent Deum, dicentes : Quia nunquam sic vidimus.

13. Et egressus est rursùs ad mare : omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos.

14. Et cùm præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est eum.

15. Et factum est, cùm accumberet in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Jesu, et discipulis ejus : erant enim multi, qui et sequebantur eum.

16. Et scribæ et pharisæi videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus, dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester ?

17. Hoc audito, Jesus ait illis : Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent : non enim veni vocare justos, sed peccatores.

18. Et erant discipuli Joannis et pharisæi jejunantes, et veniunt, et dicunt illi : Quare discipuli Joannis et pharisæorum jejunant; tui autem discipuli non jejunant?

19. Et ait illis Jesus : Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiù sponsus cum illis est, jejunare ? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.

20. Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt in illis diebus.

21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri : alioquin aufert supplementum novum à veteri, et major scissura fit.

22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur,

CHAPITRE II.

1. Quelques jours après, Jésus revint à Capharnaüm :

2. Et dès qu'on eut ouï dire qu'il était dans la maison, il s'y assembla un si grand nombre de personnes, que même tout l'espace qui était devant la porte ne pouvait les contenir ; et il leur prêchait la parole.

3. Alors on vint lui amener un paralytique qui était porté par quatre hommes.

4. Et comme ils ne pouvaient le lui présenter à cause de la foule, ils découvrirent le toit où il était, et y ayant fait une ouverture, ils descendirent le lit où le paralytique était couché.

5. Jésus voyant leur foi, dit au paralytique : Mon fils, vos péchés vous sont remis.

6. Or, il y avait là quelques scribes qui étaient assis, et qui s'entretenaient de ces pensées dans leur cœur :

7. Que veut dire cet homme ? il blasphème. Qui peut remettre les péchés, sinon Dieu seul ?

8. Aussitôt Jésus ayant connu par son propre esprit, ce qu'ils pensaient en eux-mêmes, leur dit : Pourquoi vous entretenez-vous de ces pensées dans vos cœurs ?

9. Lequel est le plus aisé, de dire au paralytique : Vos péchés vous sont remis, ou de lui dire : Levez-vous, emportez votre lit, et marchez.

10. Or, afin que vous sachiez que le Fils de l'homme a sur la terre le pouvoir de remettre les péchés, il dit au paralytique :

11. Levez-vous, je vous le commande ; emportez votre lit, et vous en allez en votre maison.

12. Il se leva aussitôt, emporta son lit, et s'en alla devant tout le monde ; de sorte qu'ils étaient tous saisis d'étonnement, et rendaient gloire à Dieu, disant : Nous n'avons jamais rien vu de semblable.

13. Jésus étant sorti une autre fois du côté de la mer, tout le peuple venait à lui, et il les instruisait.

14. Et lorsqu'il passait, il vit Lévi fils d'Alphée assis au bureau des impôts, et il lui dit : Suivez-moi. Il se leva aussitôt, et le suivit.

15. Il arriva que Jésus étant à table dans la maison de cet homme, beaucoup de publicains et de pécheurs y étaient avec lui, et avec ses disciples ; car il y en avait même plusieurs qui le suivaient.

16. Et les scribes et les pharisiens voyant qu'il mangeait avec les publicains et avec les pécheurs, dirent à ses disciples : Pourquoi votre maître mange-t-il et boit-il avec des publicains et des pécheurs?

17. Ce que Jésus ayant entendu, il leur dit : Ce ne sont pas ceux qui se portent bien qui ont besoin de médecin, mais les malades ; aussi je ne suis pas venu appeler les justes, mais les pécheurs.

18. Or, les disciples de Jean, et ceux des pharisiens jeûnaient, et ils vinrent, et lui dirent : Pourquoi les disciples de Jean et ceux des pharisiens jeûnent-ils, et vos disciples ne jeûnent-ils pas ?

19. Jésus leur répondit : Les amis de l'époux peuvent-ils jeûner pendant que l'époux est avec eux ? Ils ne peuvent pas jeûner pendant qu'ils ont l'époux avec eux.

20. Mais il viendra un temps où l'époux leur sera ôté, et ce sera alors qu'ils jeûneront.

21. Personne ne coud une pièce de drap neuf à un vieil habit, autrement le neuf emporte une partie du vieux, et l'habit se déchire davantage.

22. Et nul ne met du vin nouveau dans de vieux vaisseaux ; autrement le vin nouveau fait crever les

et utres peribunt ; sed vinum novum in utres novos mitti debet.

23. Et factum est iterùm cùm Dominus sabbatis ambularet per sata, et discipuli ejus cœperunt progredi, et vellere spicas.

24. Pharisæi autem dicebant ei : Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet?

25. Et ait illis : Nunquàm legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, et qui cum eo erant?

26. Quomodò introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus, et dedit eis qui cum eo erant?

27. Et dicebat eis : Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum.

28. Itaque dominus est Filius hominis etiam sabbati.

vaisseaux, le vin se répand, et les vaisseaux se perdent; mais il faut mettre le vin nouveau dans des vaisseaux neufs.

23. Il arriva encore que Jésus passant le long des blés un jour de sabbat, ses disciples commencèrent en marchant d'arracher des épis.

24. Sur quoi les pharisiens lui dirent : Pourquoi font-ils le jour du sabbat, ce qu'il n'est point permis de faire?

25. Il leur répondit : N'avez-vous jamais lu ce que David fit dans le besoin où il se trouva, lorsque lui et ceux qui l'accompagnaient furent pressés de la faim.

26. Comment il entra dans la maison de Dieu du temps du grand-prêtre Abiathar, et mangea les pains de proposition, et en donna à ceux qui étaient avec lui, quoiqu'il n'y eût que les prêtres à qui il fût permis d'en manger?

27. Et il leur dit : Le sabbat a été fait pour l'homme, et non pas l'homme pour le sabbat.

28. C'est pourquoi le Fils de l'homme est maître du sabbat même.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et iterum intravit Capharnaum post dies octo. In Græco non habetur *octo;* nec habetur *post,* sed *per*. Et videtur significari quòd Jesus intravit Capharnaum mansurus per dies aliquot.

Vers. 2. — Et auditum est quòd in domo esset ; et convenerunt, pro, et *congregati sunt,* multi ; ita ut non caperent neque ad janua, pro, ita ut non ampliùs caperent ne ea quidem quæ ad januam. Et est sensus quòd neque loca domûs, neque loca circa januam caperent plures.

Vers. 3. — Et venerunt, pro, veniunt, ad eum ferentes paralyticum qui a quatuor portabatur.—Vers. 4. — Et cum non possent offerre eum illi, pro, *appropinquare illi,* præ turba. Significatur quòd portatores paralytici, turbâ occupante etiam loca januæ, non poterant appropinquare ad Jesum. Nudaverunt tectum ubi erat. Hinc apparet domum illam non habuisse solarium, sed opertam fuisse tegulis, quas auferendo detexerunt tectum. Et patefacientes, pro, *fodientes.* Unde apparet quòd domus illa sub tegulis habebat nescio quid quod oportuit frangi, quod crediderim fuisse lignum. Submiserunt, pro, *submittunt,* grabatum in quo paralyticus jacebat. Non projiciunt neque portant, sed funibus lectulum in quo jacebat submittunt ; hoc enim significari per submissionem patet Act. 27, et submittentes bolidem invenerunt passus 20.

Vers. 5. — Cum autem vidisset Jesus fidem illorum. Magna Dei gratia, etiam alienis meritis hominis misereri, et quoad animam et quoad corpus, ut hinc discamus, tum magnipendere aliorum suffragia pro nobis ad Deum ; tum confidenter orare pro aliis. Ait paralytico : Fili, dimittuntur, pro, *dimittantur.* Imperativè enim peccatorum dimissio significatur.

Vers. 6 et 7. — Erant autem illic quidam de scribis sedentes, et cogitantes in cordibus suis, quid hic sic loquitur. Duo horrebant scribæ : et rem scilicet et modum imperativum, et propterea apponunt adverbium *sic.* Blasphemat, pro, *blasphemias.* Est enim unica oratio : *Quid hic sic loquitur blasphemias?* Quis potest dimittere peccata, nisi solus, pro *unus,* Deus.

Vers. 12. — Ita ut mirarentur, pro, *stuperent* omnes, et honorificarent, pro, *glorificarent,* Deum : dicentes quia nunquam sic vidimus. Hæc de curâ istius leprosi, declarata sunt Matth. 9.

Vers. 14. — Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi, scilicet filium ; significatur enim Matthæus alio nomine

Vers. 1. — Post dies, id est, *per dies.* Nec addendum est *octo,* quod in quibusdam habetur codicibus Latinis. Certè in Paulino habebatur, *post dies,* in Corsendoncensi recenti manu additum erat *octo.* Sed lucidius erat *diebus aliquot,* sive *post dies aliquot.* Nam *post dies* Latinè nihil significat.

Vers. 2. — Et convenerunt, *et confestim convenerunt,* sive *collecti sunt.* Nec ad januam, Græcè, *ita ut jam non caperent ne ea quidem quæ erant juxta januam,* ut intelligas domum adeò fuisse refertam, ut ne vestibulum quidem et partes ostio vicinæ caperent turbam. Aureus codex habebat, *non caperet,* itidem Constantiensis, denique meus vetustæ typographiæ : ut *caperet* verbum pertineat ad domum, sitque gemina negatio, *nec domus capiebat, nec loca vicina januæ,* hoc est, *vestibulum.*

Vers. 3. — Et venerunt, Græcè, *et veniunt.* Nudaverunt tectum, *detexerunt tectum;* est enim prosonomasia, quasi dicas, *detegulaverunt tegulas.* Et patefacientes, Græcè, *cùm effodissent,* ut intelligamus etiam supernè perfodi tecta. Submiserunt, *demittunt,* propriè *funibus,* quemadmodùm demittitur ancora, aut saxum è sublimi. In quo paralyticus jacebat, *decumbebat* quod paulò ante depravatum erat *recumbebat.*

Vers. 7. — Quid hic sic loquitur, blasphemat. Græcè est, *blasphemias, loquitur blasphemias.* Nisi solus Deus, *nisi unus qui est Deus.*

Vers. 9. — Dimittuntur, id est, *remittuntur,* sive *remissa sunt.* Nam videtur esse præteritum Atticum pro ἀφεῖνται. Thema activum est ἀφέωκα, passivum ἀφέωνται. Ita tradit Herodianus. Fortassis interpres legit ἀφέονται per o micron, ut deducatur à verbo ἕω, unde ἵημι. Ut nos poneremus *remittantur,* in causâ fuit quidam insigniter Græcè doctus, ad hæc non mediocri vir auctoritate, qui consultus super hoc loco, jussit ut suo periculo verterem *remittantur.* Obsecutus sum, et fassus. Id cùm mihi non semel acciderit, tamen audeo pertinax, et nulli cedens.

Vers. 12. — Ut mirarentur. Plus dixit Græcus sermo, ὥστε ἐξίστασθαι, *ut essent attoniti, et velut extra se.* Nam ab hoc verbo dicta *ecstasis,* quæ est raptus mentis. Honorificarent, *glorificarent.*

Vers. 14. — Levi Alphæi. *Alphæi filium.* Ad telonium. Græcam vocem reliquit τελώνιον, quæ mensa est aut locus Publicanorum, ubi colligunt vectigal, quod Græcè τέλος dicitur.

Levi, filius Alphæi. ET SURGENS SECUTUS EST EUM. Non levitatis aut stultitiæ, ut Julianus Augustus et Porphyrius arguunt, accusandus est Matthæus, statim sequens Jesum vocantem; non solùm quia tot præcesserant miracula, sed etiam eâ potissimùm ratione quia internâ inspiratione Jesus traxit illum ad se; juxta illud : *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.*

VERS. 15. — ET FACTUM EST CUM ACCUMBERET IN DOMO ILLIUS, Matthæi qui convivium Jesu paravit. MULTI PUBLICANI, similes Matthæo, qui publicis vectigalibus seu censibus Romanorum vacabant; propterea enim infames erant apud Judæos, tanquàm ministri gentilium in damnum populi fidelis; quamvis etiam exactioni vectigalium et hujusmodi communiter viri cupidi se immisceant, et rara etiam sint vectigalia omni ex parte licita. ET PECCATORES SIMUL DISCUMBEBANT CUM JESU, ET DISCIPULIS EJUS. Admiranda humilitas; non dedignatur Jesus omni sanctitate major ad propriam admittere mensam peccatores et infames, et hoc publicè. QUI SEQUEBANTUR, pro, *secuti sunt* EUM.

VERS. 16. — ET PHARISÆI DICEBANT DISCIPULIS EJUS : QUARE CUM PUBLICANIS ET PECCATORIBUS MANDUCAT ET BIBIT MAGISTER VESTER? Intendebant Pharisæi non solùm reprehendere Christum, sed etiam avertere discipulos ab eo.

VERS. 17. — JESUS AIT ILLIS : NON NECESSE HABENT SANI MEDICO SED QUI MALÈ HABENT. Duplici ratione confutat Pharisæos. Prima est ex officio medici, quæ clara est. NON ENIM VENI VOCARE JUSTOS, SED PECCATORES. Secunda ratio ex proprio officio. Ubi nota quòd non solùm quatenùs officium medici, sed etiam quatenùs officium annuntiantis verbum Dei exercet, rationem reddit. In quâ insinuat nullos justos, sed omnes peccatores esse; ex eo enim quòd ipse venit vocare omnes, et non venit vocare justos, consequens est quòd nullus sit justus. Et verè sic est : quoniam, ut ad Rom. probat Apostolus, omnes tam Judæi quàm gentiles peccaverunt et egent gratiâ Dei, etc. Et quamvis ad litteram dici possit Marcum tacuisse quod Lucas supplevit, scilicet, *ad pœnitentiam*, eadem tamen sententia redit; quoniam venit vocare omnes ad pœnitentiam. Unde incœpit prædicare : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Itaque ex hâc Domini sententiâ confutantur Pharisæi, ut sciant omnes esse peccatores, et non inveniri in hominibus differentiam inter peccatores, et non peccatores; sed quia aliqui sunt magis et aliqui minùs peccatores, in comparatione ad magis peccatores, dici aliquos justos.

VERS. 18. — ET ERANT DISCIPULI JOANNIS ET PHARISÆI, pro, *Pharisæorum.* Hæc tamen correctio non est usquequàque certa; ET VENIUNT, utrique nominati, scilicet discipuli Joannis et Pharisæi, seu et discipuli Pharisæorum; qui etiam ipsi Pharisæi erant. ET DICUNT ILLI : QUARE DISCIPULI JOANNIS ET PHARISÆORUM JEJUNANT? De seipsis loquuntur tanquàm de tertiis personis.

VERS. 19. — ET AIT ILLIS JESUS : NUMQUID POSSUNT FILII NUPTIARUM QUAMDIU, pro, *filii thalami nuptialis in quo*, SPONSUS CUM ILLIS EST, JEJUNARE? Adverte quòd loco *thalami* interpres posuit *nuptiarum*, et loco *in quo* interpres posuit *quamdiù*. Et significatur non solùm thalamus (hoc est, nuptiale cubiculum), sed etiam communitas illius, sponso et celebrantibus nuptias; tales enim Hebraico more (quo utebatur Jesus loquendo) appellantur filii thalami nuptialis. De tempore autem subjungitur : QUANTO TEMPORE HABENT SECUM SPONSUM, etc.

VERS. 21. — NEMO ASSUMENTUM, pro, *immissuram* PANNI RUDIS. Hâc metaphorâ significavit interpres pannum nondùm à fullone curatum et politum; hoc est, omninò novum. ASSUIT VESTIMENTO VETERI; alioquin aufert supplementum; deest, ejus, NOVUM A VETERI; ET MAJOR, pro, *deterior*, SCISSURA FIT. ET NEMO MITTIT VINUM NOVUM IN UTRES VETERES; ALIOQUIN DIRUMPET VINUM; deest, *novum*, UTRES, etc. Monstrat Christus duabus similitudidibus quare novæ suæ doctrinæ executionem in operibus perfectionis non exigit à discipulis quamdiù fuit cum ipsis, sed postea. Prima similitudo, quæ à Lucâ planè explicata est, quòd sapiens artifex non tollit à vestimento novo particulam panni, apponendo illam ad reficiendum vetus vestimentum. Sequuntur enim duo inconvenientia, alterum est quòd tollitur integritas à vestimento novo; alterum, quòd fit major scissura in vestimento veteri, quia particula nova trahendo veterem scindit eam. Secunda similitudo est quòd vinum novum non est ponendum in utre veteri. Sequuntur enim duo inconvenientia, scilicet, quòd rumpuntur utres, ac per hoc pereunt, ac vinum effunditur; sed vino novo in

VERS. 16. — VIDENTES QUIA MANDUCARET, *cùm vidissent eum edentem.* Mirum cur hìc placuerit solœcismus, cùm Græcus sermo non præbuerit occasionem. QUARE. Τί ὅτι, id est : *Quid quòd*, id est : *Quid est quòd.* MAGISTER VESTER. Laurentius negat hæc addita in exemplaribus, quibus est usus. In nonnullis tamen addita comperi, tametsi Theophylactus non addit. In Constantiensi fuit erasum.

VERS. 17. — NON NECESSE HABENT, *non opus habent. Sani*, id est, *valentes*, sive *qui valent.* VOCARE JUSTOS. Græci addunt, *ad pœnitentiam.* Quanquàm id suspicor adjectum à quopiam. Nam nec in antiquissimis codicibus nostris reperitur, nec in Constantiensi, nec in meo vetustæ typographiæ, etiamsi apud Theophylactum additum est.

VERS. 18. — ET PHARISÆI. Quidam Græcus codex habebat, *et Pharisæorum*, ut subaudias *discipuli*, quemadmodùm est item paulò post; nisi mavis, *ii qui sunt ex Pharisæis*, hoc est, *è factione Pharisaicâ.*

VERS. 19. — NUMQUID POSSUNT, *num possunt.* FILII NUPTIARUM. Græca nonnihil dissonant : *Filii thalami nuptialis, in quo sponsus cum eis est, jejunare?* Νυμφὼν enim *nuptiale cubiculum* significat, interprete Suidâ. Deinde continenter ipse sibi respondet, *quanto tempore secum habent sponsum, non possunt jejunare.*

VERS. 21. — ASSUMENTUM, verbum, quod ante verterat *commissuram*, ut Matthæi nono, et Lucæ quinto, sonat *immissuram.* Dilucidè tamen vertit interpres. PANNI RUDIS, id est, *panni nondùm à fullone curati.* Nam hunc *rudem* vocat interpres. Rude dicitur quod recens est. Sic vocat animos nondùm humanis traditiunculis infectos. Siquidem γναφεὺς *fullonem* significat. AUFERT SUPPLEMENTUM NOVUM. Græcus addidit *ejus*, ut subaudias, *vestis.* Quod hìc vertit *supple-*

utres novos immisso ambo conservantur. Et intendit per has parabolas quòd doctrina sua nova non est præcipienda viris retinentibus veterem vitam; sed oportet priùs exspoliare veterem hominem, et sic induere novum, ita quod non potest fieri, ut pars sit nova et pars vetus, ut doctrina sit nova et vita vetus. Discipuli siquidem ejus erant tantæ imperfectionis, ut adhùc non essent capaces vitæ novi Testamenti, ut patet ex hoc quod eis dixit, Luc. ult.: *Manete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Et propterea sapientissimè abstinuit à præcepto jejunii et aliorum spectantium ad vitam novi Testamenti; hæc enim non tum servanda præcepit, sed futura prædixit. Si has parabolas ad amussim vis applicare, vestimentum novum est doctrina ac vita novi Testamenti, vestimentum vetus est animus retinens ea quæ imperfectionis sunt. Inconvenientia sunt quòd scinditur integritas novi Testamenti præcipiendo partem, puta perfectionem jejunii, et id parùm boni quod apud animum imperfectum est periculum subit ne omninò evanescat. Propterea Apostolus tanquàm *parvulis in Christo lac* dedit, *non escam.*

VERS. 23. — ET FACTUM EST ITERUM. In Græco non est *iterùm*. CUM DOMINUS SABBATIS. Non pluribus, sed in festivitate constante ex pluribus sabbatis; erat enim solemnitas paschalis. AMBULARET, pro, *transiret* PER SATA, et DISCIPULI EJUS CŒPERUNT PROGREDI, pro, *iter agere*. Significatur enim quòd discipuli cœperunt antecedere, ut sic viam quâ incederet Jesus inter culmos aperirent. Et dixit hoc evangelista ad significandum quòd discipuli ante oculos Jesu vellebant spicas, arguentibus Pharisæis coram ipso hoc fieri, dicendo: Ecce, quid faciunt? Non est enim in Græco discipuli tui, sed interpres apposuit.

VERS. 24. — PHARISÆI AUTEM DICEBANT EI: ECCE QUID FACIUNT DISCIPULI TUI SABBATIS QUOD NON LICET? — VERS. 25. — ET AIT ILLIS: NUMQUID LEGISTIS QUID FECERIT DAVID QUANDO NECESSITATEM HABUIT, ET ESURIIT IPSE ET QUI CUM EO ERANT; QUOMODO INTROIVIT IN DOMUM DEI SUB ABIATHAR PRINCIPE SACERDOTUM? 1 Reg. 21, historia hæc narratur sub Achimelech, nullâ factâ mentione Abiathar. Sed non est dissonantia, quoniam uterque ibi erat, nam Abiathar filius erat Achimelech. Appellatur autem princeps sacerdotum, non quòd tempore illius facti fuerit princeps sacerdotum, sed quia fuit primus princeps sacerdotum; antea enim non erat iste titulus (scilicet princeps sacerdotum), sed initium habuit tempore regni Davidis. Unde sicut Matth. dixit: *Jesse autem genuit David regem*, non quia genitus fuit rex, sed quia fuit primus rex in genealogiâ Christi, ita Abiathar nominatur princeps sacerdotum quia fuit primus princeps sacerdotum, ordinato et distributo sacerdotio per gradus et vices in solemni cultu exhibendo in templo. Hæc enim constat tempore Davidis disposita esse. ET MANDUCAVIT PANES PROPOSITIONIS, QUOS NON LICEBAT MANDUCARE NISI SOLIS SACERDOTIBUS; ET DEDIT EIS ET QUI CUM EO ERANT? pro, *et dedit etiam iis qui cum eo erant;* significatur enim Davidem non solùm comedisse panes sacros, sed etiam dedisse iis qui cum eo erant. In quo nota exemplum afferri, non solùm Davidis, sed etiam ipsorum qui cum ipso erant, ad excludendum singularitatem Davidis; ne scilicet Pharisæi dicerent licuisse Davidi comedere panem sanctum, quia erat propheta. Hoc enim non possunt dicere de illis qui cum illo erant. Intendit namque Jesus declarare quòd ex necessitatis articulo licuit tam Davidi quàm suis vesci pane sancto, aliàs solis sacerdotibus licito, Levit. 23. Exemplum sumitur à facto majori; nam longè majus est laicos vesci panibus propositionis quàm operari in sabbato, ut patet ex eo quòd operari in sabbato ex multis potest causis excusari, et sæpè accidit.

VERS 27. — ET DICEBAT EIS: SABBATUM PROPTER HOMINEM FACTUM EST, hoc est, ad utilitatem hominis spiritualem. Ad hoc enim ut homo sanctus fiat mente et animo, sanctificantur dies et loca, et non è converso; inanimatorum namque omnium sanctitas ad hominis sanctitatem ordinatur.

VERS. 28. — ITAQUE DOMINUS EST FILIUS HOMINIS ETIAM SABBATI. Infert Jesus seipsum Filium hominis esse dominum sabbati ex eo quòd sabbatum est propter hominem, in virtute universalis dominii super omnia quæ sunt propter hominem; ex eo enim quòd Filius hominis est dominus omnium quæ ordinantur ad salutem humanam, optimè infertur quòd est etiam dominus sabbati ordinati ad humanam utilitatem. Et aptè congruit propositio, ad significandum quòd sabbatum ordinatum ad hominis utilitatem non debet verti in damnum hominis; verteretur enim in damnum hominis, si ob sabbatum servandum homo privaretur necessario alimento.

mentum, aliàs verterat *plenitudinem*, ut Matthæi nono. Sic autem vocat eam panni particulam, quâ vestis lacera sarcitur et expletur.

VERS. 22. — VINUM NOVUM IN UTRES NOVOS. Græcis non est eadem prosonomasia, cum illis habeatur νέον et καινούς, quorum prius illud aptiùs dicitur de iis quæ sentiunt ætatem.

VERS. 23. — CŒPERUNT PROGREDI, *cœperunt discipuli ejus iter facere.* Nam quod Græcus habet sermo, ἤρξαντο, id est, *cœperunt*, hoc interpres retulit ad personam; veluti cùm dicitur, ἄρχεσθαι λέγειν, non qui initium dicendi facit, cùm ante tacuisset, sed qui primus et ante alios incipit verba facere, et ob id vertit *progredi*. Nimirùm offensus absurditate sermonis, quòd cùm paulò ante dictum esset, *Jesum iter fecisse per segetes*, nunc idem subjiciat de discipulis, quod *cœpissent iter ingredi.* Verùm hìc nec initium itineris significatur, nec ordo ingredientium, sed vellendi initium. Jam enim *inter eundum cœperunt vellere spicas.* Et VELLERE SPICAS, τίλλοντες, id est, *vellentes*, sive *vellendo.*

VERS. 24. — ECCE QUID FACIUNT DISCIPULI TUI SABBATIS. Ut paulò superiùs non addebatur *magister vester*, ita hìc non additur apud Græcos *discipuli tui.* Quorsùm enim attinebat eos nominare, cum digito illos ostenderent, *ecce?*

VERS. 26. — SUB ABIATHAR PRINCIPE SACERDOTUM. Divus Hieronymus, in libello de optimo Genere interpretandi, indicat nomen *Abiathar* pro *Achimelech* esse positum, propterea quòd libro Regum primo, capite 22, ubi refertur hujusce rei historia, nulla mentio fiat *Abiathar,* sed duntaxat *Achimelech;* sive id acciderit vitio scriptorum, sive quòd ejusdem hominis

vocabulum sit *Abiathar* et *Achimelech*. Nam Lyranus putat hunc *Abiathar* fuisse filium *Achimelech*, qui sub patre functus sit officio paterno, et eo cæso jussu Saülis, comes fuerit fugæ Davidicæ. Hieronymus ut nectit nodum, ita non explicat. Theophylactus aperit aliam rimam, ut accipiamus alium fuisse *Achimelech*, qui in libro Regum tantùm sacerdos sit dictus ἱερεύς, cùm hic *Abiathar* dicatur Ἀρχιερεύς. Mirum cùm Latini codices constanter habeant *Achimelech*, cur in Græcis Evangeliis semper habeatur *Abimelech*, nisi quòd Suidas in dictione εἰσήγγειλεν admonet eumdem utroque nomine signari. NISI SOLIS. *Solis* non additur apud Græcos, nec erat in codice Constantiensi. ET DEDIT EIS. Pro *eis* meliùs vertendum, ***qui secum erant: Et dedit his** quoque* ***qui secum erant.***

CAPUT III.

1. Et introivit iterùm in synagogam, et erat ibi homo habens manum aridam.

2. Et observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum.

3. Et ait homini habenti manum aridam : Surge in medium.

4. Et dicit eis : Licet sabbatis benefacere, an malè? animam salvam facere, an perdere? at illi tacebant.

5. Et circumspiciens eos cum irâ, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini : Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus illi.

6. Exeuntes autem Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant adversùs eum, quomodò eum perderent.

7. Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare : et multa turba à Galilæâ et Judæâ secuta est eum,

8. Et ab Jerosolymis, et ab Idumæâ, et trans Jordanem : et qui circa Tyrum et Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.

9. Et dixit discipulis suis, ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum.

10. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas.

11. Et spiritus immundi, cùm illum videbant, procidebant ei, et clamabant, dicentes :

12. Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum.

13. Et ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum.

14. Et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare.

15. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia.

16. Et imposuit Simoni nomen Petrus :

17. Et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi, et imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filii tonitrui :

18. Et Andræam, et Philippum, et Bartholomæum, et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi, et Thaddæum, et Simonem Cananæum,

19. Et Judam Iscariotem, qui et tradidit illum.

20. Et veniunt ad domum ; et convenit iterùm turba, ita ut non possent neque panem manducare.

21. Et cùm audissent sui, exierunt tenere eum ; dicebant enim : Quoniam in furorem versus est.

22. Et scribæ qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant : Quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia,

23. Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis : Quomodò potest Satanas Satanam ejicere ?

24. Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare.

CHAPITRE III.

1. Et Jésus entra de nouveau dans la synagogue, et il s'y trouva un homme qui avait une main desséchée.

2. Et ils l'observaient, pour voir s'il le guérirait un jour de sabbat, afin de l'accuser.

3. Et il dit à cet homme qui avait la main desséchée : Levez-vous au milieu de tout le monde.

4. Puis il leur dit : Est-il permis au jour du sabbat de faire du bien, ou du mal, de sauver la vie ou de l'ôter? Mais ils demeurèrent dans le silence.

5. Et les regardant avec indignation, étant affligé de l'aveuglement de leur cœur, il dit à cet homme : Etendez votre main. Il l'étendit, et elle devint saine.

6. Les pharisiens étant sortis tinrent aussitôt conseil contre lui avec les hérodiens pour le perdre.

7. Mais Jésus se retira avec ses disciples vers la mer où une grande multitude de peuple le suivit de Galilée et de Judée,

8. De Jérusalem, de l'Idumée, et d'au-delà du Jourdain : et ceux des environs de Tyr et de Sidon, ayant ouï parler des choses qu'il faisait, vinrent en grand nombre le trouver.

9. Et il dit à ses disciples qu'ils lui tinssent là une barque, afin qu'elle lui servît pour n'être pas trop pressé par la foule du peuple ;

10. Car comme il en guérissait plusieurs, tous ceux qui avaient quelque mal se jetaient sur lui pour le toucher.

11. Et quand les esprits impurs le voyaient, ils se prosternaient devant lui, et s'écriaient :

12. Vous êtes le Fils de Dieu. Mais il leur défendait avec de grandes menaces de le découvrir.

13. Et montant sur une montagne, il appela à lui ceux que lui-même voulut, et ils vinrent à lui.

14. Il en établit douze pour les avoir avec lui, et pour les envoyer prêcher.

15. Et leur donna la puissance de guérir les maladies, et de chasser les démons.

16. Et il donna à Simon le nom de Pierre ;

17. Les autres étaient Jacques, fils de Zébédée, et Jean, frère de Jacques, qu'il nomma Boanergès, c'est-à-dire, enfants du tonnerre ;

18. André, Philippe, Barthélemi, Matthieu, Thomas, Jacques, fils d'Alphée, Thadée, Simon-le-Cananéen,

19. Et Judas Iscariote, qui fut celui qui le trahit.

20. Et ils vinrent en la maison, et il s'assembla encore tant de monde, qu'ils ne pouvaient pas même prendre leur repas.

21. Ce que ses proches ayant appris, ils vinrent pour se saisir de lui, car ils disaient qu'il avait perdu l'esprit.

22. Les scribes qui étaient venus de Jérusalem, disaient aussi : Il est possédé de Béelzébub, et c'est par le prince des démons, qu'il chasse les démons.

23. Mais lui les ayant fait approcher, leur disait en paraboles : Comment Satan peut-il chasser Satan ?

24. Si un royaume est divisé contre lui-même, il est impossible que ce royaume subsiste.

25. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.

26. Et si Satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est et non poterit stare, sed finem habet.

27. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi priùs fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet.

28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ quibus blasphemaverint :

29. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.

30. Quoniam dicebant : Spiritum immundum habet.

31. Et veniunt mater ejus et fratres ; et foris stantes miserunt ad eum, vocantes eum.

32. Et sedebat circa eum turba, et dicunt ei : Ecce mater tua et fratres tui foris quærunt te.

33. Et respondens eis, ait : Quæ est mater mea, et fratres mei ?

34. Et circumspiciens eos qui in circuitu ejus sedebant, ait : Ecce mater mea et fratres mei.

35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.

25. Et si une maison est divisée contre elle-même, il est impossible que cette maison subsiste.

26. Si donc Satan se soulève contre lui-même, le voilà divisé ; il ne pourra plus subsister ; mais il faut que sa puissance finisse.

27. Nul ne peut entrer dans la maison d'un homme fort, et lui enlever ce qu'il possède, si auparavant il ne le lie, pour pouvoir ensuite piller sa maison.

28. Je vous dis en vérité, que tous les péchés que les enfants des hommes auront commis, et tous les blasphèmes qu'ils auront proférés, leur seront remis.

29. Mais si quelqu'un blasphème contre le Saint-Esprit, il n'en recevra jamais le pardon ; et il sera coupable d'un péché éternel.

30. Il leur dit ceci, sur ce qu'ils l'accusaient d'être possédé de l'esprit impur.

31. Cependant sa mère et ses frères arrivèrent ; et se tenant dehors, ils envoyèrent l'appeler.

32. Comme donc le peuple était assis autour de lui, on lui dit : Votre mère et vos frères sont là dehors qui vous demandent.

33. Mais il leur répondit : Qui est ma mère, et qui sont mes frères ?

34. Et jetant les yeux sur ceux qui étaient assis autour de lui : Voici, dit-il, ma mère et mes frères.

35. Car quiconque fait la volonté de Dieu, celui-là est mon frère, ma sœur, et ma mère.

COMMENTARIA.

VERS. 2. — ET OBSERVABANT EUM SI SABBATIS CURARET ; deest, *eum*.

VERS. 4.—ET DIXIT EIS : LICET SABBATIS BENEFACERE AN MALE ? deest, *facere*. Et significatur per benefacere, prodesse; et per malefacere, lædere. ANIMAM SALVARE AN PERDERE ? pro, *occidere ?* Proponit enim Jesus utrùm sabbatis liceat prodesse an nocere. Et augendo orationem, utrùm liceat sabbatis vitam servare an occidere ; vitam enim nomine animæ significavit. Tacet siquidem Marcus exemplum de ove quæ cecidit in foveam ; dictum tunc à Jesu ad declarandum et benefacere et servare vitam licitum esse sabbatis ex exemplo ovis.

VERS. 5. — ET CIRCUMSPICIENS EOS CUM IRA. Sicut in Christo fuit vera tristitia, ita etiam vera ira ; non enim assumpsit animum stoicum, sed verè naturalem. Fuit tamen ira in Christo, non passio rationem turbans, sed propassio, non redundans in alias vires, non impediens nec turbans alias actiones animæ. CONTRISTATUS, pro, *condolens*. Ita quòd duabus propassionibus usus est Jesus : irâ contra vitium, condolentiâ ad homines, ut intelligas non iratum sæviendo, sed condolendo, quod perfectæ virtutis est. SUPER CÆCITATE CORDIS EORUM, non mentis, ut cæcitatem affectatam intelligamus ; dùm hinc non possunt negare fas esse sabbatis extrahere ovem quæ cecidit, inde autem illicitum putant quòd Jesus restituit homines sanitati sabbatis. Magnitudo enim invidiæ et odii in Jesum excæcabat eos. DICIT HOMINI : EXTENDE MANUM TUAM. ET EXTENDIT ; ET RESTITUTA EST MANUS ILLI, pro, *illius, sana ut altera*.

VERS. 6. — EXEUNTES AUTEM PHARISÆI, STATIM CUM HERODIANIS CONSILIUM FACIEBANT ADVERSUS EUM, QUOMODÒ, pro, *ut*, EUM PERDERENT. Magna obstinatio Pharisæorum significatur, quòd nec convicti resipiscunt ; sed quod per viam accusationis apud ecclesiasticam curiam efficere nequibant, tentant ut per curiæ secularis non justitiam sed potentiam et impunem iniquitatem perdere possint Jesum. Hoc enim significat consilium cum Herodianis ad occidendum Jesum. Herodes namque secularis princeps erat.

VERS. 7. —JESUS AUTEM CUM DISCIPULIS SUIS SECESSIT AD MARE ; quia nondùm erat tempus passionis ejus, divertit Jesus à malignitate illorum. ET MULTA TURBA A GALILÆA ET JUDÆA SECUTA EST EUM, — VERS. 8. — ET AB HIEROSOLYMIS, ET AB IDUMÆA ET TRANS JORDANEM, ET QUI CIRCA TYRUM ET SIDONEM, MULTITUDO MAGNA, AUDIENTES QUÆ FACIEBAT, VENERUNT AD EUM. Considera hìc tres ordines : Primò catervam discipulorum comitantem Jesum ; deinde turbam multam Galilæorum et Judæorum sequentem ; et demùm multitudinem magnam ex diversis patriis venientem. Ubi etiam adverte multos inter hos venisse non Israelitas, sed Idumæos filios Esaü, et gentiles circa Tyrum et Sidonem, Tyrios et Sidonios ; hi enim fortè erant proselyti ; aut sicut mulier illa Cananæa ad famam miracu-

VERS. 4.—BENEFACERE. Græcus non sonat simpliciter facere rem malam aut bonam, sed malâ re aut bonâ afficere quempiam, quasi dicas : *Utrùm prodesse fas est sabbatis an lædere?* AN PERDERE, id est, *an occidere?*

VERS. 5. — ET CIRCUMSPICIENS, id est, *cùm circumspexisset*. Nec est, CONTRISTATUS, sed συλλυπούμενος, id est, *condolens* seu veriùs *condolescens*. ET RESTITUTA EST MANUS ILLIUS. Vulg., ILLI. Græcè est, *et restituta est manus illius sana, ut altera*. Verùm haud scio an verbis aliquot ex Matthæo hùc adscriptis.

VERS. 9. — UT NAVICULA SIBI DESERVIRET, *ut navicula inserviret sibi;* hoc est, *ut navicula esset sibi usui*, sive *adhiberetur sibi*. Nam προσκαρτερεῖν sæpè aliàs vertit *assistere*, , sive *insistere*. NE COMPRIMERENT EUM, id

lorum Jesu cucurrerunt. Unde evangelista dicit, *audientes quæ faciebat*, et fortè multos eorum curiositas movebat ad videndum oculis propriis fieri miracula, ad comprobandum si vera erant quæ audierant. — Vers. 9. — Et dixit Jesus discipulis suis ut navicula sibi deserviret, propter turbam, ne comprimerent eum. Petiit non servitium discipulorum in naviculâ, sed servitium naviculæ, hoc est, usum naviculæ ad sedendum in eâ in aquâ, ne turbæ existentes, in terrâ premerent eum.

Vers. 10. — Quotquot habebant plagas, pro, *flagella*. Ægritudines evangelista appellavit flagella, quia sunt flagella Dei.

Vers. 11. — Tu es Filius Dei. Non desinunt dæmones tentare ad sciendum si Jesus esset Filius Dei. Propterea enim velut adorantes procidunt et clamant, tu es Filius Dei; tentant namque si possent his professionibus et reverentiis, certi aliquid haurire.

Vers. 12. — Et vehementer comminabatur eis, pro, *increpabat eos*, ne se manifestum facerent. Jesus quoque perseverat increpando dæmones et refutando testimonia eorum, ut nihil possent ex propriis professionibus dæmones proficere; et mundum doceat repellere testimonia dæmonis, quantùmcumque cum reverentiâ veritatem profiteantur.

Vers. 13. — Et ascendens in montem, vocavit ad se, pro, *advocat*. Transit Marcus ad institutionem apostolorum factam à Jesu in monte, non ipsis petentibus, sed à Jesu vocatis. Quos voluit ipse. Nulla enim ratio meritorum aut prioris sequelæ, aut cujusvis alterius respectus, sed solius voluntatis Jesu redditur.

Vers. 14. — Et fecit ut essent duodecim. Certum decrevit numerum juxta numerum filiorum Israel: dicente ipso Domino alibi: *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*. Cum illo, pro, *secum*, velut collaterales sui. Et ut mitteret eos prædicare, pro, *ad prædicandum*. Ad duo itaque instituuntur apostoli: et ut sint collaterales Jesu, et ut mittantur ad prædicandum. Ex primo familiaris conversatio, familiariùs discere, sanctos Jesu mores familiariùs haurire, et universaliter eorum profectus datur: ex secundo verò ad populorum utilitatem spectatur.

Vers. 15. — Et dedit illis potestatem curandi infirmitates et ejiciendi dæmonia. In Græco habetur, *et ut haberent potestatem*. Ita quòd tota est una oratio, fecit ut essent duodecim secum, et ut mitteret eos ad prædicandum, et ut haberent potestatem curandi. Hoc enim tertium, scilicet potestas faciendi miracula, ut annexum secundo intelligendum, quoniam hujusmodi potestas ad aliorum utilitatem datur, et ad confirmationem evangelicæ prædicationis data est Apostolis.—Vers. 16. — Et imposuit Simoni nomen Petrus. Hìc apparet impletum esse nunc quod priùs futurum dixerat Jesus apud Joannem: *Tu vocaberis Cephas*; clarè enim dicitur hìc quòd imposuit illi nomen *Petrus* quando instituit apostolos.

Vers. 17. — Imposuit eis nomina Boanerges; quod

est, *ne se premerent*. Primum Latinius, deinde accommodatius ad Græcum sermonem.

Vers. 10. — Plagas, μάστιγας, id est, *flagella*. Sic enim vocat afflictionem, quâ Deus corripit homines.

Vers. 11. —Clamabant, dicentes, λέγοντα, *dicentes*, ad ipsos spiritus refertur, quod ea vox Græcis est neutri generis.

Vers. 12. —Comminabatur, *increpabat*. Quanquàm hoc loco tolerabilius erat, *interminabatur*.

Vers. 13. — Et adscendens in montem advocavit. Græcè est, *ascendit et advocat*, ut posterius sit præsentis temporis. Vulg., *vocavit ad se*.

Vers. 14. — Et fecit duodecim. Græca nonnihil dissident: *Et fecit duodecim, quos et apostolos nominavit, ut essent secum*. Quanquàm id in emendatioribus Græcorum exemplaribus non est adscriptum; et magis convenit breviloquentiæ Marci, ut omittatur.

Vers. 15.—Et dedit. Græcè, *et habere*, sive, *ut haberent*. Pendet enim à superioribus, *ut essent secum, et haberent potestatem*; aut certè cum proximo verbo connectendum, κηρύσσειν καὶ ἔχειν, *mitteret eos ad prædicandum utque haberent*.

Vers. 16. — Et imposuit Simoni. Ante hæc verba habent nonnulli Græci codices, *primum Simonem*. Verùm id in emendatioribus non reperitur, et videtur ex Matthæo desumptum. Certè apud Theophylactum non reperi, nec in editione Aldinâ. *Et imposuit Simoni nomen Petrus*. Græcè quidem est Πέτρον. Sed *Petrus*, aut *Petro*, aut *Petri*, Latinius est, ni fallor, nisi magis placet periphrasis.

Vers. 17. — Boanerges. Nam Hebræis בני *filios* sonat, רגש *tonitrui* vel *fremitus*. Ita nos docet libellus de nominum Hebraicorum interpretatione, incerto titul. Tametsi Hieronymus putat vocem esse depravatam, ac legendum esse *Banerrem*: רגש enim Hebræis sonare *fremitum*, nisi malis רעש *tumultus* vel *commotio*, non rarò enim ע per *g* enuntiârunt Septuaginta', ut est videre in *Gomorrha*. Quanquàm *fremitus* minimùm abest à *tonitruo*, cùm Homerus Jovem ὑψιβρεμέτην et ἐρίγδουπον appellet, non ob aliud quàm ob *tonitrua*. Porrò quid est quod Hieronymus appellat corruptum? An quod Syro sermone aut Chaldaico deflexum est? Hujusmodi verbis subinde utuntur evangelistæ. Imò hâc linguâ Christus videtur fuisse locutus, quæ tum communi populo fuit quàm maximè familiaris. Quòd si evangelista corrupit, non temerè corrupit, neque nobis pro corrupto debet haberi quod scripsit evangelista à Christo prolatum, quodque Græcè nobis dignatus est interpretari. Quare nihil erat cur in me debaccharetur quidam, quod hìc evangelistæ auctoritatem sequi maluerim quàm Hieronymi: præsertim cùm hic in hujusmodi rebus nonnunquàm vel conniveat, vel parùm sibi constet, neque dubitandum quin alicubi fallatur. Indicat divus Hieronymus non eodem ordine recenseri apostolos ab aliis evangelistis, quo à Matthæo; ne quis ob hoc omnium primum faciat Petrum, quod hic primo loco ponitur. Nam Matthæus ipse Thomam præfert modestiæ causâ. Cæteri in jugis Matthæum præponunt Thomæ. At in Epistolâ ad Galatas Paulus primo loco recenset Jacobum: *Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur esse columnæ*. Et Hieronymus existimat ejus esse, ordinem ac merita singulorum apostolorum distribuere, qui illos delegit, innuens, ut videtur, auctoritatem apostolis omnibus parem fuisse, quod ad apostolici muneris functionem attinet. Certè ex ordine recensionis non efficaciter colligitur, quis cui sit præferendus. Siquidem ubi multi numerantur, aliquis primus sit oportet. Cæterùm ordo, qui exstat in nostris voluminibus, nonnihil dissidet à Græcis: at Græci consentiunt cum Hieronymo, qui per juga digerit apostolorum numerum, sic ut primo loco jungat Petrum et Andræam: proximo Jacobum Zebedæi et Joannem fratres; tertio Philippum ac Bartholomæum: quarto Thomam et Matthæum: quinto Jacobum Alphæi et Lebbæum cognomento Thaddæum; sexto Simonem Cananæum et Judam Iscariotem. Simonem Petri cognomine distinguit à Simone Cananæo, et Jacobum

EST, FILII TONITRUI. Dictio Hebraica est *Boanerges*, quam evangelista interpretatus est, *filii tonitrui*. Et Joannes solus filius tonitrui clarè patet, cùm per ipsum intonuerit mundo : *In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est*, etc. Ambo quoque simul filii tonitrui ideò fuerunt, quia tonitruum divinæ majestatis, gloriam Christi in transfiguratione videntes, audierunt.

VERS. 18. — JACOBUM ALPHÆI. Sicut superiùs dixit, *et Jacobum Zebedæi*, ita modò dicit, *et Jacobum Alphæi*; ac per hoc distinctionem Jacoborum ex diversitate patrum significat. Sicut etiam Simonem Cananæum distinguit à Simone Petro. Aiunt Cananæum dictum, à Canâ Galilææ cognominatum. Adverte quòd quamvis non eodem ordine nominantur apostoli à Marco, et Matthæo, apud utrumque tamen primus est Simon Petrus, tanquàm nôsse vel nescire aliorum ordinem nihil referat, nôsse autem oporteat Petrum primum.

VERS. 20. — ET CONVENIT ITERUM TURBA; ITA UT NON POSSENT NEQUE PANEM MANDUCARE. Præsentis est temporis *convenit*, et significatur Jesum quamvis institutis apostolis, prædicationi vacare, ita ut etiam horâ comedendi, cibum potiùs quàm doctrinam omitteret. — VERS. 21. — ET CUM AUDISSENT SUI, hoc est, illi qui ad Jesum pertinebant, ut agnati, EXIERUNT TENERE EUM, pro, *ut comprehenderent eum*, hoc est, ut manuum injectione tenerent eum et compescerent tanquàm fatuum. DICEBANT ENIM QUONIAM IN FURÖREM VERSUS EST, pro, *quoniam extra se est*, hoc est, quoniam mente captus est. Consanguinei Jesu, putabant ipsum versum in amentem, conferendo priorem vitam Jesu cum tam repentinâ novitate. Viderant siquidem ipsum usque ad annum tricesimum mechanicis artibus occupatum (vacabat enim arti fabrili, ut inferiùs evangelista dicet) et sciebant operam litteris nunquàm dedisse, et propterea audientes quòd prædicabat cum concursu populi, putaverunt ipsum versum in insaniam, et velut fatuum garriendo discurrere; et ideò processerunt ad comprehendendum eum, ne cum infamiâ cognationis vagaretur garriendo. Et hinc, prudens lector, habes testimonium quòd Jesus non didicerat sacras litteras à scribis seu sacerdotibus; non vacaverat philosophiæ aut aliis scientiis; nam si priùs studuisset scientiis seu sacris litteris, non putâssent suî quòd versus esset in furorem : consentaneum siquidem cognovissent esse ut homo priùs doctus prædicaret quandoque aliis. — VERS. 22. — ET SCRIBÆ QUI AB HIEROSOLYMIS DESCENDERANT. Nota pessimos doctores describi ab Hierosolymis descendisse; ut unde optimi debebant prodire, inde pessimi describantur; et major auctoritas Hierosolymitani supercilii militaret contra Jesum. DICEBANT QUONIAM BEELZEBUB HABET; ET QUIA IN PRINCIPE DÆMONIORUM EJICIT DÆMONIA. Marcus tacet miraculum quod Matthæus et Lucas hìc referunt. — VERS. 23. — ET CONVOCATIS EIS, scilicet scribis, ad cor eorum locuturus, dixerant enim non in faciem Jesu superiores blasphemias. IN PARABOLIS. Parabolas appellat rationes subjunctas ex similitudinibus; tum regni in se divisi, tum domûs in se divisæ, tum fortis direpturi domum. Prima ratio ad manifestandum quòd non ejicit dæmones in Beelze-

Zebedæi filium ab Jacobo Alphæi filio. In quo obiter illud admonendum, articulum Græcum vertendum fuisse in id nomen, quod in articulo subauditur, videlicet *filius*.

VERS. 18.—ET MATTHÆUM. Quidam Græcus codex addit, *publicanum*, quanquàm nec id reperio in emendatioribus ac vetustis exemplaribus. At Matthæus in suo evangelio addidit, quamvis, cùm unus fuerit Matthæus, opus non esset notâ quâ discerneretur; et si fuisset opus, habebat et alterum nomen, nempe Levi; tamen addidit, sive ut se dejiceret, sive ut ostenderet omnibus aditum patere ad Christum. Etiamsi Græcus articulus patitur, ut vertatur, *qui fuerat publicanus*, aut, *ille quondam publicanus*. Cæterùm Judæ proditori cognomen addidit, sive ut discerneret ab Judâ Jacobi fratre, qui idem Thaddæus ac Lebbæus dictus est, ut sit trinominis, sive ut ex cognomine significaret eum ei facinori natum, quod *Isachar* Hebræis sonat *mercedem*; atque à tribu, unde fuit oriundus, nomen sortitus videtur. Quanquàm non desunt, qui à viculo cognomen deductum malint. Nec est *Schariotes*, quemadmodùm habetur in nostris codicibus, sed *Iscariotes*. Nam idem facimus Latini cognomento Judæ, quod Græci Scriptores ecclesiastici faciunt Hispaniæ, Σπανίαν pronuntiantes, cùm, teste Plinio, terra sit insigni fertilitate. Opinor id à Prænestinis natum, quibus, ut ait Plautus, *Conia est Ciconia*. Apud Chrysostomum *Iscariotes* legitur.

VERS. 20. — ET CONVENIT ITERUM TURBA. *Convenit* præsentis temporis est, ut prima syllaba pronuntietur acuta. Id tametsi minutulum est, tamen haud indignum judicavi quod indicaretur, propterea quòd in re tam sacrâ nefas sit vel minima negligere. ITA UT NON POSSENT. Græcis quidem duæ sunt negationes. Quod duobus modis Latinè reddi poterat : *Convenit iterùm turba tanta, ut non possent ne panibus quidem vesci*; aut sic, *ut non possent vel panes edere*. Sentit enim tantam fuisse multitudinem, ut non solùm non suppeterent obsonia, sed ne panum quidem satis esset in cibum. Aut certè tantum fuisse confluxum, ut discipulis non esset otium sumendi cibi, tantùm aberat, ut ad alia foret otium; qui posterior sensus meo judicio verior est.

VERS 21. — ET CUM AUDISSENT SUI, *qui ad illum pertinebant, et ex illius erant familiâ* seu *cognatione*. Itidem paulò inferiùs τὰ παρ' αὐτοῦ vertit *sua*. Sentit enim, *cognatos*, et *affines ejus*. EXIERUNT TENERE EUM. Id est, *ut comprehenderent eum*, sive *ut manus injicerent*. Nam id est agnatorum, si quis commotæ mentis esse cœperit. IN FURÔREM VERSUS EST, id est, *mente captus est*, sive, ut in quibusdam legitur, ἐξέστη.

VERS. 22. — BEELZEBUB. Mirum cur Græci perpetuò mutent *b* in *l* in hâc dictione, *Beelzebul* scribentes pro *Beelzebub*, cùm neutrum elementum apud illos finale sit β et λ. Alioqui hæc videri poterat causa : præsertim cùm neque vocum, neque figurarum ulla sit affinitas, ut aurium, aut scribarum errore factum videri possit. Divus Hieronymus indicat, idem esse *Beel* et *Baal*, et sonare Hebræis *idolum*, à Sidoniis ad Judæos profectum, sive à Babyloniis. פעל *idolum*, et זבוב *musca*, quasi dicas *idolum muscæ*, atque hoc nomine spurcissimum idolum fuisse Accaronitis, qui sunt quidem in regione Judææ, sed impii. Ab hoc Hebræos principem dæmoniorum *Beelzebub* appellâsse.

VERS. 23. — QUIA IN PRINCIPE. Hìc omittendum erat ὅτι, aut vertendum erat, *quod ejiceret*, quemadmodùm illud quod proximè præcessit, *quoniam Beelzebub habet*.

VERS. 24.—IN SE, *in seipsam*, sive *adversùs seipsam*.

VERS. 25. — DISPERTIATUR; idem verbum quod modò vertit *dividatur*.

bub, se tenet ex parte dæmonis : ducendo ad inconveniens, scilicet, quòd dæmones agerent ad desolationem proprii regni, hoc siquidem inconveniens infertur dicendo, quomodò ergo stabit regnum ejus? constat enim nullum quantumcumque tyrannum studere ad desolationem proprii regni : quia studet ad conservationem proprii boni. Secunda ratio ex parte ipsius Christi se tenet, scilicet, quòd ejicit dæmonia in digito Dei, et est probatio sumpta ab effectu seu fructu, introducta tamen ex metaphorâ bellicæ direptionis. In negotio bellico ordo est quòd dùm fortis armatus custodit domum suam, salva sunt omnia quæ possidet; superveniente autem fortiore, non priùs diripit spolia; sed primùm in captivitatem redigit fortem, et eo alligato diripit bona illius. Et intendit per hanc parabolam quod ex hoc ipso quòd constat ipsum Jesum diripere vasa dæmonis, hoc est, animas, peccatorum plenas ac per hoc vasa dæmonum, ad pœnitentiam reducendo, clarè liquet quòd priùs superavit dæmonem et alligavit eum; ac per hoc non habet amicitiam cum eo, sed virtute divinâ ejicit dæmones. —VERS. 26.— ET SI SATANAS CONSURREXERIT IN SEMETIPSUM, DISPERTITUS EST, etc. Adverte quòd ista conjunctio, *et*, transposita est; debet enim præcedere participium *dispertitus*, est legendo : *Et dispertitus*, seu divisus est. ET NON POTERIT, pro, *non potest*, STARE, SED FINEM HABET. — VERS. 27. — NEMO POTEST VASA FORTIS INGRESSUS IN DOMUM; deest, *ejus*, DIRIPERE, NISI PRIUS FORTEM ALLIGET; ET TUNC DOMUM EJUS DIRIPIET : — VERS. 28. — AMEN DICO VOBIS. Confutatis scribis, gravitatem criminis eorum subjungit. QUONIAM OMNIA DIMITTENTUR FILIIS HOMINUM PECCATA ET BLASPHEMIÆ QUIBUS, pro, *quibuscumque* BLASPHEMAVERINT.

VERS. 29. — QUI AUTEM BLASPHEMAVERIT IN SPIRITUM SANCTUM. Quid significetur per Spiritum sanctum non est clarum ; materia tamen subjecta insinuat appellatione Spiritûs sancti significari Deum secundùm quòd exercet officium Spiritûs sancti, hoc est, secundùm quòd spiritales ac sanctos efficit animos hominum, illorumque fructus seu opera. Itaque dicere verbum contra Spiritum sanctum est verbis impugnare Deum sanctificantem homines, negando quòd sanctificet, et per istos patet divinam sanctificationem et ea quæ patet esse Spiritûs sancti, attribui spiritui immundo. Hoc est enim directè ex intentione dicere contra Spiritum sanctum ut Spiritus sanctus est nomen Dei essentiale, non curando quantùm ad hunc spectat textum de hoc nomine ut est proprium tertiæ in Trinitate personæ ; ideò contra Filium hominis è regione distinctus est Spiritus sanctus ut contra hominem intelligatur distinctus Deus; non secundùm quamcumque rationem, sed secundùm officium sancti Spiritûs, quod commune est toti Trinitati. NON HABEBIT REMISSIONEM. Quod intellige regulariter ; nam divina potentia non est sic alligata ad remittendum Spiritûs blasphemiam ; sed secundùm regularem cursum eveniet non remissio, quia comitem semper habebit obstinationem ; præterea memento quòd misericordia Dei est supra omnes regulares cursus et propterea nulli est desperandum. SED REUS ERIT, pro, *reus est*, ÆTERNI DELICTI, pro, *judicii*. Significatur enim judicium æternæ damnationis.

VERS. 30. — QUONIAM DICEBANT, SPIRITUM IMMUNDUM HABET. Clarificat evangelista quorsùm Dominus meminerit blasphemiæ in Spiritum sanctum; significans per hoc, Pharisæos blasphemâsse Spiritum sanctum, dicendo quòd Jesus immundum spiritum habet. Et verè sic est, nam per hoc negabant Spiritum sanctum in Jesu, negabant sanctificatum spiritum Jesu à Deo; quod redundabat in negationem sanctificationis omnis spiritûs; nam si spiritus Jesu cujus omnia opera ac verba erant sancta, non erat sanctificatus à Deo, facilè potest negari Spiritus sanctus in cæteris hominibus : quod enervat universam fidem.

VERS. 31. — ET VENIUNT MATER EJUS ET FRATRES; ET FORIS STANTES MISERUNT AD EUM, VOCANTES EUM. Legatio ista vocantium non renuentium ire ad eum, sed impotentium ingredi ad eum impediente turbâ, intelligenda est tum propter matrem Domini, tum propter verba subjuncta, quærunt te; quærentes non substitissent foris extra domum si potuissent ingredi domum. Vocabant autem eum compatientes illi ob longam inediam. Superiùs enim dictum est, quòd adeò occupabatur à turbis ut nec cibum capere posset.

VERS. 34. — ET CIRCUMSPICIENS EOS QUI IN CIRCUITU EJUS SEDEBANT, pro, et *cùm circumspexisset in circuitu eos qui circum se sedebant*, AIT : ECCE MATER MEA ET FRATRES MEI. QUI ENIM FECERIT VOLUNTATEM DEI, HIC FRATER MEUS ET SOROR MEA ET MATER MEA EST. Non sunt hæc verba parvipendentis matrem et consanguineos, sed docentis servandum ordinem, ut divina opera præponantur humanis, ut divina prædicatio, ut religio non omittatur propter pietatis officia. Importunè dictum ei fuerat : *Ecce mater tua.*

VERS. 26. — DISPERTITUS EST. Græca habent : *Et si Satanas insurrexit in seipsum ac divisus est, non potest stare.*

VERS. 28.—QUIBUS BLASPHEMAVERINT, id est, *quascumque blasphemaverint*, Sic enim loquuntur Attici, *convitia convitiantur, et fugam fugiunt.*

VERS. 29. — NON HABEBIT REMISSIONEM; *non habet;* ita legit codex aureus, atque etiam Constantiensis. ÆTERNI DELICTI. Græcè, *æterni judicii*, sive *æternæ damnationis*. Quanquàm hoc nihil refert ad sensum. Per synecdochen enim aliud ex alio intelligitur.

VERS. 34. — ET CIRCUMSPICIENS, Græcè : *Et cùm circumspexisset in circumitu circum se discipulos sedentes;* quanquàm in quibusdam exemplaribus *discipulos* non additur et est alius ordo. In priore lectione sensus est discipulos undique Dominum circumsedisse; in posteriore intelligimus Dominum circumtulisse oculos per auditores, ut nulli sederint à tergo Jesu.

CAPUT IV.

1. Et iterùm cœpit docere ad mare, et congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, et omnis turba circa mare super terram erat.

CHAPITRE IV.

1. Il commença de nouveau à enseigner près de la mer ; et il s'assembla autour de lui une si grande multitude de personnes, qu'il monta sur la mer dans une barque, et s'y assit, toute cette multitude se tenant sur le rivage, tournée vers la mer,

2. Et docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis in doctrinâ suâ :

3. Audite : Ecce exiit seminans ad seminandum.

4. Et dùm seminat, aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt illud.

5. Aliud verò cecidit super petrosa ubi non habuit terram multam ; et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ :

6. Et quando exortus est sol, exæstuavit : et eò quòd non habebat radicem, exaruit.

7. Et aliud cecidit in spinas ; et ascenderunt spinæ, et suffocaverunt illud, et fructum non dedit.

8. Et aliud cecidit in terram bonam : et dabat fructum ascendentem et crescentem, et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.

9. Et dicebat : Qui habet aures audiendi, audiat.

10. Et cùm esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam.

11. Et dicebat eis : Vobis datum est nôsse mysterium regni Dei : illis aûtem qui foris sunt in parabolis omnia fiunt :

12. Ut videntes videant, et non videant, et audientes audiant, et non intelligant, nequando convertantur, et dimittantur eis peccata.

13. Et ait illis : Nescitis parabolam hanc ? et quomodò omnes parabolas cognoscetis ?

14. Qui seminat, verbum seminat.

15. Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, et cùm audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum.

16. Et hi sunt similiter qui super petrosa seminantur ; qui cùm audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud ;

17. Et non habent radicem in se, sed temporales sunt ; deinde ortâ tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

18. Et alii sunt qui in spinis seminantur ; hi sunt qui verbum audiunt,

19. Et ærumnæ seculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur.

20. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, et suscipiunt, et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.

21. Et dicebat illis : Numquid venit lucerna, ut sub modio ponatur, aut sub lecto ? nonne ut super candelabrum ponatur ?

22. Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur : nec factum est occultum, sed ut in palàm veniat.

23. Si quis habet aures audiendi, audiat.

24. Et dicebat illis : Videte quid audiatis. In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis.

25. Qui enim habet, dabitur illi : et qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.

26. Et dicebat : Sic est regnum Dei, quemadmodùm si homo jaciat sementem in terram,

2. Et il leur enseignait beaucoup de choses en paraboles, et leur disait dans son instruction :

3. Ecoutez : Voilà que celui qui sème s'en alla semer ;

4. Et comme il semait, une partie de la semence tomba le long du chemin ; et les oiseaux du ciel vinrent, qui la mangèrent.

5. Une autre partie tomba dans des endroits pierreux, où elle n'avait pas beaucoup de terre, et elle leva aussitôt parce que la terre n'avait pas là de profondeur.

6. Mais quand le soleil fut levé, elle en fut brûlée, et comme elle n'avait point de racine, elle sécha.

7. Une autre partie tomba dans des épines ; et les épines étant venues à croître, l'étouffèrent ; et elle ne porta point de fruit.

8. Une autre enfin tomba dans une bonne terre, et elle porta son fruit, qui poussa et grossit ; et quelques grains rapportèrent trente pour un, d'autres soixante, et d'autres cent.

9. Et il leur disait : Que celui qui a des oreilles pour entendre, entende.

10. Lorsqu'il fut en particulier, les douze qui étaient avec lui l'interrogèrent sur cette parabole.

11. Et il leur dit : Pour vous, il vous est donné de connaître le mystère du royaume de Dieu ; mais pour ceux qui sont dehors, tout se passe en parabole,

12. Afin que voyant, ils voient, et ne voient pas ; et qu'écoutant, ils écoutent, et n'entendent pas ; de peur qu'ils ne viennent à se convertir, et que leurs péchés ne leur soient pardonnés.

13. Puis il leur dit : Quoi ! vous n'entendez pas cette parabole ? et comment pourrez-vous entendre toutes les paraboles ?

14. Celui qui sème sème la parole.

15. Ceux qui sont le long du chemin où la parole est semée, sont ceux qui ne l'ont pas plus tôt entendue, que Satan vient et enlève cette parole qui avait été semée dans leur cœur.

16. De même ceux qui reçoivent la semence dans des endroits pierreux, sont ceux qui écoutant la parole, la reçoivent d'abord avec joie ;

17. Mais comme ils n'ont point en eux-mêmes de racine, ils ne persévèrent que pour un temps, et lorsqu'il survient quelque affliction et quelque persécution à cause de la parole, ils sont aussitôt scandalisés.

18. Les autres, qui reçoivent la semence parmi les épines, sont ceux qui écoutent la parole ;

19. Mais les sollicitudes du siècle, l'illusion des richesses et les autres convoitises, s'insinuant en eux, y étouffent la parole, et font qu'elle demeure sans fruit.

20. Enfin ceux qui reçoivent la semence dans la bonne terre sont ceux qui écoutent la parole, qui la reçoivent, et qui portent du fruit, l'un trente, l'autre soixante, et l'autre cent.

21. Et il leur disait : Fait-on apporter une lampe pour la mettre sous un boisseau ou sous un lit ? n'est-ce pas plutôt pour la mettre sur le chandelier ?

22. Car il n'y a rien de caché qui ne doive être découvert, et rien de secret qui ne doive paraître en public.

23. Si quelqu'un a des oreilles pour entendre, qu'il entende.

24. Et il leur disait encore : Prenez bien garde à ce que vous entendez. On se servira envers vous de la même mesure dont vous vous serez servis ; et il vous sera donné encore davantage :

25. Car on donnera à celui qui a déjà ; et pour celui qui n'a point, on lui ôtera même ce qu'il a.

26. Et il disait : Il en est du royaume de Dieu comme d'un homme qui jette de la semence en terre.

27. Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat, dùm nescit ille.

28. Ultrò enim terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ.

29. Et cùm produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

30. Et dicebat : Cui assimilabimus regnum Dei, aut cui parabolæ comparabimus illud ?

31. Sicut granum sinapis, quod cùm seminatum fuerit in terrâ, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terrâ :

32. Et cùm seminatum fuerit, ascendit, et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbrâ ejus aves cœli habitare.

33. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum prout poterant audire :

34. Sine parabolâ autem non loquebatur eis : seorsùm autem discipulis suis disserebat omnia.

35. Et ait illis in illâ die, cùm serò esset factum : Transeamus contra.

36. Et dimittentes turbam, assumunt eum, ita ut erat in navi : et aliæ naves erant cum illo.

37. Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.

38. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens : et excitant eum, et dicunt illi : Magister, non ad te pertinet, quia perimus?

39. Et exsurgens, comminatus est vento, et dixit mari : Tace, obmutesce. Et cessavit ventus ; et facta est tranquillitas magna.

40. Et ait illis : Quid timidi estis ? necdùm habetis fidem ? Et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum : Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obediunt ei?

27. Soit qu'il dorme, ou qu'il se lève pendant la nuit et durant le jour, la semence germe et croît, sans qu'il s'en aperçoive ;

28. Car la terre produit d'elle-même premièrement l'herbe, ensuite l'épi, puis le blé tout formé dans l'épi.

29. Et quand le fruit a mûri, on y met aussitôt la faucille, parce que le temps de la moisson est venu.

30. Et il disait : A quoi comparerons-nous le royaume de Dieu, et par quelle parabole le représenterons-nous ?

31. Il est comme un grain de senevé, qui, étant la plus petite de toutes les semences qui sont dans la terre, lorsqu'on l'y sème,

32. Monte, quand il est semé, jusqu'à devenir plus grand que tous les légumes ; et il pousse de si grandes branches que les oiseaux du ciel peuvent se reposer sous son ombre.

33. Il leur annonçait ainsi la parole sous diverses paraboles, selon qu'ils étaient capables de l'entendre ;

34. Et il ne leur parlait point sans paraboles : mais lorsqu'il était en particulier avec ses disciples, il leur expliquait tout.

35. Ce même jour, sur le soir, il leur dit : Passons à l'autre bord.

36. Et ayant renvoyé le peuple, comme Jésus était déjà dans la barque, ils l'emmenèrent avec eux ; et il y avait encore d'autres barques qui l'accompagnaient.

37. Alors un grand tourbillon de vent s'éleva, et les vagues entraient de telle sorte dans la barque qu'elle s'emplissait déjà d'eau.

38. Jésus cependant était à la poupe, dormant sur un oreiller. Et ils l'éveillèrent, en disant : Maître ! ne vous mettez-vous point en peine de ce que nous périssons ?

39. Alors, se levant, il parla au vent avec menaces, et dit à la mer : Tais-toi, calme-toi. Aussitôt le vent cessa, et il se fit un grand calme.

40. Puis il leur dit : Pourquoi êtes-vous timides ? Quoi ! vous n'avez point encore de foi ? Et ils furent saisis d'une extrême crainte, et ils se disaient l'un à l'autre : Quel est donc celui-ci, à qui les vents et la mer obéissent ?

COMMENTARIA.

VERS. 1. — ET ITERUM. In præcedenti capitulo retulerat Jesum, ne premeretur à turbâ, naviculæ officio aliâ vice usum, et propterea dicit, *iterùm.* COEPIT DOCERE AD MARE, pro *juxta mare.*

VERS. 2. — ET DOCEBAT EOS IN PARABOLIS MULTA. Non dicit omnia; parabolæ enim solæ minùs prosunt, sed mixtæ proprietati verborum multùm prosunt.

VERS. 3. — ECCE EXIIT. Demonstrat tempus regni cœlorum; in quo ipse Jesus exivit à Patre et venit in mundum.

VERS. 4. — SEMINAT, pro, *seminabat,* semen suum. Hinc apparet quòd seipsum demonstrat. Prophetæ enim, apostoli et cæteri seminant semen non suum, sed Dei ; Jesus autem, utpotè verus Deus, seminat semen suum. ALIUD CECIDIT CIRCA VIAM ; ET VENERUNT VOLUCRES COELI ET COMEDERUNT ILLUD. Non ex intentione sator jacit semen secùs viam, et in petrosâ ; sed hoc contingit ex concomitantiâ actûs seminandi per universum agrum. Secùs viam terra est minùs culta , in quâ seminis grana non operiuntur terrâ, sed patula jacent avibus cœli.

VERS. 5. — ALIUD VERO CECIDIT SUPER PETROSA, etc. Loca saxea cooperta modicâ terrâ, citò vegetant semen in herbam ex multitudine caloris, quia calor ibi non imbibitur in profundo ut in reliquâ terrâ, sed reflectitur à saxo ; sed multiplicato calore in modicâ terrâ, ac per hoc in parvo humido, sequitur arefactio tam intùs quàm extra.

VERS. 8. —ET ALIUD CECIDIT IN TERRAM BONAM. Nota

VERS. 4. — SECUS VIAM. Hìc reliquimus præpositionem *secùs,* quod in progressu jacientis semen motus quidam sit. Nam vocem esse Latinam aliàs docuimus. Vulg., *circa viam.*

VERS. 6. — EXÆSTUAVIT, *exustum est,* sive *æstu periit.*

VERS. 8. — ASCENDENTEM, ἀναβαίνοντα καὶ αὐξάνοντα. Ut prius verbum pertineat ad herbam *emergentem è terrâ,* posterius ad herbam *grandescentem* et *adolescentem.* ET AFFEREBAT UNUM TRIGINTA, ET UNUM SEXAGINTA, ET UNUM CENTUM. Laurentius Valla declarat se legisse ἐν præpositionem, non ἕν nomen numerandi. Et ipse sic scriptum comperi in libris emendatioribus : nominatim in vetustissimo codice, qui habebat Commentarios Theophylacti, quanquàm dissentiebat editio Aldina. Quo modo si legamus, ad verbum ita reddi potest : *Et afferebat in triginta et in sexaginta et in centum :* ut præpositio ἐν posita sit pro ἀνὰ, quasi

semen divini verbi quadripartitum et in tribus partibus perditum in solâ quartâ fructuosum, et tamen non propterea cessandum à seminatione divini verbi, UNUM TRIGINTA, etc., pro, *in triginta*, *in centum*. Universitas electorum ternario fructu significatur; numerus enim ternarius perfectionis est significativus. Et similiter omnis diversitas graduum profectûs spiritualis, designatur per hos tres numeros: tricesimum, sexagesimum et centesimum. Ubi et nota minimum fructum esse tricesimum, quia tantæ feracitatis est quælibet bona cordis terra ut ad minus reddat triginta pro uno, ubi semen verbi divini susceperit et in patientiâ coaluerit.—VERS. 9.—QUI HABET AURES AUDIENDI AUDIAT. Non corporis sed mentis aures excitat, non ad aliud quàm ad proprium officium, scilicet audiendi. Sunt enim qui aures mentis non applicant ad audiendum, ad discendum et percipiendum verbum Dei; sed velut per unam (ut aiunt) aurem intrat verbum Dei, et ex alterâ exit.

VERS. 10. — SINGULARIS, pro, *solitariè*, seu *solitarius*. Significatur enim quòd cùm esset sine turbis, INTERROGAVERUNT EUM QUI CUM EO ERANT DUODECIM. Nonnulli codices Græci habent, *ii qui circa illum erant cum duodecim*.

VERS. 11.—ET DICEBAT EIS: VOBIS DATUM EST NOSSE MYSTERIUM REGNI DEI; ILLIS AUTEM QUI FORIS SUNT, *pro exteris*, IN PARABOLIS OMNIA FIUNT, UT VIDENTES VIDEANT et NON VIDEANT, pro, et *non perspiciant;* et AUDIENTES AUDIANT ET NON INTELLIGANT, NEQUANDO CONVERTANTUR, et DIMITTANTUR EIS PECCATA. Adverte hìc quòd hæc verba apud Matthæum clarè inducuntur ex Isaiæ cap. 6, significantia pertinaciam audientium et videntium, ut ibi expositum est; apud Marcum verò aliter sonant. Et propterea textus iste intelligendus est utendo conjunctione *ut*, non causaliter sed consecutivè; non enim ad hunc finem Jesus loquebatur in parabolis, ut non perspicerent, ut non intelligerent; sed loquebatur in parabolis, ad quas consequens erat impleri prophetiam Isaiæ, dicentis, *videntes visuros opera et miracula Christi et non perspecturos divinam illius virtutem;* et similiter audituros doctrinam et testimonia illius, et non intellecturos ipsum esse Messiam; potest nihilominùs conjunctio *ut*, intelligi causaliter, referendo tamen eam non ad rem, sed ad prophetiam subintellectam, ac si apertè dixisset: Ideò in parabolis omnia fiunt exteris ut impleatur Scriptura prophetica. *Vobis datum est nôsse mysteria regni cœlorum*: Responsio, discretionis inter ipsos et alios rationem continet ex gratiâ, dicendo datum et non datum; quia ex gratiâ divinâ datum est vobis donum hoc, scilicet mysterium regni Dei; illis autem non est hoc à divinâ donatum gratiâ. Ac si apertiùs diceret: Quia vos, non illi, estis electi ad cognoscendum mysterium regni Dei. Per hoc non tamen intellige omnes qui de turbâ erant excludi à notitiâ secretorum regni Dei; rationabile si quidem est quòd multi in turbis illis erant viri boni et electi, sed quoniam in turbâ erant multi non electi ad notitiam fidei; ideò omnes de turbâ in genere computantur exclusi, et soli discipuli explicantur electi. Significat enim ad litteram ratio ista ex divinæ electionis dono provenire quòd aliqui ad notitiam veniant mysteriorum fidei; et non contingere hoc promiscuè sicut promiscuè prædicatio fit ad omnes. Unde pronomen *vobis*, monstrat electos ad notitiam secretorum cœlestium, et pronomen *illis*, demonstrat homines promiscuè auditores verbi Dei. Quibusdam datur nôsse mysteria regni Dei, quibusdam non, quia quidam habent accepta dona rectè utendo illis, quidam non. Filii Israel credebant quòd omnes in adventu Messiæ essent salvandi et præferendi cæteris. Hanc erroneam opinionem confutat Jesus, dicendo quare turbis Judæorum occultat mysteria, et solis discipulis aperit. Rationem reddit ex parte Judæorum, qui, videntes miracula et opera Christi non videbant divinam in illo virtutem, suamque salutem; et audientes auribus doctrinam Christi, non audiebant corde et non intelligebant, propter malam suam dispositionem.

VERS. 14.—VERBUM SEMINAT, verbum regni cœlorum.

VERS. 15. — QUI CIRCA VIAM, qui non intelligunt; non penetrat verbum regni cœlestis ita ut credant. In his enim primis nulla est omninò germinatio, utpote deficiente intellectu, qui est principium fidei. VENIT SATANAS; in Matthæo, vocatur *malus* antonomasticè, non naturâ, sed voluntate immutabili à malo in bonum.

VERS. 16. — QUI SUPER PETROSA SEMINANTUR. Evangelicum verbum cum gaudio à multis suscipitur, qui non solis verbis, sed interno affectu, credunt, sperant, diligunt, incipiuntque operari, ad similitudinem se-

dicas *per triginta, per sexaginta, per centum*, quod tamen commodè verti poterat, *et afferebat tricena, et sexagena, et centena*, ut ex singulis granis tantùm granorum intelligatur enatum. Quanquàm paulò inferiùs idem occurrit locus, itidem per præpositionem scriptus. Cæterùm, quoniam in hoc facilè labi potuit librarius, rem lectoris arbitrio committo, præsertim cùm et altera lectio probè defendi possit. Nisi quod in posteriore loco, cùm Dominus discipulis explicat parabolam, duriusculè dicitur *unum et unum*, cùm de hominibus loquatur, non de seminibus. Proinde nos periphrasi sumus usi.

VERS. 10. — CUM ESSET SINGULARIS, *cùm autem cœpisset esse solus*, sive *solitarius*. Nam *solus* vertit in Lucâ: *Cùm autem esset solus orans*. QUI CUM EO ERANT DUODECIM. Hìc variant Græci codices: nam Laurentii codex habebat, *qui circa illum erant cum duodecim*. Atque ita sanè scriptum erat in libro qui habebat commentarios Theophylacti, consentiente editione Hispanicâ, et Aldinâ. Mei habebant, *interrogaverunt eum discipuli ejus*.

VERS. 11. — MYSTERIUM REGNI, id est, *arcanum*, sive *secretum*, non communicandum profanis, quod aliquoties vertit *sacramentum*. ILLIS AUTEM QUI FORIS SUNT. Rectiùs vertisset per adjectivum, id est, *exteris, extraneis*, sive *externis*, aut *exoticis*.

VERS. 12. — VIDEANT, ET NON VIDEANT. Græcus mutavit verbum, *ut cernentes cernant, et non videant*, quasi plus sit *videre* quàm *cernere*. Nam intuemur quædam, quæ tamen non videmus, animo aliud agente. Quanquàm refragantur magno consensu Latini codices, nec apud Theophylactum licet ex ipsius enarratione lectionem hanc deprehendere.

minis jacti in terram modicam super fundum saxeum; sed in persecutione deficit, ex eo quòd non habet radicem obstante fundo petræ. Quanta differentia est inter tranquillitatem et perturbationem, inter pacem et bellum, tanta est differentia inter semen radicatum et absque radice; teste Domino explicante quòd factâ tribulatione et persecutione propter evangelicum verbum, continuò non post multas toleratas persecutiones scandalizatur. Qui igitur evangelicam vitam à prompto animo inchoant, sed non usque ad ultima spei, timoris, tristitiæ, dilectionis amorisque verbum evangelicum eos penetravit, in saxeo corde modicam terram habent; hoc est, qui verbis, cogitationibus, ac affectibus bonis in tranquillitate animi, corporis, famæ ac rerum vigent, sed cùm ad facta, infamiæ, ignominiæ, damni rerum aut cruciatûs venitur, relinquunt evangelica facta, profitentur non fuisse radicatum evangelicum verbum in timore respectu factorum imminentium in tristitiâ, respectu præsentium factorum; et sic de aliis. Cor namque eorum relatum ad damna, velut fundus terræ saxeus durum semper fuit; et propterea aruit inchoata herba; propterea temporales dicuntur, utpote solo tempore tranquillo durante.

Vers. 19. — Et ærumnæ, id est, sollicitudines, seculi, sub., hujus.

Vers. 21. — Et dicebat illis: Numquid venit lucerna, pro, *incenditur lucerna*, ut sub modio ponatur aut sub lecto? Nonne ut super candelabrum ponatur? Hæc est alia parabola ad declarandum quòd tam sermo parabolicus non intellectus ab exteris quàm sermo proprius communicatus apostolis publicandus erat. Ac si apertè diceret: Non ideò loquor in parabolis, non ideò communico seorsùm vobis mysterium regni Dei, ut velim hæc occulta esse; volo enim omnia quandoque publicè prædicari, et *manifestari* non solùm dicta, sed facta mea. Ad hoc enim affert similitudinem de accensione lucernæ, significando seipsum hominem per lucernam, accensam lumine divinitatis ad hoc ut luceat mundo super candelabrum Ecclesiæ, non est enim aliquid mei, meorum verborum et factorum quod non manifestandum sit.

Vers. 22. — Non est enim aliquid absconditum quod non manifestetur; nec factum est occultum aliquid, a me, quod non veniat in palam, pro, *sed ut in propatulum veniat*. Vulg. *in palàm veniat*. Unde liquet quòd de factis propriis loquitur, significando quòd nihil fecit ut esset occultum, sed quidquid fecit, fecit ut publicetur. Et propterea subdit: — Vers. 23. — Si quis habet aures audiendi audiat. Loquebatur enim de seipso, non manifestans quòd de se loqueretur.

Vers. 24. — Et dicebat illis: Videte quid audiatis. Dixerat quòd vult publicari sua dicta et facta; et quia intendebat hoc adimplendum esse per discipulos, ideò monet eos ad considerandum quidquid audient, procul dubio ab ipso: tum ut mente penetrent quod audierint; tum ne aliud prædicent quàm quod audierint ab ipso; tum ne aliquid omittant prædicare eorum quæ audierint. In qua mensura. Periculum tacendi, omittendi, seu negligendi prædicationem integram auditorum apponitur: explicando quòd quâ mensurâ communicaverint audita aliis, eâdem mensurâ fiet eis retributio; et ultra hoc aliquid superaddetur. Sed corrige textum. Mensi fueritis, pro, *metimini*, remetietur, pro, *mensurabitur*, vobis; et adjicietur vobis; deest, *qui auditis*. Quod autem dicit, *et adjicietur vobis*, intelligitur tam in bono quàm in malo; hoc est, tam in præmio quàm in pœnâ. Sicut etiam mensura intelligitur tam abundans quàm deficiens. Ad hæc enim explicanda subjungitur quoad præmium.

Vers. 25. — Qui enim habet dabitur illi; et qui non habet etiam, quod habet auferetur ab eo. Per eum qui habet et eum qui non habet significatur habens seu non habens secundùm debitum usum. Congruam dispositionem ex parte hominum in communi adjungit divinæ gratiæ dono; ut sic intelligamus donum gratiæ ut tamen tribuamus aliquid libero nostro arbitrio. Habere laudabiliter, et non habere vituperabiliter, non sunt naturæ, sed libertatis. Quo fit ut

Vers. 20. — Hi autem sunt qui. Abusus videtur semel atque iterùm οὗτοι pro οἱ: velut demonstret hos et illos, quod solemus docendi causâ et gestu repræsentare. Vulg.: *Et hi sunt*. Et *seminari* dicitur semen quod jacitur, item ager in quem jacitur, quemadmodùm aspergitur aqua et aspergitur homo. Notat Laurentius quòd interpres *sementem* dixerit pro *semine*, quùm *sementis* sit ipsa satio, *semen* quod jacitur. *Sementem facere* latinè dicitur, *semen facere*, non item. Unum triginta. *Triginta*, *sexaginta*, *centum*, ut paulò superiùs admonui, consentientibus et pervetustis Latinis codicibus, verti poterat, *hoc quidem centuplum*, *illud verò sexagecuplum*, *aliud verò trigecuplum*. Sive, *aliud centena*, *aliud autem sexagena*, *aliud autem tricena*, ut subaudias, grana. Nam Græci carent hujusmodi distributivis.

Vers. 21. — Numquid venit. Græcè est: *Videte*, *num lucerna incenditur*, *ut sub modium ponatur?* Quanquàm ἴδετε in multis Græcorum codicibus non reperio adscriptum, velut in Theophylacto. In Editione Aldinâ scriptum est ἔρχεται pro καίεται, quemadmodùm et in Theophylacto.

Vers. 22. — Non est enim. Græcè: *Non est enim quidquam absconditum*, *nisi ut manifestetur*. Tametsi dissentiunt hìc exemplaria, Theophylactus legit: *Non est enim occultum quidquam*, *quod non patefiat*. Neque factum est, neque factum est occultum, sed ut in apertum veniat; etiamsi legi potest, *neque fuit occultum*. Videtur autem in nostro sermone oratio parùm absoluta; supplebitur hunc in modum: *Neque factum est occultum*, *ut maneat occultum*, *sed ut veniat in apertum*. Hæc sententia pulchrè quadrat in doctrinam evangelicam. Occultata sunt quædam, non ut semper laterent, sed ut suo tempore proferrentur in lucem.

Vers. 24. — Videte quid audiatis. Hìc quoque Græca dissident, tametsi Latina exemplaria magis consentiunt quàm Græca: *Videte quid audiatis*, *et apponetur vobis audientibus*. *Qui enim habet*, *dabitur ei*, *et qui non habet*, *etiam quod habet tolletur ab eo*. Græcæ lectioni suffragabatur codex Donatiani. Deindè sequitur: *In quâ mensurâ metimini*, *metietur vobis*, *et adjicietur vobis*. Theophylactus ita legit: *Videte quid audiatis*, *in quâ mensurâ metimini*, *in eâ alii metientur vobis*, *qui auditis*. *Quisquis enim habuerit*, *ei dabitur*, *et qui non habet*, *etiam quod habet tolletur ab eo*. Huic lectioni consentiebat codex aureus, et item Constantiensis.

ille dicatur habere, qui rectâ exercitatione utitur habitis; ingenio, appetitu, fide, ac reliquis bonis sive naturalibus sive gratuitis, et per oppositum ille dicitur non habere, qui non utitur, ut debet, donis naturalibus seu gratuitis, nam recto usu servatur imago Dei in homine, servatur donum legis divinæ ac fidei; et non solùm per abusum, sed etiam per non rectum usum ruunt omnia; valdè igitur consentaneum est rationi ut illi qui habet rectum usum, divinam imaginem, divinam legem, et quæcumque gratuita accepit dona, detur ampliùs divinorum donorum, et propterea dabitur et abundabit, ad effundendum aliis; ab illo autem qui abusu vel otio non servavit habita, auferetur quod habet. Si quæstionem ingeris, contradictoria implicari, dicendo qui non habet, et subdendo auferetur quod habet, solutio est quòd non habet integra quæ acceperat, et residuum quod habet auferetur ab eo; ubi plus concluditur quàm oportuerit; nam sufficiebat inferre, et illi qui non habet non dabitur : hoc enim faciebat satis proposito. Sed majorem intulit pœnam ille qui prævidit reprobos, non solùm privari hìc novis donis, sed etiam acceptis, dùm permittuntur etiam in naturalibus excæcari et indurari, juxta illud apostoli : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt,* etc. Nonne hoc est tolli ab eis residuum quod habent?

VERS. 26. — ET DICEBAT : SIC EST REGNUM DEI. Parabola hæc apud solum Marcum invenitur; et affertur consequenter ad declarandum modum quo apostolica prædicatio fructificat. Et intendit quòd discipulorum est prædicare ad similitudinem seminantis; ita quòd germinatio et fructificatio exspectetur aliunde scilicet à cordibus auditorum, sicut germinatio et fructificatio seminis exspectatur à terrâ; et quemadmodùm tempore messis apponitur falx, ita producto prædestinato fructu, succiduntur viri justi ex hâc vitâ. Hæc intentio parabolæ hujus. *Regnum Dei,* in militanti ecclesiâ incipiens. QUEMADMODUM SI HOMO JACIAT SEMENTEM IN TERRAM, — VERS. 27. — ET DORMIAT ET EXSURGAT NOCTE ET DIE. Referuntur hæc ad hominem qui seminavit; et significatur per hæc hominem occupari suis naturalibus necessitatibus, et vacare suis exercitiis. Nam ordinanda est littera applicando singula singulis, scilicet noctem dormitioni, et diem exsurrectioni; ac si apertè dixisset : Et vacet negotiis suis. Significatur enim per hoc quòd non operâ hominis prædicantis efficitur fructificatio seminis jacti in terram. ET SEMEN GERMINET ET INCRESCAT. Priùs descripsit dispositionem hominis qui seminavit, modò describit dispositionem seminis seminati. DUM NESCIT ILLE. Nescit siquidem homo qui seminavit quid sub terrâ fiat donec semen germinet. Et similiter nesciunt prædicatores quid verbum Dei seminatum per prædicationem hominis operetur, donec prodeat in opus.

VERS. 28. — ULTRO ENIM TERRA FRUCTIFICAT. Significatur enim per ultroneam fructificationem, ex libero arbitrio prodire fructum auditi divini verbi, ita tamen ut subintelligas simul divinam gratiam, sicut in terrâ subintelligitur concursus superiorum causarum, scilicet caloris solaris, pluviæ et hujusmodi; concurrentibus enim his intelligitur terra fructificans. Et significatur per progressum fructificationis terræ, progressus fructificationis cordis suscepto semine divini verbi. Et describitur ordo, quia nemo repentè fit summus; sed primùm exercetur operibus incipientium, deinde proficientium, et demùm perfectorum.

VERS. 29. — ET CUM EX SE PRODUXERIT, pro, *cùm autem productus fuerit fructus.* Vulg., *cùm produxerit fructus.* Significatur quòd cùm prædestinatus fructus regni cœlorum (hoc est, præsentis Ecclesiæ) productus fuerit, statim erit finis. Potest nihilominùs intelligi de producto fructu cujusque electi, quoniam tunc est messis particularis per mortem illius. STATIM MITTIT FALCEM, QUONIAM ADEST MESSIS. Quantùm ad parabolam illemet homo significatur mittens falcem qui seminavit; quantùm verò ad sensum, principalis seminator (scilicet Jesus Christus) significatur; ipse enim qui in prædicatoribus jacit semen verbi divini in terram per angelos metet.

VERS. 30. — REGNUM DEI, pro præsentis temporis Ecclesiâ sumitur hìc, et apponitur alia parabola, ut declarato modo fructificandi declaretur vis evangelici seminis quod prædicatur.

VERS. 31. — MINUS EST, etc. Principiorum conditio est parva esse secundùm quantitatem, magna autem secundùm virtutem; et ideò granum sinapis secun-

VERS. 27. — NOCTE ET DIE. Quidam utrumque verbum, *dormiat* et *exsurgat*, putant referendum ad eum qui jecit semen, ita ut intelligamus illum dormire nocte et exsurgere die; et in hunc quidem sensum interpretatur Theophylactus. Ego magis arbitror posterius verbum referendum ad semen, quod nullo colente tacitis auctibus et nocte et die proficit usque ad maturitatem. Nam *dormire* dicitur, qui securus est nec jam laborat. Hunc sensum secutus est, quisquis scripsit in Marcum Scholia, quæ Hieronymo tribuuntur. Sic enim loquitur : *Homo jactans semen Filius hominis est, semen verbum vitæ, terra corda humana : dormitatio hominis mors est Salvatoris : exsurgit semen nocte et die*, etc. ET INCRESCAT DUM NESCIT ILLE. Sermo Græcus ambiguus est. Potest enim accipi ut semen exoriatur et exsurgat vi naturæ, cùm ipsum hoc nesciat, eò quòd σπόρος, *semen,* sit masculini generis.

VERS. 30. — CUI PARABOLÆ COMPARABIMUS? Græcè : *aut in quâ parabolâ illud ponemus,* sive *ponamus?* Etiamsi nonnulli codices pro θῶμεν habeant παραβάλωμεν, id est, *per quam collationem conferemus?* Quandoquidem παραβολὴν Cicero vertit *collationem.* Et præpositione *in* Hebræi abutuntur pro *per.* In aliis pro τίνι scriptum est ἐν ποίᾳ. Verùm hæc minutiora duxi quàm quæ annotentur.

VERS. 32. — ET CUM NATUM FUERIT, ASCENDIT IN ARBOREM. Græcis hìc repetitur, καὶ ὅταν σπαρῇ, id est, *cùm seminatum fuerit*, suffragante et codice aureo, Constantiensi, aliisque multis. Offendit lectorem, quod absurdè videatur idem repeti, *et cùm seminatum fuerit.* Repetitur tamen in Vulg. ASCENDIT IN ARBOREM, ἀναβαίνει, id est, *surgit.* Porrò illud, *in arborem*, nec additur apud Græcos, nec in antiquis codicibus nostris, nec in aureo nec in Vulg. Adscriptum apparet

dùm utrumque laudatur quia secundùm quantitatem minimum, secundùm virtutem maximum monstratur. Verùm cùm dicitur semen sinapis minimum omnium seminum, putat Albertus magnus intelligendum non quantitate (quoniam minus illo apparet ad sensum tam semen papaveris quàm semen rutæ) sed proportione. Semen enim sinapis quamvis in suâ quantitate sit majus semine rutæ, est tamen minus illo secundùm proportionem; hoc est, relatum ad producendum. Itaque referendo utrumque semen ad ea quæ producuntur, invenitur minus semen sinapis, quia invenitur arbor ex tam parvo semine, excedens proportionaliter rutæ fruticem, et sic de similibus dicito. Dubito ego ex diversâ conditione regionum contingere quòd semen sinapis alicubi sit majus, alicubi minus; sed simpliciter et absolutè esse minimum omnium seminum etiam quantitate. Comparavi siquidem semina hæc in Italiâ: nec apparet uniformitas. Sensus parabolæ est: Granum sinapis evangelium est, annuntians minima: scilicet Jesum crucifixum. Nihil minus, nihil abjectius hoc dogmate est: sed idem maximæ virtutis in vegetatione Ecclesiæ velut arboris inter olera apparet, ita quòd aves cœli, homines cœlestis desiderii, cœlestis mentis, in iis quæ Ecclesiæ sunt habitant. Homo seminans Jesus est, qui accepit à Patre evangelicam doctrinam et seminavit in agro non alieno, sed suo; mundus siquidem ejus est; nam in propria venit. ASCENDIT IN ARBOREM. Nescitur quis apposuerit has duas dictiones, scilicet, *in arborem,* quæ non habet Vulg.

VERS. 32. — HABITARE, pro, *nidificare.*

VERS. 33. — ET TALIBUS MULTIS LOQUEBATUR EIS VERBUM. Habes apud Matthæum multas parabolas quas Marcus sub his verbis comprehendit. PROUT POTERANT AUDIRE. Quamvis Dominus parabolicè loqueretur, proponebat tamen eas secundùm capacitatem audientium, ut fructuosè essent. Multis siquidem fructuosæ erant quamvis multi indigni essent; de quibus dictum est, *ut videntes non videant,* etc.

VERS. 34. — SINE PARABOLA AUTEM NON LOQUEBATUR EIS. Non dicit omnem sermonem fuisse parabolicum, sed quòd habebat parabolam comitem; docebat enim multa sub propriis verbis et annectebat parabolas. SEORSUM AUTEM. Declarat evangelista quòd etiam parabolas habentes aliquid difficultatis declarabat discipulis seorsùm à turbâ. DISCIPULIS SUIS DISSEREBAT, pro, *dissolvebat,* OMNIA. Significatur enim quòd solvebat dubia seu nodos difficultatum.

VERS. 35. — TRANSEAMUS CONTRA, pro, *in ulteriorem ripam.*

VERS. 36. — ET DIMITTENTES TURBAM, ASSUMUNT EUM ITA UT ERAT IN NAVI; ET ALIÆ NAVES ERANT CUM ILLO. Promptam ac celerem executionem describit ab inchoatâ à nautis navigatione antequàm Jesus sedens in naviculâ mutaret situm, et antequàm disjungeretur navicula illa ab aliis naviculis. Identitas siquidem sitùs Jesu significatur dicendo, *ita ut erat in navi;* conjunctio autem adhuc aliarum navicularum significatur dicendo, *et aliæ naviculæ erant cum illâ.* Adverbium *ita,* ad ambo refertur, scilicet ad situm Jesu, et ad conjunctionem navicularum. Et lego cum illâ, scilicet navi; et non cum illo, ut Vulg.; erant enim naviculæ multæ junctæ navi in quâ erat Jesus docens.

VERS. 37. — ET FACTA EST, pro, *fit,* PROCELLA MAGNA VENTI; ET FLUCTUS MITTEBAT, pro, *immittebat.*

VERS. 38. — ET EXCITANT EUM, procul dubio discipuli. NON AD TE PERTINET, pro, *non est tibi curæ;* QUIA, pro, *quòd* PERIMUS?

VERS. 39. — ET EXSURGENS COMMINATUS EST VENTO, pro, *et excitatus increpavit ventum;* ET DIXIT MARI: TACE, OBMUTESCE. Increpat ventum causantem fluctus, et silentium imponit mari sonanti; non ut ventus et mare percipiant, sed ad ostendendum hominibus præsentibus quòd solo imperio cessare facit ventum et fluctus maris. ET CESSAVIT VENTUS, ET FACTA EST TRANQUILLITAS MAGNA. Repentè fieri non tranquillitatem, sed tranquillitatem magnam, testatur opus esse excedens totius naturæ facultatem.

VERS. 40. — QUID TIMIDI ESTIS? Deest adverbium, sic; non enim reprehenditur simplex timor, sed timor sic, hoc est, adeò magnus ut præsente Jesu timeant perire. NECDUM HABETIS FIDEM? Increpativè legenda sunt. Objurgat enim discipulos quòd adhuc non habeant fidem cùm viderint tot miracula facta ab eo. Monstraverunt enim minùs credere, tum magnitudine timoris, tum excitando Jesum à somno; tanquàm non posset dormiens salvare eos. QUIA ET

ex Lucæ et Matthæi decimo tertio. HABITARE, κατασκηνοῦν, quod alibi vertit *nidificare*, verbum à σκηνὴ, *scena*, dictum.

VERS. 34. — DISSEREBAT, id est, *dissolvebat*, sive *exponebat*: aut quo aliàs est usus, *edisserebat. Solvuntur* enim ænigmata et obscura, veluti nodosa.

VERS. 35. — TRANSEAMUS CONTRA, id est, *transeamus in ulteriorem partem*; sive, ut sæpè jam vertit, *trans fretum.*

VERS. — 37. ET FACTA EST. Græcè, *Et fit*, sive *oritur*, quasi res jam geratur. MITTEBAT IN NAVIM, *irruebat in navim*, ut sit verbum neutrum quod ad significatum attinet.

VERS. 38. — SUPER CERVICAL DORMIENS ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον, quod indè Græcis nomen habet, quòd capiti admoveatur. Ezechiel exsecratur eos *qui consuunt pulvillos sub omni cubito, et cervicalia sub omni capite.* Quod tum exhibuit Jesus, id hodiè in nobis agitur. Quàm periculosè indormiunt hodiè pulvillis ac cervicalibus hujusmodi præsules ac pontifices quidam horum temporum! Periclitatur universus populus, nec est qui Christum excitet in illis profundissimè dormientem. Imò nolunt excitari, et habent qui somnum hunc pestilentissimum foveant, occinentes ad aurem blando susurro: Euge, euge. Expergiscere tandem, optime Jesu, ne pereamus. NON AD TE PERTINET, οὐ μέλει σοι, id est, *non est tibi curæ.* Nam aliud est *pertinere ad nos*, aliud *esse curæ.* Siquidem multa ad nos maximè pertinent, quæ minimè sunt curæ. QUIA PERIMUS, ὅτι, id est, *quòd*, hoc sanè loco.

VERS. 39. — OBMUTESCE, πεφίμωσο. Augmentum additum etiam celeritatem indicat: veluti dicas: *Mox obmutesce.*

VERS. 40. — QUID TIMIDI ESTIS? Græcè: *Quid adeò timidi estis?* Alii habebant: *Quid timidi estis adeò?* NECDUM HABETIS, οὔπω, id est, *nondùm.* Alii habebant,

VENTUS ET MARE OBEDIUNT EI. An soli discipuli nautarum officium exercentes, an etiam nautæ alii interfuerint qui hæc dixerint, incertum est. Hoc tamen est certum quòd nec discipuli plenam in Jesu fidem habebant; illis enim dictum est, necdùm fidem habetis; ut patet Matth. 8.

πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; id est, *quî fit ut non habeatis fidem?* Et οὕτως referunt ad præcedentem orationis partem. Laurentius ad sequentem adjunxit: *Siccine nondùm habetis fidem?* Porrò *quomodò* parùm Latinè reddidit πῶς, quod ita vertendum erat, *quî fit ut non habeatis fidem?* Est enim non interrogantis, sed objurgantis. AD ALTERUTRUM, *inter sese*, quod crebriùs admonui; verùm interpres perpetuò peccat in hoc verbo, tanquàm prudens. QUIS PUTAS. Meliùs *quisnam* aut certè *quis*. Nam hoc loco vix habet Latinus sermo, quod respondeat ἄρα.

CAPUT V.

1. Et venerunt trans fretum maris, in regionem Gerasenorum.

2. Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo,

3. Qui domicilium habebat in monumentis, et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare;

4. Quoniam sæpè compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare.

5. Et semper die ac nocte in monumentis et in montibus erat, clamans, et concidens se lapidibus.

6. Videns autem Jesum à longè, cucurrit, et adoravit eum:

7. Et clamans voce magnâ, dixit: Quid mihi et tibi, Jesu fili Dei altissimi? Adjuro te per Deum, ne me torqueas.

8. Dicebat enim illi: Exi, spiritus immunde, ab homine.

9. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.

10. Et deprecabatur eum multùm, ne se expelleret extra regionem.

11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens.

12. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus.

13. Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi, introierunt in porcos, et magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, et suffocati sunt in mari.

14. Qui autem pascebant eos, fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum.

15. Et veniunt ad Jesum: et vident illum qui à dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, et sanæ mentis, et timuerunt.

16. Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat, et de porcis.

17. Et rogare cœperunt eum, ut discederet de finibus eorum.

18. Cùmque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo.

19. Et non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tuî.

20. Et abiit, et cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus: et omnes mirabantur.

21. Et cùm transcendisset Jesus in navi rursùm trans fretum, convenit turba multa ad eum, et erat circa mare.

CHAPITRE V.

1. Ayant passé la mer, ils arrivèrent dans le pays des Géraséniens.

2. Et comme Jésus sortait de la barque, un homme possédé d'un esprit impur vint à lui, sortant des sépulcres,

3. Où il faisait sa demeure ordinaire. Et personne ne pouvait le tenir lié, même avec des chaînes;

4. Car ayant eu souvent les fers aux pieds, et ayant été lié de chaînes, il avait rompu ses chaînes et brisé ses fers; et nul homme ne pouvait le dompter.

5. Il était jour et nuit dans les tombeaux et sur les montagnes, criant, et se meurtrissant lui-même avec des pierres.

6. Ayant donc vu Jésus de loin, il accourut et l'adora,

7. Et, jetant un grand cri, il lui dit: Qu'y a-t-il entre vous et moi, Jésus fils du Dieu très-haut? Je vous conjure par le nom de Dieu de ne point me tourmenter.

8. Car Jésus lui disait: Esprit impur, sors de cet homme.

9. Et il lui demanda: Comment t'appelles-tu? A quoi il répondit: Je m'appelle Légion, parce que nous sommes plusieurs.

10. Et il le priait instamment de ne point le chasser hors de ce pays-là.

11. Or il y avait là un grand troupeau de pourceaux qui paissaient le long de la montagne.

12. Et ces démons le suppliaient, en lui disant: Envoyez-nous dans ces pourceaux, afin que nous y entrions.

13. Jésus le leur permit aussitôt; et ces esprits impurs sortant de l'homme, entrèrent dans les pourceaux; et tout le troupeau, qui était d'environ deux mille, courut avec impétuosité se précipiter dans la mer, où ils furent noyés.

14. Ceux qui les gardaient, s'enfuirent et allèrent porter cette nouvelle à la ville et à la campagne. Et plusieurs sortirent pour voir ce qui était arrivé;

15. Et étant venus à Jésus, ils virent celui qui avait été possédé assis, habillé, et en son bon sens; et ils furent remplis de crainte.

16. Et ceux qui avaient vu ce qui s'était passé, leur ayant rapporté tout ce qui était arrivé au possédé et aux pourceaux,

17. Ils commencèrent à le prier de sortir de leur pays.

18. Et comme il rentrait dans la barque, celui qui avait été tourmenté du démon le supplia qu'il lui permît d'aller avec lui.

19. Mais Jésus le lui refusa, et lui dit: Allez-vous-en chez vous trouver vos proches, et leur racontez tout ce que le Seigneur a fait en votre faveur et la miséricorde dont il a usé envers vous.

20. Cet homme s'en étant allé, commença de publier dans la Décapole les grandes choses que Jésus avait faites en sa faveur; et tout le monde en était dans l'admiration.

21. Jésus étant repassé dans la barque à l'autre bord, comme il était auprès de la mer, une grande multitude de peuple s'assembla autour de lui.

22. Et venit quidam de archisynagogis, nomine Jairus: et videns eum, procidit ad pedes ejus,

23. Et deprecabatur eum multùm, dicens : Quoniam filia mea in extremis est: veni, impone manum super eam, ut salva sit et vivat.

24. Et abiit cum illo, et sequebatur eum turba multa, et comprimebant eum.

25. Et mulier quæ erat in profluvio sanguinis, annis duodecim,

26. Et fuerat multa perpessa à compluribus medicis; et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat:

27. Cùm audisset de Jesu, venit in turbâ retrò, et tetigit vestimentum ejus:

28. Dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.

29. Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus : et sensit corpore, quia sanata esset à plagâ.

30. Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conversus ad turbam, aiebat : Quis tetigit vestimenta mea?

31. Et dicebant ei discipuli sui : Vides turbam comprimentem te, et dicis : Quis me tetigit?

32. Et circumspiciebat videre eam quæ hoc fecerat.

33. Mulier verò timens et tremens, sciens quod factum esset in se, venit et procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem.

34. Ille autem dixit ei : Filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace, et esto sana à plagâ tuâ.

35. Adhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua est: quid ultra vexas magistrum?

36. Jesus autem, audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere : tantummodò crede.

37. Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem Jacobi.

38. Et veniunt in domum archisynagogi, et videt tumultum, et flentes, et ejulantes multùm.

39. Et ingressus, ait illis : Quid turbamini et ploratis? puella non est mortua, sed dormit.

40. Et irridebant eum. Ipse verò, ejectis omnibus, assumit patrem et matrem puellæ, et qui secum erant, et ingreditur ubi puella erat jacens.

41. Et tenens manum puellæ, ait illi : *Talitha, cumi :* quod est interpretatum : Puella, (tibi dico) surge.

42. Et confestim surrexit puella, et ambulabat: erat autem annorum duodecim : et obstupuerunt stupore magno.

43. Et præcepit illis vehementer, ut nemo id sciret, et dixit dari illi manducare.

22. Et un chef de synagogue nommé Jaïr vint le trouver; et le voyant, il se jeta à ses pieds;

23. Et il le suppliait avec grande instance, en lui disant: Ma fille est à l'extrémité; venez lui imposer les mains, afin de la guérir et de lui sauver la vie.

24. Jésus s'en alla avec lui, et il fut suivi d'une grande foule de peuple, qui le pressait.

25. Alors une femme malade d'une perte de sang depuis douze ans,

26. Qui avait beaucoup souffert entre les mains de plusieurs médecins, et qui ayant dépensé tout son bien, n'en avait reçu aucun soulagement, mais s'en était trouvée plus mal,

27. Ayant entendu parler de Jésus, vint dans la foule par-derrière, et toucha son vêtement.

28. Car elle disait: Si je puis seulement toucher son vêtement, je serai guérie.

29. Au même instant son sang, qui coulait, s'arrêta, et elle sentit dans son corps qu'elle était guérie de son infirmité.

30. Aussitôt Jésus connaissant en lui-même la vertu qui était sortie de lui, se tourna vers le peuple, et dit: Qui est-ce qui a touché mes habits?

31. Ses disciples lui dirent : Vous voyez que la foule vous presse, et vous demandez qui vous a touché?

32. Et il regardait autour de lui pour voir celle qui l'avait touché.

33. Mais cette femme, qui savait ce qui s'était passé en elle, vint, saisie de crainte et de frayeur, se jeter à ses pieds, et lui déclara toute la vérité.

34. Sur quoi Jésus lui dit: Ma fille, votre foi vous a sauvée; allez en paix, et soyez guérie de votre mal.

35. Il parlait encore, lorsqu'il vint des gens du chef de synagogue, qui lui dirent : Votre fille est morte; pourquoi importunez-vous encore le Maître?

36. Mais Jésus, ayant entendu ce discours, dit à ce chef de synagogue: Ne craignez point; croyez seulement.

37. Et il ne voulut pas que personne le suivît, hors Pierre, Jacques, et Jean, frère de Jacques.

38. Etant arrivés à la maison du chef de synagogue, il vit une troupe confuse de gens qui pleuraient et qui jetaient de grands cris.

39. Et en entrant il leur dit: Pourquoi faites-vous tant de bruit, et qu'avez-vous à pleurer? cette fille n'est pas morte; elle n'est qu'endormie.

40. Et ils se moquaient de lui. Mais lui, ayant fait retirer tout le monde, prit le père et la mère de la fille et ceux qu'il avait avec lui, et entra dans le lieu où la fille était couchée;

41. Et la prenant par la main, il lui dit: Talitha, cumi, c'est-à-dire, Ma fille, levez-vous (je vous le commande).

42. Au même instant la fille se leva, et se mit à marcher; car elle avait douze ans. Et ils furent dans un extrême étonnement.

43. Mais il leur commanda très-fortement *de prendre garde* que personne ne le sût: et, *pour les convaincre entièrement de la résurrection de cette fille, et de sa parfaite guérison,* il dit qu'on lui donnât à manger.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — IN REGIONEM GERASENORUM, pro, *Gadarenorum.* Advertendum est enim quod apud Matth. 8, regio hæc appellatur regio Gergesenorum; apud Marcum autem et Lucam Gadarenorum. Nec aliquid

VERS. 1. — TRANS FRETUM ; superiùs vertit *contra*, id est, *in ulteriorem partem ;* quanquàm in Matthæo sæpenumerò vertit *trans fretum.* Lacum, ut dixi, appellant *mare :* tamen iisdem verbis uti licuisset, etiam amne transmisso, aut aggere, aut monte. *Fretum* verò non idem est quod *mare*, etiamsi fretum omne dicitur mare. GERASENORUM. Græci legunt in Matth. Γεργεσηνῶν, id est, *Gergesenorum.* Hieronymus in locis Hebraicis prodidit, suâ etiamnùm ætate viculum exstitisse in monte situm, haud procul à lacu Tiberia-

certi comperio, propter hoc quòd diversi diversa sentiunt; sed parvi refert scire nomina locorum seu habitatorum. Si tamen verum est quòd regio hæc sit trans Jordanem, nomen Gadarenorum quadrat; pro quanto trans Jordanem Gaditæ acceperunt à Moyse portionem suam.

VERS. 2. — OCCURRIT.... HOMO. Quamvis duo fuerint apud Matthæum 8, Marcus tamen tacens unum non contradicit; sævioris enim creditur mentionem facere.

VERS. 6. — VIDENS AUTEM JESUM A LONGÈ, CUCURRIT ET ADORAVIT EUM. Dæmon, aut coactus aut ad malum aliquod tendens, virtutis actum exercet, propter quod magnus iste religionis actus processisse videtur ab animo explorandi an Jesus sit Filius Dei; expertus namque in deserto quòd tentando Jesum, *hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me*, non potuit cognoscere an sit Filius Dei, tentat modò contrariam viam scilicet adorando ipsum Jesum. Unde et assertivè, nominat eum Filium Dei; sicut etiam cum tantâ reverentiâ adorat.

VERS. 7. — QUID MIHI ET TIBI, JESU, FILI DEI ALTISSIMI? Fingit dæmon nihil commune esse sibi et Christo; hoc est, nihil negotii habere cum eo; cùm tamen multùm negotii cum eo haberet tentando. ADJURO TE PER DEUM. Verba hæc fuerant dicta à dæmone postquàm Jesus dixerat ei: *Exi, spiritus immunde;* ut manifestè subjungit evangelista. NE ME TORQUEAS. Imperium Jesu ut dæmon exeat, tormentum esse dæmonis ipsemet dæmon testatur; invitum enim oportere exire, est tormentum superbo et pertinaci in proprio velle.

VERS. 9. — ET INTERROGABAT EUM: QUOD TIBI NOMEN EST? Jesus interrogat, ut ipsemet dæmon fateatur invitus multitudinem; ad hoc ut magnitudo miraculi innotescat, et ad hoc ut cognoscatur quamcumque multitudinem dæmonum ei subjici.

VERS. 10. — NE SE EXPELLERET EXTRA REGIONEM. Hinc apparet affectus diversorum dæmonum ad diversas regiones; nisi enim multitudo hæc affecta fuisset regioni illi, non petisset extra regionem non mitti.

VERS. 12. — ET DEPRECABANTUR EUM SPIRITUS, pro, *omnes dæmones*, DICENTES: MITTE NOS IN PORCOS, UT IN EOS INTROEAMUS. ET CONCESSIT, pro, permisit, EIS STATIM JESUS. Hinc habes potestatem naturalem dæmonum ligatam teneri, in pœnam sui peccati; si enim liberè uti possent suâ potentiâ, non indiguissent licentiâ Jesu ad invadendum porcos; et intolerabilia mala facerent.

VERS. 15. — ET VIDENT ILLUM QUI A DÆMONIO VEXABATUR, SEDENTEM VESTITUM ET SANÆ MENTIS. In Græcis codicibus subjunguntur hæ quatuor dictiones, *eum qui habuerat legionem;* et significatur per hoc magnitudo facti, ut non solùm significetur dæmonio vexatus, sed legione dæmonum oppressus, jam sedens et vestitus et sanæ mentis, qui priùs nudus discurrebat et furiosus.

VERS. 16. — ILLIS, egressis ex civitate.

VERS. 17. — ET ROGARE COEPERUNT UT DISCEDERET DE FINIBUS EORUM. Illi qui egressi fuerant de civitate, timentes ne pejus aliquid jacturâ porcorum subsequeretur, rogant venerando tantam auctoritatem monstratam in curatione illius furiosi, ut discedat à regione illâ.

VERS. 19. — ET ANNUNTIA ILLIS QUANTA TIBI DOMINUS FECERIT. Non dicit quanta ego fecerim tibi, sed in Deum refert: quem Hebræorum more appellat Dominum; unde apparet Hebræum fuisse illum hominem in quo fuerat legio; nisi enim fuisset Hebræus, non Hebræo more nuncupâsset Deum Jesus, illi mandata dando. ET MISERTUS SIT TUI. Ordo præposterus; nam sensus est: Annuntia quòd Dominus misertus tuî fuerit, et quanta tibi fecerit; prior enim est sublevatio à miseriâ quàm collatio bonorum.

VERS. 21. — ET CUM TRANSCENDISSET, pro, et *cùm trajecisset* JESUS, IN NAVI, RURSUS TRANS FRETUM, pro *in ulteriorem ripam.*

dis, ubi porcos in mare præcipites îsse memorabant. Quanquàm, apud Marcum, hic ipse locus *Gadarenorum* vocatur, et eodem nomine apud Lucam; undè colligere licet, eidem urbi, quæ regioni dedit nomen, diversa fuisse nomina, et eamdem dictam *Gerasam*, ac *Gadaram.* Id quod indicat et divus Hieronymus in locis Hebraicis, addens *Gerasenorum* mentionem fieri in Evangelio. At idem mox, in *Gergessâ*, refert illic porcos præcipites îsse in mare; ut consequatur, aut *Gergessam* viculum esse in regione *Gadarenorum*, aut eamdem esse *Gergessam* et *Gadaram.* Quam Græci vocant *Gergesam*, opinor Hieronymo dici *Gargasi*, quam ait esse civitatem trans Jordanem, junctam monti Galaad, quæ ipsius ætate dicta sit *Gerasa*, urbs insignis Arabiæ. Hanc, ut refert, quidam existimabant eamdem esse cum *Gadarâ.*

VERS 9. — LEGIO MIHI NOMEN, λεγεών. Græcè scribens usus est voce Latinâ, tametsi mutato genere.

VERS. 11. — PASCENS IN AGRIS. *In agris*, hìc nec apud Græcos additur, nec in codice aureo, nec in Donatianicis, nec in Constantiensi, nec est in Vulg.

VERS. 13. — ET MAGNO IMPETU. Græcè, *et impetu ferebatur grex per præceps in mare. Magno* addidit interpres de suo. AD DUO MILLIA. Græcè, *erant autem fermè duo millia*, sive *bis mille;* et subaudiendum est *porci*, non *spiritus*, quòd *spiritus* Græcè est neutri generis, et δισχίλιοι masculini, ut ad spiritus referri non possit.

VERS. 14. — QUID ESSET FACTI, id est, *quid esset quod factum erat*, sive *quod acciderat.* Vulg. habet, *factum.*

VERS. 15. — ET VENERUNT. *Et veniunt*, præsentis temporis. Et ita habent Vulg. et codices emendatiores Latini. ET SANÆ MENTIS. Post hæc verba Græci codices addunt, quod in Latinis non habetur, *eum qui habuerat legionem;* quod quoniam visum est superesse, cùm modò facta est mentio dæmoniaci, eraserunt. At repetitur ad emphasim miraculi, *esse jam sanæ mentis*, qui non solùm fuerit obnoxius dæmonio, verùm etiam legioni dæmonum.

VERS. 18. — CUMQUE ASCENDERET. Græcè, *Ingresso eo navim*, sive *conscensâ navi.*

VERS. 19. — NON ADMISIT, id est, *non permisit*, sive *non passus est.* QUANTA, ὅσα, quod sæpenumerò significat *quæcumque.* Hìc interpres legisse videtur πόσα, non ὅσα. ET MISERTUS SIT TUI. Hoc non parùm durè cohæret cum eo quod præcedit, *quanta tibi fecerit Deus.* Vertendum erat, *quæ tibi fecerit Deus, et in quibus misertus tuî fuerit*, sive, *quantoperè misertus sit tuî.*

Vers. 22. — Et venit quidam, pro, *et ecce venit unus*, de archisynagogis.

Vers. 23. — Filia mea in extremis est. Quod apud Matth. dicitur *modo moriebatur*, hic dicitur, *in extremis est*. Veni, impone manum tuam, pro, manus. Pluraliter, et superfluit *tuam*. Et vivat, pro, *vivet*. Affirmat enim archisynagogus, quòd si Jesus imposuerit filiolæ suæ manus, sequetur vita; hoc est, quòd non morietur quamvis sit in extremis.

Vers. 29. — Et sensit corpore quia sanata esset a plaga, pro, *à flagello*. Ægritudinem enim appellat flagellum Dei.

Vers. 30. — De illo, pro, *de se*. Intellige virtutem de Jesu exire non migratione, sed effectu. Quis tetigit vestimenta mea? Non corpore, sed fide. De quo tactu si intellexissent discipuli, non admirati fuissent verba Jesu.

Vers. 32. — Et circumspiciebat videre, pro, *ut videret eam quæ hoc fecerat*. Volebat Jesus manifestari miraculum factum non solùm ob divinam gloriam ex illo miraculo, sed ad utilitatem fidei in archisynagogo. Sciebat enim ipse affuturos statim nuntios mortis puellæ : et oportere augeri fidem archisynagogi ad credendum quòd etiam mortuam filiam posset suscitare.

Vers. 33. — Dixit ei omnem veritatem, pro, *omnem causam suam*.

Vers. 34.—Filia, fides tua te salvam fecit. Manifestat Jesus fidem mulieris meruisse salutem, ut augeatur fides Jairi præsentis. — Vers. 35. — Adhuc eo loquente, veniunt nuntii ad archisynagogum. In Græco non habetur dictio *nuntii*; nec habetur, *ad archisynagogum*, sed, *ab archysinagogo*. Significatur domesticos venisse à domo archisynagogi; hos enim describit dicendo quòd veniunt ab archisynagogo; hoc est, domestici à domo archisynagogi, procul dubio ad ipsum Jairum archisynagogum. Dicentes, scilicet, archisynagogo : Quia filia tua mortua est; quid ultra vexas magistrum? Non credebant isti Jesum posse suscitare mortuam; et propterea vanam dicebant esse sollicitationem Jesu ad veniendum domum.

Vers. 36. — Jesus autem, deest, *statim*, ait archisynagogo : Noli timere. Hinc apparet Jairum in periculo fuisse timendi jacturam filiæ esse irreparabilem. Tantummodo crede. Nihil aliud à te exigitur nisi ut sicut credidisti me posse sanare filiam tuam in extremis constitutam, ita credas me posse tibi illam quamvis mortuam restituere vivam ac sanam.

Vers. 37. — Et non admisit, pro *permisit*, quemquam se sequi, nisi Petrum et Jacobum et Joannem fratrem Jacobi. Intellige hæc de sequelà ad ingrediendum domum Jairi; reliquit enim turbam et discipulos reliquos cùm esset prope seu juxta domum. — Vers. 38. — Et veniunt, pro, *venit*, scilicet Jesus, in domum archisynagogi, et vidit, pro, *videt*. Quid turbamini, pro, *tumultuamini*, et ploratis? puella non est mortua, sed dormit. Sciebat Jesus illam esse mortuam, nec tamen falsum dixit, intendens non esse mortuam sibi, sed dormire sibi Deo : cui tam facile erat suscitare illam à morte quàm facile fuisset homini excitare illam à somno. — Vers. 40. — Et irridebant eum. Deest, *scientes quòd esset mortua*. Et scripsit hoc evangelista ad firmandum testimonium veræ mortis, et consequenter veræ resuscitationis subsecutæ. Ipse vero ejectis omnibus. Noluit coram

Vers. 22. — Et venit quidam, id est, *et venit unus*. Sed utinam interpres Hebraicam figuram, ut hìc mutavit, itidem mutâsset ubique, tantùm abest ut reprehendam. Et *Jairus* penultimà acutâ pronuntiandum est Latinis, ob diphthongum Ἰάειρος.

Vers. 23. — Quoniam filia. Nec in Græcis est ὅτι, quod tamen erat omittendum, si fuisset. Hìc addidit de suo *quoniam*. Filia mea, id est, *filiola*. Est enim Græcis diminutivum. *In extremis est;* ad verbum sonat, *extremè habet;* perinde valet ac si dicas, *pessimè affecta est*, sive *in summo vitæ discrimine est*. Ut salva sit et vivat, id est, *ut salva fiat, et vivet*, ut verbum posterius sit futuri temporis. Alioqui quid aliud est ægrotam *servari*, quàm *vivere?* Nam sensus est : *Impone illi manus, ut servetur; quod si non gravaberis facere, futurum est ut vivat*. Nam fieri potest ut imponat aliquis manus ægroto, ad hoc ut sanetur, et tamen moriatur ægrotus. Quanquàm hoc vitio interpretis non accidit, sed librariorum. Ut opinor, tribuunt huic archisynagogo fidem imperfectam. Non credebat excitari posse mortuam : ægrotam sanari posse credebat, si modò dignaretur illi Dominus imponere manus. Ad hunc intellectum facit annotatio mea.

Vers. 29. — Et sensit corpore, *cognovit corpore*, quod interpres non ineptè vertit *sensit*. Nam sensus est illam hoc cognovisse ex ipso sensu corporis, quod jam carebat cruciatu et fluxu. Quia sanata esset a plaga, id est, *flagello*, quemadmodùm superiùs indicatum est. Et *quia* vertendum erat in *quòd*.

Vers. 30. — Cognoscens virtutem quæ exierat. Quæso, quod hoc sermonis dedecus? Num qua virtus erat illi incognita? Proinde participium vertendum erat in verbum infinitum : *Jesus autem ut agnovit*, sive *sensit in seipso, virtutem prodisse ex sese*. Nec enim hoc loco ferendum erat *de illo*, pro *ex se*.

Vers. 33. — Omnem veritatem, id est, *coram omnibus omnem causam suam*, etiamsi illud, *coram omnibus*, non reperi scriptum in omnibus Græcorum exemplaribus. Et in nonnullis pro αἰτίαν scriptum erat ἀλήθειαν. Quod nos sequi maluimus, vel ob hoc, quòd cum Latinis exemplaribus concordaret. Porrò Lucas causam habet.

Vers. 35. — Veniunt nuntii. *Nuntii* addiderunt nescio qui, quanquàm non malè. Certè non erat in codicibus Donatiani, ne in Constantiensi quidem. Nec est, *ad archisynagogum*, sed *ab archisynagogo*, magno consensu Græcorum codicum, ut intelligas ab illius venisse domo, qui nuntiarent mortem filiæ. Cæterùm non animadvertens, sive lector, sive interpres hanc loquendi figuram : *Eamus ad me*, pro eo quod est, *ad domum meam*, et, *à vobis exit*, id est, *è domo vestrâ*, existimavit non posse vitari, quin illi ad archisynagogum venerint : quandoquidem is jam erat apud Jesum. Verùm et ab illo venerunt et ad illum, hoc est, ab illius ædibus ad ipsum. Germanam scripturam cum Græcis consentientem reperi in codice Constantiensi. Tametsi sermo Græcus potest videri dictus per ellipsim, quemadmodùm dicunt ἐν ᾅδου, et, *venimus ad Vestæ*. Ita *veniunt ab archisynagogi*, subaudi *domo*.

Vers. 36. — Jesus autem. Græci addunt, *statim*.

Vers. 37. — *Admisit*, id est, *permisit*, sive *passus est*. Nam quis dicat, *admisit sequi*. Mirè lascivit suâ copiâ, cùm hoc verbum solitus sit vertere *dimisit*,

turbâ hoc miraculum facere, qui tamen alios publicè suscitavit; ad instruendum utrumque; quandoque oportere servari pro loco et tempore. ET QUI SECUM ERANT, scilicet Petrum, Jacobum et Joannem. INGREDIUNTUR, Vulg., *ingreditur.*

VERS. 41. — AIT ILLI : TABITHA.. Græci scribunt *Talitha cumi ;* sic Vulg. QUOD EST INTERPRETATUM, PUELLA (TIBI DICO), SURGE. Nota hìc duo. Alterum est quod illæ duæ dictiones, *tibi dico*, non significantur verbis Jesu *talitha cumi,* sed interpositæ sunt ab evangelistâ vel ad majorem expressionem auctoritatis verbi Jesu, quod solo dicere suscitavit eam, vel (quod magis crediderim) accentus, articulus seu modus proferendi à Christo, expressus est ab evangelistâ per has dictiones, *tibi dico.* Alterum est quòd imperativum surge, significatur per dictionem Hebraicam *cumi*, puella autem, vel non significatur per dictionem *talitha* directè, sed tanquàm genus, si Talitha nomen erat proprium illius puellæ; quia enim significavit tunc individuum puellæ, ideò evangelista interpres dixit, *puella, surge.* Vel Chaldaicâ dictione ab Hebræis usurpatâ, talitha, puella significatur; major enim est auctoritas evangelistæ interpretantis *talitham* puellam quàm quorumcumque, aliter sentientium.

VERS. 42. — ET CONFESTIM SURREXIT PUELLA ET AMBULABAT, ut intelligas non solùm vivam, sed sanam.

VERS. 43.—ET PRÆCEPIT ILLIS VEHEMENTER, affectu humilitatis et vitandæ humanæ gloriæ, UT NEMO ID SCIRET. Perspice differentiam temporum : miraculum mulieris curatæ à fluxu sanguinis latens, voluit manifestari, quia tempus urgebat ad augendam fidem archisynagogi : hoc autem miraculum vult latere, quia non imminebat necessitas tunc manifestandi. Utroque autem opere docuit discipulos ut pro loco et tempore quandoque manifestarent mira quæ facturi erant, et quandoque procurarent, manere occulta. ET DIXIT DARI ILLI MANDUCARE. Ad cumulum testimonii veræ resurrectionis : ut obstupescentes parentes et discipuli comprobarent non esse phantasma id quod videbant. Hæc miracula copiosiùs narrata sunt apud Matthæum.

VERS. 38. — ET VIDIT. Græcus et Vulg., *et videt,* præsentis temporis. ET EJULANTES, ἀλαλάζοντας, quod in Psalmis vertit *jubilare.* Nam ὀλολύζειν est *ejulare,* vox ab illâ non multùm dissimilis. Quanquàm Valla ex auctoritate Varronis ostendit *jubilatum* esse clamorem rusticorum, ut *quiritatum* urbanorum. Certè Chrysostomus, homiliâ primâ adversùs Judæos, ὀλολύζειν dicit pastores clamore deterrentes lupum ab ovili.

VERS. 39. — QUID TURBAMINI. Τί θορυβεῖτε, id est : *Quid tumultuamini,* ab eâdem voce, quam modò verterat *tumultum,* θόρυβος.

VERS. 40. — ET DERIDEBANT EUM. Vulg. : *Irridebant.* Græci nonnulli addunt; *scientes quòd esset mortua,* sive, *cùm scirent esse mortuam.* Verùm id suspicor hùc adscriptum ex Matthæo.

VERS. 41. — TABITHA CUMI. *Tabitha* perscribunt Græci, non *Tabitha,* suffr agantibus Græcæ lectioni vetustissimis codicibus Donatianicis, atque item Constantiensi. Sic Vulg. PUELLA, TIBI DICO. *Tibi dico* de suo adjecit, sive is fuit evangelista, sive alius quispiam, quo significantiùs redderet, et sensum vocantis, et auctoritatem imperantis; ut testatur et Hieronymus ad Pammachium, in libello, cui titulus : *De optimo genere interpretandi.* Hebræas voces Marcus ipse, qui sine controversiâ Græcè scripsit Evangelium, nobis interpretatur : *Puella, surge.* Divus Hieronymus in libello, quo colligit voces Hebraicas Evangeliorum, admonet hunc sermonem, *Tabitha cumi* (sic enim illic scribitur, corruptè, ut arbitror) Syrum esse, non Hebraicum. טליתא Syriacè *puellam* significat. At idem in libro, de optimo Genere interpretandi, fatetur Hebræum esse : *Arguatur,* inquit, *evangelista mendacii, quare addiderit,* tibi dico, *cùm in Hebræo tantùm sit :* Puella, surge ; *nisi fortè quod Chaldaicum aut Syriacum sit, id Hebræum dici possit, non contra, quòd Chaldæorum aut Syrorum sermo nihil aliud sit quàm Hebræus, non eodem modo depravatus, exceptis paucis vocibus, quas, ut fit, aliunde sibi adsciverunt.* Nisi probabilius videtur Hebræos, posteaquàm in Syriam demigrârant, illius gentis linguam didicisse, atque eâ linguâ libros sacros, qui interciderant, per Esdram fuisse restitutos. Porrò sermonem vulgarem nunquàm diutiùs eumdem esse, vel in quâvis hujus ætatis linguâ perspicuum esse potest. Tanta est rerum humanarum volubilitas. Neque verò mihi dissimile veri est, Christum populari sermone usum, qui tum promiscuæ multitudini erat in usu; præsertim cùm apud populum verba faceret. Qui profitentur hoc litterarum genus, aiunt *Talitha,* quemadmodùm magno consensu legimus in Græcis codicibus, Chaldæis sonare *puellam.* Et fieri potest ut vox sit utrisque communis.

CAPUT VI.

1. Et egressus inde, abiit in patriam suam ; et sequebantur eum discipuli sui.

2. Et facto sabbato, cœpit in synagogâ docere; et multi audientes admirabantur in doctrinâ ejus, dicentes : Unde huic hæc omnia? et quæ est sapientia quæ data est illi, et virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur ?

3. Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis? nonne et sorores ejus hìc nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo.

4. Et dicebat illis Jesus : Quia non est propheta sine honore nisi in patriâ suâ, et in domo suâ, et in cognatione suâ.

5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos, impositis manibus, curavit.

6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum ; et circuibat castella in circuitu docens.

CHAPITRE VI.

1. Jésus étant sorti de ce lieu vint en son pays, et ses disciples le suivirent.

2. Quand le jour du sabbat fut venu, il commença d'enseigner dans la synagogue ; et plusieurs de ceux qui l'écoutaient, surpris de sa doctrine, disaient : D'où lui viennent toutes ces choses ? quelle est cette sagesse qui lui a été donnée? et comment se fait-il de telles merveilles par ses mains ?

3. N'est-ce pas là ce charpentier, fils de Marie, frère de Jacques, de Joseph, de Jude et de Simon ? ses sœurs aussi ne sont-elles pas ici parmi nous ? Et ils se scandalisaient à son sujet.

4. Mais Jésus leur dit : Un prophète n'est sans honneur que dans son pays, dans sa maison, et parmi ses parents.

5. Et il ne put faire là aucun miracle, sinon qu'il guérit un petit nombre de malades en leur imposant les mains.

6. Et il s'étonnait de leur incrédulité. Il parcourait cependant les villages d'alentour, et il y enseignait.

7. Et vocavit duodecim, et cœpit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum:

8. Et præcepit eis ne quid tollerent in viâ, nisi virgam tantùm; non peram, non panem, neque in zonâ æs:

9. Sed calceatos sandaliis, et ne induerentur duabus tunicis.

10. Et dicebat eis: Quòcumque introieritis in domum, illìc manete donec exeatis inde.

11. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium illis.

12. Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent;

13. Et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant.

14. Et audivit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen ejus), et dicebat: Quia Joannes Baptista resurrexit à mortuis, et propterea virtutes operantur in illo.

15. Alii autem dicebant: Quia Elias est. Alii verò dicebant: Quia propheta est, quasi unus ex prophetis.

16. Quo audito, Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis resurrexit.

17. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.

18. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

19. Herodias autem insidiabatur illi, et volebat occidere eum, nec poterat.

20. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum; et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat.

21. Et cùm dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilææ.

22. Cùmque introîsset filia ipsius Herodiadis, et saltâsset, et placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod vis, et dabo tibi.

23. Et juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei.

24. Quæ cùm exîsset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistæ.

25. Cùmque introîsset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens: Volo ut protinùs des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.

26. Et contristatus est rex, propter jusjurandum, et propter simul discumbentes, noluit eam contristare:

27. Sed misso spiculatore, præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere.

28. Et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ.

29. Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento.

30. Et convenientes apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant et docuerant.

31. Et ait illis: Venite seorsùm in desertum locum, et requiescite pusillum. Erant enim qui venie-

7. Or Jésus, ayant appelé les douze, commença de les envoyer deux à deux, et il leur donna puissance sur les esprits impurs.

8. Il leur commanda de ne rien porter en chemin qu'un bâton, de n'avoir ni sac, ni pain, ni argent dans leur bourse,

9. Mais d'aller avec des sandales, et de n'avoir point deux habits.

10. Il leur dit aussi: Quelque part que vous alliez, étant entrés dans une maison, demeurez-y jusqu'à ce que vous sortiez de ce lieu-là.

11. Et lorsqu'il se trouvera des personnes qui ne voudront pas vous recevoir ni vous écouter, sortant de là secouez la poussière de vos pieds, afin que ce soit un témoignage contre eux.

12. Étant donc partis, ils prêchaient aux peuples qu'ils fissent pénitence.

13. Ils chassaient beaucoup de démons; ils oignaient d'huile plusieurs malades, et les guérissaient.

14. Cependant le roi Hérode entendit parler de Jésus, car son nom était devenu célèbre. Et il disait: Jean-Baptiste est ressuscité, et c'est pour cela qu'il se fait tant de miracles par lui.

15. D'autres disaient: C'est Elie. D'autres: C'est un prophète égal à l'un des prophètes.

16. Ce qu'Hérode ayant entendu, il dit: Jean, à qui j'ai fait couper la tête, est ressuscité.

17. Car ce même Hérode avait envoyé saisir Jean, l'avait fait lier et mettre en prison, à cause d'Hérodiade, femme de Philippe son frère, qu'il avait épousée,

18. Parce que Jean disait à Hérode: Il ne vous est pas permis d'avoir la femme de votre frère.

19. Ainsi Hérodiade lui tendait des piéges, et voulait le faire mourir; mais elle ne pouvait y parvenir,

20. Parce qu'Hérode, qui craignait Jean, sachant que c'était un homme juste et saint, le faisait garder, agissait même en beaucoup de choses par son conseil, et l'écoutait volontiers.

21. Mais enfin il arriva un jour favorable, le jour de la naissance d'Hérode, auquel il fit un festin aux grands de sa cour, aux premiers officiers de ses troupes, et aux principaux de la Galilée.

22. Car la fille d'Hérodiade étant entrée, et ayant dansé devant Hérode, lui plut tellement, et à ceux qui étaient à table avec lui, qu'il lui dit: Demandez-moi ce que vous voudrez, et je vous le donnerai.

23. Et il dit avec serment: Je vous donnerai tout ce que vous me demanderez, quand ce serait la moitié de mon royaume.

24. Elle étant sortie dit à sa mère: Que demanderai-je? Sa mère lui répondit: La tête de Jean-Baptiste.

25. Et étant rentrée aussitôt en grande hâte où était le roi, elle lui fit sa demande, disant: Je veux que vous me donniez tout présentement, dans un bassin, la tête de Jean-Baptiste.

26. Le roi en fut très-affligé; néanmoins, à cause du serment qu'il avait fait, et de ceux qui étaient à table avec lui, il ne voulut pas la contrister.

27. Ainsi, ayant envoyé un de ses gardes, il commanda qu'on apportât la tête de Jean dans un bassin. Et le garde lui coupa la tête dans la prison.

28. Et il apporta la tête dans un bassin, la donna à la fille, et la fille la donna à sa mère.

29. Ce que les disciples de Jean ayant appris, ils vinrent enlever son corps, et le mirent dans un tombeau.

30. Cependant, les apôtres s'étant rassemblés auprès de Jésus, lui rendirent compte de ce qu'ils avaient fait et de ce qu'ils avaient enseigné.

31. Et il leur dit: Venez vous retirer en particulier dans quelque lieu solitaire, et vous reposez un peu.

bant et redibant multi; et nec spatium manducandi habebant.

32. Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsùm.

33. Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi: et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illùc, et prævenerunt eos.

34. Et exiens vidit turbam multam Jesus; et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cœpit illos docere multa.

35. Et cùm jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, et jam hora præteriit:

36. Dimitte illos ut euntes in proximas villas et vicos, emant sibi cibos, quos manducent.

37. Et respondens, ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentes denariis panes, et dabimus illis manducare.

38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, et videte. Et cùm cognovissent, dicunt: Quinque et duos pisces.

39. Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundùm contubernia super viride fœnum.

40. Et discubuerunt in partes, per centenos et quinquagenos.

41. Et acceptis quinque panibus et duobus piscibus, intuens in cœlum benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos, et duos pisces divisit omnibus.

42. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt.

43. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, et de piscibus.

44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

45. Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dùm ipse dimitteret populum.

46. Et cùm dimisisset eos, abiit in montem orare.

47. Et cùm serò esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terrâ.

48. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis), et circa quartam vigiliam noctis, venit ad eos ambulans supra mare, et volebat præterire eos.

49. At illi, ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt.

50. Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt: et statim locutus est cum eis, et dixit eis: Confidite: ego sum, nolite timere.

51. Et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus: et plus magis intra se stupebant.

52. Non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

53. Et cùm transfretâssent, venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt.

54. Cùmque egressi essent de navi, continuò cognoverunt eum.

55. Et percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se malè habebant circumferre, ubi audiebant eum esse.

Car, comme il y avait beaucoup de personnes qui allaient et venaient, ils n'avaient pas seulement le temps de manger.

32. Étant donc entrés dans une barque, ils se retirèrent à l'écart dans un lieu désert.

33. Mais quelques-uns les ayant vus partir, et plusieurs en ayant eu connaissance, ils y accoururent à pied de toutes les villes, et ils y arrivèrent avant eux.

34. Et Jésus sortant vit une grande multitude de peuple, et il en eut compassion, parce qu'ils étaient comme des brebis qui n'ont point de pasteur; et il commença de leur enseigner beaucoup de choses.

35. Mais le jour étant déjà fort avancé, ses disciples vinrent à lui, et lui dirent: Ce lieu-ci est désert, et il est déjà tard;

36. Renvoyez-les, afin qu'ils s'en aillent dans les villages et dans les bourgs d'ici autour acheter de quoi manger.

37. Il leur répondit: Donnez-leur vous-mêmes à manger. Ils lui repartirent: Irons-nous donc acheter pour deux cents deniers de pain, afin de leur donner à manger?

38. Jésus leur dit: Combien avez-vous de pains? Allez voir. Et y ayant regardé, ils lui dirent: Nous en avons cinq et deux poissons.

39. Alors il leur commanda de les faire tous asseoir par troupes sur l'herbe verte.

40. Et ils s'assirent en diverses bandes, les uns de cent, et les autres de cinquante personnes.

41. Jésus prit donc les cinq pains et les deux poissons; et, levant les yeux au ciel, il les bénit; et, ayant rompu les pains, il les donna à ses disciples, afin qu'ils les distribuassent au peuple, et il partagea à tous les deux poissons.

42. Tous en mangèrent et furent rassasiés.

43. Et on en remporta douze paniers pleins de morceaux qui étaient restés des pains et des poissons.

44. Or ceux qui mangèrent étaient cinq mille hommes.

45. Il obligea aussitôt ses disciples de monter dans la barque, afin qu'ils passassent avant lui de l'autre côté du lac, vers Bethsaïde, pendant qu'il renverrait le peuple.

46. Et après qu'il l'eut renvoyé, il s'en alla sur la montagne pour prier.

47. Le soir étant venu, la barque se trouvait au milieu de la mer, et Jésus était seul à terre.

48. En voyant qu'ils avaient beaucoup de peine à ramer, parce que le vent leur était contraire, vers la quatrième veille de la nuit, il vint à eux, marchant sur la mer; et il voulait les devancer.

49. Mais eux, le voyant marcher sur la mer, crurent que c'était un fantôme, et jetèrent un grand cri,

50. Car ils le virent tous et en furent épouvantés. Mais aussitôt il leur parla, et leur dit: Ayez confiance: c'est moi; ne craignez point.

51. Il monta ensuite avec eux dans la barque, et le vent cessa. Et ils étaient encore beaucoup plus dans l'étonnement.

52. Car ils n'avaient pas fait de réflexions sur le miracle des pains, parce que leur cœur était aveugle.

53. Après qu'ils eurent traversé le lac, ils vinrent aborder au pays de Génésareth.

54. Et dès qu'ils furent sortis de la barque, les habitants reconnurent Jésus;

55. Et, parcourant toute la contrée, ils commencèrent à lui apporter les malades dans des lits, partout où ils entendaient dire qu'il était.

56. Et quocumquè introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

56. Et en quelque lieu qu'il entrât, soit bourgs, villes ou villages, ils mettaient les malades dans les places publiques, et ils le priaient qu'il leur permît de toucher seulement le bord de son vêtement; et tous ceux qui le touchaient étaient guéris.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — ET EGRESSUS INDE ABIIT IN PATRIAM SUAM, hoc est, in Nazareth. ET SEQUEBANTUR, pro, *sequuntur*.

VERS. 2. — ADMIRABANTUR IN DOCTRINA EJUS. In Græco nihil aliud est quàm obstupescebant; itaque nihil dicitur de doctrinâ. DICENTES : UNDE HUIC HÆC OMNIA ? In Græco non est *omnia*.

VERS. 3. — NONNE HIC EST FABER. Apud Matthæum dicitur *fabri filius;* apud Marcum verò faber cum articulo, scilicet, *ille faber*, ut intelligamus utrumque esse dictum, et quòd erat *faber*, personaque certa fabrilis artis significatur per articulum. Hinc autem habemus unde satisfiat curiosis quærentibus, quid fecerit Jesus usque ad tricesimum annum. Vacabat enim exercitio fabrili. Et hoc valdè congruit testimonio humano quòd non vacavit litteris, non scientiis, non doctrinæ legis, ut certâ cognitione scirent omnes compatriotæ quòd scientia ejus non erat humanitùs acquisita. Unde concives obstupescunt, non solùm de miraculis, sed de sapientiâ (hoc est, de scientiâ divinorum) quæ apparebat in Jesu. FILIUS MARIÆ ET FRATER JACOBI ET JOSEPH, pro, JOSE, ET JUDÆ ET SIMONIS? NONNE ET SORORES EJUS HIC NOBISCUM SUNT? ET SCANDALIZABANTUR IN ILLO. Qui aliis erant testes de visu quòd scientia Jesu non erat humano studio acquisita, videntes eum plenum sapientiæ et gratiæ miraculorum; unde debebant moveri ad credendum et laudandum Deum, inde moti sunt ad cadendum, inde ruerunt. Verè donum Dei est credere, nec datum omnibus. Concives vident cum aliis in Jesu sapientiam et miracula, et testantur non humanitùs acquisita, conferuntque cum vilitate artis fratrum ac sororum (ita secundùm Scripturæ morem consanguinei appellantur); et unde incitari deberent ad divinam credendum virtutem, inde scandalizantur. Offendiculum fit illis quòd occasio deberet esse salutis.

VERS. 4. — ET DICEBAT ILLIS JESUS, QUIA NON EST PROPHETA. Superfluit *quia*. SINE HONORE, pro, *inhonoratus;* quod pejus est; significat enim esse contemptum. NISI IN PATRIA SUA, ET IN DOMO SUA; ET IN COGNATIONE SUA. Quamvis etiam extra patriam prophetæ quandoque despiciantur, quia tamen communiter contemnuntur prophetæ apud suos, ideò Dominus dixit, *nisi in patriâ, cognatione et domo suâ;* ad specialiora semper descendens.

Nota præterea Jesu mansuetam responsionem; non refert injuriam injuriæ; sed communem conditionem prophetarum cum patriis suis ad memoriam revocat, ut vel sic resipiscant. Ratio quare non honoratur propheta in suâ patriâ, est quia morale est animis subjectis passionibus minùs libenter præferre sibi ipsis pares vel inferiores; concivilitas autem repræsentat concives velut pares aut viliores, et communiter homines, paucis virtute præditis exceptis, aguntur passionibus; et propterea renuunt honore præferre sibi prophetam concivem aut domesticum.

VERS. 5. — ET NON POTERAT IBI VIRTUTEM ULLAM FACERE. Non ex defectu potentiæ, sed ex impedimento, imò repugnantiâ objecti; est enim sermo de potentiâ non absolutâ, sed ordinariâ. Nam sicut po-

VERS. 3. — FABER, FILIUS MARIÆ. Antiqui codices aliquot habent, *fabri filius et Mariæ,* suffragantibus et Græcis. Verùm in aliis erat scriptum : *Nonne hic est faber ille filius Mariæ?* Atque hanc quoque scripturam reperimus in vetustis Latinorum exemplaribus, nominatim in Corsendoncensi. Deinde annotandum est, Græcum articulum utrobique esse appositum, ὁ τέκτων ὁ υἱὸς Μαρίας, id est, *ille faber ille filius Mariæ.* Præterea vel ex hoc loco licet colligere, nihil referre, *Mariam* dicas more Hebræorum, an *Maria* more Græcorum; quâ de re multis verbis disceptat Valla. Postremò notandum et hoc, apud Matthæum non *fabrum* vocari Christum, sed *fabri filium.* Hinc accipimus illum et patris sui legalis exercuisse artem. Cur enim hoc recusâsset nostrâ causâ Dei Filius, qui ne crucem quidem recusavit, neque Paulum tantùm videlicet apostolum puduit opera manuaria parare, quo victitaret. Quanquàm non inficior, in Græcis verbis facillimum esse lapsum in τέκτονος υἱὸς, et τέκτων ὁ υἱὸς, nisi quod parùm aptè adhæret *Mariæ.* Proinde curatum est à Spiritu sancto ne multa proderentur litteris de rebus externis Domini Jesu, veluti de formâ habituque corporis, de cibis ac vestibus, ne mentibus hominum ad superstitionem pronis daretur occasio; quandoquidem ex hoc quòd Evangelistæ tradunt Jesum fuisse *fabri filium* ac *fabrum* ipsum, exortum est genus hominum, qui *Jesuitæ* vocari volunt, quòd in monasteriis fabrilem artem exerceant, malleumque gerunt pro insigni, cùm incertum sit quòd genus fabricæ exercuerit Joseph ac Dominus. Sunt enim fabri aurarii, argentarii, ærarii, ferrarii, lignarii, et lapidarii. Miror non exstitisse, qui gerant intonsum capillitium, aut qui summam tunicam gestent inconsutilem. Ad harum rerum imitationem non invitavit nos Dominus, in quibus ipse se gessit ut unum quemlibet è numero multitudinis, nec hinc *Jesuitæ* dici meremur; sed si auscultemus illi dicenti : *Discite à me quòd mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Qui gratis docent Evangelium, qui pro conviciis et calumniis reponunt salutiferam doctrinam, pro malefactis beneficentiam, qui nusquàm spectant ad emolumentum aut gloriam suam, sed proximorum commodum ac Dei gloriam in omnibus habent pro scopo, in hos magis competit *Jesuitarum* cognomen. ET JOSEPH, Ἰωσῆ, id est, *Jose,* legit Laurentius. Nonnulli codices habebant Ἰώσητος, id est, *Josetis,* juxta Græcam inflexionem : ut *Crates, Cratetis; Chremes, Chremetis.*

VERS. 4.—QUIA NON EST. *Quia* de suo addidit, cùm nihil sit opus. *Sine honore,* ἄτιμος, id est, *inhonoratus,* sive *contemptus.* Cui contrarium est ἔντιμος sive τίμιος, id est, *in pretio habitus.* ET IN DOMO, ET IN COGNATIONE SUA. Communissimum enim est *patria,* deinde *cognatio,* proximum *domus* ac *familia.* Deinde additur, *et in cognatione suâ,* Græcè *et inter cognatos.*

VERS. 5. — NISI PAUCOS INFIRMOS. Latinitatis ratio postulabat ut adderet *quòd, nisi quòd.* Deinde *infirmos,* Græcis est ἀῤῥώστους, id est, *adversâ valetudine laborantes.*

VERS. 7. — ET CONVOCAVIT, Græcè, *advocat,* sive

tentiæ naturales non possunt proprios effectus producere nisi in patiente disposito, ita potentiæ ordinariæ ad curationes et miracula non possunt producere effectus nisi in patiente disposito per fidem: quæ quia istis Nazarenis deerat, ideò dicitur quòd non poterat virtutem ullam facere. In Matthæo exprimitur indignitas concivium ad suscipienda miracula. Lege Evangelium, et invenies fidem indigentium miraculorum ope concurrere ad miracula. Et propterea incredulitas contraria dispositio assignatur ad susceptionem miraculorum multorum. Paucorum enim fides pauca meruit miracula, communisque incredulitas indignos reddidit multitudine miraculorum. Nisi; addenda est conjunctio *quòd.*

Vers. 6.—Et mirabatur, verâ admiratione, causatâ ex ignotâ sibi experimentaliter infidelitate compertâ in Nazarenis contra omnem rationem. Propter incredulitatem, pro, *infidelitatem eorum.* Refertur hæc causa ad utrumque, scilicet, non poterat et mirabatur. Et significatur simul indispositio Nazarenorum ad recipiendum effectus miraculorum. Et circuibat castella in circuitu docens. Expertus incredulitatem Nazarenorum, quærit fructum facere in castellis per circuitum, ne culpâ Nazarenorum isti posthabeantur.

Vers. 7. — Et dabat illis potestatem spirituum immundorum, scilicet ordinariam; hoc est, efficacem tunc si tam ex parte apostolorum quàm ex parte curandorum seu agentium, pro ipsis concurrerent quæ concurrere debent. Ex parte enim aliorum debebat concurrere fides; ex parte autem apostolorum debebant etiam concurrere quædam, puta oratio et jejunium. Unde non potuerunt ejicere dæmonium, de quo Dominus dixit: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione et jejunio.*

Vers. 8. — Et præcepit illis ne quid tollerent in via nisi virgam tantum, Matth. 10, dicitur *nec virgam.* Solutio est quòd virga ad officium defensionis (sicut et cætera arma defensiva) inhibita est; virga autem ad officium sustentationis in itinere concessa est. Non peram, non panem, neque in zona æs. Non hoc loco privat apostolos pretio rerum et alimentis, sed tantùm ordinat, ac disponit de itinere eorum ad prædicandum. Non absolutè prohibet possidere æs, sed dicit, *in zonâ*, quod clarè sonat æream pecuniam quæ portatur in sacculo seu crumenis. Sed calceatos sandaliis, Matth. 10, dicitur neque calceamenta. Solutio est, quòd apud Matth. duplicata calceamenta inhibentur hìc verò mittuntur calceati sandaliis, juxta illorum morem. Non enim fecit eos vendere calceos et emere sandalia, cùm ab universâ evangelicâ doctrinâ discrepet sollicitudo circa figuram calceorum, vestis et cujuscumque operimenti, indigna siquidem tali tantoque doctori est hujusmodi cura à quo nullum simile præceptum invenitur. Nullum enim de colore, quantitate aut figurâ vestium, nullum de barbâ aut capillis, et universaliter nullum de homini indifferentibus corporeis præceptum invenitur à Jesu datum; sicut nec de differentiâ cibi aut potûs. Ut etiam per hoc cognoscamus ipsum esse Deum qui fecit omnia, cui omnia serviunt; cui nihil horum displicet, qui universis in toto orbe nationibus leges dabat, omnibus et singulis congruas, nullique incommodas, nullâ exceptione alicubi aut aliquando egentes. Ex industriâ itaque Marcus dixit quòd misit eos *calceatos sandaliis*, prout erant calceati; ne erraremus in Matth., intelligendo Jesum prohibuisse calceamenta. Et ne induerentur duabus tunicis, ne desipias intelligendo jussisse Jesum discipulis, unicâ tantùm veste indui; sed prohibet indui vestibus mutatoriis, et propterea ejusdem speciei vestes duplices inhibuit, scilicet tunicas, alteram induendo, et alteram servando ad induendum loco prioris. Non prohibebat indui pluribus indumentis; nam ipsum Christum constat pluribus usum esse indumentis, ex eo quòd milites diviserunt sibi vestimenta ejus in quatuor partes. Hæc omnia ad litte-

accersit, præsentis temporis. Reclamabit aliquis fortè morosulus, dùm hujusmodi sectamur minutias, cur potiùs *advocat*, quàm *convocat*, et cur *advocat* potiùs quàm *advocavit?* Cui totidem respondebo verbis, cur *convocavit* potiùs quàm *advocavit*, et cur *advocavit* magis quàm *advocat?* quod posterius ut elegantius est, ita scriptum ab evangelistâ. Vulg., *et vocavit.* Binos. Eleganter expressit interpres Latinus, cùm Græcè sit, *duos duos*, hoc est, *per paria*, sive *per juga*, ut intelligas omnes duodecim fuisse missos, sed sena juga. Quandoquidem et Matthæus recensens duodecim Apostolorum nomina, binos copulavit. Potestatem spirituum immundorum. Quo vitaremus amphibologiam, vertimus, *potestatem in spiritus immundos.* Nam potestas dicitur tum ejus qui habet, tum ejus rei cujus potentes sumus.

Vers. 9. — Calceatos sandaliis. Σανδάλιον Græcis est calceamenti genus, conveniens mulieribus, quod plantas pedum modò tuebatur ab injuriâ, supernè ansulis quibusdam aut funiculis alligatum. Ὑποδήματα verò, quæ frequenter hic vertit *calceamenta*, inde nomen habent, quod pedibus subligentur. Unde probabile est evangelistas inter ὑποδήματα et *sandalia* nullum posuisse discrimen, præsertim cùm hic utrumque conjungat ὑποδεδεμένους σανδάλια. Cæterùm quæ hic Græcâ voce *sandalia* dicuntur, in Actis cap. 12, interpres vertit *caligas.* Veteres autem non noverunt hoc caligarum genus quod nunc tegit etiam ilia, sed erat et hoc calceamenti genus. Unde Caio imperatori *Caligulæ* cognomen militari joco fuit additum, et *caliga Maximini* castrensi joco abiit in proverbium, quòd calceus illius argueret illi fuisse pedes supra justam longitudinem. Auctores Suetonius, Ausonius, et Julius Capitolinus. Postremò Plinius meminit de calceatu equorum, quibus tamen adduntur soleæ tantùm. Itaque meo judicio frustra quidam hic disputant an sandalia calceorum nomine contineantur, et an Christus usus sit calceis, deque duplici calceamentorum genere, altero quod gestatur in pedibus, altero quod gestatur in tergo, ex hoc colligentes Christum fuisse nudipedem, quòd in convivio peccatrix unxerit Jesu pedes, et lacrymis humectatos capillis suis exterserit. Probabile est Christum aliquando fuisse usum calceamentis, aliquando non fuisse usum, videlicet prout res præsens exigebat. Alioqui Baptista non pronuntiâsset se indignum qui solveret corrigiam calceamentorum Jesu. Nec magnum erat olim in calidis regionibus incalceatum ingredi. Apud Horatium, libri 2 satyrâ ultimâ, Nasidienus, qui jam accubuerat, dùm parat redire ad culinam curaturus reliquum apparatum, poscit soleas. Et ut narrat Plinius junior in Epistolâ ad Taci-

ram ut sonant Christum ordinâsse apostolis servanda, testatur ipse Christus, Lucæ 22, dicens : *Quando misi vos sine sacculo et perâ, numquid aliquid defuit vobis?* Idem siquidem est judicium de sacculo et perâ, quod est de duabus tunicis et reliquis. Et intendit ad litteram Jesus per hæc comprehendere omnia, hoc est per specificata, omnia quæ homines pro occurrentibus necessitatibus itinerantium parare consueverunt excludere, sicut enim peram alimentorum ita lenticulam vinariam (cujus non meminit) exclusisse intelligitur, cùm eadem sit ratio, et sic de similibus. Et sicut indumenta, calceos baculumque sustentationis concessit, ita pileum concessisse intelligitur, quia eadem est ratio; adimit enim quæcumque, sunt profutura famæ, siti, defensione ac mutatione, concedit autem in præsentiâ opportuna. Nec intendit Jesus præcipere hunc apostolis modum eundi ad prædicandum; sed duo intendit scilicet declarare et experientiâ comprobare. Declarare quidem apostolis modum congruum et expeditum, quo possunt licitè uti eundo ad prædicandum inter fideles, propterea namque subdidit in Matthæo : *Dignus est enim operarius cibo suo;* hæc enim verba monstrant quòd non præcipiendo, sed manifestando modum licitum, disposuit talem eundi modum; sciebat enim meliorem supererogationis modum esse, ut ex proprio ære viveret prædicator, ne aliquem gravare ut apostolus Paulus fecit, et exposuit verba Domini esse non præceptum sed licentiam. Experientiâ autem comprobare mittendo tunc de facto apostolos tali modo, ut facto experirentur nihil sibi deesse sic euntibus, et quàm utile ad prædicationis officium atque fructum sit servare hunc modum.

tum: *Avunculus cùm absque soleis studeret, conscensurus locum unde prospici poterat Vesuvii montis incendium, poscit soleas.* Apud Platonem autem in convivio Aristodemus, ni fallor, admiratur Socratem soleatum ad Agathonis convivium accedere, positurum utique in accubitu calceamenta. Et apud priscos aliter discumbebant in conviviis quàm hodiè discumbimus. Ad hæc videtur id olim hospitalitatis fuisse, convivæ aut hospiti ante discubitum lavare pedes. Superest scrupulus de dissonantiâ Matthæi 10, apud quem Dominus vetat ne ituri ad prædicandum evangelium gestent calceamenta, cùm diversum scribat Marcus. Ad hoc non absurdè respondent quidam, apostolos non fuisse prohibitos in pedibus gestare calceamenta, sed in sarcinis. Videmus et hodiè morem esse, præsertim apud Hispanos, ut famulus hero gestet togam humero pulchrè complicatam, si fortè oboriatur pluvia. Eoque non absurdè Baptista pronuntiat se indignum qui bajularet calceamenta Jesu. Verùm simplicius est dicere, Christum discipulis adhuc rudibus crasso more loquendi voluisse persuadere, ut absque sarcinulis et impedimentis aggrederentur prædicandi negotium, nec ullâ de re solliciti, nisi ut annuntiarent regnum cœlorum. Nec puto Christo fuisse displiciturum, si quis apostolorum, vel ob itineris asperitatem, vel ob pedem offensum, usus fuisset calceis. Eodem sensu vetuit ne quem salutarent in viâ, per hyperbolen summum studium accelerandi negotii significans. Sic 4 Reg. 4. Helizæus, mittens famulum cum baculo suo, vetat ne quem obvium salutet, non hoc sentiens ne cui dicat *salve,* sed ut quàm maximè properaret. Itaque hæc ad litteram urgere tendit ad superstitionem. Paulus, ille insignis Evangelii præco, 2 Tim. 4, jubet sibi remitti penulam Troade relictam, præterea libros præsertim in membranis descriptos. Hoc plus est quàm habere calceamenta mutatoria. Non est igitur evangelicæ perfectionis Christum in externis anxiè exprimere. Non venit in mundum, ut doceret nos quomodò oporteat calceari aut vestiri. Simili studio, quo Christum faciunt nudipedem, faciunt et mendicum. Paupertas convenit Christo, mendicitas derogat illius dignitati. Mendicitatem enim nulla res excusat, nisi inevitabilis necessitas. Eòque pontificum constitutionibus cautum est ne quis ad presbyteri gradum recipiatur, nisi paratum sit unde vivat. Quam ob rem? Ne per inopiam adigantur ad mendicitatem, quæ derogat sacerdotis dignitati. Stulta verò constitutio, si mendicitas est pars evangelicæ perfectionis. Paulus apud Corinthios ne mendicaret, non dico ostiatim, in diversoriis et in navibus, sed ne quid peteret à quoquam, noctu consuit pelles in usum tabernaculorum. Christus in egenos erat benignus, tantùm abest ut ipse mendicaret, ac interdùm mittit apostolos ut emant cibum. Nec dissimile veri est, Dominum ex bonis paternis ac maternis, aut etiam ex opificio nonnihil habuisse suum. Alioqui quomodò legitur à Nazareth commigrâsse Capharnaum, ibique habuisse domicilium, si nec domum habuit, nec suppellectilem? Quin et illud probabile est Christum fuisse mundo honestoque amictu. Alioqui milites non fuissent inter se partiti laceros pannos. Porrò quod spontè dabatur ab amicis opulentis, aut piis mulieribus, multùm abest à mendicitate. Nec urget quod ipse dicit Filium hominis non habere ubi caput suum reclinet. Siquidem hic sermo non propriè pertinet ad inopiam, sed ad omnia in quibus hominum mundo deditorum animus conquiescit. Hoc autem in affectibus situm est, non in rebus externis. Affectus autem gloriæ periculosior est, quàm affectus divitiarum. Quid sequantur, qui hoc ipso videri volunt homines apostolici et evangelicæ perfectionis quòd privatim ac publicè mendicent, ipsi viderint. Certè nusquàm legimus Dominum mendicâsse : quod enim afferunt de Samaritanâ frivolum est. Sic potuisset quivis rex mendicare. Nec tamen constat Dominum bibisse, sed quæsivit occasionem insinuandi mulierculæ quis esset. Nec usquàm legimus apostolos mendicâsse, nec ut id facerent unquàm à Domino jussos. Ne paupertas quidem per se virtus est, quemadmodùm ne opulentia vitium. Est autem duplex paupertas, altera quæ suppeditat frugalem victum, nihil habens superflui. Huic pulchrè convenit cum evangelicâ philosophiâ. Est altera quæ urget ac premit, ac frequenter ad graviora scelera sollicitat, quàm divitiæ. Proinde Salomon, Proverb. 30, utrumque pariter deprecatur, divitias, quia nonnunquàm gignunt oblivionem Dei, paupertatem, quia sollicitat ad furandum et ad pejerandum nomen Dei, quod utique blasphemiæ genus est. Verùm ad multa alia pertrahit inopia, quæ non commemorat Salomon, ad sacrilegia, ad veneficia, ad lenocinia, ad latrocinia, ad parricidia. Laudandi igitur qui divitiis sine fraude quæsitis rectè utuntur; et laudandi sunt, qui paupertatem adactam patienter alacriterque ferunt. Nec vituperandos arbitror, qui spontaneam paupertatem amplectuntur, modò ea conducat ad parandum ac propagandum regnum Dei, rejicienda, si officiat. Sunt item qui nolunt Christum exercuisse paternum opificium, quòd tales operæ retrahant intentionem mentis ab iis quæ propiùs faciunt ad regnum Dei, velut à studio theologiæ, à contemplatione rerum cœlestium, à purè orando. Verùm ab hoc impedimento nihil erat periculi Christo, nec Paulum avocavit ab Evangelii negotio, quod consuit coria. Fateor tamen illis rectè concedi otium, qui sese toto pectore parant ad prædicandum verbum Dei. Verùm an hoc otium mereantur qui nihil aliud quàm canunt, aliorum esto judicium. Apud veteres laicorum erat cantus, quæ nunc summa sacerdotum est religio. Postremò sunt qui contendunt aposto-

VERS. 10. — ILLIC MANETE DONEC EXEATIS INDE, scilicet de illo oppido, civitate seu villâ; mutationem enim hospitii prohibet.

VERS. 11. — EXCUTITE PULVEREM DE PEDIBUS VESTRIS, IN TESTIMONIUM ILLIS. Hoc est in signum testimonii, tum quòd non ex vobis sed ex illis procedit privatio divinæ gratiæ apud illos, tum quòd nihil commune vobiscum habebunt in regno cœlorum, sicut vos nec pulverem habetis eorum. Scito apud Græcos post hæc verba subjungi : AMEN DICO VOBIS, TOLERABILIUS ERIT SODOMIS AUT GOMORRHIS IN DIE JUDICII QUAM CIVITATI ILLI : Ne mirabile tibi videatur tolerabilius fore in die judicii Sodomæ et Gomorrhæ quàm civitati refutanti apostolicam prædicationem, distingue duplicem gravitatem peccati : alteram ex parte conversionis, et hinc graviora non dubites fuisse crimina Sodomæ et Gomorrhæ; alteram ex parte aversionis, et hinc gravius est crimen refutantium Evangelium Christi, tanquàm dicentium Domino Deo : Recede à nobis; scientiam viarum tuarum nolumus. Rursùs crimina Sodomorum considera esse contra humanum bonum; crimen autem refutantium Evangelium esse contra bonum divini ordinis scilicet, fidei, spei et charitatis in Christum.

VERS. 13. — ET DÆMONIA MULTA EJICIEBANT; ET UNGEBANT OLEO MULTOS ÆGROS. Credendum est præcepto Jesu eos hoc fecisse; non enim fas est credere ex proprio sensu usos fuisse unctione. Verùm hæc unctio non sacramentalis intelligitur, qualis est unctio extrema quâ utitur Ecclesia, sed initium quoddam. Apparet quòd oleo utebantur ad sanandum, non ad sacramentum ministrandum. Apparet quoque quòd statim sequebatur sanitas; alioquin non fuisset cognita virtus olei sanantis.

VERS. 14. — ET AUDIVIT REX HERODES. Iste Herodes titulo non erat rex, sed potestate, ad differentiam Herodis regis, qui fuit rex et pater Archelai et Herodis istius, qui *tetrarcha* et non *rex* dicitur apud Matthæum, quia sine regio titulo princeps erat partis regni patris sui. Et iste est qui postea illusum Jesum veste splendidâ remisit ad Pilatum.

MANIFESTUM ENIM FACTUM EST NOMEN EJUS ET DICEBAT QUÒD JOANNES BAPTISTA RESURREXIT A MORTUIS. Putavit Herodes animam Joannis Baptistæ introïsse in Jesum; hunc enim ingressum appellat *resurgere à mortuis*, non corporis ejusdem resumptione, sed quòd denuò spiritus Joannis ad hanc vitam venerit sub alio corpore.

VERS. 15. — ALII AUTEM, supple *nonnulli*, DICEBANT QUIA HELIAS EST. ALII VERO DICEBANT QUIA PROPHETA

los emisisse vota, videlicet illa tria substantialia. In cujus manus? Haud dubium est quin in manus Christi abbatis omnium supremi. Utinam ea potiùs studeamus æmulari in Christo, quorum imitatio reddit beatos, et quibus apostoli Dominum imitantes verè magni fuerunt, et in quibus beatus Paulus profitetur se imitatorem Jesu Christi. Quid prodest non gestare æs in zonâ, si gestes in linteolo, aut si habeas penès receptores depositum? Quid autem magni est, si pro sandaliis habeas calceos supernè fenestratos! Quantus porrò numerus est eorum qui ideò profitentur paupertatem, ut effugiant paupertatem? Aut etiam ut acceptâ abbatiâ possideant opimas divitias? Professio trium votorum non affert perfectionem evangelicam, sed imitatio Christi. Sic enim audit adolescens qui jubetur vendere omnia et dare pauperibus, *et veni sequere me.* Paulus autem Corinthios hortatur, ut ipsum imitentur, quemadmodùm ipse imitabatur Christum. Sed in quibus? Hoc paulò ante expressit : *Usque in hanc horam,* inquit, *et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus, tanquàm purgamenta hujus mundi facti sumus omnium, propter ipsumusque adhuc.* Similiter Petrus apostolus, adhortans ad imitationem Christi, non commemorat cibos, vestes, aut pedes incalceatos. Sed quid? *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore Jesu. Qui cùm malediceretur, non remaledicebat, cùm pateretur, non comminabatur,* etc. Sed hisce de rebus jam plus satis opinor. Est alter scrupulus de *virgâ*, quam Dominus apud Matthæum 10, et Lucam 9 vetat tolli, hìc concedit. Augustinus, ut elabatur è quæstionis angustiâ, confugit ad allegoriam; ut accipiamus *virgam* prohibitam, quæ ad defensionem corporis gestatur à viatoribus, sed *virgam* potestatis vivendi ex Evangelio concessam. Hoc commentum eò valet, ne nihil responsum esse videatur. Atqui durum est, cùm cætera simpliciter ac citra allegoriam accipiantur, subitò *virgam* accipere pro potestate evangelicâ. Deinde quid opus erat hoc sub ænigmate *virgæ* concedere, quod apertis verbis concessit, videlicet ut ederent ac biberent quæ apud illos essent, quibus annuntiabant Evangelium. Præstat igitur meâ sententiâ tropum in omnibus accipere, ut intelligamus ista non simpliciter prohibita; alioqui nec hodiè fas esset ecclesiasticis aliquid horum in viâ tollere, sed Dominum voluisse suos apostolos in legatione evangelicâ liberos et expeditos esse ab omni sollicitudine, quæ torquet alios peregrinationem inituros. Provident sibi de commeatu, armant se calceis ac vestibus adversùs injuriam cœli, baculo adversùs vim hominum, instruunt se viatico ne quid desit; nimirùm hoc est æs in zonis, commeatus in perâ, calceamenta et altera tunica in sarcinis, et baculus ad pugnam apparatus. Sed conceduntur *sandalia* in pedibus, quia nec impediunt iter, nec aliquid addunt sarcinæ : conceditur et *virga,* non illa gravis quæ gestatur ad pugnam, sed quæ sublevat euntem, et lassum recreat. Fortassè nec illud fuisset piaculum, si quis apostolorum fortè habuisset aliquid nummulorum in crumenulâ, sed ista Dominus apud Matthæum prohibet possideri, hoc est, sollicitâ providentiâ parari tanquàm ad Evangelii prædicationem necessaria. Quemadmodùm non violâssent præceptum Domini, si cui fortè obvio dixissent *ave*, nullo susceptæ legationis dispendio. His igitur tropis animorum sollicitudo adimitur apostolis potiùs quàm res ipsæ interdicuntur.

VERS. 11. — IN TESTIMONIUM ILLIS. Addant hoc loco Græci codices, an rectè nescio : *Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die judicii, quàm civitati illi.* Verùm haud scio an id sit ex Matthæo, hùc transcriptum. Quod in Marco, qui ferè consentit cum Matthæo, nisi quod breviùs narrat, frequentiùs accidit. Quanquàm consentiunt Græcorum exemplaria, quæ quidem mihi videre contigit.

VERS. 13. — ET UNGEBANT OLEO. Hinc natum apparet, quod hodiè sacro oleo unguntur periculosè laborantes, non perinde ut revalescant, atque ut tutiùs emigrent : cujus rei meminit et Jacobus.

VERS. 14. — ET AUDIVIT REX HERODES. Quidam Græci codices addunt *famam Jesu?* aliunde, ni fallor, adscriptum.

VERS. 20. — HERODES AUTEM METUEBAT. *Enim* le-

EST, QUASI UNUS EX PROPHETIS. Harum trium opinionum de Jesu, prima super migrationem spiritûs de corpore in corpus fundatur. Et nescio unde ortum habuerit migratio talis scilicet in hominem contemporaneum. Secunda autem super prophetiam Malachiæ de adventu Heliæ. Tertia ancipitem habet sensum, an significetur unum ex prophetis redîsse juxta traditiones quorumdam philosophorum de circulo animarum, an significetur quòd Jesus est propheta similis antiquis prophetis. Et si hoc significatur, rationabilior cæteris hæc opinio fuit.

VERS. 16. — QUO AUDITO HERODES AIT : QUEM EGO DECOLLAVI JOANNEM, HIC A MORTUIS RESURREXIT. Desunt Latinis duæ dictiones, altera verbum est, altera pronomen *ipse,* puncto tamen intermedio. Ita quòd legendum est, quem ego decollavi Joannem hic est; et deinde subjungitur, ipse à mortuis resurrexit. Et hæsitando non definiendo dixit Herodes hæc verba, ut patet apud Lucam.

VERS. 17.—IPSE ENIM HERODES. Incidenter evangelista inserit mortem Joannis. Constat Joannem decollatum fuisse propè festum pascale quo satiavit Dominus quinque millia hominum ex quinque panibus, inter quod et baptisma Christi à Joanne plus quàm biennium fluxit, ut collato Joannis evangelio patet, supputando numerum solemnitatum pascalium quarum Joannes meminit. PROPTER HERODIADEM. Dubium est apud nos Herodiadis hujus genus, tradente Josepho quòd fuit filia Aristobuli fratris Archelai, Herodis et Philippi, testante autem Hieronymo, secundùm veterem historiam fuisse filiam regis Aretæ Josephus certus est auctor, vetus historia incerta; præter hoc quòd repudiata ab Herode filia fuit regis Aretæ. Rursùs Josephus dicit hanc Herodiadem uxorem fuisse non Philippi, sed alterius Herodis fratris quoque Herodis Tetrarchæ, sed ex aliâ matre. Unde binomius videtur fuisse ille alter Herodes; vel vocabatur composito nomine Herodes Philippus, vel Philippus Herodes. DUXERAT EAM, subaudi, *uxorem.*

VERS. 18. — NON LICET TIBI HABERE. Vera causa, sed non sola. Testatur enim Josephus quòd propter multum populi concursum ad Joannem Herodes addixit Joannem carceri.

VERS. 20. — HERODES ENIM METUEBAT. Redditur ratio quare Herodias non poterat Joannem occidere. ET CUSTODIEBAT, pro, *observabat,* EUM; et AUDITO EO MULTA FACIEBAT; et LIBENTER EUM AUDIEBAT. Hi actus virtutum qui narrantur de Herode, intelligendi sunt ficti; juxta verbum Domini appellantis Herodem vulpem; et testimonium Matthæi quòd Herodes volens Joannem occidere timuit populum. Fictè itaque Herodes exercebat hos virtutum actus erga Joannem; ob quam fictionem non poterat Herodias occidere Joannem ut volebat. Marcus enim refert apparentes actus.

VERS. 21. — ET CUM DIES OPPORTUNUS ACCIDISSET, HERODES NATALIS SUI; in Græco habetur : *Quando Herodes in natalitiis suis;* COENAM FECIT, pro, *faciebat,* PRINCIPIBUS, pro, *primatibus,* ET TRIBUNIS, qui præsunt mille.

VERS. 22. — RECUMBENTIBUS, pro accumbentibus.

VERS. 25. — VOLO UT PROTINUS. Superfluit *protinùs.*

VERS. 26. — ET CONTRISTATUS EST REX. Monstrat Herodes se invitum coactum à religionis vinculo et à reverentiâ convivarum, tanquàm etiam ipsis testibus fieret injuria si non servaret promissa; ut sic populus audiens quòd invitus occidisset Joannem, minùs ægrè ferat Joannis necem, et ferè excusatum habeat Herodem.

VERS. 26. — CONTRISTARE, pro, *rejicere.*

VERS. 27. — SED, pro, *et protinùs,* MISSO SPICULATORE, PRÆCEPIT, scilicet rex AFFERRI CAPUT EJUS IN DISCO. Superfluit *in disco,* sed desunt tres aliæ dictiones : *Ille autem abiit.* Significatur enim quòd spiculator abiit ad exequendum mandatum.

VERS. 29. — CORPUS, pro, *cadaver.*

VERS. 30. — ET CONVENIENTES APOSTOLI AD JESUM, RENUNTIAVERUNT EI OMNIA QUÆ EGERANT ET DOCUERANT. Nota apostolos singula tam quæ egerant quàm quæ docuerant referre ad Jesum, ut hinc discant, prædi-

gunt Græci et Vulg. non *autem,* consentientibus et antiquis exemplaribus. Addidit autem paulò superiùs, *ipse,* ut intelligeremus hunc eumdem esse qui Joannem occidit et qui Christo malè volebat, diversum ab eo sub quo fugit Dominus. Siquidem illi miserè exstincto successit Archelaus filius, qui post decem annos regno depulso successit frater Herodes junior, cujus hìc mentio, regno jam in tetrarchias diviso, inter hunc, Philippum et Lysaniam. Sic refert Eusebius in ecclesiasticâ Historiâ, libro primo, capite 8, 9 et 10. ET CUSTODIEBAT, id est, *conservabat,* vel magis *observabat.* Id quod indicant ea quæ mox subsequuntur.

VERS. 21. — HERODES NATALIS SUI... Græcè, *cùm Herodes natalitiis suis cœnam faceret,* sive *in natalitiis suis convivium exhiberet.* PRINCIPIBUS, μεγιστᾶσι, *primatibus* sive *primoribus.* Quo verbo usus est et Suetonius in Caligulâ Cæsare, *Regem etiam regum et exercitatione venandi et convictu* megistanum *abstinuisse.* ET TRIBUNIS. Græcè sonat eos qui millenis præfecti sint, ut *militum tribunos* intelligas.

VERS. 22. — FILIA IPSIUS HERODIADIS. Sermo Græcus habet amphibologiam. Potest enim et hic accipi sensus : *Cùm esset ingressa filia ipsa Herodiadis;* id quod per se liquebit Græca legenti.

VERS. 23. — LICET DIMIDIUM, *usque ad dimidium.*

VERS. 26. — ET CONTRISTATUS EST REX. Græca sic habent : *Et dolore affectus rex, propter jusjurandum, et eos qui simul accumbebant, noluit eam rejicere* sive *spernere.* Quanquàm ex Matthæo liquet, post, *rex,* hypostigmen apponendam esse, ut intelligas eum non contristatum propter jusjurandum, sed propter jusjurandum ac propter simul accumbentes noluisse frustrari puellam, cùm Joannem vellet incolumem. Nec est hoc loco. NOLUIT EAM CONTRISTARE. Quemadmodùm in Matthæo λυπεῖσθαι, sed ἀθετῆσαι, id est, *rejicere* sive *repellere,* quod miror cur Laurentius vertendum putârit *fraudare* aut *frustrari.*

VERS. 27. — MISSO SPICULATORE, ἀποστείλας σπεκουλάτορα. Evangelista Latinam usurpavit vocem, mutatâ vocali cùm prima *spiculatoris* sit longa. Ac mox, ubi Vulg. habet CAPUT, Græcè est *cadaver.*

VERS. 30. — QUÆ EGERANT ET DOCUERANT. Græcus sermo geminat conjunctionem, *et quæ egissent, et quæ docuissent.*

VERS. 31. — VENITE SEORSUM. Græcè : *Venite vos*

catores ad prælatum referre et quæ egerint et quæ docuerint.

VERS. 31.—REQUIESCIT EPUSILLUM, etc. Providet pius ac prudens magister discipulis de aliquantulâ quiete, instruens prælatos quid agere debeant cum ministris suis.

VERS. 32. — ET ASCENDENTES IN NAVIM ABIERUNT. In Græco non habentur hæ tres dictiones, *ascendentes in navim*, nec habetur *abierunt*, sed, *abiit*. Ita legendum est : *Et abiit;* significatur enim de Jesu quòd abiit IN DESERTUM LOCUM ; deest *navi*, SEORSUM. Significatur quòd Jesus abiit naviculâ in locum desertum, qui erat in territorio civitatis Bethsaidæ, ut Lucas dicit.

VERS. 33. — ET COGNOVERUNT ; deest *eum*, scilicet, Jesum ; CUCURRERUNT ILLUC, pro, *concurrunt ;* ET PRÆVENERUNT EOS, pro *convenerunt ad illum;* ubi patet quòd non significatur istos concurrentes ad Jesum, prævenisse descensum Jesu de naviculâ, sed quòd convenerunt ad Jesum jam existentem in deserto.

VERS. 34. — ET EXIENS, de secretiore loco in quo erat, unde et Lucas dicit quòd excepit eos. Significatur enim quòd Jesus, quamvis sequestraverit se et suos discipulos à turbis, videns tamen tot ad se concurrisse in desertum, non divertit ab eis, sed exivit ad eos, sed excepit eos. SICUT OVES NON HABENTES PASTOREM. Magna indigentia significatur per hanc similitudinem : oves enim valdè egent pastore.

VERS. 35. — ET CUM JAM HORA MULTA FIERET, pro, *facta esset.* Significatur enim tarda diei hora ad quam protractus fuerat sermo doctrinæ. JAM HORA PRÆTERIIT ; deest, *multa.*

VERS. 36. — IN PROXIMAS, pro, *circumjacentes*, VILLAS ET VICOS, EMANT SIBI CIBOS, pro, *panes*, QUOS MANDUCENT, pro, *quod enim manducent non habent.* Rationem enim reddunt suæ sollicitudinis.

VERS. 37. — ET RESPONDENS AIT ILLIS : DATE ILLIS MANDUCARE. Præcepit hoc sciens futuram executionem quam discipuli impossibilem reputabant. ET DIXERUNT EI : EUNTES EMAMUS DUCENTIS DENARIIS PANES ; ET DABIMUS, pro, *demus*, ILLIS MANDUCARE. Responsio hæc discipulorum legenda est interrogativè : non ad significandum interrogationem, sed impossibilitatem ; consueto enim modo loquendi significant non habere modum providendi tantæ turbæ quia carent tantâ pecuniâ ; cùm tamen debuissent exhibere se promptos ad exequendum jussa, supplicando ut Jesus provideret.

VERS. 39. — SECUNDUM CONTUBERNIA. In Græco habetur, *convivia convivia.* Et significatur, *per diversa convivia.* SUPER VIRIDE FOENUM, pro, super viridem herbam.

VERS. 40. — ET DISCUBUERUNT IN PARTES. In Græco habitur *areolæ areolæ.* Et significatur *per diversas areolas.* PER CENTENOS ET QUINQUAGENOS. Ordinem discumbentium describit Marcus tripliciter scilicet à disjunctione locorum per diversas areolas, hoc est diversas partes prati disjunctas propriis sulcis, quemadmodùm areolæ hortorum distinguuntur, et à diversitate conviviorum ; hoc est quòd erant distincti velut per diversas mensas, et demùm à diversitate numeri ; hoc est, quòd aliquæ areolæ erant capaces centum, et aliquæ capaces quinquaginta, vel potiùs quòd aliquod convivium erat centum et aliquod quinquaginta. Et descripsit hæc evangelista ut cognoscamus coram Jesu non fuisse confusam comestionem, sed ordinatè dispositos sedentes ac quiescentes omnes comedisse.

VERS. 41. — INTUENS IN COELUM, ut omnes viderent à Deo fieri miraculum ; ut exterioribus artibus testaretur se omnia à Deo habere et recognoscere, et simul intuentium animos ad Deum provocaret. FREGIT PANES. Propriis manibus meliùs scindendo quàm gladio. Et frangendo multiplicabat, et hoc ad evidentiam miraculi. Unde etiam et pisces ipsos ipsemet divisit.

VERS. 43. — ET SUSTULERUNT RELIQUIAS. Superfluit *reliquias.* FRAGMENTORUM DUODECIM COPHINOS PLENOS, ET DE PISCIBUS. Ad cumulum testimonii patrati miraculi voluit Jesus tot cophinos fragmentorum superesse.

VERS. 44. — ERANT AUTEM QUI MANDUCAVERANT ; deest, *ferè*, QUINQUE MILLIA VIRORUM. Adverbium *ferè* ad numerum quinque millium refertur.

ipsi seorsùm, id est, *soli*, hoc est, dimissis cæteris ; quemadmodùm καθ' ἑαυτὸν esse dicitur, qui solus est et absque arbitris.

VERS. 33. — ET VIDERUNT EOS ABEUNTES. Græcè est : *Et viderunt eos abeuntes turbæ, et agnoverunt eum ;* ut prius pronomen ad omnes communiter pertineat, posterius ad Christum solum.

VERS. 35. — ET CUM JAM HORA MULTA FIERET. Græci sermonis sensus est : *Cùm jam admodùm tempestivum esset sumere cibum.* Nam ex aliis evangelistis apparet jam diei vesperum appetisse.

VERS. 36. — IN PROXIMAS VILLAS, *in circumjacentes agros.* Et quoniam ex agris nihil emitur, nisi villæ sint, vertit *villas.* Nam *villæ* domus sunt in agro. EMANT SIBI CIBOS, *emant sibi ipsis panes.* Nam Hebræi omne edulium *panis* nomine complectuntur. QUOS MANDUCENT. Pro hoc Græcè est : *Nam quid edant non habent.* Etiam τί novè positum est.

VERS. 37. — DATE ILLIS MANDUCARE. Græci addunt *vos :* atque ita habent antiqui codices Latini : *Date illis manducare vos.* ET DABIMUS, Græcè, *demus.*

VERS. 39. — SECUNDUM CONTUBERNIA. Græcè, id est, *convivia convivia*, hoc est, *distributis conviviis*, ut ante dixit, *duos duos.* Laurentius mallet *manipulatim.* SUPER VIRIDE FOENUM, *in viridi herbâ.*

VERS. 40. — ET DISCUBUERUNT IN PARTES. Græcè, *Et discubuerunt prasiæ prasiæ.* Dicuntur autem *prasiæ* herbaria, cujusmodi sunt areolæ hortum : πράσιον enim *viride.* Cæterùm et hoc *prasiæ prasiæ*, et illud *convivia, convivia*, dictum est juxta proprietatem sermonis Hebraici. Ad quam formam multa annotavit divus Augustinus in libris quos scripsit de Tropis veteris Instrumenti, velut illud : *Decima decima agno uni septem agnis.* Et *mille ex tribu et mille ex tribu*, pro eo quod est, ex singulis tribubus millenos. PER CENTOS ET QUINQUAGENOS, ad verbum, *per centum et per quinquaginta.* Ut intelligas loca fuisse distincta sulco, aut simili intervallo ; et pro magnitudine in aliis accubuisse centenos, in aliis quinquagenos.

VERS. 41. — INTUENS IN COELUM, *suspiciens* sive *sublatis oculis.*

VERS. 43. — ET SUSTULERUNT RELIQUIAS. Græcè : *Et sustulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos.* Genitivus referri potest vel ad *plenos* vel ad *cophinos.*

VERS. 45. — ET STATIM COEGIT, idem verbum quod

VERS. 45. — ET STATIM COEGIT DISCIPULOS SUOS. Inviti enim discipuli recedebant ab eo; quibus tamen cavebat à consortio nocturno tot mulierum postquàm saturata erat turba. ASCENDERE NAVIM UT PRÆCEDERENT SE TRANS FRETUM AD BETHSAIDAM. Erat enim aliquanta distantia à deserto Bethsaidæ ad ipsam Bethsaidam, versùs quam jubet discipulos ire. POPULUM, pro, *turbam.*

VERS. 46. — ET CUM DIMISISSET EOS. Græca dictio non significat simplicem dimissionem, sed dimissionem benignam quâ amicis recedentibus quasi vale dicimus. Significat enim quòd Jesus more celebrantium convivia benevolè eos emisit, in quo maxima Jesu comitas etiam ad rusticos commendatur. ABIIT IN MONTEM ORARE, pro, *ut oraret.* Verum hominem se monstrat orando; exemplumque aliis præbet post prædicationem, mentem ad Deum levandi.

VERS. 47. — ET CUM SERO ESSET, pro, *factum esset;* unde significatur quòd ante solis occasum dimisit Jesus turbam. ERAT NAVIS IN MEDIO MARI. Non significatur medium per æquidistantiam à ripis, sed profundum mare; erant enim 25 seu 30 stadiis longè à terrâ apud Joannem.

VERS. 48. — ET VIDENS EOS LABORANTES. Nisi visionem corporalem significaret Evangelista, non dixisset, quòd ipse erat in terrâ videns eos laborantes; quoniam intuitu divino videbat non solùm eos, sed universa quæ fiunt in cœlo et in terrâ. Nec obstat quòd nox esset, quoniam etiam nocte in monte existentes videmus naviculas in mari propè laborantes. IN REMIGANDO. Dictio græca non speciem remigationis, sed genus significat commune remigationi et actioni quâ agimus naves et currus; verùm interpres quia Joannes explicat cùm remigâssent stadia quasi 25, ideò speciem expressit. ET VOLEBAT PRÆTERIRE EOS, hoc est, disposuit gressus suos ad similitudinem volentis præterire; talem enim exhibebat se in ambulatione qualis apud eos erat in mente, scilicet non fixus, non firmâ fide.

VERS. 49. — PUTAVERUNT PHANTASMA ESSE; ET EXCLAMAVERUNT, timentes à phantasmate. ET ASCENDIT AD ILLOS IN NAVIM; ET CESSAVIT VENTUS. Omittit hìc Marcus verba et gesta inter Jesum et Petrum.

VERS. 52. — NON ENIM INTELLEXERUNT DE PANIBUS; ERAT ENIM COR EORUM OBCÆCATUM. Nota etiam in Christi discipulis post tot miracula visa, adhuc obcæcatum cor; et disce divinæ gratiæ tribuere donum fidei, non visioni miraculorum.

VERS. 53. — ET CUM TRANSFRETASSENT, VENERUNT IN TERRAM GENEZARETH. Hinc apparet terram Genezareth communem esse Bethsaidæ et Capharnaum; qui apud Joannem venerunt, non versùs Bethsaidam præceperat Jesus ut irent.

VERS. 54. — ET APPLICUERUNT; deest, *in portum.* COGNOVERUNT EUM, pro, *agnoverunt eum.* Significatur enim quòd incolæ recognoverunt eum, utpotè priùs eis notum.

VERS. 55. — ET PERCURRENTES UNIVERSAM; deest, *circumjacentem,* REGIONEM ILLAM. Non sufficit incolis agnoscentibus Jesum propria consolatio: sed per universam regionem discurrunt annuntiando quòd Jesus qui facit miracula adest. COEPERUNT IN GRABATIS EOS QUI SE MALE HABEBANT CIRCUMFERRE. Non solùm annuntiant, sed inchoant circumferre ægrotos in grabatis, ad provocandum alios tum ad continuandum cœptas lationes, tum ad inchoandum aliorum lationes ægrorum. UBI AUDIEBANT EUM ESSE. Non manebat Jesus in uno loco, sed per regionem discurrebat. Et propterea circumferebantur in grabatis ægroti ut ante eum locarentur.

VERS. 56. — DEPRECABANTUR EUM UT VEL FIMBRIAM VESTIMENTI EJUS TANGERENT. Opus erat prece quoniam decumbentes in lectulis, non valebant attingere ad Jesum, nisi substitisset aut appropinquâsset ad eos, vel è converso. ET QUOTQUOT TANGEBANT EUM, SALVI FIEBANT. Quamvis tangerent non carnem, sed vestimentum Jesu, evangelista tamen describens rationem miraculi, dicit quòd tangebant eum; ipse enim erat (non vestis ejus) sanitatem donans, mediante tactu suæ vestis. Et considera hìc quantam multitudinem curatorum evangelista simul significat.

in Matthæo verterat *jussit,* sed perperam: nam Græcè plus est quàm *jussit,* sed *coegit, compulit,* ut intelligamus eos invitos à Præceptore discessisse, quem sic amabant ut nec punctum temporis possent abesse, quemadmodùm annotavit et divus Hieronymus, qui in Matthæo legit, *compulit,* non jussit. Annotavit idem Theophylactus et his omnibus antiquior Origenes. Offendit aliquam ineptè misericordem vox *compellendi* durior. Atqui non *coegit* Dominus, nisi jubendo. Verùm ea vox dura commendat nobis et amorem discipulorum erga Dominum et obedientiam. Cùm enim illis dulcissimum esset semper adesse Præceptori, tamen quod jubentur faciunt, non responsantes, secùs quàm vulgus discipulorum solet, qui et libenter absunt ab oculis magistri, et si quid imperatur adversum affectibus ipsorum, excusant responsantque.

VERS. 46. — ET CUM DIMISISSET EOS. Non est idem verbum, quod paulò superiùs ἕως ἀπολύσῃ, verùm aliud, quod non significat simpliciter *dimittere*, sed, *dimittere dicto vale ac mandatis quæ volueris mandare;* quemadmodùm solemus *dimittere* notos et amicos. Eamdem vocem in Actis, capite 18, vertit *valefaciens.* Similiter 2 Corinthiorum 11, Græca vox sonat, quasi dicas *amandare.*

VERS. 48. — ET VIDIT EOS LABORANTES. In Matthæo vertit *vexatos*, aliàs *jactatos.* IN REMIGANDO, ἐν τῷ ἐλαύνειν, quod significat *agere* ac *regere* vel navem, vel equum, vel currum, vel simile quippiam. Nam *remigare* Græcis ἐρέσσειν dicitur; ἐλαύνειν generale verbum est.

VERS. 51. — ET PLUS MAGIS, *valdè ex abundanti*, sive, *valdè supra modum.* Rursùs hic est ἐξίσταντο, quod vehementem significat admirationem, ut homo præ admiratione non sit apud se; et tamen in Græcis codicibus additur καὶ ἐθαύμαζον, *et admirantur;* velut interpretur evangelista quid dixisset ἐξιστᾶναι, quod tamen haud scio an casu sit adjectum.

VERS. 54. — ET COGNOVERUNT EUM. Addunt Græci, *viri loci;* quanquàm id in plerisque codicibus non invenitur.

VERS. 55. — UBI AUDIEBANT ESSE. *Simul atque audissent quòd illic esset*, ut intelligas eos qui agnoverant Jesum renuntiare cæteris illum adesse.

VERS. 56. — IN PLATEIS, *in foris;* quanquàm et *platea* via fusior ac laxior, *forum* esse potest.

CAPUT VII.

1. Et conveniunt ad eum Pharisæi, et quidam de scribis venientes ab Jerosolymis.

2. Et cùm vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt.

3. Pharisæi enim, et omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum.

4. Et à foro, nisi baptizentur, non comedunt; et alia multa sunt, quæ tradita sunt, illis servare baptismata calicum et urceorum,et æramentorum et lectorum.

5. Et interrogabant eum Pharisæi et scribæ : Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem ?

6. At ille respondens, dixit eis : Benè prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

7. In vanum autem me colunt docentes doctrinas et præcepta hominum.

8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum, et alia similia his facitis multa.

9. Et dicebat illis : Benè irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.

10. Moyses enim dixit : Honora patrem tuum et matrem tuam. Et : Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

11. Vos autem dicitis : Si dixerit homo patri aut matri, Corban (quod est, donum), quodcumque ex me tibi profuerit.

12. Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri :

13. Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis : et similia hujusmodi multa facitis.

14. Et advocans iterùm turbam, dicebat illis : Audite me, omnes, et intelligite.

15. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare : sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem.

16. Si quis habet aures audiendi, audiat.

17. Et cùm introisset in domum à turbâ, interrogabant eum discipuli ejus parabolam.

18. Et ait illis : Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecùs introiens in hominem, non potest eum communicare :

19. Quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas?

20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.

21. Ab intùs enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,

22. Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.

23. Omnia hæc mala ab intùs procedunt, et communicant hominem.

CHAPITRE VII.

1. Et des Pharisiens et quelques-uns des scribes, qui étaient venus de Jérusalem, s'assemblèrent auprès de Jésus.

2. Et ayant vu quelques-uns de ses disciples prendre leur repas avec des mains impures, c'est-à-dire, sans les avoir lavées, ils les en blâmèrent;

3. Car les Pharisiens et tous les Juifs ne mangent point qu'ils ne lavent souvent leurs mains, gardant en cela la tradition des anciens.

4. Et lorsqu'ils reviennent de la place publique, ils ne mangent point sans être baptisés. Et ils ont encore beaucoup d'autres coutumes qu'ils ont reçues et qu'ils observent, comme de baptiser les coupes, les pots, les vaisseaux d'airain et les lits.

5. C'est pourquoi les Pharisiens et les scribes lui demandèrent : D'où vient que vos disciples ne suivent pas la tradition des anciens, mais qu'ils prennent leur repas avec des mains impures?

6. Il leur répondit : Isaïe a bien prophétisé de vous, hypocrites, selon ce qui est écrit : Ce peuple m'honore des lèvres, mais leur cœur est bien éloigné de moi.

7. Et c'est en vain qu'ils m'honorent, puisqu'ils enseignent des maximes et des ordonnances humaines.

8. Car, laissant là le commandement de Dieu, vous observez avec soin la tradition des hommes, le baptême des pots et des coupes, et vous faites beaucoup d'autres choses semblables.

9. Et il leur disait : N'êtes-vous donc pas des gens bien religieux, d'anéantir le commandement de Dieu, pour garder votre tradition?

10. Car Moïse a dit : Honorez votre père et votre mère; et : Que celui qui dira des paroles outrageuses à son père ou à sa mère, soit puni de mort.

11. Vous, au contraire, vous dites : Si un homme dit à son père ou à sa mere, soit Corban (c'est-à-dire offrande) tout profit qui vous viendra de moi,

12. En ce cas, vous ne lui permettrez plus de rien faire pour assister son père ou sa mère.

13. Et ainsi vous rendez inutile le commandement de Dieu par votre tradition, que vous-mêmes avez établie. Et vous faites encore beaucoup d'autres choses semblables.

14. Alors ayant appelé de nouveau le peuple, il leur dit : Ecoutez-moi tous, et comprenez bien ceci.

15. Rien de ce qui est hors de l'homme et qui entre dans l'homme ne peut le souiller, mais ce qui sort de l'homme est ce qui le souille.

16. Si quelqu'un a des oreilles pour entendre, qu'il entende.

17. Après qu'il eut quitté le peuple, et qu'il fut entré dans la maison, ses disciples lui demandèrent le sens de cette parabole.

18. Il leur dit : Quoi! vous avez encore vous-mêmes si peu d'intelligence? Ne comprenez-vous pas que tout ce qui du dehors entre dans l'homme ne peut le souiller?

19. Parce que cela n'entre pas dans son cœur, mais dans ses entrailles; d'où ce qui est impur dans tous les aliments est jeté dans le lieu secret?

20. Mais ce qui souille l'homme, leur disait-il, c'est ce qui sort de l'homme même.

21. Car c'est du dedans et du cœur des hommes que sortent les mauvaises pensées, les adultères, les fornications, les homicides,

22. Les larcins, l'avarice, les méchancetés, la fourberie, les impudicités, l'œil malin, le blasphème, l'orgueil, la folie.

23. Tous ces maux viennent du dedans, et souillent l'homme.

24. Et inde surgens abiit in fines Tyri et Sidonis; et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere.

25. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes ejus.

26. Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere, et rogabat eum, ut dæmonium ejiceret de filiâ ejus.

27. Qui dixit illi : Sine priùs saturari filios : non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.

28. At illa respondit, et dixit illi : Utique, Domine : nam et catelli comedunt sub mensâ de micis puerorum.

29. Et ait illi : Propter hunc sermonem vade : exiit dæmonium à filiâ tuâ.

30. Et cùm abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, et dæmonium exiisse.

31. Et iterùm exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33. Et apprehendens eum de turbâ seorsùm, misit digitos suos in auriculas ejus, ex exspuens, tetigit linguam ejus.

34. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi : Ephpheta, quod est, adaperire.

35. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur rectè.

36. Et præcepit illis, ne cui dicerent : quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant.

37. Et eò ampliùs admirabantur, dicentes : Benè omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.

24. Il partit ensuite de ce lieu, et s'en alla sur les confins de Tyr et de Sidon. Et étant entré dans une maison, il voulait que personne ne le sût; mais il ne put demeurer caché.

25. Car une femme dont la fille était possédée d'un esprit impur, ayant entendu dire qu'il était là, vint aussitôt se jeter à ses pieds.

26. Or cette femme était païenne et Syrophénicienne de nation. Et elle le suppliait de chasser le démon de sa fille.

27. Jésus lui dit : Laissez premièrement rassasier les enfants, car il n'est pas juste de prendre le pain des enfants pour le jeter aux chiens.

28. Elle lui répondit : Il est vrai, Seigneur; mais aussi les petits chiens mangent sous la table les miettes des enfants.

29. Alors il lui dit : Allez; à cause de cette parole, le démon est sorti de votre fille.

30. Et s'en étant allée dans sa maison, elle trouva que le démon était sorti de sa fille, et qu'elle était couchée sur son lit.

31. Jésus quittant ensuite les confins de Tyr vint par Sidon vers la mer de Galilée, passant au milieu du pays de la Décapole.

32. On lui amena alors un homme qui était sourd et muet, et on le priait de lui imposer les mains.

33. Jésus donc, le tirant à l'écart hors de la foule, lui mit ses doigts dans les oreilles et de sa salive sur la langue.

34. Puis, levant les yeux au ciel, il jeta un soupir, et lui dit : Ephphéta, (c'est-à-dire) ouvrez-vous.

35. Aussitôt ses oreilles furent ouvertes, sa langue fut déliée, et il parlait fort distinctement.

36. Et il leur défendit de le dire à personne; mais plus il le leur défendait, plus ils le publiaient.

37. Et l'admirant de plus en plus, ils disaient : Il a bien fait toutes choses, il a fait entendre les sourds et parler les muets.

COMMENTARIA.

VERS. 2. — COMMUNIBUS MANIBUS, id est, non lotis. VITUPERAVERUNT, pro, *incusaverunt*; significatur enim quòd reprehenderunt.

VERS. 5. — ET INTERROGABANT, pro, *deinde interrogant*, EUM, proculdubio arguendo.

VERS. 6. — HYPOCRITIS. Hinc apparet quòd non

VERS. 2. — VITUPERAVERUNT, *accusârunt*, sive *incusabant*, sive *questi sunt*.

VERS. 3. — NISI CREBRO LAVERINT MANUS. Theophylactus interpretatur πυγμῇ, ut sit adverbium, pro eo quod est, *usque ad cubitum*, sive, ut quidam interpretatus est, *cubitaliter*, quod ex instituto Pharisæorum soliti sint ante cibum lavare manus usque ad cubitum, id quod lex non præcipit. Equidem reperio apud Græcos etymologistas πυγμὴν significare duo, *pugnum*, hoc est, manum complicatam, à verbo πτύσσω, quod est *plico*, unde πυγμὴ, quasi dicas πτυγμὴ, et *cubitum*, quem Græci πῆχυν vocant : nam hâc parte brachium est complicatile. Hinc et Pygmæos populos appellari putant, quorum meminit Homerus, quòd cubitali sint proceritate. Verùm non reperio πυγμῇ apud Græcos usurpatum adverbii loco, et haud scio an à substantiæ vocibus similia veniant, quemadmodùm à πᾶς πάντη, ἔρημος ab ἐρήμη. Quod si maximè fieret, tamen magis quadrabat πυγμῆθεν, id est, *à cubito* sive *cubito tenùs*, quàm πυγμῇ. Ad hæc nihil video causæ, cur hæc fabula de lotione cubitali hùc accersatur. Nam si constaret hoc à lege præscriptum, ne quis caperet cibum nisi lotis manibus, probabiliter videri poterat inducta cubitalis lotio. Tum enim adderetur aliquid legis præscripto. Tunc tale nihil à lege præcipi testatur Dominus, dicens, *non lotis manibus manducare non coinquinat hominem*. Unde probabile est, in vestutioribus codicibus scriptum fuisse, non πυγμῇ, sed πυκνῶς, aut πυκνὰ, aut πυκνῇ, quod sonat *frequenter*, aut *crebrò*, sive *subinde*. Verùm hoc eruditis expendendum relinquo.

VERS. 4. — ET A FORO VENIENTES. *Venientes* tametsi non malè, tamen non est in Græcis codicibus nec in Vulg. Et *à foro* idem nomen est quod modò vertit *plateam*. QUÆ TRADITA SUNT ILLIS. Sensus omninò convenit, tamen Græcè est, *quæ acceperunt servanda*, sive, ut nonnulli codices habent, sive *tenenda*. Verùm quoniam verbum Græcum videtur esse *ab alio traditum accipere*, idcircò interpres conatus est explanatiùs efferre sententiam. BAPTISMATA. Miror cur interpretes maluerit dicere Græcè quàm Latinè, *lotiones*, sive *ablutiones*, cùm hìc de vulgari lotione sit mentio. ET URCEORUM; apparet intelligenda esse lignea, quod subjecit *æramentorum* : ξεστὰ autem dixit, quod torno poliantur, aut quòd sculpturis ornata sint, quòd poculorum genus et hodiè reperitur apud Helvetios. Cæterùm *lectos* appellat *spondas*, in quibus dormitur.

ex ignorantiâ errabant, sed quòd sub specie religionis docebant quæ in sacerdotum redundabant utilitatem, quamvis impia essent secundùm rem.

VERS. 7. — DOCENTES DOCTRINAS ET PRÆCEPTA HOMINUM. Superfluit conjunctio, *et* significatur siquidem quòd doctrinæ eorum sunt præcepta hominum; appositivè enim legendum est. Quia Lutherani ex hoc textu exauctorant Ecclesiam, et super hunc textum fundant nullitatem mandatorum Ecclesiæ; utpote reprobatorum ab utroque testamento : veteri scilicet apud Isaiam, et novo hìc à Domino Jesu, ideò diligentiùs textum hunc discutere oportet ut illius veritas non commentum elucescat. Neuter textus damnat mandata hominum, sed uterque reprobat cultum seu timorem Dei sustentari mandatis doctrinisque hominum. Et textus quidem Isaiæ, clarè hoc sonat dicendo in personâ Dei : *Timuerunt me mandato hominum et doctrinis;* ubi clarè vides Deum damnare quòd Judæi timuerunt ipsum, non in mandatis Dei, sed in mandatis hominum, nòn in doctrinâ Dei, sed in doctrinis hominum. Si enim timuissent ipsum servando mandata Dei et hominum, doctrinam Dei et hominum, non reprehenderentur cùm servare non solùm Dei, sed etiam hominum mandata sit amplioris justitiæ; sed ex hoc ipso quòd damnat timorem suî in mandatis doctrinâque hominum, monstrat quòd illi timorem Dei constituerunt in mandatis hominum, et similiter in doctrinâ hominum. Quod intellige non quòd explicitè contemnerent doctrinam et mandata Dei, sed quia tanto studio circa observationem mandatorum humanorum solliciti erant tanquàm timor Dei consisteret in observatione humanorum præceptorum; redundabat siquidem studium hoc in postergationem divinorum mandatorum. Textus quoque evangelicus eamdem continet sententiam, dicendo : *Colunt me docentes mandata hominum.* Non dicit, sine causâ, *colunt me et docent mandata hominum,* dividendo orationes; sed unam continuam construit orationem, adjungendo participium *docentes mandata.* Significat enim per hoc quòd cultum Dei constituerunt in doctrinâ mandatorum humanorum, etc. Et est illamet sententia quæ in textu Isaiæ habetur. Vide, quæso, prudens lector quanta differentia est inter damnare mandata hominum et damnare sustentationem timoris seu cultûs Dei in mandatis hominum; et percipe quantus error est ex textibus istis damnare mandata hominum. Non sunt à Domino damnata mandata hominum quæ malum non mandant; sed damnatum est quòd ipsa in loco illo qui mandatis Dei est propriùs habeantur, quòd circa ipsa tantum studium sit ac si in ipsis timor cultusque sustentaretur, quòd studium debitum servandis mandatis Dei adhibeatur humanis; quòd secundùm veritatem facti est humana mandata divinis præferre; hoc est enim colere Deum docendo mandata hominum. Venerare igitur, Lutherane, Ecclesiæ mandata, non ut divina; sed secundo loco, scilicet post divina, quoniam sic oportet nos implere omnem justitiam.

VERS. 9. — BENÈ IRRITUM FECISTIS, pro, *rejicitis,* PRÆCEPTUM DEI UT TRADITIONEM VESTRA SERVETIS. — VERS. 10. — MOYSES ENIM DIXIT. Nota idem appellari à Jesu præceptum Dei et dictum Moysi; ut hinc intelligamus dicta Moysi esse dicta Dei.

VERS. 11. — VOS AUTEM DICITIS : SI DIXERIT HOMO PATRI VEL MATRI CORBAN (QUOD EST DONUM) QUODCUMQUE EX ME, TIBI PRODERIT. Aiunt corban non quodcumque donum, sed Deo dicatum significare. — VERS. 12. — ET ULTRA NON DIMITTITIS EUM QUIDQUAM FACERE PATRI SUO AUT MATRI. Sententia tamen horum verborum non tam clara est apud Matthæum : quoniam illìc dicitur : *Et non honorificabit patrem suum aut matrem suum;* hìc verò dicitur : *Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri suæ.* Significatur enim hìc quòd tollendo materiam debitam à filio patri aut matri, non relinquebant filio unde subveniret patri aut matri. Sensus est : Quidquid ego offero Deo, quamvis tibi patri egenti non tribuam, proderit tibi. Ad evidentiam hujus particulæ adverte quòd aliud est loqui de religione et pietate, et aliud est loqui de usu materiæ illius quæ non potest simul esse materia religionis et pietatis in casu necessariæ pietatis; nam si religio pietati comparetur, constat religionem esse anteponendam pietati, quantò honor divinus præferendus est cuicumque debito humano. Et in hoc fundamento non errabant Pharisæi, imò hoc frequenter Jesus docuit, dùm patrem et matrem relinquendos propter Deum prædicavit. Si verò ad usum materiæ in articulo necessariæ pietatis spectetur, invenitur oppositum; scilicet quòd materia necessaria pietati, non solùm pietati potiùs quàm religioni applicari debet, etiam si voto dedicata sit Deo, debet in materiâ pietatis transferri. Et hoc consurgit ex parte materiæ, quæ in tali casu est effecta materia debita pietati. Declaro exemplariter singula : Filius tenetur subvenire patri indigenti; ac per hoc bona filii constituuntur debita necessariæ pietati; et pro-

VERS. 5. — ET INTERROGABANT, *deinde interrogant.*

VERS. 6. — BENE PROPHETAVIT ISAIAS DE VOBIS HYPOCRITIS, SICUT SCRIPTUM EST. Cùm Græca congruant, tamen quod scio quo casu ita scriptum comperi in aureo codice; *benè prophetavit de vobis Isaias, dicens.*

VERS. 7. — DOCTRINAS ET PRÆCEPTA. *Et* conjunctio tollenda, id est, *doctrinas mandata,* per appositionem, ut legatur, *doctrinas quæ sunt mandata hominum;* atque ita comperi in vetustissimis Latinis exemplaribus. Vera lectio superest adhuc in codice Constantiensi.

VERS. 8. — MANDATA DEI, *mandatum*, ut est in Vulg., quemadmodùm et *traditionem.* Proponit enim Dominus exemplum in uno præcepto et unâ traditione.

VERS. 9. — IRRITUM FECISTIS, *irritum facitis.* Consentientibus et antiquis codicibus nostris, atque in his aureo; quanquàm potiùs erat, *rejicitis*, quemadmodùm et Cyprianus legit.

VERS. 11. — SI DIXERIT HOMO. Hic explicat quod obscurius erat in Matthæo, his verbis à Pharisæis instrui quosdam ut parentibus desertis pecuniam conferant in donaria templi. Quanquàm sermo videtur parùm absolutus, sed subaudiendum, *satis est*, aut simile quippiam.

pterea si filius est impotens ad utrumque simul; scilicet ad munus Deo offerendum et ad subveniendum patri, omittenda est oblatio, et subveniendum est patri; quia non est facienda oblatio Deo de debitis, de necessariis ad pietatem. Et similiter si filius vovisset illa bona Deo, debet, superveniente necessitate paternâ, subvenire patri et omittere executionem voti: quia materia illa ex eo quòd devenit ad statum quo est necessaria patri, mutata est, et effecta est debita paternæ pietati; ac per hoc sicut modò non posset voto obligari ita ex hoc desinit esse materia voti. Sicut abstinentia à concubitu habentis votum castitatis et postea effecti conjugis desinit esse materia voti ex hoc quòd mutata est; et concubitus effectus est materia justitiæ quâ tenetur reddere debitum conjugi. Pharisæi itaque errabant, nescientes aut nolentes discernere id quod religionis est ab eo quod ex parte materiæ relatæ ad humanas necessitates consurgit. Et propterea docebant ut filii dicerent parentibus: *Munus quodcumque ego obtulero Deo, omisso te, proderit tibi;* quia datur Deo patri communi, quia Deus acceptat munus etiam pro te. Si non quiescit mens tua, lector, recole quòd ex hâc eâdem radice Dominus Jesus dixit panes propositionis, non voto promissos, sed jam oblatos Deo, et facto oblationis sanctificatos, licitè transisse in usus Davidis et suorum, quia panes illi relati ad necessitatem Davidis et suorum, effecti sunt habiles ad laicorum usum. Horum autem et similium ratio est una, scilicet quòd divinæ ordo gratiæ superadjunctus est à Deo non ad destruendum, sed perficiendum naturæ ordinem; ac per hoc necessitas servandi sanctificationem appositam rebus, locis ac temporibus, non tollit necessarium naturæ vinculum, quo res et loca et tempora necessaria sunt vitæ humanæ; hinc enim fit ut eveniente articulo necessitatis absque profanationis crimine utamur divinis rebus, locis et temporibus. In præcepto de parentum honore, non sola reverentia sed officia ac subsidia præcipiuntur. Quod quantùm ad subventionem intellige tempore indigentiæ: quoniam naturaliter pater filiis thesaurizat, etnon è converso.

Vers. 13. — Rescindentes, pro, *abrogantes.* Et similia hujusmodi multa facitis. Hinc habes quòd non in hoc solo errabant.

Vers 15. — Nihil est extra hominem introiens in eum, etc. Sensus dictorum ex ratione dicendi hauriendus est. Ratio dicendi in proposito est crebra manuum ablutio pro cibo præcepta à senioribus; præ se fert autem tanta circa hujusmodi munditiam sollicitudo, quod nisi sic mundè sumatur cibus inquinat hominem; alioquin vana esset tanta sollicitudo munditiæ ad sumptionem cibi. Contra hoc directè tendunt verba Jesu, dicendo quòd cibus intrans per os, non est inquinativus moraliter hominis. (Vide Origenem in Matth.) Non dicit appetitus ejus quod intrat per os; quia appetitus culpabilis potest esse. Et breviter nihil morale adjunctum cibo explicat, sed nudum cibum nudumque naturæ officium, dicendo in genere non quod intrat per os. Per hoc enim excluditur objectio de cibis vetitis à lege Moysi; nam et de illis quoque verum est quod secundùm substantiam quâ intrant per os, non coinquinant morali maculâ hominem; sed ratione inobedientiæ adjunctæ inquinabant hominem.

Vers. 19. — In ventrem abit, et in secessum exit. Tam parùm alimenti convertitur in substantiam hominis ut dicat Hippocrates, quantitatem secum debere esse æqualem quantitati alimenti in corpore sano. Cùm igitur modicum pro nihilo reputetur, absque veritatis læsione dici potest quòd totus cibus in ventrem vadit et in secessum emittitur. Et tamen Jesus non dicit totum, sed omne; distribuens pro partibus subjectivis, et non pro partibus integralibus ut distribuit totum. Constat enim quòd quilibet cibus et potus in secessum emittitur, quamvis non secundùm totum, tamen secundùm aliquid. Et dixit hoc ad declarandum quòd intrans per os non inquinat hominem. Declarat enim per hæc quò tendit cibus, scilicet in ventrem et secessum, et non in animum hominis, ut possit inquinare illum. Sciebat Jesus aliquid cibi converti in corpus hominis; et poterat dicere quòd intrans per os, secundùm aliquid purissimum pergit ad corpus, et secundùm reliqua emittitur in secessum. Sed consultò tacitâ conversione purissimæ particulæ in corpus hominis, dixit emissionem in secessum tum quia illud minimum est, hoc autem est ferè totum, tum quia hoc est manifestum, illud occultum; et præcipuè turbis et ineruditis in physicis, quibus loquebatur; tum quia hoc directè serviebat proposito de cibo sumpto illotis manibus; dùm hinc explicatur quòd quidquid impurum est in cibo, totum in secessum emittitur; tum demùm quia ex hâc parte clariùs manifestatur quòd non inquinat hominem; quamvis enim secundùm veritatem alimentum ex neutrâ parte inquinet hominem, manifestatur tamen magis hoc ex eâ parte quâ emittitur in secessum; utpotè non remanente in homine: quia ex illâ quâ convertitur in corpus hominis, fuisset fortè rudibus occasio cogitandi quòd conversum in substantiam hominis conferret ad inquinationem hominis.

Vers. 21. — Ab intus enim de corde hominum malè cogitationes procedunt. Primus effectus malæ volun-

Vers. 13. — Rescindentes verbum Dei, *irritum facientes*, sive *abrogantes*, aut *antiquantes*. Nam Græcè est propriè *detrahere auctoritatem*, et *irritum facere*, quod aliquando fuerit comprobatum.

Vers. 14. — Iterum turbam, *totam turbam.*

Vers. 15. — Nihil est extra hominem. *Nihil est quod aliunde quàm ab homine ingreditur in eum:* quasi dicas, *de foris*, ut paulò post vertit, *omne extrinsecùs introiens.*

Vers. 17. — Parabolam, id est, *de parabolâ*, sive *de similitudine.*

Vers. 18. — Imprudentes, id est, *absque intellectu*, ut ante verterat; aut *expertes intelligentiâ*, et melius erat: *Siccine vos quoque*, quàm: *Sic et vos*: aut: *Itane vos quoque.*

Vers. 19. — Purgans, ad verbum, *expurgans.*

Vers. 22. — Oculus malus. Cur non et hîc dixit, *oculus nequam*, sicut in Matthæo: *An oculus tuus ne-*

tatis (quæ cor appellatur) describitur mala cogitatio, tum ut intelligamus omnem malam cogitationem esse aliquo modo voluntariam, in cujus signum fatemur in Christo, nullam tentationem fuisse intùs. Si enim cogitationes malæ invenirentur involuntariæ, non dixisset Jesus, *de corde procedunt cogitationes malæ;* tum ut intelligamus inquinari homines solis malis cogitationibus, etiamsi nullum exterius opus malum, nullus exterior sermo malus adsit.

VERS. 22. — NEQUITIÆ. Nomine generis significantur vel universi mali habitus, appellati *nequitiæ*, quia reddunt hominem nequeuntem continere se à malis operibus, vel vitia ad luxum vitæ spectantia, quæ specialiter reddunt homines impotentes ad ea quæ sunt virtutis. STULTITIA, imprudentia significatur non defectu naturalis sagacitatis, sed contrarietate ad virtutem prudentiæ.

VERS. 24. — ET INGRESSUS DOMUM NEMINEM VOLUIT SCIRE, tanquàm non venerit prædicaturus gentilibus. ET NON POTUIT LATERE. Non significatur impotentia Jesu; sed impotentia silentii; quamvis enim Jesus venisset non ut publica persona, non potuerunt tamen silere qui cognoscebant ipsum. Superiùs namque, cap. 3, dictum est quòd multi ex Idumæâ et partibus circa Tyrum et Sidonem convenerant ad Jesum.

VERS. 25. — INTRAVIT, in domum in quâ erat Jesus.

VERS. 26. — ERAT AUTEM MULIER GENTILIS SYROPHŒNISSA GENERE. Dictio interpretata *gentilis* propriè significat *Græcam;* sed interpres, quia eadem dictio translata videtur in libris novi Testamenti quandoque ad significandum ethnicum, ideò transtulit *gentilis*, quod est certius quàm quòd fuerit græca; cùm genere dicatur Syra non cujuscumque partis Syriæ, sed Phœnicis.

VERS. 29. — PROPTER HUNC SERMONEM Jesus, qui intuetur cor, fidem remuneratur magnam, quia fides in ipsum Jesum suâ magnitudine superavit negatas responsiones, repulsas et ignominias.

VERS. 31. — ET ITERUM, alium adventum Jesu ad mare Galileæ significat. EXIENS DE FINIBUS TYRI VENIT PER SIDONEM, pro, *de finibus Tyri et Sidonis venit*, AD MARE GALILEÆ INTER MEDIOS FINES DECAPOLEOS. Decapolis nomen est regionis decem urbium.

VERS. 32. — ET ADDUCUNT EI SURDUM, ET MUTUM, pro, *surdum impeditæ linguæ.* Significatur enim non mutus, sed vix valens loqui. Narraturque à solo Marco, hoc miraculum in specie.

VERS. 33. — ET APPREHENDENS EUM DE TURBA SEORSUM, MISIT DIGITOS SUOS IN AURICULAS EJUS. In Græco habetur sic: *Misit digitos suos expuens in aures ejus.* ET EXPUENS TETIGIT LINGUAM EJUS. — VERS. 34. — ET SUSCIPIENS IN CŒLUM, INGEMUIT. Inter speciales modos quibus quandoque usus est Jesus ad curandum, admiratione dignus est iste, cum tot circumstantiis nullâ necessitate, sed solâ voluntate adhibitis; nam ducit illum seorsùm, tangit loca ægritudinum, utitur sputo, in utrisque adhibet gemitum, elevat oculos in cœlum; ad supplendum quæ deerant ex parte aliorum, ad efficaciam ordinariæ potestatis quæ appellatur gratia curationum. Noluit enim Jesus uti excellenti potestate suâ, sed illâ ordinariâ potestate quam dederat discipulis, quæ dispositionem exigit ex parte aliorum; nihil siquidem de hujus surdi fide aut devotione apparet; offerentium autem illum minor fides significatur, cùm describuntur precantes ut imponat illi manum. *Undique ergo* deficiente fine, supplet Jesus gemitu, suspectione in cœlum, et applicatione propriæ carnis ac sputi, tanquàm sancta instrumenta adhibendo; nam sancta erant omnia quæ Jesu erant. Et instruxit per hoc discipulos ad supplendum quandoque orationibus et adhibitione sacrarum rerum, ea quæ desunt ex parte aliorum.

VERS. 34. — ET AIT ILLI, EPHPHETA, QUOD EST, ADAPERIRE. Hebraica dictio est *Ephpheta,* quam ipsemet evangelista interpretatus est per imperativum passivum, *aperire.* Et dirigitur iste sermo non ad aures,

quam est, quia ego bonus? Nam eadem verba Græca sunt utrobique. Sentit autem oculum non simplicem et purum, sed facinatorem et invidum atque iniquum.

VERS. 24. — IN FINES TYRI, id est, *confinia*, hoc est, *Tyro finitimas regiones*, sive *quæ interjacent inter Tyrum et Sidonem.* Quanquàm paulò post utitur simplici voce ὁρίων in eumdem sensum.

VERS. 25. — AD PEDES EJUS. Hoc loco sequitur: *Erat autem mulier Græca, Syrophœnissa genere.* Alii codices habebant, Σύρα Φοινίκισσα, sed mendosè: nam si Syra erat, et regionis Phœnices, quæ sine dubio Judæorum est, qui potuit esse Græca natione. Cæterùm quod *gentilem* dixit, non est Græcè ἐθνική, sed Ἑλληνίς, ut non patriam intelligas designatam, sed quo declaret non esse Judæam religione. Siquidem gente Chananæâ erat, non Græcâ, sed Græca dicitur ex Hebræorum consuetudine, quòd esset aliena à religione legis Mosaicæ. Frequenter enim Ἕλληνα *Gentilem* vertit interpres. Est autem una Syriæ pars quæ dicitur *Syrophœnice*, in quâ est Damascus, ut indicat Tertullianus, lib. 3 adversùs Marcionem.

VERS. 28. — UTIQUE DOMINE. In codicibus, quos hactenùs viderim, nihil erat loco *utique*, sed tantùm, *Domine, et catelli;* quanquàm postea in nonnullis reperi. NAM ET CATELLI. Eadem vox est Græcis, *canibus* et *catellis;* quanquàm utrobique diminutivum est apud illos. Ad hoc παίδιων rectiùs vertisset *filiorum* quàm *puerorum*, cùm præcessit τέκνων.

VERS. 30. — INVENIT PUELLAM JACENTEM SUPRA LECTUM, ET DÆMONIUM EXISSE. In vulgatis Græcorum codicibus ordo sermonis inversus est. Nam illìc, *reperit exisse dæmonium, et puellam lecto decumbentem;* Latinis erat, *super lectum.*

VERS. 31. — FINES DECAPOLEOS. Regio est trans Jordanem decem civitatum; unde et nomen habet Græcis, circa Hippum, Pellen, et Gadaram, ut testis est Hieronymus in locis Hebraicis.

VERS. 32.—SURDUM ET MUTUM. Græcè, id est, *surdum impeditæ linguæ*, sive *balbum*, dictione compositâ à *vix* et *loqui.* Est autem id vitii penè perpetuum insanis aut melancholicis, aut fatuis naturâ, ut testis est Aristoteles.

VERS. 34. — ADAPERIRE. *Aperire,* Ἐφφαθὰ, vocem Hebraicam et hìc adjicit, quemadmodùm et superiùs in *cumi.* Est autem הפתח unum ex eo verborum genere, quæ Hebræi gravia vocant, et quæ vim habeant transitivam, quasi dicas: *Præsta te apertum*, sive: *Fias apertus.* Neque verò libet hìc commemorare ridiculam differentiam inter *aperire* et *adaperire*, quam Laurentius argutiùs irridet quàm gravem deceat virum, etiamsi meritò id facit. Certè apud evangelistam

sed ad hominem, cui dicitur, *fias apertus.* — VERS. 35. — ET STATIM APERTÆ SUNT AURES EJUS ; ET SOLUTUM EST VINCULUM LINGUÆ EJUS ; ET LOQUEBATUR RECTÈ. *Hinc firmatur quod* non erat mutus ; non enim dixit, *et loquebatur ;* sed dixit, *et loquebatur rectè,* unde etiam consequenter habetur quòd non erat surdus à nativitate ; surdi enim à nativitate, neque rectè neque non rectè sciunt loqui.

VERS. 36. — ET PRÆCEPIT ILLIS, humilitatis affectu. Vide quàm crebrò utitur Jesus humilitatis affectu.

VERS. 37. — ET EO AMPLIUS ADMIRABANTUR, pro, *stupebant,* DICENTES : BENÈ OMNIA FECIT ET SURDOS FECIT, pro, *facit,* AUDIRE ET MUTOS LOQUI ; græca dictio non significat mutos, sed elingues, seu non potentes loqui. Directè enim respondet hoc ei quod in principio hujus narrationis dictum est, surdum impeditæ linguæ. Nec mireris pluraliter dici : quia numerus pluralis pro singulari sæpè usurpatur.

nulla differentia est, cùm idem utrobique sit verbum, quod vertit *adaperire,* et *apertæ sunt ;* perinde quasi nefas esset Latinis eamdem vocem repetere.

VERS. 36. — TANTO MAGIS PLUS. Græci quidem codices ita distinguunt, ut *magis* non referatur ad *præcipiebat,* quod præcesserit ὅσον non ὅσῳ, vel ὅσου, sed ad idem verbum ad quod refertur, nempe ad *prædicabant plus ;* licèt Græci videantur ὅσον usurpare nonnunquàm adverbialiter ; sed περισσότερον verti poterat *vehementer,* aut *magnoperè,* ut comparativum positum sit loco positivi : aut μᾶλλον vertendum erat *potiùs,* ut non habeat vim comparandi, sed corrigendi ; perinde quasi dicas : *Tantùm aberat ut facerent id quod erant jussi, ut hoc ampliùs etiam prædicarent quod essent vetiti.*

VERS. 37. — ET SURDOS FECIT AUDIRE. Ut ne quid causer de integritate Latini sermonis, quod Romanis auribus aliud quiddam sonat, *facit loqui,* et *facit currere,* rectius fuisse futurum, *efficit ut surdi audiant, muti loquantur.* Tempus quoque verbi mutavit interpres, aut certè librarius. Est enim, *facit ;* idque absolutius est. Laurentius testatur in nonnullis exemplaribus Latinis conduplicari conjunctionem, *et surdos fecit audire, et mutos loqui* ἀλάλους λαλεῖν. Gratiam annominationis non potuit interpres reddere, quasi dicas, *elingues linguaces,* aut *infantes fari.*

CAPUT VIII.

1. In diebus illis, iterùm cùm turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis :

2. Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent :

3. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in viâ : quidam enim ex eis de longè venerunt.

4. Et responderunt ei discipuli sui : Unde illos quis poterit hìc saturare panibus in solitudine?

5. Et interrogavit eos : Quot panes habetis? Qui dixerunt : Septem.

6. Et præcepit turbæ discumbere super terram : et accipiens septem panes, gratias agens, fregit et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbæ.

7. Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit, et jussit apponi.

8. Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.

9. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia, et dimisit eos.

10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.

11. Et exierunt Pharisæi, et cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo, tentantes eum.

12. Et ingemiscens spiritu ait : Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.

13. Et dimittens eos, ascendit iterùm navim, et abiit trans fretum.

14. Et obliti sunt panes sumere, et nisi unum panem non habebant secum in navi.

15. Et præcipiebat eis, dicens : Videte, et cavete à fermento Pharisæorum, et fermento Herodis.

16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes : Quia panes non habemus.

CHAPITRE VIII.

1. En ce temps-là le peuple s'étant encore trouvé en fort grand nombre, sans avoir de quoi manger, Jésus appela ses disciples, et leur dit :

2. J'ai grande compassion de ce peuple ; car il y a déjà trois jours qu'ils demeurent continuellement avec moi, et ils n'ont rien à manger.

3. Et si je les renvoie dans leurs maisons sans avoir mangé, les forces leur manqueront en chemin ; car quelques-uns d'eux sont venus de loin.

4. Ses disciples lui répondirent : Comment pourrait-on trouver dans ce désert assez de pain pour les rassasier?

5. Jésus leur demanda : Combien avez-vous de pains? Ils dirent : Sept.

6. Alors il commanda au peuple de s'asseoir sur la terre. Il prit les sept pains, et, rendant grâces, il les rompit, et les donna à ses disciples pour les distribuer ; et ils les distribuèrent au peuple.

7. Ils avaient encore quelques petits poissons qu'il bénit, et il commanda qu'on les distribuât.

8. Ils mangèrent donc, et furent rassasiés ; et on remporta sept corbeilles pleines des morceaux qui étaient restés.

9. Or ceux qui mangèrent étaient au nombre d'environ quatre mille. Et Jésus les renvoya.

10. Aussitôt après, étant entré dans une barque avec ses disciples, il vint dans le pays de Dalmanutha.

11. Et les Pharisiens sortirent, et commencèrent à disputer avec lui ; et ils lui demandèrent, pour le tenter, quelque prodige dans le ciel.

12. Mais Jésus, gémissant profondément, dit : Pourquoi cette génération demande-t-elle un prodige? Je vous le dis en vérité, il ne leur sera point donné de prodige.

13. Et, les quittant, il remonta dans la barque et passa à l'autre bord.

14. Or les disciples avaient oublié de prendre du pain, et ils n'en avaient qu'un avec eux dans la barque.

15. Cependant Jésus leur donnait cet avis : Ayez soin de vous bien garder du levain des Pharisiens et du levain d'Hérode.

16. Sur quoi faisant réflexion, ils se disaient l'un à l'autre : En effet nous n'avons point de pain.

17. Quo cognito, ait illis Jesus : Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondùm cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum?

18. Oculos habentes, non videtis? et aures habentes, non auditis? nec recordamini?

19. Quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei : Duodecim.

20. Quando et septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei : Septem.

21. Et dicebat eis : Quomodò nondùm intelligitis?

22. Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei cæcum, et rogabant eum, ut illum tangeret.

23. Et apprehensâ manu cæci, eduxit eum extra vicum, et exspuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.

24. Et aspiciens ait : Video homines velut arbores ambulantes.

25. Deinde iterùm imposuit manus super oculos ejus, et cœpit videre, et restitutus est ita ut clarè videret omnia.

26. Et misit illum in domum suam, dicens : Vade in domum tuam, et si in vicum introieris, nemini dixeris.

27. Et egressus est Jesus, et discipuli ejus, in castella Cæsareæ Philippi, et in viâ interrogabat discipulos suos, dicens eis : Quem me dicunt esse homines?

28. Qui responderunt illi, dicentes : Joannem Baptistam ; alii, Eliam ; alii verò quasi unum de prophetis.

29. Tunc dicit illis : Vos verò, quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei : Tu es Christus.

30. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.

31. Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, et reprobari à senioribus, et à summis sacerdotibus, et scribis, et occidi, et post tres dies resurgere.

32. Et palàm verbum loquebatur : et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.

33. Qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens : Vade retrò me, Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

34. Et convocatâ turbâ cum discipulis suis, dixit eis : Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

35. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam.

36. Quid enim proderit homini si lucretur mundum totum, et detrimentum animæ suæ faciat?

37. Aut quid dabit homo commutationis pro animâ suâ?

38. Qui enim me confusus fuerit, et verba mea, in generatione istâ adulterâ et peccatrice : et Filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloriâ Patris sui cum angelis sanctis.

17. Ce que Jésus connaissant, il leur dit : Pourquoi vous entretenez-vous de cette pensée, que vous n'avez point de pain? Quoi! vous n'avez encore ni sens ni intelligence, et votre cœur est toujours dans l'aveuglement?

18. Aurez-vous toujours des yeux sans voir, et des oreilles sans entendre? et avez-vous perdu la mémoire?

19. Lorsque je distribuai les cinq pains à cinq mille hommes, combien remportâtes-vous de paniers pleins de morceaux? Douze, lui dirent-ils.

20. Et lorsque je distribuai les sept pains à quatre mille hommes, combien remportâtes-vous de corbeilles pleines de morceaux? Sept, lui dirent-ils.

21. Et il ajouta : Comment ne comprenez-vous point encore?

22. Etant arrivés à Bethsaïde, on lui présenta un aveugle, qu'on le pria de toucher.

23. Et prenant l'aveugle par la main, il le mena hors du bourg, lui mit de la salive sur les yeux, et, lui ayant imposé les mains, il lui demanda s'il voyait quelque chose.

24. Cet homme regardant, lui dit : Je vois marcher des hommes comme des arbres.

25. Jésus lui mit encore une fois les mains sur les yeux, et il commença à voir; et il fut guéri, en sorte qu'il voyait distinctement toutes choses.

26. Après cela Jésus le renvoya dans sa maison, et lui dit : Allez-vous-en chez vous; et si vous entrez dans le bourg, ne dites ceci à personne.

27. Jésus partit de là avec ses disciples pour s'en aller dans les villages de Césarée de Philippe, et en chemin il leur fit cette question : Qui dit-on que je suis?

28. Ils lui répondirent : les uns, Jean-Baptiste; les autres, Elie; les autres comme un des prophètes.

29. Et vous, leur dit-il alors, qui dites-vous que je suis? Pierre, prenant la parole, lui dit : Vous êtes le Christ.

30. Et il leur défendit très-fortement de le dire à personne.

31. Et il commença à leur déclarer qu'il fallait que le Fils de l'homme souffrît beaucoup; qu'il fût rejeté par les sénateurs, par les princes des prêtres et par les scribes; qu'il fût mis à mort, et qu'il ressuscitât trois jours après.

32. Et il en parlait tout ouvertement. Alors Pierre, le tirant à part, commença à le reprendre.

33. Mais Jésus, se retournant et regardant ses disciples, reprit rudement Pierre, et lui dit : Retirez-vous de moi, Satan; car vous n'avez point de goût pour les choses de Dieu, mais seulement pour celles des hommes.

34. Et appelant à lui le peuple avec ses disciples, il leur dit : Si quelqu'un veut venir après moi, qu'il renonce à lui-même, qu'il se charge de sa croix, et qu'il me suive.

35. Car celui qui voudra sauver son âme, la perdra, et celui qui perdra son âme pour l'amour de moi et de l'Evangile, la sauvera.

36. En effet, que servira à un homme de gagner tout le monde, et de perdre son âme?

37. Ou par quel échange pourra-t-il racheter son âme?

38. Car si quelqu'un rougit de moi et de ma parole, parmi cette nation adultère et corrompue, le Fils de l'homme rougira aussi de lui, lorsqu'il viendra accompagné des saints anges dans la gloire de son Père.

39. Et dicebat illis : Amen dico vobis, quia sunt quidam de hìc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

39. Et il ajouta : Je vous dis en vérité qu'il y en a quelques-uns de ceux qui sont ici qui ne mourront point qu'ils n'aient vu arriver le règne de Dieu dans sa puissance.

COMMENTARIA.

VERS. 2. — MISEREOR SUPER TURBAM. Misericordia propriè passio est; est enim condolentia quædam alienæ miseriæ tanquàm propriæ ; verumque humanum animum se habere monstravit miserendo. QUIA ECCE JAM TRIDUO SUSTINENT ME, pro, *manent apud me*, NEC HABENT QUOD MANDUCENT. Non est putandum illos triduò jejunâsse ; sed consumpsisse quidquid habebant alimenti duobus diebus, et tertio die nihil habuisse ad manducandum. — VERS. 4. — UNDE ISTOS QUIS POTERIT HIC SATIARE PANIBUS IN SOLITUDINE ? Discipuli minoris fidei se esse monstrant, quamvis viderint prius miraculum quinque panum et duorum piscium.

VERS. 7. — ET HABEBANT PISCICULOS PAUCOS, ET IPSOS BENEDIXIT. Pronomen *ipsos* superfluit hìc. Legendum est enim : *Et benedixit et jussit apponi et ipsos*, scilicet pisculos. — VERS. 9. — ERANT AUTEM QUI MANDUCAVERANT QUASI, pro, *fermè*, QUATUOR MILLIA ET DIMISIT EOS. Semper Jesus, refectâ miraculosè turbâ, licentiat illam ; nam et similiter fecit satiatis quinque millibus, exemplum præbens fugiendi publicas laudes ex communi beneficio sequentes, et simul subtrahens Herodi ac invidis occasionem suspicandi in ipso quamcumque ambitionem.

VERS. 10. — IN PARTES DALMANUTHA. Idem locus est qui à Matthæo nominatur Magdala.

VERS. 11. — ET EXIERUNT PHARISÆI, ET CŒPERUNT CONQUIRERE, hoc est, *disputare*. Hæc disputatio videtur illa quæ descripta est Joannis 6 ; consonat enim tempus, consonat et petitio signi de cœlo. QUÆRENTES AB ILLO SIGNUM DE CŒLO, TENTANTES EUM. Non ad hoc ut crederent petebant signum de cœlo, vel simile mannæ in deserto, vel aliquid majus, de cœlo tamen.

VERS. 12. — ET INGEMISCENS SPIRITU ; deest, *suo*. Condolentiam Jesu super Pharisæorum incredulitate, non insurgentem ex sese, sed excitatam à proprio ipsius spiritu describit. AMEN DICO VOBIS, SI DABITUR GENERATIONI ISTI SIGNUM. Sermo mutilus est, consonans ingemiscenti. Utuntur enim ingemiscentes sermone truncato, quemadmodùm et irati. Et propterea sicut Deus iratus describitur dicens : *Si introibunt in requiem meam*, ita Jesus ingemiscens dicit : *Si dabitur generationi isti signum*. Utrobique enim mutilo sermone significatur negativus sensus hoc modo prolatus. — VERS. 15. — VIDETE ET CAVETE. Superfluit, *et*. A FERMENTO PHARISÆORUM ET FERMENTO HERODIS. Sicut fermentum Pharisæorum appellat simulatam doctrinam, ita fermentum Herodis appellat religionem. Fermenti enim usus in absconsione sub farinâ est, et virtutem elevativam ad inanem gloriam significat.

VERS. 17. — NONDUM COGNOSCITIS NEC INTELLIGITIS ? ADHUC CÆCATUM HABETIS COR VESTRUM ? Providâ dispensatione divinâ effectum est ut discipuli Jesu visis tot miraculis, adhuc cæcatum cor haberent : ad tollendum à mundo suspicionem omnis humanæ artis in Jesu et discipulis ejus, per quos postea mundus conversus est ad fidem Jesu.

VERS. 23. — ET EXSPUENS, IN OCULOS EJUS IMPOSITIS MANIBUS SUIS, INTERROGAVIT EUM SI QUID VIDERET. In hujus cæci curatione utitur quoque Jesus simili modo quo usus fuerat in curatione surdi impeditæ linguæ. Et cùm hic non fuerit cæcus à nativitate, sicut nec ille natus surdus, apparet quòd in iis quæ erant faciliora miracula Jesus difficiliùs curat ; mortuos enim suscitat solo verbo ; et his minimis adhibet, tot media, ut cognoscamus quòd non ex impotentiâ Jesu hoc provenit ; sed quia defectum alienæ fidei supplet ad efficaciam potestatis ordinariæ, nam et hujus cæci nulla legitur fides ; et rogantes petunt ut imponat illi manum, non credentes illius imperio posse cæcum curari.

VERS. 1. — CUM TURBA MULTA ESSET. Græcè est, *admodùm multa*, sive *plurima*. Nec additur *cum Jesu*, nec apud Græcos, nec in vetustis exemplaribus, nec in aureo, nec in Constantiensi denique.

VERS. 2. — SUSTINENT ME, *manent apud me*.

VERS. 4. — UNDE ISTOS ; πόθεν, quo Græci utuntur ni negatione pro *quî* aut *quomodò*.

VERS. 7. — ET IPSOS BENEDIXIT*; et cùm his benedixisset;* quanquàm in nonnullis exemplaribus sic habebatur, *et cùm benedixisset, jussit apponi et hos*.

VERS. 9.—QUASI QUATUOR MILLIA ; ὡς, id est, *fermè*, aut *circiter quatuor millia*.

VERS. 10. — IN PARTES DALMANUTHA. Quidam Græcus codex habebat Μαγδαλὰ, cujus meminit Matthæus, sive, ut quidam legunt, *Magedam*. Nec apud quemquam adhuc reperi hujus loci descriptionem, nisi quòd in collectaneis Hebraicarum vocum hanc quoque reperio expositam, sed ita ut ad hunc locum nihil attineat. Augustinus *de Consensu evangelistarum* putat ejusdem regionis plura esse vocabula, addens quòd hoc quoque loco quidam codices habebant *Mageda*.

VERS. 11. — CONQUIRERE CUM EO. Laurentianum exemplar, ut videtur, secùs habuit. Meum ad hunc modum : *Cœperunt simul quærere ab eo signum*. Quanquàm postea nactus sum, in quibus ita scriptum reperi, id est, *et cœperunt disputare cum eo, et requirere ab eo signum*. In quibusdam pro *requirere*, erat, *requirentes*.

VERS. 12. — INGEMISCENS SPIRITU. Græci addunt *suo*. SI DABITUR GENERATIONI ISTI SIGNUM. *Si* hoc loco est abjurantis, quemadmodùm et illic : *Si introibunt in requiem meam*. Latini addunt, *emoriar, dispeream*, aut simile quippiam. Mirè retudit arrogantiam Pharisæorum, qui videri volebant cum cœlo habere commercium, cùm essent sceleratissimi : At Christus illis ex imo corde terræ signum promittit diversissimum ab eo quod postulabant.

VERS. 14. — ET OBLITI SUNT SUMERE PANES. Quidam Græcus codex addidit, *discipuli ejus ;* mihi magis placet non addi.

VERS. 15. — VIDETE ET CAVETE. Duo verba sunt Græcis idem significantia, citra interventum conjunctionis, quasi dicas : *Videte, cernite*, sive, *cavete, fugite*, quo diligentiorem cautionem exprimeret. A FERMENTO HERODIS. *Herodianorum*, pro *Herodis*, habebant nonnulli. Et in Matthæo mentio fit *Herodianorum*, veluti factionis cujusdam, quæ simul cum Pharisæis aggressa sit Christum.

Vers. 24. — Video homines velut arbores ambulantes. Desunt in hâc oratione duæ dictiones. In græco enim habetur : *Video homines, quoniam velut arbores video ambulantes.* Ita quòd cæcus aliquantulùm videns fatetur se videre homines, non quia visu discernat ipsos quos videt esse homines (videbat enim homines velut arbores), sed quia videbat eos ambulantes. Ita quòd ex ambulatione discernebat illos quos sic confusè videbat, esse homines.

Vers. 25. — Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus ; et cœpit videre, pro, *et fecit eum videre,* supple *denuò;* et restitutus est, ita ut clarè videret omnia, pro, *et vidit clarè omnes,* supple *homines.* Est in hoc miraculo singulare quòd paulatim Jesus cæco visum restituit : primò imperfectè, et deinde perfectè, tum ut intelligamus quantus erat defectus alienæ fidei, tum ut discerent discipuli etiamsi imperfectum opus miraculosè facerent non desistere, sed iterùm orare, sacra adhibere et hujusmodi, tum ut disceremus non esse à miraculis exemptas curationes imperfectas, et quæ paulatim procedendo de imperfecto ad perfectum fierent ; cùm ad Deum seu sanctos confugeremus supplicantes pro sanitate, emissis vel non emissis votis.

Vers. 26. — Et misit illum in domum suam, dicens : Vade in domum tuam ; Superfluit, *vade in domum tuam.* Et si in vicum. Dissonant inter se Græci codices, dùm quidam *si* habent, alii autem, *et neque in vicum.* Introieris, nemini dixeris ; deest, *in vico.* Ex quo apparet quòd præcedens littera legenda est ut textus noster habet, *et si in vicum introieris.* Si enim prohibuisset ingressum in vicum, non subjunxisset, *neque dixeris in vico*, sed optimè quadrat ut postquàm dixit, *et si in vicum introieris,* subjunxerit, *nemini dixeris in vico.* Pluriès expositum est præcepta hæc ex affectu prodire humilitatis.

Vers. 27.—Cæsareæ Philippi. Ad differentiam Cæsareæ Herodis patris. Et hìc quidem in honorem Augusti quæ olim dicebatur turris Stratonis Cæsaream, ille in honorem Tiberii urbem Paneam nuncupavit Cæsaream quæ cognominatur Philippi. Quem me dicunt esse homines ? Exemplum dedit Jesus prælatis ut non negligant scire quid de ipsis dicitur.

Vers. 28. — Qui responderunt illi dicentes ; superfluit, *illi dicentes.* Joannem Baptistam, Herodiani hoc putabant, credentes spiritum Joannis occisi ingressum in Jesum. Alii Eliam. Venturum enim expectabant Eliam, juxta verbum Malachiæ prophetæ. Alii verò quasi unum de prophetis. Superfluit, *quasi.* Regressum animarum in corpora omnes isti præsupponebant, exceptâ opinione Eliæ.

Vers. 29. — Tunc, pro, *et ipse,* dicit illis : vos verò quem me esse dicitis ? Quantùm profecerint sequendo ipsum, audiendo doctrinam, videndo miracula, experiendo vitam et mores ipsius examinat. Respondens Petrus ait ei. Jesus omnes interrogavit, non tamen omnes respondent ; nec Petrus consultat cum aliis responsionem, sed ut in Matth. Dominus testatur, tactus internâ revelatione statim respondet. Tu es Christus. Profitetur ipsum esse Messiam verum hominem, regem unctum à Deo. Non per adulationem loquitur Petrus, sed per veritatem.

Vers. 30. — Et comminatus est eis ne cui dice-

Vers. 24. — Et adspiciens, id est, *recepto visu.* Video homines. Græcè, *video homines, quoniam velut arbores video ambulantes.* Et *ambulantes* apud Græcos ad homines duntaxat referri potest, quòd illis *arbores* sint neutri generis.

Vers. 25. — Et cœpit videre, Græcè, *et fecit eum denuò videre.* Bis enim recepit visum, primum utcunque, deinde perspicuè. Et restitutus est. Ante hoc addit Græcus codex, *et pervidit.* Nec est *omnia,* sed ἅπαντας, id est, *omnes :* etiamsi hic facillimus in Scripturâ lapsus.

Vers. 26. — Et si in vicum introieris. Palam est Græca exemplaria passim discrepare. Nam Laurentianus codex habebat : *Et neque in vicum introieris, neque cuipiam dixeris in vico.* Meus autem habebat : *Et si oppidum ingressus fueris, ne cui dixeris, ne in oppido quidem.* Tamen postea nactus sum exemplar consentiens cum codice Laurentiano ; atque id sequi malui, præsertim cùm ita legat Theophylactus.

Vers. 27. — In castella, eadem est vox, quam toties vertit *vicum.*

Vers. 28. — Alii vero quasi. *Quasi* non additur apud Græcos.

Vers. 29. — Tu es Christus. Additum arbitror ex alio loco, *Filium Dei vivi,* quod tamen in emendatioribus exemplaribus Latinis non additur apud Marcum, sed apud Matthæum.

Vers. 30. — Et comminatus est, *increpavit;* quanquàm hìc tolerari poterat, *interminatus est ;* cùm additis minis aliquid interdicimus. De illo, id est, *de se.*

Vers. 31.—Et cœpit. Καὶ ἀπὸ τότε ἤρξατο, id est, *ex tunc,* sive *ex eo tempore cœpit ;* ut habebatur in quibusdam exemplaribus. Quoniam, *quòd.* Post tres dies. In paucis scriptum reperi *tertio die ;* sed apparet datâ operâ mutatam Scripturam, quod prima fronte falsum esse videatur Christum resurrexisse post tres dies, qui tertio die surrexerit ; præsertim cùm emendatissima Græcorum exemplaria cum nostrâ consentiant editione. Atque hâc quidem de re diligenter disseruit Jacobus Faber Stapulensis in libello, cui titulum fecit, *de Magdalenis ac triduo Christi,* nullum non movens lapidem ut hanc explicet difficultatem, nunc addens horas aliquot ei diei quo revixit Christus, proximæ nocti detractas, nunc eumdem ante diem præmittens ad inferos, cùm in horto tæderet ac mœreret, nunc uni diei geminas addens noctes, videlicet parascevæ. Mihi verò non est necesse de singulis illius disputationis partibus quid sentiam aperire. Certè non video cur Bedam notandum existimârit, qui tridui mysterium conatus sit per synecdochen explicare, nimirùm figuram grammaticam. Quasi verò non totam historiam evangelicam grammaticis figuris debeamus, aut quasi non veteres ad unum omnes tum Græci tum Latini quæstionem hanc per synecdochen explicent : inter quos est et Thomas, enarrans prioris ad Corinthios epistolæ caput decimum quintum. Quoties per hyperbolen, enallagen, similesque tropos sensum divinorum voluminum explicant sacri doctores? Jam allegoria, parabola, vocabula passim in arcanis litteris obvia, nonne grammaticorum sunt schemata ? Quid est quod tam procul à sacris ablegamus grammaticos de divinis litteris aliquantò meliùs meritos, quàm sint frigidi quidam ac jejuni dialectici, ne dicam sophistæ. Imò ipse Faber quâ tandem bipenni Gordianum hunc nodum dissecuit : nonne ab Apollonio porrectâ, primùm ethnico, deinde qui nihil aliud sit quàm grammaticus ? Qui nisi succurrisset, totus adhuc erraret mundus, et in Marco legeret Christum resurrecturum *post tres dies.* Sic enim argumentatur : « Non

rent de illo. Ideò Jesus noluit ante mortem suam prædicari à discipulis quòd ipse esset Messias, ne impedimentum præstaret Evangelio regni cœlorum: ne scilicet suspicarentur quòd ambiret regnum. Messias enim expectabatur rex magnus. Fuisse autem hanc suspicionem tollendam eventus subsecutus testatur, quinto enim die postquàm acclamatus fuit Messias, Pontifices et seniores tanquàm reum læsæ majestatis fecerunt ipsum crucifigi à præside. Noluit itaque ante electum passionis suæ tempus hoc publicari, sed congruo reservari tempori. — Vers. 30. — Et cœpit docere eos. Post tot miracula, post fidem professionemque discipulorum quòd ipse esset Messias, verus homo, verus Deus incipit aperire discipulis mysterium passionis et mortis suæ. Quoniam, pro, *quòd*, oportet filium hominis multa pati et reprobari a senioribus et a summis sacerdotibus et scribis, et occidi. Oportet, inquam, ad salutem humani generis, ad intrandum in propriam ipsius Christi gloriam, ex divinâ prædestinatione ipsum pati, occidi et resurgere. Et dixit hæc instruendo discipulos de modo et tempore quo ipse propriam Messiæ gloriam habiturus esset, qui modò tam abjectus conversabatur; expectabatur enim Messias rex gloriosus redempturus Israel.

Vers. 32. — Et palam. Significatur quòd Jesus ea quæ erant passionis et mortis suæ, liberè seu audacter, sine verborum involucro, sine timore prænuntiabat. Et apprehendens, seorsùm ducens, ne coram aliis videretur arguere Magistrum. Cœpit increpare. Imperfecta increpatio significatur; amoris enim non solùm affectu, sed signis Petrus quamdam increpationis speciem præ se ferebat.

Vers. 33. — Vade retrò me, Satana. Eâdem increpatione emittit Petrum quâ emiserat diabolum tentantem, sed non eodem affectu. Diabolum enim ejecerat totaliter et absolutè; Petrum verò totaliter ejicit secundùm officium adversarii, propter quod subjungit rationes, *non sapis ea quæ Dei sunt.* Per hæc enim significat differentiam inter utriusque ejectionem, dùm diabolus ejectus est sine adjunctis rationibus tanquàm ejectus absolutè: Petrus verò cum adjunctis rationibus, tanquàm ejectus secundùm quid. Dùm Jesus expellit diabolum non est sensus: Vade post me, hoc est, sequere me à tergo; sed quia *Satan* apud Hebræos sonat *adversantem*, non qualitercumque sed velut obsistendo coram ante faciem, ideò alludendo ad vocabulum ejicitur ad situm à tergo, in quo non possit exercere officium adversandi obsistendo. Hic est sensus litteralis, qui, ut patet, est sensus similitudinarius, sumptus scilicet à similitudine corporalium situum seu positionum. Et significat ad litteram secundùm sensum intentum, *abi illò unde non possis adversari.* Itaque non solùm ejicitur ab actu adversandi et à situ idoneo ad observandum, sed emittitur ad situm contrarium ubi nec possit officium adversandi exercere quod est totaliter ejicere adversarium. Ac si dixisset, abi totaliter à me, adversarie. *Satana* non est diaboli nomen proprium, et ideò Jesus usus est hâc increpatione erga Petrum. Omnis enim qui adversatur, Satanas est. Et quia Petrus adversabatur divinæ prædestinationi quam audierat ex ore Jesu Christi, quâ oportebat ipsum pati et occidi, ideò meritò appellatur Satanas, hoc est, adversarius. Quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Ratio erroneæ suasionis in Petro aperitur, quia adhuc non sapiebat quæ Dei sunt, adhuc non gustaverat quod postea gustavit, cùm ivit gaudens à conspectu concilii flagellatus, quia fuit dignus pro nomine Jesu contumeliam pati. Sed humano vigente adhuc affectu sapiebat quæ hominum sunt: vitare passiones, fugere mortem, et similia. Hæc est altera ratio sumpta ab interiori malâ seu minùs bonâ dispo-

« surgit post tres dies, qui surgit tertio die, sed constat Christum tertio die surrexisse. Adversatur igitur evangeliis, adversatur articulis fidei, adversatur omni veritati, quisquis ait Christum post triduum surrexisse. » Atque ita sanè tot jam seculis magno consensu Græca pariter ac Latina legit, canit, et scribit Ecclesia. Neque quisquam adhuc mortalium tam impium errorem animadvertit, nec erat elabendi spes, nisi Apollonius rei litterariæ peritissimus commonstrâsset, μετὰ Græcis nonnunquàm usurpari vice ἐν vel διά. Tantùm habet pondus unicum unius grammatici testimonium, quoties nobis ita collubuit. Quanquàm nec hoc exemplum, quod ex Apollonio produxit Faber, videtur ad sermonem evangelicum respondere. Neque enim simile est, μετὰ χεῖρας εἶχεν, et μεθ' ἡμέραν, ei quod ait Marcus, μετὰ τρεῖς ἡμέρας. Siquidem apud Apollonium μετὰ positum videtur pro μεταξὺ, aut certè pro κατά. Quo tamen modo non liceat abuti, si certum addas numerum. Jam constat μετὰ frequenter ab evangelistis usurpari ad hunc modum, nec aliud significari quàm *post.* Velut apud Matthæum, capite 26, *post biduum pascha fiet*; item apud Lucam, *post dies octo*; apud Marcum, *post dies sex*; in Actibus, *non post multos hos dies*; aliisque locis compluribus. Sed ut his omissis, quod sentio paucis expediam, mihi nihil causæ videtur, cur hìc excitemus hujusmodi tragœdiam, aut cur ad tam coactam ac violentam interpretationem confugiamus, cùm nodus bifariàm explicari possit, haud magno negotio. Primum, si tertium diem numeremus non à morte Servatoris, sed à totâ passione, quæ cœpit pridie parasceves, cùm jam iniretur consilium de comprehendendo Jesu, cùm venderetur, cùm tæderet ac mœreret. Siquidem passionis summam videtur et ipse Marcus suis verbis complecti: *Et cœpit*, inquit, *docere eos, quod oporteret Filium hominis multa pati, et reprobari à senioribus summisque sacerdotibus ac scribis, et occidi, et post tres dies resurgere.* Sic enim recensuit, ut *post tres dies* ad totum sermonem qui præcessit referri possit, non tantùm ad id quod erat postremum, *occidi.* Quemadmodùm proximo capite recensuit: *Filius hominis traditur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertio die resurget.* Hìc quoniam triduum numerat ab occisione, *tertio die* dixit, non, *post triduum.* Alter modus est, si per synecdochen accipiamus, factum *post tres dies*, quod factum sit *post tertium diem exortum.* Quemadmodùm et vulgò loquimur: *Ab eo die cœpit odisse me*, cùm eodem die cœperit odisse. Et *post eum diem desiit amare*, cùm eodem die desierit. Hæc, ni fallor, minùs certe coacta sunt, quàm quæ Stapulensis tanto molimine prodidit. Quod si quis adduxerit his etiam meliora, non gravabimur sequi.

Vers. 32. — Et palam, Græcè, *liberè et audacter.* Neque enim hoc dicebat, nisi suis, sed *apertè*, et *sine involucro*, quemadmodùm solet; tametsi sermo hic esset durissimus.

Vers. 33. — Comminatus est Petro. Miræ deliciæ

sitione Petri. Confer Petrum Satanam, et non sapientem divina, sed humana, cum Petro beato, cui Pater revelavit quòd Jesus est Christus Flius Dei vivi; et discernes Petrum secundùm seipsum à Petro divinâ fulto gratiâ : et intelliges non suffragari percepta divinæ gratiæ dona, si postea non perseverat assistentia ejusdem divinæ gratiæ.

VERS. 34. — SI QUIS VULT ME SEQUI. Dixerat Petro, *Vade post me ;* declarat modò quid est ire post eum. DENEGET SEMETIPSUM. Alibi dixit, *nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet ;* hìc dicit ut abneget non sua, non suos, sed semetipsum, hoc est, proprium velle. Hoc enim est præcipuum in homine : quo homo de seipso disponit, quo seipsum fovet. Quod potest abnegari, submittendo illud divino velle divinoque consilio. ET TOLLAT CRUCEM SUAM. Non sufficit volenti ire post Jesum optima animæ dispositio abnegando suum velle; sed oportet ut etiam secundùm corpus sit optimè dispositus, voluntariè portando cruciatus suos. ET SEQUATUR ME. Nihil prodest negare propriam voluntatem, nihil prodest tollere libenti animo crucem propriam, nisi sequatur me, nisi imitando me hæc fiant, quâcumque siquidem aliâ ratione hæc fiant, vana sunt. — VERS. 35. — QUI ENIM. Dixerat, *si quis vult venire*, monstrans voluntarium esse ire post Christum; ne putares sic voluntarium ut non sit etiam necessarium ad salutem animæ, adjungit necessitatem non coactionis, sed finis scilicet, quòd sequendo ipsum pervenitur ad vitam, et non sequendo perditur vita. VOLUERIT, propriam voluntatem adimplendo, ANIMAM SUAM, vitam suam, SALVAM FACERE, non abnegando seipsum, non tollendo crucem suam, non sequendo me, PERDET EAM, quia amittet ipsam transeundo de hâc vitâ ad mortem æternam. QUI AUTEM PERDIDERIT PROPTER ME ; in quo comprehenduntur illa tria, scilicet *abnegare seipsum, tollere crucem suam,* et *sequi me.* SALVAM FACIET EAM, transeundo de hâc vitâ in vitam æternam. — VERS. 36. — QUID ENIM PRODERIT HOMINI, etc. Ne parvifaceres damnum aut lucrum vitæ post mortem, monstrat incomparabilitatem vitæ ad totius mundi lucrum. ANIMÆ SUÆ, hoc est, vitæ suæ quæ simpliciter est vita, non vitæ temporalis quæ partim est mors. DETRIMENTUM FACIAT, privatione illius. AUT QUID DABIT HOMO COMMUTATIONIS? Non sufficit Salvatori declarare damnum vitæ non posse conferri cum lucro totius mundi, sed declaravit etiam quòd non potest redimi tale damnum quâcumque humanâ compensatione. PRO ANIMA SUA, pro vitâ suâ quæ simpliciter est vita, quasi dicat, *nihil.* Ex quibus habes necessarium esse abnegare seipsum, etc., si invenienda est vita post hanc vitam; alioquin perdetur.

VERS. 38. — IN GENERATIONE ISTA ADULTERA. Appellatur generatio illa Judæorum adultera, quoad affectum, quoniam relicto affectu Dei tanquàm proprii viri, adhærebat sibi ipsi, seipsam solam amans; ex hoc enim postea occiderunt Christum : testantibus ipsis, ne fortè veniant Romani et tollant locum nostrum. ET PECCATRICE. Ex prædicto enim adulterio multitudo oriebatur peccatorum. CUM VENERIT IN GLORIA PATRIS SUI CUM ANGELIS SANCTIS. Conveniens describitur retributio, ut qui verecundatur in hâc vitâ fateri aut imitari Christum, Christus quoque cùm venerit in gloriâ verecundetur habere ipsum inter suos. Sequitur in Vulg., eodem capite.

VERS. 39. — ET DICEBAT ILLIS : AMEN DICO VOBIS, QUIA SUNT QUIDAM DE HIC STANTIBUS QUI NON GUSTABUNT MORTEM DONEC VIDEANT REGNUM DEI VENIENS, pro, *venisse*, IN VIRTUTE. Hæc Marci verba, scilicet, venisse in virtute, quæ Matth. non habentur, favent intelli-

hujus interpretis, qui quod aliàs vertit *increpare,* idem nunc vertit *comminari,* cùm nec ad sententiam quadret *comminari.* Nam quod sequitur. VADE RETRO ME, SATANA, nimirùm increpantis est, non comminantis. Postremò ut legimus *interminari* pro *interdicere,* ita *comminari* in eumdem sensum non memini legere. Est autem ὀπίσω μου Σατανᾶ, id est, *Abito post tergum meum, Satana.* שטן Hebræis sonat *adversarium.* Unde Petrum *satanum* vocat, non *diabolum* intelligens, sed quòd humano affectu adversaretur consilio divino. At totidem penè verbis nunc repellit Petrum, quibus ante tentantem diabolum. Illud indicavit Origenes hoc loco dici Petro : *Vade post me.* Cæterùm apud Matthæum, capite 4, diabolo tantùm dici, Ὕπαγε, id est, *Abi ;* nec addi *post me*, quòd obedientiæ sit ire post Christum. Id autem in apostolos quadrat, non in diabolum, quemadmodùm et illic admonuimus; licèt hæc differentia, nec in Græcis codicibus, nec in nostris satis constanter observatur, haud scio an incuriâ scriptorum.

VERS. 37. — AUT QUID DABIT HOMO COMMUTATIONIS? τί ἀντάλλαγμα, id est, *quam commutationem* : Hic ἀντάλλαγμα vocat id quo dato redimitur aliquid, juxta priscorum commercia, quæ non monetâ, quemadmodùm hodiè, sed mutuâ rerum permutatione constabant. Est igitur sensus omnium rerum jacturam esse faciendam citiùs quàm vitæ. Quæ si semel pereat, nihil est tam charum cujus permutatione possis illam redimere, quidquid dederis. Proinde nos vertimus, *aut quid dabit homo, quo redimat animam suam?* Sanè animam *vitam* appellat. Quemadmodùm et Horatius : *Animæque magnæ prodigum Paulum :* et in hunc certè sensum interpretatur Origenes. Sumitur enim similitudo à vitâ corporis, quæ cuique charissima est, ad vitam animi, quam oportet esse multò chariorem.

VERS. 38. — QUI ENIM ME CONFESSUS. Antiqui codices magno consensu pro *confessus*, et *confitebitur,* habebant *confusus fuerit,* et *confundetur ;* suffragante his et aureo codice, et meo vetustæ typographiæ. In Constantiensi rasura prodebat operam depravatoris. Atque ita habent Græca : *Quicumque enim erubuerit me et meos sermones.* Ac paulò post, *et Filius hominis erubescet de eo :* aut, *Filium hominis pudebit illius.* Pro nobis facit interpretatio Theophylacti. Apud Bedam in contextu quidem legitur *confessus,* et *confitebitur,* sed ipsa enarratio, quæ verecundiæ meminit, declarat illum legisse *confusus,* et *confundetur.* Idem liquet ex verbis Gregorii, quæ referuntur in Catenâ. In eumdem sensum legit divus Augustinus, refellens Adimantum Manichæum : *Omnis qui confusus fuerit me in gente istâ adulterâ et peccatrice, et Filius hominis confundetur illum, cùm venerit in gloriâ Patris sui.* Quin et Irenæus, lib. 3, cap. 20, ad eumdme modum abutitur *confusus* et *confundi.* Satis hìc apparet, *confessus* et *confitebitur* verba esse supposita ab audaculo quopiam. Cæterùm an satis Latinè dicamus, *confundor te,* pro eo quòd *pudet me tui,* viderint litteratores.

VERS. 39. — REGNUM DEI VENIENS, id est, *venisse.* Est enim participium præteriti temporis, quod vertendum erat per infinitum, ob inopiam Latini sermonis.

gentibus, Dominum loqui de resurrectione suâ cùm dicit, *donec videant regnum Dei venisse in virtute.* Tunc enim et non ante venit regnum in virtute immortalitatis corporalis et in plenitudine potestatis Jesu, cùm *data est ei omnis potestas in cœlo et in terrâ;* et victâ morte, etiam totum corpus Jesu in regnum Dei translatum est, nullâ passibilitate animi vel corporis remanente. Hæc enim ex regno peccati venerunt et excluduntur à regno Dei. Proculdubiò omnes qui viderunt Jesum post ipsius resurrectionem, viderunt ipsum in regno suo; ipso Domino attestante, qui in cœnâ dixit: *Non bibam vobiscum donec bibam vobiscum in regno Patris mei.* Resurgens enim venire cœpit in regno suo; datâ sibi omni potestate in cœlo et in terrâ, adeptâ immortalitate et corporis gloriâ, non transitoriè (ut in transfiguratione), sed immobili permanentiâ. Non omnes autem, sed quosdam dixit astantium visuros, propter Judam Iscariotis. Et fortè alii intererant discipuli qui non perseveraverunt cum ipso.

CAPUT IX.

1. Et post dies sex, assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem; et ducit illos in montem excelsum seorsùm solos, et transfiguratus est coram ipsis.

2. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.

3. Et apparuit illis Elias cum Moyse, et erant loquentes cum Jesu.

4. Et respondens Petrus, ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hìc esse; et faciamus tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum.

5. Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.

6. Et facta est nubes obumbrans eos, et venit vox de nube, dicens: Hic est Filius meus charissimus: audite illum.

7. Et statim circumspicientes, neminem ampliùs viderunt, nisi Jesum tantùm secum.

8. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent narrarent, nisi cùm Filius hominis à mortuis resurrexerit.

9. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset: Cùm à mortuis resurrexerit.

10. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt pharisæi et scribæ, quia Eliam oportet venire primùm?

11. Qui respondens, ait illis: Elias, cùm venerit primò, restituet omnia: et quomodò scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur.

12. Sed dico vobis quia et Elias venit (et fecerunt illi quæcumque voluerunt), sicut scriptum est de eo.

13. Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et scribas conquirentes cum illis.

14. Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est, et expaverunt, et accurrentes salutabant eum.

15. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?

16. Et respondens unus de turbâ, dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum;

17. Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit: et dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, et non potuerunt.

CHAPITRE IX.

1. Et six jours après, Jésus emmena Pierre, Jacques et Jean, et les conduisit seuls sur une haute montagne en un lieu écarté; et il se transfigura en leur présence.

2. Ses habits devinrent tout brillants de lumière et blancs comme la neige; en sorte qu'il n'y a point de foulon sur la terre qui puisse en faire d'aussi blancs.

3. Et ils virent paraître Elie et Moïse, qui s'entretenaient avec Jésus.

4. Et Pierre, prenant la parole, dit à Jésus: Rabbi, nous sommes bien ici; faisons-y trois tentes, une pour vous, une pour Moïse et une pour Elie.

5. Car il ne savait ce qu'il disait, tant ils étaient effrayés.

6. Alors il parut une nuée qui les couvrit; et il sortit de cette nuée une voix, disant: C'est là mon Fils bien-aimé; écoutez-le.

7. Aussitôt, regardant de tous côtés, ils ne virent plus personne que Jésus, qui était demeuré seul avec eux.

8. Lorsqu'ils descendaient de la montagne, il leur commanda de ne dire à personne ce qu'ils avaient vu jusqu'à ce que le Fils de l'homme fût ressuscité d'entre les morts.

9. Et ils tinrent la chose secrète, s'entre-demandant ce qu'il voulait dire par ce mot: Jusqu'à ce que le Fils de l'homme fût ressuscité d'entre les morts.

10. Et ils lui demandèrent: Pourquoi donc les pharisiens et les scribes disent-ils qu'il faut d'abord qu'Elie vienne?

11. Jésus leur répondit: Il est vrai qu'Elie viendra auparavant, et qu'alors il rétablira toutes choses; et il sera traité comme le Fils de l'homme, dont il est écrit qu'il doit souffrir beaucoup et être rejeté avec mépris.

12. Mais je vous dis qu'Elie est déjà venu, et qu'ils l'ont traité comme il leur a plu, selon ce qui avait été écrit de lui.

13. Et venant vers ses disciples, il vit autour d'eux une grande multitude de personnes, et des scribes qui disputaient avec eux.

14. Et aussitôt tout le peuple l'ayant aperçu fut saisi d'étonnement et de crainte, et tous accoururent pour le saluer.

15. Alors il leur demanda: De quoi disputez-vous ensemble?

16. Sur quoi un de la troupe prenant la parole, dit: Maître, je vous ai amené mon fils, qui est possédé d'un esprit muet;

17. Lequel, toutes les fois qu'il se saisit de lui, le jette contre terre, et l'enfant écume, grince des dents, et devient tout sec; j'ai prié vos disciples de le chasser, mais ils ne l'ont pu.

18. Qui respondens eis, dixit : O generatio incredula! quamdiù apud vos ero? quamdiù vos patiar? afferte illum ad me.

19. Et attulerunt eum : et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum, et elisus in terram, volutabatur spumans.

20. Et interrogavit patrem ejus : Quantùm temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait : Ab infantiâ :

21. Et frequenter eum in ignem et in aquas misit, ut eum perderet; sed si quid potes, adjuva nos misertus nostri.

22. Jesus autem ait illi : Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

23. Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat : Credo, Domine : adjuva incredulitatem meam.

24. Et cùm videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi : Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et ampliùs ne introeas in eum.

25. Et exclamans, et multùm discerpens eum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent : Quia mortuus est.

26. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit.

27. Et cùm introîsset in domum, discipuli ejus, secretò interrogabant eum : Quare nos non potuimus ejicere eum?

28. Et dixit illis : Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.

29. Et, inde profecti, prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam scire.

30. Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis : Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertiâ die resurget.

31. At illi ignorabant verbum, et timebant interrogare eum.

32. Et venerunt Capharnaum. Qui cùm domi essent interrogabat eos : Quid in viâ tractabatis?

33. At illi tacebant; siquidem in viâ inter se disputaverant, quis eorum major esset.

34. Et residens, vocavit duodecim, et ait illis : Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister.

35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum : quem cùm complexus esset, ait illis :

36. Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit; et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.

37. Respondit illi Joannes, dicens : Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum.

38. Jesus autem ait : Nolite prohibere eum, nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit citò malè loqui de me.

39. Qui enim non est adversùm vos, pro vobis est.

18. Jésus leur adressa la parole, et leur dit : Race incrédule, jusqu'à quand serai-je avec vous? jusqu'à quand vous souffrirai-je? Amenez-moi cet enfant.

19. Ils le lui amenèrent; et dès qu'il eut aperçu Jésus, l'esprit le troubla, et l'ayant jeté contre terre, il se roulait en écumant.

20. Jésus demanda au père de l'enfant : Combien y a-t-il que cela lui arrive? Dès son enfance, dit le père.

21. Et le démon l'a souvent jeté tantôt dans le feu et tantôt dans l'eau, pour le faire périr. Mais si vous pouvez quelque chose, ayez compassion de nous, et nous secourez.

22. Jésus lui répondit : Si vous pouvez croire, tout est possible à celui qui croit.

23. Aussitôt le père de l'enfant s'écriant, lui dit avec larmes : Je crois, Seigneur ; mais aidez mon incrédulité.

24. Jésus donc voyant que le peuple accourait en foule, parla avec menaces à l'esprit impur, et lui dit : Esprit sourd et muet, sors de cet enfant, et n'y rentre plus ; je te le commande.

25. Alors l'esprit jetant un grand cri et agitant violemment l'enfant, sortit, et l'enfant demeura comme mort ; de sorte que plusieurs disaient qu'il était mort.

26. Mais Jésus le prenant par la main et le soulevant, il se leva.

27. Et lorsqu'il fut entré dans la maison, ses disciples lui demandèrent en particulier : Pourquoi n'avons-nous pu chasser ce démon?

28. Et il leur dit : Ces démons ne peuvent être chassés par nul autre moyen que par la prière et par le jeûne.

29. Etant partis de là, ils traversèrent la Galilée, et il voulait que personne ne le sût.

30. Cependant il instruisait ses disciples, et leur disait : Le Fils de l'homme va être livré entre les mains des hommes ; et ils le feront mourir, et il ressuscitera le troisième jour après sa mort.

31. Mais ils ne comprenaient pas ce discours, et ils craignaient de l'interroger.

32. Ils vinrent ensuite à Capharnaüm ; et lorsqu'ils furent dans la maison, il leur demanda : De quoi disputiez-vous ensemble pendant le chemin?

33. Mais ils demeurèrent dans le silence, parce qu'ils avaient disputé pendant le chemin qui d'entre eux était le plus grand.

34. Et, s'étant assis, il appela les douze, et leur dit : Si quelqu'un veut être le premier, il sera le dernier de tous et le serviteur de tous.

35. Puis il prit un petit enfant, qu'il mit au milieu d'eux ; et l'ayant embrassé, il leur dit :

36. Quiconque reçoit en mon nom un petit enfant comme celui-ci, me reçoit moi-même ; et celui qui me reçoit ne me reçoit pas moi, mais celui qui m'a envoyé.

37. Jean prenant la parole, lui dit : Maître, nous avons vu un homme qui chasse les démons en votre nom, sans qu'il soit d'avec nous, et nous l'en avons empêché.

38. Jésus lui répondit : Ne l'en empêchez pas ; car il n'y a point d'homme qui, ayant fait un miracle en mon nom, puisse aussitôt après parler mal de moi.

39. Car qui n'est pas contre vous est pour vous.

40. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis : amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

41. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur.

42. Et si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam : bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem,

43. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum : bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis,

45. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

46. Quòd si oculus tuus scandalizat te, ejice eum : bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis,

47. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

48. Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur.

49. Bonum est sal : quòd si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.

40. Car quiconque vous donnera un verre d'eau en mon nom, parce que vous appartenez au Christ, je vous le dis en vérité, il ne perdra point sa récompense.

41. Mais si quelqu'un est un sujet de scandale à l'un de ces petits qui croient en moi, il vaudrait mieux pour lui qu'on lui attachât une meule de moulin au cou, et qu'on le jetât dans la mer.

42. Et si votre main vous est un sujet de scandale, coupez-la ; il vaut bien mieux pour vous que vous entriez dans la vie n'ayant qu'une main, que d'en avoir deux et aller en enfer, dans ce feu inextinguible,

43. Où le ver qui les ronge ne meurt point, et où le feu qui les brûle ne s'éteint jamais.

44. Et si votre pied vous est un sujet de scandale, coupez-le ; il vaut bien mieux pour vous que vous entriez dans la vie éternelle n'ayant qu'un pied, que d'en avoir deux, et être précipité dans l'enfer, dans ce feu inextinguible,

45. Où le ver qui les ronge ne meurt point, et où le feu qui les brûle ne s'éteint jamais.

46. Et si votre œil vous est un sujet de scandale, arrachez-le ; il vaut bien mieux pour vous que vous entriez dans le royaume de Dieu n'ayant qu'un œil, que d'en avoir deux et être précipité dans le feu de l'enfer,

47. Où le ver qui ronge les impies ne meurt point, et où le feu qui les brûle ne s'éteint jamais.

48. Car ils doivent tous être salés par le feu, comme toute victime doit être salée avec le sel.

49. Le sel est bon ; mais si le sel devient fade, avec quoi l'assaisonnerez-vous? Ayez du sel en vous, et conservez la paix entre vous.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Seorsum solos, significatur quòd non cum aliis, sed segregatos ab aliis seorsùm in loco ab aliorum discipulorum loco remoto, duxit illos tres solos. Nullus Evangelista explicat quis mons fuerit : sed quod ad orandum ascenderit, et orando transformatus est. Et transfiguratus est. Non mutatione lineamentorum, sed qualitate gloriæ. Erat enim et apparebat etiam tunc Jesus ejusdem non mutatæ figuræ, sed mutatæ qualitatis. Si consideremus quòd transfiguratio hæc facta est in testimonium gloriosi adventûs Christi, consentaneum apparebit quod splendor hic ex gloriâ internâ animæ Christi, coævâ ab initio creationis suæ, divinâ dispensatione emanavit : et non ab extra advenit, ut splendor faciei Moysi; nam sic eadem videtur gloria corporis quæ post resurrectionem erit, quamvis non eodem modo, quia tunc erit tanquàm connaturalis corpori, in transfiguratione autem tanquàm passio transitoria.

Vers. 2. — Vestimenta ejus facta sunt splendentia et candida velut nix, pro, *lux*, seu lumen ; ut splendorem non spiritualem, sed corporeum intelligamus, candor vestimentorum ex splendore corporis consurgens testatur.

Vers. 3. — Et apparuit illis Elias cum Moyse, pro, *visi sunt Elias et Moses;* ut in ipsis testimonia legis et prophetarum de Jesu apostoli cernerent. Erant loquentes cum Jesu, vocali, non intellectuali aut imaginario sermone. Loquebantur autem, ut Lucas refert, de passione et morte Christi.

Vers. 4. — Et respondens Petrus. Respondet Petrus non loquenti secum, sed discessui Moysi et Eliæ ; cùm enim Moyses et Elias discedere vellent, ut ex Lucâ patet, Petrus obviare volens discessui, et sistere illos cupiens cum Jesu, dixit : *Bonum est*, etc. Nec mirum : *non enim sciebat quid diceret.*

Vers. 6. — Venit vox de nube dicens : hic est Filius meus charissimus : audite illum. In baptismo paterna vox non dixit : *Audite illum;* sed modò hoc

Vers. 1. — Et post dies sex. Lucas facit, *dies fermè octo*, Marcus consentit cum Matthæo in numero. Hoc admonui ne quis temerè Scripturam mutet ; difficultatem quæstionum explicant doctores. Seorsum solos. Sic habebat antiquissimus codex. Latina vetera consentiebant in *seorsùm*, sed Paulinum habebat *solus*, Corsendoncense *solos*. Itidem et Constantiense. Aliquis offensus perissologiâ, vocem alteram ut supervacaneam reliquit. Verùm hoc modo voluit evangelista significare secessum vehementer secretum. Et transfiguratus est. Græcè est, *et dùm orant illi, transfiguratus est;* quanquàm illud, *dùm orant*, in plerisque Græcorum codicibus non additur, nec à nobis est additum. Apparet hùc transcriptum ex Lucæ cap. 9, quando Theophylactus nec legit, nec attingit hanc particulam.

Vers. 2.—Splendentia et candida. Abest in Græcis conjunctio, ut intelligas ex insigni candore fuisse relucentia. Hoc et ideò visum est admonere, quo minùs absurdum videatur quod in Matthæo Græci legunt, *ut lux*, non *ut nix*. Qualia fullo. Poterat vitare absurditatem sermonis, si οἷα vertisset in adverbium, *quàm candida reddere non potest fullo.*

Vers. 4. — Et faciamus, Græca, *vis faciamus;*

addidit propter mysterium; tunc enim regeneratio, modò doctrina significatur. Et propterea tunc satis fuit testificare quòd est Filius; modò oportuit testificari etiam quòd est doctor audiendus à mundo, præsertim de futuris in aliâ vitâ.

VERS. 9. — ET VERBUM CONTINUERUNT APUD SE, CONQUIRENTES QUID ESSET CUM A MORTUIS RESURREXERIT, pro, *illud, à mortuis resurgere.* Significatur enim quòd isti tres discipuli inter se disputabant illud à Jesu dictum scilicet à *mortuis resurgere.* Dixerat enim, *nisi cùm Filius hominis à mortuis resurrexerit;* et non penetrantes resurrectionem seu resurrectionis statum immortalem et gloriosum, disputabant inter se, non quid significaretur, sed quid esset *Jesum à mortuis resurgere.*

VERS. 10. — ET INTERROGABANT EUM, DICENTES: QUID ERGO; superfluit, *ergo*, DICUNT PHARISÆI ET SCRIBÆ. Superfluunt duæ dictiones, scilicet, *Pharisæi et.* Legendum est enim interrogativè: *Quid dicunt scribæ quia Eliam oporteat venire primum?* Piscatores nescientes legem et prophetas, nisi ex auditu à doctoribus legis, qui scribæ vocantur. QUIA ELIAM OPORTET VENIRE PRIMUM, ante Messiæ adventum, ex Malachiæ cap. ult., audierant isti contraria; nam à scribis intellexerant quòd Elias præcederet adventum Messiæ; ab ipso verò Eliâ et Moyse audierant Jesu Messiæ passionem et mortem imminere, et viderant Eliam recessisse; unde perceperant quòd non esset Elias tunc venturus. Et propterea quærunt quomodò hæc verificantur. Solutio quæstionis subditur:

VERS. 11.—QUI RESPONDENS, AIT ILLIS. Distinguit de Eliâ in propriâ personâ et de Eliâ in spiritu et virtute. Ecce venturus est: iste jam venit incognitus et occisus. ELIAS, in propriâ personâ, de quo loquuntur scribæ. CUM VENERIT, ut Malachias prophetavit, ante adventum Jesu Christi, ad judicium mundi. RESTITUET. Græcè præsentis temporis est *restituit.* Quoad autem sensum nihil refert; quod enim nobis futurum est, hoc præsens erit tempore Eliæ. OMNIA, Israel, in prædam abducta ab antichristo, quia tunc Israel salvabitur. Reddet omnes fidei veri Messiæ; restituet omnia Israel, in regnum cœlorum reducendo omnes illos. ET QUOMODO SCRIPTUM EST IN FILIUM HOMINIS, UT MULTA PATIATUR ET CONTEMNATUR. — VERS. 12. — SED DICO VOBIS QUIA ET ELIAS VENIT, in spiritu et virtute, ut angelus Gabriel, dixerat, et testimonium perhibuit de me. ET FECERUNT ILLI QUÆCUMQUE VOLUERUNT. Non ait, *et dixerunt*, quod ex Evangelio constaret, sed, *fecerunt*, quod ex Evangelii historiâ non habetur, nisi quia primates Galilææ, convivæ in natali Herodis concausæ describuntur decollationis Joannis, dùm scribitur quòd etiam propter simul discumbentes jussit Herodes caput Joannis afferri. Cùm enim Dominus significet Judæos dicendo, *fecerunt*, et Herodes ac Herodias non fuerint Judæi, sed proselyti, oportet, aut propter dictam concausalitatem, aut propter aliam non scriptam, intelligere Judæos concurrisse ad necem Joannis. Ratio quare Jesus miscuit quæstioni de Eliâ Joannem Baptistam insinuatur, ut scilicet discipuli intelligerent quòd non mysticè, sed in veritate ipse esset passurus mortem sicut Joannes passus est mortem.

Tam alieni siquidem erant discipuli à fide passionis et mortis Jesu, ut fidei de adventu Eliæ interserat Jesus fidem passionis et mortis suæ: propterea cùm comprobâsset dictum scribarum ab adventu Eliæ, statim adjungit, *et quomodò scriptum est de Filio hominis ut contemnatur*, etc., ut vel sic ex consortio similis credibilis incipiant credere futuram passionem et mortem ipsius. Ubi etiam perspice quòd priùs prænuntiavit passionem et mortem suam absolutè; modò autem repetendo prænuntiat prophetatam in sacris Scripturis mortem passionemque suam. Et quoniam nescientibus sacras Scripturas loquebatur, munivit hoc credendum duplici testimonio, scilicet simili fide venturi Eliæ, et morte Joannis Baptistæ, similiter prophetata; ut sicut credunt prophetatum Eliam venturum, et sciunt Joannem Baptistam mortuum, ita credant verè futuram passionem et mortem ipsius jam prophetatam in Scripturis.

VERS. 13. — ET VENIENS AD DISCIPULOS SUOS, alios; tres enim cum eo veniebant. SCRIBAS CONQUIRENTES CUM

---

quanquàm pleraque Græcorum exemplaria consentiunt cum nostrâ editione vulgatâ.

VERS. 6. — CHARISSIMUS. Est ἀγαπητός, id est, *dilectus* sive *charus,* nisi quòd articulus additus indicat *unicè dilectum.* AUDITE ILLUM. Jam iterùm ea vox audita summam auctoritatem arrogat Christo, unum hunc doctorem creavit ipse Deus Pater. Hoc auctoritatis nulli theologorum, nulli episcoporum, nulli pontificum, aut principum tributum est. Non quòd his non sit parendum, sed quòd Christo præcipuè, et ob Christum illis, si modò Christo digna præcipient, et si sequentur eorum vestigia, de quibus dictum est: *Qui vos spernit, me spernit, et qui vos audit, me audit.* At nunc videmus dormitari passim ad Christi doctrinam, ceu crassam ac rudem, et concionis auribus inculcari quid dixerit Scotus, quid Thomas, quid Durandus, et pluris fieri inter monachos, quid statuerit Benedictus, aut Bernardus, aut Franciscus, quàm quid is docuerit, de quo uno vox Patris audita est, *ipsum audite.* Illi ferre non possunt, si quis verbulo elevet Dominici aut Francisci auctoritatem, et nos feremus æquo animo servulos anteponi Domino? Illud obiter admonendum, ubi narratur vox hæc Patris audita jam baptizato Domino, non additur ab evangelistis *ipsum audite*, probabile tamen et hanc partem non abfuisse, et si non fuisset prolata sensus eam includit. In hoc enim manifesto testimonio commendat Filium suum, ut illi fides haberetur. Unde cultus ecclesiasticus in Epiphaniis canit publicitus: *Spiritus sanctus visus est, paterna vox audita est, hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.*

VERS. 10. — QUID ERGO DICUNT. *Quomodò ergo dicunt;* quanquàm emendati codices habebant: *Quod dicunt.* Et mox.

VERS. 11. — PRIMO RESTITUET OMNIA; *restituit,* præsentis temporis, ut referatur ad prophetiam Malachiæ, quæ prædixit id futurum, non ad tempus aliquod definitum; et *primum* Græcis dictum pro *prius.*

ILLIS; hoc est, disputantes cum discipulis Jesu. VERS. 14. — ET CONFESTIM OMNIS POPULUS, pro, *turba*, VIDENS JESUM, STUPEFACTUS EST; ET EXPAVERUNT. Superfluit, *et expaverunt.* Ratio stupefactionis turbæ, aut inopinatus Jesu adventus illùc, aut nescio quid insolitum in Jesu ex transformatione descendente apparuit turbæ; sicut Moysi descendentis à colloquio divino, facies apparuit fulgens. Unde et subjungitur insolitus actus turbæ, scilicet quòd accurrentes salutaverunt Jesum; accursus enim significat desiderium præsentiæ Jesu; salutatio autem reverentiam, ut ex hoc facto intelligamus attractivum aliquid in Jesu apparuisse. — VERS. 15. — ET INTERROGAVIT EOS, pro, *scribas*, QUID INTER VOS, pro, *adversùs illos*, seu, *cum illis*, CONQUIRITIS? Ut enim dictum est, disputabant scribæ cum discipulis Jesus, et quamvis Jesus sciret omnia, interrogat tamen scribas quâ de re disputant cum discipulis suis, ut responsio, occasio fiat miraculi sequentis.

VERS. 17. — ET DIXI DISCIPULIS TUIS UT EJICERENT ILLUM, ET NON POTUERUNT. Hinc apparet materiam disputationis fuisse impotentiam discipulorum Jesu ad curandum puerum lunaticum oppressum à dæmonio; nisi enim de hoc disputâssent, quærenti Domino à scribis, *quid conquiritis cum illis,* non diceret Marcus, *et respondens unus,* proferens dictam discipulorum impotentiam, etc. Rationabile autem est quòd scribæ imputarent discipulis mali aliquid; puta quòd vanè sequerentur Jesum, aut aliquid hujusmodi, ex quo non poterant illum curare.

VERS. 18. — QUI RESPONDENS EIS DIXIT : O GENERATIO INCREDULA. Apparet hinc incredibilitatem illorum obstitisse curationi istius.

VERS. 19.— CUM VIDISSET, supple, *Jesus*, EUM, lunaticum, STATIM SPIRITUS CONTURBAVIT, pro, *discerpsit*, ILLUM. Et intellige discerptionem non membrorum, sed virium. ET ELISUS, pro, *lapsus*, IN TERRAM.

VERS. 20. — ET INTERROGAVIT PATREM EJUS, non ut disceret ignotum, sed ut difficultatem curationis pater pueri confiteretur : et hâc occasione proficeret in fide.

VERS. 21. — SED SI QUID POTES, ADJUVA NOS, MISERTUS NOSTRI. Magna differentia inter hunc et leprosum. Ille dixit : *Domine, si vis, potes me mundare;* iste non credit potestatem in Jesu, dicendo, *si quid potes.*

VERS. 22. — JESUS AUTEM AIT ILLI : *Si potes credere.* Deest præcedens articulus, *hoc si potes credere.* Apta objurgatio, aperiens non ex defectu potentiæ curativæ, sed ex defectu fidei difficultatem curæ provenire. OMNIA POSSIBILIA SUNT CREDENTI. Ex parte petentis fides reddit omnia possibilia, et non solum hoc. — VERS. 23. — ET CONTINUO EXCLAMANS PATER PUERI, CUM LACRYMIS, AIEBAT : CREDO, DOMINE ; ADJUVA INCREDULITATEM MEAM. Fatetur ipsemet semifidem suam; et paulatim proficit, petendo ut suppleat Jesus id incredulitatis quod in se recognoscit.

VERS. 24. — COMMINATUS EST SPIRITUI IMMUNDO, pro, *increpavit spiritum immundum*, DICENS ILLI : SURDE ET MUTE SPIRITUS. Hinc habes et quòd dæmon reddit quandoque hominem surdum et mutum; similisque est ratio de aliis ægritudinibus, et quòd non sunt audiendi philosophi deridentes eos qui dicunt quòd dæmon causat quandoque hujusmodi ægritudines eò quòd causas naturales habent. Falluntur enim ex affirmatione causarum naturalium intrinsecarum, inferendo negationem extrinsecæ causæ qui dæmon est; non enim dicimus dæmonem sine mediis causis surdum et mutum efficere; sed applicando activa passivis; ex industriâ siquidem Jesus alloquitur dæmonem, *surde et mute spiritus*, ad confutandum negantes hujusmodi ægritudines à spiritu malo quandoque esse. EGO PRÆCIPIO TIBI, EXI AB EO, ET AMPLIUS NE INTROEAS IN EUM. Ad cumulum testimonii quòd spiritus sit efficiens illum surdum et mutum ac lunaticum (ut alius evangelista testatur) præcepto cogit illum ad exeundum; præcepta enim intelligentibus diriguntur.

VERS. 26. — JESUS AUTEM TENENS MANUM EJUS, ELEVAVIT EUM, ET SURREXIT. Si non credis verbis Jesu, considera facta; et vel sic crede fuisse spiritum; ægritudo siquidem pura non curatur clamando, discerptionem patiendo, ita ut fiat velut mortuus : imò tunc maxima ægritudinis vis et tamen tunc Jesus elevavit eum, et surrexit sanus. Et dæmon quidem torsit puerum quia invitus exibat, faciens pejus quod potuit : Jesus autem permisit hæc fieri ut evidentia miraculi magis elucesceret.

VERS. 28.—ET DIXIT ILLIS : HOC GENUS IN NULLO POTEST EXIRE NISI IN ORATIONE ET JEJUNIO. Paulò ante Jesus fidem requiri ex parte patientium dixerat, modò jejunium et orationem ex parte curantium requiri docet ; ut intelligamns miracula quandoque impediri ex parte agentis et quandoque ex parte patientis.—VERS. 29.—ET INDE PROFECTI PRÆTERGREDIE-

VERS. 15. — QUID INTER VOS CONQUIRITIS. Potest et hic sensus accipi. *Et interrogavit scribas : Quid conquiritis,* sive *disputatis adversùs illos,* sive *cum illis.* Apparet interpretem legisse πρὸς ἑαυτοὺς, sive πρὸς αὑτοὺς id est, *inter vos.* Sed aliàs admonuimus hanc orthographiæ rationem passim negligi in Græcis codicibus.

VERS. 19. — SPIRITUS CONTURBAVIT. Græcè est, *statim spiritus discerpsit puerum.* Opinor interpretem legisse ἐτάραξε, ac fortassè rectiùs; quanquàm in plerisque exemplaribus non erat παιδίον, sed αὐτόν : apparet enim jam non fuisse puerum, cùm pater respondeat hoc illi à puero accidisse ; etiamsi paulò post vocat eum puerum pater pueri. ELISUS IN TERRAM, *et lapsus in terrâ.*

VERS. 20. — AB INFANTIA. Græcè *à puero* ; sed rectè mutavit interpres, nisi dicere maluisset, *à primâ pueritiâ ;* jam enim puer erat, cùm sanaretur. Et *in aquam*, Græcis est *in aquas*, consentientibus et vetustis exemplaribus, nominatim Constantiensi.

VERS. 22. — SI POTES CREDERE. Addidit articulum, qui tamen ad superiora referri potest, ut respondeat : *Dixit ei*, videlicet *illud* quod audies, sive ad sequentia : *Hoc si potes,* nempe *credere.* Quemadmodùm dicitur Græcis, τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄγαν με τέρπει. Nec enim est hic otiosus articulus, qui magno consensu habetur in Græcorum exemplaribus.

VERS. 29. — PRÆTERGREDIEBANTUR GALILÆAM, παρεπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας. Præpositio παρὰ, facit, ut intelligas illos clam, aut celeriter et in transcursu,

BANTUR GALILÆAM. Deest in medio præpositio *per*: *prætergrediebantur per Galilæam*. Significatur enim celer transitus per Galilæam absque commoratione.

VERS. 30. — FILIUS HOMINIS TRADETUR, pro *traditur*, IN MANUS HOMINUM, et OCCIDENT EUM, et OCCISUS TERTIA DIE RESURGET. Ecce tertiò Jesus prædicit discipulis suis suam passionem et mortem; prædicit autem tanquàm præsentem, ut intelligant quòd in januis est.

VERS. 31. — AT ILLI IGNORABANT VERBUM, ET TIMEBANT INTERROGARE EUM. Omnes istæ octo dictiones sunt superfluæ.

VERS. 32. — QUID IN VIA; deest, *inter vos ipsos*, TRACTABATIS, pro *disputabatis?*

VERS. 33. — QUIS EORUM MAJOR ESSET. In Græco habetur *quis major;* cætera addidit interpres pro claritate.

VERS. 34. — ET RESIDENS VOCAVIT DUODECIM. Hinc insinuatur quòd priorem interrogationem, *quid in viâ disputabatis*, dixerat communiter ad discipulos antequàm sederet; postquàm autem sedit non vocavit omnes discipulos, sed duodecim, qui accedentes ad eum, dixerunt id quod Matth. 16 legitur, *Quis putas major est in regno cœlorum?* quod Marcus tacet, ita quòd qui priùs tacuerant præ verecundiâ fateri disputationem suam propriæ ambitionis, postquàm vocati fuerunt, non tanquàm respondentes, sed potiùs tanquàm invertentes materiam interrogando petunt, *num quis major?* sed, *quis major in regno cœlorum?* timuerunt enim cùm se viderunt vocatos deprehendi et reprehendi. ET AIT ILLIS: SI QUIS VULT. Monstrat Jesus quòd vidit cogitationes eorum ambitiosas quamvis verba eorum ambitionem non sonarent, dicendo quòd quicumque appetit primatum, oportet esse ultimum. PRIMUS ESSE, non videri, non haberi, ERIT OMNIUM NOVISSIMUS ET OMNIUM MINISTER. Pondera ordinem, appetitum primatûs fundat super *esse*, non super appetitum, sed super *esse ultimum ac minimum;* apertè docens: Si vis esse primus, esto omnium ultimus ordine, et minimus subjectionis officio.

VERS. 35. — ET ACCIPIENS PUERUM, STATUIT EUM IN MEDIO EORUM. QUEM CUM COMPLEXUS ESSET, pro, *cùm posuisset in ulnis*. Undè significatur puer hic infantilis ætatis. Et ordine præpostero scripta sunt; nam priùs tenuit ipsum in ulnis, et deindè statuit in medio.

VERS. 36. — QUISQUIS UNUM EX HUJUSMODI PUERIS RECEPERIT IN NOMINE MEO, ME RECIPIT. Per demonstratum puerum intendit repræsentatum per puerum; hoc est, humilem corde; tales enim significantur per hujusmodi pueros. ET QUICUMQUE ME SUSCEPERIT, NON ME SUSCIPIT, SED EUM QUI ME MISIT. In Deum resolvit receptionem cujuscumque minimi; tum ut meriti ratio ex relatione ad Deum cognoscatur, tum ut omnis gloria in Deum referatur.

VERS. 37. — RESPONDIT ILLI JOANNES. Quia dixerat Jesus *quisquis receperit unum in nomine meo*, intellexerat Joannes verbum Jesu non de solâ receptione ad hospitium aut ad consortium, sed amplissimè de quâcumque acceptatione seu approbatione; et occasionem inde accepit respondendi, an is qui in nomine Jesu ejicit dæmonia, et tamen non est de consortio discipulorum sequentium Jesum, sit probandus an reprobandus. Et hanc consultationem proponere intendit narrando factum. DICENS: MAGISTER, VIDIMUS QUEMDAM IN NOMINE TUO EJICIENTEM DÆMONIA. Hinc apparet quòd discipuli Jesu miracula faciebant interjectâ invocatione nominis Jesu. QUI NON SEQUITUR. Legendum esset: *Et prohibuimus eum quia non sequitur nos*. Zelo unitatis moti videntur discipuli prohibentes illum.

VERS. 38. — JESUS AUTEM AIT: NOLITE PROHIBERE EUM. NEMO EST ENIM QUI FACIAT VIRTUTEM IN NOMINE MEO, ET POSSIT CITÒ MALÈ LOQUI DE ME. Prima hæc ratio ex parte vitandæ detractionis sumitur; ideò enim non prohibendum mandat, quia utens nomine Jesu ad facienda miracula non facilè detrahit ipsi Jesu; non detrahere autem Jesu, utile est christianæ fidei. Et hinc habetur quòd iste qui ejiciebat dæmonia in nomine Jesu, non plenè credebat, sed erat sicut illi qui dicent: *Nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* erat sicut illi descripti in Actibus Apostolorum cap. 19, quibus dixit dæmon: *Jesum novi, et Paulum scio, vos autem qui estis?*

VERS. 39. — QUI ENIM NON EST ADVERSUM NOS, PRO NOBIS EST. Altera ratio ex negatione medii inter *pro* et *contra* sumitur, ita quòd declarat Jesus non dari medium in religiosis et moralibus; sed esse tam

velutque obiter fecisse iter per Galilæam, ita ut nec aperirent se usquàm, nec commorarentur; et videri poterant declinâsse Galilæam in discessu, nisi obstaret præpositio διὰ, quæ facit, ut non possit aliud accipi, quàm illis iter esse factum per Galilæam.

VERS. 30. — FILIUS HOMINIS TRADETUR, Græcè, *traditur*, ut intelligas mox futurum.

VERS. 31. — AT ILLI IGNORABANT VERBUM, ET TIMEBANT EUM INTERROGARE. Hæc non habentur in editione Aldinâ. Quod an casu factum sit nescio. Poterat videri factum ab eo, quisquis fuit, qui sibi videtur habuisse studio, ut assutis aliunde fragmentis redderet Marci Evangelium aliquantò copiosius; nam hæc habentur in Lucâ, nisi consentirent Latini codices cum Græcis.

VERS. 32. — QUI CUM DOMI ESSET. Græcè, *et cùm esset in domo*, sive *in ædibus*, non utique suis.

VERS. 33. — QUIS EORUM MAJOR ESSET. Græcè tantùm est, *quis major*. Reliqua addita sunt explicandæ rei gratiâ.

VERS. 35. — QUEM CUM COMPLEXUS ESSET, *et cùm posuisset in ulnis*, ut solemus infantulos. *Complectimur* enim et eos quos in ulnas non sumimus.

VERS. 36. — NON ME SUSCIPIT: Græcè, *non me recipit solùm, sed eum qui me misit*. Sic habebant nonnulli Græcorum codices, verùm altera lectio mihi magis probatur. Nec enim hìc negatio removet, sed corrigit magis; quasi dicas, *non tàm me recipit, quàm eum qui misit me*.

VERS. 37. — ET PROHIBUIMUS EUM. Post hæc in Græcis exemplaribus repetitur, *quòd non sequeretur nos*. Probabile est aliquem offensum iteratione sustulisse posteriorem particulam.

VERS. 40. — CALICEM AQUÆ FRIGIDÆ. *Frigidæ*, nec

religiosos quàm morales actus, aut contra ipsum Jesum aut pro ipso. Et verè sic est; quoniam si recti sunt mores, si recta est religio, pro Jesu est, pro fide Christianâ est: non recta autem religio, et similiter non recti mores, contra Jesum sunt. Quocircà iste qui in nomine Jesu dæmones ejiciebat, cùm sanctè religionis actum exerceret, non contra Jesum, sed pro ipso erat. Et ex hoc claro sensu habes consonantiam hujus dicti ad illud Matth. 12: *Qui non est mecum, contra me est;* eadem enim est ratio veritatis utriusque.

VERS. 40. — QUISQUIS ENIM POTUM DEDERIT VOBIS CALICEM AQUÆ FRIGIDÆ IN NOMINE MEO QUIA CHRISTI ESTIS, AMEN DICO VOBIS, NON PERDET MERCEDEM SUAM. Manifestat quod dixerat, scilicet ejicientem dæmonia in nomine Jesu esse pro eis, argumento à minori; quia quisquis in nomine meo dederit vobis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam; ut per hoc intelligant quòd multò magis mercedem suam recipient, qui vobis hoc præstant quòd nomen meum invocant ad expellendum dæmones; quantò longè minus est præbere vobis calicem aquæ frigidæ. Et docuit nihilominùs per hoc quòd quantùmcumque minimum officium intuitu Jesu factum, dignum est mercede apud ipsum. Et rursus quòd quilibet quantùmcumque pauper, potest aliquod opus misericordiæ exhibere, saltem calicem aquæ frigidæ.

VERS. 41. — ET QUISQUIS SCANDALIZAVERIT, pro *scandalizat*, UNUM EX HIS PUSILLIS CREDENTIBUS IN ME. Intercisus fuerat sermo Jesu de parvulis occasione verborum Joannis, et propterea modò redit ad priorem sermonem de magnipensione parvulorum cum extensione doctrinæ de scandalis; nam 1° exemplum dedit illis ut intelligant internam animi humilitatem ex quantitate parvuli et ex qualitate animi in ætate non ambiente, non contrariâ regno cœlorum, ut hinc intelligamus humilitatem commendari et præferri ex parte contrarii; hoc est, ad removendam superbiam, contrariam et ingressui et profectui in regno cœlorum. 2° Secundùm correspondentiam debetur humilitati majoritas: sicut luctui consolatio et paupertati regnum. 3° Viri humilis dignitatem aperit, quòd personam ipsius Jesu Christi agit apud suscipientes ipsum virum humilem in nomine Christi. 4° Humilium dignitas ex pœnâ scandalizantis eos, pensanda describitur. Non dicit, *fecerit scandalizari*, sed, *scandalizaverit;* quia quamvis ille non scandalizetur, non ruat, tu tamen qui scandalum das, scandalizas, et crimen scandalizantis non evadis. UNUM. Non exigitur ad hanc pœnam ut scandalizes populum aut multos; sed si unum tantùm scandalizaveris, locus est pœnæ. Et in Matth., non solùm prohibet scandalizare parvulos suos, sed despicere. Utrumque enim crimen facilè in humiles exercet humanum genus, nam et offendicula ponere ad ruinam humilium seu abjectorum hominum, pro nihilo habetur; et despicere humiles seu abjectos morale est. Et propterea sapientissimus Magister, volens suos discipulos esse pauperes et humiles, præcipit universis: *Videte ne contemnatis etiam unum ex istis.* DEMERGATUR IN PROFUNDUM MARIS. Piscatoribus et juxtà mare conversatis discipulis pœnam à submersione violentâ describit, ut intelligant pejus morte violentâ et inevasibili malum paratum scandalizanti unum parvulum.

VERS. 42. — ET SI SCANDALIZAVERIT, pro *scandalizat,* TE MANUS TUA, ABSCINDE ILLAM. Cautela eorum quibus inferuntur scandala, subinfertur, consistens in hoc quòd si aliquid est tibi occasio peccandi, quamvis illud sit tibi sicut altera manus, alter oculus aut alter pes, separa illud à te; ubi adverte quòd non proprius, sed metaphoricus est sermo iste dominicus. Nam non docet naturalia membra abscindere; sed ea quæ sunt nobis necessaria seu utilia ut membra naturalia. Ideò autem membra gemina, manus, pedes et oculos, in metaphoram attulit, et non caput, nec ambas manus ambosque pedes seu oculos evellendos censuit, ut significaret quòd possibiles ac tolerabiles abdicationes præcipit. Si enim quod scandalizat te non potes à te separare (vel quia caput tuum est: vel quia non membrum tuum est, ut in potestate tuâ sit separatio; vel quia utrâque manu carere oporteret) non indicitur tibi à Domino abscisio. Sed nec perplexus relinqueris; sed superest remedium: attende tibi et cave ne scandalizans te, habeat effectum in te; *cave ne tu consentias ruinæ tuæ altero stimulante.* IN IGNEM INEXTINGUIBILEM. Appellatur inferni inextinguibilis, aut quia perpetuus est, aut quia (quod potiùs crediderim) alterius est naturæ ab igne qui apud nos est.

VERS. 43. — UBI VERMIS EORUM NON MORITUR, ET IGNIS NON EXTINGUITUR. Affert Salvator auctoritatem ex Isaiæ prophetæ cap. ult., de pœnis inferni. Ex quâ rationabiliter conjicitur quòd sicut vermis damna-

in Græcis additur exemplaribus, nec apud Hieronymum editione Basiliensi, nec in vetustissimis exemplaribus, nominatim in Paulino, nec in Corsendoncensi, nec in Constantiensi, nec in aureo denique. NON PERDET MENSURAM SUAM. *Mercedem* legendum pro *mensura*. Atque ita scriptum est in emendatioribus Latinorum exemplaribus, et in Vulg.

VERS. 41. — MOLA ASINARIA. Græci legunt, *saxum molare*. Apud Matthæum autem, *mola asinaria*.

VERS. 42. — DEBILEM. *Cylus* propriè Græcis dicitur, cui altera manus trunca sit, aut manca. Nam *debilitas* ad omnia membra pertinet, quemadmodùm χωλὸς ad pedes propriè pertinet.

VERS. 43. — UBI VERMIS. Alibi vertit *æruginem*, quod hìc *vermem*. Cæterùm *moritur* et *exstinguitur*, utrumque præsentis temporis est Græcis, licèt in Latinis codicibus aliquot depravare cœperint, *morietur*, *exstinguetur*. Qui ex hoc loco contendunt ignem apud inferos esse materialem, necesse est ut fateantur illic et vermem esse materialem; quod si hìc tropum admittunt, *vermem* interpretantes *remorsum conscientiæ*, poterunt et per *ignem* accipere *perpetuum cruciatum animæ;* in quem sensum hunc locum interpretatur Theophylactus.

VERS. 46. — LUSCUM, *unoculum*. Quod tamen eleganter vertit hoc sanè loco. *Luscus* enim Latinis dicitur, non qui strabis ac distortis sit oculis, sed qui altero careat oculorum.

torum non est naturalis vermis, ita ignis eorumdem non est naturalis ignis; sed uterque metaphoricè. Et vermis quidem appellatur intrinseca pœna sensùs, velut corrodens internus morsus; ignis autem exterior pœna tam vehemens quàm ignis nos cruciat. Et attulit testimonium Isaiæ, ut intelligerent à prophetis esse prædictas pœnas inferni quas ipse Jesus prædicabat.

VERS. 48. — OMNIS ENIM IGNE SALIETUR. Docuerat abscindendam manum, eruendum oculum, præcidendumque pedem, si scandalo nobis essent, ad evitandum ignem æternum. Et quia per abscisionem hujusmodi non significabantur ipsæ abscisiones membrorum, sed abdicatio commodorum utilium ac delectabilium quæ afflictio est, ac per hoc nonnullus ignis est, ideò sub specie ignis genus totum afflictionum et tribulationum voluntariarum comprehendit. Et docet quòd omnis electus, igne tribulationis saliendus est; hoc est, igne hujusmodi utetur ad servandum seipsum à malo; igne enim saliri, est igne uti ad salitionem; hoc est, ad servandum ne putrescat. Docemur siquidem per hoc quòd electus quisque eget voluntario tribulationis igne ad se servandum ne corrumpatur vitio aliquo. Unde et Paulus castigabat corpus suum, et accepit stimulum carnis ne extolleretur. Et docuit per hoc discipulos tùm necessitatem amplectendi afflictiones; utpotè necessarias ad servandum eos; quia non solùm sunt necessariæ patientibus scandala, sed universaliter omnibus electis, tùm ad utendum afflictionibus rationabiliter, juxtà illud Apostoli: *Rationabilem cultum vestrum.* Salitio siquidem utrumque habet officium, et servandi et condiendi. ET OMNIS VICTIMA SALE SALIETUR. Firmat Salvator dictum suum auctoritate legis veteris; exponendo mysticè quòd ideo in lege præceptum est quòd omnis victima sale condiatur, ut figuretur quòd omnis electus viva Dei victima, saliendus est.

VERS. 49. — BONUM EST SAL; QUÒD, SI SAL INSULSUM FUERIT, IN QUO ILLUD CONDIETIS? Quia documentum de abscisione manûs, etc., datum est et cuilibet privato homini, ut ejiciat à se omnes occasiones peccandi, et personis publicis, ut tollant à gregibus sibi creditis occasiones peccandi; ideò postquàm declaravit illud respectu singulorum, modò declarat respectu pastorum Ecclesiæ. Et intendit per sal rationem ut exercet officium tùm servandi subditos à malo, tùm condiendi opera regiminis ut suaviter cuncta disponantur. Et sal quidem verè bonum est; utpotè valens ad servandum et condiendum omnia alimenta, et si insulsum fuerit irreparabile est; nihil enim habemus quo condiamus illud. Et similiter ratio bona est et ad suavitatem regiminis et ad servandum populum à malo; sed si ratio stulta est, irreparabilis est, utpotè defectus principii et regulæ. HABETE IN VOBIS SAL. Ex parabolâ salis infert intentum: Habete, vos quos elegi in pastores mundi, sal rationem, in vobis ipsis, non in libellis: ad condiendum opera regiminis, ad servandum commissos vobis à contagione et occasione peccatorum. Et dixit hoc ne præcipites tollerent scandalizantes, sed utantur sale rationis. ET PACEM HABETE. Quamvis multa consideranda sint à ratione procedente ad tollendum occasiones peccandi in populo, Jesus tamen unius quod præcipuum est meminit, scilicet pacis: vult enim servari pacem, sine quâ nihil boni est in populo. Et per hoc prohibet rationi zelum ad tollendum scandala, si simul cum scandalis tollitur pax. Et est sermo de pace ipsius Ecclesiæ in seipsâ; et non de pace Ecclesiæ cum persecutoribus ipsius, propter hoc enim adjunxit: *Inter vos.*

VERS. 48. — OMNIS ENIM IGNE SALIETUR. Quò sermo foret mollior, nos de nostro addidimus, *omnis homo.*

VERS. 49. — SI SAL INSULSUM FUERIT. Sic reddidit prosonomasiam, *si sal sale caruerit.* IN QUO ILLUD CONDIETUR. *Condietis* lego in vetustis codicibus, et in Vulg. Sic enim legisse videtur qui sic vertit. Et aptius erat *ipsum*, quàm *illud.* HABETE IN VOBIS. *Salem* hìc usurpavit masculino genere, nihil aliud, opinor, secutus, quàm dictionis euphoniam.

CAPUT X.

1. Et inde exsurgens, venit in fines Judææ ultra Jordanem, et conveniunt iterùm turbæ ad eum; et sicut consueverat, iterùm docebat illos.

2. Et accedentes pharisæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum.

3. At ille respondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses?

4. Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere.

5. Quibus respondens Jesus ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.

6. Ab initio autem creaturæ, masculum et feminam fecit eos Deus.

7. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit ad uxorem suam;

8. Et erunt duo in carne unâ. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.

9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

CHAPITRE X.

1. Jésus étant parti de ce lieu, vint sur les confins de la Judée, au-delà du Jourdain; et le peuple s'étant encore assemblé autour de lui, il recommença aussi à les instruire selon sa coutume.

2. Des pharisiens y étant venus lui demandèrent, pour le tenter: Est-il permis à un homme de renvoyer sa femme?

3. Mais Jésus répondant, leur dit: Que vous a ordonné Moïse?

4. Ils lui dirent: Moïse a permis d'écrire un acte de divorce à sa femme et de la renvoyer.

5. Jésus reprenant la parole, leur dit: C'est à cause de la dureté de votre cœur qu'il vous a fait cette ordonnance.

6. Mais dès le commencement du monde, Dieu forma un seul homme et une seule femme.

7. C'est pourquoi l'homme quittera son père et sa mère, et s'attachera à sa femme,

8. Et ils seront deux dans une seule chair. Ainsi ils ne sont plus deux, mais une seule chair.

9. Que l'homme donc ne sépare pas ce que Dieu a uni.

10. Et in domo iterùm discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.

11. Et ait illis : Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.

12. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.

13. Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos : discipuli autem comminabantur offerentibus.

14. Quos cùm videret Jesus, indignè tulit, et ait illis : Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos : talium enim est regnum Dei.

15. Amen dico vobis : Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

16. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.

17. Et cùm egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum : Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam ?

18. Jesus autem dixit ei : Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus.

19. Præcepta nôsti : Ne adulteres : Ne occidas : Ne fureris : Ne falsum testimonium dixeris : Ne fraudem feceris : Honora patrem tuum et matrem.

20. At ille respondens, ait illi : Magister, hæc omnia observavi à juventute meâ.

21. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei : Unum tibi deest : vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me.

22. Qui contristatus in verbo, abiit mœrens : erat enim habens multas possessiones.

23. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis : Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt !

24. Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursùs respondens ait illis : Filioli, quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire !

25. Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

26. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos : Et quis potest salvus fieri?

27. Et intuens illos Jesus, ait : Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim possibilia sunt apud Deum.

28. Et cœpit ei Petrus dicere : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.

29. Respondens Jesus ait : Amen dico vobis : Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me et propter Evangelium,

30. Qui non accipiat centies tantùm, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres et filios, et agros cum persecutionibus, et in seculo futuro vitam æternam.

31. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

10. Et dans la maison, ses disciples l'interrogèrent encore sur le même sujet.

11. Et il leur dit : Quiconque renvoie sa femme, et en épouse une autre, commet un adultère à l'égard d'elle ;

12. Et si une femme quitte son mari et en épouse un autre, elle commet un adultère.

13. Alors on lui présenta de petits enfants, afin qu'il les touchât. Mais ses disciples repoussaient avec des paroles rudes ceux qui les lui présentaient.

14. Jésus le voyant, s'en fâcha, et leur dit : Laissez venir à moi les petits enfants, et ne les empêchez point, car le royaume de Dieu est pour ceux qui leur ressemblent.

15. Je vous le dis en vérité, quiconque ne recevra point le royaume de Dieu comme un enfant, n'y entrera point.

16. Puis, les embrassant et leur imposant les mains, il les bénit.

17. Quand il fut sorti pour se mettre en chemin, un homme accourut ; et se mettant à genoux devant lui, il lui dit : Bon Maître, que dois-je faire pour acquérir la vie éternelle ?

18. Jésus lui répondit : Pourquoi m'appelez-vous bon? Il n'y a que Dieu seul qui soit bon.

19. Vous savez les commandements : Ne commettez point d'adultère ; ne tuez point ; ne dérobez point ; ne portez point de faux témoignage ; ne faites point d'injustice ; honorez votre père et votre mère.

20. Il lui répondit : Maître, j'ai observé toutes ces choses dès ma jeunesse.

21. Jésus l'ayant regardé, conçut de l'amitié pour lui, et lui dit : il vous manque une chose. Allez, vendez tout ce que vous avez et le donnez aux pauvres, et vous aurez un trésor dans le ciel ; puis venez et me suivez.

22. Mais cet homme, affligé de ce discours, s'en alla tout triste, parce qu'il avait de grands biens.

23. Alors Jésus regardant autour de lui, dit à ses disciples : Qu'il est difficile que ceux qui ont des richesses entrent dans le royaume de Dieu !

24. Les disciples étaient étonnés de ce discours ; mais Jésus leur dit tout de nouveau : Mes enfants, qu'il est difficile que ceux qui mettent leur confiance dans les richesses, entrent dans le royaume de Dieu !

25. Il est plus aisé qu'un chameau passe par le trou d'une aiguille, qu'il ne l'est qu'un riche entre dans le royaume de Dieu.

26. Ils furent encore plus étonnés, et ils se disaient l'un à l'autre : Qui peut donc être sauvé?

27. Mais Jésus les regardant, dit : Cela est impossible aux hommes, mais non pas à Dieu ; car tout est possible à Dieu.

28. Alors Pierre prenant la parole, lui dit : Pour nous, vous voyez que nous avons tout quitté, et que nous vous avons suivi.

29. Jésus répondant, dit : Je vous le dis en vérité, personne ne quittera, pour moi et pour l'Evangile, sa maison, ou ses frères, ou ses sœurs, ou son père, ou sa mère, ou ses enfants, ou ses terres,

30. Que présentement dans ce siècle même, il n'en reçoive cent fois autant, des maisons, des frères, des sœurs, des mères, des enfants, des terres, au milieu même des persécutions, et dans le siècle à venir la vie éternelle.

31. Car plusieurs qui étaient les premiers seront les derniers ; et plusieurs qui étaient les derniers seront les premiers.

32. Erant autem in viâ ascendentes Jerosolymam, et præcedebat illos Jesus, et stupebant, et sequentes timebant. Et assumens iterùm duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei eventura.

33. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus :

34. Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt et interficient eum, et tertiâ die resurget.

35. Et accedunt ad eum, Jacobus et Joannes filii Zebedæi, dicentes : Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.

36. At ille dixit eis : Quid vultis ut faciam vobis?

37. Et dixerunt : Da nobis ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam, sedeamus in gloriâ tuâ.

38. Jesus autem ait eis : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari?

39. At illi dixerunt ei : Possumus. Jesus autem ait eis : Calicem quidem quem ego bibo, bibetis, et baptismo quo ego baptizor, baptizabimini;

40. Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

41. Et audientes decem, cœperunt indignari de Jacobo et Joanne.

42. Jesus autem vocans eos, ait illis : Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum.

43. Non ita est autem in vobis; sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister.

44. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.

45. Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis.

46. Et veniunt Jericho. Et proficiscente eo de Jericho, et discipulis ejus, et plurimâ multitudine, filius Timæi (Bar-Timæus), cæcus, sedebat juxta viam mendicans.

47. Qui cùm audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare, et dicere : Jesu, fili David, miserere meî.

48. Et comminabantur ei multi, ut taceret. At ille multò magis clamabat : Fili David, miserere meî.

49. Et stans Jesus, præcepit illum vocari : Et vocant cæcum, dicentes ei : Animæquior esto : surge, vocat te.

50. Qui projecto vestimento suo, exsiliens, venit ad eum.

51. Et respondens Jesus, dixit illi : Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei : Rabboni, ut videam.

52. Jesus autem ait illi : Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in viâ.

32. Lorsqu'ils étaient en chemin pour aller à Jérusalem, Jésus marchait devant eux, et ils étaient saisis d'étonnement, et ils le suivaient avec crainte. Alors Jésus prenant encore en particulier les douze, commença à leur dire ce qui devait lui arriver.

33. Voici que nous allons à Jerusalem, et le Fils de l'homme sera livré aux princes des prêtres, aux scribes et aux sénateurs ; ils le condamneront à mort, et le livreront aux gentils;

34. Ils lui insulteront, lui cracheront au visage, le fouetteront, le feront mourir, et il ressuscitera le troisième jour.

35. Alors Jacques et Jean, fils de Zébédée, vinrent à lui, et lui dirent : Maître, nous voudrions bien que vous nous accordassiez ce que nous vous demanderons.

36. Il leur répondit : Que voulez-vous que je fasse pour vous ?

37. Et ils dirent : Faites que dans votre gloire nous soyons assis, l'un à votre droite, et l'autre à votre gauche.

38. Jésus leur répondit : Vous ne savez ce que vous demandez ; pouvez-vous boire le calice que je vais boire, et être baptisés du baptême dont je vais être baptisé?

39. Nous le pouvons, lui dirent-ils. Jésus leur répondit : Il est vrai que vous boirez le calice que je vais boire, et que vous serez baptisés du baptême dont je vais être baptisé;

40. Mais d'être assis à ma droite ou à ma gauche, ce n'est point à moi à vous le donner : ce sera pour ceux à qui il a été préparé.

41. Les dix ayant entendu ceci, en conçurent de l'indignation contre Jacques et Jean.

42. Mais Jésus les appelant, leur dit : Vous savez que ceux qu'on regarde comme les maîtres des nations, leur commandent avec empire, et que leurs princes ont un pouvoir absolu sur elles.

43. Il ne doit pas en être de même parmi vous, mais quiconque voudra devenir le plus grand, qu'il soit votre serviteur;

44. Et quiconque voudra être le premier d'entre vous, qu'il soit l'esclave de tous.

45. Car le Fils de l'homme même n'est pas venu pour être servi, mais pour servir et pour donner sa vie pour la rédemption de plusieurs.

46. Ils vinrent ensuite à Jéricho, et comme il en sortait avec ses disciples, suivi d'une grande troupe de peuple, un aveugle nommé Bar-Timée (fils de Timée), qui était assis sur le chemin pour demander l'aumône,

47. Ayant appris que c'était Jésus de Nazareth, se mit à crier : Jésus, fils de David, ayez pitié de moi.

48. Plusieurs le menaçaient pour le faire taire ; mais il criait encore plus fort : Fils de David, ayez pitié de moi.

49. Et Jésus s'arrêtant, commanda qu'on le fît venir. Ils appelèrent donc l'aveugle, et lui dirent : Ayez bonne espérance ; levez-vous : il vous appelle.

50. Aussitôt, jetant son manteau, il se leva, et vint à Jésus.

51. Jésus, prenant la parole, lui dit : Que voulez-vous que je vous fasse? L'aveugle lui répondit : Rabboni, faites que je voie.

52. Allez, lui dit Jésus; votre foi vous a sauvé. Et au même instant l'aveugle recouvra la vue, et suivit Jésus dans le chemin.

VERS. 1. — ULTRA JORDANEM. Desunt quatuor dictiones. Legendum enim est : *Per locum qui est ultra Jordanem.* Significatur enim quà venerit in fines Judææ, scilicet per locum qui est ultra Jordanem. ET CONVENIUNT ITERUM TURBÆ AD EUM ; ET SICUT CONSUEVERAT ITERUM DOCEBAT ILLOS. Significat evangelista per conventum turbarum iterùm, et similiter per Christi doctrinam iterùm, quòd aliàs Jesus ibidem docuerat turbas, quod Joan. 3 insinuatur.

VERS. 2. — ET ACCEDENTES PHARISÆI INTERROGABANT EUM : SI LICET VIRO UXOREM DIMITTERE ; TENTANTES EUM. Non discendi, sed accusandi causâ interrogant, si fortè contra legem aut populi libertatem in divortiis aliquid dixerit. Erat tunc sicut usque hodiè est inter theologos quæstio tractata in quarto sensu de causâ libelli repudii ; an quælibet causa reddens uxorem exosam viro sufficeret ad licitè dimittendum uxorem. Moyses enim Deuter. 24, utitur verbis generalibus, dicendo, *si non invenit gratiam in oculis viri.* Et propterea Pharisæi in quæstione hâc tentant Jesum.

VERS. 3. — QUID VOBIS PRÆCEPIT MOYSES? Revocat Pharisæos ad sacram Scripturam, ut intelligant divinam sententiam in lege scriptam qui quæstionem de lege movent ; nec audiant ipsum Jesum respondentem, sed legem ipsam.

VERS. 5. — AD DURITIAM CORDIS VESTRI. Non spontè, sed corde vestro non credente, sed existente duro ad divinam legem recipiendam. Duritia hæc, ex hoc ipso quòd nonnisi duritia appellatur, intelligitur Judæorum firmatus animus in hoc quod volebant, sicut aliarum nationum mariti, habere facultatem dimittendi uxores; nam constat etiam Romanos maritos hâc facultate usos.

VERS. 6. — AB INITIO, MASCULUM ET FEMINAM FECIT EOS DEUS. Lege in principio Genesis creationem rerum, et cùm non inveneris in productione piscium, avium et jumentorum mentionem fieri de masculo et feminâ, sed in solâ productione hominis dici, *masculum et feminam fecit eos*, percipies mysterium quod Jesus hìc declaravit, scilicet quòd ideò scriptum est in solo homine, *masculum et feminam creavit eos;* quia per hoc significatur Deum instituisse conjugium, quod in solo homine locum habet. Inchoat itaque Jesus responsionem ab hoc scripto in lege scilicet quòd Deus instituit conjugium ; ad hoc enim significandum explicavit Moyses quòd masculum et feminam fecit eos.

VERS. 1. — ULTRA JORDANEM. *Græcè*, magis sonat, *per regionem*, sive, *ripam, quæ est ultra Jordanem;* etiamsi sensum expressit interpres.

VERS. 4. — MOYSES PERMISIT LIBELLUM REPUDII. Siquidem Moses tantùm juris permisit maritis, ut iniqua videatur lex adversùs uxores, quibus nullâ de causâ licebat à marito divertere, cùm his esset potestas ob quamlibet levem fœditatem abjicere uxores, tantùm scripto libello repudii. Sic enim legimus Deuteronom. cap. 23 *: Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et illa non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo suâ. Cùmque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* Proinde Christum tentant Pharisæi, ut si probâsset Judæorum repudia tam licentiosa, videretur adversùs naturalem æquitatem pronuntiare, quæ ethnicis quoque favorabilis est, apud quos jus erat mutui divortii, neque quâvis tamen ex causâ ; sin secùs, videretur in Mosaicam legem contumeliosus. Illi putabant sibi licere quâvis de causâ quoties libuisset uxorem abjicere : id Christus adstringit, unicam duntaxat causam excipiens, nempe stupri. Annotavit hujus dictionis ἐμφασιν is, quisquis fuit, cujus extat homilia 38, inter mixtas Chrysostomi titulo. Origenes hunc edisserens locum putat et alia crimina, vel paria adulterio, vel etiam graviora, veluti veneficium, parricidium, dirimere matrimonium. Augustinus in causâ divortii idololatriam æquat adulterio ; quòd cultus idolorum sit adulterio misceri cum immundis spiritibus. Sed ad hanc rationem omne peccatum, quòd nos alienat à Deo, dirimet matrimonium. Ego puto ob id exceptum adulterium, quod hoc ex diametro pugnet cum naturâ matrimonii. Neque protinùs tollitur matrimonii sacramentum, si in paucis conjugium malè initum benè dirimatur : non profectò magis quàm adulteriis, quæ nunc passim crebra sunt, aut divortio, quod nos indulsimus, malè cohærentibus. Quanquàm hanc rationem de sacramento nullus veterum, quod sciam, adduxit, cùm tamen, super his crebra prolixaque sit disputatio, præsertim Augustino, ac Hieronymo. Neque statim homo disjungit, quod Deus conjunxit, imò quod per lenas ac lenones, per vinolentiam, per stultitiam et incogitantiam malè conjungit diabolus, id per auctores ac ministros Ecclesiæ suæ benè disjungit Deus. Atque utinam sic coirent inter Christianos omnia matrimonia, ut auctore Deo jure dici debeant inita ; aut tales essemus omnes, ut non opus foret aliquo divortio : nec esset in nobis ea σκληροκαρδία ob quam olim Judæis permissum est uxorem abjicere. Augustinus ad Pollentium exceptionem torquet ad partem duntaxat priorem, *facit eam mœchari*; ut ad hoc tantùm valeat exceptio, non quo liber sit à matrimonio qui repudiat uxorem, sed ne videatur illam facere mœcham, cùm mœcham repudiet. Cæterùm quicumque eam duxerit, sive causâ adulterii repudiatam, sive aliâ quâvis de causâ, committit adulterium. Quod Augustini commentum an perinde cum ipsâ veritate naturâque consentiat, ut est argutum, eruditis expendendum relinquo. Certè locus hic difficultatum plenus est, ut de quo non eadem senserint ecclesiastici doctores; cùm Ambrosius, exponens Epistolam ad Corinthios priorem, tribuat marito jus repudiandi, neque secùs sentiat Origenes. Unde coacti sumus aliud quoddam divortii genus inducere, quod ita dirimat consuetudinem domesticam, ut nihilosecius maneat conjugii vinculum. Quod quidem divortii genus, imò nomen duntaxat divortii cùm à nobis sit repertum, de hoc non percontatos fuisse Judæos per se liquet, quibus hoc prorsùs erat incognitum. Porrò quod hodiè passim in scholis dictitant, solo consensu contrahi matrimonium, utinam tam probatum esset, quàm receptum est. Neque postulo ut hic quidquam de pristinâ Patrum constitutione demutet Ecclesia, si id antehac nunquàm est factum. Quod si factum est aliis aliquot in rebus, optârim et hìc fieri, si id pertineat ad salutem hominum. Si fieri non potest, certè votum à pietate proficiscitur ; et optat sæpenumerò charitas, non quòd fieri possit, sed quòd fieri velit. Sed hisce de rebus, ut antehàc attigimus nonnihil, ita copiosiùs dicetur in Paulinis Epistolis, 1 Corinth. 7. Quanquàm hæc ipsa sic dicta velim accipi, non quasi asseram, sed qui proponam eruditis excutienda.

VERS. 7. — PROPTER HOC RELINQUET HOMO. Incertum

Vers. 7. — Propter hoc relinquet *homo* patrem et matrem. Non solùm instituit Deus conjugium, sed instituit personas habiles ad conjugium, eximendo à conjugio patrem et matrem. Contra jus divinum atque naturæ est, ut homo jungatur conjugio cum patre aut matre, et propterea dicitur quòd dimittet homo, à conjugio, patrem filia et matrem filius. Et adhærebit, non mulieri, sed uxori, non cujuscumque, sed *suæ*. Per hoc significans omnes alias personas esse habiles ut sint conjuges. Ex eo enim quòd solos patrem et matrem exclusit, reliquos (scilicet fratres et sorores (1), nepotes et neptes, etc.) liberos (2) significavit ut sint viri et uxores.

Vers. 8. — Et erunt duo in carne una, pro, *in carnem unam*. Institutioni conjugii et idonearum personarum, adjungit ipsum conjugium. Consistit idonearum personarum conjugium in hoc quòd duo sunt in carne unâ, ante siquidem quàm sint una caro non est perfectum conjugium. Non loquimur nunc de sacramento Ecclesiæ, sed de conjugio absolutè, de quo loquitur textus. Et pondera quòd hæc verba Dei concludentis conjugii naturam ex ipsius Dei institutione, non ex humanâ adinventione; propterea enim verba hæc Jesus attribuit Deo. Est itaque conclusio divina, *et erunt duo in carne unâ*. Nec est opus vagando quærere sensum horum verborum, quoniam in promptu est clarus, scilicet quòd duo erunt in carne unâ unitate communitatis. Sicut enim ponentes res suas in communi, sunt duo seu multi in re unâ communi illis, ita maris et feminæ (exclusis patre et matre) conjugium in hoc consistit quòd ponunt carnes suas in communi inter se; ita quòd sunt duo in carne unâ communi utrique, ut patet. Et si adverteris quòd non dicit, *erunt ad horam*, neque *ad tempus*, sed simpliciter et absolutè, *erunt in carne unâ*, percipies non convenire commixtioni meretriciæ adulterinæ aut concubinariæ, esse duos in carne unâ; quia inter eos non est communitas carnis simpliciter et absolutè, sed secundùm quid scilicet ad horam, ad tempus. Propter communitatem enim secundùm quid et de facto, dixit Apostolus, 1 ad Corinth. 6 : *Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur cum eâ;* est enim de facto secundùm quid verum illos esse duos in carne unâ; et non simpliciter et absolutè, ut patet. Itaque. Hactenùs retulit Jesus verba legis in principio Genesis scripta; modò exponit verba Dei ultimò inducta. Jam, ex quo juxta divinam institutionem junguntur in carne unâ. Non sunt duo, secundùm carnem. Ita quòd qui priùs erant duo, qui priùs erant distincti secundùm proprias carnes, jam desinunt esse duo, jam desinunt esse divisi secundùm carnem. Sed una caro. Non dixit, *sed unus*, non dixit, *sed unus spiritus aut unus animus*, sed, *una caro :* ut intelligamus conjugium non tollere diversitatem personarum, non consistere in communitate animæ aut spiritûs (sed cuilibet conjugum proprius restat spiritus propriusque animus), sed in communitate carnis. Neutrius enim caro remanet propria, sed communis utrique reddita est, et propterea non duo, secundùm carnem, sed una caro sunt. Significantius autem dixit *sunt*, ad differentiam communicantium in rebus. Qui enim suas res communes habent, non sunt secundùm aliquid sui indivisi; sed exteriorem rem habent indivisam. Qui verò carnes proprias habent communes, non hìc aut nunc, sed absolutè, quia caro pars altera essentialis est hominis compositi ex animâ et carne, ideò per verbum substantivum significantur indivisi; dicendo, *non sunt duo, sed una caro*. Ex hoc enim quòd adjungitur, *sed una caro*, significatur quòd non sunt duo secundùm carnem, quæ est altera pars substantialis eorum. Nec prætereas quòd nisi Dominus

(1) Sed hæc in extremis, et quasi merè idealibus casibus. (Editores.)

(2) Id est, habiles secundùm jus naturæ. (Editores.)

erat an Deus ille creator olim hoc dixerit, an Christus hæc locutus, illud adjecerit. *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem*. Augustinus libro de Nuptiis et Concupiscentiis secundo, capite quarto, sic accipit, quasi dixerit Deus : *Quod tamen*, inquiens, *Dominus Jesus in Evangelio* Deum dixisse *commemorat*, *quia Deus utique per hominem dixit quod homo prophetando prædixit*. Quanquàm et Genesis capite secundo, unde hæc desumpta sunt ita referuntur hæc verba, ut vel ab Adam dicta videri possint, vel ab eo qui texuit orbis conditi historiam, vel ab ipso Deo. Et adhærebit ad uxorem suam, id est, *agglutinabitur*. Metaphora sumpta ab his, quæ glutino sic committuntur, ut putes unum esse. Annotavit emphasin verbi Chrysostomus homiliâ 63.

Vers. 8. — Duo in carne una, δύο εἰς σάρκα μίαν, id est, *in carnem unam*, hoc est, *è duobus fiet unus* sive *unum*; quandoquidem masculus et femina Græcis neutri generis sunt. Annotavit hanc sermonis Hebraici formam Augustinus libro hujus argumenti 7. Quod genus sunt et illa libro Judicum : *Et eris nobis in caput omnibus habitantibus Galaad*. Item in Psalmis : *Esto mihi in Deum protectorem*. Ne articulus quidem videtur otiosus, καὶ ἔσονται οἱ δύο, hoc est, *erunt, qui duo fuerant, in carnem unam*. Nam totum hominem *carnem* vocat, ut et aliàs Scriptura divina totum hominem *animam* appellat. Adstipulante nobis et divo Augustino libro de Civitate Dei 14. Quod genus et illud est Pauli ad Romanos : *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro*. Quid enim est *omnis caro*, nisi *omnes homines?* Et, *Verbum caro factum est*, id est, *sermo divinus homo factus est*. Porrò *in carnem* legendum esse, non *in carne*, demonstravimus ex Hieronymo in scholiis nostris, quibus illum illustravimus, ubi sic explicat Matthæi verba : *In unum dixit, non in duas*. Et Cyprianus, epistolâ 8 libri 2 : *Erunt*, inquit, *duo in unam carnem*. Et Tertullianus libro 3 adversùs Marcionem : *Et suggerens Ephesiis quod in primordio de homine prædicatum est*, relicturo patrem et matrem, et futuris duobus in unam carnem, *id est, in Christum et Ecclesiam*. Rursùm libro de Monogamiâ : *Et erunt duo in unam carnem, non tres neque plures*. Hæc admonere visum est, ne quis hìc frustra obscœni quippiam imaginetur et sordidè interpretetur de coitu. Itaque jam non sunt duo, οὐκ ἔτι, id est, *posthac non sunt duo*; nempe post initum conjugium. Creati fuerant duo, non unus, nimirùm masculus ac femina. Rursùs copula matrimonii è duobus reddidit unum. Non abludit prorsùs ab hâc sententiâ fabula Aristhophanis, quam apud Platonem adducit in convivio, quanquàm obscœnior est.

Vers. 9. — Quod Deus conjunxit, *conjugavit*, si quis ad verbum malit reddere.

Jesus declarâsset verba Genesis intelligi de carne conjugum, intellexissemus de carne prolis scriptum ad litteram, *et erunt duo in carne unâ, generandâ.*

Vers. 9. — Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Declaratis verbis Dei in lege scriptis (unde habetur Deum duos, scilicet conjuges fecisse carnem unam) infert conclusionem responsivam ad quæstionem Pharisæorum, dicendo, *quod ergo.* Non dicit *quos*, sed *quod*, scilicet conjugium, Deus, non homo, conjunxit, instituendo communitatem corporum in duabus personis idoneis, homo non separet. Ac per hoc directè respondetur quæstioni si licet homini dimittere uxorem; consistit enim responsio in negativâ; quia ex eo quòd Deus conjunxit conjugium, homo non tantæ temeritatis esse debet ut separet conjunctum à Deo. Adverte hìc quòd Dominus Jesus inseparabilitatem conjugii probat ex institutione divinâ ab initio mundi, seclusâ ratione sacramenti ecclesiastici. Oportebit enim hæc recolere in expositione Epistolæ Pauli ad Corinth. : *Si infidelis discedit discedat*, etc. Inter theologos hâc occasione horum verborum, quæstio indecisa propter opinionum diversitatem est, an in lege veteri divortium cum libello repudii fuit licitum. Crediderim ergo nec omninò licitum nec mortaliter illicitum fuisse. Quòd enim non fuerit totaliter licitum ex parte virorum, et textus iste significat (dicens esse permissionem factam vobis, hoc est, maritis, ob duritiam cordis, permissio enim malorum est) et pœna definita maritis dimittentibus uxores, Deuter. 24, scilicet non posse easdem viduas aut repudiatas iterùm ducere in uxores, insinuat. Quòd vero non fuerit mortale peccatum, colligitur tum ex modo legis; sic enim data est lex ista dimittendi uxorem et libellum dandi sicut aliæ leges; ut patet ibi. Tum ex eo quòd Malach. 2 dicitur, *cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus* Israel; nefas enim apparet attribuere Deo dicere *dimitte uxorem*, si crimen esset. Tum ex eo quòd licitum erat uxori dimissæ nubere alteri; ut patet ibidem in Deuter. Sed major quæstio insurgit. Si quod Deus conjunxit homo non potest separare, quomodò divortium illud legale solvebat conjugium? Solutio est quòd lex ista divortii quamvis permissiva, non humanâ, sed divinâ erat facta auctoritate; ut verba Malachiæ prophetæ et contextus Deuteronomii testantur. Ostendit ergo Dominus conjugium ex divinâ institutione conjunctum, nonnisi cum obliquitate aliquâ separatum esse in divinâ lege veteri. Promulgat iterùm novam legem quam coram discipulis promulgaverat in monte.

Vers. 11. — Quicumque dimiserit, totaliter. De tali enim dimissione erat sermo; nam uxorem dimittere absque additione aliquâ, significat non dimittere secundùm quid (puta quoad thorum) sed simpliciter et absolutè; quod est dimittere totaliter, constatque de dimissione absolutè motam esse quæstionem à Pharisæis, et loqui Moysen. Et aliam duxerit, adulterium committit super eam, pro, *in eam.* Adverte quòd Marcus non refert omnia quæ Jesus dixit, omittens exceptionem quam Jesus apposuit scilicet, *exceptâ fornicationis causâ*; ut clarè patet Matth. 19, ubi hæc eadem narrantur. Nec mirum, quia quod unus evangelista dicit (alius quandoque tacet; et quod unus tacet, alius supplet) unde è converso quod Matthæus tacuit (scilicet *super* seu *in eam*) Marcus supplevit. Matthæus siquidem dixit absolutè, *mœchatur.* Marcus autem supplet, mœchatur in eam; ne cogamur intelligere quòd mœchatur absolutè, sed quòd mœchatur in illam, dimissam. Multùm enim differt, *mœchari* vel *mœchari in illam;* mœchatur enim absolutè qui fornicationem committit; mœchatur autem in illam qui fornicationem committit in injuriam illius; hoc est, loco illius cognoscens aliam. Hìc apparet planus litteræ sensus, quem ideò exactè explicaverim, ut intelligatur verum esse quod theologi dicunt, scilicet legem de unitate uxoris, nullibi in canonicis libris esse scriptam.

Vers. 12. — Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur. Nullam exceptionem dat Dominus uxori. Impares siquidem censet, maritum et uxorem quoad causam dimittendi; marito enim conceditur dimittere uxorem causâ fornicationis; uxori autem non permittitur dimittere virum, dare libellum repudii viro, unde et absolutè subjungitur quòd mœchatur, cùm de viro injustè dimittente uxorem et ducente aliam non dixerit *mœchatur,* sed *mœchatur adversùm illam dimissam.* — Vers. 13. — Et offerebant illi parvulos, pro, *pueros.* Comminabantur offerentibus, pro, *increpabant offerentes.* Talium est enim regnum Dei. Non dicit, *horum*, sed *talium*, qualitatem significans innocentiæ existentis in puerulis, et humilitatis significatæ, per eorum parvitatem. — Vers. 15. — Amen dico vobis : Quisquis non receperit, fide et opere, regnum Dei velut parvulus, pro, *puellus*, quoad humilitatem et puritatem, non intrabit in illud. Nihil enim inquinatum ingredietur regnum cœlorum, et propterea oportet recuperare puritatem puerilem. — Vers. 16. — Et complexans, pro, *et ponens in ulnis,* eos; unde apparet parvulos istos infantilis fuisse ætatis. Et imponens manus super

Vers. 12. — Mœchatur. Græcè est idem verbum, quod modò vertit *adulterium committit.* Quid autem est, *super eam?* Cur non potiùs *adversùs illam*, sive *in illam*, hoc est, *in injuriam illius?*

Vers. 13. — Offerebant illi parvulos, *pueros sive puellos.* Comminabantur, *increpabant*. Mirum cur hanc vocem plerùmque interpres gaudeat vertere *comminabantur*, etiam refragante sententiâ.

Vers. 14. — Sinite parvulos, id est, *puellos*, ut modò dictum est. Nec additur apud Græcos conjunctio, *nec prohibueritis.* Vividius enim est : *Sinite, ne prohibueritis.* Anadiplosis sententiæ facit ad epitasin.

Vers. 15. — Non intrabit. Conduplicata negatio in græco vim addit futuri, aut certè modi potentialis.

Vers. 16. — Et complexans, id est, *et suscipiens eos in ulnas*, sicut paulò ante dictum est.

Vers. 17. — Procurrens, id est, *accurrens.* Interpres, nisi dormitavit, legisse videtur προδραμὼν, id est,

ILLOS, BENEDICEBAT EOS, oratione seu sanctâ aliquâ imprecatione, offerebant enim eos ut oraret super eos, apud Matth.

VERS. 18. — NEMO BONUS NISI UNUS DEUS. Intellige, *omniquàque;* omnis enim creata res admixtionem habet mali, naturæ vel moris. Et dixit hoc ad docendum exemplo suo quòd, cùm laudamur, aut doctores aliorum recognoscimur, retorquere debemus proprias laudes in divinam laudem et revocare ad memoriam nostrum et laudantium communem defectum; sic enim et nobis ac laudantibus prosumus humilitate, et Deum honoramus, in quo et à quo est omne bonum.

VERS. 21. — JESUS AUTEM INTUITUS EUM DILEXIT EUM. Signum dilectionis vultu monstravit, ut adolescens petens perfectionis viam non terreretur responsione dandâ, sed occasionem haberet aggrediendi eam. UNUM TIBI DEEST, scilicet, *ad perfectionem,* quod intendit Marcus, et exprimit Matthæus, ubi notare est differentiam volentis vitam ingredi et volentis perfectionem, volenti vitam dictum est: Serva mandata ad quæ lex divina te obligat; volenti perfectionem dicitur: *Vende omnia*, etc., hoc est: Serva consilia paupertatis, misericordiæ et sequelæ meæ. VENDE ET DA PAUPERIBUS. Non dicit: Renuntia omnibus quæ possides, sed, *vende et da pauperibus,* ut simul utramque virtutem ingerat, scilicet paupertatis voluntariæ, abdicando à se omnia, et misericordiæ, dando illa pauperibus. Non dicit: Et affer pretium ad me aut ad Ecclesiam seu conventum discipulorum, nec, da templo, sed, *da pauperibus*, nec dividi jussit, ut partem scilicet daret pauperibus, et partem daret conventui, sed *quæcumque habes da pauperibus.* ET HABEBIS THESAURUM IN COELO, ex venditione et erogatione rerum tuarum pauperibus. Ultra hoc, quod inchoas, perfectionis iter, scito te reponere thesaurum in cœlis loco thesauri terrestris. ET VENI, expeditus atque solutus à curis seculi hujus. SEQUERE ME; deest, *sublatâ cruce.* Nolo tua, sed te, nec qualitercumque, sed tollentem crucem, hoc est, subeuntem cruciatus famis, sitis, persecutionum, etc. Sequere me evangelizantem regnum Dei, sequere vitâ, moribus et officiis; in hâc enim sequelâ perfectionem assequeris et in imitatione meî, implebitur desiderium quo vis perfectus esse. Attende, prudens lector, quòd nullum indicitur à Jesu votum volenti perfectionem vitæ assequi, quia non in vinculis votorum, sed in operibus consistit perfectionis assecutio. Laudabilia sunt vota religionis, sed non illorum professione seu operibus quibus imitamur Jesum Christum acquiritur perfectio. Infinitus est hodiè numerus eorum qui acquirunt perfectionis statum, profitendo religionis vota; sed rari sunt qui volunt esse perfecti imitando Jesum factis humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, charitatis, etc.

VERS. 24. — OBSTUPESCEBANT IN VERBIS EJUS, hoc est, super dicto de difficultate ingrediendi regnum Dei respectu habentium divitias. FILIOLI, QUAM DIFFICILE EST CONFIDENTES IN PECUNIIS. Explanat hìc Jesus quod dixerat intelligi de confidentibus in pecuniis. Nam divitiæ secundùm se non sunt impedimenta ad regnum cœlorum cùm dentur à Deo ad hoc, quòd sint adminicula ad regnum cœlorum; sed affectus hominis minùs ordinatus ad divitias habitas, qui valdè frequens est, difficilem reddit aditum divitis ad regnum cœlorum. Propterea enim scriptum est: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

VERS. 25. — FACILIUS EST CAMELUM PER FORAMEN

præcurrens. VITAM ÆTERNAM PERCIPIAM; aliàs vertit *hæreditabunt.*

VERS. 18. — NISI UNUS DEUS, id est, *nisi unus, qui est Deus,* sive *nempe Deus,* ut articulus vim habeat velut interpretantis, quis sit ille unus.

VERS. 19. — NE FRAUDEM FECERIS, id est, *Ne fraudaveris.* Fraudamus enim illum, quem privamus re debitâ; quanquàm et qui spoliat, Græcis eodem verbo designatur.

VERS. 21. — INTUITUS EUM, DILEXIT EUM. Origenes videtur legisse ἐφίλησεν, non ἠγάπησεν. Argumento est quòd, Homiliâ in Matthæum, adducens hunc locum, ita legit, *dilexit eum*, sive *osculatus est eum.* Neque enim ἠγάπησεν, opinor, ad osculi significationem potest pertinere. Cæterùm de dilectione, nec apud Matthæum, nec apud Lucam, ulla fit mentio. Et fieri potest ut aliquis, offensus vel ambiguitate vocis, vel osculo adolescentis, ex ἐφίλησεν fecerit ἠγάπησεν: quanquàm et in Græcis lexicis invenio: ἀγαπάζομαι pro *amplector*, sed ut amplectimur quod probamus, velut *amplectimur bonas litteras.* ET VENI, SEQUERE ME. Addunt hìc Græci codices *sublatâ cruce* cùm tamen hoc non habeatur in veteribus codicibus, nec reperiatur apud alios evangelistas, ut illinc hùc adscriptum videri possit.

VERS. 24. — FILIOLI, *filii*, sive *nati.* Neque enim hìc est diminutivum, quemadmodùm illud apud Paulum ad Galatas, *Filioli mei.* CONFIDENTES IN PECUNIIS, *fretos*, sive *fisos.* Etenim cùm *confidere* sit idem quod *fidere*, tamen *confidens* non idem valet, ut indicavit M. Tullius. Nec videtur participium, sed nomen, eoque ponitur absolutè, *homo confidens non confidens mihi.* Hìc satis aperit, quos dixerit *divites*, non quibus divitiæ obvenerunt, sed qui juxta divitum vulgus multùm tribuunt divitiis.

VERS. 25. — FACILIUS EST CAMELUM. Divus Hieronymus haud dubiè *camelum* accepit pro animante, secutus, opinor, Origenem. Theophylactus dissentit, volens hoc loco significare *rudentem nauticum,* atque id sanè magis quadrat ad foramen acûs. Et apud unum Suidam κάμηλον eo reperio significatu; post hunc Camers κάμηλον ait esse *rudentem*, sed nullum citat auctorem. Julius Pollux inter instrumenta nautica non meminit. Atque hâc quidem in re magis assentior Hieronymo. Nam quod istos offendit, qui ex camelo funem faciunt nauticum, nempe quòd absurdum videatur camelum duci per foramen acûs, hoc ipsum pro nobis facit; siquidem Christus hoc exemplum velut ἀδύνατον proposuit. Vult enim omninò videri impossibile, ut camelus, ingens animal ac tortuosum, per foramen acûs transeat. Quod si videtur sub absurda collatio, meminerit alibi reprehensum à Domino, qui paret ejicere festucam ex oculo fratris, cùm ipse trabem in oculo suo non videat. Quid absurdius quàm hominem gestare trabem in oculo? Verùm hæc sermonis absurditas ad emphasim facit. Nec est quòd hìc fabulas aniles comminiscantur, Hierosolymis fuisse portam, cui nomen fuerit *acus;* aut quòd *impossibile* pro *difficile* positum interpretentur. Imò si divitem interpretentur *fidentem suis divitiis*, id quod ferè divitum vulgus facit, ità demùm poterunt hunc explicare nodum. Atque hunc sensum hìc aperit nobis Marcus: *Filii, quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire.* Quod si verum est ingentes funes nauticos *camelos* vocari Græcis, apparet ab animantis et ingentis et distorti

ACUS TRANSIRE, QUAM DIVITEM INTRARE IN REGNUM DEI. Si foramen acûs secundùm proprietatem nominum intelligitur, non major difficultas, sed impossibilitas significaretur; quia enim impossibile est camelum transire per foramen acûs, sensus esset : Facilius est fieri impossibile quàm divitem intrare in regnum cœlorum. Si autem verum est, hoc in loco foramen acûs esse nomen proprium portæ (ita quòd quædam porta angusta nominata foramen acûs significetur) explicatur magnitudo difficultatis; valdè enim difficilis debebat esse transitus cameli per illam portam. Et si iste est sensus, dixit hoc quia valdè difficile est hominem divitem non confidere in divitiis, non superbire; juxta illud : *Beatus dives qui post aurum non abiit*, et subditur, *quis est hic et laudabimus eum?* Ecclesiastici 3. Apparet autem ex duobus hunc esse sensum litteralem. Primò ex eo quòd Jesus non dicit *possibilius*, sed *facilius*, facilitas enim modum executionis significat, et præsupponit posse fieri; ac per hoc non nisi usurpativè dicitur de impossibili. Secundò ex eo quòd ineptè accommodatur transitus cameli foramini acûs, quæ est instrumentum sutorium; debuisset enim dici : Facilius est funem transire foramen acûs. Unde ex eo quòd transitum cameli per foramen acûs affert pro difficiliori, signum est quòd porta vel angustus locus vulgari nomine appellatus foramen acûs significetur; non enim est fas sentire quòd Jesus ineptas struxerit similitudines.

VERS. 26. — QUIS POTEST SALVUS FIERI. Intulerunt hoc discipuli, computantes sub periculo divitum non solùm qui sunt divites sed etiam qui quærunt et qui appetunt esse divites, quoniam eadem est eorum damnatio; illi enim sunt divites in re, isti sunt divites in studio et in animo. Et propterea omnes sub divitum appellatione comprehendi intelligentes discipuli, admirantes inferunt : *Quis poterit salvus fieri?* Quasi dicant, rarus aut nullus. Sciebant enim omnes ferè homines comprehendi nomine divitum, in re vel in spe seu affectu. — VERS. 27. — APUD HOMINES IMPOSSIBILE EST, salus multitudinis hominum ab affectu inordinato divitiarum est impossibilis apud homines, consideratis solis humanis viribus. APUD DEUM. Relata autem humanæ multitudinis salus ad divinam gratiam. OMNIA POSSIBILIA SUNT, non solùm salvare divites in studio et in affectu, sed etiam divites in re, et confidentes in divitiis, possibile est, quoniam divina gratia tollit ab illis omnem inordinatum affectum et usum.

VERS. 28. — ECCE NOS DIMISIMUS OMNIA, ET SECUTI SUMUS TE. Dixerat Jesus adolescenti, duo : Primum, relinquenda omnia non quomodolibet, sed dando pauperibus, et apposuit præmium : *Habebis thesaurum in cœlo.* Secundum, *sequere me*, non apposito præmio. Occasione hinc acceptâ Petrus respondet his Domini verbis; respondet autem interrogatoriè *Ecce nos reliquimus omnia.* Non vendidimus dedimusque pauperibus sed reliquimus omnia ut sequeremur te. *Et secuti sumus te.* Ac si apertè dicat : Ecce quòd nos non fecimus totum quod exigis ab adolescente si vult esse perfectus (quia non vendidimus nostra ad dandum pauperibus), sed fecimus duo, scilicet, reliquimus omnia propter te, et secuti sumus te. Adolescenti dixisti : Habebis thesaurum in cœlo, et quòd perfectionem assequeretur; nobis autem quid erit præmii : In Matthæo respondet Jesus : *Cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ*, id est, in glorioso regioque statu suo, *sedebitis et vos super sedes duodecim.* Ecce præmium dignitatis et honoris, gloriosa sessio; eritis participes gloriæ meæ, sed non sedebitis confusè aut in communi multis sedili sed singuli super singulas sedes. Duodenarius enim numerus ad distinctionem singularum simul et comprehensionem universarum inductus est propter numerum apostolorum et tribuum Israel. Marcus hoc tacet, ac loquitur solùm de remuneratione in centuplum.

VERS. 29. — AMEN DICO VOBIS, NEMO EST QUI RELIQUERIT DOMUM AUT FRATRES AUT SORORES AUT PATREM AUT MATREM; deest, *aut uxorem.* Occurrit hìc quæstio, quo pacto hæc doctrina Domini verificetur; cùm non liceat alligatum uxori dimittere illam propter affectum perfectioris vitæ; constat enim quòd Petrus hujusmodi perfectionem proposuerat, *ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.* Solutio est quòd licèt Petrus causam propriam proposuerit, Jesus tamen quemadmodùm extendit responsionem suam respectu omnium, dicendo, *Et nemo est qui reliquerit*, etc.; ita extendit doctrinam ad dimissionem non solùm propter frugem melioris vitæ, sed etiam propter ipsam vitam spiritualem. Dupliciter enim contingit relinquere suos et sua. Vel propter frugem melioris vitæ. Et sic non comprehendit dimittere uxorem; imò nec filios, si paternâ indigent curâ. Vel propter ipsam vitam spiritualem; et sic etiam uxor dimittenda est impediens fidem Christi, quâ vivit anima. Quocirca textus iste in communi loquens de dimissione, intelligendus est servatis servandis secundùm rectæ rationis judicium.

similitudine dictos; nisi fortè ob id quod apud illos nautici funes è camelorum pilis texerentur. Neque verò meo animo per omnia satisfacit, quod Hieronymus annotavit non esse dictum à Christo, *impossibile est divitem intrare*, sed *difficile. Ubi difficile ponitur*, inquit, *non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur;* cùm mox fateatur idem ab eodem dictum *impossibile.* Siquidem allatâ comparatione cameli per foramen acûs euntis, *hoc dicto*, inquit, *ostenditur, non difficile esse, sed impossibile.* In dialogo adversùs Pelagianos primo, diversâ ratione explicat sese, negans esse eos divites, qui aliis divites fuerunt potiùs quàm sibi. Quin et illud, *per foramen acûs*, bifariàm accipi potest, sive pro foramine quod habet acus, sive pro foramine acu facto.

VERS. 26. — QUI MAGIS ADMIRABANTUR, *obstupescebant.* Verbum Græcum est vehementius.

VERS. 29. — AUT PATREM, AUT MATREM. Hoc loco Græci codices addunt, *aut uxorem.* Quod tamen perperam à quopiam additum, vel hinc licet conjicere quòd mox cùm repetit res relictas, non addit *uxores.* Verisimile est *uxoris* nomen hìc adjectum ex Matthæo et Lucâ. Verùm Marcus, brevitatis studiosus, sub nomine *domûs* judicavit contineri *uxorem.* AUT FILIOS, liberos, ut utrumque sexum complectaris.

PROPTER ME ET PROPTER EVANGELIUM. Ratio meritoriæ dimissionis consistit in hoc quòd propter Deum fiat dimissio, hoc est, quòd necessaria aut expediens ad honorem Dei fiat dimissio, non stulta, non irrationalis, non contra aut præter charitatem Dei aut proximi.

VERS. 30. — QUI NON ACCIPIET CENTIES TANTUM NUNC IN TEMPORE HOC; DOMOS ET FRATRES ET SORORES ET MATRES ET FILIOS ET AGROS CUM PERSECUTIONIBUS; ET IN SECULO FUTURO VITAM ÆTERNAM. Fabella mille annos promittens in hâc vitâ cum centuplis agris, fratribus, domibus, et id genus reliquis excluditur; tum quia impossibile erit habere matrem nisi unam; et tamen inter centupla textus numerat matres, tum quia expressè dicitur, *cum persecutionibus;* à quibus tamen illos mille annos fabulantur exemptos. Sensus itaque litteralis est quòd quidquid boni ex patre, matre, uxore, filiis, domibus, agris, in hâc vitâ carnaliter à nobis habetur, centuplum etiam in hâc vitâ relinquentibus hæc propter Christum, promittitur. Et verificatur, quia in hâc vitâ datur istis à Christo spirituale bonum centuplum ad bonum corporeum, quod ex patre, matre, agris, etc., haberetur. Bonum spirituale centuplum ad bonum temporale dimissum promittitur in hâc vitâ. Centuplum autem ex parte rerum, quia minimum ad spirituale plus quàm centuplum (utpote incomparabiliter accedens) est ad maximum bonum temporale. Et non dixit, spirituale bonum accipiet, sed centupla, ad explicandum maximum excessum spiritualis boni supra temporale, ne parvi faceremus bona spiritûs promissa in præmium, sed æstimaremus illa ut centupla respectu temporalium bonorum quorumcumque.

VERS. 31. — MULTI AUTEM ERUNT PRIMI NOVISSIMI, ET NOVISSIMI PRIMI. Dixerat, *centies tantùm* accipiet; ac per hoc sonuerat quòd plus relinquens plus esset accepturus; et sic melior esset conditio divitum, et universaliter relinquentium plura quàm relinquentium pauca vel ferè nulla, quia pauca vel ferè nulla habent, de quorum numero erat Petrus cum multis aliis apostolis. Ideò ad obviandum huic intelligentiæ subjungit quòd multi novissimi in hâc vitâ quoad res, honores et reliqua temporalia, erunt primi in aliâ vitâ; et è converso multi primi hìc, in honoribus, rebus et reliquis temporalibus, erunt novissimi in aliâ vitâ, quia non censum, sed affectum; non quantum, sed ex quanto offertur pensat Deus. Applica tamen proposito, quòd sicut quoad opes centuplum comprobantur recepisse, qui sunt verè tanquàm nihil habentes et omnia possidentes, ita quoad patrem, matrem, etc., qui verè juncti sunt facientibus voluntatem cœlestis Patris, centuplum receperunt; dùm quilibet eorum est cujusque soror, frater, mater, ac pater, ut Salvator dixit.

VERS. 32. — ERANT AUTEM IN VIA ASCENDENTES HIEROSOLYMAM: ET PRÆCEDEBAT ILLOS JESUS. Non mittebat discipulos ante se quasi timens, sed antecedebat, monstrans per hoc se spontè ad passionem et mortem progredi. Propter quod ipsi discipuli stupebant videndo tam promptè ire ad locum passionis et mortis. ET SEQUENTES TIMEBANT; non quod prædictum fuerit eis ipsos passuros aliquid; sed incipiunt timere tanquàm adhærentes Jesu.

VERS. 33. — ASCENDIMUS. Situs viæ significatur; ascenditur enim à Galilæâ in Hierusalem. HIEROSOLYMAM. Locum futuræ passionis et mortis significat. ET FILIUS HOMINIS TRADETUR PRINCIPIBUS SACERDOTUM ET SCRIBIS. Repetit Jesus ea quæ sunt futuræ passionis et mortis suæ, non solùm ut crebrâ repetitione firmet animos discipulorum ne scandalizentur; sed ut sciant quòd voluntariè vadit ad passionem et mortem, explicat illis quod modò, vado ad mortem, dicendo, *ecce ascendimus,* et similiter ut cognoscant quòd voluntariè non solùm passionem, sed speciem passionis subit, prædicit species, ubi priùs in genere tantùm dixerat. Modò explicat quòd tradetur princicipibus sacerdotum et scribis, tacendo à quo tradetur. Reservavit usque ad ultimam cœnam revelationem discipuli à quo tradendus erat principibus: quia nec adhùc Judas qui hæc audiebat, proposuerat ipsum tradere. DAMNABUNT EUM MORTE. Hoc impletum est quando Caiphas et omnes cum eo dixerunt, *reus est mortis.* ET TRADENT EUM GENTIBUS. Ordinatè prædicit eis passionem suam sicut fuit res gesta; nam pontifices et seniores non potentes exequi sententiam suam de morte Jesu, tradiderunt eum gentibus: curiæ, scilicet gentilium, in quâ præsidebat Pilatus. Quartò prædicit eis suam passionem explicans singula.

VERS. 34. — ET TERTIA DIE RESURGET. Quamvis ignominiosa et acerba futura sit tam passio quàm mors, constantes estote, non longâ spe, sed brevissimâ expectatione, quia *tertiâ die resurget.*

VERS. 35. — ET ACCEDUNT AD EUM JACOBUS ET JOANNES, non per seipsos, sed per os matris, ut discimus ex Matthæo 20.

VERS. 36. — QUID VULTIS? Ut ipsimet explicent petitionem suam in speciali.

VERS. 37. — DA NOBIS UT UNUS AD DEXTERAM TUAM, ET ALIUS AD SINISTRAM TUAM SEDEAMUS IN GLORIA TUA. Putaverunt filii cum matre Jesum post resurrectionem illicò regnaturum, nescientes quòd hoc differendum est usque ad secundum adventum; tunc enim et non ante, sensibile regnum Christi erit in universo mundo; et ideò petit ea quæ sunt regni. Sed occurrit quæstio quâ ratione petunt sedere in regno Christi, à dextris et sinistris ejus; cùm jam Jesus promiserit illis antea, secundùm Matthæum, dicendo, *cùm sederit Filius hominis in majestate suâ, sedebitis et vos super sedes duodecim,* etc. Solutio est quòd, per dexteram et sinistram significant primas sedes hinc et inde; et hoc denotat pronomen *tui.* Non volebant esse ad dexteram Petri nec ad sinistram Andreæ, sed ad dexteram et sinistram ipsius Jesu Christi. Primas itaque sedes inter duodecim priùs promissas petunt; nec volunt alter sub altero sedere, sed unus ad dexteram et alter ad sinistram Christi; ut ex utroque latere sint primi.

VERS. 38. — NESCITIS QUID PETATIS. Non dicit am-

bitiosè *petitis*: reservans reprehensionem ambitionis post indignationem aliorum, ut communis defectus affectûs communiter reprehendatur, sed defectum intellectûs corrigit dicendo *nescitis*. Sed non dicit *quid petitis*, sed, *quid petatis*, reprehenduntur enim quòd ignorant quid petendum est, supple, *acquirendum post resurrectionem meam*. Et verè nesciebant quòd appetendum petendumque sibi esset post Christi resurrectionem; quia errabant tum in tempore regni, putantes regnum Christi sensibile secuturum statim resurrectionem Christi, tum in modo regnandi; quia consequenter putabant se sic viventes sensibiliter regnaturos cum Christo. Si scivissent regnum Christi tanto tempore differendum post resurrectionem, et se post Christi resurrectionem oportere per passiones et mortes proprias transire ad regnum Christi, scivissent quid sibi petendum esset acquirendum in resurrectione Christi, scilicet gratia Spiritûs sancti ad robur confitendi et prædicandi regnum Christi. POTESTIS BIBERE CALICEM, pro, *poculum*. Rationem quare nesciunt quid petant, insinuat esse quia nesciunt quid sibi immineat post Christi resurrectionem. Acsi apertè diceret: Ideò nescitis quid petatis in meâ resurrectione, quia putatis vos perventuros ad regnum meum sic viventes cùm ego surgam à mortuis, sed longè aliter est; quia modus perveniendi ad regnum meum est per passionem et mortem, et propterea examinate vires vestras si potestis bibere calicem passionis et occisionis. ET BAPTISMO QUO EGO BAPTIZOR BAPTIZARI? Intendit de baptismo sanguinis; per metaphoram enim potûs et Baptismi passionem mortemque suam designat.

VERS. 39. — POSSUMUS. Inexperti, animæquiores se exhibent; nam fugerunt et ipsi cùm Jesus captus est à Judæis. CALICEM..... BIBETIS ET BAPTISMO..... BAPTIZABIMINI, quamvis non mecum, tandem tamen firmati virtute ex alto. Et de Jacobo constat, quia calicem occisionis bibit, occisus ab Herode gladio. De Joanne autem constat quòd bibit calicem passionis; nam et flagellatus cum aliis fuit in Actibus Apostolorum; et à proconsule Ephesi tempore Domitiani in ferventis olei dolium missus; et in exilium actus ad insulam Patmos. Calicem verò occisionis solo spiritu bibit.

VERS. 40. — SEDERE AUTEM AD DEXTERAM MEAM VEL AD SINISTRAM. Pro, *à dextris mei et sinistris mei*, etsi non post resurrectionem meam, ut putatis, sed cùm *advenerit regnum meum*, NON EST MEUM DARE VOBIS, superfluit *vobis*. Intellige secundùm præsentem meum statum, non veni nunc ad distribuendas sedes regni. SED QUIBUS PARATUM EST; sed scitote ab æterno à Patre meo distributas esse primas sedes, unde non sitis de his solliciti tanquàm vacantibus.

VERS. 41. — ET AUDIENTES DECEM, responsionem Jesu, quâ et reprehendit Jacobum et Joannem, et non exaudivit eos. COEPERUNT INDIGNARI. Non priùs indignati sunt quàm audirent responsionem Domini; et ut carnales adhuc non sunt compassi ignoranter petentibus; sed indignati sunt, ægrè ferentes quòd illi duo voluerint omnibus præferri.

VERS. 42. — JESUS AUTEM VOCANS EOS AD SE. Vocavit eos, decem (alii enim duo erant propè ipsum), ut omnes simul propiùs, familiariùs ac magis benignè reprehendat; duos quidem ambitionis, decem autem indignationis. Unâ tamen et eâdem ratione, quia una erat radix peccati omnibus, scilicet appetitus primatûs; nam illi duo manifestè petierunt primas sedes; et isti decem indignati sunt quòd omnes ipsi postpositi sint ab illis duobus, *ex eodem siquidem more provenit velle primatum et nolle postponi*. Et propterea Jesus eamdem medicinam exhibet omnibus, dicendo: SCITIS, utpote rem notoriam. QUIA HI QUI VIDENTUR, etc. Non purus dominandi actus, sed finis significatur. Est enim sensus quòd principes gentium ordinant principatum suum ad dominandum, hoc est, ad præcipiendum, compellendum, et hujusmodi quæ sunt potestatis. Ambo hæc notoria sunt omnibus.

VERS. 43. — NON ITA EST AUTEM IN VOBIS. Ordinat Jesus principatum et majoritatem in Ecclesiâ suâ, definiendo et statuendo: Non sic erit inter vos; principatus vester non erit ad dominandum et præcipiendum, cogendum, etc. SED QUICUMQUE; non aliquis sic et aliquis non. VOLUERIT FIERI MAJOR. Non dicit facere seipsum, quia nullus debet assumere sibi honorem. Sed si vult ab iis ad quos spectat, fieri magnus secundùm gradum celsiorem. ERIT VESTER MINISTER. Magnitudo mundi est ad exercendum potestatem; magnitudo vestra erit ad exercendum ministerium.

VERS. 44. — QUICUMQUE VOLUERIT IN VOBIS PRIMUS ESSE, primatu fungi, erit OMNIUM SERVUS. Principatus gentium est ad dominandum; principatus vester erit ad serviendum. Adverte hìc quòd quamvis littera primâ facie præ se ferat viam ad magnitudinem et primatum, dicendo *quicumque voluerit fieri*, *quicumque voluerit esse*, secundùm tamen veritatem significat terminum, hoc est, qualitatem primatûs et celsitudinis ecclesiasticæ, ut exposuimus. Et habetur sensus ex ambobus extremis; nam primùm proposuit principes gentium et qui magni sunt, non qui quærunt principes et magni fieri, et similiter post subjungit: *Filius hominis non venit ministrari*, etc. Ex eo enim quòd ultro-

---

VERS. 40. — AD DEXTRAM MEAM VEL AD SINISTRAM, ut sensus sit idem; Latinius est, *sedere mihi à dextris, et sedere mihi à sinistris*. Nec est in Græcis, *meum dare vobis*, sed solùm, *non est meum dare*. Consentiebat cum Græcis codex Constantiensis. SED QUIBUS PARATUM EST. Sermoni parùm absoluto adjecimus duo verba. Subauditur enim, *sed ii sedebunt à dextris ac sinistris mihi*, *quibus*, etc.

VERS. 41. — ET AUDIENTES DECEM INDIGNATI SUNT. Græcè, *cœperunt indignari*. Et sic habent vetusti codices nostri et Vulg.

VERS. 42. — ET PRINCIPES, *et magni illorum*. Quod tamen haud malè vertit, nisi malis dici, *et qui magni sint inter eos*, aut *magnates illorum*.

VERS. 43. — FIERI MAJOR, id est, *magnus*, et in hunc modum subinde citat Hieronymus. Allusit Christus ad vitam communem hominum, inter quos magnates et optimates è sublimi despiciunt infimates,

bique inducit ut præmissas actiones eorum qui sunt, et non quærentium aut volentium fieri aut esse, consequens est ut intenta conclusio intelligatur etiam de ipso primatu et de ipsâ celsitudine, de ipsis primis, de ipsis magnis. Intendit enim Dominus ad litteram declarare differentiam inter principes mundi et principes ecclesiasticos; ad hoc siquidem directè tendunt utrinque inducta. Utitur autem tali loquendi modo, ad curandum ægritudinem animi apostolorum qui volebant primatum; monstrando illis quid sit illud quod volunt volendo primatum; quòd scilicet volunt ministrandi ac serviendi, non præcipiendi ac dominandi officium. Ac si apertiùs dixisset: Quicumque voluerit fieri aut esse magnus et primus inter vos, sciat quòd erit vester minister et servus.

VERS. 45. — FILIUS HOMINIS. Tum ut intelligant modum ministerii et servitutis, tum ut ab exemplo ipsius Jesu discant quid sit principantis in Ecclesiâ officium, proponit propria officia. NON VENIT UT MINISTRARETUR. Nota quòd non dicit: Filius hominis refutat sibi ministrari, quia non solùm Martha ministravit illi, sed mulieres multæ ministrabant Jesu de facultatibus suis, ut patet Luc. 8. Sed dicit: *Non venit ut ministraretur*, sicut domini et principes mundi ad hoc sunt domini ut illis ministretur. Intentionem itaque adventûs sui in carne, manifestat esse non ad hoc ut sibi ministretur, quamvis ministeria exhibita recipiat. SED UT MINISTRARET. Hinc apparet quòd de ministerio in spiritualibus statuit magnates ecclesiasticos ministrare, sicut ipse Jesus venit ut ministraret spiritualia, corporali exercitio et fatigatione interveniente prædicando, discurrendo per civitates et castella. *Non est enim æquum* (explicavit postea Petrus apostolus) *nos relinquere verbum Dei et ministrare mensis*. ET DARE ANIMAM SUAM, hoc est, vitam suam. Ecclesiæ prælatis statuit ut ministrarent et servirent, et quantùm ad ministerium proposuerat seipsum exemplum: modò proponit seipsum exemplum quantùm ad servitutem. Et quia servi quidquid est domini est, maximam suam servitutem significat, ex hoc quod venit ad dandum vitam suam. Et dixit hoc, ut sicut qualitatem ministerii statuti prælatis declararat ab exemplo ministerii sui, ita qualitatem servitutis statutæ prælatis declararet ab exemplo servitutis suæ: scilicet usque ad exponendum vitam propriam pro multitudine cui præsunt. REDEMPTIONEM. Aptissimè pro libertate nostrâ se servum usque ad mortem inclusivè declarat. PRO MULTIS. Quantùm ad sufficientiam multitudo hæc comprehendit multitudinem humani generis: quantùm verò ad libertatis fructum comprehendit multitudinem electorum.

VERS 46. — FILIUS TIMÆI BARTIMÆUS. Quamvis idem sonet Hebraicè, Bartimæus, quòd filius Timæi, sicut, Bar Jona, filius *Jonæ*, evangelista tamen utrumque dixit, ut intelligeremus quod erat nomen proprium illius hominis, ita quòd vocabatur Bartimæus, et erat filius Timæi; sicut Bartholomæus idem significat quòd filius Ptolomæi, et tamen est nomen proprium. Et si aliquis vocaretur Bartholomæus, et esset filius Ptolomæi, diceremus Bartholomæus, filius Ptolomæi. Apud Matth. duo scribuntur cæci hoc in loco: quorum alterius tantùm meminit Marcus, fortè quia notior, et magis clamabat.

VERS. 47. — JESU, FILI DAVID. Messiam vocant à genere Davidis, quia vulgatum erat apud Judæos messiam fore filium Davidis.

VERS. 48. — COMMINABANTUR, pro *increpabant*. Non petebat iste aliquid in specie, sed in genere tantùm, *miserere mei*, et propterea putabatur quòd peteret eleemosynam à Jesu, et ideò tanquàm importunus increpabatur, vel quia sciebant Jesum pauperem, vel quia indignum putabant ut talis propheta vexaretur clamore mendicorum.

VERS. 49. — STANS JESUS PRÆCEPIT ILLUM VOCARI. Sciens Jesus quòd non pro eleemosynâ, sed pro visu clamabat, dedit illi copiam se alloquendi. ANIMÆQUIOR, pro, *bono animo*, ESTO.

VERS. 51. — QUID TIBI VIS FACIAM? Quamvis Jesus sciret omnia, quia tamen ipse cæcus non explicaverat in specie petitionem suam, interrogat illum ut specificet quid petat, præsertim ut profiteatur quam habet de ipso fidem. RABBONI, UT VIDEAM. Non peto argentum, sed visum. In quâ petitione profitetur se credere quòd Jesus posset facere hoc miraculum.

nec præ se ducunt pro hominibus, cùm ipsis nihil sit abjectius, si velimus hominem suis æstimare virtutibus.

VERS. 46. — ET PROFICISCENTE EO, *et egrediente eo*. BARTIMÆUS, *Filius Timæi*, additum videri potest interpretandi causâ. Nam id sonat *Bartimæus*. Hebræis enim *bar filius*, et *Timæus*; quemadmodùm et *Bartholomæus, filius Ptolomæi*, conflatis diversarum linguarum vocibus, et depravatâ, ni fallor, unâ aut alterâ litterulâ. Cæterùm quod diximus de *Bartimæo*, quidam miro cachinno prosequitur in suis Annotationibus, cùm id hauserim ex Hieronymi Commentario in Epistolæ ad Galatas cap. 4. In illum igitur suos cachinnos torqueat, non in me.

VERS. 48. — ET COMMINABANTUR, *et increpabant*.

VERS. 49. — ANIMÆQUIOR ESTO, id est, *bono animo esto*, sive *confide*. Nec enim est comparativum, sed positivum; et aliud est *fidere*, quàm *æquo animo esse*. *Æquo animo est*, qui boni consulit, ac tolerat. *Fidit* cui certa spes est.

VERS. 50. — EXSILIENS VENIT. Græcè est, *surgens*. Nam paulò ante dictus est sedere juxta viam. In Actis, capite 3, de claudo legitur *exsiliens*, nam ea vox ad miraculi magnitudinem declarandam facit, quia qui sanabatur, adeò claudus erat, ut à bajulis gestaretur. Hic in oculis, non in pedibus, miraculum est.

VERS. 51. — RABBONI, UT VIDEAM. Rursùs Hæbræorum vocem posuit, pronuntiatione nonnihil mutatâ, cùm alibi *Rabbi* sit, quòd Hebræorum lingua Chaldæorum ac Syriacæ commercio vitiaretur: quemadmodùm et hodiè Judæi *Rabeni* magistrum vocant, sed insignem et eminentem. UT VIDEAM, id est, *ut visum recipiam*.

VERS. 52. — ET CONFESTIM VIDIT, id est, *visum recepit*.

CAPUT XI.

1. Et cùm appropinquarent Jerosolymæ et Bethaniæ, ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis.

2. Et ait illis : Ite in castellum quod contra vos est; statim introeuntes illùc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhùc hominum sedit : solvite illum, et adducite.

3. Et si quis vobis dixerit : Quid facitis ? dicite, quia Domino necessarius est; et continuò illum dimittet hùc.

4. Et abeuntes, invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, et solvunt eum.

5. Et quidam de illic stantibus dicebant, illis : Quid facitis solventes pullum ?

6. Qui dixerunt eis, sicut præceperat illis Jesus, et dimiserunt eis.

7. Et duxerunt pullum ad Jesum ; et imponunt illi vestimenta sua, et sedit super eum.

8. Multi autem vestimenta sua straverunt in viâ : alii autem frondes cædebant de arboribus, et sternebant in viâ.

9. Et qui præibant, et qui sequebantur, clamabant, dicentes : Hosanna :

10. Benedictus qui venit in nomine Domini : Benedictum quod venit regnum patris nostri David : Hosanna in excelsis.

11. Et introivit Jerosolymam in templum ; et circumspectis omnibus, cùm jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

12. Et aliâ die, cùm exirent à Bethaniâ, esuriit.

13. Cùmque vidisset à longè ficum habentem folia, venit si quid fortè inveniret in eâ ; et cùm venisset ad eam, nihil invenit præter folia : non enim erat tempus ficorum.

14. Et respondens, dixit ei : Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus.

15. Et veniunt Jerosolymam. Et cùm introîsset in templum , cœpit ejicere vendentes et ementes in templo ; et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.

16. Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum.

17. Et docebat dicens eis : Nonne scriptum est : Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

18. Quo audito, principes sacerdotum et scribæ quærebant quomodò eum perderent : timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrinâ ejus.

19. Et cùm vespera facta esset, egrediebatur de civitate.

20. Et cùm mane transirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.

21. Et recordatus Petrus, dixit ei : Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit.

CHAPITRE XI.

1. Comme ils approchaient de Jérusalem, étant près de Béthanie vers la montagne des Oliviers, il envoya deux de ses disciples.

2. Et leur dit : Allez à ce village qui est devant vous ; et sitôt que vous y serez entrés , vous trouverez un ânon attaché sur lequel personne n'est jamais monté : Détachez-le, et me l'amenez.

3. Si quelqu'un vous demande : Pourquoi faites-vous cela? dites-lui : C'est que le Seigneur en a besoin ; et aussitôt il le laissera amener ici.

4. S'en étant donc allés, ils trouvèrent l'ânon qui était attaché dehors , près d'une porte entre deux chemins, et ils le détachèrent.

5. Quelques-uns de ceux qui étaient là, leur dirent: Que faites-vous ? Pourquoi détachez-vous cet ânon ?

6. Ils leur répondirent comme Jésus leur avait ordonné ; et ils le leur laissèrent emmener.

7. Ainsi ayant amené l'ânon à Jésus, ils le couvrirent de leurs habits, et il monta dessus.

8. Plusieurs aussi étendirent leurs vêtements sur son passage ; d'autres coupaient des branches d'arbres, et les jetaient dans le chemin.

9. Et ceux qui marchaient devant lui, aussi bien que ceux qui le suivaient, criaient : Hosanna !

10. Béni soit celui qui vient au nom du Seigneur. Béni soit le règne de notre père David, que nous voyons arriver. Hosanna au plus haut des cieux.

11. Jésus entra ainsi dans Jérusalem au temple, et après avoir tout considéré, comme il était déjà tard, il s'en alla à Béthanie avec les douze.

12. Le lendemain, lorsqu'ils sortaient de Béthanie, il eut faim.

13. Et voyant de loin un figuier qui avait des feuilles, il alla voir s'il y trouverait quelque chose ; et s'en étant approché il n'y trouva que des feuilles ; car ce n'était pas le temps des figues.

14. Alors il dit au figuier : Qu'à jamais personne ne mange de toi aucun fruit. Ce que ses disciples entendirent.

15. Ils vinrent ensuite à Jérusalem. Et Jésus étant entré dans le temple, commença par chasser ceux qui y vendaient et qui achetaient ; il renversa les tables des banquiers, et les siéges de ceux qui vendaient des colombes.

16. Et il ne permettait pas que personne transportât aucun meuble par le temple.

17. Il les instruisait aussi, en leur disant : N'est-il pas écrit : Ma maison sera appelée par toutes les nations la maison de prière? Et cependant vous en avez fait une caverne de voleurs.

18. Ce que les princes des prêtres et les scribes ayant entendu, ils cherchaient les moyens de le perdre , car ils le craignaient, parce que tout le peuple admirait sa doctrine.

19. Quand le soir fut venu, il sortit de la ville.

20. Et le lendemain matin, ils virent en passant le figuier qui était devenu sec jusque dans ses racines.

21. Et Pierre y réfléchissant, lui dit : Rabbi, voyez comme le figuier que vous avez maudit est devenu sec.

22. Et respondens Jesus, ait illis : Habete fidem Dei.

23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tollere, et mittere in mare; et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.

24. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.

25. Et cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversùs aliquem : ut et Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.

26. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.

27. Et veniunt rursùs Jerosolymam ; et cùm ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, et scribæ, et seniores:

28. Et dicunt ei : In quâ potestate hæc facis? et quis dedit tibi hanc potestatem, ut ista facias?

29. Jesus autem respondens, ait illis : Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi, et dicam vobis in quâ potestate hæc faciam.

30. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? Respondete mihi.

31. At illi cogitabant secum, dicentes : Si dixerimus : De cœlo, dicet : Quare ergo non credidistis ei?

32. Si dixerimus : Ex hominibus, timemus populum : omnes enim habebant Joannem, quia verè propheta esset.

33. Et respondentes dixerunt Jesu : Nescimus. Et respondens Jesus, ait illis : Neque ego dico vobis in quâ potestate hæc faciam.

22. Jésus lui répondit : Ayez de la foi en Dieu.

23. Je vous dis en vérité, que quiconque dira à cette montagne : Ote-toi de là, et te jette dans la mer, et cela sans hésiter dans son cœur, mais croyant que tout ce qu'il aura dit arrivera, il le verra en effet arriver.

24. C'est pourquoi je vous le dis : Quoi que ce soit que vous demandiez dans vos prières, croyez que vous l'obtiendrez, et il vous sera accordé.

25. Mais lorsque vous vous présenterez pour prier, si vous avez quelque chose contre quelqu'un, pardonnez-lui, afin que votre Père qui est dans le ciel vous pardonne aussi vos offenses.

26. Que si vous ne pardonnez point, votre Père qui est dans le ciel ne vous pardonnera point non plus vos péchés.

27. Lorsqu'ils furent rentrés dans Jérusalem, comme Jésus se promenait dans le temple, les princes des prêtres, les scribes et les sénateurs s'approchèrent de lui,

28. Et lui dirent : Par quelle autorité faites-vous ceci? et qui vous a donné pouvoir de faire tout ce que vous faites?

29. Jésus leur répondit : Je vous interrogerai aussi; et après que vous m'aurez répondu, je vous dirai par quelle autorité je fais ceci.

30. Le baptême de Jean était-il du ciel ou des hommes? Répondez-moi.

31. Mais ils raisonnaient ainsi en eux-mêmes : Si nous répondons : Du ciel, il nous dira : Pourquoi donc ne l'avez-vous pas cru?

32. Si nous disons : Des hommes, nous avons à craindre le peuple; parce que tout le monde considérait Jean comme ayant été véritablement prophète.

33. Ils répondirent donc à Jésus : Nous ne savons. Et Jésus leur répondit : Je ne vous dirai pas non plus par quelle autorité je fais ceci.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — ET CUM APPROPINQUARENT HIEROSOLYMÆ; deest, ad, BETHPHAGÆ, ET BETHANIÆ, pro *Bethaniam*. Colligit Marcus adventum Christi in Bethaniam sabbato, et ad Bethphagæ die sequenti, ut patet ex evangelio Joannis. AD MONTEM OLIVARUM. Locus est ad insinuandum situm tam Bethaniæ quàm Bethphagæ; utraque enim juxta montem Olivarum sita dicitur.

VERS. 2. — ITE IN CASTELLUM, hoc est, in oppidum, QUOD CONTRA VOS EST, hoc est, è regione ad aspectum vestrum est. Non enim misit eos in Hierusalem, sed in castellum quod erat in prospectu eorum, et propterea non aliter nominavit ipsum; sed velut digito monstravit. ET STATIM INTROEUNTES ILLUC. Intùs illud oppidum non longè à portà, sed statim describitur inveniendus asellus. INVENIETIS PULLUM. Marcus solius pulli meminit, Matthæo pullum et asinam scribente. LIGATUM. Intelligo ligatum pullum pro quanto erat eum matre ligatâ.

VERS. 3. — QUID FACITIS : deest pronomen *hoc*; adverbialiter enim sumitur *quid* pro *cur*. Prævidebat Jesus obstaculum futurum, et propterea remedium dat, prædicendo efficaciam auctoritatis suæ, quàm primùm audita fuerit; ut securi exequerentur jussa.

VERS. 4. — LIGATUM ANTE, pro, *ad*, JANUAM, FORIS, hoc est, extra stabulum.

VERS. 7. — ET SEDIT SUPER EUM. Matthæus dicit Jesum sedisse super asinam et pullum. Marcus qui solius pulli meminit, dicit quòd sedit super pullum. Et utrumque verum est; quamvis incertum sit super quem priùs sederit.

VERS. 8. — MULTI AUTEM VESTIMENTA SUA STRAVERUNT IN VIA; ALII AUTEM FRONDES CÆDEBANT DE ARBORIBUS, ET STERNEBANT IN VIA.

VERS. 9. — ET QUI PRÆIBANT, ET QUI SEQUEBANTUR, CLAMABANT DICENTES. Collige quatuor officia : Primum discipulorum, propria pallia super asinam et pullum sternentium. Secundum turbæ multæ sternentis pallia propria in viâ, honore regio viam calcandam præparantis. Quod fuit valdè mirabile; nunquàm Davidi

VERS. 1. — ET CUM APPROPINQUARENT HIEROSOLYMÆ. Hic Græcus codex addit *Bethphage*, ut sint tria loca. *Hierosolyma*, *Bethphage*, *Bethania*. Siquidem mons Oliveti duobus passuum millibus abest ab Hierosolymis, in cujus latere est Bethania, Bethphage in ipso monte sita est.

VERS. 3. — QUID FACITIS? Græcè : *Cur facitis hoc*.

triumphanti aut Salomoni talis honor exhibitus est. Et tantò mirabilius quòd ex improviso factum est, Deo instigante turbam ad hoc. Tertium est aliorum cædentium ramos de arboribus, et sternentium similiter in viâ. Isti fortè non habebant pallia; et supplebant ramis arborum. Quartum laudis novæ et priùs inauditæ atque maximæ. Et hoc commune fuit præcedentibus et sequentibus, et etiam pueris in templo. In quibus omnibus vide concursum turbarum, vide gaudium et exultationem; et perpende testimonia Messiæ, non solùm in adventu super asinam et pullum, sed in modo veniendi : cum honore, scilicet plus quàm regio, cum honore regis divini, et cum professione turbarum clarâ et publicâ quòd est Messias. Osanna. Corruptum hoc scilicet Osanna apud Latinos, et *hos anna* apud Græcos potest dupliciter intelligi. Et ideò, ambiguus restat sermo, sed non sensus. In psalmo 118, apud Hæbreos, versu 24, invenitur bis *anna*, et bis invenitur *na*, et utrumque est ejusdem significati, et est adverbium obsecrandi (loco cujus dicimus obsecro adverbialiter) et adverbium temporis præsentis, loco cujus dicimus nunc. Et in eodem versu semel invenitur *Hosihah;* hoc est, salvifica, et imperativum *hosihah* non jungitur ibidem cum *anna,* sed cum *na*, ita quòd legitur *hosihah na;* hoc est, *salvifica, obsecro, seu nunc.* Crediderim ego Matthæum scripsisse *hosihah na*, et non *hosihah anna,* sed à Græcis ac Latinis scriptoribus et prolationibus corruptionem tantam factam ut Græci duabus dictionibus *hos anna,* et Latini unâ, *osanna,* dicant, quod in Hebræâ linguâ nescitur. Ratio credulitatis meæ est, tum quia propinquior est corruptionibus his *hosihah na* quàm *hosihah anna*, tum quia ex psalmo illo sumptum apparet totum hoc; *Benedictus qui venit in nomine Domini hosihah na,* ubi non invenitur *hosihah anna.*

Vers. 10. — Benedictus qui venit in nomine Domini, in laude, honore, gloriâ, famâ, non propriâ, sed Domini. Ego, inquit, veni in nomine Patris mei, alius veniet in nomine suo. Osanna. Repetunt desiderium ac supplicationem salutis. In excelsis. Profitentur, à Spiritu sancto acti adventum Messiæ salutiferum, non in infimis (qualia sunt mundana omnia), sed in excelsis: qualia sunt sola spiritualia ac cœlestia.

Vers. 11. — Introivit Hierosolymam. Incœperat siquidem magnitudo laudis circa principium descensûs montis Oliveti versùs Hierusalem. Jam vespera, pro, *vesperæ*, genitivi casûs. Significatur quòd vespertinâ horâ illius diei nullus in civitate Hierusalem invitavit eum; hoc enim insinuare videtur quòd circumspectis omnibus exivit et ivit in Bethaniam.

Vers 12. — Et alia die, pro, *postero die,* esuriit; in veritate; utpote tantæ sobrietatis ut etiam manè esuriret. Et signum esurientis monstravit propter mysterium; nam totum hoc factum circa ficum, res gesta fuit, non propter rem ipsam, sed in figuram. Ita quòd sicut parabolas verbis, ita gestis istis composuit figuram desituræ synagogæ Judæorum secundùm divinum cultum.

Vers. 13. — Venit quid fortè, pro, *utique*, inveniret in eâ. Significatur quòd Jesus exercuit actum quærentis fructum in ficulneâ; non quòd dubitaret aut crederet esse in eâ fructum cùm non esset tempus, sed quia totum hoc negotium ut parabola exercebatur, ideò actionem suam exercuit tanquàm personæ quærentis fructum. Considerandum est enim quòd sicut Jesus verba metaphorica dicebat proponendo parabolas, ita modò factis usus est metaphoricè. Significabat enim adventum suum esse ad quærendum fructum spiritûs in synagogâ, in populo Judæorum, quem repræsentabat ficulnea habens tantùm folia.

Vers. 14. — Et respondens, vel alicui fortè dicenti non esse ibi ficus; vel de meritis synagogæ significatæ per ficulneam, ut evangelista de industriâ dixerit respondens ad insinuandum quòd de meritis Hebræi populi respondebat maledicendo ficulneæ. Jam non amplius, etc. Maledictio ista manifestat quod figuram componebat. Arbor enim non dabat occasionem maledictioni (quia non erat tempus fructûs), sed figurata synagoga per arborem, merebatur maledictionem. Ad litteram gesta hæc significant desiderium Jesu Christi pascendi se salute Hebræi populi in cultu divino servientis Deo, et adventum ipsius ad percipiendos fructus bonorum operum in ipso; sed quia invenit populum colentem Deum foliis tantùm, hoc est, exterioribus tantùm verbis et oblationibus (*populus enim hic labiis me honorat, cor autem eorum à longè est à me*), ideò maledicit illi, ita quòd non ad tempus, sed in æternum, non proferat fructum. Nunquàm enim fructuficaturus est judaicus cultus; qui statim ut maledictus est ab ipso, aruit; est enim illius maledicere malum facere. Quod secundùm rem fuit in Jesu Christi morte ac resurrectione adimpletum; quia ex tunc legalia mortua fuerunt, quamvis secundùm apparentiam usque ad Hierosolymitanum excidium tolerata fuerint.

Vers. 15. — Et cum introisset in templum. Non ivit ad plateam aut arcem, sed ad templum Dei terminat celebrem adventum. Templi autem nomine intellige atria templi: in quæ licebat Judæis non sacerdotibus ingredi, in quibus morabantur orantes Deum; in ipsum enim templum non erat fas ingredi nisi sacerdotibus. Ejicere. Secundò nunc ejicit quia non se correxerunt ejecti iterùm biennio ante. Omnes ven-

Vers. 7. — Et sedit super eum. Nonnulli Græci codices habent ἐπ' αὐτῷ, ut sit asinus, aut certè pullus asinæ. Nonnulli *super illam,* ut sit asina femina. Quod posterius consentit cum Matthæo.

Vers. 11. — Cum vespera esset hora, *cùm vespertinum jam esset tempus.* Siquidem *horam,* Græcè loquens, pro *tempore* posuit.

Vers. 12. — Et alia die, *postridiè*, sive *postero die.*

Vers. 13. — Si quid fortè, *si quid inventurus esset.* Conjunctionem expletivam vertit in *fortè*, idque suo more, sed nullius eruditi hominis exemplo. Quorsùm enim attinebat addere *fortè*, cùm Dominus planè speraret cibum, aut certè volebat videri sperare.

DENTES ET EMENTES. Pari pœnâ insequitur vendentes et ementes : et absque exceptione. IN TEMPLO, hoc est, in atriis templi, ut dictum est. Locus ubi venditur et emitur, in causâ describitur. ET MENSAS. Non solùm contra homines vendentes et ementes, sed contra inanimatas res præparatas ibidem ad servitium negotiatorum, vindictam exercet. NUMMULARIORUM, qui residebant ibi ad commutationes nummorum, lucrando ut fieri solet in cambiis; nummularii enim negotiatores sunt nummorum, vendendo et emendo nummos. Et erat hic locus illis commodus; quia empturi animalia pro sacrificiis, et universaliter venientes in Hierusalem devotionis causâ, ibant ad templum; et egentes commutatione nummorum, inveniebant ibidem residentes nummularios. Sicut videmus Romæ in gradibus Sancti Petri; et similiter ementes et vendentes etiam in intimo atrio ante fores beati Petri (ita quòd extra in parietibus ipsius ecclesiæ appenderentur venalia) vidit mundus totus absque ejectore. ET CATHEDRAS VENDENTIUM COLUMBAS. Meminit specialiter sedium in quibus residebant vendentes columbas: ut à summo negotio nummulariorum usque ad minimum negotium vendentium columbas describat etiam in ipsas res insensibiles vindicâsse. EVERTIT. Non dedignatur manibus propriis evertere. Matthæus et Lucas referunt ejectionem vendentium et ementium factam fuisse in die palmarum; Marci verò verba sonare videntur factam fuisse in die sequenti. Creditur autem rem gestam fuisse in die palmarum; à Marco autem commemoratam in contextu gestorum die sequenti, ad declarandum quò tenderet res gesta circa ficulneam; propterea enim post gesta circa ficulneam statim commemoravit hæc gesta in templo. Acsi apertè diceret ficulneam figuram templi gessisse; ad litteram enim figurabat cultum cæremonialem qui in templo exhibebatur. Quamvis inconveniens nullum sit quòd iterùm Jesus eumdem actum exercuerit; et majorem, pro quanto die lunæ adjunxit hoc quòd non sinebat portari vas per templum, ita quòd alii evangelistæ describant ejectionem factam die palmarum; Marcus verò alteram factam die lunæ. Et præter has Joannes descripsit tertiam, ante omnes istas factam; adhuc vivente Joanne Baptistâ.

VERS. 16. — ET NON SINEBAT UT QUISQUAM TRANSFERRET VAS PER TEMPLUM. Aut vasa ipsa erant venalia, aut ponitur continens pro contento; prohibebat enim transferri venalia in vasis contenta per templum.

VERS. 17. — VOS AUTEM FECISTIS EAM SPELUNCAM LATRONUM. Primâ vice reprehenderat illos honesto vocabulo, increpando negotiationem illic; modò acriùs arguit induratos producendo in lucem quòd non solùm negotiationis, sed rapinæ domum fecerunt domum Dei. Quemadmodùm enim spelunca occultat latrones ad spoliandum transeuntes, ita, sub specie commoditatis exhibendæ divino cultui in domo Dei, palliantur isti oppressores peregrinorum; nam hìnc apparet quòd aggravando pretia expilabant peregrinos, quos oportebat ab illis emere et cum illis commutare; alioquin non assimilarentur latronibus.

VERS. 18. — QUÆREBANT QUOMODO EUM PERDERENT. Modum inquirebant : jam enim deliberaverant perdere eum. TIMEBANT ENIM EUM. Ne turbas contra eos concitaret, propterea enim exspectabant opportunum modum sine turbâ capiendi eum.

VERS. 20. —ET CUM MANE TRANSIRENT. Marcus distinguit tempora; et significans mane diei martis. VIDERUNT FICUM ARIDAM FACTAM A RADICIBUS. Non dissonat Marcus à Matthæo dicente quòd ficus aruit statim; non enim oppositum dicit Marcus. Arefactio siquidem statim subsecuta est, sed visa fuit à discipulis mane sequenti; quia statim non ceciderunt folia, non statim apparuit arida radicitùs, sed mane sequenti viderunt ipsam aridam factam à radicibus. Et tunc dixerunt : Quomodò statim aruit? Et tunc Petrus recordatus verborum Jesu, dixit ad Jesum ea quæ refert Marcus. Et respondens :

VERS. 23. — TOLLERE ET MITTERE IN MARE; imperativa passiva sunt. ET NON HÆSITAVERIT IN CORDE SUO, hoc est, non discreverit inter facile et difficile opus apud Deum, et confidens quòd opus facile faciet, et non faciet difficile.

VERS. 24. — PROPTEREA DICO VOBIS : OMNIA QUÆCUMQUE ORANTES PETITIS, CREDITE QUIA ACCIPIETIS; ET EVENIENT VOBIS. *Non dicit quæcumque petitis*, sed, *quæcumque orantes petitis*; significans quæcumque elevatâ in Deum mente petitis simpliciter et absolutè; nullus enim sapiens elevatâ in Deum mente petit absolutè, nisi ad quæ petenda à Spiritu sancto movetur. Sive petantur ea quæ sunt nostræ salutis æternæ (ad quæ petenda certum est nos moveri à Spiritu sancto), sive petantur quæcumque alia; ad quæ Spiritus sanctus aliquos specialiter movet.

VERS. 25. — ET CUM STABITIS AD ORANDUM. Signum quòd stantes orabant illo tempore.

VERS. 26. — QUÒD SI VOS NON DIMISERITIS, NEC PATER VESTER QUI IN CŒLIS EST DIMITTET VOBIS PECCATA VESTRA. Dispositionem adjungit necessariam ex parte orantis ad efficaciam petitionis æternæ salutis. — VERS. 27. — ET CUM AMBULARET IN TEMPLO. Matthæus dicit accessisse principes ad Jesum docentem. Unde colligitur quòd ambulando in templo docebat.

VERS. 28. — IN QUA POTESTATE HÆC FACIS? ET QUIS DEDIT TIBI HANC POTESTATEM UT ISTA FACIAS? Non di-

VERS. 21. — CUI MALEDIXISTI, *quam devovisti*, sive, *quam execratus est*, sive *cui malè precatus es*.

VERS. 22. — HABETE FIDEM DEI. Bonâ fide Græca reddidit interpres πίστιν Θεοῦ. Cæterùm sentit *fiduciam erga Deum*.

VERS. 23. — TOLLERE ET MITTERE; passiva sunt imperativi modi.

VERS. 25. — CUM STABITIS AD ORANDUM. *Et cùm steteritis deprecantes*. Ex quo apparet olim stantes precari solitos. PECCATA VESTRA, Augustinus, libro 21 de Civitate Dei, capite 27, annotavit vim et emphasim hujus pronominis *vestra*. Nam intelligit peccata non quælibet, aut quàmlibet gravia, sed ejusmodi, sine quibus non vivunt etiam probi, quales tum erant

eunt : In quâ potestate hæc dicis, doces aut prædicas, sed *facis,* quia de auctoritate faciendi non docendi quærunt. Duo autem operum genera fecit Jesus in templo. Alterum miraculorum, quoniam tunc curavit in templo cæcos et claudos ; alterum ejectionis vendentium et ementium, eversionis mensarum, etc. Tertium quoque factum tunc fuit quòd sedens super asinam venit cum tanto comitatu, concursu et honore in templum. Sed cùm non tunc incœperit Jesus miracula facere, sicut nec tunc incœperat docere populum, sed continuè miracula fecerit, minùs quadrat quòd de auctoritate faciendi miracula inquirant, et tantò minùs consonat quantò quærunt quis dedit tibi hanc auctoritatem ? Unde relinquitur quòd ad litteram quærunt : quâ auctoritate ejicis vendentes et ementes, evertis mensas et sedes, vetas ferri vasa per templum ? quâ auctoritate commoves totum populum ad hujusmodi concursus, gratiâ honorandi te tanto fastu ? Consonant huic sensui personæ interrogantium, scilicet principes sacerdotum et seniores populi : tanquàm ad ipsos spectet et cura templi et cura ne hujusmodi novitates fiant in civitate. Consonant verba : *Quis dedit tibi hanc potestatem ?* Cæsar, Pilatus, magistratus, Pontifex ? etc. Consonat evitatio responsionis : quòd scilicet Jesus noluit dicere quâ auctoritate hæc faceret, cùm constet quòd aperuit quâ potestate faciebat miracula, quando dicebant *quòd in Beelzebub ejicit dæmonia.*

VERS. 29. — FACIAM, pro, *facio.*

VERS. 32. — SI DIXERIMUS. Una communis responsio præ se fert collationem habitam inter illos de responsione dandâ, quod confirmatur ex numero plurali, *si dixerimus ;* conferentium enim hic est sermo. OMNES ENIM HABEBANT. Continuatio est collationis sacerdotum, considerando quid sentit populus de Joanne.

VERS. 33. — NEQUE EGO DICO VOBIS IN QUA POTESTATE HÆC FACIAM. Noluit Jesus dicere se Messiam, ad explicandum quâ auctoritate hæc faciebat, quia non erat adhuc tempus mortis ejus ; ad ultimum enim usque diem hoc reservavit, quia sciebat illos dicturos : *Blasphemavit ; reus est mortis.*

apostoli quibus hæc dicuntur. *Quòd si vos non dimiseritis.* Hæc in Græcis plerisque codicibus non adduntur ; nec Theophylactus legit aut interpretatur. Videri potest hùc adscriptum ex Matthæi 6.

VERS. 29. — UNUM VERBUM, *unum sermonem,* potiùs hoc certè loco.

VERS. 30. — BAPTISMUM JOANNIS, βάπτισμα, id est, *baptisma*, sive *baptismus.* Cùm enim habeamus *hoc baptisma* et *hunc baptismum* à Græcis, quorsùm opus erat confingere barbaram vocem tertiam, *hoc baptismum ?* Adeò nihil interesse putant quidam, quomodò loquantur. Hujusmodi fermè destomachatur hoc loco Laurentius Valla non absque causâ, licèt ignarus, ut apparet, Augustinum ita frequenter loqui, et adeò frequenter, ut non queat prætexi scriptoris error. Sic enim loquitur tractatu in Joannem quarto in caput primum : *Itaque non duravit diù baptismum Joannis.* Rursùs tractatu proximo : *Illi enim nullum baptismum erat necessarium.* Ac mox : *Quoniam ergo Joannes acceperat baptismum, quod propriè Joannis diceretur.* Iterùm paulò inferiùs : *Tale erat baptismum Joannis.* Nec alibi tamen rarò idem facit. Etiamsi et in Homiliis Origenis semel atque iterùm sic positum offendimus. Et apud Irenæum, ut appareat eruditos in hoc populi imperitiæ gessisse morem. Vulg. habet, *baptismus.*

VERS. 32. — TIMEMUS POPULUM. Græcè, *timebant populum.* Atque ita habent vetustissimi codices Latini, nominatim exemplar Paulinum et Constantiense. In Corsendoncensi videre erat etiamnùm rasuræ vestigium. Offendit autem castigatorem persona durè subitòque mutata, quasi verò hoc esset novum in evangelistis. Id incommodi vitari poterat mutatâ sermonis figurâ, *metuendus est nobis populus,* aut mutatâ alterius verbi personâ, quemadmodùm nos fecimus : *At si dixissent ex hominibus.* QUIA VERÈ PROPHETA, ὅτι, id est, *quòd,* potiùs quàm *quia,* et *fuisset,* potiùs quàm *esset.* Opinor enim Joannem jam fuisse mortuum, ex ipsius Marci narratione.

CAPUT XII.

1. Et cœpit illis in parabolis loqui : Vineam pastinavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregrè profectus est.

2. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.

3. Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum.

4. Et iterùm misit ad illos alium servum, et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt.

5. Et rursùm alium misit, et illum occiderunt, et plures alios : quosdam cædentes, alios verò occidentes.

6. Adhuc ergo unum habens filium charissimum, et illum misit ad eos novissimum, dicens : Quia reverebuntur filium meum.

7. Coloni autem dixerunt ad invicem : Hic est hæres : venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas.

CHAPITRE XII.

1. Alors Jésus commença à leur parler en paraboles. Un homme planta une vigne, l'enferma d'une haie, et creusant une fosse, il y fit un pressoir ; il y bâtit aussi une tour, et l'ayant louée à des vignerons, il s'en alla en voyage.

2. La saison étant venue, il envoya un de ses serviteurs aux vignerons pour recevoir du fruit de sa vigne.

3. Mais l'ayant pris, ils le battirent, et le renvoyèrent sans lui rien donner.

4. Il leur envoya encore un autre serviteur ; ils le blessèrent à la tête et l'accablèrent d'outrages.

5. Il leur en envoya encore un autre, qu'ils tuèrent ; et plusieurs autres ensuite, dont ils battirent les uns et tuèrent les autres.

6. Enfin ayant un fils unique qu'il aimait tendrement, il le leur envoya encore après tous les autres, disant : Ils respecteront mon fils.

7. Mais ces vignerons dirent entre eux : Voici l'héritier, allons, tuons-le ; et l'héritage sera à nous.

8. Et apprehendentes eum, occiderunt, et ejecerunt extra vineam.

9. Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis.

10. Nec Scripturam hanc legistis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli :

11. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?

12. Et quærebant eum tenere ; et timuerunt turbam, cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo, abierunt.

13. Et mittunt ad eum quosdam ex pharisæis et Herodianis, ut eum caperent in verbo.

14. Qui venientes, dicunt ei : Magister, scimus quia verax es, et non curas quemquam ; nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces : licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?

15. Qui sciens versutiam illorum, ait illis : Quid me tentatis? afferte mihi denarium, ut videam.

16. At illi attulerunt ei. Et ait illis : Cujus est imago hæc, et inscriptio? Dicunt ei : Cæsaris.

17. Respondens autem Jesus dixit illis : Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.

18. Et venerunt ad eum sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse, et interrogabant eum, dicentes :

19. Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cujus frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo.

20. Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est, non relicto semine.

21. Et secundus accepit eam, et mortuus est, et nec iste reliquit semen. Et tertius similiter.

22. Et acceperunt eam similiter septem, et non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est et mulier.

23. In resurrectione ergo, cùm resurrexerint, cujus de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem.

24. Et respondens Jesus, ait illis : Nonne ideò erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei?

25. Cùm enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cœlis.

26. De mortuis autem, quòd resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum, quomodò dixerit illi Deus, inquiens : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob?

27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multùm erratis.

28. Et accessit unus de scribis, qui audierat illos conquirentes, et videns quoniam benè illis responderit, interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum.

29. Jesus autem respondit ei : Quia primum om-

8. Ainsi s'étant saisis de lui, ils le tuèrent, et le jetèrent hors de la vigne.

9. Que fera donc le maître de cette vigne? Il viendra ; il exterminera ces vignerons, et il donnera sa vigne à d'autres.

10. N'avez-vous point lu cette parole de l'Écriture : La pierre qui a été rejetée par ceux qui bâtissaient, est devenue la principale pierre de l'angle?

11. C'est le Seigneur qui a fait cela, et nos yeux le voient avec admiration.

12. Alors ils cherchèrent les moyens de l'arrêter ; car ils virent bien que c'était d'eux qu'il voulait parler dans cette parabole; mais ils craignirent le peuple ; c'est pourquoi le laissant, ils se retirèrent.

13. Après cela, ils lui envoyèrent quelques-uns des pharisiens et des hérodiens pour le surprendre dans ses paroles.

14. Ils vinrent donc lui dire : Maître, nous savons que vous êtes sincère et vrai, et que vous n'avez égard à qui que ce soit ; car vous ne considérez point la réalité des personnes, mais vous enseignez la voie de Dieu dans la vérité. Est-il permis de payer le tribut à César, ou non?

15. Mais Jésus connaissant leur duplicité dit : Pourquoi me tentez-vous? Apportez-moi un denier, que je le voie.

16. Ils lui en apportèrent un. Et il leur demanda : De qui est cette image et cette inscription? Ils lui dirent : De César.

17. Jésus leur répondit : Rendez donc à César ce qui est à César, et à Dieu ce qui est à Dieu. Et ils le regardaient avec admiration.

18. Les sadducéens qui nient la résurrection, vinrent le trouver, et lui proposèrent cette question :

19. Maître, Moïse nous a prescrit que si un homme en mourant laisse sa femme sans enfants, son frère doit épouser sa femme, pour faire naître des enfants à son frère.

20. Or, il y avait sept frères, dont le premier ayant pris une femme, mourut sans laisser d'enfants.

21. Le second l'ayant épousée ensuite, mourut aussi sans avoir laissé d'enfants, et le troisième de même.

22. Et tous les sept l'ont ainsi épousée, sans qu'aucun d'eux ait laissé d'enfants; et enfin elle est morte la dernière.

23. Lors donc qu'ils ressusciteront au jour de la résurrection, duquel d'entre eux sera-t-elle femme? car tous les sept l'ont eue pour femme.

24. Jésus leur répondit : Ne voyez-vous pas que vous êtes dans l'erreur, parce que vous ne comprenez ni les Ecritures, ni la puissance de Dieu?

25. Car, lorsque les morts ressusciteront, les hommes ne prendront point de femmes, ni les femmes de maris ; mais ils seront comme les anges dans le ciel.

26. Et pour ce qui est de la résurrection des morts, n'avez-vous point lu dans le livre de Moïse ce que Dieu lui dit dans le buisson : Je suis le Dieu d'Abraham, le Dieu d'Isaac, et le Dieu de Jacob.

27. Or, Dieu n'est point le Dieu des morts, mais des vivants; et ainsi vous êtes dans une grande erreur.

28. Alors un des scribes qui avait entendu cette dispute, voyant que Jésus avait si bien répondu, s'approcha, et lui demanda quel était le premier de tous les commandements.

29. Jésus lui répondit : Voici le premier de tous

nium mandatum est : Audi, Israel : Dominus Deus tuus, Deus unus est.

30. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ mente tuâ, et ex totâ virtute tuâ. Hoc est primum mandatum.

31. Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tanquàm teipsum. Majus horum aliud mandatum non est.

32. Et ait illi scriba : Benè, Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum :

33. Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex totâ animâ, et ex totâ fortitudine : et diligere proximum tanquàm seipsum, majus est omnibus holocautomatibus et sacrificiis.

34. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi : Non es longè à regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

35. Et respondens Jesus dicebat, docens in templo : Quomodò dicunt scribæ, Christum filium esse David.

36. Ipse enim David dicit in Spiritu sancto : Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

37. Ipse ergo David dicit eum Dominum ; et unde est filius ejus ? Et multa turba eum libenter audivit.

38. Et dicebat eis in doctrinâ suâ : Cavete à scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro,

39. Et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis :

40. Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis : hi accipient prolixius judicium.

41. Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodò turba jactaret æs in gazophylacium, et multi divites jactabant multa.

42. Cùm venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans.

43. Et convocans discipulos suos, ait illis : Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.

44. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt : hæc verò de penuriâ suâ omnia quæ habuit, misit totum victum suum.

les commandements : Ecoutez, Israël : Le Seigneur votre Dieu est le seul Dieu.

30. Et vous aimerez le Seigneur votre Dieu de tout votre cœur, de toute votre âme, de tout votre esprit et de toutes vos forces. C'est là le premier commandement.

31. Et voici le second qui lui est semblable : Vous aimerez votre prochain comme vous-même. Il n'y a point d'autre commandement plus grand que ceux-là.

32. Le scribe alors lui répondit : Maître, ce que vous avez dit est bien vrai, qu'il n'y a qu'un seul Dieu et qu'il n'y en a point d'autre que lui;

33. Et que de l'aimer de tout son cœur, de tout son esprit, de toute son âme et de toutes ses forces, et son prochain comme soi-même, est quelque chose de plus grand que tous les holocaustes et que tous les sacrifices.

34. Jésus, voyant qu'il avait répondu sagement, lui dit : Vous n'êtes pas loin du royaume de Dieu. Et depuis ce temps-là personne n'osait plus lui faire de questions.

35. Mais Jésus prenant la parole, lorsqu'il enseignait dans le temple, dit : Comment les scribes disent-ils que le Christ est fils de David ?

36. Car David même, inspiré par le Saint-Esprit, a dit : Le Seigneur a dit à mon Seigneur : Asseyez-vous à ma droite, jusqu'à ce que j'aie réduit vos ennemis à vous servir de marchepied.

37. Puis donc que David l'appelle lui-même son Seigneur, comment est-il son fils ? Or une grande partie du peuple prenait plaisir à l'entendre.

38. Et il leur disait dans ses instructions : Gardez-vous des scribes qui aiment à se promener avec de longues robes, à être salués dans les places publiques,

39. Et à avoir les premières chaires dans les synagogues et les premières places dans les festins ;

40. Qui dévorent les maisons des veuves sous prétexte qu'ils font de longues prières. Ces personnes en recevront une condamnation plus rigoureuse.

41. Or Jésus étant assis vis-à-vis du tronc, considérait comment le peuple y jetait de l'argent, et que plusieurs riches en mettaient beaucoup ;

42. Or une pauvre veuve étant venue y mit deux petites pièces de la valeur d'un quart de sou.

43. Alors Jésus ayant appelé ses disciples leur dit : Je vous dis en vérité que cette pauvre veuve a plus donné que tous ceux qui ont mis dans le tronc :

44. Car tous les autres ont donné de leur superflu ; mais celle-ci a donné de son indigence même tout ce qu'elle avait, tout ce qui lui restait pour vivre.

COMMENTARIA.

VERS. 6. — CHARISSIMUM, pro, *dilectum*; deest, *suum*.

VERS. 7. — COLONI, pro, *agricolæ*. Parabola est clara; sensus verò intentus est : Homo paterfamiliâs est Deus. Vinea est domus Israel, teste Isa., c. 5, plantata in terrâ promissionis, juxta illud : *Vineam* de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantâsti eam. Seps, turris et torcular sicut omnia quæ oportet et expedit habere vineam optimam significant, ita omnia opportuna et spectantia ad bonum populi Israel significant data à Deo; munitiones scilicet ab extraneis tam spirituales quàm corporales, et securam habitationem

VERS. 1. — PASTINAVIT, id est, *plantavit*. Vox à *pastino* dicta, quæ declarat instrumentum bifurcum, quo semina panguntur, unde vites sterilescentes cùm refodiuntur dicuntur *repastinari*. ET FODIT LACUM, ὑπολήνιον, in quod excipitur liquor uvarum.

VERS. 4. — IN CAPITE VULNERAVERUNT, *jactis lapidibus capitaverunt*, ut ad verbum reddam, hoc est, *comminuerunt caput*. Verùm quoniam interpres vidit illum rediisse vivum, vertit *vulneraverunt*, ne putaretur extinctus. ET CONTUMELIIS AFFECERUNT, Græcè *et remiserunt affectum contumeliâ*, seu potiùs *ignominiâ*. Nam *contumelia* magis in verbis est.

VERS. 6. — QUIA REVEREBUNTUR, Græcè, *forsitan reverebuntur*. Quanquàm nonnulli Græcorum codices habebant ὅτι pro ἴσως. Sic enim legit Theophylactus et Editio Hispaniensis. Certè Latini codices vetusti habent *quia* pro *fortè*. Quæ lectio magis mihi probatur. Nec enim est consentaneum diffidere eum qui mittit

velut in turri, et necessaria quæque instrumenta ad omnia, velut torcular respectu vineæ. Agricolæ, primates sunt, peregrinatio subtractio est gratuiti auxilii servantis illos à malo. Tempus fructuum, tempus bonorum operum diversis ætatibus populi est. Servi missi, prophetæ sunt. Tres factorum injuriæ (scilicet cædere, lapidare et occidere) universæ sunt injuriæ illatæ sanctis Dei à Judæis. Missio filii est missio Messiæ, novissimè facta : quia post ipsum non exspectatur ulteriùs propheta, sed ipse est legis et prophetarum finis.

VERS. 7. — AD INVICEM, hoc est, colloquendo inter seipsos in secreto consilio. HIC EST HÆRES, auditâ suscitatione Lazari, pontifices et pharisæi collecto concilio dixerunt : Quid facimus, quia hic homo signa multa facit; si dimittimus eum sic omnes credent in eum. Quod hìc sub parabolâ dicunt hic est hæres, ibi, sub proprietate verborum dicunt : Omnes credent in eum; esse enim vineæ Israel hæredem, est omnes Israelitas credere in ipsum. VENITE. Colloquium manifestè apparet inter se; in concilio enim illo Caiphas invitavit alios. OCCIDAMUS EUM, ab illo namque die definierunt occidere Jesum. HÆREDITAS. Gentem habebimus et locum primum; venient Romani et tollent locum nostrum et gentem. Quod parabola sub lucri specie scribit, res gesta sub evitatione damni implet; idem est enim non perdere vineam et habere illam.

VERS. 8. — ET APPREHENDENTES EUM OCCIDERUNT ET EJECERUNT EXTRA VINEAM. Totum hoc ad litteram est impletum, dùm Jesus comprehensus à principibus sacerdotum ejectus est à domo Israel tanquàm seductor in manus gentilium, et per eorum manus occiderunt illum.

VERS. 10. — LAPIDEM QUEM REPROBAVERUNT ÆDIFICANTES, HIC FACTUS EST IN CAPUT ANGULI. Plus subjungit quàm parabola pateretur, parabola enim usque ad vindictam duxit; sed hâc additione suppletur quòd occisio filii non privavit filium hæreditate; hoc enim significat adjuncta prophetia de Messiâ sub metaphorâ lapidis. Lapis namque Christus est qui reprobatus ab ædificantibus, à primatibus, sacerdotibus, pharisæis, senioribus (qui velut constructores vivæ fabricæ erant inter Judæos) factus est, per resurrectionem à mortuis, in caput, in summum locum, anguli, jungendo utrumque populum Judæum et gentilem in unum : ut rei probavit eventus.

VERS. 11. — A DOMINO; non ab homine, non à cœlo, Addidit Jesus in Matthæo : *Auferetur à vobis regnum Dei*, quod impletum est ad litteram excidio Hierosolymitano subsecuto per Romanos quantùm ad cultum divinum; quantùm autem ad virtutem cultûs quâ sortiebatur rationem regni Dei, impletum est morte Christi; nam ex tunc cessavit in veritate esse regnum Dei, et datum est gentibus per Baptismi regeneratione genitis.

VERS. 13. — HERODIANIS. Ut testes non suspecti adessent; cognoscebant enim seipsos fore suspectos testes contra Jesum : quia inimicabantur ei. MAGISTER,

filium unicum. Et ὅτι quanquàm Latinè reddi non potest hoc loco, tamen apud Græcos vim habet confirmandi.

VERS. 11. — A DOMINO FACTUM EST ISTUD. *Istud* referendum est ad *caput* : aut certè ad *angulum*; id quod sermo Græcus indicat : *In caput anguli : A Domino factum est hoc*, subaudi *caput*, nisi malis *angulum*, de quo dictum est in Matthæo. Illud extra controversiam est, *hoc*, in Græco, Theophylacto referri ad *angulum*, quod interpretatur Ecclesiam, quòd utrumque populum connectat in fide Christi. Hieronymus enarrans Psalmum 118 unde hoc desumptum est testimonium, legit, *factus est iste*, ut ad lapidem et Christum referatur. ET EST MIRABILE, id est, *admirandus angulus*, sive *admirabile caput anguli*. Sic enim interpretatur Origenes homiliâ 19; cujus verba non pigebit hìc adscribere, quantùm ad hujus rei probationem attinet : *Et iste lapis donum est donatum à Deo ædificio universo, et admirabile caput in oculis nostris, qui possumus eum videre oculis mentis.* Qui Chrysostomum Latinè reddidit, ita vertit, ut nos vulgò legimus. Mihi tamen subolet Chrysostomum ad lapidem angularem retulisse pronomen, qui duos maximè inter se dissidentes populos in eamdem religionem coagmentârit, quando ita scribit : « Et ut videant nihil horum Deo esse adversum, sed valdè acceptum atque gratum, mirabile præterea stuporisque plenum à Domino factum esse, subjunxit lapidem. » Hæc, et quæ sequuntur, si conferas, lector, videbitur Chrysostomus de lapide loqui, quamvis interpres, aut fortassis scriba, secutus suam memoriam, lectionem perturbârit. Subindicat enim Chrysostomus doctores Judæorum voluisse ædificare, sed absque lapide Christo, qui connecteret utrumque populum. Atque hæc ex conjecturâ duntaxat divinamus, certiùs judicaturi, si Græci codicis esset copia. Certè manifestum est Theophylactum legere *factum esse*, et *mirabilem* referre ad angulum. Sic enim exponit : *Hic autem angulus admirabilis est, et à Deo factus.* Jam quid Hieronymus hunc locum explicans in Matthæo verterit ex Hebræo, non satis liquet, cùm constet pleraque ejus volumina fuisse depravata à sciolis scribis; nec ipsis voluminibus inter se consentientibus. Proinde fieri potest, ut ex suâ memoriâ reposuerit illud, *factum est istud, et hoc est mirabile.* Quod si maximè demus ita versum ab Hieronymo, tamen *istud* ad *caput* referri potest, hoc est, ad Christum. Nec est necesse ut ad complexum orationis, quæ præcessit, referatur. Certè Hieronymus enarrans Psalmum 117, legit et exponit hunc in modum : *Et est mirabilis in oculis nostris. Non in illorum qui eum reprobaverunt, sed in nostris, qui eum credendo suscepimus.* Hactenùs Hieronymus. In genere nobiscum facit Augustinus, tametsi locus mendo non caret, ni fallor. Ipse sermonis tenor docet sic esse legendum, *caput anguli à Domino factus est.* Quod si maximè legimus, *factum est ei,* tamen quæ sequuntur arguunt quid senserit. Sequuntur enim hæc : *Quamvis enim hoc non esset factus, nisi fuisset passus, non tamen hoc ab eis, à quibus passus est, factus est.* Quin et Arnobius *mirabilis* refert ad *lapidem*, non ad complexum sermonis : *Et ipsum*, inquit, *lapidem mirabilem in suis oculis habentes, confitentur*, etc. Porrò sive referas ad *lapidem*, sive ad *caput*, sive ad *angulum*, sensus est idem, et ad Christum pertinet.

VERS. 13. — HERODIANIS. Sic appelat milites Herodis. Is fuit Antipatri filius, quem alienigenam ac proselytum Augustus præfecerat Judæis dato regno, ut ab iis imperatoris Romani nomine tributa colligeret. In hâc sententiâ video fuisse Hieronymum, quicum res erat, haud mecum illi, qui locum hunc calumniatus est. Theophylactus putat *Herodianos* dictos, non quòd essent illius ministri, sed factio quæpiam Judæorum affirmantium Herodem esse Christum, quòd homo non Judæus apud Judæos regnaret omnium primus, nempe filius Antipatri, quod ridiculum

SCIMUS QUIA VERAX ES, universa hæc laus ex adulatoriâ officinâ, ad provocandum Jesum ne timeat præferre Deum Cæsari, procedit.

VERS. 14. — LICET DARI TRIBUTUM, pro, *censum*, CÆSARI, ANNON DABIMUS? Non quærunt an debeant dare, sed an licitum sit in foro conscientiæ dare; hæc enim interrogatio et Jesu Christi responsio significant quòd in dubium vertebatur apud Judæos an liceret solvere censum Cæsari. Et, ut Josephus ait libro 18 Antiq., Judas Gaulonites introduxit hanc quæstionem tempore nativitatis Christi, sub Octavo Augusto. Et erat ratio dubii, quia populus dicatus Deo, non debebat profiteri se subditum homini infideli; solutio enim censûs erat professio subjectionis personalis. Intendebant ergo pharisæi reddere Jesum minùs gratum populo, si diceret licere dari censum Cæsari, tanquàm non zelantem quæ Dei sunt, vel tradere eum curiæ Pilati si dicere non liceret, tanquàm avertentem populum à Cæsare.

VERS. 15. — QUID ME TENTATIS? Illi laudant: Jesus laudantes vituperat, manifestando quòd simulant ac tentant si fortè aliquid dissonum responsum daret.

VERS. 17. — REDDITE IGITUR QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI. Illata ista conclusio est ex principatu Cæsaris super ipsos, quem imago cum scriptione in nummo contestatur; principum enim est proprium numisma conficere in patriâ sibi subditâ. Ex eo itaque quòd profitemini in denario principem vestrum esse Cæsarem, consequens esse oportet ut reddatis quæ sunt (hoc est, jura) Cæsaris, Cæsari. ET QUÆ SUNT DEI, DEO. Hinc apparet quòd prætextu Dei fiebat illa quæstio, tanquàm cederet in dedecus Dei dare censum Cæsari; propter hoc enim excludendum Jesus addidit et quæ sunt Dei, hoc est, jura Dei, Deo. Et docuit per hoc quod solvere tributa, census, vectigalia et quæcumque hujusmodi principibus infidelibus non contrariatur ad reddendum quæ sunt Dei Deo; sed utrumque potest simul fieri. Unde et ipse Jesus solvit pro se et Petro, et Paulus docet *cui tributum, tributum*, etc. ET MIRABANTUR, de tam irreprehensibili simul et satisfactoriâ responsione; fecit enim satis et juribus Cæsaris et juribus Dei.

VERS. 18. — SADDUCÆI. — Nomen est sectæ. Apud Judæos enim tres erant sectæ, scilicet pharisæorum, sadducæorum et esseorum. De quibus Josephus libro 18 Ant.

VERS. 24. — ERRATIS. Absque contumeliâ aperit illis dogma eorum esse errorem ex ignorantiâ. Erratis, inquit, à veritate, docendo non fore resurrectionem mortuorum. NON SCIENTES, ecce causa erroris, SCRIPTURAS, tum interpretari, tum discernere. Sadducæi enim non admittebant Scripturas sacras nisi Moysi, et in hoc nesciebant Scripturas discernere, quoniam etiam Scripturæ prophetarum reputandæ erant inter admittendas; propterea enim dicitur eis, nescientes Scripturas: hoc est, quæ sunt Scripturæ sacræ admittendæ. Rursùs non intelligebant ipsas Moysi Scripturas, et in hoc errabant nescientes interpretari sensum Scripturarum Moysi. NEQUE VIRTUTEM DEI. Sadducæi (ut illorum hæc quæstio quam reputabant insolubilem manifestat) non sciebant alium vivendi modum nisi quem in hoc mundo videbant inter homines scilicet, comedendo, bibendo, generando, etc., et non sciebant virtutem Dei potentem corpora humana transmu-

putat Hieronymus. Verùm Pharisæi contendebant Judæorum populum, qui decimas solveret, essetque Deo dicatus, non debere solvere tributum Cæsari, nec profanis parere legibus. *Herodiani* contra principis sui negotium agebant. Proinde simul adeunt Christum, uni pariter utrique molientes insidias, ut quidquid respondisset, alterutri factioni redderetur obnoxius. Chrysostomus putat Theodam et Judam, quorum mentio fit in Actis, ob id interîsse, quòd negarent tributum oportere pendi Cæsari. Hujus autem dogmatis auctor fuit Judas quidam Gaulonites, qui Essenis, Sadducæis, et Pharisæis quartam sectam adjunxit. Vide Josephum libro Antiquitatum 18, cap. 11. UT EUM CAPERENT, *captarent*, sive *venarentur*. Et cur non potiùs, *in sermone*, quàm *in verbo*, cùm Græca vox *sermonem* significet magis quàm *verbum*.

VERS. 14. — NON CURAS QUEMQUAM, *non est tibi curæ de quoquam;* tametsi Græcis οὐδενός, vel ad hominem referri potest, vel ad rem. Hoc est, *non curas ullum hominem*, aut *non curas rem ullam*; quanquàm quod sequitur indicat ad hominem magis esse referendum, quòd alii verum reticerent, ne quosdam offenderent. IN FACIEM HOMINUM, *ad personam hominum;* quanquàm Græcè πρόσωπον utrumque significat, *faciem* et *personam*, hoc tamen loco mollius erat *persona*, quàm *facies;* atque ita verterat eamdem dictionem in Matthæo, cap. 22. LICET DARE TRIBUTUM, κῆνσον, id est, *censum*, quæ vox Latina est, ut jam indicavimus. AN NON DABIMUS. Græcè est: *Licetne censum dare Cæsari, an non? demus, an non demus?* Urgent enim hâc iteratione responsum, quasi futurum sit, ut si responderit non dandum, daturi non sint, sin dandum, daturi. Hic consentiebat codex Hispaniensis cum Theophylacto. Licèt Theophylactus non attingat hanc lectionem in Commentario. Opinor hìc Latinam esse veriorem. Alioqui bis idem quæritur in priore parte, *licet dare*, et *dabimus*. Qui depravavit locum non animadvertit ἢ μὴ δῶμεν habere vim potentialem, quasi dicas: *An non debemus dare*, ut respondeat illi, *licetne dare*. Græci nimiùm sibi permiserunt in sacris libris, præsertim in Marco et Actis apostolorum; tametsi scribis hoc potissimùm imputandum, qui, quod studiosus aliquis sibi notârat in suo codice, retulerunt in contextum.

VERS. 15. — QUI SCIENS VERSUTIAM, ὑπόκρισιν, id est, *simulationem*, quod miror quare libuerit interpreti mutare, nisi fortè legit πονηρίαν.

VERS. 17. — QUÆ SUNT DEI DEO. Haud scio casune factum sit, an datâ operâ, quòd *Deo* bis addidit articulum, *Cæsari* nequaquàm, τὰ Καίσαρος Καίσαρι, τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ: tanquàm Cæsarem velut incertum et ignotum nominet, quòd multi sint ejus nominis, Deum veluti certum designet. Mirè Christus temperavit responsum: rogatus insidiosè de re mundanâ, jubet ostendi numisma, velut ignotum: ubi ostensum est, sic agit quasi non agnoscat imaginem, neque inscriptionem. Quod ubi didicit ab illis, non dixit absolutè: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, sed: *Reddite igitur.* Quasi diceret: *Si verum est quod dicitis, hæc esse Cæsaris, solvite illi quod illius est.* Neque enim continuò quidquid imaginem habet Cæsaris, debetur Cæsari, aut principi. Fortassis alienius fuerit admonere Græcam vocem esse ancipitem, quod accipi possit pro *reddite* vel *redditis*, ut intelligamus Christum arreptâ occasione notâsse, vitam illorum, qui solliciti quid deberetur Cæsari, non illud potiùs curabant quid deberetur Deo. *Redditis Cæsari quod illius habet imaginem*, et illud, *reddite Deo quod*

tare in gloriam impassibilitatis sine cibo et potu et reliquis hujusmodi. Et propterea dicitur illis, *nescientes virtutem Dei.*

VERS. 25.—NEQUE NUBENT NEQUE NUBENTUR, pro, neque ducunt uxores neque nubunt. Dixerat duas radices erroris, scilicet ignorantiam virtutis Dei et Scripturarum. Utramque prosequitur, et primò virtutem Dei; manifestando alium vivendi modum in resurrectione, scilicet absque conjugiis absque actibus veneris. SED SUNT SICUT ANGELI. Non solùm erunt absque veneris, sed absque partis vegetativæ et sensitivæ passionibus et indigentiis; hoc enim totum significat *sicut angeli;* non comedentes, non bibentes, nulli ægritudini aut passioni subjecti. Et rursùs erunt *sicut angeli* felices in contemplatione Dei. Sadducæi non solùm negant resurrectionem, sed etiam angelos et spiritus, ut patet Act. 23, et propterea Jesus respondendo quæstioni eorum meminit angelorum; et solvit illorum quæstionem inexcogitato ab illis modo. IN CŒLIS, ad differentiam angelorum damnatorum qui vocantur dæmones; describit siquidem resurrectionem mortuorum in statu beato; hoc enim sufficiebat quæstioni sadducæorum, qui omninò resurrectionem negabant.

VERS. 27.—NON EST DEUS MORTUORUM, SED VIVORUM. Esse deus alicujus seu aliquorum est coli, haberi æstimarique deum ab illo aut ab illis; constat autem mortuorum, quatenùs mortui sunt, nullum esse deum quia sunt mortui corpore, sine sensu, sine intellectu, sine æstimatione. Et propterea Jesus ex hâc auctoritate convincit sadducæos quòd Abrahæ, Isaac et Jacob viverent spiritus quando Deus, scilicet tempore Moysi, dixit hæc verba: *Ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob;* appellans eorum animas ipsorum nominibus, more Scripturæ et Ecclesiæ: *sancte Petre, ora pro nobis,* per synecdochem partem, animam, scilicet pro toto ponendo; quia anima est quodammodo totum quod est homo, utpote non solùm præcipua essentiæ pars, sed ratio omnis vitæ et operum hominis. Sed occurrit dubium, quia ex hâc auctoritate quamvis convincantur sadducæi quòd animæ Abrahæ, Isaac et Jacob sint immortales, utpote viventes longè post mortem Abrahæ, Isaac et Jacob, non tamen apparet quomodò hinc habeatur resurrectio mortuorum; ad quam tamen comprobandam Jesus inducit hanc Scripturam, dicendo: *De mortuis quòd resurgent non legistis,* etc. Ad hoc dicitur primò quòd hæc auctoritas affertur ad hominem, scilicet sadducæum, quia radix negandi resurrectionem apud sadducæos, erat interitus animæ simul cum corpore. Unde evellendo hanc radicem convincit ipsos de resurrectione. Secundò quòd licèt immortalitas animæ non convincat philosophos quòd futura sit resurrectio mortuorum, convincit tamen cultores Dei exspectantes cœlestis patriæ beatitudinem perfectam, quia non essent perfectæ beatæ animæ nisi unitæ corporibus bearentur; maneret enim pars separata semper à suo toto, unde in Apocal., acceptis singulis stolis clamant exspectando corpora sua. Et propter hanc rationem scriptura ista continet non solùm animas mortuorum viventes, sed animas colentes Deum, dicendo: *Ego sum Deus Abraham,* etc., ut ex ipso cultu, resurrectionis fides, quæ ex vitâ animarum initium habet, compleatur.

VERS. 29. — AUDI ISRAEL, DOMINUS DEUS TUUS, pro, *Dominus Deus noster,* DEUS UNUS EST. Et punctandum est sic: *Dominus Deus noster, Dominus.* Adverte hìc Jesum ex Deuter. 6, explicare non solùm præceptum supremum dilectionis Dei, sed objectum ipsum (hoc est, Deum, diligendum), præponendo unitatem Dei; ad significandum quòd præcipitur dilectio consequens fidem Dei unius, qui solus est Dominus, qui solus colitur à nobis, ne intelligeremus diligendum Deum vagè, quasi genus deorum, aut aliquid quomodolibet pendens, quomodolibet subditum; sed illum qui adoratur à populo Israel creator cœli et terræ. DILIGES, hic est actus præceptus, non respectu cujuscumque objecti sed, DOMINUM DEUM TUUM. Ecce objectum summum. Ex, pro, *in,* TOTO. Non in parte. CORDE TUO, hoc est, voluntate; cujus proprius actus elicitus est diligere. Totalitas autem dupliciter potest exponi, vel positivè, quòd omnis vis voluntatis apponatur ad diligendum Deum. Et sic non præcipitur exequendum viatori; quia impossibile est, sed implebitur in patriâ cœlesti. Vel negativè; hoc est, sic dilige Deum ut nihil in tuo corde sit contrarium dilectioni Dei. Si enim diligeres hinc Deum, et inde aliquid contrarium Deo, puta consulere dæmones, non obedires præcepto huic, quia non diligeres in toto corde, sed in parte. Et similiter intellige totalitatem in sequentibus. ET EX TOTA ANIMA TUA, hoc

Dei habet inscriptionem atque imaginem, nempe *animam.*

VERS. 19. — ET FILIOS NON RELIQUERIT, *liberos;* nam Græca vox etiam *filias* complectitur. Matthæi cap. 22, cùm Græci magno consensu legant τέκνα, tamen Latini codices habent *filium,* non *filios,* quanquàm ad sensum nihil refert, utrùm legas. Nec est: SUSCITET SEMEN FRATRIS SUI, sed *fratri suo,* dandi casu, *semen* enim appellat *posteritatem,* sive *prolem,* quam frater fratri suscitat, non sibi, eò quòd in mortui nomen transit quod nascitur. Hâc enim ratione mortuis quodam modo adoptabantur filii. Vulg., *resuscitet semen fratri suo.*

VERS. 24. — NONNE IDEO ERRATIS, *annon igitur erratis?* ut referatur ad id quod sequitur, et sit sensus, eos ob id errare, quòd non intelligerent Scripturas. Siquidem Pharisæi errabant, non quòd ignorarent Scripturas, sed quòd avaritiâ et ambitione forent excæcati. Sadducæi labebantur ob imperitiam Scripturarum.

VERS. 25. — NEQUE NUBENT, NEQUE NUBENTUR. Neque temporis ratio servata est, neque Latinitatis. Nam Græcè est, *neque ducunt uxores, neque nuptum dantur;* ut γαμοῦσιν pertineat ad sponsos, et ἐκγαμίζονται ad puellas. Quis enim unquàm audivit *nubentur?* Quanquàm interim periit schematis gratia, quæ et ipsa servari poterat, *neque ducunt uxores, neque ducuntur.* Augustinus in Commentario in sermonem Domini in monte habitum primo legit, *neque nubent, neque ducent uxores.* Sed arbitror locum à librariis depravatum. Rursùm sermone primo de verbis Apostoli, nisi quod hìc depravatoris incogitantiâ *nubent* legitur, non *nubunt,* cùm sequatur, *ducunt,* non *ducent,* nempe juxta Græcos. Depravâsset et hunc locum, si fuisset attentus. Consimiliter adducit hunc locum et Ambrosius in Expositione Psalmi 118, sermone 11, *neque nubunt, neque uxores ducunt.* Non enim designat tempus, sed vitæ genus exprimit.

VERS. 28.—CONQUIRENTES, id est, *simul disputantes,*

est, vitâ animali, quæ complectitur partem sensitivam et vegetativam. Diligere autem in animâ, hoc est, in animali vitâ, est opera omnia ad animalem vitam spectantia dilectioni Dei subjicere, ad dilectionem Dei ordinare in omnibus hujusmodi operibus dilectioni Dei obsequí; non sufficit enim ut voluntate diligamus Deum; sed oportet in sensualibus delectationibus nihil admittere contrarium dilectioni Dei. Et ex tota mente tua, hoc est, intellectu. Diligere autem Deum intellectu, est intellectum à dilectione Dei motum seu imperatum assentire iis quæ sunt fidei, et nihil contrarium divinæ dilectioni admittere in intellectu. Hoc est primum mandatum. Est enim primum in intentione legislatoris, quia hoc præcipuè intendit; et magnum quantitate virtutis in genere mandatorum; utpote excedens reliqua et virtualiter continens reliqua.

Vers. 31.—Secundum autem, non æquale, sed posterius ac minus. Simile est illi. Dilectio enim similis est dilectioni. Diliges. Ecce actus præceptus similis actui primo præcepto. Proximum tuum, naturâ rationali, capaci beatitudinis et miseriæ. Tanquam teipsum. Non dicit quantùm teipsum, quia quadrat ordini naturæ, moris ac charitatis de quâ scriptum est, *ordinavit in me charitatem* ut plus diligam me quàm proximum. Sed dicit tanquàm, hoc est, eo modo quo diligis teipsum. Adverte, prudens lector, quòd sicut in præcepto primo præcipiuntur duo, scilicet diligere Deum, et modus diligendi, in toto corde, etc., ita in hoc secundo præcipiuntur duo, scilicet diligere proximum, et modus diligendi, sicut teipsum. Quo fit ut in hoc secundo contineantur quatuor, quorum duo præcipiuntur et duo præsupponuntur. Dicendo namque, *dilige proximum sic*, duo præcipiuntur; et definiendo, *ut teipsum* duo supponuntur, scilicet, diligere teipsum sic; nam proximum diligere sic, præcipitur ad exemplum dilectionis propriæ et modi ejus. Et hinc sequitur primò quòd præceptum hoc secundum non est de dilectione charitatis. Ex eo enim quòd præceptum hoc præsupponit dilectionem propriam et constat quòd potest impleri sine charitate, ut patet apud servantes omnia præcepta secundæ tabulæ sine charitate, consequens est quòd non præsupponit dilectionem propriam ex charitate, nec præcipit dilectionem proximi ex charitate. Rursùs dilectio proximi præcipitur hic ab exemplo dilectionis propriæ, certæ et indubitatæ: nisi enim præsupponeret tuî ipsius certam et indubitatam dilectionem, non diceret: *Dilige proximum sicut teipsum;* constat autem quòd dilectio propria ex charitate, non est certa et indubia; non ergo est de illâ sermo. Et confirmatur, quia si præciperetur hoc præcepto dilectio proximi ex charitate, dicendum fuisset: Diliges proximum tuum propter Deum, et non *sicut teipsum.* Et si dilectio propria ex charitate supponeretur, dicendum fuisset, sicut debes teipsum diligere, et non de facto, sicut teipsum; alioquin quicumque non diligit seipsum ex charitate, exemptus esset ab hoc secundo præcepto, quod est ridiculum. Sequitur secundò quòd dilectio naturalis, quâ scilicet naturali inclinatione quilibet inclinatur ad diligendum seipsum, præsupponitur dicendo, *sicut teipsum;* et præcipitur similis dilectio proximi. Manifestatur hoc tripliciter: Primò ex hoc quòd non præcipitur dilectio suî ipsius, sed supponitur. Tria enim tantùm cùm sint diligibilia amore amicitiæ, hoc est, ut quibus volumus bonum, scilicet ego, Deus et proximus, ideò de dilectione Dei et proximi dantur præcepta, et de dilectione propriâ non datur præceptum; quia ego naturaliter amo me, nec egeo virtute aliquâ in voluntate ad volendum mihi bonum, sed ad diligendum Deum, et similiter ad diligendum proximum virtute egeo et præcepto: quia nec ad volendum quæ Dei nec ad volendum quæ proximi sunt sufficientem habeo à naturâ inclinationem; opus est enim ad diligendum Deum charitate, et ad diligendum proximum justitiâ. Secundò ex eo quòd præceptum de dilectione charitatis, sufficienter unico præcepto continetur. Præcipiendo enim quòd diligatur Deus sic ut nec in corde nec in mente nec in animâ nec in viribus admittatur aliquid contrarium Deo, implicitè diligi non solùm meipsum et proximum propter Deum, sed omnia quomodolibet referenda in Deum dilectum; quoniam quæcumque, et quoscumque diligere propter Deum, non est aliud quàm diligere Deum; sicut diligere alia et alios propter meipsum, non est nisi diligere meipsum. At si præcipienda fuisset alio præcepto dilectio proximi ex charitate, pari aut majori ratione præcipiendum explicitè fuisset; Dilige teipsum propter Deum; cùm hoc magis urgeat, et magnam habeat difficultatem. Tertiò ex eo quòd, ut jam aliqualiter dictum est, dilectio non gratuita, sed quam debeo proximo, seclusâ charitate sufficienter impletur servando præcepta justitiæ et partium ejus: puta honorando parentes, non occidendo, non rapiendo, non adulterando; et breviter jus suum unicuique reddendo, et quæcumque volumus ut faciant nobis alii hæc eadem illis faciendo. Hæc autem secundæ tabulæ, comprehensa sub uno præcepto dilectionis proximi sunt: sicut omnia primæ tabulæ comprehensa sunt sub præcepto dilectionis Dei. Ut sic omnia quadrent. Est igitur litteralis sensus hujus præcepti: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Volito bonum naturalium moralium exteriorumque rerum, honoris, famæ, pecuniarum, agrorum, etc., proximo tuo, naturâ rationali, sicut hoc est, illo modo quo vis tibi ipsi bonum. Si quæris quis est ille modus? respondeo, amice, amicabiliter. Præcipitur enim ut diligas proximum propter bonum ipsius proximi, et non propter tuam utilitatem; sicut diligis teipsum propter teipsum. Diligere enim proximum propter teipsum, non est diligere proximum, sed est, diligere teipsum. Est enim

Vers. 30. — Ex tota virtute, *ex toto robore tuo.* Nam ipse mox vertit *fortitudine. Virtus* enim apud Latinos ambigua vox est.

Vers. 31. — Simile est illi, Græcè est: *Et simile est illud.* Primum præceptum est: *Diliges Dominum Deum tuum.* Et alterum simile videlicet hoc: *Diliges proximum*, etc. Interpres legisse videtur ταύτῃ pro αὕτη.

dilectio concupiscentiæ non amicitiæ. Dicendo itaque *sicut teipsum*, præcipit ut amore amicitiæ diligas proximum, ad instar amoris quo diligis teipsum. Amicabilia enim quæ sunt ad alios, veniunt ex amicabilibus ad seipsum.

VERS. 34. — JESUS AUTEM VIDENS QUOD SAPIENTER RESPONDISSET. Scriba iste tentando interrogaverat (ut Matthæus dicit) sed auditâ responsione Jesu, dedit honorem veritati, et propterea propinquus fiebat regno Dei quod evangelizabatur à Jesu, propinquus fiebat ad hoc ut esset pars regni Dei, ut Deus (non peccatum, non mundus) regnaret in illo per fidem in Jesum Christum. ET NEMO JAM AUDEBAT EUM INTERROGARE. Ratio exclusæ audaciæ interrogandi tentando erat; quia colligendo supradicta apparet quòd satisfecerat herodianis, sadducæis, pharisæis ac scribis.

VERS. 35. — ET RESPONDENS JESUS. Apud Matthæum apparet quòd pharisæis respondit, non percunctantibus de hâc subjunctâ materiâ, sed qui interrogaverant tentando *quod est mandatum magnum in lege?* Ita quòd respondere, est moventibus priùs quæstionem, postquàm responsum est reddere quæstionem interrogando illos. Vel fortè intercessit sermo de Messiâ aliquis tacitus ab Evangelistâ, cui respondisse describitur Jesus.

VERS. 37. — IPSE ERGO DAVID DICIT EUM DOMINUM, et UNDE EST FILIUS EJUS? Vera solutio quæstionis est quòd Messias habet utramque conditionem, scilicet quòd est filius Davidis, et quòd est Dominus Davidis, sed filius est secundùm quòd homo, Dominus secundùm quòd Deus. Pharisæi autem ignorabant Messiam constare ex duabus naturis, divinâ scilicet et humanâ, in unâ personâ.

VERS. 38. — QUI VOLUNT IN STOLIS AMBULARE. Per quod significatur affectus ad vestem longam usque ad imos pedes. ET SALUTARI IN FORO, pro, *foris*. Significatur enim quòd non in certo foro, sed in omnibus amabant salutari.

VERS. 39. — ET IN PRIMIS CATHEDRIS SEDERE, pro, et præsidentias, in synagogis, et primos discubitus in cœnis.

VERS. 40. — QUI DEVORANT DOMOS VIDUARUM SUB OBTENTU PROLIXÆ ORATIONIS, pro, *sub prætextu prolixè orantes*. Significatur enim quòd prolixè orabant, non devotione orandi, sed ostentando prolixam orationem ad hoc ut deciperent viduas. HI ACCIPIENT PROLIXIUS, pro, *abundantiùs*, JUDICIUM. Significatur enim major damnatio ex divino judicio.

VERS. 44. — HÆC VERO DE PENURIA SUA OMNIA QUÆ HABUIT MISIT, TOTUM VICTUM SUUM. Intellexisses plus omnibus quantùm ad affectum, non quantùm ad rem, nisi Dominus declarâsset plus omnibus etiam secundùm rem; quia ista dedit totum, alii partem; ista dedit totum victum suum, alii superfluum proprio victui. Hæc enim declarant, plus omnibus ex parte rei, non absolutè, sed proportionaliter : plus enim erat illi viduæ quadrans quàm reliquis offerentibus quidquid dabatur.

VERS. 34.—QUOD SAPIENTER RESPONDISSET, νουνεχῶς. Composita dictio est ab eo quod est, νοῦν ἔχειν, id est, *mentem habere*, quâ periphrasi Græci significant *sapere*, sive *cordatum esse*, unde *cordatè* vertimus.

VERS. 35. — ET RESPONDENS JESUS DICEBAT, DOCENS. Καὶ ἀποκριθείς. Reperies aliquot locis hoc participium ita positum, ut sensus magis exigat, ἀνακρινόμενος, id est, *interrogans*. Nisi mavis ex hoc intelligi sermonem aliorum præcessisse, quem evangelista non retulerit.

VERS. 39. — ET PRIMOS DISCUBITUS. Debebat sibi constare interpres, posteaquàm cœperat nomina vertere in verba; sic enim est Græcè : « Volentibus in « stolis obambulare, et salutationes in foris, et præsi- « dentias in synagogis, et primos accubitus in cœnis; « *aut*, qui cupiunt in stolis obambulare, ac salutari « in foris, et primas tenere cathedras in synagogis, « primoque loco accumbere in cœnis. »

VERS. 48. — QUI DEVORANT DOMOS, etc. Græca sic habent : « Devorantes domos viduarum, et prætextu « longas facientes precationes, *sive* sub prætextu pro- « lixè precantes. » PROLIXIUS, id est, *abundantius*, sive *plus judicii*. Porrò *judicium* appellat *condemnationem*, quemadmodùm frequenter accipitur in arcanis litteris. Quam rem annotavit et divus Augustinus libro de Agone Christiano, capite 27.

VERS. 41. — JACTARET, *mitteret*, sive *jaceret*. Nam jactu mittunt hujusmodi.

VERS. 42. — QUOD EST QUADRANS. Græcè scribens abusus est voce Latinâ, κοδράντης, licet depravata.

VERS. 43. — ET CONVOCANS, *advocans*, sive *cùm ad se vocâsset*.

CAPUT XIII.

1. Et cùm egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis : Magister, aspice, quales lapides, et quales structuræ.

2. Et respondens Jesus, ait illi : Vides has magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

3. Et cùm sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes et Andreas :

4. Dic nobis quando ista fient? et quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari?

5. Et respondens Jesus, cœpit dicere illis : Videte ne quis vos seducat.

6. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego sum : et multos seducent.

7. Cùm audieritis autem bella, et opiniones bel-

CHAPITRE XIII.

1. Lorsqu'il sortait du temple, un de ses disciples lui dit : Maître, regardez, quelles pierres et quelle structure!

2. Jésus lui répondit : Les voyez-vous, tous ces grands bâtiments? Ils seront tellement détruits qu'il n'y demeurera pas pierre sur pierre.

3. Ensuite, comme il était assis sur la montagne des Oliviers, vis-à-vis du temple, Pierre, Jacques, Jean et André lui demandèrent en particulier :

4. Dites-nous quand ceci arrivera, et par quel signe on connaîtra que toutes ces choses seront près d'être accomplies.

5. Sur quoi Jésus commença de leur dire : Prenez garde que personne ne vous séduise;

6. Car plusieurs viendront en mon nom, et diront, Je suis le Christ; et ils en séduiront plusieurs.

7. Or, quand vous entendrez parler de guerres et de bruits de guerres, ne vous alarmez point, parce

lorum, ne timueritis : oportet enim hæc fieri, sed nondùm finis.

8. Exsurget enim gens contra gentem, et regnum, super regnum, et erunt terræmotus per loca, et fames : initium dolorum hæc.

9. Videte autem vosmetipsos : tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis.

10. Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium.

11. Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini : sed quod datum vobis fuerit in illâ horâ, id loquamini : non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.

12. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos.

13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

14. Cùm autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet : qui legit, intelligat : tunc qui in Judæâ sunt, fugiant in montes :

15. Et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo suâ :

16. Et qui in agro erit, non revertatur retrò tollere vestimentum suum.

17. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.

18. Orate verò ut hieme non fiant.

19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus, usque nunc, neque fient.

20. Et nisi breviâsset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro : sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.

21. Et tunc si quis vobis dixerit : Ecce hìc est Christus, Ecce illic, ne credideritis.

22. Exsurgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.

23. Vos ergo videte : ecce prædixi vobis omnia.

24. Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum :

25. Et stellæ cœli erunt decidentes, et virtutes quæ in cœlis sunt, movebuntur.

26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multâ, et gloriâ.

27. Et tunc mittet angelos suos, et congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ usque ad summum cœli :

28. A ficu autem discite parabolam : Cùm jam ramus ejus tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas.

29. Sic et vos cùm videritis hæc fieri, scitote quòd in proximo sit in ostiis.

30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.

qu'il faut que cela arrive. Mais ce ne sera pas encore la fin.

8. Car on verra se soulever peuple contre peuple et royaume contre royaume ; il y aura des tremblements de terre en divers lieux, des famines : ce sera là le commencement des douleurs.

9. Or, prenez bien garde à vous ; car on vous fera comparaître dans les assemblées des juges, et on vous fera fouetter dans les synagogues, et vous serez présentés à cause de moi aux gouverneurs et aux rois, pour me rendre témoignage devant eux.

10. Et il faut que l'Evangile soit prêché auparavant à toutes les nations.

11. Lors donc qu'on vous mènera pour vous livrer entre leurs mains, ne préméditez point ce que vous devez leur dire, mais dites ce qui vous sera inspiré à l'heure même ; car ce n'est pas vous qui parlez, mais le Saint-Esprit.

12. Alors le frère livrera le frère à la mort, et le père, le fils ; les enfants mêmes se soulèveront contre leurs pères et leurs mères, et les feront mourir.

13. Et vous serez haïs de tout le monde à cause de mon nom. Mais celui qui persévérera jusqu'à la fin sera sauvé.

14. Or quand vous verrez l'abomination de la désolation établie là où elle ne doit pas être (que celui qui lit entende), alors que ceux qui seront dans la Judée s'enfuient sur les montagnes ;

15. Que celui qui sera sur le toit ne descende point dans la maison, et n'y entre point pour emporter quelque chose ;

16. Et que celui qui est dans le champ ne retourne point sur ses pas pour prendre son vêtement.

17. Mais malheur aux femmes qui seront grosses ou qui allaiteront en ce temps-là.

18. Au reste priez que cela n'arrive point pendant l'hiver.

19. Car l'affliction de ce temps-là sera si grande que, depuis le premier moment où Dieu créa toutes choses jusqu'à présent, il n'y en a point eu de semblable et il n'y en aura jamais.

20. Et si le Seigneur n'avait abrégé ces jours, nul homme n'aurait été sauvé ; mais il les a abrégés à cause des élus qu'il a choisis.

21. Si quelqu'un vous dit alors : Voici le Christ ici, ou : Il est là ; ne le croyez point.

22. Car il s'élèvera de faux christs et de faux prophètes, qui feront des prodiges et des choses étonnantes, jusqu'à séduire, s'il était possible, les élus mêmes.

23. Vous donc, prenez garde ; voici que je vous ai tout prédit.

24. Mais en ces jours, après cette tribulation, le soleil s'obscurcira, et la lune ne donnera plus sa lumière ;

25. Les étoiles tomberont du ciel ; et les vertus qui sont dans les cieux seront ébranlées.

26. Et alors on verra le Fils de l'homme qui viendra sur les nuées avec une grande puissance et une grande gloire.

27. Et il enverra ses anges pour rassembler ses élus des quatre coins du monde, depuis l'extrémité de la terre jusqu'à l'extrémité du ciel.

28. Or apprenez la comparaison du figuier : lorsque ses branches sont déjà tendres et que ses feuilles ont poussé, vous savez que l'été est proche ;

29. De même, lorsque vous verrez arriver ces choses, sachez que le Fils de l'homme est proche et à la porte.

30. Je vous dis en vérité que cette génération ne passera point que toutes ces choses ne soient accomplies.

31. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

32. De die autem illo, vel horâ, nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.

33. Videte, vigilate et orate : nescitis enim quando tempus sit.

34. Sicut homo qui peregrè profectus, reliquit domum suam et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet.

35. Vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domûs veniat, serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane);

36. Ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes.

37. Quòd autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate.

31. Le ciel et la terre passeront, mais mes paroles ne passeront point.

32. Quant à ce jour ou à cette heure-là, nul ne la sait, ni les anges qui sont dans le ciel, ni le Fils, mais le Père seul.

33. Prenez garde ; veillez et priez, parce que vous ne savez pas quand ce temps viendra.

34. Car il en sera comme d'un homme qui, partant pour un long voyage, quitta sa maison, marqua à ses serviteurs ce que chacun devait faire, et commanda au portier d'être vigilant.

35. Veillez donc, puisque vous ne savez pas quand le maître de la maison viendra, si ce sera le soir, ou à minuit, ou au chant du coq, ou au matin ;

36. De peur que, survenant tout d'un coup, il ne vous trouve endormis.

37. Au reste, ce que je vous dis, je le dis à tous : Veillez.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — UNUS EX DISCIPULIS. Quia audierat, *ecce relinquetur domus* deserta, monstrare voluit Jesu ædificium templi, provocaturus ad misericordiam, vel ut clarè intelligeret si desertio hæc futura erat cum destructione templi.

VERS. 2. — VIDES HAS OMNES ; superfluit, *omnes*.

VERS. 4. — DIC NOBIS QUANDO ISTA FIENT, pro, *erunt ;* ET QUOD SIGNUM ERIT QUANDO HÆC OMNIA INCIPIENT CONSUMMARI, pro, *consummanda sunt*. Duo petunt : Primò, tempus destructionis templi. Secundò, signum consummationis mundi, ut clarè patet apud Matth., cap. 24. — VERS. 5. — ET RESPONDENS JESUS, COEPIT DICERE ILLIS : VIDETE NE QUIS VOS SEDUCAT. Incipit respondere primò Jesus secundæ quæstioni, monendo discipulos priùs quoad partem intellectivam, ne seducantur à multis venturis profitendo se christos. — VERS. 7. — CUM AUDIERITIS AUTEM BELLA ET OPINIONES, pro, *rumores*, BELLORUM, NE TIMUERITIS, pro, *ne turbemini*. Monet deinde quoad partem affectivam, ne turbentur timentes propinquam consummationem mundi cùm audierint bella et rumores bellorum. Oportet enim necessitate humanorum morum.

VERS. 8. — EXSURGET ENIM GENS CONTRA GENTEM, ET REGNUM SUPER, pro, *contra*, REGNUM ; ET ERUNT TERRÆMOTUS PER LOCA ET FAMES, deest, et turbationes. Declarat hæc omnia quæ communiter accidunt, non esse signa consummationis mundi propinquæ ; ne putaretur quòd hæc emergentia post primum Christi adventum essent signa secundi adventûs. INITIUM, pro, *initia*, DOLORUM HÆC. Universa siquidem hæc non sunt mala ipsa quæ ventura in consummatione seculi, sed sunt initia eorum. — VERS. 9. — VIDETE AUTEM VOSMETIPSOS. Nescio quare vertendum censetur *videte* in *cavete*. Asserunt enim in Græco haberi videte ; et tamen mutandum esse et dicendum *cavete autem vos vobis ipsis*. Evangelicæ se quidem monitioni magis quadrat, *videte autem vosmetipsos ;* nam ubi priùs monuerat spectandum tum ad seductores extrinsecos, tum ad bella extrinseca, modò monet spectandum ad propria corpora ; hæc enim significant quæ subjunguntur, tradent enim vos in conciliis, etc. Et monet ut sicut advertere debent ne seducantur, et ne putent ex terræmotibus et bellis propinquum esse finem mundi, ita advertere debent ne propter flagella et passiones inferendas propriis corporibus, semetipsos perdant. ANTE PRÆSIDES ET REGES STABITIS, pro, *statuemini*, PROPTER ME, IN TESTIMONIUM ILLIS, tum perhibendum à vobis de me, tum inexcusabilis damnationis illorum principum perseverantium in infidelitate suâ postquàm vos audierint.

VERS. 10. — ET IN OMNES GENTES PRIMUM OPORTET PRÆDICARI EVANGELIUM. *Quarto loco ponitur diuturnitas temporis* ante consummationem mundi explicando quòd oportet primùm prædicari evangelium in omnes gentes. Non dicit : Oportet audiri famam Evangelii, sed, *prædicari Evangelium* in omnibus nationibus mundi. Quod adhuc non apparet adimpletum, dùm quotidiè inveniuntur gentes novæ quæ nihil unquàm audierunt de Christo.

VERS. 11. — NOLITE PRÆCOGITARE, pro, *ne ante*

VERS. 1. — QUALES LAPIDES. Miror cur Laurentius *quales* mutandum putârit in *quantos :* ποταπὸς enim sonat *cujusmodi*, sed ita ut non simplicem habeat interrogationem, ut ποῖος, sed admirationem potiùs in bonam partem, velut si de ignoto sciscitaris, rectè dixeris, ποῖος οὗτος, sed ποταπὸς non rectè dixeris.

VERS. 6. — DICENTES QUIA EGO SUM. *Quia* hoc loco tantùm affirmat, et ob id erat omittendum. Sermo neque ad Græcam proprietatem respondet, neque ad Romanam. Potest autem bifariam accipi : *Dicentes : Ego sum*, ut subaudias *Christus*. Aut : *Dicentes se esse eum qui ego sum*. Incommodum vitari poterat, si vertisset : *Dicentes : Ego sum Christus*.

VERS. 7. — ET OPINIONES, id est, *rumores*. Nam ad verbum sonat *auditiones*.

VERS. 8. — ET REGNUM SUPER REGNUM. Cur non potiùs, *contra regnum ?* sicut modò verterat. Nam eadem est præpositio Græcis.

VERS. 9. — VIDETE VOSMETIPSOS. Consentiunt quidem Græci codices, verùm mutanda erat hoc loco Græci sermonis figura : *Cavete vobis ipsis*. Neque verò est otiosa pronominis additio, quo discernuntur discipuli à cæteris. Et haud scio an scriptum fuerit à Marco, ἑαυτοῖς. IN CONCILIIS. Rectius erat, *in concilia*. ET ANTE PRÆSIDES, *et sub præsidibus et regibus ducemini*, ut intelligas eos ad judices duci.

VERS. 11. — NOLITE PRÆCOGITARE, *ne ante sitis solliciti*, sive *anxii*, sive, *ne cum sollicitudine præcogi-*

solliciti, sive anxii, sitis, QUID LOQUAMINI; deest, *neque meditemini.* Ita quòd prohibet tum anxietatem seu sollicitudinem anteriorem, tum meditationem, volens illos loqui quod tunc datum fuerit à Spiritu sancto. Et in hoc monstrat se esse Deum, promittens per Spiritum sanctum daturum se totiens quotiens quid loquantur. SED QUOD, pro, *quidquid.*

VERS. 12. — TRADET AUTEM FRATER FRATREM IN MORTEM, ET PATER FILIUM; ET CONSURGENT FILII IN PARENTES, ET MORTE AFFICIENT EOS. Dixerat, *tradent enim vos;* declarat modò à quibus tradentur, scilicet patribus, fratribus, filiis.

VERS. 13. — ET ERITIS ODIO OMNIBUS, hominibus secundùm hominem sapientibus. QUI AUTEM SUSTINUERIT, pro, *perseveraverit*, IN FINEM, HIC SALVUS ERIT. Declarat fructum tantarum passionum fore salutem æternam, si tamen usque in finem propriæ vitæ perseveraverint in fide et confessione nominis Jesu, ut hinc intelligerint tum perseverantium felicitatem, tum non perseverantium miseriam, quantùmcumque priùs multa passi fuissent : nulla enim virtus sine perseverantiâ coronatur. — VERS. 14. — CUM AUTEM VIDERITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS; deest, *quæ dicta est à Daniele prophetâ*, STANTEM UBI NON DEBET, pro, *non oportet*, QUI LEGIT INTELLIGAT. Nota prudens lector quòd Jesus afferens hanc Danielis prophetiam adjunxit, *qui legit intelligat;* proculdubiò ad reddendum nos cautos ne fallamur in sensu prophetiæ hujus, et consequenter in verbis ipsius Jesu. Videbat siquidem multos abominationis nomine intelligere aut intellecturos simulacrum aliquod futurum in templo, sicut fuerat tempore Antiochi, ut dicitur 1 Mach. 1, quod auctor illius libri interpretatus est idolum desolationis, applicando prophetiam Danielis ad illud. Et præveniens monet, *qui legit intelligat.* Nullus melior interpres Lucâ evangelista est, qui exercitum Romanorum docuit intelligendum nomine abominationis desolationis. Et verè ipsa Danielis verba hoc significant; nam non dicit : Erit abominatio in templo; sed specificavit abominationem, adjungendo desolationis; acsi apertè diceret : Non dico : Erit abominatio, hoc est, abominandum simulacrum, sed erit abominatio desolationis. Significando quòd non terræmotu, non diluvio, non cœlesti igne desolatio templi erit, sed ex abominabilibus idololatris, ut rei probavit eventus. Lucam autem evangelistam hunc docuisse sensum, apparet cap. 21, ex eo quòd eadem verba subjuncta hìc et ibi (scilicet, *tunc qui in Judæâ sunt fugiant in montes*, et reliqua) monstrant hæc apud Matthæum et Marcum verba de abominatione desolationis, intelligi ad litteram de destructione Hierusalem; ac per hoc præcedentia apud Lucam verba (scilicet *cùm videritis circumdari ab exercitu Hierusalem*) explicativa esse verborum Jesu apud Matthæum et Marcum, *cùm videritis abominationem desolationis.* Et convincitur quodammodò hic sensus ex subjunctis, *tunc qui in Judæâ sunt fugiant*, etc. Tempus namque fugiendi fuit ad litteram tempus illius exercitûs; et nullum legitur tempus simulacri successisse quo fuerit fugiendum. Verè stetit in loco sancto Romanus exercitus qui non cecidit, sed perseveravit desolando et sanctam civitatem et sanctum templum. TUNC quando appropinquabit civitati Hierosolymitanæ hæc abominatio exercitûs circa civitatem sanctam. QUI IN JUDÆA, in sorte tribûs, Judæ; illa enim pars circa Hierusalem affligetur.

VERS. 15. — NON DESCENDAT UT TOLLAT QUID DE DOMO SUA. Non dicit : Non descendat, sed, non descendat ad tollendum res suas domesticas, sed ad fugiendum dimissis omnibus.

VERS. 17. — VÆ AUTEM PRÆGNANTIBUS non valentibus fugere propter onus ventris. ET NUTRIENTIBUS, pro, *lactantibus* quæ nequeunt dimittere infantulos suos et expeditè fugere. Propterea enim tam prægnantibus quàm lactantibus dixit, væ, quia non possunt expeditè fugere, sicut in tecto vel agro occupati, qui possunt relinquere res domesticas et vestimenta.

VERS. 18. — ORATE ; impedimenta rerum monuit relinquenda, impedimenta filiorum compatiendo prædixit; impedimenta temporum oratione tollenda docet. HYEME, incommodâ ad iter fugæ. Et dixit tot de fugâ ad significandum quàm solâ fugâ providendum cuique tunc erit.

VERS. 19. — ERUNT ENIM. Particula hæc non est pars responsionis ad primum quæsitum de tempore desolationis templi, sed principium responsionis ad secundum quæsitum, scilicet quod signum adventûs tui. Et continuatur cum dictis ad quæsitum de consummatione seculi. Ita quòd conjunctio *enim* rationem reddit non dictorum circa destructionem Hierusalem et templi, sed dictorum circa consummationem mundi ex adventu glorioso Jesu. Et per modum interpositionis intelligendus est Marcus, interponens signa destructionis templi inter ea quæ sunt consummationis seculi et ea quæ sunt adventûs Jesu gloriosi, ut finitâ interpositione continuet *enim.* Hanc siquidem particulam non tractare de tribulatione Hierusalem,

tetis, id quod solent acturi causam apud principes. QUOD DATUM VOBIS, id est, *quodcumque datum fuerit.* NON ENIM VOS ESTIS LOQUENTES, *non enim vos estis qui loquimini*, ut vertit in Matthæo.

VERS. 12. — ET CONSURGENT, *insurgent.*

VERS. 14. — ABOMINATIONEM DESOLATIONIS. Hoc loco addunt Græci codices, an rectè, viderint alii: *dictam à Daniele prophetâ.* Apparet enim ex Matthæo hùc adjectum. Quanquàm et illic ab alio quopiam additum videri poterat, nisi sic ab Origene citaretur. UBI NON DEBET, *ubi non oportet.*

VERS. 17. — ET NUTRIENTIBUS, id est, *lactantibus.*

VERS. 19. — TRIBULATIONES, *tribulatio, qualis non fuit:* ut sit appositio ad epitasin faciens, cùm dies calamitosos *calamitatem* vocet. CREATURÆ, κτίσεως, ut sit verbale; quanquàm reperimus hanc dictionem ancipitem in litteris sacris. Aliquoties usurpatur pro ipsâ *conditione* seu *creatione*, nonnunquàm pro *rebus conditis.* NEQUE FIENT, οὐδὲ οὐ μὴ γένηται, *neque fiat.* Quanquàm videtur abusus tempore, ut sæpenumerò occurrunt hujusmodi, præsertim additâ geminâ negatione, οὐ μή.

apparet, tum ex eo quòd non constat tribulationem Hierusalem fuisse majorem omnibus præteritis ab initio mundi; vel rectiùs loquendo fuisse talem qualis non fuit ab initio mundi, etc.; textus enim non dicit quanta non fuit, sed qualis non fuit, tum præcipuè quia textus clarè loquitur de salute omnis carnis, et non alicujus carnis, scilicet existentis in Jerusalem; et hæc ratio meum cogit intellectum; tum quia inferiùs nullâ aliâ tribulatione descriptâ subjungitur, statim autem post tribulationem illorum dierum sol obscurabitur, cum reliquis clarè spectantibus ad adventum Christi gloriosum, ut intelligamus tribulationem quæ hìc describitur esse illam post quam statim sol obscurabitur, etc. Ex his itaque apparet particulam hanc ad litteram tractare de tribulatione futurâ ante adventum Christi ad judicium: et manifestatur ratio difficilis perseverantiæ ex tribulatione quæ nunquàm habuit parem. Et directè adjungitur hæc particula ad declarandum et prosequendum verba illa *initia dolorum;* explanatur enim terræmotus et bella, fames et reliqua mala consueta esse initia quædam dolorum, quia erunt dies illi omninò insolitæ tribulationis. Nec prætereas notare nomina *talis qualis;* non dixit, tribulationis tantæ quanta non fuit, sed, tribulationis talis qualis non fuit; major enim tribulatio fuit omni carni super terram in diluvio universali. In quo autem consistet hæc tribulatio, nescio, nisi quòd mortifera erit; nisi enim esset mortifera, non dixisset, *non fuisset salva omnis caro.*

Vers. 20. — Et nisi breviasset, pro *decurtâsset;* significat enim amputationem quoad numerum. Non fuisset salva, à morte corporis, omnis caro; humana, omnis homo. Juxta morem Scripturæ, *omnis caro fœnum*, et rursùs, *videbit omnis caro salutare Dei.* Dicendo *omnis caro,* ipsis nominibus significat quòd de salute corporis loquitur: et quòd de periculo communi hominibus bonis et malis loquitur. Nam si de salute animæ esset sermo, non periclitaretur omnis caro, quamvis multitudo malorum sit magna valdè. Unde etiam apparet quòd tribulatio hæc non erit inferenda ab hominibus; nam si ab hominibus iniquis inferretur, non periclitaretur ex illius duratione omnis caro. Ex eo igitur quòd nisi truncati fuissent quoad numerum dies illi, non servata esset omnis caro (hoc est nulla caro servata esset) apparet quòd divinum erit flagellum ac universale illa futura tunc tribulatio. Et hinc habes quòd non oportet restringere omnem carnem ad hominem: quia nihil prohibet intelligi absolutè ut sonat littera omnem carnem, ut significetur plaga communis etiam omnibus animalibus. Sed propter electos. Benignus Deus mavult erga promiscuam multitudinem propter electos clementiâ uti, quàm solos electos à plagâ illâ servare; quod facillimè posset.

Vers. 21. — Tunc si quis vobis dixerit. Prædictâ tantâ talique tribulatione universali ante suum adventum, modò prædicit modum adventûs sui penes differentiam occultè vel manifestè quantùm ad locum. Et priùs excludit incertitudinem loci. Ecce hic, in hoc loco, est Christus aut illic, nolite credere. Exsurgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ; et dabunt signa et portenta. Quæ diabolicâ potestate fieri possunt. Quæ secundùm veritatem non excedunt facultatem naturalium agentium, nisi pro quanto dæmon et movere potest aliqua quæ naturalia agentia non movent, vel ad mixtionem vel ad locum, et celeriùs agere, aut ad contraria statim, aut applicando ad effectus ad quos natura nunquàm applicaret, et hujusmodi. Et propterea apparebunt mirabilia, et existimabuntur vera miracula. Facile enim est tantæ multitudini dæmonum liberè in suo posse (quod modò ligatum est) sanare ægros etiam quos incurabiles appellamus quasi subitò, et curare vulnera incurabilia à nobis quasi subitò, movendo quæ intùs sunt in corpore, et utendo intùs secretis viribus naturalium corporum, tanquàm atomorum quæ non percipimus; et sic de similibus. Si fieri potest etiam electos. Recole conditionalem esse veram tam antecedente quàm consequente existente impossibili; ut si leo volat habet alas; unde cum hoc quòd non potest fieri ut electi ducantur in errorem, verissimè dicitur, si fieri posset ducerentur in errorem electi. Dixit enim hoc ad significandum magnitudinem fallaciæ comitantis magna signa et prodigia quæ tunc fient, non ab uno, sed à multis pseudochristis et pseudoprophetis.

Vers. 24. — Sol contenebrabitur. In diebus illis post tribulationem illam sol contenebrabitur. Non intelligo per interpositionem lunæ ut consuevit, sed

Vers. 20. — Breviasset, id est, *decurtâsset,* amputatâ parte aliquâ prioris mensuræ. Nam hoc Græcè habetur.

Vers. 21. — Ecce hic est Christus. *Hìc* adverbium esse, non pronomen, ὧδε: et ὁ Χριστὸς, *ille Christus*, ut certum aliquem intelligas. Elegantior autem est sermo. non addito verbo *est.* Neque enim significat quemvis unctum è multis, sed unicum illum, qui ab omnibus exspectabatur. Hunc locum enarrans divus Augustinus in Quæstionibus evangelicis rectè quidem interpretatur, his verbis excludi schismata hæreticorum, sed cavendum est ne ad nos quoque pertineant, qui nobis orthodoxi videmur. Audimus monachos passim clamantes (de superstitiosis loquor, non de piis): *Ecce Christus hic est,* nec hos tamen inter se consentire. Observantes dicunt, apud Coletas et Conventuales non est Christus, sed hic est. Jacobitæ clamant: *Hic est Christus,* apud Augustinienses non est. Rursùs Benedictini clamant: *Hic est Christus,* non apud Mendicantes. Denique clamat hoc genus omne: *Hic est Christus,* apud sacerdotes, qui cucullam non gestant, Christus non est. Tot undique voces obstrepunt clamantium: *Hic est Christus.* Sed quid ait ipse Christus? *Nolite credere.* Non est divisus Christus, non est in rebus corporalibus. Nusquàm non est Christus, ubicumque sunt affectus Christo digni. Vult ille communis esse omnium, qui sol est mundi. Non dignatur circumscribi loco, non includi titulis humanis, aut cultu, cæremoniisve. Denique non vult ostendi digito, sed affectibus vult exprimi. Hic denuò testandum est me non damnare cæremonias, quæ conducunt ad pietatem, dissidium damno et superstitiosam fiduciam, atque utinam eò proficiat omnium pietas, ut hæc mihi sine causâ dicta videri queant, aut certè tanto cum fructu dicantur, quàm sincero animo dicuntur à nobis.

miraculosâ obscuratione. Et luna non dabit splendorem suum. Hinc significatur quòd luna habens lumen suum non dabit illud, ut intelligamus, quòd non loquitur de eclypsi, sed de miraculo, quia in eclypsi luna privatur lumine, luna non habet lumen; hìc autem non dicitur luna non habebit, sed non dabit lumen suum.

Vers. 25. — Et stellæ, etc. Contextus cum sole et lunâ, cogit ad intelligendum de veris stellis quæ sunt in cœlo : sed casum earum intelligo esse casum à lucendo, ita quòd sicut sol obscurabitur et luna non illuminabit, ita et stellæ non lucebunt nobis. Et hoc metaphoricè vocatur cadere de cœlo; ex eo enim quòd semotis nubibus stellæ non videbuntur, videbuntur non esse ampliùs in cœlo, quod est secundùm fulgere suum cadere de cœlo. Et virtutes quæ in cœlis sunt movebuntur. Per virtutes cœlorum intelligo vires seu potestates corporum cœlestium; quia non dicitur virtutes, sed, *virtutes quæ in cœlis sunt.* Mutabuntur enim potentiæ activæ cœlestium corporum à solitis actionibus; hoc siquidem cognatum est mutationibus dictis circa solem, lunam et stellas, quæ à solitis actionibus impedientur.

Vers. 26. — Videbunt Filium hominis venientem in nubibus, non occultantibus ipsum, sed velut obsequium præbentibus. Cum virtute, pro, *potestate.*

Vers. 27.—Mittet angelos suos. Si ordo actionum erit secundùm ordinem hunc, scilicet quòd Filius hominis veniens cum gloriâ, mittet angelos suos ad congregandum electos, non parùm durabit solemnitas Christi apparentis gloriosè mundo, in ære. A quatuor ventis. Nominat quatuor mundi partes, orientem et occidentem, septentrionalem et australem, à quatuor principalibus ventis comprehendens in illis medios. A summo terræ usque ad summum cœli. Hìc verbis differt Marcus à Matthæo, qui ibi dicit, *à summis cœlorum usque ad summa cœlorum.* Idem autem intelligo per alia verba significatum, ita quod intendit utrumque hemisphærium per hæc verba significare. Et hemisphærium quidem appellatum inferius significat, *à summo terræ;* denominavit siquidem ipsum à terrâ; sicut et denominavit ipsum inferius; cùm tamen sit superius sicut et alterum. Quia enim nobis videtur inferius appellatur hemisphærium inferius; et similiter quia ex parte subjectæ nobis terræ apparet se tenere, denominatur summum terræ; hemisphærium autem superius appellat summum cœli. Apparet autem hunc esse sensum litteralem, tum ex consensu ad Matthæum, tum quòd sic et non aliter comprehenditur totum universum corporeum includendo etiam infimas terræ partes in quibus fortè multi electi erunt, et quæcumque abstrusa in quibus fortè corpora electorum erunt.

Vers. 28. — A ficu autem discite parabolam, pro, *similitudinem.* Prædictis signis et modo adventûs sui, declarat relationem signorum ad adventum, tàm secundùm rem quàm secundùm effectum in hominibus. Et relationem signorum prævenientium adventum suum gloriosum secundùm rem, declarat esse sicut gemmantium arborum fici et similium ad æstatem : hoc est, relationem propinquitatis; hanc enim relationem clarè explicat textus.

Vers. 29. — In proximo sit. Subaudi regnum Dei, seu adventum Christi gloriosum.

Vers. 30. — Generatio hæc, tum electorum, tum hominum. Præteriret siquidem generatio electorum ante ista signa, si completo numero electorum adhuc differrentur signa, adhuc differretur adventus Christi, remanente generatione reproborum solâ. Rursùs præteriret hæc unica hominum generatio inchoata à tempore diluvii, si completo numero hominum generationis hujus, differrentur hæc omnia, institutâ aliâ generatione post conflagrationem orbis, ut tempore Noe inchoavit alia generatio post diluvium aqueum, ut possent hæretici fingere. Absolvit itaque nos à timore dilationis adventûs sui ultra completum numerum electorum secundùm generationem istam, tam in esse naturæ quàm in esse gratiæ per Evangelium et baptismum. Et opportunè adjecit hoc, ne vagaremur per multas æstates, et redeuntes singulis annis gemmantes arbores. Omnia ista. Demonstrantur per pronomen, *ista,* tam signa præcedentia quàm simultanea, et adventus ipse gloriosus.

Vers. 31. — Cœlum et terra transibunt. Non secundùm substantiam, sed secundùm statum; nam à statu motûs, generationis et hujusmodi, transibunt ad statum quietis et gloriæ. Verba, non secundùm vocalem prolationem, quâ irrevocabile verbum desinit prolatum, sed secundùm res dictas. Non transibunt. Sed perpetuâ immutabilitate perseverabunt. Hic sensus directè et è regione respondet ad *cœlum et terra transibunt,* considerando res ipsas. Et addidit hoc, ne relinqueret locum suspicandi quòd regnum suum gloriosum ad quod tunc congregabit electos, alicui mutabilitati subjectum foret. Possunt et alterum gignere sensum secundùm similitudinem proportionalem, et significare quod cœlum et terra transibunt à statu suo; verba autem mea non transibunt à statu suo proportionaliter. Status enim verborum prædicentium futura est veracitas, et transirent seu præterirent si veracitatem perderent, si non adimpleretur ut significant. Et addidit hoc ad declarandum quòd omninò et infallibiliter fient et erunt hæc omnia ut dixit. Et hic est sensus litteralis, tum quia transitus verborum prædicentium futura est hic; tum quia promissorio sermoni magis quadrat immobilis veracitas verborum.

Vers. 32. — De die autem illo vel hora nemo scit. Dixerat signa præcedentia suum adventum, præmonstrare illum proximum sicut arbores emittentes frondes monstrant propinquam æstatem; ne autem errares

Vers. 32. — Neque angeli in cœlo, qui sunt in cœlo. Apud Matthæum non est mentio Filii.

Vers. 34. — Potestatem cujusque operis. Græcè est : *Unicuique opus suum.* Cæterùm in nonnullis codicibus Græcis habebatur *substantiam,* in aliis, *potestatem.* Prior lectio magis congruit cum parabolâ

intelligendo hanc similitudinem non solùm quantùm ad propinquitatem, sed etiam quantùm ad certitudinem temporis, et intelligeres quòd sicut à tempore quo arbores gemmant et frondescunt usque ad æstatem scitur spatium temporis determinati, puta trium mensium, ita ab istis signis usque ad diem adventùs Christi sciri posset certum tempus, ideò hanc opinionem excludit. NEQUE ANGELI IN COELO. Græcè habetur, *qui sunt in cœlo,* ut clarè intelligas de angelis beatis; et est sermo de notitiâ naturali. NEQUE FILIUS NISI PATER. Intellige : Neque Filius secundùm humanam naturam, notitiâ naturali. Solus enim Deus novit ex suâ naturali notitiâ tempora et momenta quæ posuit in *suâ potestate,* nullus siquidem naturali notitiâ novit consilium Dei, nisi Spiritus Dei. Cum hâc tamen veritate stat quòd Jesus, etiam secundùm quòd homo, sciat notitiâ supernaturali diem illum. Nec est dubitandum quòd sciat illum et sciverit illum ab instanti quo conceptus est materno utero, quoniam fuit perfectè beatus secundùm partem superiorem animæ, et vidit in divinâ essentiâ omnia et singula quæ sunt, erunt et fuerunt. An etiam aliquibus superioribus angelis hæc notitia communicata sit, nescimus; hoc certum est quòd naturali notitiâ nesciunt diem illum.

VERS. 33. — VIDETE, VIGILATE ET ORATE. Colligit tria necessaria, videte, mentis oculis; vigilate, studio; nihil enim prodest videre, nisi adhibeatur studium ad exequendum vel cavendum. Et orate, recurrendo ad Deum, recognoscentes vires proprias non sufficere, recognoscentes non sufficere vestrum *videre* vestrumque *vigilare.* NESCITIS ENIM QUANDO TEMPUS SIT. Vera est hæc nescientia tam de tempore universalis judicii, quàm de tempore singularis ac proprii judicii respectu singulorum.

VERS. 34. — SICUT HOMO QUI PEREGRÈ PROFECTUS. Parabolam adjungit. POTESTATEM CUJUSQUE OPERIS, pro, *et unicuique opus suum.* Significatur enim quòd dedit servis suis duo, scilicet potestatem et opus, distribuendo unicuique suum opus, hoc est, suum officium. In hâc parabolâ relatâ ad universale judicium, homo peregrè profectus est Jesus, qui in cœlum ascendit, et carnem velut ad peregrina loca in cœlum transtulit. Domus ejus Ecclesia est, quam in hoc mundo reliquit. Servi ejus, Christiani sunt, quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Opus ejus quod distribuit unicuique, est quòd dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem evangelistas, quosdam pastores, quosdam doctores; et breviter singulis sui corporis membris sua distribuit officia. Janitor autem pastor est Ecclesiæ, cui præcipitur ut vigilet super domum Christi; ubi adverte quòd si soli janitori præciperetur ut vigilet, non subjungeretur, *vigilate ergo;* et non concluderetur: *Omnibus dico, vigilate.* Vigilia itaque primùm præcepta significatur janitori, cui pro se et pro aliis incumbit vigilare; et deinde singulis pro seipsis. Quatuor noctis partes, universas temporis differentias significant; et significatur totum tempus nocturnum, propter tenebras ignorantiæ nostræ simul et peccatorum; propter has enim opus est vigilantiâ. Si referatur autem hæc parabola tota ad singulare judicium uniuscujusque, mysticus apparet sensus, ad singulos pertinere vigilantiam quæ in ipsâ concluditur parabolâ. Et proculdubiò uniuscujusque vigilantia, ne inveniatur dormiens tempore quo ad singulare judicium in suâ morte oportebit conveniri, redundat in esse paratum tempore universalis judicii, ut patet. Et propterea vigilia singulorum potest etiam intelligi ad litteram distincta per quatuor differentias noctis, ad comprehendendum omnes differentias temporis et ætatis cujuslibet hominis.

quæ est apud Matthæum de bonis in famulos distributis.

VERS. 35. — AN GALLI CANTU, *gallicinio.* Est enim Græcis dictio composita.

CAPUT XIV.

1. Erat autem Pascha et Azyma post biduum, et quærebant summi sacerdotes et scribæ quomodò eum dolo tenerent, et occiderent.

2. Dicebant autem : Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.

3. Et cùm esset Bethaniæ, in domo Simonis leprosi, et recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput ejus.

4. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, et dicentes : Ut quid perditio ista unguenti facta est?

5. Poterat enim unguentum istud venumdari plus quàm trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam.

6. Jesus autem dixit : Sinite eam : quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me.

7. Semper enim pauperes habetis vobiscum, et cùm volueritis, potestis illis benefacere : me autem non semper habetis.

CHAPITRE XIV.

1. Deux jours après étaient la Pâque et les azymes. Et les princes des prêtres avec les scribes, cherchaient le moyen de se saisir adroitement de Jésus et de le faire mourir.

2. Mais ils disaient : Il ne faut pas que ce soit pendant la fête, de peur qu'il ne s'excite quelque tumulte parmi le peuple.

3. Et comme Jésus était à Béthanie chez Simon le lépreux, et qu'il était à table, il vint une femme avec un vase d'albâtre plein d'un parfum de grand prix, composé de nard d'épi; et ayant rompu le vase, elle répandit le parfum sur sa tête.

4. Or quelques-uns en conçurent de l'indignation, et disaient en eux-mêmes : A quoi bon perdre ainsi ce parfum?

5. Car on pouvait le vendre plus de trois cents deniers, et le donner aux pauvres. Et ils murmuraient fort contre elle.

6. Mais Jésus leur dit : Laissez-la faire; pourquoi lui causez-vous de la peine? Elle vient de faire à mon égard une bonne œuvre.

7. Car vous aurez toujours des pauvres parmi vous, et vous pouvez leur faire du bien quand vous voudrez; mais pour moi, vous ne m'aurez pas toujours.

8. Quod habuit, hæc fecit; prævenit ungere corpus meum in sepulturam.

9. Amen dico vobis : Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud, in universo mundo, et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.

10. Et Judas Iscariotes unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.

11. Qui audientes gavisi sunt, et promiserunt ei pecuniam se daturos; et quærebat quomodò illum opportunè traderet.

12. Et primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli : Quò vis eamus, et paremus tibi, ut manduces pascha?

13. Et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis : Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans; sequimini eum :

14. Et quòcumque introierit, dicite domino domûs, quia Magister dicit : Ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem?

15. Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum : et illic parate nobis.

16. Et abierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem, et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt pascha.

17. Vespere autem facto, venit cum duodecim.

18. Et discumbentibus eis, et manducantibus, ait Jesus : Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.

19. At illi cœperunt contristari, et dicere ei singulatim : Numquid ego?

20. Qui ait illis : Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

21. Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo : væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei si non esset natus homo ille.

22. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum.

23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis; et biberunt ex illo omnes.

24. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

25. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Dei.

26. Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarum.

27. Et ait eis Jesus : Omnes scandalizabimini in me in nocte istâ : quia scriptum est : Percutiam pastorem, et dispergentur oves.

28. Sed postquàm resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

29. Petrus autem ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.

30. Et ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia tu hodiè in nocte hâc, priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.

31. At ille ampliùs loquebatur : Et si oportuerit

8. Elle a fait ce qu'elle a pu; elle a embaumé mon corps par avance pour ma sépulture.

9. Je vous le dis en vérité, partout où sera prêché cet Évangile, dans tout le monde, on racontera à louange de cette femme ce qu'elle vient de faire.

10. Alors Judas Iscariote, l'un des douze, s'en alla trouver les princes des prêtres, pour le leur livrer.

11. Eux l'entendant, en eurent beaucoup de joie, et ils lui promirent de lui donner de l'argent; de sorte qu'il ne cherchait plus qu'une occasion favorable pour le livrer.

12. Or le premier jour des azymes, auquel on immolait l'agneau pascal, ses disciples lui dirent : Où voulez-vous que nous allions vous préparer ce qu'il faut pour manger la pâque?

13. Sur cela il envoya deux de ses disciples, et leur dit : Allez-vous-en à la ville : vous y rencontrerez un homme qui portera une cruche d'eau; suivez-le :

14. Et en quelque lieu qu'il entre, dites au maître de la maison : Le maître vous envoie dire : Où est le lieu où je dois manger la pâque avec mes disciples?

15. Il vous montrera une grande chambre haute toute meublée. Préparez-nous là ce qu'il faut.

16. Ses disciples s'en étant allés, vinrent à la ville, trouvèrent tout comme il leur avait dit, et préparèrent la pâque.

17. Le soir étant venu, il se rendit là avec les douze.

18. Et comme ils étaient à table et qu'ils mangeaient, Jesus leur dit : Je vous dis en vérité que l'un de vous, qui mange avec moi, me trahira.

19. Ils commencèrent à s'affliger; et chacun d'eux lui demandait : Est-ce moi?

20. Jésus leur répondit : C'est l'un de vous douze qui met la main au plat avec moi.

21. Le Fils de l'homme s'en va, selon ce qui a été écrit de lui : mais malheur à l'homme par qui le Fils de l'homme sera trahi; il vaudrait mieux pour cet homme-là qu'il ne fût jamais né.

22. Pendant qu'ils mangeaient, Jésus prit du pain, et l'ayant béni, le rompit et le leur donna, et dit : Prenez; ceci est mon corps.

23. Et ayant pris le calice, après avoir rendu grâces, il le leur donna; et ils en burent tous.

24. Et il leur dit : Ceci est mon sang, le sang de la nouvelle alliance qui sera répandu pour plusieurs.

25. Je vous le dis en vérité, je ne boirai plus désormais de ce fruit de la vigne, jusqu'à ce jour où je le boirai nouveau dans le royaume de Dieu.

26. Et ayant chanté le cantique, ils s'en allèrent sur la montagne des Oliviers.

27. Jésus leur dit encore : Je vous serai à tous cette nuit un sujet de scandale; car il est écrit : Je frapperai le pasteur, et les brebis seront dispersées.

28. Mais après que je serai ressuscité, je vous précéderai en Galilée.

29. Pierre lui dit : Quand vous seriez pour tous les autres un sujet de scandale, vous ne le serez point pour moi.

30. Jésus lui repartit : Je vous dis en vérité que vous-même, aujourd'hui, cette nuit même, avant que le coq ait chanté deux fois, vous me renoncerez trois fois.

31. Mais Pierre insistait encore davantage : Quand

me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant.

32. Et veniunt in prædium cui nomen Gethsemani; et ait discipulis suis : Sedete hìc, donec orem.

33. Et assumit Petrum, et Jacobum, et Joannem secum, et cœpit pavere et tædere.

34. Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hìc, et vigilate.

35. Et cùm processisset paululùm, procidit super terram, et orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora.

36. Et dixit : Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt : transfer calicem hunc à me : sed non quod ego volo, sed quod tu.

37. Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro : Simon, dormis? non potuisti unâ horâ vigilare?

38. Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro verò infirma.

39. Et iterùm abiens oravit, eumdem sermonem dicens.

40. Et reversus denuò invenit eos dormientes (erant enim oculi eorum gravati), et ignorabant quid responderent ei.

41. Et venit tertiò, et ait illis : Dormite jam, et requiescite. Sufficit : venit hora : ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

42. Surgite, eamus : ecce qui me tradet, propè est.

43. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes, unus de duodecim, et cum eo turba multa, cum gladiis et lignis, à summis sacerdotibus, et scribis et senioribus.

44. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est : tenete eum, et ducite cautè.

45. Et cùm venisset, statim accedens ad eum, ait : Ave, Rabbi. Et osculatus est eum.

46. At illi manus injecerunt in eum, et tenuerunt eum.

47. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, et amputavit illi auriculam.

48. Et respondens Jesus, ait illis : Tanquàm ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me.

49. Quotidiè eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis; sed ut impleantur Scripturæ.

50. Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.

51. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo : et tenuerunt eum.

52. At ille, rejectâ sindone, nudus profugit ab eis.

53. Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem, et convenerunt omnes sacerdotes, et scribæ, et seniores.

54. Petrus autem à longè secutus est eum, usque intrò in atrium summi sacerdotis; et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se.

55. Summi verò sacerdotes, et omne concilium

même il me faudrait mourir avec vous, je ne vous renoncerai point. Et tous les autres disaient de même.

32. Ensuite ils allèrent dans un lieu appelé Gethsémani, où il dit à ses disciples : Demeurez ici, jusqu'à ce que j'aie fait ma prière.

33. Et ayant pris avec lui Pierre, Jacques et Jean, il commença d'être saisi de frayeur et accablé d'ennui.

34. Alors il leur dit : Mon âme est triste jusqu'à la mort. Attendez ici, et veillez.

35. Et s'étant avancé un peu plus loin, il se prosterna contre terre, priant que, s'il était possible, cette heure s'éloignât de lui.

36. Et il disait : Abba (mon Père), tout vous est possible; éloignez de moi ce calice : mais néanmoins que votre volonté s'accomplisse et non pas la mienne.

37. Il revint ensuite vers ses disciples; et les ayant trouvés endormis, il dit à Pierre : Simon, vous dormez? Quoi! vous n'avez pu seulement veiller une heure.

38. Veillez, et priez, afin que vous n'entriez point en tentation. L'esprit est prompt, mais la chair est faible.

39. Il s'en alla pour la seconde fois, et fit sa prière dans les mêmes termes.

40. Et étant revenu il les trouva encore endormis; car leurs yeux étaient appesantis, et ils ne savaient que lui répondre.

41. Il revint encore pour la troisième fois, et il leur dit : Dormez maintenant, et vous reposez. C'est assez; l'heure est venue; le Fils de l'homme va être livré entre les mains des pécheurs.

42. Levez-vous, allons; voici, celui qui doit me livrer est proche.

43. Il parlait encore, lorsque Judas Iscariote, l'un des douze, vint, accompagné d'une grande troupe de gens armés d'épées et de bâtons, envoyés par les princes des prêtres, par les scribes et par les sénateurs.

44. Or celui qui le livrait leur avait donné ce signal : Celui, dit-il, que je baiserai, c'est lui; arrêtez-le, et assurez-vous-en.

45. Et dès qu'il fut arrivé, il s'approcha de Jésus, et lui dit : Maître, je vous salue. Et il le baisa.

46. Aussitôt ils mirent la main sur Jésus et se saisirent de lui.

47. Un de ceux qui étaient avec lui, tirant son épée, en frappa un domestique du grand-prêtre, et lui coupa l'oreille.

48. Et Jésus prenant la parole leur dit : Vous êtes venus à moi, comme à un voleur, avec des épées et des bâtons, pour me prendre.

49. J'étais tous les jours parmi vous, enseignant dans le temple, et vous ne m'avez point arrêté. Mais il faut que les Écritures s'accomplissent.

50. Alors ses disciples s'enfuirent, l'abandonnant tous.

51. Or il y avait un jeune homme qui le suivait, couvert seulement d'un linceul : et ils s'emparèrent de lui.

52. Mais, jetant son linceul, il s'échappa nu de leurs mains.

53. Ils amenèrent Jésus au grand-prêtre, où s'assemblèrent tous les prêtres, les scribes et les sénateurs.

54. Pierre le suivit de loin jusque dans la cour du grand-prêtre, où, s'étant assis auprès du feu avec les domestiques, il se chauffait.

55. Cependant les princes des prêtres et tout le

quærebant adversùs Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant.

56. Multi enim testimonium falsum dicebant adversùs eum, et convenientia testimonia non erant.

57. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversùs eum, dicentes :

58. Quoniam nos audivimus eum dicentem : Ego dissolvam templum hoc manufactum, et per triduum aliud non manufactum ædificabo.

59. Et non erat conveniens testimonium illorum.

60. Et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens : Non respondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his?

61. Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursùm summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei : Tu es Christus filius Dei benedicti?

62. Jesus autem dixit illi : Ego sum; et videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli.

63. Summus autem sacerdos, scindens vestimenta sua, ait : Quid adhuc desideramus testes?

64. Audistis blasphemiam : quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.

65. Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum cædere, et dicere ei : Prophetiza ; et ministri alapis eum cædebant.

66. Et cùm esset Petrus in atrio deorsùm, venit una ex ancillis summi sacerdotis :

67. Et cùm vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait : Et tu cum Jesu Nazareno eras.

68. At ille negavit, dicens : Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit.

69. Rursùs autem cùm vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus : Quia hic ex illis est.

70. At ille iterùm negavit. Et post pusillum, rursùs qui astabant, dicebant Petro : Verè ex illis es : nam et Galilæus es.

71. Ille autem cœpit anathematizare, et jurare : Quia nescio hominem istum quem dicitis.

72. Et statim gallus iterùm cantavit. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus : Priusquàm gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

conseil cherchaient des dépositions contre Jésus pour le faire mourir, et ils n'en trouvaient point :

56. Car plusieurs déposaient faussement contre lui; mais leurs dépositions ne s'accordaient pas.

57. Mais quelques-uns se levèrent, et portèrent un faux témoignage contre lui, en ces termes :

58. Nous lui avons entendu dire : Je détruirai ce temple bâti par la main des hommes, et j'en rebâtirai un autre en trois jours qui ne sera point fait par la main des hommes.

59. Mais ce témoignage-là même n'était point encore suffisant.

60. Alors le grand-prêtre se levant au milieu de l'assemblée, interrogea Jésus, et lui dit : Vous ne répondez rien à ce que ceux-ci déposent contre vous?

61. Mais Jésus demeurait dans le silence, et il ne répondit rien. Le grand-prêtre l'interrogea encore, et lui dit : Êtes-vous le Christ, le Fils du Dieu béni?

62. Jésus lui répondit : Je le suis. Et vous verrez le Fils de l'homme assis à la droite de la majesté de Dieu et venant sur les nuées du ciel.

63. Aussitôt le grand-prêtre déchirant ses habits, *leur* dit : Qu'avons-nous encore besoin de témoins?

64. Vous avez entendu le blasphème; que vous en semble? Tous le condamnèrent comme étant digne de mort.

65. Alors quelques-uns se mirent à lui cracher au visage; et lui ayant bandé les yeux, ils lui donnaient des coups de poing, en lui disant : Prophétise. Et les valets lui donnaient des soufflets.

66. Cependant, comme Pierre était en bas dans la cour, une des servantes du grand-prêtre y vint;

67. Et l'ayant vu qui se chauffait, après l'avoir considéré, elle lui dit : Vous étiez aussi avec Jésus de Nazareth.

68. Mais il le nia, en disant : Je ne le connais point, et je ne sais ce que vous dites. Et comme il sortait dans le vestibule, le coq chanta.

69. Mais une servante l'ayant encore aperçu, commença à dire à ceux qui étaient présents : Celui-ci est de ces gens là.

70. Il le nia pour la seconde fois. Et peu de temps après, ceux qui étaient présents, dirent à Pierre : Vous êtes assurément de ces gens-là, car vous êtes aussi de Galilée.

71. Il se mit alors à faire des imprécations, et à dire en jurant : Je ne connais point cet homme dont vous me parlez.

72. Et aussitôt le coq chanta pour la seconde fois, et Pierre se ressouvint de la parole que Jésus lui avait dite : Avant que le coq ait chanté deux fois, vous me renoncerez trois fois. Et il se mit à pleurer.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — ERAT AUTEM PASCHA, solemnitas Judæorum in memoriam exitûs de Ægypto. ET AZYMA, pluralis est numeri. Significantur enim panes azymi, quibus tantum vesci licebat septem diebus Paschæ. Et addidit Marcus azyma, ad significandum initium solemnitatis pascalis. Pascha enim vocabatur totum illud tempus septem dierum. POST BIDUUM, hoc est, diem Mercurii et diem Jovis illo anno. Significat enim evangelista mane diei Mercurii in quo congregatis summis sacerdotibus apud Caipham, conventum fuit cum Judâ proditore. ET QUÆREBANT SUMMI SACERDOTES ET SCRIBÆ QUOMODO EUM DOLO TENERENT ET OCCIDERENT. Non solùm conferebant de modo, sed quærebant modum quo dolosè Jesum comprehenderent et occiderent ; non enim audebant vim manifestam illi inferre palam.

VERS. 2. — NON IN DIE FESTO, pro, *in festivitate*. Significatur enim respectus non solum ad primum diem paschæ festivum, sed ad ipsam festivitatem pascalem. NE FORTE TUMULTUS FIERET IN POPULO, pro,

VERS. 1. — PASCHA ET AZYMA. *Azyma* pluralis est numeri, quemadmodùm dicimus *lupercalia, saturnalia,* unde vertere poterat, *tempus azymorum,* quo abstinebant à fermentatis. DOLO TENERENT, *in dolo,* id est, *per dolum captum* sive *comprehensum occiderent. In* enim præpositio pro *per* usurpatur Hebræis.

VERS. 2. — DICEBANT ENIM, *dicebant autem,* quanquàm id minimùm refert.

fiat populi. Timebant enim ne populus tumultuaretur contra ipsos, si vim publicè in Christum intulissent.

Vers. 3. — Alabastrum unguenti nardi spicati, pro, *pistici,* vel ut alii volunt pisticæ feminini generis. Sed nisi textus Græcus compellat, meliùs legitur neutri generis, quoniam quadrat ut referatur ad unguentum; et sit sensus quòd unguentum erat pisticum (hoc est fidele) ac pretiosum. Minùs autem consonat quòd nardus fuerit pistica, hoc est, fidelis; non enim adulterina timetur herba nardi, sed timetur adulterinum unguentum nardi. Et fracto alabastro, hoc est, apertâ pixide alabastri. Effudit super caput ejus. Commemorat Marcus unguentum effusum super caput Jesu in Bethaniâ sabbato præcedenti, ad insinuandam rationem quâ motus fuit Judas ad vendendum Jesum summis sacerdotibus; propterea enim hìc hoc commemorat ut denotet diem proditionis fuisse biduo ante pascha, et continuet historiam, subjungendo aditum Judæ ad summos sacerdotes congregatos, descriptos quærere modum quo dolosè comprehenderent Jesum.

Vers. 4. — Intra semetipsos, pro, *apud sese.* Significatur enim quòd non corde tantùm, sed ore colloquebantur inter se.

Vers. 5. — Et fremebant in eam. Non audebant fremere in Jesum consentientem imò admittentem, cùm tamen verba et Jesum et mulierem carperent, utpote concurrentes ad perditionem illius unguenti pretiosi.

Vers. 6. — Bonum opus operata est in me. Discipuli fremebant in mulierem tanquàm operatam opus malum, ut quæ consumpserat quasi delitiando unum pauperem, quod multis erat tribuendum pauperibus. Et propterea Jesus excusat illam, asserendo *quòd bonum opus operata est erga me.*

Vers. 7. — Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Hanc rationem benè pondera; quia hinc docemur, in raris posse multo sumptu uti absque remorsu conscientiæ quòd melius fuisset dare pauperibus. Et hoc directè dixit contra rationem eorum de utilitate pauperum.

Vers. 8.—Quod habuit hæc fecit. Priùs dixit opus fuisse bonum; modò dicit intentionem fuisse bonam, utpote religiosam, imò probat fuisse opus bonum; nam non ad delicias corporis mei, sed velut corpori sepeliendo adhibuit hoc unguentum; constat enim quòd cadaveri non adhibetur unguentum ad delicias. Et dixit hoc tum ad declarandum tam mulieris quàm suum animum, quòd neutrius animus erat ad delicias. Sed illa non dubitabat adhibere unguentum homini divino, merenti hoc et longè majora, utpote vero Messiæ, alieno ab omni sensualitate sicut corpus sepeliendum; et ipse utebatur hâc unctione sine omni sensualitate, sicut cadaver quod ungitur ut sepeliatur. Verba siquidem illa, *ad quid perditio hæc*, tam adversùs mulierem quàm adversùs Jesum suscipientem in corpore proprio talem unctionem procedebant, quamvis non auderent fremere in magistrum, sed in illam. Tum ad declarandum quòd quemadmodùm opus bonum ac consuetum apud Judæos est adhibere unguenta pretiosa corporibus sepeliendis, et nullus dicit, *ad quid perditio hæc,* etc., ita opus bonum fecit hæc mulier, ungendo me vivum eo officio

Vers. 3. — Nardi spicati. *Pisticæ* legendum, quòd *nardus* sit feminini generis. Laurentius existimat *pisticam* vocari, *probatam* et *spectatam,* arguens divum Augustinum, qui putet à loco dictum. Allusum autem ad fidem christianam, quòd Græcè πίστις dicatur *fides.* Interpres vertit *spicatam,* eò quòd nardi genus quoddam vocetur *spica,* sive *spicum nardi.* Theophylactus Græcus interpres, licèt recentior, ambigit utrùm *pistica* dicatur species nardi ejus cognominis, an *probata,* velut *germana*, nullâ arte vitiata. At Dioscorides complura nardorum genera commemorans, quibus cognomina sint à locis addita, *pisticæ* nullam mentionem fecit neque Plinius. Is, cujus exstant in Marcum Commentaria Hieronymi nomine, sed falso, bellè et expeditè scilicet interpretatur *pisticam,* hoc est, *mysticam.* Hugo Carrensis interpretatur *unguentum mixtum*, quod non solùm è foliis ac radice, verùm etiam è spicis nardi conflatum sit, quasi verò non longè optimum sit quod è foliis conficiatur. Plinius enim, libro 12, cap. 12, tradit folium nardi in unguentis tenere principatum. Quo loco licebit plura de generibus nardi discere, si cui vacat. Inibi fit mentio *pseudonardi* passim nascentis; hanc herbam esse puto quam vulgò dicimus *lavendulam, crassiore,* ut inquit, *atque latiore folio, et colore languido in candidum urgente.* Veram autem nardum depingit his verbis: « Frutex est gravi, et crassâ radice, sed brevi ac nigrâ, fragilique quamvis pingui, situm redolente ut cyperi, aspero sapore, folio parvo densoque. Cacumina in aristas se spargunt, ideò geminâ dote nardi spicas ac folia celebrant. » Fieri tamen potuit, ut Marcus vulgari more loquens latinam vocem corruptè posuerit, *pisticam* appellans pro *spicatam.* Mirum enim quàm depravatè Græci Latinorum nomina usurpent. De *alabastrite* lapide meminit idem, lib. 36, c. 7. Cùm enim proximo capite meminisset *onychis,* ita prosequitur: « Hanc alioqui lapidem alabastritem vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optimè ea incorrupta servare dicitur. » Hæc consentiunt cum eo quod scribit Horatius in Odis,

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Beda refert de *nardo* et *alabastro* ex his duobus Plinii locis, quos indicavi, mutatis aliquot verbis, mirè dissimulans auctorem, quasi Plinius sit auctor pudendus, præsertim cùm de rebus naturalibus agitur. Quanquàm fieri potest, ut Beda Plinium in spatio marginis annotârit, quemadmodùm in præfatione testatur se annotâsse titulos eorum, è quibus hauserat quæ refert. Verùm hos omisit scribarum inertia. Quod idem factum est in Commentariis, quos edidit in Evangelium Lucæ, cùm ipse lectorem aut scribam obsecret, ne has nomenclaturas omitteret. Cautiùs fecit Thomas Aquinas, qui in Catenâ suâ titulos auctorum ipsi contextui admiscuit. Ex Catenâ videtur et Theophylactus id temporis fuisse versus, adeò conveniunt quæ illic referuntur nomini Theophylacti. Quin et illud mirandum, cùm pleraque Græcorum monumenta tum in sacris Litteris tum in philosophicis appareat tum fuisse versa, sic interisse, ut nusquàm exstent. Id casu factum videri vix potest. Lyranus macerat sese, num herba sit *nardus,* an frutex, an parvula arbuscula.

Vers. 4. — Ut quid, *ad quid.*

Vers. 8. — Prævenit ungere corpus meum. Non est χρῖσαι, quod est *quocumque illitu ungere*, sed μυρίσαι, quod propriè est *unguentis et odoramentis ungere.*

ac religioso animo quo me sepeliendum unxisset. Ut taceam quòd fortè mulier hæc, auditâ proximâ Christi morte, dubitans quòd non posset sepeliendo corpori officium exhibere unctionis (sicut de facto evenit) prævenit ungere ipsum vivum velut sepeliendum.

VERS. 9. — NARRABITUR IN MEMORIAM EJUS. Non sat fuit Jesu declarare quòd mulieris opus bonum, quòd intentio bona fuit, sed declaravit quòd tam laudabiliter fecit ut in toto mundo in memoriam illius commemorandum sit hoc quod fecit. Et quia hoc Ecclesia commemorat in laudem Mariæ Magdalenæ, habes hinc argumentum, quòd Maria Magdalena est illamet quæ est Maria soror Lazari, de quâ textus iste loquitur.

VERS. 10. — ET JUDAS SCARIOTES, pro, *Iscariotis;* nomen enim creditur patrium. UT PRODERET, pro, *traderet eum illis.* Reditur ad ordinem historiæ narrando aditum Judæ ad summos sacerdotes, proculbiò congregatos in atrio Caiphæ.

VERS. 12. — ET PRIMO DIE AZYMORUM. Appellat Marcus diem Jovis in quo post solis occasum incipiebat solemnitas pascalis, primum diem azymorum. Quæ appellatio non fuisset usquequaque vera, nisi adjunctum fuisset QUANDO PASCHA IMMOLABANT; hæc enim adjunctio explicat quòd non loquitur de primo die azymorum absolutè more Hebraico; quoniam primus dierum azymorum absolutè erat dies sequens, incipiens tamen ab occasu solis diei Jovis, sed loquitur de primo die azymorum quoad vesperam illius diei in quâ pascha immolabant. Et usus est hoc modo loquendi, quia cœna quæ fit in primâ noctis parte appellatur cœna illius diei qui finitus est, immolatio siquidem paschæ erat cœna agni pascalis. *Pascha immolabant,* proculdubiò Judæi: contra quoscumque dogmatizantes Jesum prævenisse diem quo Judæi immolabant pascha.

VERS. 13. — LAGENAM AQUÆ BAJULANS. Lagena vas est fictile commune aquæ et vino; sed in proposito erat aquæ.

VERS. 14. — MAGISTER DICIT: UBI EST REFECTIO MEA, pro, *diversorium,* et superfluit *mea*, UBI PASCHA CUM DISCIPULIS MEIS MANDUCEM? Adverbium ubi, manifestat quòd non refectio, sed locus quærebatur.

VERS. 15. — COENACULUM GRANDE STRATUM; deest, *paratum.* Significatur enim locus non nudus, sed cum opportunâ supellectili; ita quòd non deerat nisi parare cibos.

VERS. 19. — ET DICERE EI SINGULATIM: NUMQUID EGO? Deest, *et alius numquid ego?*

VERS. 20. — QUI AIT ILLIS: UNUS EX DUODECIM. Soli duodecim leguntur ibi interfuisse, et ideò non ad distinguendum, sed ad exaggerandum crimen ex beneficio electionis ad apostolatum repetit, *unus de duodecim.* QUI INTINGIT MANUM MECUM IN CATINO. Superfluit *manum.* Priùs dixerat sermonem communem omnibus duodecim; modò restringit sermonem ad eos cum quibus communis erat ei catinus. Et determinans actionem socialem in mensâ, determinat quòd est unus sedentium propè ipsum Jesum. Cùm enim unum catinum aceti, in quo intingebantur lactucæ agrestes, non commune fuerit tredecim comedentibus simul, sed rationi consentaneum sit duo aut tria catina fuisse, singula scilicet inter quatuor aut sex, propterea Jesus catinum commune sibi et quatuor aut sex aliis demonstrat dicendo, *qui intingit mecum*, ac per hoc descendit ad magis specialia, non tamen ad individuum. Dixi catinum aceti cum lactucis agrestibus, quia agnus erat assus, nec locum in eo habet intinctio; et in lege mandabatur manducari agnum cum lactucis agrestibus.

VERS. 21. — FILIUS QUIDEM HOMINIS VADIT SICUT SCRIPTUM EST. Occurrit tacitæ objectioni: Si scis te tradendum, cur non evitas proditionem? Respondet quia volo implere Scripturas. VÆ AUTEM HOMINI ILLI PER QUEM FILIUS HOMINIS TRADETUR, pro, *traditur.* Excludit excusationem proditoris implentis Scripturas; ne quisquam putaret quod sicut ipse Jesus benè facit eundo sicut scriptum est de ipso, ita Judas excusetur

VERS. 9. — IN MEMORIAM EJUS, *in monumentum ejus,* subaudi *mulieris.* Magis congruebat *ipsius.* Porrò verbum Græcum non simpliciter significat memoriam, sed pignus aliquod aut monumentum quod amicus apud amicum relinquit, quod illum suî commonefaciat. Unde non ineptè vertisset, *in monumentum ipsius.*

VERS. 13. — LAGENAM, Græcè, *vas fictile,* sive *aqualem fictilem,* nisi quòd durè *hydriæ* sive *aquali* additur *aquæ.* Mollius erit si dicas *aquæ plenam;* nam *aqualis* est etiam vacua.

VERS. 14. — UBI EST REFECTIO. Laurentius mavult *diversorium,* ut vertit apud Lucam, quanquàm utrumque vox Græca significat.

VERS. 15. — COENACULUM; *triclinium* intelligit, sed lectis stratis, in quibus olim discumbebatur. Dictum est autem Græcis ἀνώγεον, quod subductius sit à solo, quod veteres in superiore ædium parte cœnitarent. STRATUM. Post hoc in Græcis codicibus additur, *paratum*, sed aliundè, ni fallor, hùc transcriptum.

VERS. 19. — NUMQUID EGO. Græci sic habent: *Numquid ego? et alius: Numquid ego?* At mihi sanè videtur hoc ex interpretamento quopiam adjectum. Nam cùm semel dixisset, *singulatim,* quid erat necesse addere, *et alius, et deinde alius?* Præsertim cùm Marcus nihil aliud ferè scripserit, quàm Matthæi compendium.

VERS. 20. — QUI INTINGIT MANUM. *Manum* interpres addidit de suo. Atque sic habent antiquissimi codices, quanquàm in Matthæo erat, *qui intinxit.* Nec hìc necesse est accipi exactè temporis rationem. Non enim hoc expressit quid tum ageret Judas, sed his verbis indicavit ad quantam familiaritatem admissus esset, qui ex eâdem patellâ cum Christo peteret intinctum. Si, illo intingente manum, dixisset: *Qui intingit mecum, hic me prodet,* indubitatum ac manifestum fuisset signum. Nunc autem voluit etiam locum dare pœnitentiæ Judæ. Et tamen propius argumentum dixit, indicans illum non solùm adesse in convivio, verùm etiam in eâdem patinâ, in idem jus immergere manum, quod est intimæ familiaritatis. Quemadmodùm annotavit et Origenes, homiliâ 35, sic enarrans hunc locum ut hoc sermone Christi magis sit exaggerata insignis Judæ malitia quem ne mensæ quidem communis familiaritas, quæ solet ethnicis quoque haberi sacra, à destinato facinore retraheret.

VERS. 21. — FILIUS HOMINIS TRADETUR. Græcè, *traditur,* præsentis temporis, sed usurpatum vice futuri.

faciendo sicut scriptum est de illo; propterea enim ait : *Væ homini illi per quem traditur.* Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille, quia mortuus in utero matris incurrisset solam pœnam damni, cum incircumcisis infantibus in limbo : modò autem incurret etiam pœnam sensûs et talem ac tantam in inferno.

Vers. 22. — Et manducantibus illis. Inter comedendum itaque sacramenta Eucharistiæ celebrantur, tum ad tollendum errorem quo Eucharistia negaretur non jejunis, tum ad instruendum temperantiam cœnæ talem debere esse ut sacramentis etiam cœnantes, imò in fine cœnæ (ut alii evangelistæ testantur) simus idonei. Accepit Jesus panem et benedicens benedictione laudis, non benedictione consecrationis, ut patet ex eo quòd tam Lucas quàm Paulus primæ ad Corinth. 11, loco benedictionis ponit gratiarum actionem (quæ est benedictio laudis) ante fractionem. Sumite, et in Matthæo : Accipite et comedite. Hinc habetur Eucharistiam non esse tribuendam infantibus, quibus non potest dici : Accipite, comedite. Sicut enim quia Dominus dixit : *Nisi quis natus fuerit denuò ex aquâ et Spiritu,* negatur baptismus infantibus in materno utero, quia non potest denuò nasci qui non est natus, ita dicente Domino in communione Eucharistiæ : *Accipite, comedite*, negatur Eucharistia illis qui adhuc non possunt accipere, qui adhuc non possunt comedere. Adverte hìc quòd sicut Ecclesia laudabiliter pro reverentiâ Eucharistiæ non utitur Eucharistiæ cibo nisi jejuna (excepto extremæ ægritudinis articulo), licèt Dominus inter cœnandum communicaverit discipulos, ita laudabiliter pro reverentiâ Eucharistiæ abstinet ab isto modo manducandi scilicet : *Accipite, comedite*, ut non nisi sacris manibus tangatur Eucharistia. Verùm ad imitationem Christi communicari tali modo in articulo necessitatis, non esset inconveniens : sicut etiam non jejunos (ut dictum est) in articulo necessitatis communicamus. Esset autem necessitatis articulus, si tempore epidemiæ non haberetur sacerdos communicans more Ecclesiæ solito, sed haberetur sacerdos qui propè offerret Eucharistiam : et locando super præparato loco diceret communicaturis propè expectantibus et adorantibus : *Accipite, comedite,* possent enim reverenter accipere et comedere, sicut fecerunt Christi discipuli, qui acceperunt à Jesu non manu ad manum sed ex mensâ, cùm sederent multi in tantâ distantiâ ut manus Jesu manibus eorum non posset jungi. Crediderim ergo quòd sicut unum calicem communem omnibus tradidit, ita in unâ patinâ panem in duodecim buccellas fractum manibus propriis tradiderit, et quòd hinc Ecclesia usum patinarum apostolicâ traditione acceperit. Ita quòd sicut calicem unum discipulus dedit alii, ita patinam cum pane sancto propinquiores Jesu remotioribus successivè porrexerunt. Hoc, non dicit, hìc, id est, in hoc loco, sed dicit *hoc*, quod est pronomen demonstrativum substantiæ. Et est propissimus non metaphoricus sermo, ut hæretici interpretantur. Demonstratur autem per pronomen hoc, non panis nec corpus Christi, sed substantia sine qualitate, id est, non demonstrando certæ speciei naturam; pronominis enim officium est monstrare substantiam sine qualitate. Est itaque propissimus et verissimus sensus *hoc*, id est, hæc substantia, demonstrando id quod habebat in manibus. Est, non apparet, non significat, sed est. Corpus meum, non corpus panis. Ubi scito quòd sermo iste dominicus est non solùm enuntiativus veritatis (verissimum enim est quòd hæc substantia est corpus Christi), sed est etiam factivus veritatis significatæ; facit enim quod enuntiat. Et propterea pronomen *hoc* non demonstrat panem neque corpus Christi, sed hanc substantiam. Nam veritati nuntiatæ repugnat demonstratio panis; falsum est enim quòd panis est corpus Christi. Efficientiæ autem repugnat demonstratio corporis Christi; falsum est enim quòd efficiatur quòd corpus meum est corpus meum; nulla siquidem est opus efficientiâ ad hoc ut corpus meum sit corpus meum; ut clarè patet. Sed tam veritati enuntiatæ quàm efficientiæ quadrat demonstratio substantiæ, non demonstrando specialem naturam; quia et verum est quòd hæc substantia, non hoc accidens, est corpus meum; et verum est quòd fit, quòd hæc substantia est corpus meum; hoc est enim quod fit per hunc sermonem. Unde apparet non esse ab Ecclesiâ adinventam transsubstantiationem panis in corpus Christi, ut hæretici fingunt; sed Ecclesia à veritate per hæc Domini propè intellecta verba significatâ, cogitur ad confitendum efficientiam; non enim aliter verificatur nunc et non priùs, *hoc est corpus meum;* nisi quia nunc et non priùs factum est ut hoc sit corpus meum. Ex utroque autem, scilicet veritate significatâ et effectâ, cogitur ad confitendum transsubstantiationem panis in corpus Christi; neque enim aliter fieri potuit quòd hæc substantia sit corpus Christi quàm per transsubstantiationem; nam si transsubstantiatio non intervenit, non verificatur quòd hoc demonstratum quando Christus profert pronomen *hoc*, id est, illamet substantia quam pronomen demonstrat in suî prolatione, sit corpus Christi; sed illa substantia quæ tunc demonstratur, si qualis est tunc remanet in fine consecrationis, non est corpus Christi, sed est panis : si annihilatur, nec est panis nec est corpus Christi, sed est nihil. Omnes itaque hæreses excludunt hæc verba, *hoc est corpus meum,* secundùm proprietatem sermonis intellecta. At si verbis propriis, si proprietate sermonis non habetur veritas fidei, ruit

Sunt qui moveant scrupulum de verbo *trado*, cui non putant esse locum, nisi cùm res in manum datur, aut posteris traditur, cùm *prodere* sit nonnunquàm *indicare*, nonnunquàm *deserere*, aliquoties *in manum dare*, sed in malam partem.

Vers. 22. — Et benedicens fregit, *cùm benedixisset, fregit,* non enim simul benedixit ac fregit. Et *benedicere* non est pingere gestu manûs signum crucis, sed laudes Deo canere, et verba boni ominis dicere. Sumite, hoc est. Græci addunt : *Sumite, edite,* quemadmodùm erat in Matthæo.

Vers. 24. — Qui pro multis effundetur; *qui pro*

tota fides Trinitatis, ruit universa certitudo sacræ Scripturæ.

VERS. 23. — ET ACCEPTO CALICE. Interpres posuit speciem pro genere; nam in Græco non habetur calix, sed poculum. BIBERUNT. Hinc apparet quòd nec sanguis Christi infundendus est in os infantum qui bibere adhuc nequeunt, sed sugere.

VERS. 24. — SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI. Cùm testamentum dispositio sit hæreditatis, dicitur sanguis Christi novi Testamenti, ad differentiam sanguinis in veteri lege aspersi, Exod. c. 24. Ille enim ad firmandum pactum inter Deum et populum accepturum terram promissionis felicitatemque terrenarum opum; hic autem dispositio est hæreditatis et hæredum cœlestis regni; et propterea appellatur novum Testamentum. Sanguis namque Christi est effector novæ, antea non habitæ, et quæ nunquàm veterascit, dispositionis hæredum et hæreditatis regni cœlestis. Soli enim illi hæredes sunt cœlestis regni, qui Christi sanguinis ablutione sunt ad illud asciti. Qui PRO MULTIS EFFUNDETUR, pro, *effunditur*. Tempus siquidem passionis ejus jam incœperat. Sciebat enim quid tunc fiebat à Judâ et Judæis ad effundendum ejus sanguinem. Pro omnibus quantùm ad sufficientiam: sed pro multis tantùm quantùm ad effectam remissionem peccatorum.

VERS. 25. — ILLUD BIBAM NOVUM, hoc est, novo modo; nam nunc bibo indigens alimentis; tunc autem bibam impassibilis, non indigens cibo aut potu. IN REGNO DEI. Statum immortalitatis etiam corporalis quem resurgendo adeptus est, vocat regnum Dei, quia totaliter in illo regnat Deus; nihil est ibi inobedientiæ, nihil passibilitatis, nulla indigentia. Et intendit per hoc, quòd non erat ampliùs bibiturus vinum donec resurgeret à mortuis, manducaturus et bibiturus tunc cum discipulis, ut rei probavit eventus.

VERS. 26. — ET HYMNO DICTO. Interpres impersonaliter transtulit, quod tamen in Græco attribuitur pluribus, dicendo, *cùm dixissent laudes*, ut intelligamus non solum Jesum, sed discipulos quoque hymnum dixisse.

VERS. 27. — ET AIT JESUS; adhuc sedentibus Jesu

multis effunditur. Jam enim hoc repræsentabat, quod paulò post esset futurum. Qui tantoperè asseverant, quibus verbis Christus consecraverit, cùm id nusquàm expressè legatur, hunc annotent locum, quo res ita narratur, quasi Christus poculum porrexerit, deinde ubi bibissent, tum demùm dixerit: *Hic est calix*, etc. Sic enim habent verba evangelistæ: *Et accepto calice gratias agens, dedit eis; et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus*, etc. Quanquàm hàc in re nolim esse perversè contentiosus, cùm locus excusari possit per figuram πρωθύστερον.

VERS. 25. — QUIA JAM. *Jam* posuit pro *posthàc*, nec malè quanquàm obscurius. DE HOC GENIMINE. Græca vox verti poterat *fructu*, sive *fœtu*. Et, *hoc*, pronomen, nec additur in Græcis exemplaribus, nec in antiquis Latinis, ut sit sensus, illum *nullum vinum postea gustaturum*. Unde et in cruce vinum myrrhatum admotum ori rejecit; nisi quòd articulus τοῦ nonnullam habet emphasin.

VERS. 26. — ET HYMNO DICTO, *postquàm dixissent laudes*, ut intelligas ab omnibus decantatas laudes.

VERS. 27. — 28. — PERCUTIAM PASTOREM. Vaticinium est apud Zachariam prophetam, capite 3. Convenit autem editio Septuaginta cum Hebraicâ veritate, nisi quòd pro eo quod Hieronymus vertit, *super virum adhærentem mihi*, Septuaginta verterint, *super virum civem ejus*. Id Hieronymus accidisse putat ambiguitate unius elementi *vav*, quod non discrepet à *iod*, nisi solâ magnitudine: et si *iod* legatur, *meum* significat, si *vav*, *ejus*. Septuaginta verterunt hoc modo, Πάταξον τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήτωσαν τὰ πρόβατα. Ex πάταξον Evangelista fecit πατάξω, et ex διασκορπισθήτωσαν fecit διασκορπισθήσονται. Præterea quod illic dictum est sub personâ prophetæ rogantis ut Deus percutiat pastorem, evangelista accommodavit ad personam ipsius Dei. Id enim prodidit Hieronymus libro de optimo genere interpretandi ad Pammachium; atque eadem ferè repetit, enarrans hunc prophetæ locum. Atqui hâc sanè in re, aut ego prorsùs allucinor, aut lapsus est Hieronymus: quem ut fateor virum fuisse summâ doctrinâ, pari eloquentiâ, incomparabili sanctimoniâ, ita hominem fuisse non possum diffiteri. Etenim si quis attentiùs expendat eum prophetæ locum, is comperiet, nihil esse necesse, imò nonnisi durè hæc ad prophetæ personam accommodari. Quod quò magis perspicuum fiat, ipsa verba subscribam: *Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum*. Hæc certè palam est dici sub personâ Dei, cùm addiderit *dicit Dominus exercituum*. Ac mox sequitur: *Percute pastorem, et dispergentur oves*. Hæc quoque sunt Dei verba alloquentis gladium suum. Quòd si quis velit aliò torquere, certè quod sequitur non sinet: *Et convertam manum meam ad parvulos*. Atque adeò reclamat evidentiùs, quod continenter adjungitur: *Et erunt in omni terrâ, dicit Dominus*. Hunc quoque locum magnis tragœdiis calumniatus est quidam, qui si tam esset ad docendum quæ recta sunt instructus, quam videtur animatus ad calumniandum aliena, dignus esset qui inter celebres scriptores annumeraretur. Cùm nemo plus tribuat Hieronymo, cùm illud in me criminati sint quidam, libris etiam editis, quod Hieronymum Augustino, alioqui summo, prætulerim; hic me clamitat mihi Hieronymum unum ex omnibus delegisse, quicum monomachiam susciperem, et canit frigidum Hieronymi encomium, quasi non ante sit à me majore spiritu laudatus. Quanquàm hoc ipsum laudis, quod hic tribuit Hieronymo, mutuatus videtur ex meis scriptis. Et hos tumultus cit homo turbulentus, quod in re minimè periculosa dissenserim ab Hieronymo, cum summâ tamen honoris præfatione, præsertim cùm ipse Hieronymus sibi parùm constet. Ego sacrilegus, qui Hieronymum dixerim hominem esse. Quid autem dici potest clementius? Et actum erat de honore Hieronymi, ni lapis iste viri patrocinium tanto spiritu suscepisset. Sed ut, omissis cavillis, rem lectori paucis aperiamus, in libello de optimo genere interpretandi, cùm hoc ageret ex professo Hieronymus, ut ostenderet quædam apud Hebræos discrepare ab interpretatione Septuaginta, aut apostolorum citationibus, adduxit et hunc Zachariæ locum, sic distinguens personas, ut argumento, quod instituerat tunc, congruebat. Cæterùm in Commentariis, quibus locum hunc evangelistæ enarrat, sic temperat sententiam, ut quod in libello de optimo genere interpretandi scripserat, propemodùm recantare videatur: *Hoc*, inquit, *aliis verbis in Zachariâ prophetâ scriptum est, et, ni fallor, ex personâ Prophetæ ad Deum dicitur: Percute pastorem*. Porrò quod hunc sensum confirmat consensu Psalmi sexagesimi: *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt*; ut demus hoc sensisse Psalmographum, quod interpretatur Hieronymus, haud cogit tamen, ut persona loquentis mutetur. Cùm enim constet priorem partem vaticinii: *Framea, suscitare super pastorem meum*, pertinere ad Deum Patrem, si quod mox sequitur ad eumdem referatur: *Percute pastorem*, etc., tamen idem

et discipulis ante profectum. OMNES. Hinc apparet quòd Judas non erat ibi; ipse enim non fuit scandalum passus nocte illà, sed fecit scandalum omnibus. SCANDALIZABIMINI IN ME, cespitabitis velut impingendo in me patientem; videndo enim me capi, ligari, etc., timebitis fugietisque à me sicut ab offendiculo, ne cadatis, ne incidatis in manus capientium. SCRIPTUM EST, Zach., 13: PERCUTIAM PASTOREM. Si miraris evangelistam mutàsse verbum prophetæ dicentis, *percute*, scito evangelistam declaràsse hâc mutatione prophetam, nam clarè explicat percussionem Pastoris esse actionem Dei; quod non clarè significatur, ubi Deus alloquitur frameam seu gladium, præcipiendo, *percute Pastorem*. In idem siquidem reditur, Deum percussurum esse Pastorem, et Deum præcipere gladio Judæorum ut percutiat Pastorem Jesum; ad litteram namque framea seu gladius præsidis percussit Jesum; et cum gladiis venerunt ministri justitiæ ad capiendum eum.

VERS. 28. — POSTQUAM RESURREXERO. Ne dispersi desperent, et pro eo quòd fugerunt putent se non redintegrandos ad Jesu Christi gratiam et regnum, promittit post suam resurrectionem se venturum ad illos. PRÆCEDAM VOS IN GALILÆAM. Magna consolatio: antequàm vos fugientes redeatis in Galilæam, vestram patriam, ad vestras domos, ego ibo illuc videndus à vobis.

VERS. 30. — PRIUSQUAM GALLUS VOCEM BIS DEDERIT, TER ME ES NEGATURUS. Solus Marcus numerum vocis galli explicavit: quia solus refert prima Jesu verba; alii autem evangelistæ posteriùs dicta. Ità quòd Jesus priùs dixit Petro, *antequàm gallus cantet bis, negabis me ter*; deinde Petro nimis sibi arrogante constantiam, Jesus pejora prænuntiavit, dicens, *antequàm gallus cantet, negabis me ter*, quod tres alii evangelistæ retulerunt tanquàm ultimam conclusionem prædictam.

VERS. 31. — AT ILLE AMPLIUS LOQUEBATUR, pro, *ex abundanti dicebat*, ET SI, pro, *imò si*, OPORTUERIT ME SIMUL; superfluit *simul*, COMMORI TIBI; hoc est, quòd ex abundanti dicebat, *imò si oportuerit me mori tecum*.

VERS. 33. — ET CŒPIT PAVERE ET TÆDERE, pro, *cœpit expavescere et graviter angi*. Cruciatus propassionis hìc incipit à duabus passionibus, timoris scilicet, et tristitiæ tam vehementis ut animus angeretur. Collegit siquidem Jesus coram interno suo aspectu (tum intellectûs ut rationis inferioris officium exercet; hoc est, ut considerantis res has inferiores, tum cogitativæ et phantasiæ) pœnas quas passurus erat. Et propterea causabatur expavescentia quædam talium tantorumque imminentium malorum; et tristitia angustans animum tanquàm impotentem evadere; nulla enim redundabat consolatio ex ratione superiori. Et similiter nulla istarum passionum perturbabat rationem: non reddebatur siquidem Jesus attonitus ex his, quoniam unicuique virium ejus permittebatur exsequi suum officium. In potestate Jesu significatur fuisse tempus et propassionem tristitiæ; cùm narratur quòd non priùs coram omnibus discipulis, sed coram tribus cœpit contristari. Et verè voluntarium fuit in Jesu tristari, sicut et mori. Tristitiam in Jesu intellige ve-

existit sensus, Christum à Patre fuisse percussum, qui suo gladio mandavit ut percuteret. Percutit enim qui percutiendum tradit. Cæterùm Hieronymus enarrans ipsum prophetam magis etiam à seipso dissentit, et accommodat totam orationem Patri. Quod ut magis perspicuum sit, ipsius verba subscribam: *Nec putandum est de altero loco assumptum testimonium, quia in Evangelio Deus à se pastorem dicit esse percussum, et in præsenti loco gladio atque mucroni legimus imperatum: Percute pastorem, et dispergentur oves.* Hactenùs Hieronymus. Vides palam Patris imperantis mucroni suo vocem esse: *Percute pastorem*, non autem verba Prophetæ obsecrantis. Vides nullam esse mentionem ejus rei, quam posuerat in libello de optimo genere interpretandi, cùm hìc maximè tempestivum fuerit hoc inculcare. Quid igitur dissonat in evangelistâ? Verba dissonant, res eadem est. Quisquis enim loquitur gladio suo, *Percute*, significat se mox velle percutere, et ideò evangelista verbis omissis sensum expressit, *Percutiam pastorem*. Quin et pronomen omisit, cùm in prophetâ sit, *super pastorem meum*. Quod ipsum etiam invitat, ut sermonem Patri potiùs accommodemus. *Suum* enim vocat unicum illum se dignum, cùm aliis alii sint pastores, quorum nonnulli tales sunt, ut illis percussis meliùs habeat grex. Sed exsultat calumniator, docens nos personas in litteris divinis aliquando mutari subitò. Nihil erat necesse, ut hoc ab isto diceremus, quod toties in libris nostris testati sumus. Verùm hìc nihil cogebat mutare personam. Et apparet Hieronymum suæ sententiæ pœnituisse. Atque hic est doctor iste egregius, qui, omnibus rebus instructus, accessit ad tractandas sacras litteras, quas ego heri aut nudiustertius cœpi attingere; cùm ante annos viginti scripserim Enchiridion; et in hoc opere tumultuario, quod inficiari non possum, plura citem ex diversis auctoribus, quàm operis ratio postulet; ipse tantùm in his quæ à nobis citantur obambulet, venans quod arrodat. Ac ne hoc quidem, quanquàm non tumultuanter, sed per otium agat, illi feliciter succedit. Sed ut missum faciam hunc lapidem, arbitror Hieronymum hâc in parte æquiorem esse suo Antimacho, quàm tali Symmacho.

VERS. 30. — VOCEM BIS DEDERIT. Quod erat anceps in Matthæo, Marcus expeditè dixit, ut *bis* referatur ad cantum galli. Noctem enim veteres sic dividebant, occidente sole dicebatur *vespera*, ab hoc tempore prima fax, deinde *concubia*, et *intempesta*, quod noctis est medium. Mox *inclinatio noctis*, deinde *gallicinium*, inde *conticinium*, cùm et galli conticescunt, et homines etiamnùm quiescunt. Post hæc *diluculum*, quo rarescunt tenebræ. Deinde *mane clarum*. Ita Juvenalis:

Quod tamen ad galli cantum facit ille secundum,
Proximus ante diem caupo sciet, etc.

VERS. 31. — AT ILLE AMPLIUS LOQUEBATUR. ὁ δὲ ἐκ περισσοῦ ἔλεγε μᾶλλον. Rursùm conduplicavit comparativum, exprimere volens vehementem asseverationem Petri. Nisi mavis μᾶλλον distinctione semovere à superioribus, et annectere his quæ consequuntur, *quin si me oporteat*, etc. Ac mox conduplicata negatio, non caret emphasi constantis asseverationis, quasi dicas, *haud unquàm*.

VERS. 32. — IN PRÆDIUM, quod aliàs vertit *agrum*, aliàs *villam*, significat autem *locum*. Cæterùm *Gethsemane* locus est, ad radices montis Oliveti. De quo admonuimus in Matthæo.

VERS. 33. — PAVERE ET TÆDERE, *expavescere et anxius esse*. Est enim posterius hoc impotenter angi animo, et supra modum ægrescere; cujusmodi affectio corripit hominem primo objectu magni discriminis, ut aliquandiù non sit apud se.

ram tristitiam internam tàm in voluntate quàm in appetitu sensitivo, sed non prævenientem neque impedientem rationem rectam. Fuit enim verus homo, passibilis non solùm secundùm corpus, sed etiam secundùm animam quamdiù fuit viator, quamvis fuerit etiam simul comprehensor secundùm superiorem animæ partem. In Jesu, sicut tristitia non impediebat rationem, ita è converso ratio non mitigabat tristitiam; sed (ut in theologiâ speculativâ docetur) unicuique virium permissum est quod suum erat, et propterea in Jesu fuit maxima tristitia, propterea scribitur quòd graviter angebatur. Quod ut pleniùs intelligas, scito Dominum Jesum subîsse voluntariè non solùm cruciatum corporalis passionis in flagellis, cruce et morte, sed etiam cruciatum internæ propassionis. Voluntariè enim proposuit ante internos oculos quæ, qualia, quanta, à quibus, qualiter, etc., passurus tunc erat, et cùm hæc cogitata et proposita, sint contraria appetitui naturali tàm voluntatis humanæ quàm appetitûs sensitivi hominis, sequebatur tristitia magna et quædam animi constrictio inter tot prementia mala, quam, ut dictum est, non sublevabat ratio ad Deum spectans, sicut in aliis sanctis et martyribus sublevavit.

Vers. 34. — Ait illis : Tristis est anima mea. Quod intùs sentit, sermone manifestat, ut ipso teste cognoscamus quòd verè habuit animam passibilem, quòd utitur animo non stoico, sed passibili. Usque ad mortem. Intensivè propter magnitudinem tristitiæ, et extensivè, quia sicut continuè usque ad horam mortis passus est in corpore, ita continuè tristatus est in animo. Et hìc sensus apparet litteralis. Ac si apertiùs dixisset : Ex nunc usque ad mortem meam tristis est anima mea. Sustinete, pro, *manete*, hic et vigilate. Octo discipulis dixerat : *Sedete;* istis tribus tanquàm magis familiaribus præcipit ut vigilent secum, proculdubiò orationi vacando.

Vers. 35. — Et cum processisset paululum. Etiam ab istis se oraturum separat. Procidit super terram. Non orat stans, nec genuflexo, sed procumbens. Transiret ab eo hora, passionem et mortem à tempore significavit; transitu enim horæ vitatio passionis significatur.

Vers. 36. — Et dixit, Abba, Pater. *Abba* Syra dictio dicitur; et idem significat quod *pater*. Duplicatio enim magnitudinem affectûs et fiduciæ filialis significat in Jesu orante. Porrò hæc oratio affectum naturalem hominis, quo nolumus mala penè contraria nobis, cum adjuncto moderamine rationis superioris Deo præsentat. Omnia tibi possibilia ; in Matthæo : *Si possibile est.* Moderamen primùm potentiam respicit, non absolutam, sed ordinatam. Modus autem conditionalis propter inferiorem rationem appositus est. Non enim ideò dicit conditionaliter quia ipse Jesus ignoret si possibile est (ipse enim omnia novit), sed quia ratio inferior in ipso nescit ordinem definitum à divinâ sapientiâ. Nescit autem quia ejus non est scire supremas rationes, sed considerare rationes inferiores, hoc est, illas quæ secundùm res creatas congruunt aut dissonant. Transfer calicem hunc a me ; sed non quod ego volo, non voluntate deliberatâ, sed velleitate naturalis affectûs. Sed sicut tu, vis, voluntate beneplaciti. Ecce moderamen referens totum in divinam voluntatem. Hinc contra hæreticos habes duas in Christo voluntates : alteram humanam, *non quòd ego volo,* alteram divinam communem sibi et patri, *sed quòd tu. Transfer calicem,* est sermo metaphoricus assimilans passionem mortemque ejus calici liquoris amari. Quem transire à se, est non pati, non mori ; quem bibere, est pati, mori.

Vers. 38. — Caro verò infirma. Necessitatem orandi et petendi, ne intrent in tentationem, aperit ex periculo infirmæ carnis, hoc est, carnalis affectûs ; ac si apertè dixerit : Non sufficit vobis quòd habeatis spiritum promptum ad vitandum peccatum, sed oportet vos orare ne intretis succumbendo in tentationem, quia periculum est ex parte carnalis affectûs, qui non est firmus sub spiritu; sed mutatur ad præsentiam objecti. Quod utinam quotidiè non experiremur quod et ipsi apostoli tunc experti sunt cùm præsentes affuerunt lictores curiæ.

Vers. 40. — Et reversus denuò; in textu græco refertur ad *invenit*, et non ad *reversus ;* significat enim quòd iterùm invenit eos dormientes.

Vers. 41. — Dormite jam et requiescite. Hæc Domini verba permissiva esse somni ad tollendam quam patiebantur gravedinem oculorum, testatur evangelista, subjungens : Sufficit. Venit hora, quæ verba non dixit Jesus simul cum ante dictis : *Dormite jam ;* sed, intervallo somni indulto illis, excitavit eos dicendo : *Sufficit.* Tradetur, pro, *traditur.*

Vers. 36. — Abba, Pater. Evangelista vocem Syriacam posuit, eamque velut interpretatur, subjiciens, *Pater*. Augustinus, epistolâ 178, putat *Abba* vocem esse Græcam, nisi fortè vitiata est Scriptura. Nam, de Consensu Evang., lib. 3, cap. 4, dicit *Abba* vocem Hebraicam esse. Sed hâc de re nonnihil attingemus in Epistolâ Pauli ad Romanos, cap. 8.

Vers. 36. — Non quod ego. Græcè est : *At non quid ego, sed quid tu.* Quanquàm hìc Græca variant exemplaria; nonnulla habebant : *Non ut ego volo, sed ut tu.* In aliis sic erat : *Non quid ego velim, sed quid tu.* Nam omninò sermo est inabsolutus.

Vers. 37. — Et venit, et invenit. Utrumque præsentis temporis.

Vers. 40. — Et reversus denuo. *Denuò* apud Græcos refertur ad *dormientes*, non ad *reversus*. Certè sermo Græcus est anceps.

Vers. 41. — Dormite jam et requiescite. Dubium erat an legendum esset : *Dormite et requiescite,* an *dormitis et requiescitis*, nisi addidisset λοιπόν, id est, *posthàc*, sive *de cætero*, pro quo interpres posuit *jam;* nec id sanè malè. Argutatur hoc loco Laurentius Valla nescio quid, non convenire, ut qui paulò ante objurgaverit suos quod dormierant, nunc dormire jusserit : præsertim cùm mox subjiciat : *Surgite, eamus hinc.* Quanquàm Origenes, Chrysostomus, Hilarius, et Hieronymus in hunc sensum interpretantur, ut Christus jusserit eos dormire, et allegoriis rem explicant. Verùm, salvo aliorum judicio, potest sermo Christi habere nonnullam ironiam : *Hactenùs non potui à vobis impetrare, ut paulisper mecum vigilaretis, nunc ipsa res excitabit vos, cùm videritis meum supplicium, et vestrum periculum.* Atque ita probè quadrant ea quæ consequuntur : *Surgite, ecce appro-*

VERS. 42. — SURGITE. Sedentes enim potiùs quàm cubantes putandi sunt dormîsse.

VERS. 43. — ET ADHUC, deest *continuò* post copulam ; et legendum est : ET *continuò adhuc*, etc. ISCARIOTES, superfluit hæc dictio.

VERS. 44. — DUCITE CAUTE, pro, *abducite tutò.*

VERS. 45. — AIT ; deest, *illi.* AVE RABBI RABBI. Duplicatur *Rabbi Rabbi* (at non Vulg.) in signum majoris reverentiæ et affectûs, ut perfecta esset simulatio.

VERS. 47. — UNUS AUTEM QUIDAM DE CIRCUMSTANTIBUS, pro, *astantibus.*

VERS. 48. — ET RESPONDENS JESUS, AIT ILLIS. Responsio refertur ad tacitas à Marco voces Judæorum dicentium se quærere Jesum Nazarenum ; tunc enim Jesus dixit illis quæ subjunguntur.

VERS. 49. — QUOTIDIÈ ERAM APUD VOS IN TEMPLO DOCENS, ET NON ME TENUISTIS. Intuere Jesum inter Judæ osculum, lictores et discipulos, singulis attendere, singulis prospicere, et nihil omittere suavissimis tum verbis tum factis, ut intelligamus nihil in ipso turbulentum fuisse, sed serenissimum semper servâsse animum, sermonem, gestum, motum, ac universum suum opus. SED UT IMPLEANTUR SCRIPTURÆ. Truncata oratio est ; subaudiendum est, *sic fit.*

VERS. 50. — TUNC DISCIPULI EJUS. Superfluit, *discipuli ejus*, et deest conjunctio *et* ; ita quòd legendum est : *Tunc et relinquentes eum.*

VERS. 51. — ADOLESCENS, pro, *adolescentulus.* Unde apparet quòd iste non fuit apostolus ; nullus enim apostolus erat adolescentulus ; cùm qui creditur minoris fuisse ætatis inter omnes, convincatur ex tempore mortis ejus collato cum tempore mortis Christi transîsse annum ætatis propriæ tricesimum ; ut in quodam jentaculo deduximus. Verisimile autem est adolescentulum hunc fuisse fortè filium hortulani, qui exsurgens ex lecto, linteamine super nudum coopertus (ad videndum fortè quidnam esset auditus strepitus cohortis et ministrorum) tanquàm non discipulus nihil sibi timens, sequebatur Jesum. ET TENUERUNT EUM, deest, *adolescentuli* ; Significatur enim quòd adolescentuli ministri diaboli, adolescentulum tenuerunt sequentem Jesum. Erant enim cum cohorte illâ et ministris etiam adolescentuli, ut moris est ad servitia, ad deferendas laternas, faces etc., ut sic etiam Jesus à cujuscumque ætatis hominibus pateretur.

VERS. 53. — ET CONVENERUNT, pro, *conveniunt*, et deest, *ad eum*, scilicet summum sacerdotem. OMNES, deest, *summi*, SACERDOTES. Describuntur enim convenire ad summum sacerdotem omnes summi sacerdotes et scribæ et seniores. Unde apparet quòd licèt unus fuerit apud Judæos qui exerceret officium summi sacerdotis anno illo, plures tamen erant summi sacerdotes, suis annis successivè summi sacerdotis officio fungentes, qui hìc appellantur summi sacerdotes, quorum tamen præcipui divitiis et auctoritate erant Annas et Caiphas ; et propterea specialiter appellantur ipsi à Lucâ principes sacerdotum. Et benè adverte quòd ad Caipham convenerunt omnes summi sacerdotes, ut intelligas et summos sacerdotes fuisse coram Pilato contra Jesum, et summos sacerdotes alios tunc quoque fuisse in templo coram quibus Judas dixit, *peccavi*, etc., ut in Matthæo dicitur ex auctoritate hujus evangelistæ, proficisci tot summos sacerdotes.

VERS. 54. — ET SEDEBAT CUM MINISTRIS AD IGNEM ; superfluit, *ad ignem.* ET CALEFACIEBAT SE, pro, *et calefiebat ad lucem*, hoc est, ad flammam ignis lucentem, ad differentiam carbonum ignitorum.

VERS. 55. — QUÆREBANT ADVERSUS JESUM TESTIMONIUM UT EUM MORTI TRADERENT ; quia non poterant Jesum damnare ad mortem cum executione, reservato judicio mortis Romanis, ideò quærebant testimonia quibus possent apud præsidem obtinere mortem Jesu. NEC INVENIEBANT. Quærebant falsum testimonium, non qualecumque, sed sufficiens ad occidendum Jesum et non invenerunt inter se tale testimonium.

VERS. 56. — MULTI AUTEM, pro, *enim*, FALSUM TESTIMONIUM DICEBANT ADVERSUS EUM ; ET CONVENIENTIA, pro, *æqua seu æqualia*, TESTIMONIA NON ERANT. Significantur testimonia prolata non esse æqualia ad mortem obtinendam à præside, hoc est non esse apud præsidem justa ad damnationem mortis causandam ; offensiones enim legis Judæorum de quibus fereban-

pinquat. Atque hæc mea sententia minùs mihi displicere cœpit, posteaquàm comperissem Theophylactum in Marcum multis verbis eam inculcare. SUFFICIT ἀπέχει τὸ τέλος. Etiamsi τὸ τέλος in quibusdam codicibus non reperitur, neque nobis visum est addere. Porrò hic Christi sermo magis est exprobrantis, quàm jubentis. ET FILIUS HOMINIS TRADETUR, *traditur* et in Græcis et in antiquis Latinis exemplaribus.

VERS. 42. — QUI ME TRADET. Græcè, *qui me tradit.* PROPÈ EST, *appropinquavit*, sive *adest.* Hìc interpres rectè mutavit verbi tempus.

VERS. 44. — SIGNUM. Græcum sonat *commune signum* de composito datum, cujusmodi sunt quæ milites vocant *symbola*, quorum alia sunt vocalia, alia muta. ET DUCITE CAUTÈ, *abducite tutò* sive *certò*, hoc est, exactâ custodiâ, ne quà posset elabi.

VERS. 45. — RABBI. Græci congeminant *Rabbi Rabbi* ; an rectè nescio.

VERS. 49. — SED UT IMPLEANTUR SCRIPTURÆ. Abruptus est sermo, subaudiendum enim : *Hæc fiunt, ut impleantur*, etc.

VERS. 51. — ET TENUERUNT EUM. Nonnulli Græci codices sic habebant, quod et nos secuti sumus, haud scio an perperàm, καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι, id est, *et tenent eum adolescentes*, sive *comprehendunt eum*, aut *injiciunt illi manus*, ut juvenes juveni manum injecerint. Quidam divinant hunc adolescentulum fuisse è familiâ ubi Dominus comederat pascha. Alii putant fuisse Jacobum fratrem Domini, cui cognomentum est additum *Justi.* Gregorius suspicatur de Joanne evangelistâ. Cæterùm illam vocem νεανίσκοι Theophylactus legit quidem, verùm in enarrando non attingit. Additur et in editione Hispaniensi.

VERS. 54. — ET CALEFACIEBAT SE AD LUMEN. Illud, *ad lumen*, referendum ad *sedens*, non ad *calefaciebat.* Siquidem lumen illum prodidit. Vulg., *ad ignem.*

VERS. 55. — NON ERANT CONVENIENTIA, *et æqualia testimonia non erant. Paria* vocavit, opinor, *satis idonea*, quòd inter se non consentirent. Nam hoc indicio primùm coarguuntur falsa testimonia.

VERS. 58. — TEMPLUM HOC MANUFACTUM. Græcæ

tur testimonia, non erant causæ apud præsidem æquales pœnæ mortis.

VERS. 58. — QUONIAM NOS AUDIVIMUS EUM DICENTEM : EGO DISSOLVAM TEMPLUM HOC MANUFACTUM, ET PER TRIDUUM, pro, *post triduum*, ALIUD NON MANUFACTUM ÆDIFICABO. Adverte istos falsos appellari et esse testes, quia verba Jesu mutaverunt, ita quòd mutatio verborum mutat sensum litteralem verborum Christi. Nam Jesus, ut habetur Joan. 2, dixerat : *Solvite templum hoc ;* et isti referunt, apud Matthæum : *Possum destruere templum Dei ;* et apud Marcum : *Ego dissolvam templum hoc manufactum. Rursùs Jesus dixerat : Et triduo excitabo illud* ; isti verò referunt : *Et post triduum aliud non manufactum ædificabo.* Magna differentia est inter *excitare* et *ædificare ;* magna differentia est inter affirmationem potentiæ destructivæ, aut effectûs à semetipso producendi, et pronuntiationem solutionis efficiendæ ab ipsis Judæis ; unde et mutatur sententia. Verba enim Jesu significant actiones circa naturale templum, futuram scilicet solutionem corporis per separationem animæ à corpore (quam effecerunt Judæi occidentes ipsum) et excitationem à somno mortis per resurrectionem. Verba verò istorum significant actiones circa ædificium artificialis templi, destructionem scilicet et ædificationem, ut patet.

VERS. 59. — ET NON ERAT, pro, *et ne sic quidem erat.*

VERS. 60. — NON RESPONDES QUIDQUAM AD EA QUÆ TIBI OBJICIUNTUR AB HIS, pro, *quid isti adversùm te testificantur ?* Ita quòd sunt duæ orationes : altera, *non respondes quidquam ?* altera, *quid* (seu *cur*) *isti adversùm te testificantur ?*

VERS. 62. — JESUS AUTEM DIXIT ILLI : EGO SUM. Clarè confessus est Jesus se esse Messiam. ET VIDEBITIS FILIUM HOMINIS SEDENTEM A DEXTRIS VIRTUTIS DEI. Superfluit Dei. Significatur enim quòd videbunt ipsum sedentem, hoc est, regnantem, à dextris, hoc est, in optimis bonis virtutis, hoc est, potestatis, non hujus aut illius sed absolutæ ; ut intelligamus regnaturum ipsum in optimis bonis cujuscumque potestatis ; hoc est, ad quæcumque potestas se extendit. Prædicit enim se futurum regem universi, et venturum judicem universalem in nubibus cœli, ut non despiciant modò humilem ; ut sic intelligant scripta de Messiâ, in eo verificari secundùm diversos adventus, ita declarat pontificibus, sacerdotibus et senioribus mysterium occultum usque hodiè Judæis de duplici adventu, altero humili, altero glorioso, nec fallerentur in ipsius dejectione, subjectione, etc.

VERS. 63. — SUMMUS AUTEM SACERDOS SCINDENS VESTIMENTA SUA. In signum detestationis blasphemiæ consueverant aperire vestimenta supra pectus; hoc enim appellatur scindere vestimentum, etiam si nulla scissio propriè intervenisset. AIT, QUID ADHUC DESIDERAMUS TESTES, pro, *opus habemus testibus ?* Ecce nos omnes sumus locupletissimi testes.

VERS. 64. — CONDEMNAVERUNT EUM ESSE REUM MORTIS. Debebant, auditâ distinctione duorum adventuum Messiæ, interrogare à Jesu (quem sciebant multa signa fecisse ; et specialiter illuminâsse cæcum à nativitate, ac resuscitâsse Lazarum) unde distinctio ista duorum adventuum Messiæ habetur authenticè in prophetis, et scrutari veritatem ; erumpunt cæci ad damnandum Doctorem veritatis ; ubi adverte Jesum elegisse damnari à pontificibus, doctoribus legis et senioribus, non velut tortum aut confessum, sed velut committentem coram ipsis crimen in divinam majestatem ; in quo casu iidem sunt judices et testes, ut et turpissimo modo cum tantâ execratione et facti evidentiâ damnaretur à talibus ; et extremam subiret infamiam apud Judæos spectantes ad id quod primates sentiunt de Messiâ.

VERS. 66. — ET CUM ESSET PETRUS IN ATRIO DEORSUM. Hinc apparet Jesum fuisse non solùm in aulâ interiori, sed etiam superiori ; nisi enim Jesus fuisset superiùs, non descripsisset Marcus Petrum deorsùm.

VERS. 67.—AT ILLE NEGAVIT, DICENS, NEQUE SCIO NEQUE NOVI. Permutatæ sunt particulæ. Legendum est : *Neque novi priùs, neque scio nunc quid dicas.* ET EXIIT FORAS ANTE ATRIUM, pro, *in vestibulum ;* ET GALLUS CANTAVIT. Non tamen mutavit Petrum.

VERS. 70. — VERÈ EX ILLIS ES ; NAM ET GALILÆUS ES ; DEEST, *et loquela tua assimilatur,* supple, *Galilææ locutioni.*

VERS. 71. — ILLE AUTEM CŒPIT ANATHEMATIZARE, pro *detestari.* Detestatio ista execrationem seu imprecationem eo modo quo solemus imprecationes malorum in juramentum assumere significat. Significatur enim quòd Petrus non simplici juramento juravit, sed appositis hujusmodi imprecationibus. NESCIO, pro *non novi.* Considera et treme, vir juste. Petrus paulò ante, ipso Jesu attestante, mundus, ac per hoc in charitate existens, sacramentis corporis et sanguinis Christi dignè communicans, præmonitus de futurâ hâc tentatione, paratus potiùs mori quàm negare Christum, ad unius ancillæ vocem illum negavit, et successivè addidit perjurium. Quare hoc ? quia magna est differentia inter charitatis gratiam habitualem et usum illius ;

compositæ dictiones, *manufactum*, χειροποίητον, et *non manufactum*, ἀχειροποίητον. Alioqui quis dicitur ædificaturus, quod manufactum sit ? Græcæ voces perinde sonant, quasi dicas *templum operis manuarii* et *opificii non manuarii.* POST TRIDUUM διὰ τριῶν ἡμερῶν, id est, *per tres dies*, sive *triduo*, non μετα τρεῖς ἡμέρας. Suffragatur Græcæ lectioni codex aureus, et exemplaria S. Donatiani, Constantiense, et Vulg. denique in quibus habetur, *per triduum.*

VERS. 59. — ET NON ERAT CONVENIENS. Καὶ οὐδὲ οὕτως, id est, *Et ne sic quidem.* Jam enim semel rejecta fuerant illorum testimonia.

VERS. 60. — QUÆ TIBI OBJICIUNTUR. Græcè est : *Quid,* sive *cur isti adversùs te testificantur ?*

VERS. 63. — QUID ADHUC DESIDERAMUS TESTES. Græcè. *Quid adhuc opus habemus testibus ?* Ac propriè quidem et eleganter vertit interpres, *desideramus,* pro *requirimus.* Verùm haud scio, an lector tantùm exspectet.

VERS. 68. — ANTE ATRIUM, *in vestibulum atrii,* sive *locum, qui erat ante atrium.*

VERS. 70. — NAM GALILÆUS ES. Addunt hìc Græci codices, *et loquela tua similis est,* sive *convenit :* ex Matthæo, ni fallor, adscriptum in hunc locum.

quia non sumus sufficientes ex nobis ad usum charitatis et gratiæ quam habemus in animâ infusam à Deo, sed egemus ad utendum illâ continuo gratuito Dei auxilio, quo quia Petrus caruit tunc (quia Deus reliquit Petrum tunc sibi ipsi prædito charitate et gratiâ habituali) ideò cecidit et perdidit charitatis gratiam. Sic Moyses, sic David cecidit. Circa Petri negationes quæstio moveri potest an fuerint in domo Annæ an in domo Caiphæ. Verùmtamen tum ex plano contextu Joannis, tum ex diversitate situum, facilè constat quòd subjunctè negationes patratæ sunt in domo Annæ; et præter has aliæ negationes fuerunt postea subsecutæ in domo Caiphæ. Ex contextu quidem, quia Joannes ex industriâ descripsit situm ministrorum et Petri ingressi in domum Annæ, præmittendo: stabant autem servi et ministri congestis prunis, erat autem cum eis Petrus stans et calefaciens se. Et quia introduxerat Petrum post Jesum, narrans quid Petro accidisset in introitu, exigebat contextûs ratio ut priùs prosequeretur et perficeret Jesu priùs ingressi gesta ibidem (quorum complementum fuerat quòd Annas misit Jesum ligatum ad Caipham) et consequenter prosequeretur et perficeret gesta Petri ibi, resumendo à loco et situ in quibus pinxerat eum; nam repetit situm eumdem Petri (erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se) ut plano contextu manifestaret quòd redit ad Petrum in eodem loco descriptum, ex situ juxta prunas ad calefaciendum se. Ex diversitate autem situum, quia Lucas clarè inchoat negationes Petri in diverso situ tam Petri quàm aliorum, dicens accenso autem igne in medio aulæ et circumsedentibus illis sedebat Petrus in medio eorum. Ecce Joannes describit illos et Petrum stantes, ab ingressu Petri usque ad negationes Petri inclusivè, Lucas verò et Petrum et alios sedentes describit etiam in primâ negatione ut intelligamus quòd Joannes gesta in domo Annæ, Lucas verò gesta in domo Caiphæ describit. Quamvis etiam hæc locorum diversitas ex diverso ignis modo insinuetur: quia apud Joannem congestæ prunæ, apud Lucam accensus est ignis: ibi prunæ, hic flamma. Et si diligentiùs evangelistarum verba librata fuerint, clarè convincitur quòd Petrus ter negavit ad vocem mulieris, ultra negationes ad vocem virorum. Nam apud Matthæum describitur Petrus exiens semel negans, dicendo, *Exeunte autem illo in vestibulum vidit eum alia*, etc. Constat enim quòd hæc negatio non est illa quam descripsit Joannes, dicens quòd *ancilla ostiaria*, etc., nam illa non dixit Petro exeunti, sed ingredienti vel ingresso et ad congestas prunas stanti vel eunti. Ecce duæ negationes ad vocem mulieris: altera à Joanne, altera à Matthæo. Et præter has oportet fateri tertiam apud Lucam, describentem Petrum non ingredientem, non stantem, non exeuntem sed pariter cum aliis sedentem, ad mulieris vocem negantem: dicendo, *Quæ cùm vidisset ancilla quœdam sedentem ad lumen et fixisset in eum oculos dixit*, etc. Unde colligitur quinquies ad minus Petrum negâsse: ter ad vocem mulieris, et bis ad minus ad vocem virorum. Dico autem ad minus, propter contentiosos. Secundùm planum enim evangeliorum sensum, negavit bis ad vocem virilem in domo Annæ apud Joannem, et bis in domo Caiphæ apud Lucam, ita quòd septies secundùm historiam Petrus negavit Jesum. Et impletum est non solum quod primò dixerat Jesus: *Antequàm gallus bis cantet, negabis me ter*, sed etiam quod pejus postea prædixit, antequàm gallus cantet negabis me ter. Hoc enim impletum esse in domo Annæ Joannes supplet, in cujus signum solus non meminit pœnitentiæ Petri, quæ dilata fuit usque ad secundum galli cantum in domo Caiphæ. Puerile autem est ambigere de multiplicato negationum numero, ex eo quòd Jesus dixerat ter. Qui enim plus quàm ter negat, constat, quòd ter negat; et qui plus quàm tres aureos solvit, tres aureos solvit, etc.

Vers. 71. — Anathematizare, quod in Actis apostolorum vertit *devovere*, in Matthæo *detestari*, hìc reliquit.

Vers. 72. — Gallus iterum cantavit; idem verbum est quod ante, tametsi verbis non iisdem, verterat, *vocem dederit*. Cùm autem res eâdem narratione iteretur, convenientius erat vocem eamdem repetere. Proinde non in tempore hìc affectata est varietas. Et coepit flere; καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, *et erumpens*, sive *subitò flevit*, aut *prorupit in fletum*. Siquidem ἐπιβάλλειν inter varias significationes interdùm declarat *aggredi*, sive *impetum sumere* ad aliquid agendum, hinc ἐπιβολὴ pro *impetu*. Hoc igitur verbo Marcus exprimere studuit vehementem ac subitam Petri mutationem.

CAPUT XV.

1. Et confestim manè consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus et scribis, et universo concilio: vincientes Jesum, duxerunt, et tradiderunt Pilato.

2. Et interrogavit eum Pilatus: Tu es rex Judæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis.

3. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis.

4. Pilatus autem rursùm interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant.

5. Jesus autem ampliùs nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus.

6. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent.

CHAPITRE XV.

1. Et dès le matin, les princes des prêtres, avec les sénateurs, les scribes, et tout le conseil, ayant délibéré ensemble, lièrent Jésus, l'emmenèrent, et le livrèrent à Pilate.

2. Et Pilate l'interrogea : Êtes-vous le roi des Juifs? Jésus lui répondit : Vous le dites.

3. Et les princes des prêtres formaient diverses accusations contre lui.

4. Pilate l'interrogeant de nouveau, lui dit : Vous ne répondez rien ? Voyez de combien de choses ils vous accusent.

5. Mais Jésus ne répondit rien davantage ; de sorte que Pilate en était tout étonné.

6. Or il avait coutume de délivrer à la fête celui des prisonniers que le peuple lui demandait.

7. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.

8. Et cùm ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.

9. Pilatus autem respondit eis, et dixit : Vultis dimittam vobis regem Judæorum ?

10. Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.

11. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis.

12. Pilatus autem iterùm respondens, ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judæorum ?

13. At illi iterùm clamaverunt : Crucifige eum.

14. Pilatus verò dicebat illis : Quid enim mali fecit ? At illi magis clamabant : Crucifige eum.

15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.

16. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, et convocant totam cohortem.

17. Et induunt eum purpurâ, et imponunt ei plectentes spineam coronam.

18. Et cœperunt salutare eum : Ave, rex Judæorum.

19. Et percutiebant caput ejus arundine, et conspuebant eum : et ponentes genua, adorabant eum,

20. Et postquàm illuserunt ei, exuerunt illum purpurâ, et induerunt eum vestimentis suis, et educunt illum ut crucifigerent eum.

21. Et angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum, venientem de villâ, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus.

22. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvariæ locus.

23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum : et non accepit.

24. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis quis quid tolleret.

25. Erat autem hora tertia ; et crucifixerunt eum.

26. Et erat titulus causæ ejus inscriptus : Rex Judæorum.

27. Et cum eo crucifigunt duos latrones : unum à dextris, et alium à sinistris ejus.

28. Et impleta est Scriptura quæ dicit : Et cum iniquis reputatus est.

29. Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah ! qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reædificas :

30. Salvum fac temetipsum, descendens de cruce.

31. Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.

32. Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.

33. Et factâ horâ sextâ, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam.

34. Et horâ nonâ exclamavit Jesus voce magnâ,

7. Il y en avait un alors nommé Barabbas, qui était en prison avec des séditieux, parce qu'il avait commis un meurtre dans une sédition.

8. Et le peuple étant venu, commença à lui demander ce qu'il avait coutume de leur accorder.

9. Pilate leur répondit, et dit : Voulez-vous que je vous délivre le roi des Juifs ?

10. Car il savait bien que c'était par envie que les princes des prêtres le lui avaient mis entre les mains.

11. Mais les prêtres excitèrent le peuple à demander qu'il leur délivrât plutôt Barabbas.

12. Pilate leur dit encore : Que voulez-vous donc que je fasse du roi des Juifs ?

13. Mais ils crièrent de nouveau : Crucifiez-le.

14. Alors Pilate leur dit : Quel mal a-t-il donc fait ? Mais eux criaient encore plus fort : Crucifiez-le.

15. Et Pilate voulant contenter le peuple, leur délivra Barabbas ; et ayant fait fouetter Jésus, il le leur livra pour être crucifié.

16. Alors les soldats le menèrent dans la salle du prétoire, et ils assemblèrent toute la cohorte.

17. Et l'ayant revêtu d'un manteau d'écarlate, ils lui mirent sur la tête une couronne d'épines entrelacées.

18. Et ils commencèrent à le saluer : Salut, roi des Juifs.

19. Et ils lui frappaient la tête avec un roseau ; ils lui crachaient au visage ; et fléchissant les genoux, ils l'adoraient.

20. Après s'être ainsi joués de lui, ils lui ôtèrent le manteau d'écarlate, et lui ayant remis ses habits, ils l'emmenèrent pour le crucifier.

21. Et ils contraignirent un homme de Cyrène nommé Simon, père d'Alexandre et de Rufus, qui passait par là, revenant de sa maison des champs, de porter la croix de Jésus.

22. Et ils le conduisirent jusqu'au lieu appelé Golgotha, c'est-à-dire le lieu du Calvaire,

23. Où ils lui donnèrent à boire du vin mêlé avec de la myrrhe ; mais il ne voulut point en boire.

24. Et ceux qui l'avaient crucifié partagèrent ses habits, les jetant au sort, pour savoir ce que chacun en aurait.

25. Or, il était la troisième heure du jour quand ils le crucifièrent.

26. Et la cause de sa mort était marquée par cette inscription : Le roi des Juifs.

27. Ils crucifièrent aussi avec lui deux voleurs, l'un à sa droite, et l'autre à sa gauche.

28. Ainsi fut accomplie cette parole de l'Écriture : Et il a été mis au rang des méchants.

29. Ceux qui passaient par là le blasphémaient, en secouant la tête, et lui disant : Eh bien ! toi qui détruis le temple de Dieu, et qui le rebâtis en trois jours,

30. Sauve-toi toi-même, et descends de la croix.

31. Les princes des prêtres avec les scribes, se moquant aussi de lui, se disaient l'un à l'autre : Il a sauvé les autres, et il ne peut se sauver lui-même.

32. Que ce Christ, ce roi d'Israël, descende maintenant de la croix, afin que nous voyions, et que nous croyions. Et ceux qui étaient crucifiés avec lui l'outrageaient de même.

33. Et la sixième heure étant venue, les ténèbres couvrirent toute la terre, jusqu'à la neuvième heure.

34. Et à la neuvième heure, Jésus jeta un grand cri,

dicens : Eloi, Eloi, lamma sabacthani? quod est interpretatum : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

35. Et quidam de circumstantibus audientes dicebant : Ecce Eliam vocat.

36. Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens : Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.

37. Jesus autem emissâ voce magnâ, expiravit.

38. Et velum templi scissum est in duo, à summo usque deorsùm.

39. Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirâsset, ait : Verè hic homo filius Dei erat.

40. Erant autem et mulieres de longè aspicientes : inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris et Joseph mater, et Salome :

41. Et cùm esset in Galilæâ, sequebantur eum, et ministrabant ei; et aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam.

42. Et cùm jam serò esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum),

43. Venit Joseph ab Arimathæâ, nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu.

44. Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset : et accersito centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset.

45. Et cùm cognovisset à centurione, donavit corpus Joseph.

46. Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum, involvit sindone, et posuit eum in monumento quod erat excisum de petrâ, et advolvit lapidem ad ostium monumenti.

47. Maria autem Magdalene, et Maria Joseph, aspiciebant ubi poneretur.

en disant : Eloi, Eloi, lamma sabacthani? c'est-à-dire : Mon Dieu, mon Dieu, pourquoi m'avez-vous abandonné?

35. Quelques-uns de ceux qui étaient présens l'entendant, disaient : Voilà qu'il appelle Elie.

36. Et l'un d'eux courut emplir une éponge de vinaigre, et l'ayant mise au bout d'un roseau, il la lui présenta pour boire, en disant : Laissez, voyons si Elie viendra le détacher de la croix.

37. Mais Jésus ayant jeté un grand cri, expira.

38. En même temps, le voile du temple se déchira en deux, depuis le haut jusqu'en bas :

39. Et le centenier, qui était là présent vis-à-vis de lui, voyant qu'il avait expiré en jetant un si grand cri, dit : Certainement cet homme était fils de Dieu.

40. Il y avait là aussi des femmes qui regardaient de loin, entre lesquelles était Marie-Madeleine, Marie mère de Jacques le mineur et de Joseph et Salomé,

41. Qui le suivaient lorsqu'il était en Galilée, et qui le servaient. Il y en avait encore beaucoup d'autres qui étaient venues avec lui à Jérusalem.

42. Le soir étant venu, parce que c'était le jour de la préparation, c'est-à-dire, la veille du sabbat,

43. Joseph d'Arimathie, qui était un sénateur fort considéré, et qui attendait aussi le royaume de Dieu, s'en vint hardiment trouver Pilate, et lui demanda le corps de Jésus.

44. Pilate s'étonnant qu'il fût mort sitôt, fit venir le centenier, et lui demanda s'il était déjà mort.

45. Le centenier l'en ayant assuré, il donna le corps à Joseph.

46. Joseph ayant acheté un linceul, descendit Jésus de la croix, l'enveloppa dans le linceul, le mit dans un sépulcre qui était taillé dans le roc, et roula une pierre à l'entrée du sépulcre.

47. Cependant Marie-Madeleine, et Marie, mère de Joseph, regardaient où on le mettait.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Consilium facientes. Alter hìc est conventus consilii, non solùm à diversitate temporis, sed ab inchoatione consilii. Primò enim convenerant in primâ parte noctis quâ post cœnam captus est Jesus ; et tunc judicârunt ipsum reum mortis tanquàm blasphemum, et redierunt consiliarii ad propria, Jesu subjecto irrisionibus, alapis, colaphis et sputis ; mane autem facto convenerunt iterùm, ut exclusâ omni negligentiâ et pigritiâ festinos intelligamus concurrisse ad consilium primâ diei horâ. Decreverant siquidem priùs Jesum occidere, judicantes ipsum reum mortis, sed non executionis modum. Executio siquidem non erat in potestate eorum, quia Romani reservaverant præsidi causas sanguinis, ut ipsimet Judæi testantur apud Joannem, et propterea consilium inierunt de modo exequendi. Erat autem opus consilio, quia præses erat ethnicus, et parvipendebat causas Judæorum de transgressionibus legis Moysi. Cogitabant enim Judæi volentes ut Pilatus occideret Jesum : si petemus à præside mortem Jesu tanquàm blasphemi, non exaudiet nos, parvipendens hæc nostra ; et propterea oportet invenire modum quo præsidem inducamus ad occidendum Jesum. Hæc fuit ad litteram ratio novi hujus consilii ut Jesum morti traderent. Quæ autem fuerit consilii hujus conclusio, subsecuta ipsorum primatum facta manifestant. Concluserunt enim imponere Jesu multa crimina, scilicet, quòd prohiberet tributa dari Cæsari, quòd esset seductor populi à Cæsare, etc., sed præcipuè reum esse læsæ majestatis. Quod fundabant super hoc quòd fecerat Jesus se regem : dicendo se esse Messiam, et veniendo ante quinque dies in Hierusalem cum turbâ multâ acclamante ipsum regem. Vincientes Jesum. Priùs ligatus fuerat à ministris, cùm comprehensus fuit in horto ; sed hinc habetur quòd in domo summi sacerdotis solutus fuerat, et propterea nunc iterùm ligaverunt

Vers. 1. — Et universo concilio. Cùm hìc bis dicatur *concilium*, Græcè diversæ sunt dictiones. Prior est *conciliabulum*, posterior *consessus*, sive *conventus*.

eum, ut publicè duceretur vinctus ad præsidem, in signum quòd erat damnatus ad mortem. Duxerunt, non miserunt; quia sacerdotes, scribæ et seniores ibant simul, tanquàm auctorizantes factum; ne plebei auderent attentare aliquid pro libertate Jesu. Et ad hoc etiam elegerunt primam diei horam, in quâ populus adhuc non est congregatus. Et tradiderunt Pilato, habenti potestatem inferendi mortem.

Vers. 2. — Et interrogavit eum Pilatus; tu es rex Judæorum? Hinc apparet quòd sacerdotes et reliqui tradiderunt Pilato Jesum tanquàm reum læsæ majestatis, usurpando sibi titulum regium. Deindè tacet Marcus multa gesta, quæ alii explicant evangelistæ.

Vers. 4. — Vide in quantis te accusant, pro, *quanta adversùm te testificantur.*

Vers. 7. — Qui in seditione fecerat, pro, *fecerant,* homicidium. Significatur enim quòd seditiosi fecerant homicidium.

Vers. 8. — Et cum ascendisset, pro, *acclamâsset,* turba, cœpit rogare, pro, *petere.* Et est locutio incompleta; subaudiendum est enim, *ut faceret,* et tunc subjungendum : *Sicut semper faciebat illis.* Est enim sensus quòd turba incœpit petere à Pilato ut servaret consuetudinem donandi sibi unum vinctum quem maluissent.

Vers. 10. — Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Hoc dicit evangelista ad significandum quòd Pilatus ex industriâ proposuit populo liberationem Jesu, ut peteret populus liberationem ejus quem primates acti invidiâ tradiderant in manus curiæ.

Vers. 11. — Ut magis, pro, *potiùs.*

Vers. 12. — Regi Judæorum, pro, *quem dicitis regem Judæorum?* Et subaudiendum est pronomen *ei,* ut congrua sit constructio. Considera quòd Jesus primò elegit pati hanc ignominiam, quòd optaretur Barrabas latro, seditiosus et homicida contempto ipso actore vitæ, pacis, et omnium largitore bonorum. Pilatus proponit per viam interrogationis et velut consilii, ut vel sic turbæ liberationem Jesu peterent; at tanta erat efficacia persuasionis à principibus et senioribus, ut nullo discrepante omnes contra Jesum verterentur. Et turbæ quæ ad opus misericordiæ, ad liberandum, scilicet unum à morte, convenerant coram præside (quæ saltem debebant tractare Jesum sicut alios vinctos, et dicere : Fac justitiam : nostrum non est nisi petere gratiam solitam, quia ad hoc tantùm convenimus) vertuntur ad crudelitatem, ad petendum mortem innocentis; et non solùm mortem sed crudele ac ignominiosum mortis genus.

Vers. 14. — Quid enim mali fecit? Pilatus ethnicus, horrens crucifigere hominem sine culpâ quærit maleficium, sciens nullum esse, ut vel sic retrahat Judæos à tanto scelere.

Vers. 15.—Tradidit, subaudi, *eis.* Factum hoc monstrat non solùm instabilitatem turbarum, quæ quinto ante die acclamaverant Jesu : *Benedictus qui venit in nomine Domini;* et deinceps quotidiè currebant ad illius prædicationem audiendam in templo, sed monstrat etiam nullis artibus, nullis attractionibus, nullis mediis usum fuisse Jesum ad captandum favorem hominum tam magnatum quàm plebis; tot siquidem horis decursis à tempore comprehensionis usque ad mortem inclusivè, nullus dives aut pauper comparuit in favorem ejus, nullus inter turbas inventus est qui non fuerit contra ipsum. Elegit namque Jesus à turbis unanimi voto et nullo sibi favente pati sic, ut cognoscat mundus ex ipso facto quod ipse non fuit auctor sectæ sicut sunt alii homines capita sectarum, ut testimonia divinitatis ejus credibilia redderentur.

Vers. 16. — In atrium prætorii, pro, *quod est prætorium,* hoc est, locum ubi cognoscebantur causæ et ferebantur sententiæ in domo Pilati. Quod non intellige post condemnationem; sed redit evangelista ad gesta priùs; illusio enim hæc facta fuit ante definitivam sententiam. Pilatus siquidem intellectis quæ dicta et gesta sunt à Jesu et sequacibus ipsius circa regni negotium (scilicet quòd dixit se Messiam, quòd quinto die ante ingressus est super asinam cum turbis acclamantibus ipsum Messiam) et comperto quòd nihil aliud est subsecutum ex hoc tam in civitate quàm extra, et videns quòd nullus pro eo loquitur, et alia hujusmodi humilitatis Jesu testimonia, arbitratus est sicut et Herodes Jesum esse puniendum ut fatuum; utpote qui tam fatuis mediis aspiraret ad regium titulum. Et propterea derideri illum fecit in habitu regio. Et flagellis castigatur tanquàm aliqualiter peccâsset, et irrisionibus vituperatur ut fatuus, ut abstineret à profitendo se Messiam, et perderet deinceps auctoritatem coram turbis; et tam principes sacerdotum et seniores quàm etiam turbæ videndo illum jam castigatum et vituperatum cessarent à petendo mortem Jesu; hæc sunt ad litteram causæ ex parte Pilati.

Vers. 8.—Et cum adscendisset turba, *et cùm acclamâsset turba.* Quoniam verò constanter dissonant à Latinis exemplaria Græca, in conjecturam venio, interpretem aliud atque nos legimus, legisse, nisi fallor, ἀναβήσας, pro ἀναβοήσας. Etiamsi ἀναβοήσας legit Theophylactus, consentiente Hispanâ editione, quanquàm ex interpretatione Theophylacti non liquet quid legerit. Cœpit rogare, *cœpit petere* sive *postulare.* Nam ita modò verterat. Sicut semper faciebat illis. Ut sermo sit absolutus, supplendum est : *Ut faceret sicut semper fecerat ipsis.*

Vers. 11. — Pontifices autem. Quod modò dixit, *summos sacerdotes,* nunc vertit *pontifices.* Nam Græcis eadem est vox. Concitaverunt turbam. Nonnulli Græcorum codices habebant, *persuaserunt*, sive *retraxerunt in hanc sententiam.*

Vers. 14.—Pilatus verò dicebat illis : Quid enim mali fecit? Divus Augustinus libro de Consensu Evang. 3, cap. 13, ut rem seriam annotavit, quòd hìc evangelista dixerit : *Pilatus dicebat,* non : *Pilatus dixit*, nimirùm subindicans non semel hoc à præside dictum, sed multùm temporis in hoc sermone consumptum. Et Græcis quidem est ἔλεγεν. Atqui in Matthæo est εἶπεν verbum ejusdem temporis, ubi interpres vertit *dixit*, non *dicebat.* Idem fecit in Lucâ. Vulg. habet : *Pilatus autem iterùm respondens, ait illis.*

Vers. 16. — In atrium prætorii, id est, *in atrium,*

Sed intuere tu, lector, quòd Pilatus cujus intererat, locupletissimus est testis quòd Jesus non astutiis mundi hujus, non prudentiis hominum ambitiosorum usus est; sed talibus quæ à sapientibus hujus mundi stulta judicantur. Et elegit similiter hæc Jesus ad tollenda impedimenta credendi in ipsum ab animis hominum, ut testimonia divinitatis suæ credibilia redderentur.

VERS. 21. — ANGARIAVERUNT. Hinc apparet quòd Jesus non poterat continuare portationem suæ crucis et propterea coegerunt Simonem illum ad supplendum; erat enim tantæ ignominiæ portare in illo spectaculo crucem, ut nullus inveniretur qui pretio hoc onus subiret. Hinc quoque apparet rationi consentaneum esse quòd Jesus sub onere crucis caderet, nimio pressus onere.

VERS. 22. — IN GOLGOTHA. Aiunt Golgotha non Hebraicam, sed Syram esse dictionem. QUOD EST INTERPRETATUM, CALVARIÆ LOCUS, quia ibi damnatorum capita jacebant. Locus ad supplicia deputatus significatur, ut etiam hanc ignominiam Jesus eligeret pati.

VERS. 23.—ET DABANT EI BIBERE MYRRHATUM VINUM. Clarè Marcus explicat fuisse vinum, quod apud Matthæum dubium est. Et ibi mixtum felle, à Marco autem myrrhatum dicitur, ut vel utramque mixtionem fuisse, vel tantummodò myrrhatum, sed ratione amaritudinis à Matthæo appellatum mixtum cum felle intelligamus, ut omnis crudelitas in Jesum exerceretur. ET NON ACCEPIT; ut etiam sic impleretur quod dixerat, se non bibiturum vinum donec resurgeret à mortuis.

VERS. 24. — ET CRUCIFIGENTES EUM, pro, et *cùm crucifixissent eum*, DIVISERUNT, pro, *dividunt*, quod prædictum erat in ps. 22.

VERS. 25. — ERAT AUTEM HORA TERTIA, ET CRUCIFIXERUNT EUM. Credimus errore scriptorum mutatam sextam in tertiam propter characterum similitudinem

quod est prætorium. Et hìc Græcè scribens, Romanâ voce abusus est.

VERS. 21. — ANGARIAVERUNT. Mirum cur hic delectarit peregrina vox, cùm dicere potuerit, *adegerunt*, sive *compulerunt*. Siquidem Suidas indicat vocem esse Persicam, quod apud illos regii nuncii ἄγγαροι dicerentur. Unde et qui litteras invicem tradunt perferendas, *angari* dicuntur, quos eosdem ἀστάνδας appellabant. Denique translata vox est ad quosvis, qui servorum aut jumentorum ritu bajularent onera. Fortassis ea vox jam militibus erat usurpata, quemadmodùm habebant sua castrensia. PATREM ALEXANDRI et RUFI, πατέρα Ἀλεξάνδρου τοῦ Ῥούφου, id est, *patrem Alexandri Rufi* sive *Rufi filium*. Nonnulli Græcorum codices cum nostrâ editione consentiebant, ut accipiamus Simoni fuisse duos filios. Sic enim interpretatur Theophylactus, addita filiorum nomina, quo certior esset narrationis fides. Eamdem lectionem sequitur is qui scholia scripsit in Marcum, quæ Hieronymo adscribuntur, qui putat *Alexandrum* et *Rufum* fuisse discipulos Domini, cùm pater esset Cyrenensis, et Cyrene sit Libyæ civitas. Adeò latè se jam tum propagaverat Judaica religio. Siquidem in Actis inter varias nationes, quæ stupebant ob linguarum miraculum, commemorantur et qui habitabant partes Libyæ circa Cyrenen. Rursùs ejusdem operis cap. 6, inter eos qui disputabant cum Stephano, commemoratur synagoga libertinorum Cyrenensium et Alexandrinorum. Item cap. 11, fit mentio quorumdam Cypriorum ac Cyrenæorum utique Judæorum.

VERS. 22. — IN GOLGOTHA. Hieronymus in libro, quo explicat voces Hebraicas apud Matthæum, admonet *Golgotha* Syrum esse verbum, non Hebræum, sonareque *locum calvi*, sive *calvariæ*. Sunt qui malint Chaldaicum esse, et *Golgoltha* pronuntiandum, addito altero Lambda. Equidem non arbitror operæ pretium de barbaricâ voculâ vehementiùs contendere, et magis libet Latinorum et Græcorum in hoc consensum sequi. Cujuscumque linguæ est, ita dictus est locus in Æliâ ad septentrionalem partem montis Sion, quòd in eo jacerent capita hominum damnatorum. Nam quod nonnulli dicunt illìc sepultum Adam, unde loco inditum sit vocabulum, eam fabulam rejicit Hieronymus, cùm Adam sepultus legatur in Arbâ juxta Hebron.

VERS. 23. — MYRRHATUM VINUM. Origenes illud annotavit, « quòd Matthæus dixerat acetum felle mixtum, Marcus vinum myrrhatum, Joannes acetum cum felle, » ex quo palàm est Origenem quoque acetum legisse in Matthæo, non *vinum*. Et magis congruit cum prophetâ, qui dicit, *dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto*. Illud admonendus lector, non videri eumdem potum hìc datum Christo, qui datur in cruce pendenti. Apparet enim bis datum, semel antequàm tolleretur in crucem ex more, ni fallor, quod et hodiè servatur; rursùs in cruce poscenti, sic enim narrat Matthæus : « Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est calvariæ locus, et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. » Marcus hunc in modum : « Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvariæ locus, et dabant illi bibere myrrhatum vinum, et non accepit : et crucifigentes eum, etc. » Quod autem nonnulli putant in narratione temporis ordinem inversum esse, durius est, cùm mox sequatur apud eumdem Evangelistam : *Et continuò currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto et imposuit arundini et dabat illi bibere*, præsertim cùm in priore loco nominetur *vinum felle mixtum*, in altero *acetum*, similiter narrante Marco. Et ad pietatem conducibilius est, si hanc quoque dominicæ crucis partem non ignoremus. Meminit et Augustinus, lib. de Consensu Evang. 3, separatim potùs ante crucifixionem exhibiti. Theophylactus putat hìc porrectum acetum, ut citiùs moreretur, priusquàm veniret Elias. Nam suspicabantur eum implorâsse Eliam, cùm diceret, *Eli, Eli*. Ad id facit, quod alii dicunt : *Sine, videamus an veniat Elias*.

VERS. 24. — ET CRUCIFIGENTES EUM, Græcè, *cùm crucifixissent eum*.

VERS. 25. — ERAT AUTEM HORA TERTIA. Admonet hoc loco Petrus Comestor ex auctoritate divi Hieronymi, in Marco scriptum fuisse, quòd Dominus crucifixus fuerit *horâ sextâ*, verùm id Græci scriptoris, accidisse vitio, qui pro ς, quæ Græcis littera non est, sed litteris mixta est nota numeri, nec alium habens usum, sequitur enim litteram ε, quæ Græcis significat *quinque*, et præcedit ζ, quæ notat *septem*, pinxerit γ, quæ signat *tria*. Locus est apud Hieronymum in expositione Psalmi 67. Idem paulò ante citat eum ex Breviario majore, quod opus non agnoscimus, nisi fortè designat, opinor, commentarios in Psalmos, ut in Matthæum sit Breviarium minus, quòd hic sit contractior. Quòd si Hieronymi sententiam recipimus, facilis exitus est hujus quæstionis, in quâ mirè se torquet Augustinus libro de Consensu Evangelistarum, 3. Et ad eumdem modum explicatur nodus, lib. Quæstionum veteris et novi Testam., quæst. 65. Inde petat qui volet. Nos adjecimus quod nacti sumus.

designantium ternarium et senarium. Constat enim ex Evangelio Joannis Jesum crucifixum horâ sextâ.

Vers. 26. — Et erat titulus causæ ejus inscriptus. Non fuit hoc speciale in Christo; sed laudabilis mos erat ut causa cujusque crucifixi apponeretur super crucem ejus. Rex Judæorum. Hinc clarè apparet mundo Pilatum damnâsse Jesum tanquàm reum læsæ majestatis, quia regem se Judæorum (hoc est, Messiam) professus est. Affixâ supremæ parti crucis tabellâ continente causam damnationis ipsius, omnibus publicâ auctoritate innotescebat quare crucifixus est. Nisi enim supra crucem causa damnationis fuisset scripta, quis crederet christianis quòd Jesus pro hâc causâ fuisset à Pilato damnatus? Cui non daretur licentia fingendi quodcumque crimen pro causâ damnationis Jesu, cùm etiam cum toto hoc ausi fuerint nonnulli, Maximini Galeri tempore, hæc fingere?

Vers. 27. — Unum a dextris, et alium a sinistris ejus. Et hoc ad cumulum ignominiæ Jesu, ut inter sceleratos punitus, sceleratus haberetur ab omnibus.

Vers. 28. — Impleta est Scriptura quæ dicit, Isaiæ 53, 12.

Vers. 29. — Prætereuntes. Non solùm à turbis et ministris curiæ, sed etiam à prætereuntibus patitur, cùm tamen prætereuntes et spectantes commiserentur crucifixos.

Vers. 31. — Similiter et summi sacerdotes. Tantus erat in primatibus ad Christi necem furor, ut non erubescerent spectaculo crucifixorum interesse, et insultare crucifixo; ipsi volebant interesse usque ad mortem Jesu, timentes ne aliquod obstaculum obveniret.

Vers. 33. — Tenebræ factæ sunt per, pro, *super*, totam terram. Quòd tenebræ fuerint super terram universam, non partem terræ, evangelista testatur. Modus autem quo factæ sunt incertus est, quia nullâ authenticâ auctoritate constat. Nullus apparet mihi modus communis universæ terræ evidentiùs mirabilior quàm sine interposito aliquo corpore subtractos solis radios à totâ hemispherii diurni terrâ fuisse. Terra enim alterius hemispherii erat tunc nox, nec oportebat ibi tenebras fieri.

Vers. 34. — Elohi, Elohi. Si textus tam apud Græcos quàm Latinos non est corruptus, Marcus usus dicitur dictione Chaldæâ, *Elohi*, hoc est, *Deus* meus, ab *eloha*, quod est *Deus*. Matthæus autem dictione Hebræâ, *Eli*, ab *El*, quod est, *Deus*. Lamah hasabthani, quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid, pro, *ad quid*, me dereliquisti? Vox ista querula, vox est Jesu veri hominis secundùm partem inferiorem (hoc est, corpus, et animum prout ad creatas res refertur) valdè patientis, usque adeò quod nihil consolationis interiùs recipiebat ex parte superiori; ita quòd derelictus erat non solùm exteriùs, in vituperiis, in ignominiis, in afflictionibus clavorum et reliquis, sed etiam intùs. Et ad hoc declarandum vocem hanc querulam magno clamore expressit: ne putaremus animum ejus tanquàm stoicum quodammodò non sentire aut non ponderare ea quæ patiebatur, vel internâ consolatione refici secundùm gratiam quæ postea apparuit in apostolis et martyribus. Et dicit, *ad quid*, non quòd Jesus ignoraret ad quid; sed quia nec sensus nec rationis inferioris erat nôsse ad quid secundùm divi-

Vers. 29. — Reædificas. Græcus sermo ambiguus est propter participia. At Hieronymus in Isaiam citat personâ tertiâ: *Vah qui destruit templum, et in triduo instaurat illud.* Atque ita scriptum comperi in codice S. Donatiani, item in Constantiensi. Illud annotandum, quòd in Græcis codicibus non additur *Dei*, sed *templum* tantùm est; suffragantibus libris divi Donatiani et Constantiensi. Et in nostris aliquot pro *ædificas* perperàm mutatum est *reædificas*.

Vers. 33. — Tenebræ factæ sunt per totam terram. Neque enim illæ tenebræ occupabant universum terrarum orbem, ut meo judicio rectè sentit Origenes, sed Judæam duntaxat, aut terram Hierosolymitanam, dissentiente Theophylacto. Alioqui vel casu meminissent hujus prodigii rerum gestarum scriptores. Quemadmodùm et *universus orbis* apud Lucam *describi* dicitur, cùm intelligatur orbis duntaxat Romanus descriptus. Indicat Origenes in nonnullis codicibus adjectum fuisse: *Tenebræ factæ sunt super totam terram deficiente sole*, quasi solis deliquium eas induxerit tenebras. Atque ita certè tradit epistola, quæ nomine Dionysii circumfertur, mihi ψευδεπίγραφος videtur. Verùm hanc opinionem longè rejicit Origenes, et scripturam mutatam improbat.

Vers. 34. — Eloi, Eloi, lamma sabachthani. Non est dubitandum, quin Evangelista voces Hebræas, sive Syras rectè reddiderit, utcumque à nobis sonantur. Hebraica Græci scribunt ad hunc modum, *Eli, Eli, lama sabachtani.* Ac mirum non est si peregrinæ linguæ verba depravatim scribunt et pronuntiant Græci, Latinique. Cæterùm in suâ linguâ scribuntur ad hunc modum, אלי אלי למה עזבתני, id est, *Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti?* Est enim primus versiculus Psalmi 21, in quo vertendo Septuaginta cur tria verba de suo admiscuerint, amotâ unâ dictione, mirum est. Sic enim illi reddiderunt: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me deseruisti?* At Matthæus ita retulit, ut habetur apud Hebræos. Porrò Hebræa distinguenda sunt ad hunc modum, אלי, *Deus meus,* אלי, *Deus meus,* למה, *ut quid,* עזבתני *dereliquisti me.* Siquidem probabile est Christum verba Psalmi pronuntiâsse, ut ab ipso Psalmographo descripta sunt. Alioqui videri poterat usus Chaldæorum linguâ, qui *sabactani* pronuntiant, quod Hebræi *azabthani.* Hoc visum est adscribere, quò quandoquidem hæc verba publicè recitantur in templis, minùs depravatè posthâc pronuntientur. Nec est simpliciter apud Græcos κατέλιπες, id est, *reliquisti*, sed ἐγκατέλιπες, quod propriè significat *in discrimine deserere;* veluti si quis deserat hominem immersum luto, ut ita loquar docendi gratiâ. Deus, Deus meus. In Græcis exemplaribus, librariorum, opinor, incuriâ, non repetitur pronomen *meus*, cùm apud Hebræos repetatur: *Deus meus, Deus meus.* Proinde non dubitavimus apponere; præsertim hoc freti, quod videamus apponi apud Matthæum. Post comperimus additum et in Græcis, velut in Hispaniensi, et in Theophylacti vetustissimo codice non addebatur, quemadmodùm nec in editione Aldinâ, quod incuriâ librarii factum arbitror. Cùm enim in Hebræo sit *Eloi, Eloi*, id est, *Deus meus, Deus meus*, quî convenit ab hoc discrepare interpretationem evangelistæ? Ut quid, id est, *ad quid.*

Vers. 36. — Circumponensque calamo. Paulò superiùs *calamum* vertit *arundinem.* Nunc oblitus, opinor, Græcam vocem reliquit; quod idem fecit in

næ sapientiæ ordinem derelictio hæc ordinabatur.

VERS. 35.—ET QUIDAM DE CIRCUMSTANTIBUS, pro, ASTANTIBUS, AUDIENTES DICEBANT : ECCE ELIAM VOCAT Et significantur gentiles linguæ Hebrææ ignari, putantes vocari Eliam.

VERS. 37. — JESUS AUTEM EMISSA VOCE MAGNA EXPIRAVIT. Vocem magnam emittendo expiravit, ut intelligerent etiam præsentes ibi quòd in potestate ejus est miracula facere, quòd voluntariè moritur qui tanto assumpto robore expirat, qui paulò ante adhuc non crucifixus portare nequivit crucem. Confutantur et hinc hæretici omnes negantes Jesu mortem in cruce. VELUM TEMPLI SCISSUM EST. Inter sanctuarium et sanctum sanctorum in templo erat velum; significans nondùm esse propalatam sanctorum viam durante statu illo, ut dicitur ad Heb. 9. Et hoc scissum est non solùm ut pontifices et sacerdotes stuperent novo miraculo; sed intelligerent cessare per mortem Christi veterem statum, apertam jam esse sanctorum viam, eodem siquidem die sancti patres ingressi sunt paradisum : in quo fuit cum Jesu etiam latro.

VERS. 39. — VIDENS AUTEM CENTURIO QUI EX ADVERSO STABAT, QUIA SIC CLAMANS, pro, *cùm sic clamâsset*, EXPIRASSET. Intellexit Centurio miraculosam expirationem, ex eo quòd juncta fuit clamosæ voci ipsius Jesu. AIT : VERE HIC HOMO FILIUS DEI ERAT. Hinc apparet non ignorâsse gentiles milites Pilati quæ dicebantur de Jesu : scilicet quòd erat Messias, qui cognominabatur à Judæis, Filius Dei. Unde et Caiphas etiam adjuravit Jesum si esset Christus Filius Dei benedicti. Et Nathanael primò veniens ad Jesum, dixerat : *Tu es Filius Dei*. Singularem enim quamdam excellentiam Messiæ per hoc intelligebant, non penetrantes adhuc Scripturam, quòd Messias erat naturalis Filius Dei.

VERS. 40. — ET MARIA JACOBI MINORIS, pro, *parvi*. Fortè cognomen erat Jacobi; ita quòd vocabatur Jacobus parvus, et dicitur ad differentiam Jacobi filii Zebedæi. ET JOSEPH, pro, *Jose*, MATER, ET SALOME. Nomen est mulieris uxoris Zebedæi.

VERS. 41. — ET CUM ESSET. Deest relativum, *quæ*, pluralis numeri; ita quòd legendum est : *Quæ et cùm esset in Galilæâ sequebantur eum, et ministrabant ei; et aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam*; ita quòd describuntur mulieres istæ ab officio sequelæ, etiam cùm Jesus discurreret prædicando per Galilæam.

VERS. 42. — ET CUM JAM SERO ESSET FACTUM, pro, *et cùm jam serum fieret*.

VERS. 43. — NOBILIS DECURIO, pro, *honestus consul*, seu *senator*. Describitur tum à moribus, honestus; tum à gradu seu officio, consul seu senator. Qualis esset magistratus consulis aut senatoris tunc temporis ibidem, non est perspicuum; nomen siquidem ipsum sonat magistratum.

VERS. 43. — ET AUDACTER, pro, *et sumptâ audaciâ*. Juxta humanam rationem iste Joseph, quamdiù Jesus sub judice fuit pontificibus causam mortis procurantibus, non fuit ausus opponere se torrenti. Ubi autem Jesum mortuum cognovit, putavit non sibi imputandum ad crimen contra pontifices opus humanitatis in mortuum, et propterea petiit corpus Jesu. Secundùm autem divinam definitionem motus est tunc animus ejus ad obsequium sepulturâ exhibendum Christo, et non priùs, ne impediretur redemptio humani generis, ne hoc impedimentum ad credendum Christi passionem voluntariam præberetur hominibus, qui dixissent quòd adjuvit se cum amicis quantùm potuit ne pateretur.

VERS. 44. — SI JAM OBIISSET. Ad certificandum Jesu mortem utilis fuit admiratio Pilati.

VERS. 45. — DONAVIT CORPUS JOSEPH. ET per hoc occasiones abstulit persecutoribus Jesu ignominiosè tractandi corpus ejus mortuum.

VERS. 46. — MERCATUS SINDONEM, ut novis linteaminibus ac sudariis involveret corpus Jesu. EXCISUM DE PETRA. In rupe, in monte saxeo. Hoc enim propensioris fuisse consilii intelligitur, non humani, sed divini, ut immobile esset sepulcrum Jesu Christi, ad perennem etiam ex illo certo loco memoriam. *Quæ perseverat gloriosa*, juxta Isaiæ, cap. 11, vaticinium, *et erit sepulcrum ejus gloriosum*. Verè gloriosum perseverat etiam sub potestate infidelium plus quàm sepulcrum cujuslibet alterius, inter tot devastationes et mutationes, in testimonium divinitatis Jesu.

Psalmo : *Emittens chrystallum sicut buccellam*, cùm pro *chrystallo* vertere debuerit *glaciem*; fit enim mentio de nive, deque frigore.

VERS. 39. — VIDENS AUTEM CENTURIO. Et hìc usus est Romanâ voce evangelista, ὁ κεντυρίων, quem alias vocat ἑκατόνταρχον, Græcâ voce. Nec est. CLAMANS EXSPIRASSET, sed *clamore emisso*, sive *cùm clamâsset*, mox enim à clamore exspiravit.

VERS. 40. — JACOBI MINORIS. Græcis positivum est *parvi*, non comparativum *minoris*. Et apparet fuisse cognomen. *Et Joseph*, id est, *Jose*.

VERS. 42. — QUOD EST ANTE SABBATUM. Græcis una dictio est, quasi dicas *præsabbatum*, hoc est, *initium sabbati*.

VERS. 43. — VENIT JOSEPH AB ARIMATHÆA. Non potest accipi, quòd ab eo loco venerit, cùm intercedat articulus ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, id est, *Arimathæus*, ut patriam additam intelligas. Hieronymus in Catalogo locorum indicat dictam *Arimatha sophim*, civitatem Elchanæ et Samuelis in regione Tamniticâ, juxta Diospolim, patriam Joseph, cujus hìc fit mentio. NOBILIS DECURIO, *honestus senator*. Laurentius admonet hìc *decurionem* accipiendum pro *senatore municipiali*. AUDACTER INTROIVIT, Græcè, *sumptâ audaciâ*, quanquàm probè vertit interpres. Ne quis hunc arbitretur à me suggillatum, quod aliter verterimus. Porrò audacia non semper opponitur consilio, sed sæpè refertur ad periculum. Sentit enim hoc evangelista, decurionem hoc non sine periculo fuisse ausum amore Jesu.

VERS. 44. — SI JAM MORTUUS, *si dudùm*, aut *jamdudùm mortuus esset*, etiamsi nonnulli codices pro πάλαι habent ἤδη. Atque ita potest reperiri in editione Aldinâ, consentiente Hispaniensi, atque item Theophylacto. Proinde non assentior eruditis quibusdam, qui putant hìc εἰ valere idem quod conjunctio *quòd*. Siquidem adhuc dubitâsse Pilatum indicant ea quæ mox sequuntur : *Et re cognitâ ex centurione*. Porrò forma sermonis neminem debet offendere, cùm ita loquatur Terentius : *Mirabar si sic abiret*. Ex hoc loco Orige-

nes colligit animam Christi non reliquisse corpus suum more vulgari hominum morientium, sed ultrò excessisse è corpore, cùm visum esset. Neque enim juxta naturam tam maturè reliquisset corpus juvenile, præsertim cùm illi crura non essent fracta, quod aliis fieri solet ad maturandam mortem.

Vers. 47. — Maria Joseph. Rursùm est *Jose*, non *Joseph*.

CAPUT XVI.

1. Et cùm transîsset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.

2. Et valdè mane unâ sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.

3. Et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ?

4. Et respicientes, viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valdè.

5. Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ, et obstupuerunt.

6. Qui dicit illis : Nolite expavescere ; Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum : surrexit, non est hìc : ecce locus ibi posuerunt eum.

7. Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

8. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento : invaserat enim eas tremor et pavor : et nemini quidquam dixerunt : timebant enim.

9. Surgens autem mane, primâ sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene, de quâ ejecerat septem dæmonia.

10. Illa vadens, nuntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus, et flentibus.

11. Et illi audientes quia viveret, et visus esset ab eâ, non crediderunt.

12. Post hæc autem duobus ex his ambulantibus, ostensus est in aliâ effigie euntibus in villam :

13. Et illi euntes nuntiaverunt cæteris : nec illis crediderunt.

14. Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit : et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

15. Et dixit eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.

16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui verò non crediderit, condemnabitur.

17. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient : linguis loquentur novis :

18. Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et benè habebunt.

19. Et Dominus quidem Jesus, postquàm locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet à dextris Dei.

20. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

CHAPITRE XVI.

1. Et lorsque le jour du sabbat fut passé, Marie-Madeleine, et Marie, mère de Jacques, et Salomé, achetèrent des parfums pour venir embaumer Jésus.

2. Et le premier jour de la semaine, dès le matin, elles arrivèrent au sépulcre au lever du soleil.

3. Elles disaient entre elles : Qui nous ôtera la pierre de devant l'entrée du sépulcre ?

4. Car elle était fort grande. Mais en regardant, elles virent cette pierre renversée.

5. Et étant entrées dans le sépulcre, elles virent un jeune homme assis du côté droit, vêtu d'une robe blanche ; et elles en furent fort effrayées.

6. Il leur dit : Ne craignez point ; vous cherchez Jésus de Nazareth qui a été crucifié ; il est ressuscité ; il n'est point ici : voici le lieu où on l'avait mis.

7. Mais allez dire à ses disciples, et à Pierre, qu'il vous précède en Galilée ; c'est là que vous le verrez, selon ce qu'il vous a dit.

8. Elles sortirent aussitôt du sépulcre, et s'enfuirent, car elles étaient toutes saisies de crainte et de tremblement ; et elles ne dirent rien à personne, tant elles étaient effrayées.

9. Or, Jésus étant ressuscité le matin, le premier jour de la semaine, il apparut premièrement à Marie-Madeleine, de laquelle il avait chassé sept démons.

10. Et elle alla porter cette nouvelle à ceux qui avaient été avec lui, et qui étaient alors dans l'affliction et dans les larmes.

11. Mais lui ayant entendu dire qu'il était vivant, et qu'elle l'avait vu, ils ne la crurent point.

12. Après cela, il parut sous une autre forme à deux d'entre eux qui s'en allaient à une maison des champs.

13. Ceux-ci vinrent le dire aux autres ; mais ils ne les crurent pas non plus.

14. Enfin il apparut aux onze, lorsqu'ils étaient à table. Il leur reprocha leur incrédulité, et la dureté de leur cœur, de ce qu'ils n'avaient point cru ceux qui l'avaient vu ressuscité.

15. Et il leur dit : Allez par tout le monde ; prêchez l'Evangile à toute créature.

16. Celui qui croira, et qui sera baptisé, sera sauvé ; et celui qui ne croira point, sera condamné.

17. Et voici les miracles qui accompagneront ceux qui auront cru : Ils chasseront les démons en mon nom ; ils parleront de nouvelles langues ;

18. Ils manieront les serpents ; et s'ils boivent quelque breuvage mortel, il ne leur fera point de mal : ils imposeront les mains sur les malades, et ils seront guéris.

19. Le Seigneur Jésus, après leur avoir ainsi parlé, fut élevé dans le ciel ; et il est assis à la droite de Dieu.

20. Et eux étant partis, ils prêchèrent partout, le Seigneur coopérant avec eux, et confirmant sa parole par les miracles qui l'accompagnaient.

VERS. 1. — ET CUM TRANSISSET SABBATUM, hoc est, post occasum solis sabbati. MARIA MAGDALENE ET MARIA JACOBI ET SALOMÆ EMERUNT AROMATA. Tres istæ mulieres post solis occasum sabbati emerunt aromata, quia durante sabbato illicitum erat emere. Et hinc apparet quòd mulieres istæ quamvis viderint locum monumenti in quo Joseph et Nicodemus cum suis ministris ponebant corpus Jesu, non tamen viderunt quòd unxerint corpus Jesu aromatibus, quia si vidissent hoc, non postea sollicitæ fuissent ut emerent aromata ad ungendum corpus Jesu; verecundiâ siquidem muliebri et optimo more assuetæ procul à consortio virorum non ausæ sunt appropinquare ad videndum quid facerent circa corpus Jesu, Joseph et Nicodemus cum suis ministris, et tantò minùs potuerunt hoc videre, quantò unctio facta fortè fuit intùs in monumento; quod erat velut quædam domuncula, intra quam erat sepulcrum. UT VENIENTES, non tunc, sed sequenti mane.

VERS. 2. — ET VALDE MANE UNA SABBATORUM, hoc est, die illâ quæ relata ad dies qui semper sunt sabbata, appellatur una; et describitur certus dies qui nunc vocatur dies dominicus. In Matthæo habetur: *Vespere sabbati quæ lucescit in primâ sabbati.* Et significatur nox media inter septimum diem et diem sequentem, ab utroque extremo: à vespertino, et diluculo. Ita tamen quòd vespertino ut terminatur per diluculum. Perinde ac si dictum fuisset: Nocte autem sabbatorum illucescente in unam sabbatorum. Omninò enim oportet intelligere horam diluculi; nam apud Marcum vespere sabbati occupatæ fuerunt ambæ istæ mulieres circa emptionem aromatum; et cùm reliqui evangelistæ testentur venisse mulieres ad sepulcrum mane, si horâ vespertinâ sabbati venissent ad monumentum, invenissent ibi custodes et monumentum sigillatum; et non ausæ fuissent venire sequenti mane ad monumentum cum aromatibus ut ungerent Jesum. Scivissent namque quòd hoc non possent efficere; tum propter custodes, tum propter sigillum, utrumque enim se nescire profitentur, tum opere, tum verbis, dicendo: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Nominavit autem Matthæus diluculum illud à vespertino seu tardo tempore; ut noctem immediatè sequentem ad diem septimum, ex relatione ad ipsum diem septimum præcedentem describeret; nox enim illa pars erat sequentis non præcedentis diei apud Hebræos, à vesperâ in vesperam celebrantes sabbata sua. Et cum hoc quod erat pars sequentis diei naturalis, vocabatur communiter vespertinum seu tardum tempus diei artificialis præcedentis, ut patet ex eo quòd jejunium illius diei in illam horam differebatur. Ut igitur relativè ad diem septimum immediatè præcedentem, diluculum illud describeret Matthæus, usus est tali modo describendi tempus illud. Intentio siquidem Matthæi fuit describere certum diem et certam horam. Et hora quidem sic definita est, dicendo *quod illucescit;* certus autem dies (hoc est, quòd non dies lunæ, nec dies martis, nec dies mercurii, nec dies Jovis aut Veneris aut sabbati, sed dies qui à nobis vocatur dominicus hic fuit) describitur utrinque ex sabbatis in plurali numero; hoc est, ex septimâ die. Si dixisset, *vesperi autem sabbati*, genitivus sabbati non arctaretur ad diem septimum, quia apud Hebræos quilibet dies festus in quo operari non licet, appellatur sabbatum, quocumque die venerit. Sed dicendo, *vesperi autem sabbatorum*, significatur determinatè dies septimus, quia soli septimi dies erant semper sabbata. Ita quòd sensus est: Vesperi autem sabbatorum, hoc est, dierum sabbatorum non quandoque sic et quandoque non, sed semper; hæc enim est sola dies septima. Similiter si dixisset, *quod lucescit in unam sabbati*, significâsset, quod lucescit in unam diem festivam; sed ubi repetiit sabbatorum, repetiit diem septimum, qui semper est dies sabbatorum. Matthæus siquidem imitatus est Moysen, qui illum diem quem dominicum vocamus, appellavit non diem primum, sed diem unum, dicendo de die creationis cœli et terræ. *Factum est vespere et mane dies unus;* propterea enim Matthæus non dixit in primam, sed in unam, significando diem illam quæ procedendo ad dies sabbatorum appellatur una in lege Moysi. Dicendo itaque in unam sabbatorum, dixit in diem quæ appellatur una procedendo ad dies sabbatorum; hoc est, ad septimum quemque diem. Cernis itaque prudens lector quòd evangelista utrinque ex die sabbatorum definivit diem quem dominicum appellamus, in ipsius diluculo, ut ex Evangelio suo Matthæus certum redderet mundum quo die Jesus resurrexit. VENIUNT AD MONUMENTUM ORTO JAM SOLE. Auroræ hora describitur ab orto sole, quia reverà incipit oriri nobis sol per splendorem auroræ.

VERS. 3. — ET DICEBANT AD INVICEM: QUIS REVOLVET NOBIS LAPIDEM AB OSTIO MONUMENTI? Hinc habetur latuisse mulieres istas quòd monumentum sigillatum fuisset, et quòd custodes fuissent appositi. Si enim hæc scivissent, non dixissent ad invicem: *Quis revolvet nobis lapidem*, solius femineæ imbecillitatis rationem habentes; imò nec cogitâssent venire ad monumentum. Hinc quoque habetur quòd ante illam horam auroræ, nulla earum venerat ad monumentum. Si enim vespere præcedenti aut nocte ad monumentum priùs venissent, scivissent mane quòd erant ibi custodes, quòd sepulcrum erat sigillatum; et non redissent.

VERS. 4. — ET RESPICIENTES VIDERUNT, pro, *vident,* REVOLUTUM LAPIDEM, proculdubio ab angelo.

VERS. 5. — ET INTROEUNTES, ad mandatum angeli, quem Marcus tacet. IN MONUMENTUM, VIDERUNT JUVENEM, pro, *adolescentulum*, SEDENTEM IN DEXTRIS. Iste angelus aut non est ille qui apud Matthæum sedebat super revolutum lapidem; aut si est illemet, postquàm evanuit ab oculis mulierum (cedens eis ut introirent liberè in monumentum) iterùm apparuit eis

VERS. 5. — COOPERTUM STOLA, *amictum.* Nam *coopertus* esse potest, qui non sit *amictus.*

VERS. 6. — NOLITE EXPAVESCERE. Idem est verbum Græcis, quod vertit modò *obstupuerunt.*

intùs in monumento sedens à dextris sepulcri, hoc est, in illâ parte versùs quam dextra pars corporis Jesu jacuerat, vel in dextris ipsarum mulierum. Coopertum, pro, *amictum.* Describitur enim indutus. Stola candida, veste longâ usque ad pedes. Et obstupuerunt, tum ob angeli præsentiam, tum ob absentiam corporis Jesu, tum ex perseverante timore qui priùs eas invaserat. — Vers. 6. — Qui dixit illis: Nolite expavescere, etc. Eadem dicit quæ dixerat angelus sedens super revolutum lapidem; ut duplicato testimonio et resipiscant à timore, et credant Jesum surrexisse.

Vers. 7. — Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro. Negaverat Petrus Jesum, et propterea angelus neminem nominat nisi Petrum; tum ut magnam Dei erga peccatores gratiam commendet; tum ut Petrus auditâ ex ore mulierum angelicâ voce animæquior fiat.

Vers. 8. — Invaserat, pro, *habebat,* enim. Significatur perseverantia tremoris et stuporis. Eas tremor et pavor, pro, *stupor.* Et nemini quidquam dixerunt. Silentes describuntur redisse domum, nulli in viâ audentes dicere quod viderant aut audierant. — Vers. 9. — Surgens autem Jesus. Adverte hìc, prudens lector, Hieronymum habere dubium hoc capitulum. In epistolâ siquidem ad Hedibiam super duodecim quæstionibus, solvendo quæstionem tertiam recitatis verbis: *Surgens autem Jesus primâ sabbati, apparuit Mariæ Magdalenæ,* etc., subjungit hæc verba: « Aut enim « non recipimus Marci testimonium, quod in raris fer- « tur Evangeliis: omnibus Græcis libris penè hoc ca- « pitulum in fine non habentibus, præsertim cùm « diversa atque contraria evangelistis cæteris narrare « videatur. » Rursùs in secundo dialogo contra Pelagianos ait idem Hieronymus: « In quibusdam exem- « plaribus et maximè in Græcis codicibus juxta Mar- « cum in fine ejus Evangelii scribitur: *Postea cùm* « *accubuissent undecim, apparuit eis Jesus; et expro-* « *bravit incredulitatem et duritiam cordis eorum, quia* « *iis qui viderant ipsum resurgentem non crediderunt.* « *Et illi satisfaciebant, dicentes: Seculum istud ini-* « *quitatis et incredulitatis substantia est: quæ non sinit* « *per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem;* « *idcircò jam nunc revela justitiam tuam.* » Hæc ibi. Quæ ideò attulerim ut intelligamus quàm variè habeatur capitulum hoc. Et reverà nonnulla sunt in hoc capitulo quæ in nullo alio evangelistâ habentur; nihil tamen ego video contrarium manifestè aliis evangelistis. Nec quisquam mentis compos asserere aut credere potest hoc ultimum quod habetur apud Marcum capitulum totum adjectivum esse, nisi aliud quo caremus perditum fuerit: quia sequeretur Evangelium Marci terminari in sepulturâ Christi, ita quòd nihil penitùs de resurrectione Jesu Marcus scripserit. Quod non solùm stultum sed perfidum est cogitare; nam tota fides Evangelii ex resurrectione Christi pendet, dicente Paulo: *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra, inanis est prædicatio nostra.* Crediderim ego suspectum apud multos Græcos habitum hoc capitulum propter admixtionem à nescio quibus illorum verborum quæ Hieronymus retulit in dialogo; et etiam propter promissionem subjunctam; signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, etc. Quidquid autem sit de veritate, suspicionum tamen istarum effectus est, quòd hæc scripta non sunt solidæ auctoritatis ad firmandam fidem sicut sunt reliqua Marci indubitata. Mane. A putantibus Jesum surrexisse mediâ nocte, refertur *mane* non ad participium *surgens,* sed ad verbum *apparuit.* Sed præter hoc quòd constructio hæc duriuscula est, tollit certitudinem primæ apparitionis; nam secundùm hanc constructionem sensus est quòd mane primâ sabbati apparuit primò Magdalenæ; per quod non excluditur quin priùs antequàm esset mane apparuerit alteri, et sic tollitur certitudo primæ apparitionis. Amplectenda est igitur suavis constructio litteræ: referendo *mane* ad participium *surgens,* ita quòd hinc habeamus horam resurrectionis Christi fuisse in aurorâ. Et valdè congruè dies æternitatis gloriosorum corporum incipit cum aurorâ; resurrectio enim Christi est initium universalis resurrectionis omnium corporum, sicut aurora est initium diei. Prima sabbati. Quam superiùs appellavit *unam sabbatorum,* modò appellat *primam sabbati;* eo quòd dies dominicus, dies prima est relata ad sabbatum, quæ septima dies est in ordine siquidem ad septimam lex Moysi numerabat dies. Apparuit primo Mariæ Magdalenæ. Hæc apparitio est quæ scribitur à Joanne, cùm in specie hortulani apparuit. De qua ejecerat septem dæmonia. Magna Dei gratia erga peccatores significatur, quòd primò voluit peccatrici et tali peccatrici (scilicet, quæ fuerat subjecta omnibus peccatis, significatis per septem dæmonia) apparere.

Vers. 10. — Illa vadens nuntiavit iis qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus. Ista annuntiatio scripta quoque est à Joanne.

Vers. 11. — Et illi audientes quia viveret et visus esset ab ea, non crediderunt. Hoc scriptum est à Lucâ, dicente: *Adhuc autem illis non credentibus.*

Vers. 12. — Post hæc autem duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie, pro, *forma,* euntibus in villam. Hæc apparitio scripta est à Lucâ, narrante discipulos euntes in castellum nomine Emaus.

Vers. 13. — Et illi euntes nuntiaverunt cæteris; nec illis crediderunt. Hoc quoque ex dictis verbis apud Lucam apparet.

Vers. 14. — Novissimè autem, pro, *postea.* Non significatur ultima apparitio in vero textu, sed posterior. Iis qui viderant eum resurrexisse, pro, *resuscitatum,* non crediderunt. Collatis simul iis quæ referuntur in hâc apparitione, apparet quòd ista apparitio

Vers. 8. — Invaserat enim eas timor, *habebat autem eas tremor* ac *stupor,* sive *ecstasis.*

Vers. 9. — Prima sabbati; σαββάτων habent plerique Græci codices.

Vers. 14. — Novissimè recumbentibus illis. Augustinus de Concordiâ Evangelistarum, lib. 3, torquet seipsum quæstione, quî consistat quod Marcus dicit hìc Jesum novissimè apparuisse, cùm Joannes refe-

est quæ fuit die octavo quando erat Thomas cum eis; nam expressè hìc dicitur quòd erant undecim; et quòd undecim incredulitas et duritia cordis ad credendum iis qui viderant ipsum resuscitatum increpata est; tunc enim increpatus fuit Thomas, *ne sis incredulus*, et rursùs, *quia vidisti me credidisti*. Et vel ipsa increpatio Thomæ, quia tacita fuit increpatio aliorum, appellatur à Marco *increpatio eorum;* vel occasione sumptâ ex increpatione Thomæ, explicitè increpavit alios; revocando ad memoriam incredulitatem et duritiam cordis ad credendum tum mulieribus quæ eum viderant, tum discipulis redeuntibus ab Emaus, tum Petro qui etiam viderat Jesum, ut clarè Lucas explicat; nam post hæc omnia Lucas dicit: *Adhuc illis non credentibus*. Et intellige increpatos eos communiter. Joannes enim exemptus videtur ab hujusmodi incredulitate; quia cùm vidit linteamina posita, credidit. Petrus quoque non fuit incredulus discipulis, sed fortè mulieribus. Actus autem recumbendi, à solo Marco describitur, nec hoc est mirum, cùm pluries quod unus evangelista tacet alius suppleat.

VERS. 15. — ET DIXIT EIS. Verba illa quæ refert Hieronymus in dialogo, tanquàm manifestè adjecta ab aliis, habentur. EUNTES. Describitur mandatum ad prædicandum in universo mundo, quod ab aliis quoque evangelistis describitur. IN MUNDUM UNIVERSUM. Finitum per hoc ostendit tempus prioris mandati, *in viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum*, etc. Sed adverte quod illis dicit; *euntes in mundum universum*, quibus apud Matthæum dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi;* non enim apostolis et illis discipulis ibi præsentibus præcepit universum peragrare mundum per seipsos; sed præceptum factum ad illos, intelligitur factum ipsis et successoribus eorum; ita quòd ipsi inchoarent, et successores perficerent. PRÆDICATE EVANGELIUM OMNI CREATURÆ, omni nationi, omni hominum conditioni, statui, nullam exceptionem faciendo. Et omnem hominum nationem, conditionem, statum, sexum, etc., appellat creaturam, ad explicandum quare est illis

rat illum post apparuisse suis ad mare Tiberiadis. Hunc nodum sic explicat, ut *novissimè* referatur, non ad numerum apparitionum simpliciter, sed ad apparitiones eo die factas. Atqui cùm Græcè sit ὕστερον, quod sonat *deinde* seu *postea*, non erat cur moveret quæstionem, si Græcos consuluisset codices: quanquàm nolim dissimulare comparativa nonnunquàm usurpari vice superlativorum. Quoniam itaque dixerat *primùm*, interpres hìc maluit dicere *postremùm*. ILLIS UNDECIM, αὐτοῖς τοῖς ἕνδεκα. Divus Augustinus ex addito pronomine *illis*, et ex articulo Græco colligit hunc locum non posse accipi nisi de apostolis. Atqui Græcè non est ἐκείνοις αὐτοῖς, quòd si relativè sumatur, sonat, Jesum iisdem duodecim apostolis apparuisse, quibus priùs apparuerat. Sin discretivè, sensus erit, Jesum apparuisse, non mulieribus aut quibuslibet discipulis, de quibus ante dictum erat, sed ipsis undecim, nimirùm apostolis qui narrantibus non crediderant. Etiamsi Marcus ita contexit quasi hoc senserit. *Primùm* apparuit Mariæ Magdalenæ. *Posthæc* duobus ambulantibus in villam. *Postremò* recumbentibus undecim. Nec obstat huic sensui, si jam uni aut alteri ex apostolis apparuerat. Certè undecim simul discumbentibus nondùm apparuerat. QUI VIDERANT EUM RESURREXISSE. Græcè est ἐγηγερμένον, *suscitatum* sive *excitatum*. Nec video causam cur hìc Gregorius aut Bernardus inducant angelos, qui soli viderint Dominum resurgentem. Qui priùs mortuum viderant, ac mox vivum, utique viderunt eum resurrexisse. Illi fortassis legebant, *qui viderant eum resurgentem*, ut hìc interpres frequenter participia præteriti temporis vertit in participia præsentis temporis. Divus Hieronymus in Epistolâ ad Hedibiam quæstione tertiâ indicat hoc extremum Marci caput à plerisque non fuisse receptum, quod in raris Latinorum codicibus, Græcorum penè nullis habebatur, præsertim cùm videatur narrare quædam manifestè pugnantia cum aliis evangelistis. Velut illud quod refert Dominum resurrexisse *mane primâ sabbati*, cùm Matthæus tradat eum resurrexisse *vesperâ sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati*. Pugnant autem inter sese *vespere et mane*. Hujus difficultatis ostendit Hieronymus geminam solutionem, quarum prior hæc est. « Aut enim, inquit, non recipimus Marci testimonium, « quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Græciæ li« bris penè hoc capitulum in fine non habentibus. » Hæc solutio impia erat, si tum temporis hoc capitulum idem habebat auctoritatis, quod reliquum Marci Evangelium. Admonet autem et illud Hieronymus, subdistinctionem esse faciendam ante *mane*, ut intelligamus Christum *vespere* surrexisse, deinde *primâ sabbati* visum esse Mariæ, hoc modo legentes: *cùm surrexisset Jesus*, et hìc interpositâ hypostigme sequatur, *mane primâ sabbati apparuit primò Mariæ*. Hanc distinctionem indicat et Theophylactus. Nos, quò dilucidior esset sermo, pro ἀναστὰς, quod interpres vertit *surgens*, vertimus *cùm surrexisset*. Est enim participium præteriti temporis, quod circumitione reddendum erat. Idem Hieronymus in secundo Dialogo adversùs Pelagium disputans, narrat in fine Evangelii juxta Marcum, in nonnullis exemplaribus maximè Græcorum coronidem fuisse adjectam hisce Marci verbis: « Posteà cùm accubuissent undecim, « apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem et « duritiem cordis eorum, quod multis, qui viderant « eum resurgentem, non crediderunt. » Hìc additum erat: « Et illi satisfaciebant dicentes: Seculum istud « iniquitatis et incredulitatis substantia est, quæ non « sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi « virtutem. Idcircò jam nunc revela justitiam tuam. » Cæterùm ut hoc extremum Marci caput hodiè habetur in omnibus, quæ sanè viderim, Græcorum exemplaribus, quod enarrat etiam Theophylactus: in coronidem hanc ex apocrypho quopiam Evangelio adscriptam apparet à lectore nimiùm audaci. Nam Evangelium Hebræorum, quod tum à Nazareis et Essenis legebatur, Hebraicis scriptum litteris, sed sermone Chaldaico, Hieronymus testatur à se versum in linguam Græcam, et ex eo nonnulla profert testimonia, in quo leguntur quædam his non dissimilia. Hoc autem assumentum, quoniam nihil habet evangelisticæ gravitatis, sed olet potiùs dogma Manichæorum, meritò resectum ac rejectum est tam à Græcis, quàm à Latinis. Beda testatur divum Ambrosium accuratè scripsisse in hunc evangelistam, è cujus Commentariis fatetur se multa discerpsisse. Hoc opus nobis intercidit, nisi fortè Beda sensit Commentarios in Marcum, qui feruntur Hieronymi titulo, esse Ambrosii. Quod ego nec refello, nec assevero. Videntur enim hominis nec infantis, nec eruditi, cui illud certè cum Ambrosio commune, quod multus est in allegoriis et affectibus. Præfationem autem ineptam et indoctam addidisse videntur librarii, quo gratiosi nominis lenocinio allicerent emptorem. Illud addam, quod Hieronymus aliis verbis refert hunc locum quam habetur in Marco Latinæ editionis, cùm tamen adversùs Pelagianos scripserit admodùm senex; unde conjectare licet, aut hanc editionem non esse Hieronymi, aut ipsum neglexisse quod tradiderat. Nam quod hic indico, perquàm frequens est illi in eo opere,

prædicandum; ratione scilicet illius quod habent à creatore, et non ratione peccatorum quæ apposuerunt ipsi. Ac si apertiùs dixisset : Prædicate Evangelium omnis conditionis, sexûs, statûs, nationis, etc., hominibus, non spectantes ad eorum peccata et merita, sed ad conditiones creatas in illis, sed ad opus Dei in illis.

Vers. 16. — Qui crediderit. Ecce fides necessaria. Et baptizatus fuerit. Ecce sacramentum fidei necessarium. Salvus erit. Ecce præmium æternæ salutis. Qui vero non crediderit condemnabitur. Ne putares consilium non præceptum, et præmium acquiescentibus, non pœnam renuentibus adjungitur quòd *qui non crediderit condemnabitur.* Non dicit *judicabitur* (quia qui non credit jam judicatus est), sed damnabitur, in æternam ibit damnationem.

Vers. 18. — Et benè habebunt. Suspecta apparet hæc clausula signorum, eò quòd secundùm Evangelicam doctrinam signa hæc non sunt fidei, sed magnitudinis fidei, sed donorum fidei, ut patet et in pluribus locis Evangelii; textus autem iste significat signa hæc consequi fidem sufficientem ad salutem; nam eisdem præcisè utitur verbis dicendo : *Qui crediderit et baptizatus fuerit;* et dicendo : *signa autem eos qui crediderint hæc sequentur.* Hæc tamen apparentia non solidum habet fundamentum, quoniam Joannis 14, similis sententia habetur : *Qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Intelliguntur igitur promissa signa consequentia fidem quantùm est ex parte virtutis fidei; sequentia quando et ubi opus fuerit. Cum cujus veritate promissionis stat quòd ex parte habentis fidem defectus accidat, seu impedimentum præstetur, ita quòd fides ipsa non deest signis, sed homo deest fidei ad efficaciam signorum.

Vers. 19. — Et Dominus quidem Jesus. Superfluit *Jesus.* Postquam locutus est eis. Non dicit statim; non enim significatur quòd statim post hæc verba ascendit in cœlum, sed tantummodò quòd post hæc verba ascendit in cœlum, non explicando quanto tempore post. Assumptus est, non alieno adminiculo, sed propriâ virtute. In cœlum; et sedet, pro, *sedit,* a dextris Dei. Non significatur positio corporis, quoniam Jesus in cœlo stat, non sedet; stare enim est naturalis situs hominis perfectus; sedere autem imbecillitatis est. Et propterea sicut per dexteram Dei metaphoricè significantur optima quæque bona, ita per sessionem significatur quietè possidere, quietè regnare, et perinde dictum est, *sedit à dextris,* ac si dictum fuisset, et quietè possedit optima quæque bona Dei, possessurus in secundo adventu etiam reliqua minùs bona; tunc enim accipiet possessionem istorum inferiorum.

Vers. 20. — Ubique non affirmatione omnium locorum, sed negatione certorum locorum. Non enim tempore quo scripsit Marcus prædicatum fuit Evangelium in singulis locis mundi, cùm postea multæ gentes quibus prædicatum non fuerat inventæ sint, ita quòd nostrâ etiam ætate inveniuntur. Sed discipuli Jesu non arctaverunt prædicationes suas ad hæc vel illa loca; sed prout facultas affuit, extenderunt prædicationes suas ad omnes mundi partes. Domino cooperante, internis inspirationibus trahendo auditores. Sequentibus signis, pro, *per subsequentia signa.* Hæc enim tria, scilicet prædicatio apostolica, interna inspiratio divina, et miracula ad confirmationem Evangelii converterunt mundum ad fidem Jesu Christi. Cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

LUCÆ BRUGENSIS VITA.

F. LUCAS BRUGENSIS (Franciscus), doctor Lovaniensis et ecclesiæ Audomaropolitanæ decanus, magnam sibi doctrinæ meritò famam comparavit. Linguarum eruditarum apprimè gnarus fuit, ac præsertim Hebrææ, Græcæ, Syriacæ et Chaldaicæ; quas ab insignibus præceptoribus Ben. Ariâ Montano, Joanne Guillelmi Harlemio, Jesuitâ, aliisque (Regiorum) Bibliorum editioni præfectis, didicerat. Eidem quoque operi operam suam navavit. Exstant illius : *Notationes in Biblia sacra. Itinerarium Jesu Christi ex 4 Evangeliis. Commentarius in Evangelia. Apologia pro Chaldaico Paraphraste. Notæ ad varias lectiones in Evangeliis,* etc. Diem suum obiit 19 februarii 1619. Theologiæ necnon et Bibliis, per quadraginta annos, indefessus studuerat. Commentaria in quatuor Jesu Christi Evangelia, à Francisco Lucâ theologo doctissimo, singulari industriâ, summo labore, egregiâ eruditione, ac solido acrique judicio concinnata, dignissima sunt, quæ in doctorum omnium manus deveniant, cùm nihil contineant, quod non sinceram in Deum fidem pietatemque spiret, et quod non ad veram germanamque evangelici textûs intelligentiam luminis plurimùm allaturum sit et subsidii. Francisci Lucæ Commentaria corroboravimus Commentariis Cornelii Jansenii, qui in sancta Jesu Christi Evangelia genuinum Scripturæ sacræ sensum exponit, et summam eruditionem, doctrinamque solidissimam, ex sanctorum Patrum scriptis potissimùm depromptam, complectitur. Quamobrem hujusce eruditissimum opus in notarum loco juxta posuimus. Cornelii Jansenii vitam videre est in Cursûs Scripturæ sacræ tomo septimo decimo.

IN EVANGELIUM
SECUNDUM LUCAM
Commentaria.

Evangelium. Vox est Græca, boni faustique nuntii significationem habens. Apud profanos auctores legitur pro præmio sumptum, lætum adferenti nuntium dato, et pro sacrificio jucundis nuntiis decreto. Cæterùm christiana Schola, pro ipso fausto lætoque nuntio utitur, atque eo κατ' ἀντονομασίαν, quod magni consilii angelus Christus Salvator humano generi attulit, vitæ salutisque æternæ, quo nullum lætius, nullum jucundius, nullum gratius nuntium esse possit. Dimanavit autem ad nos hæc vox ab Interpretibus septuaginta duobus, qui, ubi novi Testamenti prophetiæ texuntur, gaudent evangelizandi voce uti (psalmi 95, versu secundo, Isaiæ 40, v. 9, cap. 52, v. 7, et alibi). Porrò Hebraicè pro eâ est vox *Bissar* à *Basar* carne derivata : quâ significatum videri possit, felix hoc nuntium, quod prophetæ prædicebant ac promittebant, per Verbum Dei caro factum, præsens adferendum atque exhibendum. Hoc illud est Evangelium, quod dulcissimis epithetis, Matthæi 4, v. 23, *Evangelium regni*, Actorum 20, et 24, *Evangelium gratiæ Dei*, ad Romanos 10, v. 15, *Evangelium pacis*, prioris ad Timotheum primo, v. 11, *Evangelium gratiæ beati Dei*, agnominatur. Porrò aliter sumitur, *Evangelium*, cùm dicitur *Evangelium secundùm Matthæum*, aut *secundùm Lucam*, sive Matthæi aut Lucæ, nempe, non pro ipso fausto nuntio, sed pro Scripturâ narrante historiam Salvatoris faustum salutis nuntium adferentis. Hujusmodi quatuor sunt Evangelia : cæteroqui omnes Novi Testamenti libri unum sunt Evangelium , cujus veteris Testamenti scripta sunt prædictiones prophetiæ.

Evangelium secundum Lucam, id est, historia Evangelica, prout à Lucâ descripta est. Lucas natione Syrus, oriundus Antiochiâ, Syriæ metropoli, quæ in Veteris Testamenti libris *Reblatha* 4 Regum 25 , v. 6, 21, et *Emath magna* Amos 6, v. 2, appellatur; *Græci sermonis non ignarus,* quod ait Hieronymus in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum, *medicus arte fuit.* Is inter multos alios Antiochenos lucrifactus Christo ; illìc enim discipuli, cùm in maximum numerum excrevissent, primùm nominati fuère Christiani, ut legitur Act. 11, v. 26; discipulus Pauli Apostoli evasit, et comes magna ex parte peregrinationis ejus. Evangelium hoc scripsit Græcis Græcè, anno circiter 15 à Domini ascensione, dùm ageret unà cum Paulo in Achaiæ et Bœotiæ partibus , quod præfatione in Evangelium Matthæi notat Hieronymus ; consilio haud dubium et hortatu Pauli ; occasione autem pseudoapostolorum illorum , quorum meminit Paulus in epistolis suis, præsertim posteriore ad Corinthios, qui in illis Græciæ regionibus , multas de Christo fabulas, genealogias, et quæstiones stultas (Tit. 1, v. 10, 11, 14, et c. 3, v. 9), à se confictas, disseminaverant, non verbo solùm, verùm etiam scripto quod ipsa Lucæ præfatio dat intelligendum. Ipse igitur Lucas, assecutus omnia à principio diligenter, ab iis qui ipsi viderant et ministri fuerant sermonis , verissimum hoc et divinissimum Evangelium edidit, Paulo approbante.

CAPUT PRIMUM.

1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem , quæ in nobis completæ sunt , rerum ;

2. Sicut tradiderunt nobis , qui ab initio ipsi viderunt , et ministri fuerunt sermonis :

3. Visum est et mihi assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere , optime Theophile ,

4. Ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es , veritatem.

5. Fuit in diebus Herodis , regis Judææ , sacerdos

CHAPITRE PREMIER.

1. Plusieurs ayant entrepris d'écrire l'histoire des choses qui ont été accomplies parmi nous ,

2. Suivant le rapport que nous en ont fait ceux qui , dès le commencement , les ont vues de leurs propres yeux , et qui ont été les ministres de la parole ;

3. J'ai cru , très-excellent Théophile , qu'après avoir été exactement informé de toutes ces choses depuis leur commencement , je devais aussi vous en représenter par écrit toute la suite ,

4. Afin que vous reconnaissiez la vérité de ce qui vous a été annoncé.

5. Au temps d'Hérode , roi de Judée , il y avait un

quidam nomine Zacharias, de vice Abiâ; et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elizabeth.

6. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querelâ.

7. Et non erat illis filius, eò quòd esset Elizabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis.

8. Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum,

9. Secundùm consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini.

10. Et omnis multitudo populi erat orans foris horâ incensi.

11. Apparuit autem illi angelus Domini, stans à dextris altaris incensi.

12. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum.

13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem:

14. Et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt:

15. Erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet, et Spiritui sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.

16. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum:

17. Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

18. Et dixit Zacharias ad angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.

19. Et respondens angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare.

20. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

21. Et erat plebs expectans Zachariam; et mirabantur quòd tardaret ipse in templo.

22. Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quòd visionem vidisset in templo: et ipse erat innuens illis, et permansit mutus.

23. Et factum est ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam.

24. Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens:

25. Quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

26. In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.

27. Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria.

28. Et ingressus angelus ad eam, dixit: Ave, gratiâ plena; Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

prêtre nommé Zacharie, de la famille d'Abia; et sa femme était aussi de la race d'Aaron, et s'appelait Elisabeth.

6. Ils étaient tous deux justes devant Dieu, marchant dans tous les commandements et les ordonnances du Seigneur d'une manière irrépréhensible.

7. Ils n'avaient point d'enfants, parce qu'Elisabeth était stérile, et qu'ils étaient déjà tous deux avancés en âge.

8. Or Zacharie faisant sa fonction de prêtre devant Dieu dans le rang de sa famille,

9. Il arriva par le sort, selon ce qui s'observait entre les prêtres, que ce fut à lui d'entrer dans le temple du Seigneur pour y offrir les parfums.

10. Cependant toute la multitude du peuple était dehors, faisant sa prière à l'heure où l'on offrait les parfums.

11. Et un ange du Seigneur lui apparut, se tenant debout à droite de l'autel des parfums.

12. Zacharie le voyant, en fut troublé, et la frayeur le saisit.

13. Mais l'ange lui dit: Ne craignez point, Zacharie, parce que votre prière a été exaucée, et Elisabeth votre femme vous enfantera un fils, et vous lui donnerez le nom de Jean.

14. Vous en serez dans la joie et dans le ravissement; et plusieurs se réjouiront de sa naissance;

15. Car il sera grand devant le Seigneur; il ne boira point de vin, ni rien de ce qui peut enivrer, et il sera rempli du Saint-Esprit dès le sein de sa mère.

16. Il convertira plusieurs des enfants d'Israël au Seigneur leur Dieu.

17. Et il marchera devant lui, dans l'esprit et dans la vertu d'Elie, pour réunir les cœurs des pères avec leurs enfants, et rappeler les incrédules à la prudence des justes, et pour préparer au Seigneur un peuple parfait.

18. Et Zacharie dit à l'ange: Par quoi reconnaîtrai-je ceci? car je suis vieux, et ma femme est avancée en âge.

19. L'ange lui répondit: Je suis Gabriel, qui me tiens devant Dieu, et j'ai été envoyé pour vous parler, et pour vous annoncer cette heureuse nouvelle.

20. Et voici que vous allez devenir muet; et vous ne pourrez plus parler, jusqu'au jour où ceci arrivera, parce que vous n'avez point cru à mes paroles, qui s'accompliront en leur temps.

21. Cependant le peuple attendait Zacharie, et il s'étonnait de ce qu'il demeurait si longtemps dans le temple.

22. Mais étant sorti, il ne pouvait leur parler, et ils connurent qu'il avait eu quelque vision dans le temple, car il ne s'expliquait que par signes; et il demeura muet.

23. Quand les jours de son ministère furent accomplis, il s'en alla en sa maison.

24. Quelque temps après, Elisabeth sa femme conçut, et elle se tenait cachée durant les cinq mois, disant:

25. C'est ainsi que le Seigneur en a usé avec moi, quand il m'a regardée pour me tirer de l'opprobre où j'étais devant les hommes.

26. Or, comme elle était dans son sixième mois, l'ange Gabriel fut envoyé de Dieu en une ville de Galilée appelée Nazareth,

27. A une vierge qui était fiancée à un homme de la maison de David, nommé Joseph; et cette vierge s'appelait Marie.

28. L'ange étant entré où elle était, lui dit: Je vous salue, ô pleine de grâce, le Seigneur est avec vous; vous êtes bénie entre les femmes.

29. Quæ cùm audîsset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.

30. Et ait angelus ei : Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum :

31. Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

32. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum,

33. Et regni ejus non erit finis.

34. Dixit autem Maria ad angelum : Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco ?

35. Et respondens angelus, dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

36. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute suâ : et hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis :

37. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

38. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tum. Et discessit ab illâ angelus.

39. Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda :

40. Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.

41. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth :

42. Et exclamavit voce magnâ, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

43. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me ?

44. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.

45. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.

46. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum,

47. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,

48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes :

49. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

50. Et misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.

51. Fecit potentiam in brachio suo ; dispersit superbos mente cordis sui.

52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

53. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

54. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ :

55. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in secula.

56. Mansit autem Maria cum illâ quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam.

29. Mais elle l'ayant entendu, fut troublée de ses paroles, et elle pensait quelle pouvait être cette salutation.

30. Et l'ange lui dit : Ne craignez point, Marie, car vous avez trouvé grâce devant Dieu :

31. Voilà que vous concevrez en votre sein, et vous enfanterez un Fils à qui vous donnerez le nom de Jésus.

32. Il sera grand, et il sera appelé le Fils du Très-Haut, et le Seigneur Dieu lui donnera le trône de David son père. Il régnera éternellement sur la maison de Jacob,

33. Et son règne n'aura point de fin.

34. Alors Marie dit à l'ange : Comment cela se fera-t-il, car je ne connais point d'homme ?

35. L'ange répondant lui dit : Le Saint-Esprit surviendra en vous, et la vertu du Très-Haut vous couvrira de son ombre. C'est pourquoi le saint qui naîtra de vous sera appelé le Fils de Dieu.

36. Et voilà que votre cousine Elisabeth a elle-même conçu un fils en sa vieillesse ; et c'est ici le sixième mois de la grossesse de celle qu'on appelle stérile,

37. Parce qu'il n'y a rien d'impossible à Dieu.

38. Alors Marie lui dit : Voici la servante du Seigneur ; qu'il me soit fait selon votre parole. Et l'ange s'éloigna de chez elle.

39. Or, en ces jours-là, Marie partit, et s'en alla en diligence au pays des montagnes, en la ville de Juda ;

40. Et étant entrée dans la maison de Zacharie, elle salua Elisabeth.

41. Dès qu'Elisabeth entendit la voix de Marie qui la saluait, son enfant tressaillit dans son sein ; et Elisabeth fut remplie du Saint-Esprit ;

42. Et s'écriant à haute voix, elle dit : Vous êtes bénie entre les femmes, et le fruit de vos entrailles est béni.

43. Et d'où me vient ce bonheur, que la mère de mon Seigneur vienne vers moi ?

44. Car votre voix n'a pas plus tôt frappé mon oreille lorsque vous m'avez saluée, que mon enfant a tressailli de joie dans mon sein.

45. Que vous êtes heureuse d'avoir cru, parce que les choses qui vous ont été dites de la part du Seigneur s'accompliront !

46. Alors Marie prononça ces paroles : Mon âme glorifie le Seigneur,

47. Et mon esprit est ravi de joie en Dieu mon Sauveur,

48. Parce qu'il a jeté les yeux sur la bassesse de sa servante, car voilà que désormais je serai appelée bienheureuse dans la succession de tous les siècles,

49. Parce que celui qui est Tout-Puissant a fait en moi de grandes choses, et son nom est saint,

50. Et sa miséricorde s'étend d'âge en âge sur ceux qui le craignent.

51. Il a déployé la force de son bras ; il a dissipé ceux qui s'élevaient d'orgueil dans les pensées de leur cœur.

52. Il a renversé les grands de leurs trônes, et il a élevé les petits.

53. Il a rempli de biens ceux qui étaient affamés, et il a renvoyé vides ceux qui étaient riches.

54. Il a pris en sa protection Israël son serviteur, se ressouvenant de sa miséricorde,

55. Selon qu'il avait promis à nos pères, à Abraham et à sa postérité, pour toujours.

56. Marie demeura avec Elisabeth environ trois mois ; et elle s'en retourna ensuite en sa maison.

57. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium.

58. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illâ, et congratulabantur ei.

59. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.

60. Et respondens mater ejus, dixit : Nequaquàm sed vocabitur Joannes.

61. Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tuâ, qui vocetur hoc nomine.

62. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.

63. Et postulans pugillarem scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi.

64. Apertum est autem illicò os ejus, et lingua ejus loquebatur benedicens Deum.

65. Et factus est timor super omnes vicinos eorum : et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc.

66. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes : Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

67. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto : et prophetavit, dicens :

68. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

69. Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui :

70. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum ejus :

71. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos :

72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti :

73. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis :

74. Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi,

75. In sanctitate et justitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris.

76. Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

77. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum :

78. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.

79. Illuminare his qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

80. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu : et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.

57. Cependant le temps auquel Elisabeth devait accoucher arriva, et elle enfanta un fils.

58. Ses voisins et ses parents ayant appris que le Seigneur avait fait éclater sa miséricorde sur elle, l'en félicitaient.

59. Et, étant venus le huitième jour pour circoncire l'enfant, ils le nommaient Zacharie, du nom de son père.

60. Mais la mère prenant la parole, dit : Non, mais il sera nommé Jean.

61. Ils lui répondirent : Il n'y a personne dans votre famille qui porte ce nom.

62. Et ils demandèrent par signes au père de l'enfant comment il voulait qu'on le nommât.

63. Et ayant demandé des tablettes, il écrivit dessus : Jean est son nom. Et tous en furent étonnés.

64. Aussitôt sa bouche s'ouvrit, sa langue se délia, et il parlait, en bénissant Dieu.

65. Et tous leurs voisins furent remplis de crainte; et le bruit de ces merveilles se répandit dans tout le pays des montagnes de Judée.

66. Et tous ceux qui les entendirent, les conservèrent dans leur cœur, disant : Quel pensez-vous que sera cet enfant ? Car la main du Seigneur était avec lui.

67. Et Zacharie son père fut rempli du Saint-Esprit, et prophétisa, en disant :

68. Béni soit le Seigneur Dieu d'Israël, de ce qu'il a visité et racheté son peuple ;

69. De ce qu'il nous a suscité un puissant Sauveur, en la maison de David son serviteur ;

70. Selon qu'il avait promis par la bouche de ses saints prophètes, qui ont été dans les siècles passés,

71. De nous délivrer de nos ennemis, et des mains de tous ceux qui nous haïssent,

72. Pour exercer sa miséricorde envers nos pères, et se souvenir de son alliance sainte,

73. De ce serment par lequel il a juré à Abraham notre père, de nous accorder cette grâce,

74. Qu'étant délivrés des mains de nos ennemis, nous le servirions sans crainte,

75. Dans la sainteté et la justice, marchant en sa présence tous les jours de notre vie.

76. Et vous, petit enfant, vous serez appelé le prophète du Très-Haut, car vous marcherez devant le Seigneur, pour lui préparer ses voies ;

77. Pour enseigner à son peuple la science du salut, pour la rémission de ses péchés.

78. Par les entrailles de la miséricorde de notre Dieu, par lesquelles ce Soleil levant est venu d'en haut nous visiter.

79. Pour éclairer ceux qui sont assis dans les ténèbres et dans l'ombre de la mort, et pour diriger nos pieds dans le chemin de la paix.

80. Cependant l'enfant croissait, et se fortifiait en esprit ; et il demeurait dans le désert, jusqu'au jour où il devait paraître devant le peuple d'Israël.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Quoniam quidem, quandoquidem ; non tam causa quàm occasio significatur. *Cæteri Evangelistæ*, ait Titus Bostrorum episcopus, *ab ipsis statim rebus initium faciunt: Lucas verò breve præmittit exordium.*

Vers. 1. — Quoniam quidem multi conati sunt. Taxari hìc pseudoapostolos et pseudoscriptores Evangeliorum, sententia ferè veterum est. Hos Epiph., hæresi 51, putat fuisse Cerinthum et Merinthum ;

MULTI. Loquitur Lucas de iis qui ante se scripserant historiam Evangelicam; non tamen intelligit Matthæum et Marcum (quos haud dubium est priùs Lucâ scripsisse, quamvis novus Beza reclamet), quia Matthæus quidem, non ut tradiderant qui viderant, sed ut ipsemet viderat, scripserat, idque Hebræis Hebraicè; Marcus verò longè positus Romæ, Latinis Latinè scripserat, ut multorum opinio est; neutrius verò adhuc exstabant in Græciâ exemplaria, præsertim Græcè translata. Illos igitur, ut adhuc ignotos Græcis, apud quos ipse versabatur, præterit; eos verò intelligit, qui his in partibus Græcè jam scripserant, nempe pseudoapostolos, hoc est, eos à quibus scripta Evangelia, neutiquàm probata Christi Ecclesiæ fuerunt. Feruntur hujusmodi multa Evangelia, quæ Veteres memorant; secundùm Thomam, Matthiam, duodecim; secundùm Hebræos, Nazaræos, Ægyptios; secundùm Nicodemum, Basilidem, Apellem, Cerinthum, Merinthum. Sed ut Basilides, Apelles, Cerinthus, et Merinthus, Lucâ posteriores fuerunt; ita quænam aliorum ante Lucæ Evangelium scripta fuerint, manet incertum; certum verò nonnulla scripta fuisse, et quidem plura uno, de quorum auctoribus Lucas hìc loquitur, ut est concors veterum sententia. Liceret conjicere illa fuisse quæ Apostolorum nomina falsò præ se ferebant, Thomæ, Matthiæ, duodecim, quod diximus; ita ut hanc etiam ob causam, auctores illorum, pseudoapostoli sint dicti Paulo.

CONATI SUNT, ἐπεχείρησαν, in manus sumpserunt, quod Latinè, metaphorâ à pedibus sumptâ, dicitur *aggressi sunt;* nec malè interpres, *conati sunt*. Syrus, *voluerunt*. Non dicit Evangelista quòd temerè aggressi sint, aut conati, quòd non præstiterint (nec ea est vis verborum, quæ in laude non minùs quàm in vitio ponuntur); rectè tamen id intelligunt Patres et Græci et Latini, ex circumstantiis. ORDINARE, ordine digerere. Syrus, *scribere*. NARRATIONEM, historiam.

QUÆ, earum quæ IN NOBIS Christianis, inter seu apud nos Christianos COMPLETÆ SUNT, certò creditæ firmiterque receptæ sunt, πεπληροφορημένων quæ prorsùs certificatæ seu, ut ita dicam, certioratæ sunt, quarum plena fides facta est, quæ plenissimæ certissimæque sunt fidei. *Nam uno verbo Latinus sermo non explicat*, quod annotat Interpres Origenis homiliâ primâ in Lucam. Πληροφορεῖσθαι ad personam relatum, est ita certiorem de re aliquâ fieri, ut nulla restet dubitatio; ad rem relatum, significat ita certis testimoniis esse comprobatam, ut de eâ ambigi non possit, nec ullis ampliùs probationibus sit opus. Ad personam refertur Rom. 4, v. 21, πληροφορηθεὶς, quod Interpres vertit *plenissimè sciens,* id est, certissimè persuasus et credens; hìc πεπληροφορημένων ad res relatum, transfert *completæ sunt,* quod interpretari oportet ut diximus, certò creditæ firmiterque receptæ sunt, quas plenè scimus, sumusque persuasi. Hanc interpretationem indicat Ambrosius, dùm ait in hunc locum scribens: *Fundatus in petrâ, et qui omnem fidei sumpserit plenitudinem, firmamentumque constantiæ, rectè dicit, quæ in nobis completæ sunt rerum.* Interpres Latinus ex Syro vertit, *in quibus nos contenti acquievimus:* Syriaca enim radix *pajes*, contentum reddere et persuadere significat; hinc verbale nomen *peiaso*, certitudinem declarat, et persuasionem certam, cui omninò acquiescit mens fidelis.

RERUM. Quæ sint illæ res, certissimæ inter Christianos fidei, non exprimit Lucas; tametsi hoc libri sui sit argumentum, quòd Theophilus et quivis alius christianus lector, facilè intellecturus esset, esse mysteria redemptionis humanæ à Jesu Christo peractæ, capita factorum et dictorum Jesu Christi. Hæc cùm docti essent Christiani omnes, conati sunt multi, contextis historiis, distinctè particulatimque narrare.

VERS. 2. — SICUT TRADIDERUNT. Versiculum hunc quidam ad sequentem referunt, sed meliùs alii jungunt præcedenti, relatum, vel ad *ordinare narrationem*, vel ad *completæ sunt,* vel potiùs ad utrumque,

Origenes Basilidem, Beda etiam Apellem: sed hi omnes fuerunt ætate posteriores, quàm Lucas, ut patet ex Euseb., lib. 4 Hist., c. 7, et aliis ejus locis. Credibile est respici ad auctores Evangeliorum illorum quæ dicebantur Thomæ, Matthiæ, duodecim, secundùm Ægyptios, etc. Nam quòd Maldonatus putat significari Matthæum et Marcum, omni vetere auctoritate caret, neque isti videntur multi posse dici. Unde August. lib. 4, de Consensu, c. 8, illis verbis, *conati sunt*, significari putat eos non potuisse susceptum onus implere, cui et Græci, Origenes, Euseb. et Epiphan. assentiuntur. ORDINARE NARRATIONEM, QUÆ IN NOBIS COMPLETÆ SUNT, RERUM, id est, historiam texere earum rerum, quæ in nobis certò creditæ firmiterque receptæ sunt. Nam quamvis Latinum verbum significare possit res non a Christo Domino perfectas et gestas, Græcum tamen et Syriacum magis indicant plenam earum fidem et persuasionem nobis esse factam, quod et Origen., Homil. 1 in Luc. et Ambr. hìc magis probant.

VERS. 2. — SICUT TRADIDERUNT NOBIS, vivâ voce prædicando publicè, et privatim narrando, QUI AB INITIO, non solùm prædicationis, sed etiam nativitatis, et conceptionis, tam ipsius Christi, quàm præcursoris ejus, sub quibus proindè et B. Virgo, et B. Joseph in primis continentur, quia quarumdam rerum sibi testes fuerunt, itemque mulieres, et alii discipuli, Zacharias, Anna, pastores. Unde August., lib. 3 de Consensu, c. 1, quæ in Christi nativitate, infantiâ, pueritiâ divinitùs gesta sunt, et digna memoriâ, discipuli Domini sive ab ipso Domino, sive à parentibus ejus, sive à quibuslibet aliis requirere et cognoscere potuerunt. IPSI VIDERUNT, supple, sermonem; nam Græcè legitur *spectatores*. ET MINISTRI FUERUNT SERMONIS, id est, qui testes oculati fuerunt, itemque prædicatores sermonis seu Evangelii, cujus prædicatio *ministerium* appellari solet; quanquàm sermo hic non malè Hebraicâ phrasi pro rebus ipsis accipi possit, sicut infra c. 2, v. 15. Porrò refertur hic versus non ad sequentem, ut quidam voluerunt, sed ad prædicationem; ita ut significetur, multos pollicitos fuisse ex professo historiam rerum texere, sicut eas tradiderant spectatores earum, et ministri, etsi non fuerint assecuti. Hinc verò patet manifestè, traditionem Evangelii ipsâ scriptione ejus fuisse priorem: imò certissimam fuisse, plenissimèque creditam, antequàm scriberetur.

VERS. 3. — VISUM EST MIHI, aliorum quidem exem-

ita ut priùs quidem significetur quas res illi conati fuerint describere, eas nimirùm quas tradiderant apostoli; deinde verò insinuetur quare res illæ Christianis completæ, id est, persuasissimæ certissimæque sint, quia nimirùm ab iis qui viderant et ministri fuerant sermonis traditæ. *Sicut tradiderunt.* Multi conati sunt texere historiam rerum fidei nostræ, sicut traditæ sunt ab apostolis, etc. Nam quanquàm non ita narrâssent eas, ut apostoli tradiderant: hoc tamen polliciti et professi fuerant, scribi à se historiam Evangelicam, prout eam ab apostolis aliisque qui viderant acceperant.

Tradiderunt, vivâ voce, partim prædicando, partim catechizando. Nota traditionem Evangelii, Scripturâ Evangelii priorem esse, Evangelistâ doctore; et res evangelicas, antequàm scripto committerentur, non minoris certitudinis fuisse quàm post. Unde sequitur, non ideò fuisse scripto traditas, ut fidem mererentur certiorem, sed ut certitudo earum voce acceptâ, in scripto recognosceretur, quemadmodùm mox ait Evangelista, v. 4, Ecclesia (hoc est, Ecclesiæ præpositi, *ministri sermonis,* ut hìc loquitur Lucas; *pastores et doctores,* ut loquitur Paulus Ephes. 4, v. 11) servat Evangelium verbumque Dei inviolatum, quod in Scripturâ sacrâ agnoscitur.

Nobis. Lucas omnesque ejus æquales Christiani, didicerant Evangelium ab apostolis et discipulis qui Jesu Christo inter mortales agenti adhæserant.

Ab initio, scilicet, ostensionis Christi ad Israel, Luc. 1, v. 80: *Incipientis à baptismate Joannis usque in diem quâ assumptus est,* Act. 1, v. 22.

Ipsi viderunt. Græcè vox una legitur, eaque nomen, αὐτόπται, spectatores, subaudito ex sequentibus verbo, *fuerunt.* Significanter autem interpres reddidit *ipsi viderunt,* tanquàm suis oculis, quos testes oculatos vocamus. *Viderunt* autem res illas completas, sive plenissimè creditas; seu spectatores fuerunt illarum rerum, quomodò Titus Bostrenus explicat; quanquàm situs Græcarum vocum potiùs exigat, ut unus genitivus *sermonis* qui sequitur, æqualiter regatur à duobus nominativis *spectatores* et *ministri;* Latinèque ad verbum *viderunt,* ex eo quod sequitur, subaudiatur *sermonem.* Quod si ita est, cùm genitivus ille *sermonis* seu *verbi,* verisimillimâ interpretatione accipiatur pro verbo Dei sive doctrinâ evangelicâ; sic enim frequenter Lucas in Actis, vocabulo *verbum* absolutè posito, utitur pro verbo Dei, sive Evangelii, κατ' ἐξοχὴν, Act. 10, v. 44, et 11, v. 19 et 17, v. 11, et 18, v. 5, etc.; intelligendum eosdem diversis modis diversisque temporibus fuisse, et spectatores verbi et ministros verbi. Spectatores quidem, quòd adfuissent Christo docenti, prædicanti, et ea omnia agenti, quæ verbum Dei sive doctrina evangelica annuntiat mortalibus, et ad fidem pertinent christianam; eaque omnia suis et oculis et auribus hausissent: sub visu enim cæteri sensus comprehenduntur: quo modo præfatur gloriaturque Joannes Apostolus, 1 Epist. 1, v. 1, 3: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod « vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus « nostræ contrectaverunt de verbo vitæ; quod, in« quam, vidimus et audivimus, annuntiamus vobis. » Ministri verò *sermonis* sive *verbi* fuerunt, quia divinitùs eis data fuit cura ministrandi prædicandique verbum Dei; idque etiam *ab initio,* quia à Christo ipso in terris agente, ad ministrandum ac promulgandum Dei verbum, sive evangelicam doctrinam, instituti, nominati, destinati et emissi sunt. In hunc sensum Titus, ministros verbi dici posse docet, quia *doctrinæ quam Salvator proseminaverat, subservierunt.* Quò facit, quòd Paulus Lucæ præceptor, consueverit prædicatores Evangelii vocare ministros Evangelii, Eph. 3, v. 7; Col. 1, v. 23; 1 Thess. 3, v. 2; ut ipse Lucas prædicationem Evangelii appellat ministerium verbi, Act. 6, v. 4, quanquàm his locis vox διάκονος potiùs legatur quàm ὑπηρέτης, sed parva aut nulla est inter utramque differentia. Fuerunt igitur spectatores verbi, qui non fuerunt ministri verbi, ut mulieres complures, et inter alias Deipara Virgo: sed utroque munere clari fuerunt apostoli duodecim et septuaginta duo discipuli, quibus annumerandi sunt alii nonnulli, quos, mox ut Spiritum sanctum acceperant, apostoli ad officium Evangelii prædicandi ordinârunt, sumptos ex numero eorum qui cum apostolis *congregati fuerant in omni tempore, quo intraverat et exiverat inter eos Dominus Jesus,* Act. 1, v. 21. Hujusmodi si non fuit, proximè accessit Paulus; cui Act. 26, v. 16, dicitur à Domino Jesu: *Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti et eorum quibus apparebo tibi.* Ab his igitur, qui et spectatores fuerant ab initio, et deinde etiam ordinati ministri sermonis, dicit Lucas, res evangelicas, antequàm scripto committerentur, traditas fuisse, cùm sibi, tùm cæteris suæ ætatis Christianis; duplicem insinuans illarum rerum certitudinem, minimèque vulgarem traditionem, quòd traditæ essent ab iis qui, et suis eas oculis fuerant contemplati, et ad promulgandum divinitùs ordinati, ut meritò dixerit, sibi cæterisque Christianis ingenitam esse earum πληροφορίαν, id est, plenam perfectamque fidem.

Vers. 3. — Visum est. Spiritu sancto inspirante.

plo, sed alio spiritu, nempe ut benè scribam, quod illi malè; illis enim visum est spiritu humano, mihi Spiritu sancto inspirante. Quo sensu et apostoli dixerunt: *Visum est Spiritui sancto et nobis,* quia Spiritus sanctus, ut id quod bonum est nobis quoque bonum videri possit, operatur, inquit Ambr. Assecuto omnia a principio diligenter, id est, omnibus rebus, altè petito principio, pervestigatis et percognitis. Nemo enim tam altè historiam evangelicam exorsus est, quàm Lucas, ab ipsâ scilicet præcursoris conceptione. His autem verbis commendans diligentiam suam, obliquè aliorum taxat negligentiam in pervestigandis rebus, et consequenter fidem eorum in enarrandis. Ex ordine tibi scribere, id est, congruo servato ordine, non semper minutarum rerum et verborum, sed historiæ rerumque capitalium, ut scilicet conceptio Joannis conceptionem Christi præcedat, hæc nativitatem, nativitas circumcisionem, ista purificationem, hæc educationem, educatio baptismum, iste prædicationem, hæc mortem, etc. Non

«Non quasi à se sibi visum, ait Beda, sed Spiritu «sancto instigante, sibi quoque visum significat, «juxta quod in Epistolà suâ dicunt apostoli : *Visum «est Spiritui sancto et nobis*, Act. 15, vers. 28. Non «enim voluntate humanâ, habet Ambrosius, visum «est, sed sibi placuit ei qui in me, inquit, loquitur «Christus; qui ut id quod bonum est, nobis quoque «bonum videri possit, operatur.

Et mihi, etiam mihi; visum est illis, visum est etiam mihi, illorum scilicet exemplo, quanquàm alio spiritu mihi quàm illis. Auctores boni provocantur frequenter exemplo reproborum ad scribendum, ut scilicet benè scribant, quod illi malè scripserint. Multi viri catholici, exemplo Calvini, excitati sunt ad scribendum de SS. Eucharistiâ, ut corrigerent scribendo, quod ille scribendo pervertere conatus fuerat.

Assecuto, consecuto. Significat quidem vox Græca assectari, sed intelligit Lucas se ita esse assectatum, se ita investigâsse et quæsivisse, ut etiam fuerit consecutus, id est, perdidicerit et intellexerit: cæteroqui enim non omnia assequimur quæ assectamur. *Assecutio, hoc loco,* inquit Euthymius, *pro cognitione sumenda est. Assecuto* autem, utpote qui investigaverim ex iis qui viderant et ministri fuerant sermonis; ex iis etiam qui viderant tantùm, è quorum numero fuit haud dubium B. Maria Mater Christi; denique undecumque fieri potuit.

Omnia, quidam transferunt masculino genere, *omnes,* est enim anceps verbum Græcum : et ad spectatores ac ministros, quorum mentio præcedit, referunt, quasi dicat Lucas quòd illos omnes fuerit assectatus ut rem totam perfectè intelligeret ; quibus favens Syrus vertit: *Propterea quòd sollicitè proximus fuerim illis omnibus.* Sed præferenda est translatio neutrius generis, *omnia; omnia* autem dicit, quæ scilicet ad res illas fide in nobis completas, pertinent, non solùm capita illarum, quorum cognitio singulis Christianorum sufficit, sed particulatim omnia, ut decet historicum; nec tamen absolutè omnia, sed pleraque omnia, saltem nullo eorum præterito quæ scitu necessaria videbantur et opportunè occurrebant.

A principio, usque ad finem; sursùm, altè, id est, à primis principiis ipsâque origine, à summo ad imum usque. Hoc declarat, quando historiam suam orditur, à Joannis Baptistæ conceptione, quæ quasi primus radius apparuit surgentis auroræ : quàm altè nullus alius historiam evangelicam est auspicatus.

Diligenter, penitùs et ad intima usque, exquisitâ nimirùm perfectâque diligentiâ ac scrutinio adhibito. Et hoc adverbium, præcedenti verbo jungendum est, non sequenti. Commendat studium diligentiamque suam, quam in quærendis, vestigandis, explorandisque iis rebus adhibuerit, de quibus scribere statuerat, seque sic assecutum omnia quæ scripturus sit, ut quamvis multa scripturus sit, nihil tamen quod non penitùs cognitum habeat atque perspectum. Hâc igitur parte *assecuto omnia à principio diligenter*, occurrit objectioni quæ fieri possit, quare, postquàm multi alii conati essent scribere, visum sit etiam ipsi conari, distinguitque se ab aliis illis, quòd ipse ab ipso rerum exordio intimè investigaverit et assecutus sit omnia, subindicans illos non adhibuisse quam debuerant diligentiam in investigando, nec fidem in scribendo, ac proinde pleraque non assecutos, aut certè non intimè et medullitùs, fabulas illi nugasque complures dederant, et veris falsa frequenter admiscuerant: nunc commenta sua, nunc populari duntaxat rumore cognita, pro certis et compertis prodiderant. Non arguit illos disertis verbis hujus vitii, sive fraudis aut negligentiæ, nec acriter in eos invehitur; fortè quòd nondùm publicè ab Ecclesiâ damnati essent, sed diligentiam rerumque certitudinem sibi vindicans, modestè illis abrogat fidem.

Ex ordine, cohærenter ad verbum, id est, distinctè et distributè, servato ordine congruo, non semper temporis et rerum gestarum quoad singula quæque, sed tamen quoad capita totumque historiæ complexum. Exorsus enim à conceptione Joannis et Jesu, pergit ad eorumdem nativitatem, deinde ad functiones singulorum, Joannis primùm, postea Jesu, tandem ad passionem Jesu et resurrectionem.

Scribere, de his, non omnia, sed «eligendo de «omnibus,» inquit Augustinus, «unde faceret sermo«nem, quæ judicavit apta et congrua sufficere officio «dispensationis suæ;» lib. 4 de Cons. Evang., cap. 8: «Assecuto omnia,» habet Ambrosius, «visum est «scribere, non omnia, sed ex omnibus. Non enim «scripsit omnia, sed assecutus est omnia, quia quæ «fecit, inquit, Jesus, si scribantur omnia, nec ipsum «capere mundum arbitror.» Hæc Ambrosius.

Optime, præstantissime, non enim à moribus, sed à robore aut excellentiâ, dicuntur nomina Græcum

addit autem, *omnia;* tametsi assecutus esset omnia quia elegit ex omnibus ea quæ judicavit apta, et sufficere officio dispensationis suæ, inquit August., lib. 4 de Consensu Evang., c. 8, qui propterea notat lib. 3, c. 5, Evangelistas multa novisse, quæ non scripserunt; ut ita diversa in Evangelio singulorum gratia refulgeret, et propriis quibusdam singuli libri mysteriorum, gestorumque miraculis eminerent, inquit Ambrosius. Optime Theophile. Multi veteres, Amb. Epiphan., hæresi 51, et Origen., Hom. 1 in Luc., putant *Theophilum* nomen commune esse, prout significat eum qui diligit Deum, vel, ut alii, qui diligitur à Deo; sed epithetum adjunctum, et versus primus, cap. 1 Actorum satis indicant fuisse peculiarem hominem, quis autem fuerit, non constat. Nam quamvis quibusdam videatur ille fuisse, qui apud Nicephorum, l. 3, c. 25, ponitur sextus Antiochenus episcopus ætate tamen videtur posterior. Quisquis fuerit, in dignitate fuit constitutus et illustris; ut probat honorificus ille titulus, *Optime;* quo et Paulus appellat Felicem ac Festum, Judææ præsides, quibus fuisse titulum peculiarem ex eo patet, quòd et Claudius Liyzeas scribat Felici optimo præsidi. Tam honorificus autem erat, ut Dio in Trajano testetur, nullum ei gratius fuisse, quàm cognomen *Optimi;* unde *Optimates* dicti sunt. Tali ergo viro inscripsit Lucas Evangelium suum, et librum Actorum, ut illud nomine ejus insignitum à multis legeretur, minùsque haberet invidiæ et periculi et plus gratiæ; denique propter rationem, quam ipse Lucas dat.

et Syriacum. Itaque vertas, fortissime, strenuissime, sed simpliciùs excellentissime, aut certè optime, si ad optimatis significationem respicias. Epitheton consuetum attribui, ab hoc evangelistâ, viris principibus magnæque auctoritatis, præsidibus Judææ Festo et Felici, Act. 23, v. 26, et 24, v. 3, et 26, v. 25.

Theophile. Theophilum interpreteris amicum Dei vel amantem Dei; sed hìc esse nomen proprium, vel epitheton additum declarat. Quis autem fuerit iste Theophilus et Cujas, incertum est; hoc tantùm liquet, fuisse primarium virum, aut etiam principem, christianâ fide nobilem, beati Lucæ non tam discipulum quàm familiarem, utpote cui utrumque librum suum, et Evangelii et Actorum apostolorum (Act. 1, v. 9) dedicaverit; non quòd illi soli eos scripserit, sed eo consilio, verisimile est, ut ejus nomine et auctoritate commendati, à multis legerentur, minùsque invidiæ ac periculi subirent. Nam neque Apostolus Paulus, illis solis scripsit Epistolas suas, quibus inscripsit, sed omnibus.

Vers. 4. — Ut. Hìc finis Lucæ Evangelium scribenti propositus fuit.

Cognoscas, agnoscas, recognoscas. « Attende, in« quit Theophylactus, quod dicit, ἐπιγνῷς, agnoscas, non « γνῷς, cognoscas aut scias, hoc est, secundò majorem « accipias scientiam. » Recognoscas tu aliique tecum, in scripto meo tanquàm in speculo. Verisimile est, Theophilum, in iis in quibus agebat partibus, nullum ante hoc Lucæ legisse aut vidisse Evangelium scriptum quo niti posset, nisi fortè pseudoapostolorum, quibus fides à probis Christianis non adhibebatur.

Eorum verborum, id est, earum rerum. Quod enim mox dicit πραγμάτων versu primo, hìc dicit λόγων, phrasi Hebraicâ, quali infra 2, v. 15: *Et videamus hoc verbum quod factum est.*

De quibus eruditus es, de quibus catechizatus es, id est, quæ hactenùs vivâ voce doctus es, sive ante sive post Baptismum. Κατηχεῖν apud Paulum et Lucam significat, christianæ religionis elementa mysteriaque vivâ voce docere, Gal. 6, v. 6, unde dicti κατηχουμενοι *catechumeni* in primitivâ Ecclesiâ, candidati baptismatis, quòd ante Baptismum docerentur vivâ præceptorum voce prima fidei christianæ principia. Opponit autem hic Lucas τὸ κατηχῆθης, ei quod præcedit γράψαι scribere.

Veritatem, certitudinem, securitatem, soliditatem, non labascentem firmitatem, ut ea verba verissima ac securissima, quæ antehàc vivâ voce doctus es, scripto tradita agnoscas æquè verè ac securè. Substantivum, *veritatem*, loco adjectivi est simul et adverbii. Non enim vult evangelista, rebus illis per se verissimis ac solidissimis (quas mox vocaverat plenissimæ perfectissimæque fidei res, quippe traditas ab iis qui ipsi viderant et ministri fuerant sermonis) certitudinis securitatisve aliquid scribendo addere; sed vult ut Theophilus verissimas illas ac solidissimas res, quas verbo sive sermone hactenùs cognoverat, jam scripto recognoscat, libro inscriptas legat, quas solo auditu didicerat; et quanquàm latiùs scriptas, et ad historiæ rationem ordine longè latèque expositas, verissimè tamen et securissimè scriptas, alienissimè ab omni lapsûs mendacii errorisque periculo, quale in aliorum quorumdam libris id temporis suberat. Hæc igitur fuit Lucæ causa Evangelium litteris mandandi, ut Theophilus cæterique ejus temporis Christiani, qui res evangelicas ad id usque temporis ex præceptorum ore acceperant, tandem fideli scripto digestas eas legentes, tanquàm in speculo sibi repræsentatas agnoscerent, *et agnoscentes,* quod ait Euthymius, *vehementiùs sermonum fidei certitudine raperentur.* Non parùm enim et utile et volupe est res magni momenti quas ex aliorum ore didiceris, tandem scripto traditas legere et recognoscere posse ubi volueris, et quidem securè, quanquàm latè historicèque narratas, quippe à diligenti et fide digno auctore scriptas, qui nihil falsi incertivè admiscuerit. Nam præterquàm quòd memoria hâc ratione juvatur ac renovatur, accedit quædam sententiæ prioris confirmatio, et crescit animi voluptas, agnoscentis in litteris permanentibus, quæ priùs cognoverat in solis verbis pereuntibus.

Vers. 5. — Fuit, vixit, floruit. Orditur historiam Christi Lucas à principio, ἄνωθεν, sursùm, altè, quod

Vers. 4. — Ut cognoscas, id est, agnoscas seu recognoscas, scilicet tanquàm in speculo, eorum verborum, seu rerum, de quibus eruditus es, Græcè catechizatus, seu de quibus vivâ voce institutus es, veritatem, firmam scilicet certitudinem, ut Græca vox sonat. Non enim parvæ utilitatis et voluptatis est res magnas, quas vivâ voce didicerimus, etiam scripto historicè et cum summâ fide à dignissimo auctore traditas, recognoscere, et ordine legere, cùm voluerimus.

Vers. 5. — Fuit in diebus Herodis, illius primi, qui filius Antipatri fuit, et ab industriâ, ac felicitate, rebusque gestis *Magnus* dictus est. Regis Judææ, totius prout terram totam duodecim tribuum complectitur. Regnum istud acceperat à Romanis, invitisque Judæis tenuit; quem tamen sub finem regni in legitimum regem susceperunt, circa quod tempus Joannes Bptista et Christus nati sunt. Hujus Herodis filius Herodes etiam dictus tantùm tetrarcha fuit, qui Joannem Baptistam occidit. Sacerdos quidam nomine Zacharias, non summus, qui præerat omnibus, quamvis August., tract. 49 in Joan., et alii nonnulli hoc putaverint, sed unus de vice Abia, id est, de classe et familiâ sacerdotum illorum, quorum caput erat Abias. Nam cùm filii Aaron sacerdotes in magnum olim excrevissent numerum, ita ut simul in templo servire non possent, ne inter fungendum sacerdotio esset confusio, divisit eos David in viginti quatuor classes, ordines seu familias, quæ per vices suas ministrarent in templo, factâ sortitione, quænam esset classis prima, secunda, tertia, etc. Sors autem octava cecidit in Abiam. Hujus divisionis mentio fit 1 Paralip. 24, et apud Josephum, lib. 7 Antiquit., c. 11, ubi dicit unamquamque classem seu familiam ministrâsse Deo per dies octo, à sabbato usque ad sabbatum, quod satis insinuatur etiam 2 Paralip., c. 23, vers. 8. Zacharias igitur erat de familiâ seu classe eorum sacerdotum, quorum vices ministrandi erant octavo loco; nam divisionem illam durâsse ad sua usque tempora, idem Josephus testis est. Et uxor illius de filiabus Aaron; pari scilicet cum marito nobilitate, quia uterque erat de stirpe sacerdotali. Nam alioquin licebat

promiserat, suprà v. 3, nimirùm à parentibus præcursoris Christi.

In diebus, id est, tempore, phrasi Hebræâ.

Herodis. Tempus annotavit, quo regnum Judaicum alienigenus Herodes occupabat, religione proselytus, natione Idumæus, genere plebeius et subjectus regibus, non tantùm ob historiæ certitudinem, quantùm ob rei cum tempestate concentum; tunc enim Christus juxta vaticinia exspectandus erat, quando ablatum esset à Judâ et Israele sceptrum ac jus omne legum condendarum, Gen. 49, v. 10. Antipater Idumæus, vir pecuniosus, industrius, et factiosus, familiaris redditus Hircano, ultimo Judæorum ex Assamonæorum (quos nos Machabæos dicimus) genere regi, leni illi adeòque vecordi; administrationibus ac legationibus publicis sub ipso Hircano feliciter obit's, ad tantam demùm auctoritatem evectus est, ut non tam rex Hircanus, quàm ipse Antipater ejusque filii Phasaelus ac Herodes Israeli dominarentur; è quibus Herodes, audaciâ, calliditateque eò tandem profecit, ut magnorum omnium inierit gratiam, præsertim verò Romanorum, et regnum, priùs quidem ab Antonio, deinde et ab Augusto, accedente senatusconsulto, impetrârit. Hæc Antiquitates Josephi. Ab Augusti igitur donatione regnavit Herodes annis triginta septem; anno autem regni ejus vicesimo nono inchoato (quod docet in Apparatu ad Annales ecclesiasticos Cæsar Baronius, nobilis nostri temporis historiographus), natus est Jesus Christus, Davidis filius, paternum regnum restituturus : quod non à Judâ tantùm, sed et prorsùs ab Israele abstulerat iste, atque adeò abstulerat, ut et omnes regii generis et ipsos regni consiliarios, judices, ac legislatores abstulerit.

Regis, τοῦ βασιλέως illius qui rex fuit Judææ, totius duodecim Israeliticarum tribuum terræ; sic enim nonnunquàm accipitur Judæa in novo Testamento, quia eo tempore tota ea regio à Judæis habitabatur; omnes enim Judæi vocabantur, etiamsi non omninò omnes essent è tribu Juda. Iste Herodes, Antipatri filius, dictus Herodes primus, senior, magnus, Ascalonita, tanquàm Ascalone civitate Philistæorum natus, qui pueros interemit ut Christum puerum perderet, rex fuit universæ duodecim Israeliticarum tribuum terræ: filius ei homonymus, Herodes Antipas vocatus, qui Christi præcursorem sustulit, Christoque illusit, fuit tetrarcha Galilææ et Peræ (Luc. 3, v. 1) nepos ejus ex filio Aristobulo, eodem nomine, Herodes Agrippa cognominatus, qui Jacobum Joannis apostoli fratrem occidit, et Petrum in vincula conjecit, divinâque ultione à vermibus consumptus est, rex Traconitidis, Ituræ, et Abilinæ primùm (Joseph., lib. 18 Antiq., cap. 8), deinde etiam Galilææ ac Peræ (cap. 9); tandem Judææ quoque ad Samariæ, Claudio imperatore adjiciente, quòd olim ad ejus avi Herodis regnum pertinuissent, lib. 19, cap. 4. Primi igitur illius Herodis magni, regis Judææ, illiusque jam senis, temporibus natus est Christus. *Meminit autem regis Judæorum,* ait Titus, *quià ea litteris mandat, quæ apud Judæos contigerant.*

Sacerdos unus quidam, non summus, tametsi ea sit veterum quorumdam sententia, nominatim Ambrosii. Summus enim præerat omnibus, hic verò erat de vice Abia, et quidem sorte cum collegis vicis suæ jactâ, certum templi ministerium obibat, quod mox patebit.

Zacharias, filius Barachiæ, cujus mentio est Matth. 23, v. 34; ea est enim vero simillima sententia. Zachariam autem interpreteris memorem Dominum vel Domini.

De vice Abia, de vice illius classis sacerdotalis, cujus princeps Davidis tempore fuerat Abias. Syrus, *ex ministerio domûs Abiæ.* David suo tempore considerans, numerum sacerdotum, nepotum, inquam, Aaronis, in immensum excrevisse, ita ut simul omnes eodem tempore sacerdotali munere fungi haud possent; ad evitandam in templi ministerio dissensionem, confusionem ac turbam, simul cavere volens ne paucis totum munus ad se trahentibus, major pars domi otiosa sederet; partitus est eos in viginti quatuor familias, ordines, seu classes, sub. 24 principibus; qui et ipsi principes sacerdotum vocantur, constituens ut familiæ illæ per vices servirent in templo, et vicissim sibi mutuò in functiones sacerdotales succederent, idque hebdomadatim (verisimile est) à sabbato uno ad aliud usque, quòd non obscurè intelligendum dat secundus Paralipomenon liber, capitis 23 versu 8; et clarè Josephus docet septimi Antiquitatum capite 11, ubi ait de Davide loquens : *Sacerdotum viginti quatuor cognationes invenit, instituitque ut unaquæque cognatio ministraret Deo per dies octo, à sabbato usque ad sabbatum.* Hæc Josephus. Porrò ut et inter familias seu cognationes illas certus ordo esset, jussit David sortem mitti, cujus familiæ vices forent primæ, cujus secundæ, etc., *ita ut ea familia foret prima, cujus sors exiret prima, ea secunda cujus secunda, deincepsque usque ad vigesimam quartam;* verba sunt Josephi. Cecidit autem sors prima in Jojarib, secunda in Jedei, octava in Abiam, ita ut vices ministrandi coram Domino in officio sacerdotali octavo loco, essent Abiæ et eorum quorum ipse caput seu princeps fuerat ordinatus. Hæc manifesta sunt ex primi Paralip. c. 24, quibus addit Josephus loco jam dicto : *Quæ quidem divisio durat usque in hodiernum diem.* Hic Zacharias igitur erat de familiâ seu ordine eorum sacerdotum, quorum octavo loco erant vices ministrandi in templo, quibus tempore Davidis præfuerat Abias. Quocirca Theophylactus : *Ostendit,* inquit, *quòd ex ordine et hebdomadâ Abiæ fuerit,* cui Titus et Euthymius adstipulantur, vicem interpretantes hebdomadarium ministerium. Non enim erat necessariò Zacharias ex stirpe Abiæ, sed tamen ex stirpe vel Abiæ, vel alterius ex eis qui sub Abiâ

Zachariæ de quâvis tribu uxorem ducere, etsi de tribu Levi non cogebatur ducere filiam sacerdotis. Unde Ambr. : Non solùm à parentibus, sed etiam à majoribus sancti Joannis nobilitas propagatur, non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis.

fuerant recensiti; quorum quis Herodis tempore princeps seu caput fuerit, hicne Zacharias, an alius, incertum est.

Uxor illius. Sub veteri lege, quæ et rudior erat, et magnam posteritatis rationem habebat, sacerdotibus non erat quidem prohibitum conjugium, sed tamen usus conjugii quando suis vicibus ministrabant in templo, id quod patebit infra v. 23.

De filiabus, ex numero filiarum, ex progenie, ex posteris *Aaron*. Ut maritus ex filiis Aaron, ita uxor ex filiabus Aaron, marito digna conjux. Non poterant sacerdotes quasvis ducere uxores, quia non meretrices neque repudiatas, prout cavetur Levit. 21, v. 7; sed poterant ex quâvis aliâ tribu ducere; et si de tribu Levi vellent, non adstringebantur ducere filiam sacerdotis, poterant alicujus Levitæ. Ex pari igitur conjugio, apparet Zachariam in suo ordine non fuisse vulgarem. « Demonstravit evangelista, inquit Euthymius, quòd Præcursor à sacerdotali descendit tribu, non secundùm patrem tantùm, sed etiam secundùm matrem, et utrinque sacerdotalis erat. Quare, infert Ambrosius, non solùm à parentibus, sed etiam à majoribus, sancti Joannis nobilitas propagatur, non seculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. »

Elisabeth, mediâ litterâ *schin*, ultimâ *ain*, prout scribit Syrus, significat Dei juramentum; ultimâ *teth*, significat Dei virgam, sceptrum seu dominium; ultimâ *tau*, significat Dei quietem. Dominus Deus memor juramenti sui, hos conjugio inter se copulavit, quò tandem sceptrum domûs David erigeret, et quietem suis largiretur, *ut sine timore de manu inimicorum suorum liberati, servirent illi in sanctitate*, etc.; infrà v. 69, 74.

Vers. 6. — Justi, id est, acceptâ olim remissione peccatorum, præditi mundo ac sancto corde, amante bonum atque odiente malum. Hæc est interior justitia, inhærens animo, à quâ homines justi denominantur.

Ambo. Sicut nobilitate generis, quæ corpus potissimùm tangit, ita justitiâ et sanctitate, quæ animum præcipuè ornat, conjuges isti pares fuêre : procurante hoc divino consilio, ut is qui Christo venturo perhibiturus esset testimonium, esset ipse numeris omnibus populo Judæorum commendatus, non à se tantùm, sed et à parentibus ac majoribus.

Ante Deum. *In facie*, id est, in conspectu, in oculis Dei, coram Deo, Deo, qui non fallitur, teste ac judice. Opponit evangelista *coram Deo*, huic, *coram hominibus*, et significat duo quædam : unum quòd conjuges isti non contenti fuerint externâ larvâ justitiæ, satis habentes hominibus se probare, modò ab hominibus justi haberentur, quòd est hypocritarum; sed quòd Deo in primis placere studuerint, ipsiusque Dei, qui corda novit, judicio justi fuerint, quod est alterum. Annotant hæc duo, veteres omnes; inter Latinos Ambrosius, cujus verba sunt : *Non omnis qui justus est ante homines, justus est ante Deum. Aliter vident homines, aliter Deus; homines in facie, Deus in corde.* Inter Græcos Titus : « Justum esse ante Deum, id demùm solidæ perfectæque laudis est, inquit; solus namque Deus est, qui hominum corda exactè perspecta habet. Etenim secundùm æternam faciem, multi coram hominibus habentur justi, qui tamen propter latens in pectore venenum, non sunt ejusmodi. » Jam si Dei judicio, si in conspectu Dei scrutantis corda, justi fuerint Zacharias et Elisabeth; verè igitur et solidè justi fuerunt, non indulgenter tantùm atque imputativè, quod Calvinus contra evangelistam hìc docet. Nec enim ignorantia Deum decipere, nec personæ acceptio aut favor adducere potest, ut aliud testetur aut judicet quàm quod res habet; omninòque quale quid est in conspectu Dei, tale verè et solidè est. Quare Apostolus frequenter, volens dicere, verè aliquid et sincerè, omninòque ita se habere; *ante* vel *coram Deo* dicit, 2 Cor. 2, v. 17; Gal. 1, v. 20; Coloss. 1, v. 22, etc.

Incedentes, conversantes, *ambulantes*, ut alibi loquitur Scriptura, quæ mandata Dei viam vocat non semel, ut intra quorum fines continere se homo debeat, ita ut nec ad dexteram, nec ad sinistram deflectat : legatur Psalmus 118. Quod autem dicit evangelista, *incedentes*, intelligit, *observantes;* nec enim incedit in mandatis Domini, nisi qui ea observat.

In omnibus. Non sufficit quædam mandata servare, nisi omnia serves, ad hoc ut sis justus. *Qui offendit in uno, fit omnium reus*, Jac. 2, v. 10, et amittit justitiam, si ante obtinebat. Calvinus hìc nihil minùs quàm evangelistam mentitum dicit : « Neque enim ideò justi dicuntur, inquit, quòd omnia legis præcepta observaverint, sed quòd recepti in gratiam Dei, placuerint ei, æstimaveritque opera illorum paternâ indulgentiâ, non summo rigore, etc. An verò potuit quis unquàm legem implere? aut num homo justus censeatur ob unum aut alterum sanctum opus, reliquis vitæ operibus legis transgressor? plus quàm absurdum est, etc. » Docet neminem posse observare omnia Dei mandata, nec tantùm non omnia, sed ne unum quidem; sic enim concludit paulò post : « A justificatione igitur fidei proficisci-

Vers. 6. — Erant autem justi ambo ante Deum. Quo significatur quidquid in eis fuerit justitiæ, non fuisse ad homines simulatum, inquit Aug., l. 2 ad Marcellinum, c. 13, sed justos fuisse verâ justitiâ, quæ est ex fide, coram oculis Dei intimos cordis recessus penetrantibus. Itaque evertitur hìc figmentum Calvini, tribuentis eis tantùm justitiam imputativam; quod enim in oculis Dei tale est, hoc reverà et solidè tale est, quia decipi nequit. Justitia verò intelligitur generalis, prout omnem virtutem complectitur, in habitu animi sita, quem à creaturæ dilectione avellit et affigit Deo. Unde effectum, imò et causam talis justitiæ explicans adjicit : Incedentes in omnibus mandatis. Non enim sufficit quædam observare, quibusdam neglectis, sed omnium observatio ad justitiam necessaria est. Et justificationibus Domini, quas quidam ita differre à mandatis volunt, quòd justificationes ad religionem, mandata ad mores pertineant : sed reverà videntur eædem esse, quæ mandata, ut ex Psal. 118, patet, sæpiùs videntur confundi : nam vox Hebræa *Chuckim*, quam Septuaginta ibi vertunt *justificationes*, significat *Statuta*. Vocantur autem *justificationes*,

« tur, ut opera, impura alioqui, immunda, dimidiata, « indigna Dei conspectu (nedùm amore) justitiæ imputentur. Justi ergo Zacharias et Elisabeth, quòd « Deus non imputaverit eis peccata ; nam et suis vitiis « laborabant. Deus autem obedientiam eorum, etsi « esset inchoata, acceptam habuit, quòd propositum « ipsorum esset servire Domino. » Hæc prolixiùs idcircò recitavi, ut observet lector quàm consonet Calvini Commentarius Lucæ Evangelio quod explicat, illo studiosè minuente, imò abolente laudem, quam hic attribuit Zachariæ et Elisabeth. Sed ut non est mei instituti illum hìc refutare, ita hoc solum dicam, nec concupiscentiam pravam, nec peccata sine quibus justi hìc non vivunt, efficere ut opera eorum, alioqui bona, Deo displiceant, aut ut illis lex non observetur, quomodò præcepit Deus eam ab homine mortali observari. Neque enim mandatum simpliciter est homini mortali : *Non concupiscas*, sed : *Post concupiscentias tuas non eas :* neque præceptus est summus perfectionis justitiæ gradus, sed tamen aliquis, in quo Zacharias et Elisabeth excelluêre, evangelistâ teste, adeòque Deum testem citante.

Justificationibus. Prolixo illo psalmo 118, in quo unus solus est versus, in quo non fiat mentio legis Domini, variis sub nominibus ; quod passim Hebraicè legitur *huckim*, Græci interpretes vertunt δικαιώματα, quos hìc sequitur evangelista ; Latinus, *justificationes.* Alii vertunt *statuta*, et putant plerique à mandatis differre, quòd mandata ad mores pertineant, statuta ad religionem et cultum Dei. Beza hoc loco vertit *constituta;* quod quidem tolerabile esset si verteret ex Hebræo ; sed quid communi voce Latinæ *constituta* cum Græcâ δικαίωμα, quæ à δικαιοῦν, *justificare*, derivatur? « Vulgò solent, inquit, ad verbum « convertere justificationes : quam interpretationem « idcircò tantùm rejeci, ut hanc quoque occasionem « calumniandæ justificationis ex fide præciderem. » Itane fidus interpres tuis sensis Scripturam accommodas? Ego pro eisdem habeo mandata et justificationes Domini ; et idcircò posterius ab evangelistâ additum credo, ut ostenderet, quomodò declarârint se justos, adeòque justi fuerint hi conjuges ; nimirùm observatione mandatorum Dei. « Scito, ait Theophy- « lactus, quòd et mandatum justificatio nominari po- « test, utpote justum faciens hominem. » Atqui adversarii nullam operum justitiam agnoscunt, sed solam fidei : fide justificari nos docent, non operibus, secuti apostolum Paulum quod jactant. Si opera opponantur fidei, ita ut ex fide non oriantur, aut à fide sejuncta sint, profectò non justificant : *Sine fide enim impossibile est placere Deo;* fides fundamentum et radix est omnis justificationis. Sed si cum fide conjuncta sint, negari non potest quin justificent : *factores* enim *legis justificantur*, juxta Paulum, Rom. 2, v. 13 ; nam et Jacobus, cap. 2, v. 24 : *Vides*, ait, *quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm.* Cæterùm non ita justificant opera seu observatio mandatorum Dei, ut ex impio reddant justum ; quæ prima justificatio est, estque solius Dei opus, deletis peccatis infundentis justitiam in hominis animum, quem fide ac pœnitentiâ ad hoc reddiderit idoneum ; sed quòd infusa semel in hominis animum justitia, si edat illa actus aut opera suæ conditionis, non ulteriùs justificet hominem, nimis absurdum est. Justitia hìc intelligitur habitus animi, ferè idem qui virtus ; complectitur enim in se virtutem omnem ; hic ut otiosus esse non potest, ita tempore et loco exit in actus Deo gratos, tam internos quàm externos, fidei, spei, charitatis, observationis mandatorum Dei. Hi actus cùm ex habitu justitiæ oriantur, non possunt non esse justi, et factorem suum reddere justum, idque magis magisque ; quemadmodùm actus virtutis castitatis, quò frequentiùs iterantur, eò castiorem reddunt possessorem suum. Atque illud est quod Apocalypsis ait, cap. 22, v. 11 : *Qui justus est, justificetur adhuc ; et sanctus, sanctificetur adhuc.* Postquàm ergo evangelista dixisset hos conjuges intùs coram Deo fuisse justos, addidit quomodò justitiam illam suam declarârint, confirmârint atque auxerint, exercendo, inquam, se in justificantibus Dei mandatis.

Sine querela. Nomen interpres reddidit tanquàm adverbium, quod est, ita ut nemo jure de ipsis conqueri, aut quid in ipsis reprehendere posset. Non ait *sine peccato*, sed *sine querelâ*, quod est, sine crimine, interprete D. Augustino post medium tract. 42 in Joannem : « Nulla enim querela justa est de iis in « rebus humanis, qui non habent crimen, inquit ; « crimen autem est peccatum grave, accusatione et « damnatione dignissimum. » Rursùs Epist. 95 : « Non « qualecumque, inquit, etiam tentationis humanæ, « sed grave peccatum est quod in querelam venit. » Nam sine levibus peccatis nemo hanc vitam agit, ob quæ quotidiè debeat orare : *Dimitte nobis debita nostra :* quanquàm isti et à levibus peccatis sic abstinuisse sint intelligendi, ut proximos non facilè offenderint, omnibus grati et chari. Nempe « providebant « bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram om- « nibus hominibus, » Rom. 12, v. 17, justi et ante Deum et ante homines. Ea enim demùm absoluta justitia est, *ubi et mentis bonitas concordat et facti*, quod ait Ambrosius.

quòd earum observatione homo se justum ostendat, justum conservet, et magis magisque justificetur, juxta illud Jacobi 2, v. 24 : *Vides quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm.* Unde Paulus ad Rom. 2 : *Factores legis justificabuntur.* Sine querela, ita ut nemo de illis justè conqueri posset, etsi non viverent sine peccatis. Non enim qualecumque etiam tentationis humanæ, sed grave peccatum est, quod in querelam venit, inquit August., Epist. 95. Unde, tract. 42 in Joan., *sine querelâ* intelligit sine crimine. Nulla quippe querela justa est de iis qui non habent crimen, hoc est, peccatum grave, inquit, accusatione et damnatione dignissimum. Quis enim justè queratur de homine, qui nemini malè vult, et quibus potest fideliter consulit, nec contra cujusquam injurias tenet libidinem vindicandi, etsi pro quotidianis delictis veraciter dicat : *Dimitte nobis debita nostra?* ut explicat in l. de Perfect. justitiæ.

Vers. 7. — Et, pro, *sed*, cæterà beati erant, sed orbi, quod probro vertebant homines, et tristitiæ ipsis causa erat. Habebatur eo tempore quædam Dei maledictio, nullos ex conjugio referre liberos; quamvis non infrequens conjugibus justis, singulari ferè Dei consilio; quod Scripturâ passim testatur.

Filius, τέκνον, proles.

Non erat, nec erat habendi spes, *eò quòd*, etc.

Sterilis, naturâ. Fuerat etiam in flore ætatis sterilis.

Processissent. Græcè, *provecti*.

In diebus suis, ætate. Duplex causa orbitatis, una quòd uxor naturâ esset infœcunda, altera quòd quo tempore acciderunt quæ proximè narrantur, maritus et uxor provectæ essent ætatis, excessissent dies seu ætatem quibus consueverunt homines generare: quemadmodùm Abraham et Sara, Genes. 18, v. 11. Quæ duæ causæ faciunt ad commendandam eam quæ sequitur generationem præcursoris Christi, quòd non tam ex hominibus genitus, quàm è cœlo à Deo datus fuerit.

Vers. 8. — Factum est autem. Hæc orationis forma frequens est apud Lucam, pro *accidit*, sumpta ex Hebræâ *vaihi*.

Cum sacerdotio fungeretur, scilicet Zacharias, quod manuscripta nostra addunt, alii verò libri omittunt; hoc est, cùm oporteret eum fungi, obire sacerdotalia munia; nimirùm, cùm vices in orbem recurrentes, ad sacrorum administrationem vocâssent classem Abiæ.

Ante Deum, coram Deo, in templo Dei.

Vers. 9. — Sacerdotii, functionis sacerdotalis, est enim nomen ab eo verbo quod versu superiore interpres rectè vertit sacerdotio fungi.

Sorte exiit, sorte accidit, sorte ipsi obvenit. Quidam conjiciunt legendum esse, *sors*, primo casu. Interpres respexisse videtur ad vulgarem illum sortium morem, quo ex urnis extrahuntur. Græcè est, *sortitus est*, sorte consecutus est hoc munus. Syrus nihil aliud habet quàm *metohi* obvenit ei.

Ut incensum poneret, etc., thymiama incenderet, suffimentum faceret; Syrus, *ut componeret suaves odores*. Duplex erat eo tempore sacerdotum consuetudo, una ex convento seu pacto, ut quemadmodùm olim Davidis tempore sortiti fuerant quis esset ordo classium sacerdotalium in ministrando, ita nunc illi qui ejusdem erant classis, cùm vicis ipsorum esset ut ministrarent, inter se jacerent sortem, quis quod ministerium ex variis sacerdotum officiis obiret, quis incensum adoleret, quis holocaustum offerret, quis pacifica, quis manè, quis vesperi, quis hoc, quis illo hebdomadæ suæ die, etc. Altera consuetudo ipsâ lege præscripta erat, ut quotidiè manè et vesperi cùm lucernæ appararentur, sacerdotum aliquis (nec enim erat illud solius summi Pontificis), prunis ex altari holocaustorum acceptis, incenderet et offerret thymiama seu incensum, Exod. 30, v. 7, 8. Erat enim peculiare ad hanc rem Dei jussu extructum altare, Exod. 30, v. 1; in quo certi generis thymiama, quod est, incensum seu suffimentum, descriptum ejusdem capitis versu 34, offerretur nec posset aliud quid offerri, ibidem v. 9; quippe distincto ab altari holocaustorum. Quod ergo dicit evangelista *secundùm consuetudinem sacerdotii*, et ad sortem refertur, et ad incensi oblationem; cùm enim consuetudo exigeret ut et incensum adoleretur, et sorte designaretur quis è sacerdotibus id esset facturus, accidit hoc tempore, ut sorte jubente (rectâ haud dubiè à Dei providentiâ) id esset Zachariæ, adeòque ut offerret ille incensum.

Ingressus in templum Domini. Templum hìc intelligitur interius, quod solùm tecto coopertum erat, continebatque sanctum et Sanctum sanctorum. In atrii sacerdotum medio situm erat altare holocaustorum: ipsum verò atrium Occidentem versùs terminabatur templo interiori ejusque vestibulo, id est, ex ipso per vestibulum ingressus erat in templum interius continens sanctum et Sanctum sanctorum. Altare holocaustorum sub dio erat, situm ante vestibulum templi interioris: altare verò thymiamatis erat in priori parte templi interioris, in sancto, inquam, collocatum ante velum quo dirimebantur sanctum et Sanctum

Vers. 7. — Et non erat illis filius, eo quòd esset Elisabeth sterilis; naturâ scilicet etiam tum, cùm esset in flore ætatis; et ambo processissent in diebus suis, id est, senes essent. Duplex ergo tangitur causa orbitatis, naturalis infecunditas uxoris, et utriusque senectus. Nam si in summam ducti amborum conjugum anni centenarium numerum excesserint, dicuntur non posse filios procreare, etiamsi mulier non sit sterilis, ut notat August., lib. 3 contra Julianum, c. 11.

Vers. 8. — Factum est autem cum sacerdotio fungeretur, muniis scilicet sacerdotalibus, in ordine vicis suæ, id est, in illà septimanâ, quâ recurrentibus in orbem vicibus, juxta constitutionem Davidis, classis Abiæ vocabatur ad ministrandum. Ante Deum, id est, in templo Dei, ubi Deus habitare censebatur in Sancto sanctorum.

Vers. 9. — Secundum ordinem sacerdotii, id est, prout moris erat inter sacerdotes, sorte exiit, ut incensum poneret, id est, sorte obtigit ei hoc munus. Itaque consuetudo illa non refertur ad illas vices, de quibus vers. 8, seu ad sortitionem illam, quam olim David fecerat, vices distribuendo, ut putavit Beda; sed ad illam, quâ sacerdotes unius vicis sorte designabantur, quis quod ministerium obiret, itemque ad oblationem incensi seu thymiamatis, quod unus sacerdotum quotidiè mane et vesperi in altari thymiamatis ex lege offerre cogebatur. Ergo sorte obtigit ut hoc faceret Zacharias. Ingressus in templum Domini, id est, illam templi partem, in quâ erat altare thymiamatis. Hoc autem stabat in parte anteriori, quæ vocabatur Sanctum, seu sanctuarium, quod velo dirimebatur à Sancto sanctorum, ubi tempore Salomonis arca collocata erat. Itaque nullo modo hinc colligitur, Zachariam fuisse summum sacerdotem, ut multi veteres putaverunt; tum quia dignitatem illam non tacuisset evangelista; tum quia incensum in altari thymiamatis offerre quibuslibet sacerdotibus licebat, ut patet Exod. 30, v. 19 et 20. Nec summus sacerdos juxta ordinem vicis per septimanas ministrabat; nec habitare solebant in montanis Judææ, sed Jerosolymis; denique quia nulla apud Josephum Zachariæ istius tanquàm summi sacerdotis fit mentio.

sanctorum; ex opposito arcæ, quemadmodùm intelligere licet ex illo Exodi loco, cap. 30, v. 6. In quam templi partem, non solùm summus Pontifex, sed quivis sacerdos ingredi, et thymiama adolere, aliaque opportuno tempore facere poterat; tametsi Zacharias solus jam in sancto fuisse videatur.

VERS. 10. — POPULI, præsentis. Ita paratum erat publicum testimonium consequenti visioni.

ERAT ORANS, orabat, preces suas sacerdotis sacrificio jungebat, ut quod pro totius populi salute offerebatur, Deus ratum habere dignaretur.

FORIS, extra templum interius, quò non erat fas eos introire; loco sibi proprio, in atrio, inquam, quod dicebatur atrium Israelis, eratque proximum ab atrio sacerdotum. Hoc cæteraque atria sub dio erant, nisi quòd porticus haberent à lateribus.

HORA INCENSI seu thymiamatis, quod est Græcè, id est, interea dùm incensum seu suffimentum intùs à sacerdote offerretur.

VERS. 11. — APPARUIT, visus est, subitò præterque exspectationem apparuit. Non hominum more ingressus est, sed repentè se conspicuum exhibuit. « Benè apparuisse dicitur ei, ait Ambrosius, qui « eum repentè conspexit. Nam qui antè non præsen« titur, sed repentino videtur aspectu, apparere me« moratur. » Apparuit autem, humanâ formâ, haud dubium.

ILLI, *Zachariæ*, quod addit Syrus, incensum offerenti, ut qui tunc cùm sacris operaretur, aptissimus esset ad excipiendam cœlestem legationem, existens nimirùm animo, vacuo quidem humanarum rerum curis, collecto autem in Deum.

ANGELUS DOMINI, ita ut angelum Domini esse cognosceret.

STANS, adstans, tanquàm minister.

A DEXTRIS, *quia prospera et bona nuntiaturus venerat*, inquit Euthymius; *quia divinæ insigne misericordiæ deferebat*, ait Ambrosius.

ALTARIS, ut ostenderet se missum à Deo, cui Zacharias eo in altari sacrificabat.

INCENSI, thymiamatis, quod est Græcè. Ut suffitus ab arâ per aerem sursùm, cœlum versùs, ferebatur: ita pii sacerdotis oratio, ad Deum usque penetrabat, angelo in ejus rei testimonium è cœlis, sive è proximo Sancto sanctorum unde responsa dare Deus consueverat misso.

VERS. 12. — VIDENS, eo viso.

IRRUIT, incidit, magno timore correptus est. Notatur vehemens et tantus timor, quantus hominem quodammodò exanimet; qualis ille quo se Daniel affectum fuisse viso angelo scribit, cap. 10, v. 8: « Et « non remansit in me fortitudo, sed et species mea « immutata est in me, et emarcui, nec habui quid« quam virium. » Non quòd formidabile quidquam præ se ferret angelus, sed « quia homo earum virium non « est, ait Titus, ut ejusmodi peregrinum inusitatum« que visum, citra commotionem ferre valeat. Per« turbamur, inquit Ambrosius, et à nostro alienamur « affectu, quandò perstringimur alicujus superioris « potestatis occursu. » Ea est humanæ naturæ infirmitas.

VERS. 13. — NE TIMEAS. « Sicut humanæ fragilitatis « est, ait venerabilis Beda, spiritalis creaturæ visione « turbari: ita angelicæ benignitatis est, paventes de « aspectu suo mortales mox blandiendo solari. » Atque hoc discrimen esse inter bonum angelum et malum, annotant veteres tractatores plerique omnes, Græci et Latini, quòd bonus angelus, timorem quem primo suî aspectu affert, mox adimat, malus potiùs augeat. « Contra, addit Beda, dæmoniacæ est ferocitatis, quos « suî præsentiâ territos senserit, ampliori semper hor« rore concutere. » Non sine aliquo suî timore vult apparere bonus angelus, ne vilipendatur, quin potiùs ut exceptus, qualis angelo Domini debetur, reverentiâ, auscultetur et fidem impetret; sed timorem illum mox expellit aut temperat, ut serenâ mente minimèque turbato animo audiatur et intelligatur. « Abjecit animi illius timorem, inquit Euthymius, ut « sine turbatione audiret et animum adverteret ipsius « sermonibus. »

VERS. 10. — ET OMNIS MULTITUDO POPULI ERAT ORANS, preces suas sacerdotis sacrificio jungendo FORIS, in atrio scilicet Israelis, quod erat proximum atrio sacerdotum, et utrumque extra septa templi. HORA INCENSI; hoc enim mane et vesperi statâ horâ offerebatur, sicut et juge sacrificium, quò populus magno numero confluebat.

VERS. 11. — APPARUIT AUTEM ILLI. Quo verbo Ambros. significari vult, repentinum fuisse conspectum; quod maximè verum est in illis rebus, quarum naturæ est non videri, voluntatis autem videri; cujusmodi est natura Dei et angelorum. ANGELUS DOMINI STANS A DEXTRIS, tanquàm minister læta nuntiaturus, utpote qui divinæ insigne misericordiæ deferebat, inquit idem, ALTARIS, incensi. Ex quo etiam colligitur, Zachariam hoc loco non fuisse functum officio summi sacerdotis in Sancto sanctorum. Benè autem angelus et in templo, et juxta altare, et à dextris apparet, quia et veri sacerdotis adventum, et mysterium sacrificii universalis, cœlestis doni gaudium annuntiabat.

VERS. 12. — ET ZACHARIAS TURBATUS EST VIDENS; quia, ut Ambrosius ait, alienamur ab affecto nostro, quando perstringimur alicujus superioris potestatis occursu, sicut hoc notat de se Daniel, cap. 10, tit. 8: ET TIMOR IRRUIT SUPER EUM. Quo significatur fuisse vehementem, fortassis ex illâ Judæorum opinione natum, quâ vulgò putabant, se etiam angelo conspecto morituros, ut patet Judic. 6, vers. 22, 23 et 24; et Judic. 13, vers. 22, quanquàm Athanas. in Vitâ S. Antonii notet quòd metus non tantùm ex mali apprehensione, quantùm ex magnarum rerum sæpè incutiatur aspectu.

VERS. 13. — AIT AUTEM ANGELUS: NE TIMEAS, ZACHARIA. Notârunt enim veteres, Athanas., Hieron. in cap. 28 Matth., et Beda, angelicæ benignitatis esse turbatos aspectu suo blandiendo solari; contra verò dæmoniacæ esse ferocitatis, eos, quos sui præsentiâ territos esse senserint, ampliore horrore concutere. QUONIAM EXAUDITA EST DEPRECATIO TUA; quam pro filio obtinendo fudisti, inquit Maldonatus. Sed quid petierit, testatur illa celebris gratiarum actio, de quâ infra, et desperatio ejus de filio accipiendo, quæ patet v. 18. Itaque verisimilius est, deprecationem ejus fuisse, sicuti decebat sacerdotem, pro populi salute fusam, ut notat August., lib. 2. Quæst. evangelicarum, quæst. 1, et omnes penè veteres consentiunt. Nimirùm oraverat, ut ad salutem populi Messiam expectatum Deus mittere dignaretur; quam fuisse quotidianam veteris Ecclesiæ orationem, maximèque sacerdotum ex instituto sacris operantium, notat Euthy-

Ne timeas. Non est quòd timeas ob præsentiam et aspectum meî.

Zacharia. Proprio eum nomine compellat, tanquàm notum et familiarem, quo faciliùs timorem discutiat et benevolentiam conciliet.

Quoniam, quia nihil mali nuntii aut ominis tibi affero, imò verò bonum lætumque nuntium, quòd nempe *exaudita est* à Deo *deprecatio*, oratio *tua*. Ad hoc missus sum tibi apparere, ut certiorem te faciam orationis, quam cum incensi oblatione fudisti, exauditæ. Sicut thymiama quod incendisti, in aerem est elevatum, ita oratio tua ascendit in cœlum in conspectum Dei, Deoque accepta et grata fuit, magis quàm odor thymiamatis. Oratio ejus fuerat pro salute populi, quod veteres omnes docent; inter Latinos, Ambrosius, Augustinus, lib. 2 Quæstionum evangelicarum, cap. 1, Beda; inter Græcos, Chrysostomus, Homiliâ de Nativitate Joannis Baptistæ, Theophylactus, Titus, Euthymius. Oraverat nimirùm ut dignaretur Deus, Messiam diù promissum et exspectatum tandem mittere ad populi salutem; quæ erat quotidiana Synagogæ seu Ecclesiæ illius temporis oratio, et nominatim sacerdotum (Euthymio auctore) ex præscripto legis sacris operantium, quale erat quotidianum hoc sacrificium thymiamatis. Quod ergo ait angelus: *Exaudita est deprecatio tua*, tantùmdem est ac si diceret: Veniet brevi Messias Salvator populi, quem desideras.

Et, pro itaque. *Redemptionis ordinem pandit*, ait Beda, id est, adventûs Messiæ, quo ordine, quâ ratione is accidet, videlicet quòd ipse Zacharias brevi augendus sit filio, qui futurus sit proximus præcursor apparitorque Messiæ. Hùc spectant, conclusio verborum angeli, et celebris gratiarum actio Zachariæ. Quidam explicant *et* per *nam*, tanquàm pro sobole orâsset senex; quod multis modis est dissimile vero, quanquàm detur intelligendum Zachariæ, non negatum fuisse, sed ut congruo daretur tempore dilatum, quod olim pro filio frequenter oraverat. Similiter quod intelligit schola Chrysostomi, dari hìc signum exauditæ orationis; verum est quidem, quòd puerperium uxoris senis et sterilis, fuerit Zachariæ certissimum signum instantis adventûs Messiæ, sed non hoc præcipuè vult angelus hìc, cujus mens est aperire rationem, quâ Messias brevi venturus sit manifestandus.

Elisabeth, illa sterilis, et ut deploratæ sterilitatis mulier, inter infelices matronas numerata.

Pariet, gignet.

Tibi, ut patri, id est, tu gignes ex eâ. Dei juramentum conjunctum cum Dei memoriâ, peperit nobis Dei gratiam, infra v. 72 et 73.

Et vocabis nomen ejus, cujus nomen vocabis. Non tam prædictio est, quàm præceptio. Nomen ante nativitatem à Deo impositum semper argumentum præstantiæ fuit, quod omnes notant; et semper fuêre admirabiles, quibus rarus iste obtigit favor, *Salomon*, 1 Paral. 22, v. 9; *Cyrus*, Isai. 45, v. 3, 4; *Joannes Baptista*, Luc. 1, v. 13. Hic verò omnibus præcelluit, quippe Dei Filius. Probat igitur angelus cœlitùs conceptum, cui cœlitùs nomen imponitur. Nec aliunde imponendum fuit: nam præter Deum Patrem, nullus Christi dignitatem perfectè noverat, nullique ea erat in Christum auctoritas.

Joannem. Syrus *Jouhanon*. Gratiosum interpreteris; *hen* Hebræis et Syris gratiam, favorem ac misericordiam significat, estque ordinis duplicantium posteriorem litteram, deductum à verbo *hanan*, quod est, gratiosum esse, gratiâ afficere, misereri, largiri. Nomen datur à gratiâ, et certè gratiâ Dei, quanquàm id non exprimatur (falluntur enim qui putant primam syllabam *iou* aut *io*, extractam esse ex nomine tetragrammato, quæ solummodò formativa est nominis proprii) quòd Dei gratiâ, non vi naturæ nasciturus, Dei gratiâ tam in matris utero quàm totâ reliquâ vitâ, affatim esset cumulandus, adeòque gratiæ per Messiam humano generi à Deo obventuræ futurus proximus præco. Non tantùm enim gratia quâ privatim dignatus est illum Deus, hoc nomine commendatur, verùm ea etiam quam ipsius legatio allatura erat omnibus. Sæpè Deus iis quos ad res magnas delegerat, nomina imposuit iis rebus respondentia. Hic igitur futurus instantis Dei erga homines misericordiæ ac gratiæ nuntius, inde nomen accipit: ut certè non poterat non esse mirificè gratiosus, summæ gratiæ nuntius. Ab eâdem radice deductum est nomen feminæ proprium *Hanna*, quamvis Latinè absque aspiratione scribatur *Anna*.

Vers. 14. — Et erit ille filius tuus gaudium, materia gaudii, et quidem tanti, quantùm etiam foràs erumpat è corde tuo; id enim est exsultatio. Inprimis quòd olim desideratum conjugii fructum, cœlesti miraculo, præter spem et naturæ ordinem, sis consecutus: præcipuè verò quia intelliges, filium hunc tuum fore Prophetam Altissimi, qui præibit ante faciem Messiæ ad parandam ei viam, etc., infra v. 76.

Et. Nec tu solus, sed multi etiam alii, non cognati solùm ac vicini, verùm et extranei.

In nativitate, ob nativitatem ejus gaudebunt; non erit domesticum gaudium, quod se privatis ædibus contineat, sed extraneis etiam commune, qui publico bono natum, non vanis argumentis persuasi, augurabuntur; natum, inquam, esse prophetam, cujus

mius. Unde non subjungit, *quia uxor tua*, etc., ut ratio esse posset orationis pro filio obtinendo fusæ, sed Et uxor tua; q. d.: Itaque uxor tua quamvis sterilis pariet filium. Pandit enim ordinem et modum, quo Messiæ adventus futurus esset. Et vocabis nomen ejus Joannem. Quod nomen à *gratiâ* deductum est, quasi dicat, *gratiosum*, quia per gratiam parentibus datus gratiâ plenus, et gratiæ per Messiam dandæ

præco futurus erat. Notat autem Ambr. hoc habere merita sanctorum, ut à Deo nomen accipiant; nam in sacris litteris mutatio veteris nominis, vel novi anticipata impositio, semper aliquod mysterium continet, ut patet in nomine *Abraham*, *Isaac*, *Israel*, *Jesu*, et aliis.

Vers. 14. — Et erit, scilicet ille filius, gaudium tibi, id est, materia gaudii non vulgaris, sed tanti,

jus ministerio adducendi sint in spem salutis. Itaque publica populi lætitia, cum privatâ domûs tuæ gratulatione, copulabitur.

Erit enim; datur ratio quare nativitas hujus filii futura sit patri multisque aliis gaudio, quia videlicet cognoscent eum fore magnum, qualis reverà erit; simul etiam declaratur, quo modo eo ministro continget populo salus per Messiam.

Magnus, præstans, eximius; adeòque nec major eo inter natos mulierum. Quâ sententiâ, non æquari tantùm Joannes cæteris ante prophetis, sed et præferri intelligendus est; declarat enim Salvator quod priùs dixerat, *et plus quàm prophetam.* Major ergo propheta Joanne non surrexit, prophetandi inprimis docendique munere. Nam ministerio prophetandi de Christo, omnium prophetarum maximus Joannes censendus est, qui præsentem esse asseruit, quem alii sperandum confirmaverant, *cuique soli licuit*, ut Hilarius ait, *et prophetare Christum et videre.* Magnitudo ergo ad prophetandi docendique munus inprimis refertur : huic autem cùm cætera responderent, privilegia donaque quibus divinitùs auctus est, et vitæ quam duxit insignia, intelligendus est absolutè omnibus ante se prophetis, ac aliis omnibus proinde sanctis magnisque veteris Testamenti viris, tam vitæ sanctitate quàm sublimitate doctrinæ, esse prælatus. Tam præclaro autem elogio ornatur, ut attentiùs observent Judæi quam ille attulerat legationem, sciantque, fieri nequaquàm posse ut modò ab eâ variet.

Coram Domino, *in conspectu Domini;* Dei scilicet seu Christi. Hâc phrasi, hìc, non tam significatur veritas soliditasque magnitudinis, opposita inani speciei, ut supra, v. 6, veritas justitiæ opposita hypocrisi; quàm singularitas magnitudinis, quòd Dominus eum faciet magnum, quòd Dominus pretioso et unicè sibi charo ad magna utetur, quòd per eum geret magna negotia, ad quæ feliciter gerenda magnis etiam eum augebit donis. Hujusmodi phrasi dicitur esse magnus coram rege, quem rex ita cumulat opibus atque honoribus, ut ad magna gerenda eo utatur. *Erit* igitur *magnus* in ministerio et negotio Domini, magnus officio à Domino delegando, simul et donis gratiæ, officio congruis.

Et vinum. Explicat quibus rebus futurus sit magnus, iisque potissimùm quatuor; quarum duæ tangunt salutem populi, duæ propriam ipsius, quibus tamen ad salutem populi procurandam reddatur aptior. Prior quæ propriam ipsius salutem utilitatemque tangit, est, singularis temperantiæ donum, quâ à vino et sicerâ abstinebit.

Siceram. Græcè est σίκερα, qui est accusativus, à nominativo, vel masculino σίκερ, vel neutro σίκερα. Vox est Hebraica, quæ ad illum modum Hebraicè, ad hunc Syriacè et Chaldaicè terminatur; שכרא, שכר, significans potum omnem qui possit inebriare, deducta à radice Hebraicâ *sacar,* quæ est inebriare et ebrium esse; id omnes notant.

Non bibet, toto vitæ suæ tempore. Sacerdotes quamdiù agunt in tabernaculo Domini, jubentur abstinere à vino et omni potu qui possit sobrietatem adimere, Levit. 10, v. 9. Nazaræi similiter, quamdiù durant dies quibus ex voto Domino consecrantur, Num. 6, v. 3. His omnibus major Joannes, tanquàm perpetuus Nazaræus, Domino æternùm consecratus, et continuè ministrans sacerdos, quamdiù vivet rejiciet potum omnem qui possit ebrietatem inducere, contentus modico aquæ. Porrò sub potu angelus intelligit et cibum, cibum ejus fore non delicatum, non exquisitum, qui carnis lasciviam excitet aut foveat, sed contra qui domet, vilem eumque parcissimè sumptum. Hâc itaque inprimis parte, prædicitur Joannes fore magnus, quòd futurus sit temperantissimus cibi et potûs, ac nominatim potûs inebriativi. Ut enim difficilius est à potu abstinere quàm à cibo, ita magna res est et virtus singularis, *sobrietas,* dicta, quâ ita quis utitur potu inebriare valente, ut judicii serenitatem conservet. Quantò igitur major est virtus, hujusmodi potu omninò abstinere, et à periculo offuscandi judicii semper alienissimum esse! Hoc singulari temperantiæ dono Joannem Dominus insignivit, quo inprimis ipsum ornaret, et cœlestibus angelis simillimum redderet, semper castum, prudentem, vigilem, et ad contemplationem rerum æternarum excipiendosque divinos influxus aptum : deinde et idoneum redderet ad fungendum legatione, semper paratum adventantibus turbis ingerere salutis monita, nec verbis tantùm, verùm etiam exemplo adhortantem ad pœnitentiam, fugam vitiorum, et contemptum deliciarum. Calvinus virtutum osor annotat « non in abstinentiâ vini et siceræ « magnitudinem Joannis poni, tantùm ostendi, eum « peculiare aliquid habiturum, et distinctum à com« muni vitâ hominum : non quòd per se adeò hoc « magnum sit, inquit, reperiuntur enim abstemii ho« mines nequam, » etc. Sententia digna homine carnali, adversaria rationi omnique Scripturæ, indigna quæ pluribus verbis refutetur. Contra veteres, inter Latinos V. Beda : « Ordinem magnitudinis ipse qui « proposuit, angelus subsequenter exponens : et vi« num, » inquit, « et siceram non bibet. » Inter Græcos Euthymius : « Innuit durum conversationis ejus exer-

ut è corde erumpat, quod vocatur *exultatio,* quia scilicet sterilitatis et senectutis filius, quia virtute magnus, quia propheta Altissimi, quia præcursor Messiæ. Et multi in nativitate ejus gaudebunt? Non domesticum tantùm tibi ac tuis, sed toti populo erit gaudium, quia ex signis mirabilibus persuasi erunt, eum ad populi salutem esse datum, sicut hoc patet v. 58 et 66.

Vers. 15. — Erit enim magnus virtute et officio coram Domino, id est, in ministerio ac negotiis Domini; quanquàm alii significatum velint magnum futurum, non simulatione, non hominum opinione, sed judicio Domini. Redditur ergo ratio non nominis *Joannis,* ut quidam putant, sed gaudii. Vinum et siceram, pro quo Hieron., Numer. 6, secutus vim radicis Hebraicæ vertit, *omne quod inebriare potest.* Tert., l. de Jejuniis, c. 9, uno verbo vocat *ebriamen;*

« citium, docuitque quòd magnus futurus erat coram « Domino. » Porrò talem postea fuisse Joannem, qualem fore hìc prædicit angelus, suo loco hic evangelista aliique memorant. Infra, c. 7, v. 33, legis: *Venit Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum.*

SPIRITU SANCTO, donis Spiritûs sancti *replebitur*; significatur copia et abundantia. Plenus erit omnis generis gratiis ac donis; quæ non enumerat angelus, contentus fontem omnis gratiæ expressisse, Spiritum sanctum. *Rectè, cui ebrietas et vinum in quo est luxuria tollitur, spiritus gratiâ cumulatur,* ait V. Beda. Cæterùm repleri Spiritu sancto ferè dicuntur huic evangelistæ, quibus ita datur gratia Spiritûs sancti, ut foràs in extrinsecum effectum redundet. Vide infra, v. 41, 67; Act. 2, v. 4, et c. 4, v. 8, 31, et c. 9, v. 17, et c. 13, v. 9. Utrumque hìc oportet intelligere, et quòd plenus erit, et quòd plenitudinis illius edet non dubia argumenta atque effectus.

ADHUC, etiam, etiamnùm, EX UTERO, ex eo tempore quo adhuc feretur utero. Syrus clariùs vertit, *had hou becarso,* adhuc ipse in utero, scilicet existens, quo modo explicant etiam Titus et Theophylactus Græci, *intra matris uterum adhuc hærens, cùm erit adhuc in utero matris.* Sed præpositione *ex*, quâ utitur evangelista, videtur apertiùs significari, quòd totâ vitâ suâ, incipiendo ab eâ quam etiamnùm in materno utero acturus sit, Spiritu sancto erit plenus, et plenitudinem rebus ipsis probabit. Hoc alterum est quo prædicit angelus Joannem magnum fore, quòd abundabit spiritalibus bonis, quòd copiosissimè ornatus divesque erit omnis generis gratiis, tam gratum Deo facientibus, fide, spe, charitate, humilitate, castitate, prudentiâ, quàm gratis datis, prophetiâ, Scripturarum intelligentiâ aliisque innumeris; quibus sic ornandus sit ejus animus intùs, ut etiam foràs erumpentes seipsas manifestaturæ, et quâ spiritus plenitudine ille scateat, testaturæ sint; non tunc solùm quandò auspicabitur munus suum, et populus ipsi docendus erit, hoc est, in ætate virili, verùm etiam in juvenili ac puerili, adeòque cùm continebitur adhuc matris utero. Adhuc clausus matris utero, mundabitur à peccato quò cùm conceptus fuerit, et fidei, spei, charitatisque habitus cum munere prophetiæ, in justificatum pusionis animum infusi, erumpent in visibiles actus. Hoc ita evenisse discimus infra, v. 41, ubi ex suæ matris utero, cognoscens ac sentiens, exspectati à se summèque dilecti Christi Salvatoris præsentiam in utero Mariæ, exultavit, et Spiritum sanctum quo ipse agebatur diffudit in matrem, ita ut illa ore præsentiam Christi testaretur, quod ipse ventre clausus nondùm poterat. Quòd enim non tantùm spiritu prophetiæ Joannes in utero materno fuerit repletus, verùm etiam spiritu adoptionis et gratiâ justificante, mundatus à peccato originali et sanctificatus, docent veteres Patres; inter Latinos Cyprianus, epistolâ 73, sub finem: « Ille divinâ gratiâ adhuc in utero matris « impletus. » Rursùs epistolâ 76: « Accepit Spiritum « sanctum cùm adhuc esset in utero matris consti« tutus. » Ambrosius in hunc scribens locum: « Ante« quàm nasceretur, ait, matris adhuc in utero positus, « Spiritûs accepti gratiam designavit. Nondùm enim « erat ei spiritus vitæ, sed spiritus gratiæ. Denique et « alibi vivendi substantiæ præcurrere sanctificandi « gratiam, potuimus advertere. » Augustinus lib. 15 de Trinitate, cap. 26: *Quamvis*, inquit, *seminatus à patre, tamen Spiritum sanctum in utero formatus accepit.* Inter Græcos Origenes, homiliâ quartâ in Lucam, nec non septimâ, ubi inter cætera ait: « Jesus « qui in utero Mariæ erat festinabat, adhuc in ventre « matris Joannem positum sanctificare. » Denique alii. Nec facilè invenias in S. Litteris, eum repleri Spiritu sancto, qui non sit justus et Deo gratus. Postremò cui in utero concessa est actio cognoscendi Christi; gaudendi et exultandi; quomodò non etiam credendi et diligendi? Hæc paulò prolixiùs sumus prosecuti adversùs hæreticos, qui illud *ex utero*, interpretantur statim à matris utero, à primâ infantiâ, nec quidquam hìc agi volunt de eo quod Joanni contigerit in utero matris. Nos vitam Joannis in utero ita hìc includi docemus, ut infantilem omnemque sequentem ætatem non excludamus. De infantili enim legimus, infra, v. 66: « Quis putas puer iste erit? etenim manus « Domini erat cum illo. » De puerili et juvenili sequitur, v. 80: « Puer autem crescebat et confortaba« tur spiritu: et erat in desertis usque in diem osten« sionis suæ ad Israel. » Nam ex actis in virili ætate, observare licet, excellentissimè in eo eminuisse dona Spiritûs sancti, fidem, charitatem, humilitatem, gratiam verbi, intelligentiam Scripturarum, profundam divinorum mysteriorum cognitionem, prudentiam, constantiam, aliaque innumera, fortitudine vitam terminante; ita ut ab ipso matris utero ad mortem usque, plenus semper cognitus sit Spiritu sancto. Magnus igitur etiam hâc parte Joannes, quâ præter

comprehendit enim et vinum, et cerevisiam, potum ex dactylis, ex pomis, ex melle, et quemcumque inebriantem. NON BIBET; nempe toto tempore vitæ, tanquàm perpetuus Nazaræus, et perpetuo fungens sacerdotio. Nam et Nazaræi omnibus diebus consecrationis suæ, et sacerdotes, quamdiù agerent in tabernaculo, vino et scicerâ abstinebant, ut patet Numer. 6, v. 3, et Levit. 13, v. 9. ET SPIRITU SANCTO REPLEBITUR; eum sanctificante, et magnorum donorum copiâ implente, ita ut in alios etiam foràs redundet, quod illâ repletione insinuatur. ADHUC EX UTERO MATRIS SUÆ; quod hæretici aliqui exponunt, ab infantiâ, seu statim ab utero; sed per illud, *adhuc*, significatur, eum replendum ex eo ipso tempore, quod adhuc utero gestabatur. Unde Syrus et Arabs verterunt, *adhuc in utero*, et sic illam phrasim Græcam accipiendam patet, Act. 3, v. 2. Tacitè autem simul insinuat, ab infantiâ per totam vitam Spiritu sancto plenum futurum. Atque ita Joannem accepisse Spiritum sanctum et gratiam ejus in ipso utero passim veteres sentiunt, Origenes, hom. 4 et 7 in Lucam, qui apertè eum sanctificatum dicit, Cyprianus, epist. 13. Itaque his duobus memoris explicat magnitudinem Joannis ex sobrietate et Spiritûs sancti donis, nunc ex officio.

Christum ejusque matrem nullum habet aut majorem aut æqualem. Nam quòd multi credunt, etiam Jeremiæ infusum in utero Spiritum sanctum, ex eo quod legitur Jerem. 1, v. 5 : *Antequàm exires de vulvâ sanctificavi te;* videntur illi falli amphibologiâ vocis sanctificare, quæ Hebraicè frequenter nihil ampliùs quàm divinis usibus destinare aut deputare appropriareque significat, unde et sequitur apud Jeremiam tanquàm expositio præcedentis : *Et prophetam in gentibus dedi te.* Atque omninò illud ipsum est, quod et Paulus de seipso scribit, Gal. 1, v. 15 : *Qui me segregavit ex utero matris meæ.*

Vers. 16. — Multos ; non enim omnes. *Non omnes convertit Joannes, sed multos*, ait Theophylactus.

Filiorum Israel, Israelitarum : non enim mittetur ad gentes. Conatus est quidem convertere Israelitas omnes, cujuscumque generis et conditionis ; docuit enim Pharisæos, Sadducæos, turbas, publicanos, milites, infra, c. 3, v. 10 et seq., denique « exivit ad « eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio « circa Jordanem, et baptizabantur ab eo, » quod ait Matthæus, cap. 3, v. 5 et 6 : sed non est consecutus ut converteret nisi multos, reliquias nempe. « Reli« quiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum « fortem, » Isaiæ 10, v. 21.

Convertet, abducet ab iniquitate, persuasos pœnitentiam, detestationem, inquam, emendationemque vitæ sceleratæ. Convertet autem exteriori suo ministerio atque operâ, docendo, admonendo, hortando, tum prædicatione, tum sanctissimæ vitæ exemplo, ipso Domino intùs animi conversionem operante.

Ad Dominum, ponitur loco nominis proprii יהוה, id est, ad virtutem, ad vitam sanctam, qualem Dominus præcipit suâ lege.

Deum ipsorum, solum verum Deum. Non enim hoc addit, tanquàm alius aliquis existat deus præter Dominum : sed quòd apud solos Israelitas vigeret cognitio et cultus veri Dei. Convertet ergo ad Deum ipsorum, ut Domino quem Deum credunt, etiam obediant præceptis ipsius observatis. Non loquitur angelus de fide et religione, quasi Judæi tunc temporis à Deo vero, falsâ religione, aberrârint (quod hæretici libenter intelligant), id enim ipso Christi testimonio refutatur, ubi ait : *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et Pharisæi*, etc., Matth. 23, v. 2, 3; adeòque universa Evangelii historia adversatur, quin et angelus dixisset hìc, ad Deum patrum ipsorum, potiùs quàm ad Deum ipsorum. Non erant Israelitæ circa Christi tempora idololatræ, nec aliam sequebantur religionem quàm à Moyse præscriptam, quanquàm complures traditiones inutiles observarent, et Pharisæi quidem ac præsertim Sadducæi, falsas nonnullas sententias sequerentur, sed vel privatas illas obscuras, vel nondùm publicâ auctoritate damnatas, quarum veritas Christo potissimùm explicanda servabatur, ut alibi latiùs docuimus. Non ergo de orthodoxâ fide aut legitimâ religione, sed de vitæ sanctæ actione, angelus loquitur. Nec aliud invenies inter acta Joannis, quàm quòd deterruerit atque avocaverit Israelitas à vitiis ad virtutem ; nusquàm legis quòd increpaverit tanquàm desertores fidei aut religionis avitæ. Hoc igitur tertium est quo Joannes prædicitur fore magnus, et quidem pertinens ad futurum ejus officium, quòd prædicatione suâ efficacissimâ, multos Judæorum à sceleratâ ad sanctam vitam traducturus sit. Id factum ab ipso fuisse, testatur Lucas infra, c. 7, v. 29 ; « Et omnis populus audiens et publicani, « justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. » Rursùs Matthæus, cap. 21, v. 32 : « Publicani au« tem et meretrices crediderunt ei. » Scilicet Joanni. Denique Ambrosius : « Baptismata, inquit, populis « frequentata, declarant conversæ plebis non medio« cres lactos esse processus. »

Vers. 17. — Et ipse. Idem ipse præcedet, præibit, tempore scilicet.

Ante, in conspectu, coram, proximè antè, ita ut

Vers. 16.—Et multos filiorum Israel convertet, efficacissimâ pœnitentiæ prædicatione, ad Dominum Deum ipsorum ; Christum videlicet, partim ut ei credant, partim mandatis ejus obediant. Itaque non significatur, Judæos ab idololatriâ convertendos ad Deum, cum tempore Christi non aberrarent à religione veri Dei, sed multos eorum credituros, Jesum, quem digito ostendit et prædicavit, esse Dominum Deum ipsorum, ejusque mandatis parituros. Hoc probat id quod sequitur.

Vers. 17. — Et ipse præcedet ante illum, scilicet eumdem Deum ipsorum Christum Dominum, id est, proximè tanquàm præco ante regem, jamjam adfuturum, præcurret in spiritu, id est, zelo et fervore, seu cum vehementiâ atque impetu de intimis prorumpente ; nam in Græco deest hic articulus, quo Spiritus sanctus designari solet. Et virtute, Græcè, *potentiâ*, id est, efficaciâ. Unde Eccles. 4, v. 13, de Eliâ dicitur quòd potentiâ nemo vicit illum. Significatur ergo virtus insuperabilis dicendi et redarguendi impios, quantùmvis potentes, Pharisæos, Herodem, Herodiadem. Eliæ, id est, qualis fuit Eliæ adversùs Achab, Jesabel, pseudoprophetas, Baal, etc., et præcipuè qualis erit Eliæ in secundo adventu. Nam hanc similitudinem officii significari hìc plerique veteres notant, Euthymius, Theophr. et Ambros., hìc. Unde August., tract. 41 in Joan. : Quid est *in spiritu et virtute Eliæ*. In eodem spiritu vice Eliæ. Quare vice Eliæ? quia quòd Elias secundo, hoc Joannes primo adventui fuit. Hanc similitudinem officii, et simul effectum ac finem istius spiritûs et virtutis Eliæ ut declararet, adjicit : Ut convertat corda Patrum in filios. Nam ista sunt verba Malachiæ, c. 4, v. 6, de Eliâ propheticè dicta, quæ hìc Joanni accommodantur. Significant autem Joannem effecturum, ut *corda Patrum*, id est, animus seu amor patriarcharum, et prophetarum, convertantur *in filios*, id est, posteros eorum, seu sui temporis Israelitas. Cùm enim patriarchæ et prophetæ non ex lege, sed ex fide Christi venturi, non pecudum, sed sanguine Christi se justificandos credidissent, sanctisque moribus vixissent ; filii eorum ab eorum fide et moribus degeneres, ita ex lege justificari voluerunt, ut putarent se suis viribus eam facere, et pecudum sanguinem esse remissionem peccatorum ; contra quos Paulus in Epistol. ad Romanos et ad Ephesios disputat.

Propter istam et fidei et morum discrepantiam patriarchæ à filiis alieni erant, Isaiâ testante, *Abraham nescivit nos*, id est, pro filiis non agnovit nos. Joannes verò contra istos posterorum errores prædi-

sit illi proximus, tanquàm apparitor : quales solent, præcedere ante reges et principes, quos ubi conspexeris, statim intelligas regem non procul abesse. Et prophetæ præcesserant Christum, sed longè ante; Joannes proximè præcessit.

Illum, scilicet, Dominum Deum ipsorum, brevi scilicet venturum in mundum, ut caro factus salvet mundum, id est, Christum. Manifestè docet angelus Christum fore Deum, et quidem eumdem illum quem Israelitæ hactenùs coluerant.

In, (cum) virtute, potentiâ, vi, seu efficacitate.

Spiritu et virtute, id est, spiritu virtutis seu efficacitatis, vel virtute seu efficaciâ spiritûs; id omninò est, spiritu efficaci, gratiâ Spiritûs sancti efficaciter potenterque in eo operante.

Eliæ, quali Elias. Syrus addit, *prophetæ*. Subaudiendum est, aliquid. Nostræ ætatis hæretici, qui negant Eliæ reditum, nihil aliud subaudiunt, quàm quali Elias præditus olim fuit; sed veteres omnes tam Græci quàm Latini subaudiunt quali Elias præcedet ante illum, quali Elias præcedet posteriorem illius adventum. Verum est quidem, quòd Eliæ spiritalis potentia seu efficacitas, intelligi queat ex actis ejus prioribus, si in memoriam revocetur, quâ animi fortitudine restiterit conatibus Jezabelis, quâ libertate increpaverit regem impium, quo zelo certaverit contra prophetas Baal, ut reduceret populum ad Dominum Deum ipsorum; sed non præcipuè hìc ad præterita respicit angelus, sed ad futura, quòd pari modo Joannes se geret in officio præcedenti ante Christum, atque prædictum est quòd Elias se geret. Alludit enim angelus ad prophetiam Malachiæ, cap. 4, v. 5, promittentem : « Ecce ego mittam vobis Eliam « prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus et « horribilis. » Nam subjungit mox subsequentia apud Malachiam verba : *Et convertet cor patrum ad filios*, etc. Vult ergo dicere : Quemadmodùm, juxta Malachiæ prophetiam, Elias præcedet diem seu adventum Domini magnum et horibilem, quo percutiet terram anathemate et excidio, ita filius quem tibi promitto, præcedet diem seu adventum Domini humilem ac salutarem, quo salvabit mundum salute æternâ; et quidem simili cum spiritûs operatione atque efficacitate præcedet, spiritu similiter in eo operante, ut promittitur operaturus in Eliâ; nimirùm ut convertat corda patrum, etc. Hæc est veterum expositio; Ambrosii hoc loco, ubi ait : « Hic prioris, ille « sequentis, Dominici præcursor adventûs; » Augustini, tractatu 4 in Joannem : « Quid est in spiritu et « virtute Eliæ? in eodem spiritu, vice Eliæ. Quare « vice Eliæ? quia quod Elias secundo, hoc Joannes « primo adventui fuit. » Gregorii, homiliâ 7 in Evangelia : « Qui idcircò venturus in spiritu et virtute Eliæ « dicitur, quia sicut Elias secundum Domini adven« tum præveniet, ita Joannes præveniet primum. « Sicut ille præcursor venturus est judicis, ita iste « præcursor est factus redemptoris. » Bedæ : « Qui benè « in spiritu et virtute Eliæ præcedere dicitur, quia « sicut ille præco venturus est judicis, ita hic præco « factus est redemptoris. » Similiter interpretantur Græci, inter quos Theophylactus scribit : « In spiritu « Eliæ præcessit. Sicut enim in Eliâ efficax fuit gratia, « ita et in Joanne. Et sicut Elias secundi adventûs « præcursor, ita et Joannes primi. In virtute autem « Eliæ, eò quòd idem voluerunt adventus amborum; « ambo enim ad Christum congregant. » Titus : « Sen« sus est : Quemadmodùm Elias secundum Christi « adventum præibit, juxta illud prophetæ : *Ecce ego « mittam vobis Eliam*, etc., ita Joannes primi illius « adventûs præcursor erit. » Postremò Euthymius : « Dicit quòd gratiam quoque et efficaciam habebit « Eliæ, quas videlicet habebit Elias præcurrens se« cundum Christi adventum; et hic nunc faciet, quæ « postmodùm facturus est Elias. » Sed quare angelus meminit potiùs illius prophetiæ quæ est de Eliâ Malach. 4, v. 5, quàm illius quæ interprete Evangelio propriè est de Joanne apud eumdem Malachiam, c. 3, v. 1 : « Ecce ego mitto angelum meum, et præ« parabit viam ante faciem meam? » Credo idcircò, quòd propheta illa capitis 4, nominet Eliam, celeberrimum illum ex veteri historiâ; quòd intelligat Zacharias, filium suum, virum non vulgarem fore, sed Eliæ similem, aut etiam majorem, ut officio, ita et donis spiritûs.

Ut convertat, declarat quâ in re sita aut ad quid valitura sit illa spiritûs efficacitas. *Apponit*, inquit Euthymius, *et quæ futura sit ejus virtus sive potentia. Ut*, quemadmodùm prædictum est facturum Eliam, *convertat*, inclinet

Corda, animos. Hebraicè apud prophetam legitur numerus singularis, sed qui positus sit pro plurali.

Patrum, patriarcharum et prophetarum.

In, erga, filios, posteros; sui temporis Israelitas.

Et incredulos, filios, Græcè *impersuasibiles*, inobedientes, contumaces, sequentes animi sui pravi affectum atque impetum, ægrèque admittentes sana consilia; difficillimè enim eis potuit persuaderi, ut agnoscerent ac reciperent Christum,

cando : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, et ad sanctos mores eos provocando, convertit patriarchas et prophetas, à Judæis alienos, ad amandos filios suos. Et incredulos, filios scilicet, Græcè *impersuasibiles*, ad prudentiam justorum, Patrum, ut scilicet similiter Patribus suis antiquis credant de Messiâ, et sapiant. Hæc est enim periphrasis alterius partis prophetiæ, quâ Malachias de Eliâ dixerat : *Et cor filiorum ad patres*. Sensus est igitur quòd Joannes instar Eliæ corda Patrum et filiorum inter se mutuò conciliaturus sit prædicatione suâ, ut ejusdem sint fidei, sententiæ, sapientiæ, vitæ et morum. Quem ferè sensum aliis verbis dat August., cap. 29, lib. 20 de Civit. Parare Domino plebem perfectam, id est, ut ita præparet ac disponat rudem populum Judaicum, carnali fidei, spei ac desideriis assuetum, ad Christum Domini et justitiam fidei ejus, et ad perfectionem salutis, quam Evangelium ejus continet, recipiendam; nihil enim, ut Apostolus, ad perfectum adduxit lex. Unde et Zacharias hoc officium Joannis velut maximum prædicat, infra, v. 76.

adeò ut parti longè majori nunquàm fuerit persuasum.

Ad, ἐν pro εἰς.

Prudentiam, sapientiam, *intelligentiam* exponit Euthymius, quod est, fidem. Hùc facit quod Syrus vertit, *idahto*, scientiam.

Justorum, patrum, ut exemplo majorum sapiant et credant. Explicatio est ejus quod propheta dicit: *Et cor filiorum ad patres eorum.* Convertere autem cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres, est, corda patrum et filiorum inter se mutuò ita conciliare, ut sint ejusdem sententiæ ac fidei, ut idem cor, eadem mens atque eadem sapientia et fides sit in posteris, quæ olim fuit in patribus. « Ut credant, inquit « Hieronymus in Malachiam, posteri eorum in Dominum « Salvatorem, in quem et patriarchæ crediderunt. » In quem sensum scribit V. Beda: « Corda patrum in filios « convertere, est spiritalem antiquorum sanctorum « scientiam populis prædicando infundere. » Quin etiam D. Augustinus, lib. 20, de Civitate Dei, cap. 29: « Cor « patrum convertetur ad filios, cùm intelligentia patrum « perducetur ad intelligentiam filiorum; et cor filio« rum ad patres eorum, dùm in id quod senserunt « illi, consentient et isti. » Superior versus, qui loquitur de conversione ad Deum, agit maximè de emendatione vitæ; hic verò de intelligentiâ ac fide. Porrò istud, convertere, inquam, corda patrum et filiorum ad se mutuò, tunc fecit Joannes, quando suæ ætatis Israelitas docuit, instare adventum Christi patribus promissi ac desiderati, quando persuasit, ut Christum, in quem patres crediderant venturum, ipsi præsentem agnoscerent ac reciperent, denique quando fidem illam, desiderium ac devotionem Patrum antiquorum erga venturum Messiam, jam multis vitiis refrigerata, revocavit atque accendit, ita ut filii patrum exemplo Messiam vivâ fide ac devotione desiderarent, quærerent atque amplecterentur. Patres Joannes non fuerat allocutus, sed quando adduxit corda filiorum in sententiam et exempla patrum, dicitur quodam modo loquendi illos ad se mutuò convertisse, quia ejusdem fidei ac sententiæ, unanimes et consonos reddidit. Et quanquàm non in omnibus suæ ætatis Israelitis, Joannes id est assecutus, hic tamen finis fuit ipsi propositus, effectus autem in reliquiis locum sortitus est. Jam quod Joannes ante salvificum Christi adventum fecit, hoc idem Elias ante terribilem Christi ad judicium adventum faciet, convertendo illius seculi Israelitas ad fidem et exempla Patrum, patriarcharum scilicet, prophetarum, apostolorum, aliorumque ex Judæis qui in Jesum, verum, inquam, Christum, olim crediderunt, itaque restituendo inter patres et filios unam et eamdem et concordem fidem, religionem ac vivendi rationem.

Parare, ut paret. Hic retinuit interpres infinitivum, quem mox clariùs verterat per subjunctivum.

Domino, Deo ipsorum, proximè post se venturo, id est, Christo.

Plebem, Populum Israel.

Perfectam, instructam, adornatam, dispositam, præparatam, *capacem*, ut exponit Theophylactus. Ut paret et disponat populum Israel ad Christum excipiendum: « Ut populum, ait Titus, Christo Do« mino reddat instructum, fideique capessendæ ap« tum. » Latinus interpres Græcè legit κατηρτισμένον, quod est, *perfectum;* quo modo et Syrus legisse videtur, vertens *gemiro*, perfectum, absolutum: intelligendum est autem, perfectè dispositum atque adornatum, maturum atque ad suum usum aptatum et idoneum redditum; nam et καταρτίζειν significat *adaptare.* Expositio est ejus quod præcedit: « Ut con« vertat corda patrum in filios, et incredulos ad pru« dentiam justorum, ut, inquam, paret Domino ple« bem » rectè perfectèque dispositam; quanquàm et superior versiculus ad apparationem spectet. Convertendo enim Israelitas ad Dominum Deum ipsorum, simul etiam convertendo corda patrum et filiorum ad se mutuò, id est, reddendo filios patribus consentientes fideque ac moribus similes, paravit adaptavitque populum ad Christum ejusque doctrinam recipiendam. Rudis erat populus et impolitus; Joannis præcursu aptatus est ac formatus, ut non omninò rudis, sed jam agnitione peccatorum suorum, exspectatione regni cœlorum, ac desiderio venturi Messiæ instructus, Christo venienti ad salvandum mundum, docilem se præberet et salutis quam ille afferret capacem. Ad eumdem modum Elias sub mundi finem, convertendo illius seculi Israelitas ad verum Christum et in Christo justitiam, reddet populum illum apparatum ritèque dispositum, Christo ad judicium venienti excipiendo, ne fortè veniens Christus penitùs eum excidat et deleat. Hoc quartum et ultimum est, quo Joannem magnum fore prædicit angelus, quòd efficaci admodùm spiritu præcursor futurus sit Messiæ Domini Dei Israel, ad hoc ut populum Israel admoneat adventûs ipsius, patribus olim promissi ac desiderati, jam instantis, adeòque præsentis, quo ad eum excipiendum se paret, quâ in re nullum habiturus sit majorem aut parem; duntaxat Eliam secundum. Quod dictum fuit versu superiore de conversione Israelitarum ad Dominum Deum ipsorum, Joanni cum prophetis multisque aliis justis commune fuit; hæc verò præcessio, proprium et peculiare fuit Joannis munus, nisi quòd, non illud idem quidem, sed simile promissum sit Eliæ. Quare munus hoc maximum, gratulabundus repetiit Zacharias, Joanne filio jam nato, ubi dixit: « Et tu, puer, propheta Altis« simi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini « parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi « ejus, » infra v. 76, 77. Hoc denique munus præstitit Joannes re ipsâ testibus Evangelistis omnibus, regnum cœlorum annuntiando, Christum proximè venturum prædicendo, ubi advenisset monstrando ac prædicando, omnes denique ad eum recipiendum invitando.

Vers. 18. — Unde, per quid, quo signo, quo argumento; Syrus, *quomodò.*

Hoc, quòd nascetur mihi hujusmodi filius.

Sciam, cognoscam, scilicet certò. Indicat se non credere nisi signum videat, ut ferè moris fuit Judæorum; 1 Cor. 1, v. 22, q. d.: Ede signum aut affer argumentum præsens, quo certò docear id futurum quod promittis; nec enim audeo nudis fidere verbis tuis. Hæsitat diffidentiâ, dubitans, non de Dei potentiâ, sed de verborum angelicorum veritate, non tam quòd vereretur esse angelum Satanæ (noverat enim verisimiliter esse angelum lucis, utpote qui in loco sacro non solùm, sed et inter sacra apparens, pertinentia quàm maximè ad Dei honorem et hominum salutem nuntiaret) quàm quòd timeret falli et pudefieri, postquàm semel magnis adeò ac lætis nuntiis fidem adhibuisset; idque ob eam quam adjungit causam.

Ego enim sum senex, excessi annos aptos generationi.

Processit in diebus suis; est ætatis adeò provectæ, ut concipiendæ proli sit inidonea. Non dicit esse naturâ sterilem, utpote incertus ejus rei: sed concesso eo quòd non sit, affert eò ætatis progressam, quo non possit naturæ ordine concipere. Magnitudo igitur promissionis, excedentis ordinem facultatemque naturæ, Zachariam in dubitationem et incredulitatem impellit. Defixus enim mente in naturæ cursum, diffidit angeli verbis, non quòd putaret angelum posse mentiri, sed quòd consideraret potiùs reclamantem naturæ sensum, quod diximus, quàm Dei omnipotentiam et angeli veracitatem. Contrario prorsùs modo se gessit Abraham, Apostolo teste, Rom. 4, v. 17, etc., cui cùm esset promissum: « Patrem multarum gentium posui te; non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ, sed contra spem in spem credidit ei qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt. In repromissione enim Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est et facere. » Atqui et Abraham, audito promisso filii ex Sarâ suscipiendi, dixisse legitur: *Putasnè centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet?* Genes. 17, v. 17. Rectè, sed dixisse legitur in corde suo, non ore, et postquàm cecidisset in faciem suam, quod erat adorantis et gratias agentis, ac proinde credentis, non diffidentis. Postremò, Deo judice, cordium inspectore, intelligimus, Abrahæ aliam fuisse mentem ac Zachariæ, qui proximis angeli verbis arguitur incredulitatis; *quia Deus non de verbis, sed de cordibus judicat*, quod ait D. Augustinus, lib. 4 Quæstionum super Numeros, cap. 19.

Ego sum. Revocat animum Zachariæ, à consideratione ætatis suæ et uxoris, ad considerandam qualitatem nuntii, omni fide digni omnique exceptione majoris, ut sciat quàm immeritò fidem abroget nuntio, q. d.: Quid tuam et uxoris ætatem consideras? considera potiùs quis ego sim hæc tibi nuntians, et à quo missus. *Vult intelligi*, inquit Beda, *quòd si homo talia promitteret, impunè signum flagitare liceret; at cùm angelus promittat, jam dubitari non deceat.*

Gabriel. *Non seductor dæmon, sed angelus Dei,* ait Theophylactus; et quidem Gabriel, cujus nomen novisse potes ex Daniele, cui olim apparui. Reducit Zachariæ in memoriam revelationes quondam factas Danieli de novissimis temporibus et Christo, Dan. 8, v. 16, et c. 9, v. 21, à se procuratore et tutore Judaicæ gentis, Dan. 10, v. 13, 20, 21; quò magis fidem se mereri declaret. Gabriel Danielem fecerat certiorem temporis quo venturus esset Christus. Dan. 9. v. 25, idem Zachariæ nuntiat proximè instantem adventum Christi, promisso filio præcursore. Nominis interpretatio est: Vir, dominus, seu princeps meus, Deus. Nam *geber* virum, dominum, principem, *gabri* virum, dominum, seu principem meum, *el* Deum significat. Liceat etiam interpretari, *fortis* seu *robustus meus Deus;* quo sensu significet solere Deum magna et ardua, quæque naturæ virtutem superent, per ipsum nuntiare, ita ut nihil jam quod non sit nomini suo consentaneum annuntiet.

Qui adsto, *qui adstiti;* rectè interpretes Latinus et Syrus vertunt *adsto*, pro adstare soleo. Cæterùm non vult Gabriel dicere, quòd jam nunc adstet (quamvis id verum esset), sed quod cùm adstare in cœlo consueverit, nunc missus in terram sit, etc. Totus enim hic loquendi modus, metaphoricus est, adstandi, mittendi, sumptus ab hominum regum consuetudine. Præter hoc quòd beati sunt (nam in Dei visione ratio-

Vers. 18. — Et dixit, etc. Unde hoc sciam? id est, quo signo? nec enim nudis verbis tuis ausim fidere, cùm naturæ cursus repugnet. Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis, id est, provectioris ætatis est, quàm ut naturæ ordine concipere possit. Hæsitat igitur diffidentiâ, non de potentiâ Dei, seu de objecto fidei, ut Calvinus voluit. sed de teste fidei, et veritate verborum ejus, ut indicatur vers. 20, cùm ei satis apertè et inter sacra apparenti, et signa divinæ legationis præferenti, faciliùs credere debuisset; ideò que peccavit. Abraham verò, Genes. 17, v. 17, similibus verbis utens non peccavit, quia, ut August., q 29 super Numeros, Deus non de verbis, sed de cordibus judicat; eadem enim dici possunt inquirendo modum, vel etiam dubitando, deque veritate diffidendo, ut idem Hom. 44. Itaque angelus planiùs exponens conditiones personæ suæ et causas credendi sibi, respondit.

Vers. 19. — Ego sum Gabriel, populo Judaico et tibi satis notus, ex diversis legationibus, quibus ad Danielem functus sum. Qui adsto ante Deum, id est, qui in cœlo adstare soleo, velut minister familiarissimus in conspectu Dei, ad excipienda prima ejus imperia. Est enim metaphora à servis, qui parati sunt in suo quisque ordine ad nutum dominorum. Et missus sum, tanquàm legatus à Deo. Mitti enim angelorum proprium est, ita ut etiam inde nomen acceperint, et ab apostolo vocentur omnes *administratorii spiritus.* Hæc tibi evangelizare, id est, hoc tibi lætum nuntium perferre, tanquàm evangelii de Messiâ quoddam præludium. Ut autem auctoritatem suam probaret, simul punit incredulitatem ejus, et dat signum, quo credat, ut eadem res ei esset supplicium et beneficium.

nalis creaturæ beatitudo consistit), etiam Deo familiares et proximi esse intelliguntur, qui non opus habeant ut, si quid occurrat, Deum adeant, vel accessum ad eum aut colloquium ejus postulent, cui semper præsentes sunt. Ex more seculi hujus, consistere in conspectu regis, faciemque ejus perpetuò videre posse, signum est domesticæ intimæque familiaritatis, ut de servis Salomonis legimus 3 Reg. 10, v. 8. Significatur itaque angelorum cum Deo agendi liberrima facilitas summaque fiducia. Quemadmodùm autem princeps, si subditis aliquibus suis eos deputet protectores, quos perpetuò secum habet intimos, conjunctissimos et familiarissimos, summo illos afficiat honore; nec solùm, sed et prospiciat illorum saluti ac bono quàm certissimè, quod ad regem illi referre mox possint quæcumque occurrunt, causamque illorum agere; sic et Deus, dùm angelos continuâ faciei suæ fruitione beatos, humilium custodiæ præficit, declarat quàm charos humiles habeat, quàmque velit esse ab hostibus tutos et bonis auctos. Cùm enim curæ inprimis sit spiritibus illis obedientissimis id quod Deus ipsis mandârit, non omittunt mox ad Deum, cujus familiari utuntur consuetudine, referre humilium preces ac vota et quidquid occurrit quod ad salutem illorum faciat, causamque eorum agere, ut vel augeantur bonis, vel serventur à malis, vel pœnas dent qui illos læserint; nec differt Deus, iis qui perpetuò ipsi adstant, mandata expedire, ad horum salutem, tutelam, custodiam, atque adeò ultionem pertinentia. Quare cavendum est unicuique ne hos lædat aut contemnat; nec enim impunè id agat, angelos eorum passurus accusatores et ultores, omninòque adversarios. Aliorum angeli et ipsi quidem vident faciem Patris; non tamen eâ libertate agere possunt apud Deum causam illorum, quibus superbia Deum conciliat adversarium.

Ante Deum, in facie seu conspectu Dei. Vult dicere se ministrum esse Dei (stare enim est ministrorum), et quidem ex proximis ac familiarissimis, qui semper appareat conspectui Dei, intentus ac paratus ad excipienda et obeunda mandata ejus.

Et missus sum, à quo missus sum.

Loqui. *Non ex me ipso loquor, sed Dei mittentis relata denuntio*, ait Chrysostomus in Catenâ citatus. Hujus promissi Deus auctor est, ego nuntius; in illum itaque ipsiusque omnipotentiam respicere oportebat.

Evangelizare, bona hæc lætaque nuntia afferre; nec enim infausta tibi nuntio, ut meritò timeas credere; imò verò æterni Evangelii initium, Marc. 1, v. 1. Non fuerunt hæc angeli verba nuda, sed conjuncta cum divinâ virtute, quæ intellectum Zachariæ ita illustrârit, ut agnoverit vera esse quæ dicebantur. Cæterùm non tam docentis, quàm suboffensi et increpantis habitu pronuntiata sunt, conjuncta sequentibus.

Vers. 20. — Et, pro *quare*, *quamobrem*, *igitur*, illativis. Quocirca ecce, admirabile quid, minimè ab te exspectatum, quod ita sit promissi in posterum præstandi argumentum, quod petîsti, ut simul pœnæ loco tibi serviat. Eadem res et supplicium et beneficium fuit, supplicium peccantis, beneficium precantis. « Dat signum quod rogatur, inquit Beda, « ut qui discredendo locutus est, jam tacendo credere « discat. »

Eris tacens. Non dicit, *tacebis*, quò manifestiùs significetur continuitas, *eris*, ab hoc ipso tempore ac momento, quo hæc loquor. Nam tanquàm Dei legatus et loquitur et facit, virtute Dei. Vocem Græcam, etsi propriè significet tacentem seu silentem, ut et Syriaca *satik*, videntur Græci enarratores Theophylactus et Titus interpretari hìc surdum, aut intelligere utriusque significati hìc vim habere et surdi et muti. « Igitur quia discredis, scribit Theophylactus, « ego te faciam surdum et loqui non poteris. » Titus : « Quia verò Zacharias fide vacillans aiebat : Unde hoc « sciam ? propterea surditate loquendique facultate « mulctatus est. » Certè connexa sunt vitia aurium et linguæ : naturâ enim surdus, naturâ quoque mutus est; nam qui nihil unquàm audivit aut didicit, non mirum si nihil loquatur; qui verò ex accidenti est surdus, magnâ etiam ex parte est mutus, quippe qui non valet cum hominibus, ut quos non audiat, colloqui, ac proinde nemine expetente ipsius alloquium, cogitur instar muti tacere. Ut ergo reipsâ sunt connexa hæc vitia, ita unâ voce Græcâ κωφὸς, cujus usus est infra, v. 22, et unâ Hebraicâ *haras*, utrumque significatur. Hebraica legitur Psal. 27, v. 1, ubi à 70 Interpretibus vertitur, *ne sileas;* ab Hieronymo et aliis vertitur, *ne obsurdescas*, unde et nomen *heres*, quod passim significat surdum, Levit. 19, v. 14 : *Non maledices surdo*. Psal. 37, v. 14 : *Ego autem tanquàm surdus non audiebam*, etc. Cùm autem constet Zachariam tam surdum fuisse redditum quàm mutum ex versu 62 subsequenti, ubi nutibus cum illo agitur : *Innuebant autem patri ejus*, etc., nec sit verosimile, plus mali eum passum quàm angelus enuntiaverit : sequitur surditatem, vel solam, vel unà cum

Vers. 20. — Et ecce eris tacens, et non poteris loqui. Græci interpretes primam partem *tacens*, ferè exponunt, surdus eris, idque quia ex vers. 62, satis patet, etiam surdum fuisse; et qui naturâ mutus, ille quoque simul surdus est; et quia alioqui videretur esse tautologia, *eris tacens, et non poteris loqui*. Unde et D. Ambr. dicit : Incredulitas Zachariæ affatum eripuerat et auditum. Quia enim non obedierat, condemnatur, ut surdus sit, et quia contradixerat, ut non possit loqui, ut ait Theophyl. Posset tamen juxta Latinum textum aliqua esse differentia, ut explicetur quo modo esset futurus tacens scilicet non solâ voluntate propter angeli imperium, sed etiam invitus ex loquendi impotentiâ; idque non perpetuò, sed usque in diem quo fiant, donec scilicet noveris per eventus ipsarum rerum te jure punitum, Pro eo quod non credidisti verbis meis. Datur enim hìc ratio supplicii, quod infligitur, non illa, quòd de divinâ potentiâ dubitâsset, sed quòd nuntii verbis non credidisset. Quæ implebuntur in tempore suo; singula scilicet diverso, prout rerum diversitas exigit.

obmutescentiâ, ab Evangelistâ significatam fuisse, Græcâ voce σιωπῶν, ut ab angelo Hebraicâ *heres*, vel Syriacâ *hares*, aut *harso*. Accedit quod (quanquàm tacens esse possit qui tamen possit loqui) tautologia esse videatur, si idem omninò intelligatur, per *eris tacens*, et per id quod adjungitur, *non poteris loqui.* Quare meo judicio, oportet interpretari Græcum, σιωπῶν, *surdus*, vel certè, *surdus ac mutus*, ut et Latinum, *tacens*, et Syriacum *satik;* nam ut surdo omnia silent ac tacent, ita ipse ferè aliis quoque, quod diximus.

Et non poteris, valebis loqui, mutus eris, loquendi facultate privatus: *Incredulitas*, ait Ambrosius, *Zachariæ affatum eripuerat et auditum. Meritò autem hæc duo passus est,* inquit Theophylactus, *quòd et non audiret et non loqueretur. Quia enim non obedierat, condemnatur ut surdus sit, et quia contradixerat, ut sileat.*

Usque in diem, ad diem seu tempus illud usque quo hæc fiant, quæ putâsti impossibilia. *Quænam?* respondet Euthymius: *Nativitas ac nominis impositio.* Nam de futurâ nativitate præcipuè dubitârat, nativitas autem octavo demùm die perfecta censebatur; ante octavum enim diem, infans, partim quia ancipitis vitæ, partim quia incircumcisus et anonymus, ferè ut non natus habebatur. Temperat ergo pœnam angelus ex divinâ miseratione, quasi dicat juxta Chrysostomum in Catenâ citatum: *Cùm per eventus rerum ostendero quæ dico, et noveris te jure punitum, tunc te de pœnâ eripiam.* Omnium autem clarissimè Titus, versum hunc unà cum præcedenti (ut sibi mutuò hærent, quod diximus) explicat his verbis: *Quod angelus pro responso affert hujusmodi est: Quandoquidem angelo qui Deo assistit fidem non habes, neque Deo qui illum misit credis; magisque rei difficultatem quàm dicentis virtutem considerans, vocem edidisti planè incredulam; propterea voce tantisper orbabere, donec re jam expletâ, et tuam in credendo tarditatem, et Dei rursùs agnoscas potentiam.* Itaque recepit Zacharias audiendi loquendique facultatem, cùm circumcideretur puer, quod legitur infra v. 64.

Pro eo quod, eò quòd. Reddit disertam causam ejus quam infligit pœnæ. Duo enim facit, quod diximus, eâdem operâ; dat postulatum à Zachariâ signum, et punit incredulitatem ejus.

Non credidisti, imò temerè es oblocutus. *Vide quòd propter vocem incredulitatis, retenta ac cohibita est ei vox,* ait Euthymius. Porrò non dicit angelus: *Non credis;* indubiè enim mox credidit Zacharias, ut asseverationem increpationemque angeli audivit. Nec enim pertinaciter obstrepuit, sed obstupefactus ad promissa tam sublimia, et à naturæ ordine tam aliena, non statim valuit ea sibi persuadere, etiamsi quàm maximè ea percuperet. Quare non tam grave fuit peccatum ejus, quàm Calvinus illud exaggerat, quasi blasphemiæ et sacrilegii speciem, Dei injuriam et contemptum; nam nec pœna gravis fuit.

Quæ implebuntur, sive fide à te excipiantur, sive incredulitate. Nec enim hominum *incredulitas fidem Dei evacuat*, Rom. 3, v. 3.

Suo, congruo, à Deo decreto, decem post menses aut circiter.

Vers. 21.—Et. Inter hæc, dùm hæc agerentur inter angelum et Zachariam.

Erat, manebat et perseverabat.

Plebs, quæ convenerat, ut sacrificio huic incensi seu thymiamatis, religionis causâ, adesset.

Exspectans, Syrus, *stans et exspectans.*

Zachariam, ut posito incenso sacroque peracto, pro more prodiret è templo, in suum, id est, sacerdotum atrium, indeque sermone exhortationis instrueret ipsos, in suo, id est, Israelis atrio congregatos, vel potiùs benediceret digressuris. Sic enim legis Levit. 9, v. 22, quòd completis sacrificiis, Aaron benedixerit populo. Formulæ autem benedicendi populo præscribuntur Aaron et filiis ejus, id est, sacerdotibus, Num. 6, v. 23: *Benedicat tibi Dominus et custodiat te. Ostendat Dominus,* etc.

Tardaret, moram traheret longiorem quàm consuetum esset in hujusmodi sacrificio.

In templo, interiore; vide supra, v. 10. Verisimile est, quòd nec statim ut disparuerat angelus, Zacharias egressus sit, sed consternatus mente, remanserit aliquandiù, ruminans apud animum suum quæ audîsset quæque sibi accidissent. Hâc porrò occasione, plebs facta est testis visionis. Exspectabat autem et mirabatur, nec tamen deserebat stationem, ante acceptam à sacerdote benedictionem, contra ac nostri.

Vers. 22.— Egressus autem tandem non poterat. Non valebat, tametsi conaretur. Mox enim redditus fuerat mutus.

Et cognoverunt, cognoverunt itaque *quòd* non repentinâ ægritudine factus esset elinguis, sed quòd *visionem* cœlestem *vidisset.*

Et ipse. Quia ipse *erat innuens illis;* loco sermonis

Vers. 21. — Et erat plebs expectans, eò quòd non soleret discedere, nisi peracto thymiamatis sacrificio, et acceptâ à sacerdote benedictione. Nam et Aaron, Levit. 9, v. 21, sacrificiis completis benedixit populo. Et mirabantur quod tardaret in templo, plus videlicet solito; quod contingere potuit ex illo solo colloquio descripto, et ex turbatione Zachariæ, verba ruminantis, suoque supplicio attoniti. Ut nihil necesse sit cum quibusdam suspicari, angelum pluribus esse collocutum, quàm hìc describitur. Qui enim divinitùs apparent, ut animæ, angeli, et ipse Deus, verbi sunt præcisissimi.

Vers. 22. — Egressus autem non poterat loqui; ita sentiens reipsâ esse veram Angeli testificationem, quantùm ad pœnam, ut crederet etiam eam esse veram, quantùm ad prædictionem beneficii. Et cognoverunt, quòd visionem vidisset, quia credibile est eum adhuc fuisse ex visione animo attonitum, corpore pallidum, ex culpâ mœstum, ex pœnâ trepidum. Et ipse erat innuens illis, id est, quia loco verborum gestibus; sic enim, *et*, nonnunquàm Hebraicè sumitur. Et permansit mutus, simul et surdus, annotat Euthymius; Græca enim vox κωφός, et חרש Syriaca mutum simul et surdum significat. Porrò

utebatur nutibus et gestibus, ut quo posset modo declararet ipsis mentem suam, declararet, inquam, se mutum esse et visionem vidisse. Ut populo intelligendam daret rationem moræ suæ æquo longioris, cùm verba non posset, adhibuit gestus, quibus et se mutum esse significavit, et visione cœlesti fuisse visitatum, nihilominùs feliciter esse sacrificatum, Deoque agendas gratias qui suorum vota exaudisset; læti proinde faustèque abirent. Frequens enim est, ut quibus cœlestes contingunt visiones, illos invadat stupor, immutetur facies totiusque corporis habitus, postremò loquela eripiatur. Hinc Moses Exod. 4, v. 10, ad Dominum: *Ex quo*, inquit, *locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum;* et Daniel cap. 10, v. 8, 16, 17: *Domine mi, in visione tuâ dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium; sed et species mea immutata est in me et emarcui, et habitus meus intercluditur.* Cæterùm, non quòd frequentes eâ tempestate essent visiones divinæ, populus credidit visionem Zachariæ accidisse (erant enim rarissimæ, sicut et prophetiæ, quò ardentioribus votis Messiæ adventus expeteretur) sed quia præter obmutescentiam et pallorem relucentem in vultu, Zacharias nutibus id indicaret, utpote manu ad cœlum extensâ, moxque ad seipsum et præsertim ad os suum retractâ; sic enim indicâsse potuit, infantiæ suæ causam, visioni cœlesti adscribendam. Porrò voluit Deus populum conscium fieri visionis factæ Zachariæ: quò præpararetur ad magnam de Joanne concipiendam opinionem.

Et permansit. Permansit autem deinceps. Populus tunc tribuit obmutescentiam illam stupori quem ex visione conceperat; atqui ipse, etiam postquàm evanuisset visio et redditus esset sibi, permansit hujusmodi, quo magis admiratos esse omnes qui observârint, et grande subesse mysterium ominatos, credibile est; permansit autem, ad tempus usque prædictum ab angelo.

Mutus, simul et surdus; vox enim quæ hìc Græcè legitur, utrumque significat, quod diximus v. 20, et disertè à Græco Euthymio hìc annotatur. *Neque enim sola vox illi ablata est*, inquit, *sed et auditus, eò quòd cum incredulitate audisset ac locutus fuisset.* Sed et Syriacè hìc legitur vox illa, *heres* seu *hares*, de quâ eodem illo versu 20, egimus, quæ derivata licèt ab Hebræâ radice *haras* tacere, cùm surdum soleat significare, negari non potest quin significet hìc etiam mutum.

Vers. 23. — Ut impleti, postquàm finiti sunt.

Officii, *liturgiæ,* sacri ministerii, dies quibus ex ordine vicis suæ sacerdotio debuerat fungi, qui quidem ex more dies septem erant, incipientes cum sabbato, cumque eodem finientes, quod diximus supra v. 5. Quanquàm inter sacerdotalem functionem hoc adversi obvenisset ipsi, ut surdus et mutus redditus esset; rursùs quamvis lætum adeò ac jucundum nuntium accepisset; non priùs tamen deseruit officium, et ad uxorem abiit, quàm exactis muneris sui diebus. Egregium documentum, non facilè debere sacerdotes, sive prospera incidant sive adversa, munus deserere.

Abiit, è templo. Nam quamdiù durabant ministrandi vices tamdiù habitabant sacerdotes in exedris seu pastophoriis, adhærentibus porticibus templi exterioris, separati ab uxoribus et negotiis familiaribus, ut citra distractionem toti vacarent Deo rebusque divinis; id plerique omnes annotant, etiam veteres. Multis veteris Testamenti locis mentio est gazophylacii templi, sed non omnibus idem locus significatur. Quibusdam enim locis, *gazophylacium* intelligitur locus amplior, cœnaculi seu cubiculi instar, multarum rerum capax, ubi servabantur opes templi, ad templi ministerium, ornatum, instaurationem, aut ministrorum templi pauperumque sustentationem, comparatæ; erantque hujusmodi plura loca, quas cameras voces, junctæ porticibus atriorum templi, in quorum aliis pecunia, aliis supellex templi aurea atque argentea, aliis vestes sacerdotum pretiosæ, aliis alia hujusmodi custodiebantur. Hæc Hebraicè *liscoth,* Græcis interpretibus nunc *gazophylacia,* nunc *pastophoria*, Latino *exedræ et gazophylacia* dicuntur. Unde 1 Paral. 28, v. 12, legimus, de construendis exedris *in thesauros domûs Domini et in thesauros sanctorum*. Jerem. 35, v. 2, legis: *In unam exedram thesaurorum;* quæ exedra mox v. 4, vocatur *gazophylacium,* et quidem *filiorum Hanan*, quòd illi custodes essent; diciturque fuisse *juxta gazophylacium principum,* quo nimirùm præclariora templo à principibus viris oblata munera servabantur; hujusmodi de quibus legis 4 Reg. 12, v. 18, quòd tulerit « Joas « omnia sanctificata, quæ consecraverant Josaphat et « Joram et Ochosias patres ejus reges Juda, et quæ « ipse obtulerat, et miserit ea Hazaeli regi Syriæ, ut « recederet à Jerusalem. » Videntur etiam decimæ frumenti, vini atque olei, ac primitiæ sacerdotales, in gazophylaciis seu exedris templi aliquando servatæ fuisse, præsertim cùm primùm populus è captivitate Babylonicâ reversus esset. Sic enim promittit populus, 2 Esdræ 10, v. 37: « Et primitias ciborum no« strorum et libaminum nostrorum, et poma omnis « ligni, vindemiæ quoque et olei, afferemus sacerdo« tibus ad gazophylacium Dei nostri, et decimam

peculiare est illis qui cœlestes vident visiones, ut non solùm toto corporis habitu mutentur, sed et vocem nonnunquàm, ipso saltem tempore visionis amittant. Unde Moyses dicit se impeditioris linguæ factum, ex quo ei locutus erat Deus; et Daniel c. 10, v. 17, habitum suum interclusum fuisse.

Vers. 23. — Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus. Qui ex more erant septem dies, ut supra ex Josepho et Scripturâ diximus; quorum initium et finis erat sabbatum. Toto autem illo tempore habitabant in exedris templi, separati ab uxoribus, teste Hieron. lib. 1, contra Jovinian., ut negotiis familiaribus liberi toti vacarent Deo. Abiit in domum suam. Ex quo colligas eum nec propter illum adversum casum officium suum deseruisse.

« partem terræ nostræ Levitis. » Et cap. 13, v. 5, legitur : *Fecit ergo* (Eliasib sacerdos) *sibi*, (id est, ei, scilicet Tobiæ, affini suo) *gazophylacium* (seu cubiculum) *grande; et ibi erant ante eum* (id est, antequàm Eliasib Tobiæ cubiculum illic construxisset) *reponentes munera, et thus, et vasa et decimam frumenti, vini et olei, partes Levitarum, et cantorum, et janitorum, et primitias sacerdotales.* Quin etiam omnes exedræ sive cameræ, quæ erant in circuitu atriorum templi, vocantur à Latino interprete, apud Ezechielem præsertim, *gazophylacia* (Ezech. 40, v. 17, et deinceps) etiamsi non servandis templi opibus, sed aliis usibus servirent, nimirùm habitationi sacerdotum templo ministrantium, comedendis carnibus sanctis, etc. Aliis veteris Scripturæ locis, gazophylacium significat locum arctiorem, qui Hebraicè *Aron*, Latinè *arca* dicitur, quâ adservabatur pecunia templo à populo oblata, sive debita, sive spontanea, nonnunquàm etiam deposita, ut 2 Machab. 3, v. 10, 11. Et erant quidem in ipsis etiam exedris hujusmodi arcæ, quibus tum sacra tum à piis deposita pecunia includebatur; de quibus Josephus lib. 7 de Bello, cap. 11. « Quin « etiam arculas, quæ gazophylacia vocantur, incen« dunt, in quibus magna vis erat pecuniæ, ac plurimùm « vestium aliaque bona, et, ut breviter dicam, omnes « Judæorum congestæ divitiæ. » Sed Scriptura ferè loquitur de arcâ forinsecùs collocatâ, in quam ea quæ offerebatur votiva pecunia immittebatur per foramen exsistens in summo operculo; qualem arcam primus confici jussit rex Joas unà cum pontifice Joiadâ (quod legitur 4 Reg. 12, v. 9, et 2 Paralip. 24, v. 8) et quales visuntur etiamnùm hodiè in templis nostris. Sed illa quidem Joiadæ arca, posita fuisse videtur, ut loco tutiore, in summo atrii Israelis, ad latus aquilonare portæ per quam ingressus erat ex atrio Israelis in atrium sacerdotum, non longè ab altari holocaustorum; quò cùm non facilè accessus esset universo populo, sacerdotes janitores acceptam à populo pecuniam in arcam mox inferebant (4 Reg. 12, v. 9 et 22, v. 4); posterioribus autem temporibus, et quidem Christi Domini, collocata fuit in extremo atriorum Israelis ac feminarum, ad portam Orientalem, quâ egressus erat ex atrio feminarum in atrium profanum, idque ut populus ipse suâ manu, sive ingrediens sive egrediens, pecuniaria sua dona immittere in gazophylacium posset. Hujusmodi arcas sive gazophylacia, duo fuisse existimant quidam, ad singulum portæ latus, unum; credibile est ad singulas templi portas, unum ut nimùm fuisse, ne cui eorum qui templum frequentarent, templo benefaciendi deesset occasio. Atqui celeberrimum gazophylacium illud fuisse videtur, quod, ut diximus, situm erat ad portam orientalem, ut illàc celeberrimus erat in templum sive ingressus sive egressus : ex adverso cujus jam sedit Dominus Jesus.

IN DOMUM SUAM, sitam in montanis Judææ (infra v. 39) ad cohabitationem uxoris.

VERS. 24. — POST HOS AUTEM DIES, quibus abierat Zacharias in domum suam, id est, postquàm abiisset in domum suam. Quamdiù post, hebdomadâ aut mense, non dicitur; non diù tamen post, octiduo fortè plus minùs post. Quidam ex eo quòd Joannes natus sit 8 kalendas Julii, id est, die 24 junii, dicunt conceptum fuisse 8 kalendas octobris, die 24 septembris : sed videntur falli, quia 8 kalendas aprilis, quo die Christus conceptus est mensis sextus à concepto Joanne, non finitus erat, sed agebatur etiamnum, quod constat ex v. 26 et subsequentibus. Oportet igitur conceptionem Joannis paulò inferiùs collocare, ad aut circa kalendas octobris. Non dubium autem quin mox ut reversus fuerat domum Zacharias, indicaverit uxori causam taciturnitatis suæ, universumque Angeli nuntium, scripturâ partim, partim nutibus.

CONCEPIT filium, Deo operante; nam per se inepta erat.

UXOR EJUS, ab ipso cognita, volente non tam uti conjugii jure (quo hâc ætate ambo libenter abstinebant, quod credibile est, et annotatur à D. Ambrosio) quàm obsequi decreto Dei. *Congressus est cum uxore*, ait Euthymius, *propter promissum fœtum, silentii flagello edoctus ut angelicis verbis crederet.*

ET OCCULTABAT SE, celabat se esse gravidam. Non dubitabat an esset gravida, aut an ad partum feliciter esset perventura; nam de divino promisso secura erat; sed non judicabat hominibus manifestandum se esse gravidam.

MENSIBUS QUINQUE. Μῆνας πέντε, menses quinque continuos à conceptione; nam sexto mense labente, non facilè diutiùs poterat occultare, utero intumescente ac prodente, ut nec volebat diutiùs. Nam ut artificio, toto gestationis tempore, uterum obduceret, abhorrebat. Nec enim volebat celare partum, aut fœtum videri suppositum.

DICENS, interim apud se, hujusmodi causam occultationis versans apud animum suum.

VERS. 25. — QUIA, superest.

VERS. 24. — POST HOS AUTEM DIES CONCEPIT ELISABETH. Quod circa initium octobris aut finem septembris contigisse, ex verbis angeli v. 26, ac tempore conceptionis Christi satis colligitur. ET OCCULTABAT SE, id est, celabat se esse gravidam, publicum declinando, conceptumque non propalando. Causam reddit Orig. Homil. 6 in Lucam, et latiùs hic Ambr. verecundiam. Est enim, inquit, unicuique officio præscripta ætas, et quod tempore decet, tempore dedecet, senectus regendis liberis aptior est, quàm creandis, etc. Unde et Sara dicebat Genesi 18 : *Postquàm consenui, voluptati operam dabo?* quasi diceret, hoc verecundum esse ætati suæ. Colligit autem hinc Ambrosius, Zachariam et Elisabeth concubitu abstinuisse. Neque enim, inquit, ea quæ similem non erubesceret coitum, erubesceret partum. MENSIBUS QUINQUE. Mense sexto per visitationem beatæ Mariæ cessavit occultatio; et cessare debuit, ne partus videretur suppositilius : *Dicens* interim apud seipsam :

VERS. 25. — QUIA SIC FECIT MIHI DOMINUS; scilicet ut præ verecundiâ occultarem me, IN DIEBUS QUIBUS RESPEXIT AUFERRE OPPROBRIUM MEUM : ita scilicet auferens mihi opprobrium sterilitatis, ut alteri opprobrio intempestivi concubitûs me exponeret. Simul tamen his verbis tangit beneficium ablatæ sterilitatis, quæ apud Judæos maximè erat opprobrio, quòd pœna

SIC FECIT MIHI DOMINUS, ad eum modum egit mecum Dominus.

IN DIEBUS, his diebus, inexspectatis et insuetis, sed misericordiæ suæ opportunis. Indicat rem totam divinâ providentiâ, prælerque hominum opinionem factam.

QUIBUS RESPEXIT AUFERRE, seu ad auferendum, ut auferret, quibus dignatus est auferre, quibus misertus meî abstulit. Verbum respiciendi propriè significat gestum miserentis, idem quod misereri et beneficio afficere, nisi quòd misereri affectum voluntatis propriè notet: contrarium est aversari et avertere oculos. Verbo itaque respiciendi, declarat Elisabeth, se agnoscere Dei in se beneficentiam ac gratiam, et singulari Dei beneficio deputat quòd conceperit.

OPPROBRIUM MEUM, infamiam. Sic et Rachel Genes. 30, v. 23: *Abstulit Deus opprobrium meum. Ætate illâ,* inquit Titus, *probrosum erat apud homines, sterilem esse liberisve carere; sicut è diverso honorificum numerosam procreâsse sobolem;* sive quòd pœna peccati viderètur esse sterilitas, sive quòd singularis Dei benedictio, benedictio uteri, promissa Exod. 23, v. 26. Ac certè, quod ait D. Ambrosius, *pudor est feminis, nuptiarum præmia non habere, quibus hæc sola est causa nubendi.* Usque adeò verò apud veterem populum infamis ac probrosa mulieribus erat ἀτεκνία, ut legamus quibusdam exprobratum fuisse, quòd Dominus conclusisset vulvam earum, et privâsset eas fructu ventris sui, 1 Reg. 1, v. 6, Genes. 30, v. 2. Sed quia noverat Elisabeth, opprobrium illud apud homines maximè locum habere, apud Deum non item; addidit *inter homines,* quo inter homines laborabam. Nam sterilitatis vitium, non semper à Deo irato proficiscitur, sed nonnunquàm ab erudiente ad humilitatem, nonnunquàm à differente ad majorem gloriam suam; denique ipse est, qui pro suo beneplacito, *mortificat et vivificat, pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat,* prout canebat Anna, 1 Reg. 2, v. 6, 7. Jam ut intelligatur causa occultati uteri hìc reddita ab Elisabeth, subaudiendum est: *Sic fecit mihi Dominus,* ut nemo crediturus sit indicanti, potiùs risu excepturus. Ubi visum est Domino, me à probro sterilitatis eximere, voluit ut præter consuetum naturæ ordinem, vetula anus conciperem, singulari miraculo, quod fidem non obtineret, si antequàm extumescens uterus loqueretur, manifestarem. Hæc igitur causa fuit occultationis, quòd desperaret se persuadere hominibus posse (id quod ipsa certò noverat) se gravidam esse, ante finitos sex menses à conceptu, quando ipse uterus id esset declaraturus; desperaret autem, quia ipsa excessisset ætatem, concipiendo fœtui idoneam, ita ut fidem non tantùm non esset impetratura, verùm etiam cachinnis ac risui se expositura, nec parvam subitura verecundiam, quòd vetula daret operam voluptati, inani spe aut vano potiùs obtentu concipiendæ prolis, cujus non esset capax. Conceptæ divino miraculo prolis non eam pudebat; sed puduisset id narrare hominibus, antequàm spes esset fidei obtinendæ; verecundum enim foret matronæ pudicæ ac gravi, si intelligeretur vacare libidini et amplexibus mariti, quandò jam superàsset ætatem aptam generationi. Unde Sara Gen. 18, v. 12, auditâ promissione filii, *risit occultè, dicens: Postquàm consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Senes,* inquit Ambrosius, *ab ipsâ concluduntur ætate, et justo intemperantiæ pudore revocantur facere opera nuptiarum.* Prudenter itaque Elisabeth, ad tempus subticuit se esse prægnantem, læta interim et gratias agens Domino apud animum suum. Nam ubi jam uterus rem prodebat, non occultare, sed propalare potiùs studebat, quod ad Dei gloriam summoperè faceret.

VERS. 26. — IN, superest Latinè. MENSE SEXTO. Præmisso eo quòd quinque menses celaverit Elisabeth se esse gravidam, subjungit evangelista, quòd sexto mense missus sit angelus ad Virginem; intelligens utrumque à conceptâ per Elisabeth prole; sic interpretes plerique omnes, nominatim Origenes, Theophylactus, et Euthymius. Non ante sextum mensem missus est angelus, quia Joannes ut præcedere debuit Christum tam ætate quàm prædicatione, ita demonstrare debuit Christum etiamnùm clausus utero, infra v. 41. Porrò sexto mense, non labente tantùm, sed et finiente, missus est. Nam si Christus conceptus est 8. kal. aprilis, Joannes autem circa kal. octobris, quod supra diximus, is fuit dies primus concepto Christo, qui Joanni concepto dies unus ex ultimis mensis sexti. Porrò mensis hic sextus, Hebræis dictus fuit Nisan, quò egressus fuerat Israel ex Ægypto, quo intelligemus sex mensibus Joannem Christo fuisse seniorem. MISSUS EST ANGELUS GABRIEL, nomine suo significans fortitudinem Dei. Quem Hieron., in cap. 8, Danielis præliis præpositum esse docet, ut ita ratione officii aptus esset, qui Christum, Dei virtutem, ad præliandum cum diabolo nasciturum nuntiaret. A DEO, immediatè scilicet, non per angelum superiorem interpositum, sicut solent inferiores à superioribus mandata accipere, ut notat Bernardus, Hom. 1, super *Missus.* Nam Gabriel unus est ex iis qui adstant immediatè ante Deum. IN CIVITATEM GALILÆÆ, inferioris. Est enim duplex Galilæa; superior, quæ in septentrionem recedit; et inferior, quæ magis versùs austrum, habens ab ortu mare Tiberiadis, ab occasu Mediterraneum. CUI NOMEN NAZARETH; quæ vox scribenda esset non per, *s*, neque per, *z*, ut ferè fit Græcè et Latinè, sed per Tzade, sicut notat Hieron. in Nominibus Hebraicis, et ex titulo crucis Romæ asservato constat.

videretur esse inflicta à Deo, ut indicant verba Phenennæ, 1 Reg. 1, vers. 6, ad Annam: tum quòd pudor sit in feminis, inquit Ambrosius, nuptiarum præmia non habere, quibus hæc sola est causa nubendi: videntur enim uti conjugio non ad fructum, sed ad voluptatem. Unde qui certò deprehenderant se esse steriles, infructuosum thorum de mutuo consensu præ pietate separabant, sicut Abraham et Saram fecisse notat Augustinus in Epist. ad Galathas; Zachariam verò et Elisabeth Ambrosius in hunc locum. Sed quia fieri poterat, ut neutrâ ex causâ opprobrium sterilitatis haberet locum apud Deum, sicut in sanctissimis mulieribus patuit, Sarâ, Rebeccâ, Rachel, matre Samuelis, et matre Samsonis; hinc addit; *inter homines.*

VERS. 26. — IN MENSE AUTEM SEXTO, à conceptâ scilicet prole per Elisabeth, quamvis juxta computum sacrum mensium et anni fuerit mensis primus, videlicet Nisan, et vigesimus quintus martii nostri. Ex

primus in mensibus anni, si numerandi sint dies sacri (nam Tisri primus fuit anni vulgaris et mundi creati) respondens partim martio, partim aprili, nostris. Dies autem illius mensis, juxta morem numerandi Latinum, fuit octavus ante kalendas aprilis, quod dicebamus, id est, 25 martii : et quidem fuit feria sexta seu dies Veneris, quod plerique putant.

Missus est, cum mandatis, amandatus est, è cœlo scilicet, angelus. Non congruebat nuntium hoc ab ipso Deo afferri, sed intercedere alium qui Virginis consensum conciliaret, et Dei nomine reciperet, instar paranymphi; quomodò vocatur hic angelus serm. 25, appendicis sermonum de diversis apud Augustinum. Nec congruebat per hominem mitti : *Tantum enim mandati mysterium, non hominis fuit, sed angeli ore promendum,* ait Ambrosius; nimirùm, quòd Deum ipsum proximè tangeret, per unum è curialibus et familiaribus Dei. Initio creati hominis, malus angelus attulerat interitum; in plenitudine temporis, bonus angelus annuntiat salutem.

Gabriel. Non quilibet Angelus, sed *Gabriel,* qui sexto ante mense missus ad Zachariam, annuntiaverat ortum præcursoris Christi; unus ex summis et nobilissimis Angelis, Deo proximè assistentibus, supr. v. 19. *Qui tantæ inter suos inveniri potuit excellentiæ, ut tali et nomine dignus haberetur et nuntio,* ait. D. Bernardus, homil. 1. in hoc Evangelium. *Ad hoc quippe ministerium,* inquit Gregorius, *summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat.* Hom. 34, in Evangelia. Videtur commissum à Deo fuisse Archangelo Gabrieli, totum negotium annuntiandi mortalibus adventus Christi. Hinc enim ad Danielem, hinc ad Zachariam, hinc ad Virginem missus est. Vide supra v. 19.

A Deo. Trinitate, idque immediatè, quod sentio cum D. Bernardo, qui hom. 1 in hoc Evangelium : *Non ab alio aliquo,* ait, *fortè excellentiore se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur.* Cùm enim de ipsius Dei incarnatione ageretur, non mediantibus aliis superioribus, sed ab ipso immediatè Deo haud dubium est fuisse missum : quanquàm probabile sit, non solùm Gabrielem, sed et omnes Angelos, superiores, inferiores, hujus legationis fuisse conscios, ut omnes exsultarent et Dei misericordiam extollerent, adjicientis animum, ad reparandum, admirabili adeò modo, humanum genus, et supplenda ex hominibus loca Angelorum prævaricatorum.

Nazareth. Vide Matth. 2, v. 22, et 23, descriptionem tam Galilææ quàm Nazareth : et observa, *Nasareth* potiùs per *s* scribendum quàm per *z* : etsi consuetudo aliud obtineat tum Græcè tum Latinè. Quanquam Maria et Joseph essent ex tribu Juda, cujus sors sita erat in Judæâ, habitabant tamen in Galilæâ, occasione incertum quâ, sed Deo dirigente, et eligente, exinanitioni humilique Filii sui ortui, loca terræ humilia ac vilia : sed quæ hâc tamen ratione reddiderit illustria, ac nominatim Nazareth, juxta nomen suum, *florem Galilææ,* quomodò eam vocat D. Hieronymus Epistolæ 17, ad Marcellam.

Vers. 27. — Ad adolescentulam virginem, et cor-

Vers. 27. — Ad Virginem. Quod epitheton deinceps matri Dei tam stabiliter adhæsit, ut Epiphan. hæresi 78, num. 8, dicat neminem exstitisse, qui nomen S. Mariæ proferre ausus sit, et non statim Virginis vocem adjiceret. Desponsatam viro, id est recenter nuptam licèt incognitam. Nam quamvis vox tam Latina quàm Græca significet promissam, usurpari tamen solet pro nuptâ, ut patet ex cap. 2, vers. 5, ubi eodem modo *desponsata* vocatur, cùm jam esset prægnans, et in mariti potestate. *Desponsatam* ergo maluit quàm *nuptam* vocare, ut incognitam significaret ; quo loquendi usu sponsus et sponsa vocantur, quamdiù nullus intercessit concubitus. Et tunc *desponsata* dicitur tanquàm sponsa tradita et recenter nupta : nam infra 2, v. 5, dicitur Joseph ivisse *cum Mariâ desponsatâ sibi uxore* in Bethleem, et Matth. 1, vers. 20, vocatur *conjux*, prout hoc urget August., lib. 1, de Nuptiis, c. 11. Et sanè nisi eo tempore quo jam gravida nosci poterat, fuisset vera conjux, atque ita tradita viro, ut sine infamiæ notâ cognosci potuisset, non satis fuisset consultum honori et famæ Virginis, ne stupri, in domo patris perpetrati, rea putaretur, et juxta legem Deut. 12, v. 12, lapidaretur; nec auctoritati Christi, ne tanquàm spiritus à Judæis rejiceretur ; nec Joseph idoneus fuisset custos, ac testis integritatis Virginis, cui tanquàm marito, adeòque zelotypo in causis istis, pro uxore maximè creditur. Nam præter adjutorium in educandâ prole, istæ præcipuæ erant illius conjugii causæ, ab Hier. et Ambros. initio lib. 2. in Lucam, et aliis passim, notatæ. Unde pulchrè Ambros. : Maluit Christus, inquit, aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore, dubitare; sciebat enim teneram esse Virginis et lubricam famam, nec putavit ortùs sui fidem matris injuriis adstruendam. Satius quippe erat Josephi filium, quàm inhonestæ mulieris, videri. Alia ab iisdem causa et penè ab omnibus tangitur, Orig., homil. 1, in diversos; Basil., hom. de humana Christi Generat., ut mysterium conceptûs et partûs diabolum lateret; quæ desumpta est ex Ignatio, epist. ad Ephes.; quomodò autem vera sit, non satis liquet. Cui nomen erat Joseph; ut ipso nomine castitatem alterius Joseph referret, fidemque pudicitiæ, quam servaret Mariæ, tanquàm dominæ suæ, ut Bern. latiùs. Itaque officio fuit custos virginitatis, curâ pater familiæ, arte faber, cui desponsata Maria, ut omnem typum carnalis nobilitatis extingueret, inquit August. lib. de catechizandis Rudib. c. 22. De domo David. Addit hoc præcipuè, ut ejusdem stirpis intelligamus fuisse B. Virginem familiæ hæredem, quia juxta legem, Num. 36, cogebatur viro non solùm ejusdem tribus, sed et ejusdem familiæ nubere, idque ut hæreditas maneret non solùm in tribu, sed et in familiâ. Cogebatur ex lege viro de eàdem tribu nubere. Quod intelligendum est non de lege generali conjugii in populo Judaico; manifestum est enim viros etiam justos sæpiùs duxisse uxores alterius tribûs, quo modo David duxit Michol, filiam Saul, de tribu Benjamin, et Joiada Pontifex duxit Josabeth, filiam regis de tribu Juda, 2 Paral. 2, et omnes tribus Israel jurârunt, Jud. 21, se non daturos filias suas Benjamitis, quasi ante fuisset hoc usitatum ; sed intelligendum est de speciali lege, quæ statuit, Num. ult. ut feminæ hæredes, hoc est, quæ carent fratribus, de eâdem tribu maritos accipiant, ut sic hæreditates tribuum non permiscerentur. Et nomen Virginis Maria. Græcè est ipsissimum nomen Syriacum *Mariam* dissyllabum indeclinabile quod Hebraicè dicitur *Miriam;* vertique potest, *Amaritudo maris*, vel, *Domina maris.* Quomodò autem et illuminatricem maris seu stellam maris juxta multos significet, dictum est alibi.

pore et spiritu sanctam; ætatis, quod habet opinio vulgata, annorum circiter quindecim.

Desponsatam, desponsam, id est, recens nuptam, traditam, sed incognitam. Nam quanquàm tam Latina vox, *desponsata,* seu *desponsa,* quàm Græca propriè non ampliùs significet quàm promissam, usurpatur hìc tamen ab Evangelistâ pro nuptâ. Manifestum id fit ex capitis proximi v. 5, ubi similiter dicit, *cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.* Nam si unquàm, vel tunc, instante partu, nuptias inierant. Cur igitur desponsam vocat potiùs quàm nuptam? propterea quòd Joseph non secùs abstineret ab eâ, quàm si nondùm eam duxisset; ut certè loquendi consuetudo habet, ut maritus et uxor, sponsi sponsæque nomina retineant, quamdiù se mutuò non cognoverunt; tametsi, *non defloratio virginitatis faciat conjugium, sed pactio conjugalis,* quod ait D. Ambrosius libri de institutione Virginis capite 6. Nupta igitur erat Maria, priusquàm angelus ad eam mitteretur, ipsaque Christum conciperet, quod docet etiam Origenes homiliâ 6 in Lucam; nam si post demùm nupsisset, quomodò ipsius filiique honori fuisset consultum, quæ ante nonum à nuptiis mensem peperisset? *Non te moveat* (inquit Ambrosius initio libri 2 in Lucam) *quòd frequenter Mariam Scriptura conjugem vocat, non enim virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, et nuptiarum celebratio declaratur. Denique, quam non accepit, nemo dimittit : et ideò qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.* Hæc ille. E parentum arbitrio, sed horum animos moderante Deo, sanctissima virguncula, mater futura Filii Dei, viro uxor tradita est : inprimis ut incarnati Filii Dei genus per virum innotesceret; deinde ut ne Virgo ex stupro aut fornicatione concepisse existimaretur, et filius ejus proinde spurius haberetur, neque Christus unquàm agnosceretur. Tum ut vir integritatis Virginis testis esset et custos, Virginique in pueri educatione, in fugâ ac fortunis cæteris, adesset; denique ut partus diabolum celaretur. Nupta autem fuerat cùm angelus mitteretur, si conjecturæ est locus, jam diebus sex, ut sex ante Annuntiationem diebus, Ecclesia celebrat memoriam beati Joseph, et nuptiarum illarum virginearum, dans intelligendum, eo tempore Virginem, Spiritu sancto operante fecundam redditam, quo credi posset inter se convenisse filios sanctorum, tanquàm sex diebus à nuptiis continenter et in oratione actis, duplicato dierum numero, quem angelus Tobiæ præscripserat, Tob. 6, v. 22.

Viro, ætatis vigentis perfectæque, quâ et liberos generare, et victum familiæ comparare valeret.

Joseph. Certè vir hic fuit, qui hoc tanto honore auctus est (Joseph nomen est ab augendo acceptum, quod ex Gen. 30, v. 24, intelligitur) ut maritus esset matris Christi, Christique esset educator et curator, postremò pater haberetur, quin et suo modo esset. Nec dubium quin ideò voluerit Christus matris suæ maritum Joseph nominari, ut intelligerent fideles, eum ut nomen ita et castitatem assecutum veteris illius patriarchæ Joseph. Porrò idcircò huic potiùs quàm alteri, Deo agente, desponsata est mater Christi, quia hic proximus fuisse videtur regni Davidici hæres, à quo voluerit illud Deus recto ordine ad Christum devolvi, quod locum non haberet si ante matrimonium initum conceptus esset Christus.

De domo, oriundo ex familiâ, ex stirpe, ex nepotibus David. Vir erat vitæ conditione humilis, sed nobilis genere Davidis regis, cui promissus fuerat Christus filius. Alludit ad illud Psalmi 131, v. 11 : *Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Nam quod de Joseph dicit Evangelista, vult intelligi et de Mariâ, quòd scilicet et ipsa fuerit de domo David, annotantibus Theophylacto, Tito atque Euthymio : eò quòd Judæi libenter è suâ familiâ uxores ducerent, quædam etiam virgines, qualis hæc, suæ familiæ viris nubere tenerentur. Hìc nascitur gravis quæstio : Cùm Josephus naturâ Jesu pater haudquaquàm sit, quid ad Jesum pertineat genealogia Josephi? Primùm respondetur ex D. Hieronymo *non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur;* nam id, tametsi quandoque legatur (1 Paral. 2, v. 16, 17) perrarum est. Cùm enim vir mulieris sit caput, et ad mariti familiam, etsi priùs alterius fuerit, uxor per connubium transferatur : non decet utique, nuptam mulierem, viro prætermisso, in generationis seriem assumi, aut genealogiam ejus nisi per maritum scribi. *Itaque,* inquit B. Augustinus, *quia maritus erat Mariæ Joseph, propter virilem sexum potiùs honoranda persona,* libri 23 contra Faustum, cap. 8. Verùm ne dicas communem consuetudinem servandam hìc non fuisse, ubi ejus qui, præter communem generationis modum, sine patris operâ, genitus est, prosapia recensetur : accipe id inprimis, ignorari haud debuisse Josephi progeniem. Cùm enim pater Jesu juxta publicam famam habitus sit, ac priùs Jesus prædicatus atque ostensus sit Christus esse, quàm è Virgine natus, constare debuit Josephum, è Davidis domo, cui Christus promissus fuerat, oriundum; tum etiam, si aliunde oriundus fuisset, eò translata fuisset et uxor Maria, nec ita jam censita, ipsa aut proles ejus, de familiâ David. Ignorari itaque haud debuit Josephi genus, vel idcircò, ne videri posset, Judæis fuisse justam occasionem rejiciendi Jesu, neque agnoscendi pro Christo. Jam verò, ex Josephi genere voluit evangelista intelligi Mariæ ipsiusque Jesu genus :

Maria nomen est Græcorum Latinorumque nominum terminationi assimilatum, quod vernaculo Syrorum idiomate dicebatur *Mariam,* estque à D. Lucâ ita servatum ἄκλιτον seu indeclinatum, Luc. 1, v. 27, 30, 34, 38, 39, etc.; item 2, v. 5, etc. Porrò dissyllabum Syris et Hebræis est *Mar-jam,* vertique potest : *Domina maris; mar* enim dominum seu dominam; *jam* mare significat. Quo nomine primùm vocata legitur soror Mosis prophetissa, quæ mari transmisso, laudes tympano et voce Domino cantabat, cæteris mulieribus, ut dux, præcinens : *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est; equum et ascensorem ejus*

dejecit in mare, Exodi 15, v. 20. Alii à *ram,* eminuit, deducunt, priori *M* accepto pro eo cujus ministerio fiat nomen à verbo : nam media littera, quæ in verbo quiescit, in derivato movetur ; q. d : excelsa, sublimis, atque eminens. Tantus nominum et circumstantiarum acervus, quantus hìc à D. Lucâ congeritur, plurimùm commendat historiæ fidem.

Vers. 28. — Et ingressus. Ingressus igitur sine morâ, legationis conficiendæ gratiâ. Non apparuit ex improviso, ut supra, vers. 11, Zachariæ, sed usus motu corporali *ingressus* est in domum quam Virgo inhabitabat, idque mediâ nocte (quæ est verisimilior opinio ; nam et mediâ nocte Christus natus est) dùm virgo orationi rerumque divinarum contemplationi adhuc vacaret, antequàm ad quietem membra composuisset.

Angelus. Gabriel, assumpto ex aere corpore, humanæ ac virilis formæ, multâ luce conspicuo, simul et vestibus congruis, insolito radiantibus fulgore, comitatus (credibile est) pluribus aliis inferioribus angelis, corporum expertibus, quos Virgo viderit spiritu ; denique ita apparatus et instructus, ut præ se ferret supremæ majestatis legatum, qualis reverà erat.

Ad eam. Jungimus participio præcedenti, ut Syrus, non verbo sequenti. *Ad eam* ergo, id est, in conclave seu cubiculum, ubi ipsa sola agebat. Significatur enim propria ejus mansiò, ubi ipsa sola manere consuevisset. Sic interpretantur veteres, nominatim Ambrosius, cùm alibi, tunc hunc enarrans locum, et Bernardus, homil. 3. in *Missus :* cujus verba sunt : « Quò ingressus ad eam ? puto in secretarium pudici « cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio ora« bat Patrem in abscondito, etc. Angelicis enim spi« ritibus parietes non obsistunt, » etc. Hæc Bernardus. Nec dubium est, quin precibus rebusque divinis vacanti Virgini apparuerit angelus, ut supra v. 11, Zachariæ sacrificium Deo offerenti ; omninòque credo, eo rerum statu Virginem ab Angelo inventam, quo idonea esset, non tantùm ad excipiendam legationem cœlestem, verùm etiam ad concipiendum Filium Dei, nimirùm mente simul et voluntate in Deum perfectissimè elevatâ ac transformatâ. Fortassis enim rogabat tunc ardenter Deum, accelerationem diù exspectati adventûs Messiæ Salvatoris. Porrò conclave Virginis, si quæ occuparent tenebræ, discussæ haud dubium illæ sunt, admirabili fulgore, quo totum illud angelus complevit, ita ut claritas Dei

Vers. 28. — Et ingressus ad eam Angelus. Non ergo foris vagabatur, sed in conclavi fuit, ut notat Bernard., Hom. 3, in *Missus,* et Ambr. hìc : Sola, inquit, in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus angelus reperiret ; sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere depravaretur affatu. Dixit, Ave, Græcè χαῖρε, quod à χαίρειν, *gaudere,* deducitur. Unde Basil., hom. 23, dicit Mariam ab angelo gaudere jussam ; sicut et Raphael Tobiæ dixit salutando, *Gaudium tibi sit semper ;* et Ecclesia precatur Virgini : *Gaude et lætare,* etc., et : *Regina cœli, lætare;* etc. Noster interpres vertit ; *Ave :* quæ vox est salutem apprecantis et gratulantis. Et ita exponendum videtur, ut respondeat communissimæ salutationi Hebraicæ *Schalom lach,* id est ; *Pax tibi,* sicut et Syriacè legitur. Ubi *Pax* non aliud significat quàm Latinis, *salus* et, *omne bonum,* sive angelus hoc dixerit apprecando, sive potiùs cum quâdam veneratione gratulando ; quo sensu ab Ecclesiâ vox illa frequentatur in angelicâ salutatione ; et quando dicimus Cruci : *O crux, Ave, spes unica ;* et chrismati : *Ave, sanctum chrisma.*

Gratia plena. Græcè est participium quod hæretici, Vulgatam versionem vitiantes, diversissimis modis reddiderunt *grata, gratiam consecuta, dilecta, accepta, justificata,* plerique, *gratiosa :* ita suâ dissensione confirmantes Catholicorum etiam veterum consensionem, qui reddiderunt, *gratiâ plenam ;* Ambros., Augus., in Enchiridio, c. 26, et alii. Gratiâ autem plena dicitur, eò quòd Spiritu sancto, ejusque donis omnibus, quibus grati efficimur Deo, abundaret, propter quæ Deo esset acceptissima, ita ut Domini sui, imò Domini omnium mater futura esset, inquit August. loco cit. Quod plenitudinis genus omnem omninò gratiam comprehendit, quam decebat habere eam, quæ jamjam fieret mater Dei, sive illa esset immunitas à peccato, tam originali quàm actuali, sive ab omni, quod quovis modo ad peccatum incitat, Deoque displicet, ut concupiscentia et ignorantia, etc., sive esset, omnis gratia et virtus, quam ullus sanctorum nunquàm acceperit, sive aliud quidpiam nobis ignotum. Unde quamvis et aliis nonnullis plenitudo gratiæ et Spiritus sancti tribuatur, ut Joanni supra, v. 15, Stephano et septem diaconis, Act. 6, et aliis ; non tamen propterea Virgini comparandi sunt. Unicuique enim plenitudo tribuitur, officio, cui dedicatur congrua. Cùm ergo matrem Dei esse sit supremum, ad quod præter unionem hypostaticam humana natura possit assumi, plenitudo hìc intelligi debet tanta quanta congruit tantæ dignitati. Nam et fons et fluvius et rivulus pleni sunt, etsi diversa sit in singulis aquarum abundantia : Christus fons omnis gratiæ, Maria fluvius fonti proximus ; reliqui rivuli. Unde non caret emphasi, quòd Angelus, nomine ejus proprio suppresso, vocet eam nomine appellativo, *Gratiâ plenam,* tanquàm proprio. Quod fieri non solet, nisi cùm nomen aliquod ita singulariter alicui, ut penè soli competit et omnes superat ; ut cum *Sapiens* ponitur simpliciter pro Salomone, *Justus* pro Christo, *Apostolus* pro Paulo.

Dominus tecum ; per incarnationem, inquit Bernardus, Serm. 3 in *Missus;* sed hoc videtur repugnare vers. 31 et 35. Unde alii exponunt ; *Dominus tecum,* per incarnationem mox futuram. Sed Angelus non videtur significare, qualis futura esset, sed qualis jam esset. Unde nec subaudiendum videtur verbum *sit,* sed potiùs *est :* ut non sit optantis, quemadmodùm Ruth 2, v. 4, sed gratulantis, conformiter ad prima verba. Dicitur autem Dominus esse cum illis quibus favet, quos custodit, quos regit, quibus prosperos successus tribuit, quos ad magna evehit, sicut dicebatur esse cum Joseph, et cum David, et cum Moyse, Josue 1, v. 5, et cum Paulo, Act. 18, v. 10. Itaque tangitur hìc causa, cur sit gratiâ plena, videlicet favor Dei ; cujus effectus ampliùs explicatur verbis sequentibus. Benedicta tu, supple, *es :* phrasis Hebræis usitatissima, id est, benedictionibus seu beneficiis amplissimis à Domino, qui tecum est, cumulata. In mulieribus, id est, inter mulieres, sicut eadem omninò verba Græca vertuntur versu 42, quod non significat aliud quam præ mulieribus, seu super omnes mulieres. Quas potiùs nominat quàm viros, tum quòd comparatio inter ea fieri soleat, quæ sunt ejusdem generis, tum quòd benedictiones aliquæ, ut electio ad dignitatem matris Dei, conceptus sine libidine, salvâ virginitate, etc., sexui muliebri esset peculiaris ; tum denique quòd Christus Dominus vir solus esset, super omnia Deus benedictus in secula, ut notat Bernard. Serm. cit.

circumfulgeret Virginem, multò magis quàm infra 2, v. 9, pastores.

Dixit, prout habebat in mandatis. Non enim dubium, quin verba quoque quibus uteretur, angelo fuerint præscripta à Deo.

Ave. Ut naturale est primo accessu salutare eos quos volumus, quò declaremus amicos nos advenire : ita Angelus *Ave* inquit, quæ vox est salutantis, ut significet pacificum esse ingressum suum. *Ave* autem non minùs quàm Græcum χαῖρε, interpreteris et *salve* et *gaude,* ut sit vel precantis vel gratulantis salutem. Alii hoc, alii illo modo accipiunt ; nos utrumque jungamus. Nam et forma salutandi, quæ hìc Syriacè legitur : *Selom lechi*, Pax tibi ; quâ, utpote Hebræis familiari, verisimile est angelum usum ; utrumque admittit ; vel enim *sit* subaudire potes, vel *est.* Pax hâc formâ loquendi idem est quod salus. Salutatio signum est benevolentiæ, amicitiæ, ac dilectionis, quâ videlicet optima quæque et fausta omnia precamur illis ad quos accesserimus : nam et pacis nomine dùm ad salutationem eo Hebræi utuntur, intelligunt id quod nos nomine salutis, prosperitatem nempe omnem felicitatemque. Significamus autem plerique corporis salutem et rerum temporariarum prosperitatem : Christus diviniùs utens, vulgi licèt verbis, salutem regni cœlorum præsertim, animæ salutem felicitatemque æternam, quam Evangelium annuntiat, vult intelligi. Vult itaque ut discipuli, primo ingressu, consuetâ salutandi benevolentiâ animos præoccupent eorum ad quos divertunt, et tentent explorentque an sint se digni hospites. Pacem ergo seu salutem angelus ab exordio precatur, ut testetur se amicum venire, non inimicum, nec triste sed lætum nuntium afferre ; salutem seu pacem gratulatur, quò animum addat Virgini, declarans salute ipsam abundare copiosè, tametsi queat illa augeri, ut mox cumulatè augenda sit. *Quandoquidem Deus ad Evam dixerat,* ait Titus : *In dolore paries filios* ; *propterea angelus gaudium, per quod dolor olim decretus solvatur, Virgini denuntiat.* Similia habent Euthymius et Theophylactus.

Gratia plena, ô gratiâ plena. Græcè est κεχαριτωμένη, participium passivum præteriti temporis à verbo χαριτόω : quod cùm Ephes. 1, v. 6, Latinus interpres vertat *gratificare,* pro gratum charumque reddere, seu efficere ut placeat quis ; potuisset hìc quoque vertere *gratificata.* Sed quia vox illa insolens est, vertit ad sensum, *gratiâ plena,* accepto participio pro nomine ; quod frequens est Hebræis, præsertim quando nulla additur verbo seu participio certa persona. Neque solus Latinus interpres, verùm etiam Syriacus ad hunc modum vertit *maliat taiboutho,* quæ ejus sunt verba, id est, *plena gratiâ.* Et ne dicas id nihil aliud quàm Latinæ versionis imitationem esse, ut est vetus Latina hæc versio, usitata primis Christianis Latinis, ut primis scriptoribus, Hieronymo, Ambros., August., aliisque ; idem interpres Syrus, illo ad Ephesios quem diximus loco, ex χαριτοῦν vertit *effundere gratiam,* intelligens, verbo illo, non gratiam tantùm, sed et abundantiam gratiæ significari. Nam *sephah* verbum quo utitur, effundere, *sephouho* nomen inde deductum abundantiam atque exuberantiam declarant. Quod enim hìc dicitur plena, non ita urgendum est, quasi non capax majoris gratiæ, quasi nihil ampliùs gratiæ à Deo addi possit, quemadmodùm Jo. 1, v. 14, Verbum caro factum dicitur *plenum gratiæ ;* sed *plena* ponitur pro abundans, et cui pro præsenti rerum statu nihil desit gratiæ ; ita ut pro *plena gratiâ* licuisset vertere gratiosa, cùm Latina nomina derivativa, terminantia in *osus,* copiam abundantiamque significent. Post enim, in conceptione ac nativitate Christi, Spiritu sancto in eam superveniente, et totâ deinde vitâ, innumeris heroicarum virtutum exercitiis refertâ, semper profecit Virgo et crevit gratiâ, donec assumpta in cœlum, summo gratiæ culmine cumulata ac perfecta est. Porrò gratia cùm significet, et placentiam ipsam ut sic dicam, id est, affectum quo quis fertur in alium, ita ut ipsi placeat, et id ob quod quis alteri placet, id quod causa est ut quis alteri placeat : oportet hìc utramque significationem conjungere, et intelligere, Mariam salutatam *plenam gratiâ,* quòd per plenitudinem donorum Spiritûs sancti, quâ erat ditata atque ornata, acceptissima esset et summè amabilis ac placens. Quod ad posterius significatum, plena erat gratiâ, quòd expers esset semperque fuisset omnis peccati, originalis et actualis, etiam levissimi, adeòque etiam ejus omnis quod ad peccatum incitat aut præparat, aut quovis modo Deo displicet quàcumque in animæ facultate, etiam infimâ : ad hæc plena erat omnis generis gratiâ, omnibus divisionibus et partibus gratiarum, ita ut nulla unquàm gratia, nulla virtus, nullum Spiritûs sancti donum, alicui concessum fuerit, quod illa excellenter non obtineret, quanquàm non omnium usum obtineret ; insuper erat plena gratiâ, quia omnis ejus actio laudabilis erat, actioque virtutis ; denique tam plena erat gratiâ. quàm deceret eam esse, quæ electa erat in Matrem unigeniti Filii Dei : ad eum sanctitatis gratiæque gradum ascenderat, quo digna esset concipere Filium Dei, omnis gratiæ auctorem ac fontem. *Præparaverat enim Pater, Spiritu sancto cooperante, Virginis corpus et animam, ut dignum Filii sui habitaculum effici mereretur,* quod canit Ecclesia. Cùm ergo tota esset immaculata, formosa ac pulchra, quod posterioris est significati gratiæ, consequenter quod ad prius gratiæ significatum fuit plena gratiâ, quia undecumque modisque omnibus grata, chara atque accepta, quia summè amabilis, suavis, delectabilis, jucunda, in quâ placerent omnia, nihilque esset quod non placeret. Jungendo ergo utrumque significatum dicta integrè est *plena gratiâ,* quod diximus, eò quòd ita abundaret atque afflueret omnis generis gratiâ, ut meritò grata adeòque gratissima esset. Sed cui? id non exprimit Angelus, absolutè loquitur : relinquit autem intelligendum, Deo et Deum timentibus angelis atque hominibus, omnibus, inquam, rectis judicibus. Hujusmodi gratiæ abundantiam, significatam voce Græcâ, videtur intellexisse etiam Athanasius Græcus auctor, dùm

scribit circa medium homiliæ de sanctissimâ Deiparâ in hæc verba : « Spiritus sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ « illi per rationem divini principatûs adsunt, imbuens « eam gratiâ, ut in omnibus gratiosa esset : atque idcircò gratiâ plena cognominata est, eò quòd adimpletione Spiritûs sancti omnibus gratiis abundaret. » Athanasio adstipulatur Chrysostomus homiliâ primâ in Epistolam ad Ephesios, ubi explicans illud, ἐχαρίτωσε, *gratificavit : Hoc est*, inquit, *non solùm liberavit à peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quomodò enim si quis quempiam scabiosum*, etc., declarat pulchro exemplo, quod tandem concludens : *Ita nostram instruxit*, ait, *et ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem et amabilem, angelis ac sibi.* Postremò ad Bezanæ versionis marginem editæ anno 1575 alius quidam hæreticus, nihil melius invenit quod annotaret, quàm : « Ad verbum reddi possit, *gratiæ et favoris plena.* » Quamvis autem hujusmodi copia atque excellentia, vi vocis illius κεχαριτωμένη hìc non significaretur, quod hactenùs docuimus : vel eo tamen significaretur, quòd ea vox antonomasticè hìc usurpetur ab angelo, loco nominis proprii. Non enim dicit : *Ave Maria gratiâ plena*, sed *Ave, gratiâ plena*, tanquàm *gratiâ plena*, quod est nomen appellativum, sit nomen ipsius proprium. Qui modus loquendi locum non habet, nisi ubi quis ita excellit in eo genere rei quæ ipsi tribuitur, ut sit singularis et solus propemodùm habendus hujusmodi : quemadmodùm cùm Justus dicitur pro Christo, et Sapiens pro Salomone. Sic igitur et Virgo hìc singulariter κεχαριτωμένη vocatur, tanquàm sola sit nullaque ipsi conferenda, quod ad gratiæ excellentiam, dignitatem, et copiam, ut certè non mulieres solùm, sed et creaturas omnes superabat. Profectò magno illam honore afficere mens angeli, imò Dei fuit, dùm suppresso nativo nomine, nomen illi dedit à gratiâ, tanquàm quæ sola polleret omnis generis gratiâ, solaque digna esset quæ Deo placeret. Et certè incomparabili debuit pollere gratiâ, quæ sic Deo placuit, grata et accepta fuit, ut electa et idonea judicata, ad hoc ut Dei Filium suo utero conciperet, et fieret mater Filii Dei ; nihil mirum, si hujusmodi dignitate nomen proprium perdatur, quâ non potest major in muliebrem sexum competere. Nunquàm enim ad summum illud mysterium subeundum elegisset Deus, nisi eam quæ dignissima esset, et tanquàm proximè ad ipsum Deum accedens summoperè placeret. Atque huc respicit angelus, quamvis id nondùm explicet, intelligens eam Deo tantoperè esse gratam, ut velit Filium suum, quo nihil habet aut pretiosius aut charius, carnem ex ipsâ accipere. Atqui, ait Beza, dùm vertitur, *gratiâ plena*, aut, *gratiosa, negligitur quod præcipuum est, nimirum quòd favoris causâ, in solâ Dei gratuitâ benevolentiâ consistat ;* quocirca vertit ipse *gratis dilecta*, idque exponit, *quam Deus pro suâ gratuitâ bonitate gratam et acceptam habuit.* Nota quòd non dicat *fecit*, sed *habuit*, nec enim vel tantùm laudis ascribat Virgini, quòd Deo grata sit, sed solùm quòd grata habeatur. *Ave, gratis dilecta*, reddit. O scitum rhetorem, qui dùm laudare alium, ejusque benevolentiam captare velit, ea ante omnia proponat, quæ animum illius deprimant, ut sciat, si quid laude dignum habeat, aliunde, non ex se habere. Hoc ad retundendos superbos valet ; sed angelus perspectam habens Virginis humilitatem cum prudentiâ conjunctam, solitæ laudes suas transcribere Deo, peritior orator tacet, cujus dono hoc habeat quòd laude digna sit, simpliciter autem laudat ab eo quod obtinet, quòd sit *gratiâ plena*. Sunt et catholici tractatores, qui annotent, participio passivo κεχαριτωμένη, significari donum Dei quo facta sit gratiâ plena ; potuit id insinuâsse angelus, non credo voluisse significare : nec enim ea vox Græca, ut neque Hebraica *Nirsa*, aut Syriaca *Rehimto*, si fortè harum aliquâ usus est angelus, necessariò in se includit gratuitum Dei favorem, nisi addatur Dei aut Christi mentio, quemadmodùm Apostolus addit : possit intelligi quòd naturâ, aut propriis viribus, aut humanâ industriâ, facta sit hujusmodi, ita ut rectè intellexerit interpres, quod diximus, participium loco nominis positum. Quanquàm id prorsùs verum est, Virginem Dei dono accepisse id omne quo Deo placuit, atque in hunc finem et usum accepisse hanc gratiæ plenitudinem, ut idonea esset ac digna quæ fieret mater Dei, cæteroqui non accepturam.

Dominus tecum. Alius salutandi modus usurpatus Hebræis, Jud. 6, v. 12, Ruth 2, v. 4. Videtur autem hìc subaudiendum potiùs *est* quàm *sit*, quia gratulari potiùs angelus Virgini videtur bonum præsens, quàm precari futurum. *Dominus* Deus Israel, *tecum* est ; in suâ te servat tutelâ, favet tibi singulariter, et regit te, cùm ad privatam tuam, tum ad publicam salutem. Signanter enim cum eis esse dicitur Dominus, quos gubernat in eo in quo constituti sunt publico munere, ita ut ad salutem populi illud administrent. Josue 1, v. 5 : *Sicut fui cum Mose, ita ero tecum.* Jerem. 1, v. 8 : *Ego tecum sum.* Act. 18, v. 10, Dominus ad Paulum : *Ego sum tecum.* Sic ergo erat etiam cum Virgine, consilium, virtutem et efficacitatem suam in eâ ostensurus, totius populi bono, et manifestum orbi se auctorem probaturus dignitatis ejus salutisque publicæ per ipsam ministratæ. His porrò verbis, potiùs quàm præcedente verbo, intelligendum dat angelus, unde fiat ut sit gratiosa adeò et gratiâ plena, eò scilicet quòd Dominus cum eâ sit, quòd Dominus ipsi faveat supra modum.

Benedicta, à Domino qui tecum est ; subjungit enim benedictionem tanquàm effectum Dominici favoris. *Benedicta* autem, id est, præventa benedictionibus, amplissimis beneficiis ac gratiis affecta, et majoribus etiam afficienda (Dei enim benedicere, benefacere est), felix et beata.

Tu, id est, es ; nam sic usurpant Hebræi pronomina demonstrativa loco verbi substantivi. Non enim precatur angelus, ut à Domino benedicatur, sed jam benedictam annuntiat ac declarat.

In mulieribus, inter mulieres, quomodò vertit infra v. 42, supra omnes mulieres, quæ sunt, quæque fuerunt ac futuræ sunt, felicissima mulierum, ita ut nullum un-

quàm simile tuî commemorari possit in mulieribus exemplum. *Nulla enim mulier,* ait Titus infra v. 42, *tantam consecuta est gratiam, neque consequetur unquàm, quantam mater Domini.* Abigail *benedicta* dicitur, 1 Reg. 25, v. 33; Ruth laudatur, ut *à Domino benedicta,* Ruth 3, v. 10; adeòque Jahel *benedicta inter mulieres,* Jud. 5, v. 24; Judith *benedicta à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram,* prædicatur; sed nulla illarum æqualis est Mariæ. Illæ, ut cæteræ omnes mulieres, maledictionem Evæ subierunt, Gen. 3, v. 16. Maria sola expers omnis maledictionis, quæ animam tangat : illæ unâ aut alterâ singulari benedictione Dei nobilitatæ sunt, prudentiâ, castitate, fecunditate aut fortitudine adversùs hostes populi Dei; in Mariâ omnes cumulatæ erant, quæ ad hoc electa erat, ut salvâ virginitate, sine libidine conciperet, pareret sine dolore, denique mater fieret Filii Dei, contritura caput antiqui serpentis, et initium datura omni in homines benedictioni. Hâc ratione mulieres omnes benedictione felicitateque superabat, quod volebat Angelus, licèt non statim explicaret; nec mulieres solùm, verùm etiam viros atque adeò creaturas omnes, quæ quidem puræ creaturæ essent; sed comparatio instituitur inter ea quæ ejusdem generis sunt : præter hoc quod proprium mulierum est, fieri matres. Hujusmodi ergo adhibitis titulis ac laudibus, eximiis illis ac raris, salutat angelus Virginem, accommodatè nuntio quod afferebat. Nam quia stupendum illud et incredibile videri poterat, matrem fore Filii Dei, illæsâ virginitate, ut credibilius faciat, attribuit Virgini honorificos titulos, congruos ei quæ futura sit mater Dei, esse gratiâ plenam, electam Domini, beatissimam feminarum, animum illius ad expectandum ex ore suo singulare aliquod ac lætissimum nuntium erigens, simul et captans illius benevolentiam, ad præbendum tandem consensum in rem nuntiandam, in concipiendum, inquam, Filium Dei.

Quæ, scilicet Maria virgo, cum audisset, *vidisset,* ita est et Syriacè; imò et Latini quidam libri sic legunt, suffragante D. Ambrosio. Complures sentiunt germanam lectionem esse *vidisset,* mutatam à sciolis cum *audîsset,* eò quòd sequatur, *in sermone ejus :* nos utramque jungamus, præsertim cùm fiat frequenter, ut ea quæ audiuntur vel tanguntur, videri dicantur, *quoniam generalis quodammodò sensus est visus,* quod ait D. Augustinus sub finem tract. 12, in Joannem. Cùm vidisset Virgo, angelum, viri speciem et cœlestem majestatem præ se ferentem, ingressum, audîssetque salutantem. Duo manuscripta ab Hentenio annotata, unum ex nostris, Brugense, et quædam alia Zegeri, pro, *audîsset,* scribunt, *vidisset.*

Turbata est, perturbata est, subito pavore, et verecundiâ præsertim, correpta; non sic tamen ut turbatio abstulerit judicium mentis aut usum rationis, vel abduxerit à recto, quod palàm est ex verbis consequentibus.

In, super, sermone ejus. Ambrosius non uno loco legit *introitu ejus :* sed eâ in re est singularis. Turbata est Virgo, primùm aspectu angeli subito atque inopinato. Id sentit D. Ambrosius, cùm hoc loco, tum lib. 2 de Virginibus, et lib. 1 Offic., cap. 18, ubi ait : *Ad virilis sexûs speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis.* Similiter Hieronymus Epistolæ 7, quæ est ad Lætam, cap. 4 : *Imitetur Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit; et ideò forsitan timore perterrita est, quia virum quem non solebat aspexit.* Quamvis enim assuevisset apparitionibus et colloquiis angelicis, quæ spiritu fierent; non tamen hujusmodi quæ fierent formâ humanâ, specie virili, eâ denique majestate ac splendore. Cæterùm magis turbata est et admirata sermonem ejus. Licèt enim primò angeli conspectu turbaretur, propter inopinatum ingressum et insolitum fulgorem; persuasa tamen angelum Dei esse qui appareret, tranquillo animo auscultavit et intellexit quid diceret. Majestas enim et splendor in vultu angeli apparens, fecit ut nihil mali suspicari posset Virgo, quin potiùs à Deo missum agnosceret. Sed sermo angeli et allocutio, insolitaque salutandi forma, magis eam turbabat, anxiam et sollicitam tenebat, ac præsertim verecundam, eò quòd, præ eâ quâ erat humilitate, laudes illas in se competere non agnosceret, et aliam potiùs quàm se mirificâ adeò salutatione dignam arbitraretur, Cœpit ergo turbatio angelo viso, perfecta est eo audito. Nec tamen obstupuit præ turbatione, imò verò attentâ et benè compositâ mente *cogitabat* apud se, et considerabat animo, nihil temerè respondens; contra ac Eva, quæ dùm mox in verba prorumperet, et serpenti interroganti responderet, imprudens capta seductaque fuit, Genes. 3, v. 2.

Qualis, et quanta, utrumque enim admittit Græcum; cujus generis, quàm magnifica, sublimis et insolita esset ista salutatio, quàm summas continens laudes, et honoris plenissima. Non modò enim constabat singularibus et exquisitis verbis, verùm etiam ita instituta erat, ut superiorem inferior, dominam servus, Dei sponsam continuòque futuram matrem, minister alloqui reverenter videretur. *Mirabatur* igitur *novam benedictionis formulam,* quod ait Ambrosius, *quæ nus-*

Vers. 29. — Quæ cum audisset. Græcè et Syriacè est, *cùm vidisset.* Unde Ambros. tum hoc loco, tum lib. 1 Offic., cap. 18, et Hieron. Epist. ad Lætam, collegisse videntur, eam turbatam fuisse ad peregrinam speciem sexûs virilis, in quâ angelus apparebat. Quod sicut negari non debet fuisse verum, ita quia visus generalis quodammodò sensus est, ut August. loquitur, et pro omnibus sensibus poni solet, videtur hic poni generaliter tam pro visu quàm auditu, maximè quia sequitur : Turbata est in sermone ejus, qui non nisi auditu percipitur. Itaque et aspectu angeli, tanquàm viri, et verbis ejus perturbata est, partim anxietate, partim verecundiâ. *In sermone ejus,* id est, propter tam insolutam salutationem tot laudibus plenam, quas humilitas et verecundia respueret. Et cogitabat, id est, præsenti et attento animo considerabat; quo insinuatur, non ita turbatam, ut mens obnubilata fuerit. Qualis esset ista salutatio, id est, quid sibi vellet, quorsùm tenderet salutatio, quâ, ut Bernard., Serm. de Nativitat., se reputabat indignam; item qualis sincera an dolosa; divina an illusoria. Unde etiam tacitè hæc volvens animo, præ modestiâ nullum responsum retulit, quamvis esset humilis, ut ibidem Ambrosius.

quàm lecta est, nusquàm ante comperta. Soli Mariæ hæc salutatio servabatur. Quâ tamen cùm non sentiret se dignam, quâ erat animi modestiâ, expendebat prudenter quid sibi vellet et quorsùm tenderet. Non judicabat profectam à spiritu malo, mendace, adulatore, sed persuasa profectam à spiritu bono atque à Deo misso, credebat eâ contineri singularis aliquid mysterii (ut certè magnum mysterium continebatur); quod cùm ignoraret, quærebat animo et indagabat quid illud esse posset. Nil respondebat, ne laudes illas arrogantior in se agnoscere videretur; sed cùm nihil de se magnificè sentiret, verecunda tacitaque apud animum suum volvebat, quò tandem spectaret singularis hujusmodi salutatio, quidque eâ vellet angelus. Nam *quamvis esset humilis, præ verecundiâ tamen non resalutavit, nec ullum responsum retulit,* quod notat Ambrosius, lib. 1 Offic., cap. 18.

Vers. 30. — Et, pro *tunc.* Virgine nil respondente, sed volvente duntaxat animo, quid sibi vellet magnifica illa, quam non intelligebat, salutatio (quod fuit summæ prudentiæ), angelus non ferens eam diutiùs animo fluctuare resumit sermonem, et partim ex vultu tacitâque cogitatione ac cunctatione, partim ex divino lumine, quo erat illustratus, intelligens anxietatem quâ detinebatur, et cogitationes quas animo volvebat, docet quàm verè in ipsam competeret, et quorsùm tenderet illa salutatio, expositâ causâ cur legatus à Deo ad ipsam venerit.

Ne timeas, ne turberis. Timebat apparentem angelum, quod diximus, sed magis angeli salutationem, quâ, ut non credebat se dignam, ita verecundiam patiebatur, qualem humiles auditis propriis laudibus, et fortassis etiam metuebat ne mali quid sibi portenderet. Aufert itaque omnem timorem ac turbationem angelus, et jubet bono animo sit, in tuto enim esse omnia quæ timere possit.

Maria. Quam primo aggressu, pro magnificentiâ, solo nomine dignitatis, *Gratiâ plena*, salutaverat, jam proprio nomine compellat, *Maria;* ut declaret sibi probè notam et amicam, ut certiorem faciat legationis ad ipsam destinatæ, non ad aliam, et ejusmodi se esse à quo nihil mali timere sibi debeat. *Quam salutatione insolitâ, utpote quæ ei soli servabatur, videral turbatam, quasi familiariùs notam vocans ex nomine, ne timere debeat jubet,* ait V. Beda.

Invenisti, obtinuisti, consecuta, nacta es enim. Reddit causam quare non debeat timere, quare nihil dixerit ultra meritum illius, ob quod debeat turbari, quando salutavit eam gratiâ plenam, etc. *Quia gratiâ plenam vocaverat,* ait Beda, *eamdem gratiam et adstruit pleniùs et uberiùs explicat.* Non est omittendum conjunctio *enim.*

Gratiam, favorem, placentiam (quod dicebamus supra v. 28) et eam singularem, præ cæteris mulieribus.

Apud Deum, Trinitatem, coram Deo, in oculis Dei: hi sunt enim modi loquendi sacræ Scripturæ; pro eo quod est, singulariter Deo places, et grata ac chara es. Hebraicus idiotissimus, ab eo sumptus, quod consideranti personas aut res varias, si inter multas quæ displiceant aut non perinde sint gratæ, occurrat quæ placeat, illa gratiam invenisse dicatur, non necessariò quod quæsierit gratiam illius (quæ aliquando nec opinanti contingit, in humanis præsertim), sed quòd nacta sit apud illum, qui in eâ observârit quod placeat et gratiâ dignum judicet. Non ergo hoc modo loquendi significatur gratuitus favor (quod multi, et præsertim hæretici hìc urgent), sed contra dignitas potiùs ac meritum. Joseph invenit gratiam coram domino suo, Genes. 39, v. 4; Esther coram Assuero, Esther 2, v. 17; Noe coram Domino, Gen. 6, v. 8; nonne ideò, quia observata sunt in eis quæ gratiâ et favore essent digna? Multas virgines ex stirpe David consideravit Deus; sed Maria invenit gratiam in oculis ejus, quia propter summæ modestiæ, virtutis, ac simplicitatis exemplum observata est cæteris esse dignior (quanquàm dignitatem hanc non nisi donante Deo ipso accepisset); ideòque delecta est ex omnibus aliis ad hoc quod subjungitur: *Ecce concipies,* etc., id est, ut esset mater Christi Filii Dei. Subaudit enim angelus, invenisse gratiam præ cæteris mulieribus, prout dixerat esse benedictam præ cæteris mulieribus: *O si scires,* inquit Bernardus, homiliâ 3 in *Missus, quantùm tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat; angelico te indignam nec alloquio judicares, nec obsequio.* Nota quòd non est mutandum *Deum* cum *Dominum.*

Ecce, Gr., *et ecce,* quod Syrus interpretatur, *ho ger,* ecce enim; rectè. Nam probat angelus quòd invenerit gratiam apud Deum, ex eo quòd concipiet, etc.

Vers. 30. — Et ait Angelus ei, ut dando causam salutationis, itemque suæ legationis, timorem abstergeret: Ne timeas, sive aspectu sive verbis meis attonita aut anxia, *Maria*; proprio nomine quasi familiariùs notam appellans. Unde Ambr. observat Virginem, audito nomine suo, angelum recognovisse, videlicet simili ferè modo, quo Magdalena, audito nomine suo, Dominum agnovit. Invenisti enim gratiam, id est, beneplacentiam et benevolentiam, apud Deum. Nam istis verbis videtur dare rationem cur eam dixerit, *gratiâ plenam et benedictam in mulieribus.* Gratiâ quidem plenam, eò quòd placeret, Deo; benedictam verò, quòd Deus ei esset benevolus: quorum utrumque significatur per illud, *invenisti gratiam;* ut proinde his verbis non solus gratuitus Dei favor, sed potiùs simul dignitas quædam personæ et meritum insinuetur. Nam et Genes. 6, cùm Noe similiter dictus esset invenisse gratiam coram Domino, capite seq., exponitur hoc fuisse causa et meritum evadendi diluvii: *Ingredere in arcam, te enim vidi justum,* etc.

Vers. 31. — Ecce concipies. Explicat per signum, quòd gratiam invenerit: et quia res admirabilis erat, attentum animum postulans, ideò dicit: *Ecce,* et ut indicaret eam tunc nondùm concepisse, addit in futuro *concipies.* Quo refellitur quorumdam magnorum virorum sententia, qui putaverunt jam tum Virginem concepisse. Ut autem veritatem humani conceptûs, tam secundùm humanæ naturæ materiam, quàm concipiendi locum exprimeret, addit, *in utero,* ut notat Theophyl. Non enim illud, *in utero,* superfluum est, nihil addens significationi, ut putavit Maldonatus, sed omnia sensu prægnantissima sunt. Nam his verbis refellitur error iste, qui ponebat

Non quòd propriè ob conceptum et partum Filii Dei Deo placuerit; sed quòd evidens sit argumentum, Deo summoperè eam placere, quæ præ aliis omnibus virginibus, ad concipiendum et pariendum Filium Dei sit electa. Quare D. Bernardus, homil. 3, in *Missus : Et hoc tibi signum*, ait : *Ecce*, etc.; neque enim ad id eligat Deus, nisi quæ sibi gratissima sit, et quam ampliores virtutes meritaque commendent. Adverbio autem, *ecce*, ut rem admirabilem depromptarum se significat angelus, ita reddit attentum Virginis animum, quando nuntium suum et legationis causam vult explicare.

Concipies, mox, præsenti miraculo.

In utero, superest *in* Latinè loquentibus. Et quanquàm nulla mater aliter concipiat quàm utero, addit hoc tamen angelus, ut clariùs significet, se non de mystico aut fictitio aliquo conceptu vel partu, sed omninò de corporali loqui; id notant Græci Theophylactus ac Titus.

Paries, opportuno tempore, Filium, qui verè filius tuus sit.

Vocabis. Virgini ante omnes datur cura nominis imponendi, quia ipsa futura erat mater, nullo patre.

Jesum. Alludit angelus ad vaticinium Isaiæ cap. 7, v. 14, quod intelligendum est, sensu composito, ut dialectici loquuntur : Virgo manens virgo, virginitate illibatâ, concipiet, uterum feret, et pariet filium; sensu namque diviso, virginem, postquàm nupta sit et à viro suo cognita, concipere ac parere, quid mirum? *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum* (propheta, inquit, Achaz rege divinitùs monito, signum petere nolente) : *Ecce virgo concipiet*, etc. Signum autem insolens sit oportet, et ab usu remotum, vulgarem rerum consequentiam ordinemque excedens : aliter qui signum sive miraculum esse poterit? Ad hæc, vel ex hoc, aliquid minimè usitatum se commendare propheta dat intelligendum, quando nullâ factâ viri mentione, *virgo concipiet* ait. At refractarii Judæi non id quod longo post tempore impletum sit, signum esse potuisse aiunt, illud quod à Domino propheta promiserit Davidis domui, ut persuaderet sibi secura, non se superandam à duobus regibus, à quibus oppugnabatur, Rasin rege Syriæ, et Phacee rege Israel; quin et illos, et terram eorum, antequàm nôsset promissus puer reprobare malum et eligere bonum, vastandam. Sed virginem aiunt, de quâ hic fit sermo, prophetissam esse, ex quâ, proximo capite v. 3, 4, propheta prolem suscepisse narratur; ubi et proli, Dei jussu, nomen impositum est : *Accelera spolia detrahere, festina prædari. Quia antequàm sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.* Atqui, non advertunt illi, prophetis alioqui familiarissimam, transitionem, à rebus iis quæ tum cùm viverent prophetæ accidebant aut proximè futuræ prædicebantur, ad futuras novi testamenti per Christum exhibendi res. Frequenter in Isaiâ videre est, à Dei, in Babylonem, Ægyptum, Judæam, judicio, transitum ad œcumenicum Dei in universum terrarum orbem judicium; atque ita descriptum particulare, ut impletum, ita ut prædicitur, non conveniat nisi universali judicio; manifestum id fit ex cap. 13, v. 9, 30, v. 27, 66, v. 15. Ita verò et aliàs in mysteriis aliis, ut Joel 2, v. 19, 22, 23, etc. Hic autem ubi impius rex signum petere noluit, uti jubebat Deus; quid mirum transîsse Deum ad futuras novi Testamenti res, quas præ cæteris diligebat, atque, ut ita dicam, animo semper versabat, ac per ea omnia quæ tum vel faciebat vel dicebat adumbratas ac præfiguratas volebat; atque inde signum sumpsisse de novâ aureâque Filii sui nativitate, sermone ab Achaz ad universam domum David seu tribum regiam, quam extinguere illi volebant, et surrogare in regnum alienigenam, filium Tabeel, converso? promiserat namque olim Davidi, fore ut Filius suus, Rex Christus, ex ipsius nasceretur semine; ideòque servabat Davidis familiam et civitatem Jerusalem, quò promissum aliquando præstaret; id quod amplè à nobis declaratum est supra v. 8. Jam, cùm utrâque hâc gratiâ Davidis domus se redderet indignam, Deo molesta et hominibus, renovat tamen stabilitque promissum de Christi ortu, quò intelligat illa, constare animum Deo, ut Davidis stirpem urbemque Jerusalem, quamvis id beneficii minimè merentem, suâ pro veracite servet; q. d. : Quàm constanter statuo Messiam in lucem edere ex virgine, tam certò liberabo te ab hostibus his tuis, etc. Etsi verò longè post futurum erat hoc signum (quanquàm *oth*, signum, Hebræis non aliud est quàm miraculum), tamen, quia Dei, qui ipsa est veritas, pollicitatione jam sæpiùs firmatum erat, non minùs certum erat, vel certè non minùs certum haberi debebat, quàm si præsens exhibitum fuisset (sic enim aliquando legimus, id quod post futurum est, signum dari ejus quod præcedit, ut Exodi 3, v. 13, Agg. 2, v. 23, 24), sed exprobrantis in morem ad illud recurrit, quod ipsi quidem erat inprimis cordi, cùm nullum domus David signum admitteret. Cæterùm, habebat, credo, hoc signum, tunc umbram quamdam suam; illum prophetissæ opinor filium, cui prophetiæ verba, ex parte quidem, sed tenuiter adeò atque imperfectè

Christum conceptum circa cor B. Virginis, ex tribus guttis sanguinis cordis, qui Romæ præsente Cajetano damnatus est, ut ipse testatur in 3 p. D. Th., q. 3, art. 5; *et paries filium*, qui proinde ratione veræ conceptionis et veri partûs, verè filius tuus erit; et tu vera mater ejus. Alludit autem apertissimè ad prophetiam Isaiæ 7 : *Ecce virgo concipiet et pariet filium*, etc., ut indicaret eam esse, de quâ locutus est Isaias, quod Virginem intellexisse non est dubium. *Et vocabis nomen ejus Jesum*; utpote qui salvum facturus est populum suum à peccatis eorum. Porrò Isaias dixit *vocabunt Emanuel*, id est, nobiscum Deus. Ubi non tam nomen ejus proprium prophetatur, quàm quid reverà filius iste futurus sit, et vocari possit, nempe Deus in naturâ humanâ nobiscum conversans; quo incarnationis mysterio idoneus fuit, qui merito sanguinis sui effusi esset Jesus, et salvaret populum suum.

conveniunt, ut simpliciter convenire dici non possint. Non enim ille ex secretâ viroque occultâ puellâ natus, nec ille verus Emmanuel, nobiscum Deus; nec ille qui hostes superaverit ac despoliaverit, sive illos tunc Jerosolymorum oppugnatores, sive dæmones humani generis crudeles occupatores, sed Salvator noster Jesus Christus. Ita porrò et cætera ferè Salvatoris Christi sub umbrâ typove aliquo prædicta fuère, cui prophetiæ verba, aliquâ quidem ex parte, at vel non integrè, vel non perfectè, minimè verò principaliter, convenerint.

In eodem vaticinio Judæi legunt *Immanu-el,* primo vocali puncto; alio: *Hemmanu* sive *Himmanu Nobiscum* est, *el Deus.* Emmanuelis autem nomine Christus celebratur, primùm quia Deus est nostrâ vestitus substantiâ, humanitate deitati in personæ unitatem junctâ, tanquàm si dicas, Deus id quod nos, Deus nobis similis homo, juxta illud, *Verbum caro factum est,* Joan. 1, v. 14. Deinde quia nobiscum in terrâ homo Deus conversatus fuit, juxta illud: *Verbum caro factum habitavit in nobis.* Postremò quia per eum Deus nobiscum, se esse, nobis propitium, benevolum, benignum, ac præstò ad auxiliandum, promovendum, atque ornandum esse ostendit: *Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi* (2 Cor. 5, v. 19), illum per Christum ad se adducens (Rom. 5, v. 2), et divinæ efficiens consortem naturæ (2 Pet. 1 v. 4), ita ut non tantùm significetur hoc nomine Deus esse id quod nos, verùm etiam nos significemur quodam modo esse id quod Deus. Itaque continet hoc nomen tacitam in se antithesin, cum eo præsentiæ genere quo Deus adfuit veteri populo, de quo Deut. 4, v. 7, et 7, v. 21, daturque intelligendum, illi populo in umbris et figuris præsentiæ suæ signa dedisse Deum; nobis verò demùm reipsâ, verè, plenè, et in solidum, per Christum conjunctum esse. Sed hìc rursùs argutantur Judæi, quomodò Christus noster Emmanuel vocatus sit, qui Jesu nomen accepit. Ignorant imperiti, aut perversi certè ignorare se simulant, frequentissimum Scripturarum loquendi modum, quo res hoc aut illo nomine vocari dicitur, cùm hujusmodi publicitùs agnoscitur et prædicatur. Loca apud prophetas occurrunt frequentia, Isa. 1, v. 26, item 9, v. 9; Jer. 23, v. 6; Ezech. 48, v. 35, et alia plurima. Nam quia nihil æquè rei congruit ac proprium illius nomen, nihilque notius, celebrius, atque in ore frequentius est rei nomine ubi de eâ agitur; hinc iste loquendi apud sacros scriptores modus, ut dicatur res vocanda hoc aut illo nomine, quæ talis erit prorsùs qualem nomen fore significat, atque ut hujusmodi publicitùs habebitur celebrabiturque. Vocabunt ergo nomen ejus Emmanuel, id est, credent, agnoscent, prædicabunt eum Emmanuelem, cujusmodi erit; hoc eum nomine laudabunt et celebrabunt, quòd homo inter homines Deus, humani generis assertor, reconciliator, instaurator. Quàm verò conveniat Emmanuelis nomen cum Jesu nomine, ita ut aptissimè Matthæus ad hujus comprobationem illud afferat, manifestum fit etymologicam utriusque rationem conferenti. Salvum enim facere à peccatis, nullus nisi Deus potest; nec nisi homo Deus, ita ut divinæ satisfiat justitiæ. Cum quibus verò Deus est, nisi cum liberis peccati servisque justitiæ?

Intellexit autem orationem Virgo, et significationem vaticinii apertè cognovit. Notas enim et celebres passim inter pios fuisse hujusmodi prophetias, verisimile est: præter hoc quòd Virginem in prophetarum lectione valdè fuisse exercitatam, vel nobilis ille ipsius hymnus qui legitur infra v. 46, satis superque loquatur. *Revolve, Maria, propheticam lectionem,* ait Augustinus, aut quisquis est auctor serm. 21, de Diversis, in Appendice: *Neque enim te scientia divinorum potest præterire librorum, quæ ipsam plenitudinem paritura es prophetarum. Recole in libro Isaiæ prophetæ virginem quam legisti, et gáude quia tu esse meruisti.*

Vers. 32. — Hic. Describit qualis futurus sit hic filius, ut Virgini addat animum, quò consentiat in conceptum.

Erit. Loquitur de hoc filio ut homine futuro, *quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus est,* ait D. Bernardus hom. 3 in *Missus.*

Magnus. Perfectissimus omnibus veræ magnitudinis modis, ita ut inter mortales nullus eo major. Dùm enim nihil addit, sed absolutè magnum fore prædicit, significat excellentissimam magnitudinem, quantam nemo unquàm assecutus est. *Hic erit magnus,* inquit Titus, *non quidem ut Joannes,* (magnus coram Domino, supra, v. 157), *sed ut Dominus ipse et*

Vers. 32. — Hic erit magnus; absolutè scilicet omni magnitudinis modo. Quo significat maximum futurum hominem, qui maximus erat Deus, ut Bern. hom. 3, in *Missus*; loquitur enim de illo, ut homine futuro. Et filius, id est, quia Filius, altissimi vocabitur; id est, non tantùm erit Filius Dei, sed etiam talis credetur et celebrabitur, jure scilicet, non solà hominum opinione. Nam juxta phrasin Hebraicam ita vocandum significatur, ut etiam sit Filius altissimi consubstantialis. Et dabit illi Dominus Deus ejus; id est, non tyrannicè invadet, sed Deus illi tanquàm homini daturus est sedem David patris ejus, id est, thronum ac regnum David. Ex quo tanquàm filius nasciturus est. Quibus verbis eum significat futurum Messiam seu Christum, illum videlicet Davidis filium, qui ei promissus erat, successurus in regnum, et illud restauraturus, de quo Isaiæ 9, v. 6, et Psal. 131, v. 11. Regnum autem intelligitur, quo non solùm Judæis, sed omnibus gentibus regnaturus; intùs quidem per fidem et charitatem, exteriùs verò per leges, pœnas et præmia. Cujusmodi regimen in Christi regno, id est, in Ecclesiâ jam videmus. Hujus jus ei datum in conceptione, exercitium in prædicatione, perfectio cùm collocatus est ad dexteram Patris, complementum post judicium. Vocatur autem *Regnum David,* quia sicuti promissum, ita etiam datum est David, sed in filio, et inchoatum in subditis David, nempe Judæis, ac denique, ut Bern., hom. 4, in *Missus,* quia in carnali Davidis regno veluti typo adumbratum, sicut etiam in Davide Christus: ita ut hâc de causâ etiam David appelletur, Jerem. 30, v. 9, et Eccl. 34, v. 23.

orbis conditor; hoc enim denotat quod mox subditur : Et filius Altisssimi vocabitur.

Et. Pro quia vel nam. Declarat enim quibus rebus futurus sit magnus, duabus potissimùm, nomine Filii Dei et regno.

Filius, consubstantialis.

Altissimi. Unum est ex nominibus Dei, quod Hebraicè dicitur *helion*, deductum ab *hala*, quod ascendere significat, quòd supra omnia ea quæ sunt, sit in supremo et altissimo gradu, essentiâ et gloriâ omnem sensum excedens. Deus altissimus sive summus vocatur, non quòd sint alii dii ipso inferiores, sed quia non est, inter eos qui *dii*, sive habentur duntaxat, sive suo etiam modo sunt, multò minùs inter alios, quisquam ei conferendus, potentiâ, sapientiâ, bonitate, cæterisque perfectionibus. *Non est similis tuî in diis, Domine* (ait Psalmographus, Psal. 85, v. 8), *et non est secundùm opera tua.* Et Psal. 88, v. 7 : *Quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* Quocirca *Deus Deorum* vocatur, Psal. 49, v. 1, hoc est enim : *Deus Altissimus. Altissimi* ergo, id est, Dei, q. d. : Filius non tantùm tuus, verùm etiam Dei. Significatur duplex ejus nativitas, et duplex natura. *Nam quia una fuit hypostasis,* inquit Theophylactus, *reverà filius Altissimi fuit filius Virginis. Benè* ergo *magnus,* ait D. Bernardus homil. 3, super *Missus, qui filius Altissimi merebitur appellari. Planè magnus, qui tam magnus quàm Altissimus, quia et ipse Altissimus*, ac superior omnibus creaturis. Legitur quidem de omnibus regibus ac judicibus scriptum, Psalm. 81, v. 6 : *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi* seu Altissimi *omnes;* sed adoptione seu similitudine quâdam, nimirùm acceptâ à Deo potestate, repræsentationeque personæ, illi dicuntur Dii Altissimi filii; Mariæ verò promittitur, qui naturâ filius Altissimi vocetur, quod diximus.

Vocabitur. Poterat dicere, *erit*, quemadmodùm dixerat, *erit magnus*, quia de homine loquitur quem Virgo conceptura erat, qui antequàm conciperetur, non modò non Filius Dei, sed ne homo quidem erat : ante conceptum, filius Virginis, non erat, sed futurus erat Filius Dei; sed noluit dicere *erit*, ne detrahere videretur æternitati ejus, quasi persona Filii Dei ante nativitatem ex Virgine non extitisset, quæ est hæresis olim damnata. Dixit ergo quod amplius est, *vocabitur;* non erit solùm, verùm etiam *vocabitur,* quod est, habebitur, credetur, agnoscetur, prædicabitur, celebrabitur, coletur. Vocabitur, *ore cunctorum credentium*, inquit auctor libri de Mirabilibus S. Scripturæ lib. 3, cap. 2. Frequens est phrasis hæc in sacris utriusque Testamenti litteris. Non enim intelligit angelus, quòd quocumque modo vocabitur, sive verè sive falsò, sed quòd jure ita vocabitur, Dei Filius manifestatus in carne, 1 Tim. 3, v. 16; et declaratus in virtute, Rom. 1, v. 4; quemadmodùm Joannes evangelista scribit, cap. 1, v. 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Porrò Jesum vocatum fuisse Filium Dei, dùm inter mortales adhuc ageret, testantur evangelia, quæ à pluribus vocatum et agnitum esse Filium Dei referunt; à Petro, Matth. 16, v. 16; à Marthâ, Joan., 11, v. 27; à Centurione, Marc. 15, v. 39. Ex quo verò mortalem viam cum immortali commutavit, datum est illi et divulgatum est hoc nomen, quod est super omne nomen, per omnes gentes, et permanet hodiè, manebitque æternum, ut vocetur, agnoscatur, et adoretur, Filius Dei, æqualis Deo Patri, unusque cum Patre Deus, nunc per fidem, tandem per visionem.

Dabit. Non invadet tyrannicè, vi aut malis artibus; sed legitimè obtinebit, dono, non hominum, sed Dei. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus,* Psalm. 2, v. 6. Illi ut homini. Nam ut Deus habuit omne imperium jam inde ab æterno. « Cùm universæ creaturæ opifex et conditor « sit, ait Titus, ratione humanæ naturæ, ex liberali pa- « tris donatione, accepit Gentes in hæreditatem, etc., » juxta Psalm. 2, v. 8. Potestas data est illi ut Dei Filio quidem, jam inde ab æterno, generatione; ut Filio hominis autem, dono. Quam naturâ et æternò habuit quatenùs Deus; dono accepit quatenùs homo. Et ab initio quidem conceptionis, mero simplicique dono eam habuit, ratione unionis humanæ naturæ cum divinâ; sed jam à resurrectione, eminentiori modo assecutus est. Tribus enim novis rationibus, à resurrectione data est Christo homini omnis potestas; unâ ratione, quod ad modum, quia morte suâ eam promeruerat; quam enim antea dono simplici habuerat, à resurrectione accepit merito mortis à se toleratæ. Docet hoc Apostolus, Philip. 2, v. 8 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum.* Quia omnibus quæ in cœlo et in terrâ, ac nominatim hominibus, inferiorem se haberi passus fuerat; omnibus quæ in cœlo et in terrâ, suo merito præpositus est, ac nominatim jus acquisivit, homines, quos suo sanguine redemerat, in regnum suum congregandi. Alterâ ratione, quod ad statum; quia qui fuerat homo mortalis miseriis mortique obnoxius, factus est immortalis; qui in terrâ conversatus, jam ascendebat in cœlum : decet enim eum cujus potestati omnia subjecta sint in cœlo et in terrâ, mortalium statu superiorem, sublimem atque immortalem in cœlis agere. Tertiâ ratione, quod ad usum et notitiam, Christo homini à resurrectione data est omnis potestas in cœlo et in terrâ. Usus est enim hâc potestate, quando emisit discipulos suos, prædicandi nominis sui causâ, in mundum universum, et non vi aut armis, sed prædicatione humilium, miraculis stabilita, mundum universum suæ fidei subjecit; utetur denique, quando judicaturus est vivos et mortuos. Usus quidem fuerat hâc potestate et ante resurrectionem, miraculis quibusdam in Judæâ editis et aliquibus ad fidem attractis; sed modica hæc, si iis comparentur, quæ egit à resurrectione per discipulos. Usum porrò sequitur notitia : ita factum est, ut dùm utitur hâc potestate, *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris.* Fa-

miliare autem est Scripturæ, ut res tum fieri dicatur, cùm innotescit.

DOMINUS. יהוה, *Deus* ejus (secundùm humanam naturam) cujus est regnum omne et imperium. Dan. 7, v. 13 : *Ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum; et dedit ei potestatem et honorem et regnum.*

SEDEM regiam ; thronum, regnum. Euthymius : *Regnum et potestatem;* faciet ut sedeat in throno, ut obtineat, occupet et gubernet regnum.

DAVID, quod David olim obtinuit.

PATRIS EJUS, patris tui, ac proinde etiam ejus, secundùm humanitatem : loquitur per anticipationem, intelligens postquàm natus fuerit. Nam mediâ matre Mariâ Jesus fuit ex semine David, ex filiis seu nepotibus David ; quanquàm videri possint evangelistæ appellâsse filium David, tanquàm verum et proximum filium, promissionis ac fidei virtute. Frequens est Hebræis ut filiorum appellatione nepotes et posteros omnes intelligant; sed videri possit evangelista studiosè filii servâsse vocabulum propter promissionum formam, quæ Davidi et Abrahæ polliceri videntur, fore non tam ut ex ipsorum posteritate, quàm ut ex illis ipsis, beatum illud semen exoriatur. Ergo Davidis et Abrahæ filius dictus sit, quasi, non tam fuerit ex illis qui intercesserunt oriundus, quàm verus et proximus ipsorum filius, promissionis et fidei virtute. His enim peculiariter facta fuit de Christo pollicitatio, Gen. 12, v. 3, cap. 22, v. 18 ; idcircò eorum ab initio meminit. Porrò Davidem præponit, inprimis quò commodiùs genealogiæ series ab Abraham inchoanda texatur, tum verò maximè, quia Davidis nomen eâ ætate omnibus in ore erat quandocumque de futuro Christo sermo incidebat, Joan. 7, v. 42, quam celebritatem induxerat id, quòd Davidi clarior fuerat data promissio. His porrò verbis angelus Virgini intelligendum dat, filium quem ipsi pollicetur, fore Messiam seu Christum, nimirùm fore illum Davidis filium, qui Davidi ita promissus fuerat, ut successor in regnum, regnum ipsius possessurus et confirmaturus esset in æternum. Psalm. 131, v. 11 : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, 2 Reg. 7, v. 12, et seq. : *Cùmque completi fuerint dies tui*, etc., *suscitabo semen tuum post te quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus*, etc. *Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium.* Nec ad has solùm promissiones respicit angelus, sed et ad eas quas prophetæ Davide posteriores his consentaneè scriptas reliquêre, nominatim Isaias cap. 9, v. 6 et seq. : *Parvulus natus est nobis*, etc. *Multiplicabitur ejus imperium*, etc. *Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitiâ, amodò et usque in sempiternum.* Cùm autem regnum David jam planè concidisset, exclusis non tantùm nepotibus Davidis, verùm etiam cognatis Judæis atque Israelitis, nimirùm Herode alienigenâ illud occupante ; intelligit angelus, illud de integro erigendum, restituendum, et redintegrandum, Deo faciente, per Mariæ filium, ita ut perficeretur illud prophetæ Amos cap. 9, v. 11 : *In die illâ suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo, et reædificabo illud sicut in diebus antiquis*, etc. Nec dubium quin hæc S. Scripturæ loca noverit virgo Maria, et intellexerit angelum ad ea respicere : passim enim id temporis, Messias filius David ab omnibus exspectabatur, secundùm Scripturas, regnum David restauraturus ; unde illa vulgi acclamatio Jesu, Jerusalem solemni pompâ ingrediente : *Benedictum quod venit regnum patris nostri David*, Marc. 11, v. 10. Quando autem hæc angeli promissio sit impleta, non obscurum est. Jus hujus regni dedit Deus Jesu ab initio conceptionis, quando parvulum unxit in utero materno *oleo lætitiæ præ consortibus suis*, Psal. 44, v. 8 ; *unxit*, inquam, *Spiritu sancto et virtute*, Act. 10, v. 38 ; usum autem et exercitium tunc dare cœpit, quando illo prædicante evangelium regni, et adhibente non pauca regiæ potestatis miracula, hos illos Judæorum fidei illius subjecit ; perfectè tandem dedit, quando assumpto in cœlum à resurrectione, et collocato ad dexteram suam, *dedit potestatem omnem in cœlo et in terrâ*, Matth. 28, v. 18, *et omnia subjecit sub pedibus ejus*, Ephes. 1, v. 22 ; denique perfectissimè daturus est, quando fiet quod quotidiè oramus : *Adveniat regnum tuum.* Sed quomodò est hæc sedes seu regnum David? neque enim ad hunc modum regnavit David. Regnum est David, primùm quia, ut promissum fuit Davidi in filio, ita datum Davidis filio, Jesu, inquam, ex stirpe Davidis prognato, et quidem proximo sui temporis hæredi Davidici regni secundùm carnem (quod quidam verisimiliter credunt), quanquàm nobilioribus titulis possideat, ratione, inquam, unionis naturæ humanæ cum divinâ, et ratione donationis Dei Patris suique meriti. Josephi autem legitimus hæres, Jesus Salvator noster fuit, quippe filius ejus non quidem naturalis aut ab eo genitus, sed nec secundùm vulgi opinionem et famam publicam tantùm, ut neque adoptivus ; sed reipsà proprius ac legitimus, ipsi legitimè ex uxore Virgine, nec aliunde ex ullo viro, virtute Spiritûs sancti, in sanctissimo conjugio conceptus, natus, generatus, ac divino munere datus ; quò regnum, cujus ipse hæres quidem erat, sed assumere illud atque erigere nequaquàm valebat, operâ unigeniti illius filii ipsius, restitueretur et exaltaretur. Nam cùm legitimo matrimonio junctus esset Josephus virgini Mariæ, essetque proinde Mariæ corpus, corpus ejus, quin et una ipse cum eâ esset caro, jure etsi non re (sunt enim conjuges una caro, jure quidem priusquàm convenerint, re autem post ; et Josephus, si Deo fortè virginitatem voverat, non juri matrimonii cesserat, sed juris executioni) proles è Mariæ carne genita, ex ejus genita est carne. Dùmque inviolatâ connubii fide, legitimè Deo operante qui nihil non legitimè operatur, cujus libero dominio non subtrahit uxorem mariti auctoritas, in connubio concepta est, legitima connubii illius

Josephi et Mariæ proles fuit; ita enim B. Augustinus, dùm conjugii illius bona dinumerat, Jesum prolem dicit : *Omne* (inquit lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 11) *nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum : fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium.* Tuetur hæc sua verba, libri in Julianum cap. 9. Succedit autem jure gentium in paternam hæreditatem, is qui solius publicæ famæ testimonio filius habetur : quantò magis is quem et fama publica filium credit et reverà è conjugio illo Deus edidit, uxorem, quod solet aliàs mariti opera, jam absque illius operâ, suâ solius virtute, imprægnans? Quocirca à Josephi morte, regalis Davidicæ familiæ dignitas, ad Jesum recto ordine devenit; fuitque non promissione Dei tantùm aut donatione, sed hæreditariæ successionis jure, sceptri Judaici occupator. Secundò regnum Christi vocatur regnum David, quia Christus eidem populo rex datus est cui David; quanquàm enim Christi regnum propagatum est per omnes gentes, cœpit tamen ab ovibus domûs Israel, Matth. 15, v. 24; quæ quidem primum in regno locum obtineant, quod declaratur proximo versu. Tertiò ac postremò regnum Christi vocatur regnum David, quia adumbratum fuit regno David, quia regnum David constituerat Deus typum regni Christi, et rex David præfigurârat personam Christi ex se nasciturì. Sic Theophylactus inter Græcos, Bernardus *hom.* 4 in *Missus* inter Latinos. Hinc fit ut frequenter Prophetæ posteriores, nomine Davidis intelligant ipsum Christum. Jeremias, cap. 30 v. 9 : *Servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis.* Ezechiel cap. 34 v. 23 : *Et suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, servum meum David.* Nec parva est similitudo inter utrumque. David adhuc parvulus, acceptus de post fœtantes, unctus à Samuele fuit in regem Israel, qui postquàm aliquot annis latuisset, cœpit adjungere sibi aliquos, præsertim qui in angustiâ essent constituti et amaro animo, cum quibus adversa multa passus, tandem Saule mortuo, obtinuit regnum super Judam, deinde etiam super reliquas tribus Israel; quod regnum ita prudenter et fortiter administravit, in innocentiâ cordis sui et in intellectibus manuum suarum, ut debellatis undique hostibus longè latèque propagârit, et postremò amplissimùm, pacatissimum ac felicissimum filio Salomoni reliquerit. Jesus adhuc infans Spiritu sancto unctus à Deo Patre est in Regem Israel, qui postquàm ad ætatem usque virilem in fabrili domo latuisset, cœpit adjungere sibi pauperculos aliquot idiotas, discipulorum nomine, cum quibus adversa multa passus, tandem Diabolo per crucem superato, agnitus et receptus est Rex Israel à magnâ Judæorum multitudine, quorum operâ, spiritu sapientiæ abs se instructorum, inter medias hostium persecutiones propagavit nomen ac regnum suum per omnes gentes mundumque universum, à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Ita illud administrans, ut emeritos milites singulos à militiâ transferat ad regni quietem ac gloriam; quorum numerus ubi fuerit completus, amplissimum, pacatissimum, felicissimum, denique æternum regnum geret, simile quidem Davidico, sed modis omnibus perfectius, quod docetur versu proximo, præsertim quod ad regni æternitatem. Quo autem modo et quâ formâ à Jesu restitutum erectumque sit regnum istud, ea quam describere aggreditur historia declarat; potest nihilominùs intelligi ex primâ illâ regni à Davide institutione, ejusque absolutâ per Salomonem formâ; nam quæ David et Salomon in regno Israel gesserunt, scire oportet eadem à Christo revocanda fuisse, sed tantò præstantius, quantò excellentius illis nomen accepit. Licèt enim sæpiùs dicatur Christus successisse in regnum David quàm in Salomonis, propterea quòd David fuerit Deo dilectissimus, primogenitus in regno Dei, Psal. 88, v. 28, et promissionibus orituri ex se Christi celebrior; tamen quia fastigium regni, et summa ejus majestas, per Christum restituenda ac perficienda, sub Salomone eluxit, succedere significatur Christus etiam in regnum Salomonis, dùm veluti alteri excellentiorique Salomoni, ea quæ 2 Reg. 7, v. 14, de Salomone dicuntur, ad Hebr. 1, v. 5, Christo attribuuntur, et regnum Christi Psalmo 71 sub Salomonis nomine describitur, quod supra annotavimus. Docetur ergo Christus alter esse Salomon, minimus quidem Davidis filius, abjectissimus et tanquàm vermis habitus, sed qui, quod Salomon ille gessit regnum, et enormiter peccando dirupit, ac plurimis malis obnoxium reddidit, tanquàm legitimus successor sit ab omni injuriâ vindicaturus, ressuscitaturus, redintegraturus, et in summam gloriam adducturus, erectâ ædificatâque ex Israele et gentibus magnificentissimâ ac toto terrarum orbe celeberrimâ Ecclesiâ, quam et redditurus sit æternùm gloriosam, non habentem maculam aut rugam, ipse non jam Rex Israel tantùm, sed Rex regum, et Dominus dominantium, ut sic, juxta promissa, fiat firma domus Davidis, et regnum thronusque ejus continuetur confirmeturque in seculum et in omnem æternitatem. Itaque dùm Evangelista suum ante omnia detulit Josepho honorem, tum ostendit, patrem Jesu putativum, fuisse ex genere David, id quod manifestum esse debuit iis quibus Evangelium primùm est annuntiatum : deinde Mariæ simul ac Jesu parentes aperuit; denique hæreditario jure Davidici regni titulum à Jesu acceptum monstravit.

Vers. 33. — Et itaque regnabit, sicut David, sed

Vers. 33. — Et regnabit in domo Jacob, totâ scilicet, non unâ vel alterâ tribu; per quam intelligit universam Ecclesiam, etiam omnium gentium, quæ à posteris Jacob inchoata fuit; et gentes meritò fide in familiam Jacob adscitæ. Nam ex Judaico populo velut olivâ, et ex gentibus velut oleastro, in olivam illam inserto, una arbor, unus populus, una familia, una Ecclesia, velut una domus Jacob facta est. In æternum, id est, non per solos annos quadraginta, non per successores, non cum interruptione alicujus

longè excellentiùs, pleniore, inquam, dominio ac potestate, nimirùm corporibus non solùm, verùm etiam animis, et non tantùm vivis, sed et mortuis, denique pro mero suo beneplacito; *regnabit*, quia in hoc seculo, ad se conversos justificabit, et justificatorum vitam reget juxta legem suam; in altero autem seculo, animas quidem Dei ac suî visione beabit, corpora verò revocabit in vitam; denique et animas et corpora prorsùs possidebit, et æternâ gloriâ ac felicitate donabit; sic enim descriptum est regnum cœlorum seu Christi, Matth. 3, v. 2.

In domo, super domum, familiam, posteros. Quia Jacob non fuerat rex, idcircò *in domo* ait; sed domus post in regnum versa fuit, Davidis tempore.

Jacob. Domus Jacob in duodecim tribus divisa erat; plerique omnes reges, Davidis successores, non regnaverant nisi duabus, Judæ et Benjamin: vult ergo angelus dicere, quòd Jesus regnabit, non solùm duabus tribubus, verùm etiam decem reliquis, quæ in sacris historiis vocantur Israel, id est, duodecim tribubus seu universæ posteritati Jacob in duodecim tribus divisæ, juxta nomina duodecim filiorum Jacob. Erat enim publica eo tempore Judaici populi exspectatio, ut Christus non tantùm restitueret regnum David, quale fuerat sub Roboam et sequentibus regibus, sed ut integrum restitueret, quale fuerat sub David ac Salomone, et Judam ac Israelem diù à se mutuò separatos, iterùm conjungeret, quemadmodùm Osee prædixerat cap. 1, v. 11: « Et congre« gabuntur filii Juda et filii Israel pariter, et ponent « sibimet caput unum. » Sed intelligit angelus, per domum Jacob, Ecclesiam quam Christus collecturus esset, primùm quidem ex posteris Jacob, cujuscumque tandem tribûs, deinde verò ex gentibus etiam cujuscumque nationis. Apocalypsis cap. 7, v. 4, numerat centum quadraginta quatuor millia, ex omni tribu filiorum Israel, ex singulis inquam tribubus duodecim millia conversorum ad Christum; ex gentibus verò turbam magnam quam dinumerare nemo poterat. « Per domum igitur Jacob, quod inquit Titus, « non Judæorum tantùm gentem significat, sed « omnes omninò homines, qui per Salvatoris nostri « gratiam, ex omnibus gentibus et nationibus, sancto« rum adoptione potiuntur. » Hi enim omnes, etsi majori ex parte non sint ex posteris Jacob, censentur tamen de domo seu familiâ Jacob, quia soluto medio pariete maceriæ, qui Judæos à gentibus separaverat, utraque unum facta sunt, Ephes. 2, v. 14; Judæi, inquam, et gentes, unus populus, una domus, una Ecclesia, gentibus per fidem insitis in bonam olivam Abrahæ ac Jacob, Rom. 11, v. 24: « Domum Jacob to« tam Ecclesiam dicit, notat V. Beda: quæ vel de bonâ « radice nata, vel cùm oleaster esset, merito fidei in « bonam est inserta olivam. » Gentes, Deus, novâ et admirabili adoptione, inseruit in familiam Jacob, aggregans eas per fidem in Christum filiis Abrahæ et Jacob, quæ priùs extraneæ fuerant: sic tamen ut Judæi, tanquàm primogeniti, potiorem tenerent gradum, et ab ipsis, tametsi numero paucioribus, nomen ferret Christi Ecclesia, Domus Jacob, quibus Christus promissus fuerat, quibus minister datus, Rom. 15, v. 8; denique ex quibus Christus ejusque Ecclesia originem ducunt. Tametsi igitur angelus prædicat Jesum regnaturum domui Jacob et duodecim tribubus, quemadmodùm David; longè tamen amplius regnum intelligit quàm Davidicum, nimirùm ex Jacob per universum mundum spargendum, adscitis in familiam Jacob innumeris ex omnibus orbis nationibus.

In æternum, in secula; *leholam*, in seculum; quod rectè interpres exposuit *in æternum*. Cùm Davidi Christum comparâsset angelus, hâc parte anteponit, ne existimaret Virgo nihil eum Davide majus habiturum. *Regnabit* autem, inquit, non tantùm quadraginta annis, ut David, 3 Reg. 2, v. 11, sed æternùm; nec æternùm per successores, quod Davidi promissum fuerat, sed per seipsum, victurus et regnaturus æternùm, in domo Jacob, quod dictum est, quæ et ipsa proinde æternum erit regnum; quod non aliquando dividetur, ut regnum Davidis mox à morte Salomonis; nec interrumpetur, ut regnum Davidis à captivitate Babylonicâ; multò minùs peribit aut concidet, ut rursùm Davidis regnum subintrante alienigenâ Herode; aut abolendum aliquando vel antiquandum est, succedente alio perfectiore; denique « nec « ita duntaxat æternum erit, ut aliis moriendo decedentibus, aliis succedentibus oriendo, species in eâ « perpetuitatis appareat, » verba sunt D. Augustini lib. 22 de Civit. Dei, cap. 1; sed expers mutationis durabit in secula, et florebit æternùm, sicut et rex ipse in secula æternùmque regnabit. Sed ne intelligerentur secula aliquando finienda, et æternum pro longo temporis intervallo acciperetur, quemadmodùm aliquando in veteri Testamento, addit Angelus:

Et regni ejus non erit finis. Unde D. Augustinus, cap. 7 libri contra Priscillianistas et Origenistas scribit: « Hoc quod ait, in æternum, propter ipsam « ambiguitatem exposuit addendo: Regni ejus non « erit finis; ne quisquam æternum hìc sic acciperet, « quemadmodùm seculum finem quandolibet habitu« rum. » Absolutè igitur æternum erit, ita ut finem nunquàm habiturum, et quod ad regem et quod ad cives; nec hoc mundo finiente finietur, sed ultra mundi finem protendetur in æternum et in secula seculorum, id est, in secula infinita. Ipse rex sine fine vivet et sine fine regnabit, nullo admisso succes-

captivitatis, sicuti David, sed interruptè, per se, in æternum. Ut autem Aug. notat lib. contra Priscillianistas c. 7, id quod dixerat, *in æternum*, exposuit, addendo: *Et regni ejus non erit finis*, ne quisquam *æternum* acciperet pro longo temporis intervallo. Itaque significatur, tam regem quàm regnum, seu cives ejus æternos sine fine futuros, nec ita, ut, aliis moriendo decedentibus, aliis succedentibus oriendo, species perpetuitatis appareat, sicut arbor perenni fronde vestitur; sed ita, ut totum regnum, et cives ejus sint immortales, ut August., lib. 22 de Civit., c.1.

Vers. 34. — Dixit autem Maria ad angelum,

sore; et quicumque hominum semel adscriptus fuerit regno ejus, non excidet communione regni per mortem corporis, sed à morte immortalis perfectiùs et sine fine fruetur bonis regni. Incepit enim incipitque hoc regnum, et quod ad regem et quod ad subditos, in hâc hujus seculi vitâ mortali, sed absolvitur demùm in vitâ æternâ alterius seculi. Hæc est æternitas regni promissa Davidi in semine, quod est Christus, signanter Psalmo 88, ubi legis v. 4 et 5: « Juravi David servo meo: Usque in æternum præparabo semen tuum, et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam; » rursùs v. 30: « Et ponam in seculum seculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli; » iterùm v. 36 et 37: « Semel juravi in sancto meo si David mentiar: Semen ejus in æternum manebit; et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis. » Denique hanc hujus regni æternitatem prædixerat Daniel cap. 2, v. 44, his verbis: « In diebus regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populorum non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum. » Rursùs capitis 7, v. 14: « Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. »

Dixit. Facilè timorem omnem posuit Maria, admonita ab angelo, et attento animo auscultavit quid nuntii afferret: quo benè intellecto, in pauca demùm verba os laxavit.

Ad angelum. Indicatur quòd sciverit et tenuerit esse angelum Dei.

Quomodo, quâ ratione *fiet*, erit *istud*, ut scilicet concipiam et pariam hujusmodi filium? Non abrogat dictis angeli fidem, nec dubitat an verè sint eventura; sed pro veris illa accipiens et habens, utpote à Dei legato profecta qui fallere nequeat, rogat prudenter modum quo futura sint, *non desperando, sed inquirendo,* quod ait D. Augustinus homiliæ 44 capite 5, inter 50 homilias, addens: « Dùm interrogavit, non de promissione dubitavit, quod enim futurum esse certa erat, modum quo fieret inquirebat, » ait idem lib. 16 de Civit. Dei, cap. 24. Similiter alii plerique omnes veteres interpretantur, inter Latinos Ambrosius, Beda, Bernardus; inter Græcos, Theophylactus, Titus. Hujus verba sunt: « Non quasi incredula interrogat, verùm ut sapiens, rei quæ denuntiabatur modum et rationem discere desiderat. » Contra Zacharias supra v. 18, signum requirebat, antequàm vellet credere: *Unde hoc sciam,* inquit. At Virgo « non ait: Unde hoc sciam (notat Beda), sed: Quomodò fiet, ordinem videlicet obsequii cui subdatur inquirens, non autem signum cui credat flagitans. Hæc jam de negotio tractat, inquit Ambrosius, ille adhuc de nuntio dubitat. »

Quoniam, postquàm, quandoquidem. Dat rationem cur interroget modum, quia videlicet vulgaris modus, qui fit viro et muliere se mutuò cognoscentibus, locum non habeat, postquàm ipsa virum non cognoscat.

Virum meum Joseph, cui nupsi, multò minùs alium quemvis.

Non cognosco, nullam cum viro rem habeo, nulla mihi cum viro consuetudo. Subaudit Virgo: Id quod Deus novit, et tu per Deum. Cæterùm, non hoc solùm intelligit, quòd jam actu non cognoscat virum: ridicula enim fuisset illa exceptio, si tempore et loco potuisset cognoscere; sed quòd nec cognoscat, nec cognoverit, nec possit cognoscere in futurum. Sic enim exponendum est illud *non cognosco,* ut à tempore absolutum, omne tempus includat; ut non cognosco jam actu, ita non cognovi, neque cognoscam. Hunc namque ad modum loqui solemus de iis quæ nostræ sunt naturæ, consuetudinis, propositi, aut voti: « Non bibo vinum: Non comedo carnes: Discipuli tui non jejunant, Matth. 9, v. 14: Bonum est homini mulierem non tangere, » 1 Cor. 7, v. 1. Porrò de eo quod naturæ est hìc non agitur, quasi diceret, non possum cognoscere per ætatem aut aliud naturæ impedimentum, quia ætate nubilis adeòque nupta jam erat; nec tantùm agitur de eo quod consuetudinis aut propositi est, quasi diceret: Non consuevi cognoscere, aut decrevi non cognoscere; quia decretum seu propositum animi seu consuetudo, cùm pro liberâ hominis voluntate mutari possint, non dedissent sufficientem causam interrogandi, *Quomodò fiet istud!* quæ ob rem tanti momenti meritò mutanda fuerant. Restat igitur ut intelligat Virgo se voto castitatis adstrictam non posse cogno-

quem videlicet jam angelum sentiebat: Quomodo fiet istud? Ergo credidit id futurum, cujus modum inquirebat, ut August. 16 de Civit., cap. 24, et Ambr. hic: Hæc, inquit, jam de negotio tractat; ille (Zacharias) adhuc de nuntio dubitat. Nam, ut et Beda observat, Zacharias rogabat. *Unde hoc sciam?* Virgo: *Quomodò fiet istud?* Quia ordinem obsequii sui inquirebat, non signum, cui crederet. Ex quibus patet imperitia et impietas Calvini, qui ex his verbis colligit Virginem restrinxisse Dei potentiam, non minùs malignè quàm Zachariam. Quoniam virum, scilicet meum Joseph, non cognosco. Hæc est ratio cur quærat modum, non scilicet curiositas, sed quia ipsius magnopere intererat. Porrò illud, *cognosco*, non potest intelligi tantùm de facto; futilis enim esset interrogatio, quia posset in futurum cognoscere, nec de nudâ consuetudine aut proposito, sicuti dicimus: Non bibo vinum, quia posset consuetudinem et propositum pro re tanti momenti propriâ et prudenti voluntate mutare; sed de consuetudine seu proposito ita firmato, ut resilire non posset: quasi diceret, non possum aut non licet mihi virum cognoscere. Quod cùm fieri non soleat nisi ex voto, hinc est quod Bern., hom. 4 in *Missus*, Beda, Nissenus Oratione in Nativitatem Christi, et inprimis August., lib. de Virginit., c. 4, constanter inde colligant, eam fuisse voto virginitatis adstrictam, antequàm angelus ei loqueretur: imò antequàm nuberet, ut August. Quia enim votum virginitatis, inquit, Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro, quod illa jam voverat.

scere virum; non posse, id est, non esse sibi liberum aut licitum per legem Dei; q. d.: Vovi non cognoscere. Votum enim Deo factum cùm violari ac mutari non possit aut debeat, dubitandi causam affert quo modo conceptura legitimè sit, quæ votum castitatis Deo nuncupavit, ac proinde non potest virum cognoscere, qui est ordinarius modus concipiendi. Votum castitatis à Virgine hìc significari, intelligit D. Bernardus, enarrans verba Virginis, homiliâ 4 in *Missus*, ubi ait: « Cùm sciat Dominus « meus, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ « suæ non cognoscere virum, quâ lege, quo ordine « placebit ei ut fiat istud! » Ante Bernardum intellexit et D. Augustinus, qui libri de sanctâ Virginitate capite 4: « Priusquàm, inquit, conciperetur (Christus) jam Deo dicatam de quâ nasceretur elegit. « Hoc indicant verba quæ sibi fœtum annuntianti angelo Maria reddidit: *Quomodò*, inquit, *fiet istud*, « *quoniam virum non cognosco?* quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia « hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro, quod illa jam vo« verat. » Hæc et alia plura in hanc rem illic Augustinus. Inter Græcos Gregorius Nyssenus oratione in nativitatem Christi ad eumdem modum verba Virginis edisserit: « Interdicta mihi est viri consuetudo, « ut virum cognoscam fieri non potest; quo pacto « hoc mihi continget? etc., quoniam Deo dicatam et « consecratam carnem, velut sanctum quoddam donarium, intactam servari oportebat, etc. Quomodò « mater ero absque viro? Josephum enim sponsum « quidem novi, virum autem non cognosco. » Hæc Nyssenus. Convincitur ergo ex hoc loco, Mariam servandæ virginitatis voto Deo obstrictam fuisse, tunc cùm angelus legatione apud eam fungeretur: imò antequàm nuberet vovisse, sentit, quod vidimus, Augustinus; estque hoc verisimile, quia ut non corpore tantùm, verùm mente etiam, semper mansit virgo, ita non concubitûs causâ nupsit, imò concubitum nubens exclusit. Nec tamen decepit sponsum, quod objicit Calvinus, quia conscium reddidit, scientique ac consentienti nupsit. Non dubium quin Virgo ista futura Mater Christi, instinctu Spiritûs sancti formata fuerit ad omnem perfectionem doctrinæ christianæ, etiam nondùm promulgatæ; quocirca etiamsi virginitatis Deo consecrandæ consuetudo nondùm esset in usu, consecravit eam tamen, suggerente Spiritu sancto, ut quàm dignissima esset quæ eligeretur in Christi matrem; ut etiam congruebat matrem Christi, omnium Christi discipulorum ac fidelium ducem esse ac magistram, atque exemplar in omni genere virtutis. Cùm ergo vovisset illa votum virginitatis servandæ Deo, ubi audivit conceptum partumque filii divinitùs sibi promitti, rogavit, quandoquidem virum cognoscere non possit, qui est ordinarius concipiendi modus, quonam modo conceptura sit? Non est dubium quin Dominus Deus mentem Virginis illustrârit, ita ut clarè intellexerit angelicam legationem, eâ, inquam, promitti sibi, quòd esset conceptura et paritura Messiam regem, olim patribus promissum, et piis omnibus hactenùs exspectatum; æternum, inquam, Dei Filium, futurum hominem; nec tantùm intellexerit, verùm etiam *Angelo foris loquente, Deo intùs persuadente*, quomodò loquitur D. Bernardus homiliâ 4: *fide confortata*, acceperit promissionem, ut à Deo profectam, veram, et in ipsâ perficiendam. *Beata quæ credidisti*, inquit infra Elisabeth v. 45. Quod cùm ita esset, et consideraret Deo notum esse votum servandæ virginitatis, quo tenebatur, nec posset in animum inducere divinæ voluntatis esse, ut votum frangeret, cui noverat puritatem super omnia placere, persuasit sibi, quod res erat, filium illum non vulgari modo à se concipiendum, cognito viro, sed salvâ virginitate, alio insolito modo. Juvit eam ut hoc crederet prophetia Isaiæ: *Ecce virgo concipiet*, etc. Ad quam angelus alluserat. Quæsivit ergo: Quandoquidem, eo non obstante quòd noveris virum cognosci à me non posse, voto prohibente, promittis mihi Messiam filium, ac proinde vulgaris concipiendi modus ex viro hìc non sic servandus, quonam obsecro modo fiet ut concipiam? Hæc interpretatio est D. Ambrosii lib. 2 de Abraham Patriarchâ cap. 8, ubi ait: « Maria cùm audisset ab angelo quòd virgo paritura « esset filium, respondit: *Quomodò fiet istud, quoniam* « *virum non cognovi?* Et jure respondit: Hoc est, cùm « id quod naturæ est non suppetat, quia non solet « parere virgo, quæ viro non fuerit copulata; quæro « quomodò præter instituta naturæ possim generare? » Nam quod idem Ambrosius in hujus loci commentariò ait: « Legerat quidem Maria; Ecce Virgo in utero « accipiet, sed quomodò fieret ante non legerat. » Neque verò curiositatis fuit hæc quæstio: ipsius enim intererat, scire *ordinem obsequii cui subdi deberet*, ut Beda loquitur, et quemadmodùm ipsam gerere se oporteret in negotio quod per ipsam conficiendum erat, ut promptam se Dei voluntati exhiberet, et commodiùs ageret.

Vers. 35. — Respondens, satisfacere volens propositæ quæstioni, et explicare modum quo Virgo conceptura esset sine viro.

Vers. 35. — Et respondens angelus, ut modum illius conceptûs salvâ virginitate, de quâ sollicita erat, explicaret, dixit: Spiritus sanctus superveniet in te, id est, loco viri cœlitùs seu desuper veniet in te. Nominat autem Spiritum sanctum magis quàm Patrem aut Filium, duabus de causis: Primò, quia Spiritui sancto appropriantur opera gratiæ, ut propterea eum Apostolus ad Hebr. vocet *Spiritum gratiæ*. Summum autem opus gratiæ fuit talis conceptus, et Virgini, ut sic fieret mater Dei, et ipsi Filio hominis, quia nullis meritis propriis tanta dignitas ei obtigit, ut esset simul Filius Dei, prout declarat August. lib. de Corrept. et Gratiâ, c. 11, et de Dono perseverantiæ c. ultimo; et humano generi, quia eâdem gratiâ fit quisque Christianus, quâ ille homo factus est Christus, ut ait idem lib. de Prædest. sanctorum, c. 15. Secundò, quia ille est Spiritus sanctificationis, et ejus fons, cui opera sanctitatis appropriantur, ut hoc ipso intelligeret Virgo

Dixit, prout ipsi præscriptum fuerat à Deo.

Spiritus Dei, qui vivificat omnia, Psal. 103, v. 30: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur.*

Sanctus, sanctitatis puritatisque omnis auctor ac amator.

Superveniet, desuper veniet, cœlitùs delabetur. Syrus *veniet.*

In vel super **te**. Erit tibi loco viri. Syrus omittit, *in te*, nisi quòd subaudire videatur ex membro subsequente. Jam erat Spiritus sanctus in Virgine, sed ad alios effectus quàm fœcunditatis.

Et virtus, vis, efficacia.

Altissimi, Dei Patris, id est, idem spiritus Dei efficacissimus. *Idem enim indicat hic sermo*, ait Euthymius. Spiritus sanctus vocatur virtus Dei, etiam infra 24, v. 49: *Quoadusque induamini virtute ex alto.* Et omninò frequens est Scripturis novi Testamenti, spiritum et virtutem conjungere; supra, v. 17; infra c. 4, v. 14; Rom. 1, v. 4, etc. Videtur angelus, summo consilio, usus nomine virtutis et Altissimi, quia eâ de re agebat, quæ divinam ac supernaturalem potentiam postulabat, quam nomen utrumque declarat.

Obumbrabit tibi, pro te, seu inumbrabit, cooperiet, teget, complectetur te, incumbet tibi. Syrus, *Proteget super te.* Theophylactus: *Obumbrabit*, id est, *conteget te, undique te circumdabit.* Similiter Titus: *Undequàque circumdabit te, circumvallabit te, complectetur te.* Utroque membro, aliis atque aliis verbis, idem significatur, quod diximus; nimirùm, quòd Spiritus sanctus supplebit ac geret partes viri, quòd Spiritus sanctus potenter operabitur in Virgine, quod solet vir in muliere. Quam ad rem appositè utitur angelus duobus verbis, quibus actus matrimonialis circumscribitur, superveniendi nimirùm (supervenit enim seu supergreditur maritus uxorem) et obumbrandi seu cooperiendi; cooperit enim maritus uxorem eique incumbit, quando cognoscit. Sive enim Angelus loco verbi ἐπισκιάζειν, quod est obumbrare, usus fuerit verbo *ganan*, quod Syrus habet, sive *sacach*, quod legitur Psal. 90, v. 4, ubi nos habemus: *Scapulis suis obumbrabit tibi*, utrumque Hebraicè significat operire ac tegere. Ac videtur ea consuetudo aliquando fuisse in Israel, ut vir accipiens uxorem, extenderet alam pallii sui super eam, Ruth. 3, v. 9, id est, obumbraret seu tegeret eam orâ pallii sui. Signum conjunctionis maritalis. Itaque verbo obumbrandi significatur coopertio, incubatio, ac complexio, et consequenter fœcundatio; virtutis autem Altissimi nomine, vis et efficacia singularis, naturæ vires superans, q. d.: Divina virtus fœcundam gravidamque te reddet. Sed ne locus sit, sordidi quid aut immundi hìc imaginandi, id faciet, inquit, descendens super te, *Spiritus*, corporis expers, et ille *sanctus* ab omni impuritate atque immunditiâ alienissimus. Summâ, Spiritus sanctus, ait, divinâ vi, castissimè ac purissimè, operabitur in te, impraegnabit te, quod solet non sine impurâ libidine ac sordibus uxorem maritus vi naturæ. Spiritus Dei sanctus, divinam in te virtutem exseret, ac sine virili semine efficaciter te fœcundabit. Virile semen in mulieris uterum infusum, duplex obit munus ad generationem prolis, unum materiæ, præcipuum verò causæ efficientis. Spiritus sanctus, in Virgine, efficientiam omnem ipse administravit; sed materiæ locum non subiit. Virile semen ita agit in sanguinem muliebrem, adductum in locum aptum generationi, ut paulatim ex eo fingat ac formet corpus capax animæ rationalis, cusis ex seipso ossibus ac nervis. Spiritus sanctus, ex purissimis Virginis sanguinibus, absque omni libidinis sensu in matricem adductis, formavit momento temporis Filio Dei corpus præditum animâ rationali, nervis atque ossibus ex eâdem Virginis substantiâ acceptis; quare Virgo matres omnes superavit, ampliorem materiam formando corpori filii sui præbens, quàm reliquæ. Docet angelus Virginem, modum quem quærebat, quo Christus ex ipsâ sine viro esset concipiendus, fore, virtute Spiritûs sancti. Sed quare Christus debuit de Spiritu sancto concipi? quia non decebat ut is quem oportebat nasci sanctum, quod sequitur, ordinario modo conciperetur, de viro scilicet, quandoquidem is modus transfundat peccatum in prolem. Quamvis autem peccatum facilè exclusum fuisset, tam per conjunctionem naturæ divinæ, quàm per gratiam præservantem; non debebat tamen eo modo concipi, quo peccatum consuevisset transfundi, sed tam ex parte propagationis, quàm ex parte personæ suæ, à peccato prorsùs esse alienus, qui ablaturus erat peccata mundi. Hanc ob causam, absque viri congressu, ex Virgine, Spiritu sancto viri partes agente nasci decuit Salvatorem. Præterea ob cœlestis Patris honorem, ne præter eum alterum haberet Patrem, sed è solâ matre in tempore nasceretur homo, qui è solo Patre ab æterno natus fuerat Deus. Postremò, ut ab omni libidinis atque impuritatis sorde procul ejus abesset nativitas, qui fons est puritatis, *candor lucis æternæ, et speculum sine maculâ Dei majestatis,* Sap. 7, v. 26. Cæterùm Spiritui sancto tribuitur, quam sancta Trinitas operata est, Christi conceptio (sunt enim divinæ Trinitatis opera indivisa) quia opus fuit impri-

conceptum illum summâ puritate esse peragendum. **Et virtus altissimi**, scilicet Dei Patris. Hanc *virtutem* plerique veteres intelligunt Filium Dei, qui ab Apostolo vocatur *Dei virtus et sapientia*, ut ita tota Trinitas hìc exprimatur. Posset tamen pro more scripturæ usitato esse repetitio et explicatio præcedentis, ut sit idem quod Spiritus sanctus efficacissimus, ut sentit Euthymius. Summæ enim potentiæ opus fuit conceptus Virginis sine viro; unde et c. 24 de Spiritu sancto dicitur: *Donec induamini virtute ex alto*: **obumbrabit tibi**. Locutio est metaphorica, cujus obscuritas multas explicationes peperit. Recentiores aliqui putant honestissimâ metaphorâ significari fœcundationem Spiritûs sancti, loco complexûs virilis; q. d.: Spiritus mundissimus divinâ virtute castissimè sine viro te gravidam reddet. Qui sensus quamvis non videatur omninò incongruus, et à Theophyl. ac Tyto insinuatus, qui exponunt: *Obumbrabit*, id est, undique te circumdabit et complectetur te; antiquiores tamen alias metaphoras in hoc verbo notàrunt. Aug. per *obumbrationem* significari sentit virtutem Altissimi velut umbrâ quâdam refrigeraturam carnem

mis fœcunditatis ac vivificationis, deinde puritatis ac munditiei, alienissimum ab omni sorde, postremò misericordiæ ac gratiæ, misericordiam gratiamque omnem superantis, tum erga hominem Christum, tum erga universum hominum genus; (Aug. Enchiridii cap. 38, 39, 40); solet enim Scriptura Spiritui sancto tribuere ea quæ sunt beneficentiæ, liberalitatis, fœcunditatis, et sanctitatis sive puritatis. Præterea vitatur sermonis incongruitas, quæ foret, si diceretur Christus, vel de Patre, vel de seipso conceptus. *Observare autem hìc licet,* quod annotat Titus et Theophylactus : « Quomodò dùm Spiritum sanctum virtutemque et Altissimum Angelus nominat, totam sacratissimam Trinitatem Virgini patefaciat, » præsertim cùm de Filio Dei, carnem induturo loquatur ; neque enim dubium est quin Virgo fidem sacrosanctæ Trinitatis, quam ante ipsam patriarchæ ac prophetæ divinitùs acceperant, obtinuerit, clarèque intellexerit, hìc agi de Filio Dei carnem ex ipsâ assumpturo, quamvis ea fides nondùm esset evulgata.

Ideoque, ideò.

Et, etiam. Syrus rejicit *et* in finem versiculi.

Quod nascetur, quod nascitur; præsens est pro futuro proximè instante, et pro *nascetur*, clariùs vertas gignetur aut generabitur; nam de conceptu potiùs hìc agitur quàm de partu. Simile Matth. 1, v. 20. Usus est angelus neutro genere, tanquàm proprium nomen non suppeteret, quo rem explicaret : nec enim merum Deum dicere poterat, nec merum hominem, sed unum quid quod utramque naturam complecteretur. *Attende quàm reverenter dixerit,* ait Bernardus : *credo quia non habuit quid propriè dignève nominaret,* etc. Et certè si masculino genere dixisset *qui*, videri potuisset dividere personas Filii Dei et filii hominis, et filium Dei adoptione intelligere, non naturâ.

Ex te, ex substantiâ et sanguinibus tuis ut materiâ. Manuscripta Biblia ecclesiarum cathedralium D. Donatiani et S. Audomari, cum aliis exemplaribus ab aliis annotatis omittunt illud, *ex te,* quibus Græci libri plerique adstipulantur. Atqui plerique Latini libri, consentientibus Syricis et nonnullis Græcis, nominatim Complutensi ac Regiis, illud servant; quod quidem Titus Bostrorum episcopus et legit et interpretatur clarissimè, Athanasius autem epistolâ ad Epictetum Corinthiorum episcopum etiam urget adversùs hæreticos illos qui Christi corpus non ex virginis corpore formatum volebant. Verisimile est igitur, ab hujus farinæ hominibus, erasum aliquando fuisse illud, *ex te.* « Addit ex te, notat Titus, quò, quod « nascebatur, secundùm naturam ortum ex illâ du« cere, adeòque naturalem illius fœtum esse, certò « persuadeat. »

Sanctum, ab omni peccato et peccati contagio liberum ac Deo acceptum et gratum. Syrus, mutato neutro genere, quo caret, in masculinum, hìc absolvit sensum, hoc modo : *Propterea is qui nascitur ex te, sanctus ipse* (id est, erit) *et Filius Dei vocabitur.* Quidam, quorum meminit Euthymius, jungunt nomen, *sanctum,* cum verbo *vocabitur,* hâc distinguendi ratione adhibitâ : Ideò et quod nascetur ex te, sanctum vocabitur, nempe Filius Dei. Atqui jungendum est nomen *sanctum* cum verbo præcedente *nascetur,* et construendum, non tam ex parte anteriore : *Sanctum quod nascetur ex te,* quàm ex posteriore : *Ideò quod nascetur ex te sanctum,* ita ut adverbii vim obtineat, potiùs quàm nominis; hoc sancto modo, hâc sanctâ ratione; et conjunctio rationalis, vim suam exerat, tam in hanc priorem partem, *nascetur sanctum,* quàm in posteriorem *vocabitur Filius Dei.* Nam quia non ex viro, sed ex Spiritu sancto natum est, ideò, et natum est sanctum ac sanctè, et vocatum est *Filius Dei.* Addit autem angelus, *sanctum,* ad differentiam eorum qui ex viro et muliere nascuntur, nam hi omnes immundi nascuntur, et ex ipso modo conceptionis peccatum contrahunt; at quod ex Spiritu sancto et Virgine natum est, eâ ratione natum est, quâ non possit peccatum incurrere, sanctum, inquam, et sanctè, alienum ab omni peccato, et ab omni prorsùs labe ac sorde immune. « Nos etsi sancti « efficimur, ait D. Gregorius lib. 18 Moral., cap. 27, « non tamen nascimur, etc.; ille autem solus veraciter « sanctus natus est, qui ut ipsam conditionem naturæ « corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis co-

Virginis, ut sine ullo libidinis æstu conciperet. Unde, epist. 57, q. 2, dicit quòd Virgo cui dictum est : *Obumbrabit tibi,* sibi tali umbraculo nullo ardore concupiscentiæ carnalis æstuabit; quod etiam tangit Gregor., lib. 3 Moral., c. 3; Hilar., lib. 2 de Trinit. accipit pro *protegere et confirmare*, quia umbraculum protegit; q. d. : Proteget et juvabit te, ut concipere sine viro possis, itemque in conceptu et partu ab omni injuriâ contaminationis defendaris. Theophyl. etiam accipit, protegere ad fovendum, sicut avis, inquit, pullos tegit, ut eos foveat et vivificet. Ideoque scilicet propter illam Spiritûs sancti operationem, quod nascetur, Græcè γεννώμενον quod generatur, seu quod genitum fuerit; non enim agit de nativitate, sed de conceptu, sicut et Matth. 1, v. 20. Accuratè autem observat et urget Epiph., hæresi 54, dici, *et quod*, ut intelligatur id quod nascetur, adhuc semel esse genitum, ex Patre scilicet ante tempora, et jam iterùm nasciturum secundùm carnem. Ex te, id est, ex substantiâ tuâ; ut indicet filium Dei non allaturum corpus de cœlo, inquit Athanasius, epist. ad Epictetum, vel per Virginem ut canalem transiturum. Ne quis videlicet cum Eutyche putaret, quia conceptus Virginis fuit divini operis, quòd non de naturâ concipientis facta esset caro concepti, ut inquit Leo, epist. 10, c. 12. Sanctum, jugendum est cum, *nascetur*, construendum ex parte posteriori, non anteriori, ut habeat vim adverbii, potiùs quàm nominis : q. d. : Quòd nascetur ex te sanctè, id est, sancto modo, ex Spiritu sancto sine viro; et ideò etiam sanctus tanquàm gratiâ sanctificationis plenus, sine omni peccati originalis immunditiâ. Indicat hunc sensum Gregor. 18 Moral., c. 27. Non ergo hoc verbo unio hypostatica directè, sed puritas conceptûs significatur. Vocabitur filius Dei; propriè dictus, sicut et erit; quod phrasi Hebraicâ per *vocari* sæpè, jam diximus significari. Vanum enim esset ita tantùm significari, si non esset. Ideò ergo quia ex virtute Altissimi obumbrante conceptus, erit etiam Filius Dei; non quasi purus homo non potuisset ita concipi, sed quia talis nativitas sine viro, supplente Deo vices viri, nemini conveniebat, nisi Filio Dei, sicut nec Filium Dei aliter decebat concipi.

«pulæ conceptus non est.» In quam sententiam scribit et D. Leo, serm. 4 de Nativitate Domini: «Creator «ac Dominus omnium rerum, dignatus est unus esse «mortalium, electâ sibi matre quam fecerat, quæ salvâ «integritate virgineâ, corporeæ esset tantùm ministra «substantiæ; ut humani seminis cessante contagio, «novo homini et puritas inesset et veritas.» Denique Augustinus lib. 13 de Trinitate, cap. 18: «Non inter«fuit carnis concupiscentia, per quam seminantur et «concipiuntur cæteri; sed eâ potiùs remotissimâ, «credendo, non concumbendo, sancta est fœcundata «virginitas, ut illud quod nascebatur, ex propagine «primi hominis, tantummodò generis, non etiam cri«minis, originem duceret.» Quamvis autem sanctus esset Christus à primo conceptionis articulo, ratione unitæ naturæ divinæ, cum quâ unione peccatum multò minùs consistere potest quàm cum quâvis gratiâ infusâ gratumque faciente; tamen, etiamsi hæc unio defuisset, vel ex vi hujusmodi conceptionis sanctus fuisset, et ab omni peccati contagio liber, *innocens, impollutus et à peccatoribus segregatus,* Hebr. 7, v. 26. Quomodò enim non sit sancta et immaculata conceptio, cujus auctor, non vir virtute naturæ corruptæ, sed virtute divinâ Spiritus sanctus qui sanctificat omnia?

Vocabitur, credetur, agnoscetur, prædicabitur; *à fidelibus*, addit Euthymius.

Filius Dei naturâ; quod ab initio tibi promisi; qualis jam inde ab æterno apud Patrem existit; non viri alicujus patris. Hic repetendum mente est, cùm *ideò*, τὸ et sive *etiam*, positum initio pericopes; cùm multas ob causas atque rationes agnoscendus sit Filius Dei, tum inter cæteras ob istam, quòd conceptus sit virtute divinâ de Spiritu sancto, absque ullo patre homine. Hunc enim in modum concipi atque hominem fieri nullius esse poterat nisi Filii Dei; quem solum non decebat hominem habere in terrâ patrem, qui patrem in cœlo haberet Deum.

Vers. 36. — Et ecce, exemplum præsens ac domesticum ejus generis quod tibi annuntio.

Elisabeth, uxor Zachariæ sacerdotis.

Cognata tua, consobrina tua, creduntur enim Maria et Elisabeth fuisse filiæ sororum, Maria Annæ, Elisabeth Ismeriæ; quarum sororum pater fuerit Solon Bethlehemites ex tribu Judâ et domo David, qui Ismeriam quidem nuptum dederit sacerdoti; fuit enim Elisabeth ex filiabus Aaron, supra v. 5; Annam verò, Joachimo ex tribu Judâ et domo David. Hæc accepta dicuntur ex libello de Ortu Mariæ, cujus auctor fuerit Cyrillus patriarcha Alexandrinus, ille qui præfuit concilio Ephesino adversùs Nestorium celebrato; quæ certè probabiliora putârim, iis quæ Nicephorus, lib. 2, cap. 3, ex Hippolyto refert, tribuente Annæ patrem ex tribu Levi et genere sacerdotali; quanquàm pro Solone, alii Gazirum nominent Annæ patrem ex tribu Judâ; ipse Evangelista infra 3, v. 23, videri possit, vocare Eli. Cæterùm etsi illud ita habeat, oportet tamen statuere contra libellum illum, Ismeriam Annâ natu majorem fuisse, et Elisabeth quidem ex Ismeriâ adolescentulâ fuisse genitam, Mariam verò ex Annâ vetulâ (ut certè vulgaris opinio habet, Annam sterilem, in provectâ demùm ætate auctam fuisse filiâ Mariâ), quia Mariâ agente annum ætatis circiter decimum quintum, Elisabeth scribitur senex fuisse ætatisque provectæ, et ad gignendam prolem inhabilis.

Et ipsa, etiam ipsa, me nuntio concepit præter spem omnem et naturæ vires Filium. Declarat quid prolis illa utero gestet, filium, inquam, non filiam; nec enim humanitùs id facilè adhuc sciri poterat; ut ostendat quàm certò res ipsi sit cognita; ut certè etiam majus erat et miraculum et beneficium, filium ab ipsâ conceptum quàm filiam.

In senectute sua, quod in juventute suâ non valuit. Quemadmodùm tibi à me promittitur conceptus filii salvâ virginitate; ita illi jam obtigit non obstante senectute. Hoc enim virginitas senectuti comparatur, quòd utraque ad concipiendum inidonea sit.

Et ne existimes conceptum incertum aut dubium adhuc esse, hic mensis, nisan seu martius est sextus à conceptu, ita ut res testata sit certissimis signis, utero tumido, fœtu movente se ac vivente, tempore denique felicem partum promittente. Nam et vetulæ aliquando concipiunt, sed abortum ferè faciunt; quæ verò ad sextum usque mensem queunt fœtum perducere, extra periculum sunt. Nam sexto mense non contingit abortus à causâ intrinsecâ.

Illi mulieri, quæ vocatur, quæ ob longi temporis experientiam vulgò habetur et prædicatur sterilis, non sine probro. Jam sextum mensem gestat uterum concepto filio, naturâ inhabilis ad generandum, tum propter ætatem provectam, tum propter naturæ ste-

Vers. 36. — Et ecce, domesticum scilicet exemplum in promptu positum; q. d.: Non magis difficile Deo erit tibi Virgini, quàm illi sterili supra naturam conceptum dare. Neque hoc adfert, ut incredulitatem aut dubitationem Virgini tolleret, sed ut rem arcanissimam sensibili exemplo humano more confirmaret, et juxta Bern., hom. 4 in *Missus*, miraculum miraculo addendo, gaudium gaudio cumularet, Elisabeth cognata tua; quia Judæa, ut Ambros. initio lib. 3 in Lucam; nam omnes Judæi vocantur *cognati secundùm carnem*, ad Rom. 9, v. 3, et præcipuè quia materno genere erat ex tribu Judâ et familiâ David, quamvis ex parte patris esset de filiabus Aaron. Unde quidam Mariam et Elisabeth filias fuisse putant duarum sororum ex tribu Judâ, quarum una nupserit in tribu Levi, Anna verò mater Virginis in tribu Judâ. Feminis enim licebat extra tribum suam nubere, quando non erant hæredes; et ita periculum deerat, ne possessiones tribuum et familiarum permiscerentur. Sic enim David duxit Michol ex tribu Benjamin, et Joiada Pontifex duxit Josabeth, filiam regis ex tribu Judâ. Et ipsa concepit filium in senectute sua; id est, etiam ipsa, sicuti tu, concepit divinitùs in senectute, cùm in juventute non potuisset. Comparat enim conceptum in senectute conceptui in virginitate, quia utrobique impotentia. Et ne existimes rem incertam esse, hic mensis est sextus, à conceptu, ita ut eum quilibet facilè externis indiciis cognoscere possit, illi quæ vocatur sterilis, id est, cujus sterilitas vulgò est notissima, ita ut non sine probro passim sterilis vocari soleat. Probat autem hypothesin ex generali thesi.

rilitatem, jam inde ab adolescentiâ ipsius omnibus perspectam et cognitam, ita ut tam manifesta sit jam ejus fœcunditas, quàm fuit hactenùs sterilitas. Affert exemplum hoc angelus, non ut fidem impetret apud Virginem dubiam, nec credentem se salvâ virginitate concipere posse filium de Spiritu sancto; non ut incredulitatis aut ambiguitatis aliquid Virgini auferat; sed ut altissimum mysterium, remque in se difficillimam, declaret, et credentem verbis suis, confirmet magis magisque per sensibile exemplum. Solet enim fides, quæ divinâ nixa auctoritate, recepit hæc illa ut vera, mira accipere firmitatis lucisque incrementa, si post accedant, vel rationes naturales, vel sensibilia exempla, consentanea eis quæ crediderimus, quibus declarentur, non contra, sed supra rationem esse; juxta illud Isaiæ, toties ab Augustino laudatum ex 70 Interpretibus, cap. 7, v. 9: *Nisi credideritis, non intelligetis;* credenti intelligentiam dat Deus, non fidem intelligenti. Quin autem B. Maria, tametsi plena gratiâ, fide cæterisque virtutibus semper profecerit ad finem usque hujus mortalis vitæ, non est dubium, jamque supra docuimus. Et quamvis minoris miraculi sit, sterilem anum concipere, quàm virginem concipere; hoc tamen per illud angelus rectè confirmat, apud credentem, ut ejus fides augeatur, (q. d.: Tam facilè Deus dabit tibi virgini quàm illi sterili conceptum, cùm utrumque supra naturam sit), præsertim cùm illud præsens jam esset, et sensibus posset explorari, simile 1 Reg. 10, v. 1, 2, 3, et seq. Quare non attulit Saræ aut Rachelis sterilium ex sacris litteris exempla, jam olim præterita, notat Chrysostomus hom. 49 in Genesim; sed præsens, quod oculis agnosci posset, et quidem domesticum ac familiare, quod magis etiam movere solet, quasi Dei mens sit, familiam illam, quamvis humilem, singularibus suis beneficiis illustrare, quod verè erat. Non solùm enim ad majus lumen ac robur addendum. Virginis fidei, adhibuit hoc exemplum angelus; verùm etiam ad hoc, *ut dùm miraculum miraculo additur*, inquit D. Bernardus hom. 4 in *Missus, gaudium gaudio cumuletur;* ut Maria audiens Deum magnifica quædam secum et cum cognatâ moliri, habeat unde plus lætetur, et gaudium ipsi accrescat et solatium. Postremò ut Virginem excitet ad visitandam cognatam, *ut audiens,* quòd rursùs ait Bernardus, *cognatam vetulam et gravidam, cogitet juvencula de obsequio, sicque illâ properante ad visitandum, parvulo prophetæ locus et occasio detur, quò minori adhuc Domino, sui officii valeat exhibere primitias.* Hanc enim aliasque ob causas, infra, v. 40, latiùs declarandas, voluit angelus, Dei monitu, Mariam ad visitandam cognatam incitare.

Vers. 37. — Erit futurum pro præsenti *est*, complectente omne tempus, quemadmodùm et Genes. 18, v. 14; rursùs Jerem. 32, v. 17; quibus ex locis angelus hoc axioma sumpsisse videri possit.

Impossibile, Hebraicè est *ippale* mirum, arduum; Syriacè *hatel* difficile.

Apud Deum, Deo, cujus ego nuntium ago.

Omne verbum, id est, nullum verbum, phrasi Hebraicâ, frequente litteris sacris, *non omne*, pro, nullum, Psalm. 142, v. 2: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens;* quod est, nullus vivens. Nullum autem verbum, id est, nulla res, aliâ Hebræorum phrasi, non minùs, imò magis etiam frequente. *Post hæc verba* occurrit toties in sacris historiis, quod non est aliud quàm, *post hæc.* Quare Syrus hìc vertit *medem,* aliquid. Dicit ergo angelus Deo nihil esse impossibile, quantùmvis naturæ vires et rationis captum superet, Deum omnipotentem esse, facere posse omnia, et ut anus sterilis concipiat, et ut virgo pariat, et quæcumque alia potentiæ seu potentis sunt. Quibus verbis altiùs erigit Virginis animum in considerationem omnipotentiæ divinæ, ut quàm securissimè recumbat in spem læti nuntii abs se allati.

Vers. 38. — Dixit autem, ergo. Intellexit Maria modum concipiendi quem angelus significârat, non in varios verborum sensus distracta, ut nos, sed assecuta mox quid proprio sensu angeli verba vellent. Ut enim mens Dei erat, Virginem per angelum docere; ita addidit Deus animæ Virginis tale lumen, quali clarè perfectèque angeli sermonem intelligeret. Postquàm ergo intellexit se non viri, sed Spiritûs sancti operâ concepturam, Deo omnipotentiam suam exerente, nihil ultra interrogat, sed solidâ fide arripiens promissum, quamvis humanam rationem superans, totam se Deo incunctanter offert. *Dixit* ergo plena intellectûs ac fidei dono, credens Deo auctore futurum quidquid angelus dixerat.

Ecce. Syrus addit, *ego*, quod subaudiendum alioqui est; est enim Hebraicum idioma: *Ecce ego,* frequenter occurrens, 1 Reg. 3, v. 4 et seq. Isaiæ 6, v. 8, pro, adsum, præstò sum; offert enim se Virgo promptam paratamque in obsequium Domini.

Ancilla Domini, ut decet ancillam Domini; ille Dominus est, ego ancilla, jure proinde cùm possit ille me uti pro arbitrio suo, æquum est ut paratam ego me ipsi offeram ad omne obsequium. Non dicit, *ancilla Dei,* sed *Domini,* ut utriusque proprietatem clariùs explicet, nimirùm illius esse liberè præcipere et auctoritate uti, suum subjici ac parere, postquàm cognoverit illius voluntatem. Porrò non humano more ac civiliter loquitur, sed ex animo atque intimo affectu; et considerans unâ ex parte servilem suæ na-

Vers. 37. — Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum; id est, nulla res Deo impossibilis; duplici Hebraismo, *non omne,* pro nullum, sicut Psal. 142, v. 2, et *verbum* pro re quam Deus dixerit aut promiserit. Nullum ergo verbum Deo impossibile, quia apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est, nec factum à verbo, quia virtus est; nec modus à facto, quia sapientia est, inquit Bernard., serm. ult., in *Missus.* Generalis igitur regula est; omnia Deum posse, præter ea, quæ si posset, non esset omnipotens, ut mori, falli, mentiri et similia, juxta Aug., 5 de Civit., c. 10.

Vers. 38.—Dixit autem Maria, incunctanter verbis credendo, et promissis consentiendo: Ecce ancilla

turæ conditionem, ex alterâ Dei imperium ac voluntatem, potiùs quàm magnifica Dei per angelum promissa, insignem declarat, cùm humilitatem, tum obedientiam. *Vide humilitatem, vide devotionem,* ait Ambrosius. *Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est,* Denique Bernardus homil. 4 : *Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit? Mater Dei eligitur, et ancillam se nominat. Non mediocris reverà humilitatis insigne, nec oblatâ tantâ gloriâ, oblivisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in objectione; magna prorsùs ac rara virtus, humilitas honorata;* ut et *pulchra permixtio virginitatis atque humilitatis,* quod inquit homiliâ 2.

Fiat. Ambrosius legit *contingat.*

Secundum verbum tuum, juxta promissum tuum. Brevissimo sermone, præ se ferente virgineam modestiam, et universa quæ nuntiata fuerant complectitur, et angelum qui nuntiaverat honorat, q. d. : Operetur, ô angele, Deus in me, quæ tu eum in me operaturum annuntias; voluntas Dei tuo sermone declarata, efficiatur quàm citissimè in me, ut scilicet concipiam et pariam Christum Filium Dei, salvâ virginitate, de Spiritu sancto. Non repetit ipsa angeli promissionem, nisi tectis verbis, consulens rursùs humilitati, ne gloriari de eâ arrogantiùs videatur. Sicut autem humilitatis fuit, non quærere honorem, imò habere de se eo indignam; ita magnanimitatis fuit, oblatum à Deo acceptare ad multorum salutem. Assentitur enim Maria his verbis nuntio angeli, ejusque legationem amplectitur. Nam ad hoc missus fuerat angelus, ut non declararet solùm Mariæ, Dei mentem esse, ut Filius ipsius ex eâ carnem sumeret, verùm etiam ut Mariæ consensum ad hoc obtineret, quemadmodùm pluribus verbis declarant, Augustinus serm. 18, de Sanctis, qui est secundus de Annuntiatione Dominicâ, et Bernardus, homil. 4 in *Missus est.* Sed quare visum est Deo, exigere consensum Virginis? poterat in eâ operari quod vellet insciâ, imò etiam invitâ. Non decuisset Virginem fieri matrem nec scire quæ proles esset aut unde; multò minùs impraegnari invitam; quis enim amor matris erga prolem incertam, incognitam, aut invitæ intrusam? Imò verò, quia incarnatio Filii Dei eò tendebat, ut corrigeret hominum voluntates, et charitate erga Deum accenderet: oportuit inprimis ut mater Filii Dei summâ erga eum charitate ferveret; quod fieri non potuisset, nisi præscivisset quem qualemque filium et quomodò esset conceptura, in illiusque conceptum simul et in modum concipiendi consensisset. Id ergo fecit his verbis : *Fiat mihi,* etc., quanquàm non assentiatur solùm, verùm etiam desideret optetque ut verbum Angeli in ipsâ perficiatur. « *Ecce ancilla Domini,* apparatus officii est, » inquit Ambrosius; « *contingat mihi secundùm verbum tuum,* conceptus est « voti. » Bernardus quoque : « *Fiat,* desiderii signum « est, ait, non dubitationis indicium. » Et per hoc quod dicit : « *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, magis in« telligenda est affectum exprimere desiderantis, quàm « effectum requirere more dubitantis; quanquàm ni« hil obstet intelligi, fiat, esse verbum orantis. Nemo « quippe orat, nisi quod credit et sperat; vult autem à « se requiri Deus etiam quod pollicetur, etc., » homil. 4 in *Missus.* Postremò Græcus Euthymius scribit in hæc verba : *Jam non solùm credidit, sed optabat etiam ut sibi contingeret, sicut dixerat angelus.* Quomodò enim assentiatur tantummodò, et non etiam optet ac desideret quàm flagrantissimè (quod quidam fateri verentur, ne humilitati ejus detrahant) id honoris ac felicitatis, ut concipere posset Filium Dei, omni amore votoque dignissimum, cùm id ipsi divinitùs promittatur non solùm, verùm etiam proponatur amplexandum; denique tantisper differatur, quoadusque ipsa conditionem accipiat? Humilitas nec magnanimitati adversatur nec charitati. Quocirca Virgo, ita promissioni Dei subscribit, sequens quo vocat, ut effectum non modò exspectet, sed etiam cupidè expetat. Quâ etiam ratione factum est ut digniùs Filium Dei conceperit, exercens nimirùm varios actus amoris et charitatis. Simul atque igitur Virgo, amoris plenum assensum præbuit, quod factum fuit his verbis : *Ecce ancilla Domini*, *fiat mihi secundùm verbum tuum;* mox in utero illius Verbum caro factum est; nec enim erat ratio cur diutiùs res annuntiata differretur, cùm nihil aliud exspectaretur quàm Virginis consensus; mox operâ Spiritûs sancti formato ex purissimis Virginis sanguinibus corpori, infusæque in illud animæ rationali, conjunxit se persona Filii Dei, idque universum momento uno; quæ est Spiritûs sancti virtus infinita. Non enim priùs paulatimque corpus formatum organisque distinctum est, deinde infusa anima, ut solet, tandem unitus

Domini, supple : Ego : sunt enim verba se promptissimam offerentis Deo. Quo sensu Hebræi usitatissimâ phrasi dicere solet : *Ecce ego,* pro, præstò sum, ut patet 1 Reg. 3, v. 4, 5, 6 et 9. Porrò nomen *ancillæ* spirat sublimem humilitatem, ut Bernard., hom. 3, in *Missus,* quæ cedere non novit honoribus, nec gloriâ insolescit. Spirat et obedientiam divinæque potentiæ commendationem; q. d. : Ego ancilla, ipse Dominus, cujus imperio me paratissimam decet obsequi, qui jure suo de me potest quidquid velit. Fiat mihi secundum verbum, seu promissum tuum. Verba sunt non solùm perseverantis in obedientiâ, quam veteres auctores passim prædicant, ut Iren. lib. 3, c. 33, qui dicit quòd Maria obediens et sibi universo generi facta est causa salutis, sicut Eva inobediens causâ damnationis; sed sunt etiam verba consensum dantis, quem ab eâ Deus expetebat, ut August., serm. 18, de sanctis; itemque desiderantis, desiderii enim signum est, inquit Bernard., non dubitationis indicium. Unde Ambr. : *Ecce ancilla Domini,* apparatus officii est; *contingat mihi secundùm verbum tuum,* conceptus est voti. Consensu igitur Virginis accepto, discessit ab illâ angelus tanquàm legatione perfecta, ne videlicet ipsemet in eâ incarnatus crederetur, ut notat Athanas., serm. de Deiparâ : qui consequenter docet, tunc obumbrante Virginem, virtute Altissimi salutarem conceptum fuisse consummatum. Quod longè verisimilius quàm id quod putavit Bernard., serm. 3, in *Missus,* quod Filius Dei in Mariâ suum nuntium prævenisset. Nam tunc non dicendum fuisset : *Fiat,* sed : *Placet;* omniaque verba angeli rem non factam, sed futuram loquuntur.

Filius Dei : nam sic persona Filii Dei personam Filii hominis, hoc est, individuum hominis per se subsistens assumpsisset : quod Nestorianum est et damnatum. Naturam hominis assumpsit, non personam ; quod ut faceret, prævenit naturæ humanæ per se subsistentiam, faciens ut quo momento conciperetur, eo subsisteret, non in seipsâ, sed in personâ seu supposito Filii Dei. Unde factum est, ut etiam Filius Dei conceptus fuisse credatur, quanquàm secundùm carnem; quia quo momento facta est conceptio, eo fuit Deus et homo. Quare cùm assensum Mariæ statim consecuta sit Filii Dei incarnatio, non indoctè ludunt quidam, cùm scribunt, ut per primum Dei *fiat* conditus est mundus, ita per secundum Mariæ *fiat* esse reparatum. « Dubium autem non est, inquit auctor « tractatùs cantici *Magnificat,* tomo 9 Operum D. Au« gustini, quin cœlestium gaudiorum et æternæ dul« cedinis miram atque inenarrabilem suavitatem Virgo « conceperit, quando illud æternum lumen cum toto « majestatis suæ fulgore in eam descendit, et quem « non capit mundus, totum se intra Virginis viscera « collocavit. Audacter pronuntio, quòd nec ipsa plenè « explicare potuit, quod capere potuit; sed Spiritu san« cto docente didicerat sic sua per humilitatem tegere. »

Et, statim ut hoc Virginis responsum acceperat, et Filius Dei carnem assumpserat; nam inter responsum Virginis et Filii Dei incarnationem, intervallum fuit vel nullum vel minimum. *Simul ac per verbum suum conceperat,* inquit Euthymius.

Discessit, abscessit, abiit, tanquàm functus legatione suâ, et confectâ re cujus causâ venerat; tanquàm revertens ad Deum à quo fuerat missus, ut exponeret legationis suæ successum. Id enim idcircò additur, ut ex ipso discessu intelligamus, rem plenè fuisse perfectam, ob quam ut perficeretur advenerat. Cùm enim fidelis esset minister Dei, credendum est non abisse, nisi legatione plenè expletâ. Tendebat autem eò legatio ejus, ut, Dei consilio Virgini exposito, impetratoque ejus assensu, Verbum caro fieret. Id simul atque perfectum fuit, discessit ab eâ, quòd ad apparitionem exteriorem; verisimile est enim, remansisse cum multis aliis angelis invisibiliter, custodiæ, ministerii, reverentiæ atque honoris causâ. Porrò si in accessu et primâ salutatione, usus est honorificentissimis titulis; non dubium quin in discessu majoribus etiam reverentiæ signis sit usus, cùm jam salutaret dominam suam ac reginam, quippe Domini ac Regis sui matrem.

Vers. 39. — Exsurgens. Pleonasmus Hebraicus, *exsurgens abiit* (qualis ille *respondens dixit*), sumptus à gestu parantis se ad iter. Simile 1 Machab. 12, v. 40 : *Exsurgens abiit in Bethsan;* et 13, v. 24 : *Et convertit Tryphon, et abiit in terram suam.*

In diebus illis, quibus angelicâ legatione fuerat honorata, id est, paulò post, uno atque altero die postquàm conceperat, angelo nuntiante. Non statim profecta est, utpote postridie manè (quamvis is sit quorumdam error); voluit enim priùs, uno atque altero die, domi apud se exercere animum fidemque suam, in dulci meditatione, conjunctâ cum gratiarum actione, grandium earum rerum quæ prædictæ ipsi ac promissæ fuerant, jamque cœptæ impleri, postquàm gravidam se experiretur. Hoc temporis spatio ita transacto, invisendam sibi judicavit consobrinam, de cujus prægnatione certior facta fuerat ab angelo; « non quasi incredula oraculo, » inquit Ambrosius, « nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de « exemplo : sed quasi læta pro voto, religiosa pro « officio, » quod paulò post latiùs explicabimus.

Abiit, profecta est, ex Nazareth Galilææ, Josepho marito consentiente.

In montana, in montanam, scilicet regionem, et quidem Juda sive Judææ, quia sequitur, *in civitatem Juda;* nam et montes erant in Galilæâ. Intelligitur regio montana Judææ, sita ad meridiem Jerosolymorum. Syrus scribit *letouro*, in montem ; et præposito illo, *cum festinatione,* habet *in montem, in civitatem Juda,* clarè referens *Juda* ad utrumque nomen tam *montem* quàm *civitatem.*

Cum festinatione, cum studio seu diligentiâ. Syrus utitur adverbio *betiloit,* sedulò, diligenter. Festinatio (quæ fuit pro Virginis conditione, ejusque insuetæ proficisci, haud dubium) testis fuit serii ardentisque affectùs. Non hæsit in itinere, non salutavit obvios, non invisit amicos alios per quos erat transeundum; sed posthabitis omnibus aliis rebus, festina præ gaudio, eò properavit, quò Spiritus sanctus impellebat, ubi gloriam Dei ex mutuâ cognatarum congratulatione mirificè celebrandam, non dubitavit.

In civitatem Juda, seu Judææ; Judæâ strictè acceptâ pro sorte tribûs Juda. Non nominat Evangelista civitatem, quia, cùm agatur de habitatione Zachariæ sacerdotis, facile sit intelligere esse Hebron, quæ sola civitas deputata fuerat habitationi sacerdotum in montanis Judææ. Jos. 21, v. 9, 10, 11, legis, quòd *Josue dederit filiis Aaron* in primis *Cariatharbe, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum.* Fuit hoc iter longum, ex Galilæâ in Judæam ultra Jerusalem; facilè quatridui; Hebron ultra Jerusalem ad meridiem sitâ iti-

Vers. 39. — Exsurgens autem Maria abiit. Pleonasmus est Hebraicus qualis iste : *Convertit et abiit,* et *respondens dixit :* In diebus illis, id est, paucis post diebus, in montana, id est, regionem montanam *Judææ* (sunt enim et montana Galilææ), quæ incipiunt ab Emaus seu Nicopoli, et consurgunt paulatim usque ad montem Oliveti, ut Hieronym. in cap. 10 Danielis. Extendunt se tamen etiam procul ad austrum Jerusalem versùs Hebron. Cum festinatione ; quæ serii et ardentis affectùs testis erat. In civitatem Juda ; in forte scilicet tribûs Judæ sitam. Hanc aliqui Jerusalem fuisse putant, quòd ibi sacerdotes commorari solerent. Sed ratio hæc parvi momenti est ; erant enim sacerdotales civitates per diversas tribus dispersæ. Nec propriè Jerusalem erat civitas Juda, sed Benjamin. Alii volunt fuisse Hebron, quæ sacerdotalis erat in tribu Judâ et in montanis sita, alii aliam. Causa hujus itineris et festinationis erat, non quòd esset incredula de oraculo, vel incerta de nuntio, vel dubitans de exemplo Elisabeth, ut aliqui suspicantur,

nere octo circiter horarum, si non fallunt chartæ topographicæ. Quare non est verisimile, à Virgine solâ confectum esse hoc iter, sed comitatam fuisse ut minimùm mulierem aliquam (nam de sanctis angelis non est dubium) fortè etiam Josephum ipsum. Nam cùm instaret Pascha, potuit ille unâ operâ Jerosolymam ascendisse ad diem solemnem (prout tenebatur) et illic remansisse, permissâ uxore ulteriùs abire ad invisendam juvandamque cognatam. Ipsum enim Josephum mutuæ Mariæ et Elisabeth salutationi non interfuisse, satis liquet ex Matth. 1, v. 18, 19, 20. Nec est incredibile Virginem transeuntem per Jerusalem, visitâsse templum Dei, causâ gratiarum actionis ob accepta beneficia. « Mariam *ergo*, quæ « ante sola in intimis penetralibus versabatur, *quod* « *ait Ambrosius,* non à publico virginitatis pudor, non « ab studio asperitas montium, non ab officio pro- « lixitas itineris retardavit, affectu, *nimirùm* urgente, « non sexu; » magno enim zelo atque ardore ferebatur. Nec timuit ne novo fœtui suo noceret inter longum, arduum, et cum festinatione confectum, quem noverat esse divinum. « Jure, ait D. Bernardus serm. « de Verbis Apocalypsis *Signum magnum*, illud mole- « stissimum tædium, quo reliquæ omnes gravidæ mu- « lieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola « sine libidinosâ voluptate concepit. Unde et in ipso « suæ conceptionis initio, quando potissimùm cæteræ « mulieres miserabiliùs affliguntur, Maria totâ alacri- « tate montana conscendit, ut Elisabeth ministraret. »

VERS. 40. — INTRAVIT, pro eâ quæ cum Elisabeth ipsi intercedebat familiaritate ex cognatione contractâ, simul et instigante Spiritu sancto.

IN DOMUM eâ in civitate sitam.

ZACHARIÆ sacerdotis. A viro, ut par est, nominatur domus, quamvis ille præcipuè non quæreretur.

SALUTAVIT. Syrus, *precata est pacem*, seu salutem.

ELISABETH, uxorem Zachariæ, consobrinam suam. Non dicitur salutâsse Zachariam, vel quia absens erat vel, potiùs quia ad rem non pertinebat id dicere; ut etiam surdus cùm esset ille ac mutus, non nisi gestibus poterat salutari. Salutavit autem Maria prior ipsam Elisabeth, sicut moris est, ut qui ad alios accedunt, primi salutent; quamvis hoc idem fecerit ex ferventi charitate et humilitate profundâ, de quo Ambrosius : *Prior salutavit, decet enim ut quantò castior Virgo, tantò humilior sit. Noverat deferre senioribus.* Hic porrò fuit scopus itineris Mariæ, ut salutaret et inviseret cognatam suam Elisabeth; ad quod multis rationibus mota est. Primùm ut suis oculis videret admirabile Dei opus in prægnatione sterilis anûs, quod angelus ipsi nuntiaverat; non quòd dubitaret de nuntio, sed ut ex duplicis in se et Elisabeth gratiæ intuitu, ad novam gratiarum actionem laudisque divinæ celebrationem accenderetur; ipsa enim visibilis collatio utriusque miraculi, non parùm lucis afferre poterat, quemadmodùm diximus supra v. 36, ut etiam attulit. Deinde voluit Maria cognatæ congratulari de filii conceptu, ex eâque intelligere ad majorem Dei honorem, quî res ista gesta fuisset, nec minùs juvencula suum vetulæ offerre obsequium. Ad hæc voluit et ipsa vicissim aperire cognatæ quid secum actum esset. Nam cùm sentiret se uterum ferre, et facilè fortassis optâsset sociam fidam ac timentem Deum, cui rem declararet, priusquàm uterus intumescens omnibus loqueretur; nam ut Josepho cum fructu rem declarare posset, minimè sperabat; occurrit cognata Elisabeth, mulier irreprehensibilis, justa ac prudens, eò magis quòd simile quid jam illi divinitùs accidisset. Hæc sententia est Chrysostomi, et alterius nescio cujus Græci auctoris, citatorum à D. Thomâ in Catenâ his verbis : « Chry- « sostomus super Matthæum : *Celabat quæ supra dicta* « *sunt in se Virgo, nec cuiquam hominum pandit; non* « *enim credebat ab aliis posse fidem adhiberi mirandis* « *relatibus, imò magis putabat se pati convicia si diceret,* « *quasi volens scelus proprium palliare.* Græcus : *Ad* « *solam autem refugit Elisabeth; sic enim consueverat* « *propter cognationem, et propter cæteram hujusmodi* « *conjunctionem.* » Cæterùm non tantùm sponte suâ visitavit Maria cognatam, verùm etiam quia Dei voluntatem esse credebat, qui id submonuisset per angelum, quando exempli loco cognatæ ipsius meminerat. Ut certè Dei instinctu huc acta fuit, volentis ad hanc visitationem ea fieri quæ secuta sunt, nimirùm, ut Joannes ejusque mater, Spiritu sancto repleti, prædicarent adventum Messiæ; ut Virgini Mariæ novum gaudium accresceret, intelligenti, quemadmodùm utero suo Messiam, ita cognatæ utero Messiæ præcursorem contineri; postremò ut perspiceret, undique divinum consilium novis atque admirandis modis jam expediri cœptum pro hominum salute, in ejusque laudem erumperet.

VERS. 41. — ET FACTUM EST; significat evangelista

sed, ut Ambr., quia læta pro voto (quo diù optaverat tolli sterilitatem Elisabeth (et religiosa pro officio et festina præ gaudio.

VERS. 40. — ET INTRAVIT DOMUM ET SALUTAVIT ELISABETH, ubi observat Ambr. quòd venerit junior ad seniorem, priorque salutaverit; decet enim ut quantò castior virgo, tantò humilior sit. Noverat deferre senioribus.

VERS. 41. — ET FACTUM EST, UT AUDIVIT SALUTATIONEM MARIÆ, id est, simul atque audivit. Vult enim per hoc significare salutationem Mariæ fuisse causam exultationis, quâ EXULTAVIT INFANS IN UTERO EJUS, præ gaudio, ut additur, v. 44. Porrò Græcum convenit propriè animalibus saltu lascivientibus, et inde ad fœtum transfertur à Græcis medicis. Itaque August., epist. 57, putat hanc exultationem factam esse divinitùs in infante, non humanitùs ab infante, hoc est, sine rationali cognitione : quamvis ibidem non abhorrere videatur, ut divinitùs dicatur acceleratus usus rationis. Quod sanè magis placuit cæteris patribus, tam ante quàm post Augustinum. Nam Iren. lib. 3, cap. 18, dicit quòd Dominum cognoscens exultando salutaverit : Tertull., lib. de Carne Christi, cap. 21, Domini sui conscium infantem vocat, et Orig. hom. 7, docet idem latiùs; Ambr. verò habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum. Itaque hic impletum est, quod angelus dixerat versu 15, Spiritu sancto replendum adhuc ex utero matris, nempe non

opus esse extraordinarium et supernaturale, quod pergit narrare. Nam quamvis aliquando contingat fœtum subsilire in utero matris, immodicâ gaudii affectione correptæ, quod quidam dicunt, hanc tamen exsultationem, novum quid fuisse atque inusitatum, dat intelligendum evangelista, quâ infans priùs fuit commotus quàm mater; prior enim infans motus, commovit deinde matrem. « Videmus, » inquit Augustinus epistolâ 57 ad Dardanum, « exsultationem non « solùm parvulorum, sed etiam pecorum, etc., sed « hæc planè inusitata et nova exstitit, quia in utero, « et ad ejus adventum quæ hominum Salvatorem « fuerat paritura. Ideò mira, ideò in magnis signis « deputanda. »

Ut audivit, simul atque audivit, priusquàm intellectu satis perciperet.

Salutationem. Syrus, *pacem*, quod est, salutem. Significatur salutatio Mariæ fuisse causa certa et indubitata exsultationis.

Mariæ. Hìc effert et declinat evangelista nomen Mariæ more Græco, quod aliàs effert ut Syriacum, *Mariam* primo casu.

Exsultavit, subsiliit, præ gaudio scilicet, quod additur infra, v. 44, infans in utero ejus latens. Mariæ salutatio, mox ut insonuit auribus matris, affecit filium utero clausum, ejusque cor ita penetravit, ut gaudio affecerit adeò vehementi, ut exundans in corpusculum fecerit illud subsilire. Sed unde ea efficacitas salutationi Mariæ? à Deo quo plena, et à Verbo quo fœta erat, ut loquitur Ambrosius. Verbum Dei quod in ipsâ erat factum caro, Christus Deus filius Mariæ secundùm naturam humanam, usus voce matris suæ tanquàm instrumento, potentiam suam exseruit, ita ut senserit Joannes nondùm natus, Domini sui recens concepti præsentiam ac divinam virtutem. « Vox Virginis, inquit Theophylactus, vox « erat incarnati in illâ Dei. Similiter Euthymius: « Christus locutus est per os matris suæ; Joannes « autem audivit per aures suæ matris, et agnito « supernaturaliter Domino suo, exsultatione illum « prædicavit. Atque ante hos Origenes: Statim ut « Maria locuta est verbum, quod Filius Dei in ventre « matris suggesserat, exsultavit infans in gaudio. » Sed quid exsultatione istâ significatur? solusne saltus aut motus, qualis posset esse agnorum aut pecorum lascivientium? minimè: planè enim id significatur, quod supra v. 15, angelus prædixerat Zachariæ, repletum esse Spiritu sancto adhuc in utero matris. Ad salutationem Mariæ Deo gravidæ, Joannes in utero Elisabeth mundatus est à peccato quocum conceptus fuerat, et fidei spei charitatisque habitus cum munere prophetiæ, in justificatum pusionis animum infusi, quod supra diximus; eruperunt in sensibilem exsultationis actum. Nam et auctus est usu rationis ac voluntatis, ita ut cognoverit præsentiam Domini, Verbi, inquam, caro facti, simul et suî per eum justificationem ac sanctificationem: ob quæ beneficia tanto est perfusus gaudio, quantùm redundaverit in corpus, et saltu declaraverit quod voce nondùm poterat. Hæc omnia privilegia Joanni concessa, ut supra, v. 15, repletione Spiritûs sancti, ita hìc significantur gestu exsultationis, quæ est plerorumque doctorum Ecclesiæ sententia. D. Ambrosius: « Habe« bat, inquit, intelligendi sensum, qui exsultandi habe« bat affectum. Origenes: Sancta erat anima beati « Joannis, et adhuc in matris utero clausa, venturaque « in mundum, quasi per experientiæ sensum sciebat « quæ Israel ignorabat. Unde exsilivit, et non simpli« citer exsilivit, sed in gaudio; senserat enim venisse « Dominum suum, ut sanctificaret servum suum, ante« quàm de matris utero procederet; et paulò ante: « Tunc primùm præcursorem suum Prophetam fecit « Jesus. Similiter Euthymius: Infans qui in utero fere« batur Virginis, propheticâ statim gratiâ donavit infan« tem qui in utero gestabatur sterilis. Postremò Theo« phylactus: Præcursorem in utero gratiâ prosecutus « est, et Prophetam fecit; » nimirùm quia dedit ei, Salvatorem promissum, ignotum adhuc et occultum, agnoscere, ejusque præsentiam motu exsultationis matri suæ, et per illam aliis, declarare. *Quis unquàm audivit tripudium nativitate antiquius*, exclamat Græcus Auctor in Catenam adductus. Ergo non minùs infantes uteris clausi, quàm matres propriæ, se mutuò cognoverunt et salutârunt. Cæterùm quamdiù perseveraverit hic usus rationis in Joanne infante, an quamdiù opus foret ad præsentem prophetiam, ad declarandam inquam matri præsentiam Domini, an verò continuus ipsi manserit, nec unquàm fuerit ablatus, incertum est, aliis aliud opinantibus.

Et continuò deinde repleta est. Alter effectus ad salutationem Mariæ consecutus; alterum beneficium à Christo per vocem matris suæ salutantis collatum. Precata est illa salutem Elisabeth gravidæ, mox salus venit super Elisabeth simul et filium quem utero gerebat, uterque repletus est Spiritu sancto, priùs tamen filius. « Vocem prior Elisabeth audivit, sed « Joannes prior gratiam sensit, ait Ambrosius. Exsul« tavit infans, repleta est mater. Non priùs mater « repleta quàm filius; sed cùm filius esset repletus « Spiritu sancto, replevit et matrem. » Similia habent Theophylactus et Titus Græci. Titi verba sunt: « Repletus Spiritu sancto exsultavit, gratiæque quam « acceperat, matrem participem fecit. » Quod intellige, propter filium, occasione filii, repletam fuisse

solùm sanctificante infantem, sed et illuminante, et præcursorem prophetam constituente, ut Origen., Theophyl., Euthym. Quam tamen illuminationem transeuntem fuisse, non permanentem, sicut propheticæ illustrationes esse solent, verisimilius est; etsi non desint etiam antiqui, qui contrarium sentiant: Et repleth est Spiritu sancto Elisabet, scilicet ex filii sui exultatione. Nam quamvis Christus locutus sit per os matris suæ, et quamvis per aures suæ matris audiverit, non tamen priùs Elisabeth impleta est Spiritu sancto, quàm filius; sed, ut Ambr., cùm filius esset repletus, replevit et matrem, et utraque mater prophetat spiritu parvulorum.

matrem, quemadmodùm Origenes scribit : Non est « dubium, quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto, « propter filium sit repleta. Neque enim mater pri« mùm Spiritum sanctum meruit ; sed cùm Joannes « adhuc clausus in utero, sanctum Spiritum rece« pisset, tunc et illa, post sanctificationem filii, repleta « est Spiritu sancto. » Igitur ordine quodam distributus hìc intelligitur Spiritus sanctus ; quo filius matri prælatus est, tanquàm dignior, et cum quo plus esset Christo rei, ad gerendum negotium salutis humanæ, quippe qui ad officium præcursoris esset electus, matre solum serviente ad hoc, ut esset ejus mater. Posterior ergo mater repleta est Spiritu sancto, sed non omni modo quo filius. Non enim ut filius, mundata nunc est à peccato mater et justificata, quæ jamdiù justa ante Deum fuerat, quod legimus supra v. 6 ; quanquàm potuit justitiæ sanctitatisque augmentum nunc accepisse ; sed donata est spiritu prophetiæ præsertim repleta est Spiritu sancto ad Prophetandum, quomodò Spiritum sanctum antea non habuerat ; spiritu prophetico præter morem repentè imbuta est. Neque enim Spiritûs donis priùs vacua fuerat ; sed tunc longè uberior vis spiritûs et insolita in eâ apparuit, tunc plenè à Spiritu sancto instructa ac mota est, ad intelligendam simul et explicandam rationem exsultantis infantis, ad cognoscendum et celebrandum mysterium incarnati Verbi, exclamando ac dicendo ea quæ sequuntur. Nam, quod supra, v. 15, annotavimus, dicuntur huic evangelistæ, ii potissimùm repleri Spiritu sancto, qui ita accipiunt gratiam Spiritûs sancti, ut ea foràs erumpat, aganturque ipsi ad opus externum. Ergo postquàm filius, arcano Spiritûs sancti motu, prophetâsset Christum exsultando, tunc et mater exclamando. Et clarè omninò docent sequentia, quì prophetidem mater hìc egerit, manifestando præterita occulta, quæ angelus Mariæ annuntiaverat, declarando arcana præsentia, Deum Virginis utero contineri, prædicendo denique futura quæ Dominus promiserat. Annotavit hoc D. Gregorius, hom. 1, in Ezechielem et ex eo alii.

Vers. 42. — Et. Quo spiritu acta exclamavit, non valens se continere quin erumperet in clamorem, et quidem *magnum* seu altum, præ fervore Spiritûs ; decoro tamen servato. Magna, admiranda, et insperata cùm essent, quæ ipsi revelabantur, impellebatur Spiritûs vehementiâ ad ea manifestanda, tam filii suo utero latentis quàm suo nomine.

Benedicta tu. Salutat vicissim ipsa Mariam his verbis : nec tamen precatur ipsi salutem sed asserit et congratulatur ; benedictione enim, non famam et laudem intelligit, sed affluentiam divinorum beneficiorum verorumque bonorum, à Deo obtentam, quomodo supra, v. 28, hoc exposuimus ; qualem Abrahæ promissam fuisse, Genes. 12, v. 3, docet Apostolus, Galat. 3, v. 8.

Inter super omnes mulieres. Eisdem verbis salutat Elisabeth Mariam, quibus supra v. 28. Angelus, tanquàm conscia colloquii ab angelo cum Mariâ habiti; ut verè erat, Spiritu sancto revelante et confirmante angelicum sermonem per os hujus ; quod ex iis quæ sequuntur, manifestiùs etiam evadit. Unde Ambrosius scribit in hunc locum : *Novit sermonem suum Spiritus sanctus, nec unquàm obliviscitur; et prophetia non solùm rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum.* Cæterùm hoc magis benedicta Maria, Elisabeth salutante, quòd actu jam mater esset Filii Dei, quæ angelo salutante ad hoc tantùm declarabatur electa.

Et. Vim habet hoc loco, non tantùm copulativam, verùm etiam causalem ; datur enim intelligendum quare Maria pronuntietur benedicta plus omnibus mulieribus, quia benedictus fructus ventris ejus, quod notat Theophylactus. Non tamen vertendum est, *quia benedictus,* quomodò vertit Beza ; servat enim vim copulandi, et his verbis salutat Elisabeth filium latentem in utero Mariæ, quemadmodùm prioribus ipsam Mariam.

Benedictus. Maria salutatur benedicta inter mulieres ; Christus autem simpliciter benedictus, sine restrictione, super omne scilicet benedictum, sive quà Deus, sive quà homo. Quà Deus, naturâ benedictus est, quippe in se optimus et perfectissimus, omnisque beneficii ac boni fons atque origo. Quà homo, tantis à Deo cumulatus est beneficiis, quantus alius nullus : humana enim natura divinæ unita est, quod summum est omnium beneficiorum ; et ex divinâ naturâ, ut ex fonte inexhausto, in humanam omnis generis dona fluxerunt ; redditaque est gratiæ ac veritatis plena, Joan. 1, v. 14, ita abundanter, ut de plenitudine ejus omnes accipiant, Joan. 1, v. 16 ; et in ipsâ benedicantur omnes gentes terræ, Genes. 22, v. 18, etiam Maria ipsa, ejus mater ; benedictio enim Mariæ à filio est (quod dicere cœperamus) ut aliorum hominum omnium ; quanquàm non habeat illa, præter filium, alium magis se benedictum ; cui enim magis matre benedicat filius?

Fructus ventris tui. Est hæc periphrasis filii, non infrequens sacris litteris ; sed ideò fortassis hoc loco signanter usurpata, quòd filius ventre seu utero adhuc contineretur ; quam ad rem observandum, quòd Elisabeth à Spiritu sancto admonita, agnoverit Mariam esse prægnantem, quod nullo signo naturali novisse poterat, ut quæ à paucis demùm diebus conceperat. Datur autem intelligendum hâc periphrasi contra veteres hæreticos, Christum verè filium esse Mariæ, ejusdemque cum Mariâ naturæ, quippe naturæ...

Vers. 42.— Et exclamavit voce magna, præ Spiritûs divini fervore non se continere valens, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, seu, *in mulieribus* : nam Græca, eadem omninò verba sunt quæ versu 28 ; ut hinc liqueat eam ex Spiritu sancto esse locutam ; nam, ut Ambros., vovit sermonem suum Spiritus sanctus, nec unquàm obliviscitur ; et prophetia non solùm rerum completur miraculis, sed etiam proprietate (id est, identitate) verborum. Et benedictus, id est, omni divinorum beneficiorum affluentiâ repletus secundùm humanam naturam, quia ipso fonte omnis benedictionis verbo Dei hypostaticè plenus, fructus ventris tui, id est, verus filius tuus : quis enim fructus uteri seu ventris qui non ex utero germinavit ? qui non

ralibus ventris Mariæ officiis productum. Porrò annotat non malè Titus in hæc verba : « Ad promissionem « Davidi factam alludens, Christum Dominum ventris « fructum appellat; scriptum exstabat enim : De « fructu ventris tui ponam super sedem tuam; » quasi diceret Elisabeth : Hanc prophetiam jam cœptam impleri, juxta id quod angelus promiserat, supra v. 32 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Denique animadvertendum hoc loco quòd omnis fructus ventris muliebris sit maledictus : solus Christus benedictus, qui conceptus est non solùm sine peccato, verùm eo etiam modo, quo peccatum contrahi non poterat, nimirùm ex virgine, operâ Spiritûs sancti.

Vers. 43. — Unde hoc mihi, scilicet contingit? « Non ignorans dicit, ait Origenes, et maximè Spiritu « sancto plena, quasi nesciat quod juxta Dei voluntatem mater Domini venerit ad eam ; sed isto sensu lo- « quitur : Quid boni feci ? quæ opera mea tanta sunt ? » quibus meritis meis hoc accidit? q. d. : Nullis ; non ego hoc merui, imò indigna hoc honore sum. Verba sunt admirantis dignationem Dei ejusque matris, et omne meritum proprium dignitatemque negantis.

Mater Domini mei. Messiæ. *Dixit Dominus Domino meo,* id est, Messiæ, interprete ipso Messiâ, Matth. 22, v. 44. Messiam vocat Dominum suum , præ affectionis vehementiâ, et quia Deum seu Dei Filium, et quia redemptorem Israel, id est, assertorem è servitute in libertatem. *Mater Domini mei*, ac proinde Domina mea, *ad me* ancillam suam? Collata inter se personarum inæqualitate , quamvis in se magna et magni filii mater agnoscit se hoc honore indignam ; *et cujusmodi verba suo postea tempore* (Matth. 3, v. 14) *deprompturus erat Joannes,* ait Titus; *ejusmodi ferè hoc loco depromit mater illius Elisabeth;* q. d. : Æquum fuerat ut ego tibi ministrandi causâ occurrerem, et tu venis ad me ? ad matrem servi, mater Domini? Domina ad ancillam? Verba ex summâ mentis humilitate profecta, quibus *non hoc sui meriti, sed muneris fatetur esse divini,* quod scribit Beda ex Ambrosio. Atqui sic voluit Maria implere omnem justitiam ; quomodò postea Mariæ filius respondit filio Elisabeth , simili occasione , Matth. 3, v. 15. Porrò non poterat Elisabeth Mariam vocare matrem Domini, nisi docta à Spiritu sancto; tantùm enim aberat ut scire posset esse matrem Domini Messiæ, ut ne scire quidem posset esse matrem, quæ vix octiduò conceperat. Cùm autem matrem Domini vocat, declarat duo quædam ; unum, incarnationem Verbi, momento perfectam, quòd supra, v. 38, docuimus , neque enim embryonem aut informem fœtum agnoscit in ejus utero, sed ipsum Dominum ; alterum , personæ unitatem in duabus naturis, quasi enim dicit , eum qui genitus est mortalis homo in utero Mariæ, esse simul æternum Deum. Nam meminisse oportet, non loqui eam ex proprio sensu, sed proferre duntaxat quæ Spiritus sanctus dictet. Mariam matrem Domini seu Dei vocans, et consequenter Deum filium Mariæ, ostendit, eidem personæ attribui posse proprietates utriusque naturæ ; neque enim Maria mater Dei esse poterat, nisi secundùm humanam naturam à Deo assumptam. Ad hujus appellationis imitationem, veteres orthodoxi vocârunt Virginem, Deiparam, contra Nestorianos.

Vers. 44. — Ecce enim. Rem miram.

Ut , simul atque , significat effectûs celeritatem.

Facta est in auribus meis, incidit in aures meas , priusquàm intellectu comprehensa affecisset cor meum.

Exsultavit in gaudio, subsiliit in exsultatione, *exsultavit in exsultatione,* quomodò vertit interpres Origenis; id est, præ exsultatione seu gaudio. Syrus, *in gaudio magno*, id est, præ gaudii magnitudine. Fuisse autem motum gaudentis potiùs quàm dolentis, ex eo sensit, quòd sine læsione, sine torminis, sine dolore matris acciderit, ad primum accessum vocemque cognatæ.

Infans qui est in utero meo. Vox salutantis priùs fœtum salutatæ affecit quàm salutatam. Profert signum seu argumentum Elisabeth, quo cognoscat matrem Domini ad se venisse, quia ad vocem Mariæ, vix à se mente perceptam , infantulus quem ipsa Elisabeth utero ferebat, præ gaudio subsilierit. Quòd si auditâ et intellectu benè perceptâ salutatione Mariæ , ipsa Elisabeth prior fuisset vehementi gaudio affecta , adscripsisset utique commotionem parvuli, matris commotioni ; sed quia infantulus se moverat priusquàm vox audita affecisset matrem, adeòque vix in animum matris ex auribus delapsa esset, judicat mater se sensisse supernaturale aliquid ac divinum , ex quo colligere debeat , admirabilem esse virtutem dignitatemque salutantis, cujus salutatio insolitæ adeò ire sit causa. Non suffecit quidem hæc exsultatio sola, ut agnovit jam impletum, quod angelus futurum dixerat, eum qui nasciturus erat *Sanctus*, futurum *Filium Dei.*

in utero radicem egit? inquit Tertull., loco cit. His itaque verbis et rationem dat, cur Maria sit benedicta, et tacitè alludit ad promissionem Davidi factam ? Psal. 131, v. 11, et venerando quodam modo salutat Christum Dominum.

Vers. 43. — Et unde hoc mihi ? Verba sunt non ignorantis aut dubitantis, sed admirantis præ mentis humilitate dignationem matris Domini. Ut veniat mater Domini mei, id est, Dei seu verbi incarnati, de quo similiter dixit David : *Dixit Dominus Domino meo*, interprete ipso Domino, Matth. 22, versu 44. Si ipsa mater Domini, consequenter necesse est ipsum Dominum fuisse filium Mariæ, atque ita contra Nestorium utramque naturam in eâdem personâ conjunctam esse ; quâ de causâ veteres orthodoxi vocârunt B. Virginem Deiparam. Itaque prophetico spiritu plena divinitùs

Vers. 44. — Ecce enim ut facta est, id est, simul ac facta est, *vox salutationis tuæ in auribus meis;* ita ut vix mente esset percepta, nec animum adhuc meum gaudio affecisset. Exsultavit in gaudio infans, id est, subsiliit præ exsultatione seu lætitiâ. Significat itaque et hìc vocem salutantis fuisse causam exsultationis infanti, et hanc sibi fuisse signum, unde cognoverit matrem Domini. Non quòd illa sola exsultatio ad hòc sufficeret, quæ aliâ ex causâ poterat contingere sed, ut inquit August., epist. 57, Spiritu sancto revelante cognovit quid illa exsultatio significâsset infantis, id est, illius venisse matrem , cujus præcursor ipse et demonstrator futurus esset.

intelligeret Elisabeth Mariam salutantem esse matrem Christi Filii Dei; potuisset enim alia latere lætitiæ ratio; sed accessit revelatio Spiritûs sancti, quo dicta est fuisse repleta. *Spiritu sancto revelante cognovit,* ait Augustinus, epistolâ 57, *quid illa exsultatio significâsset infantis, id est, illius venisse matrem, cujus præcursor ipse et demonstrator esset futurus.* Igitur ex revelatione Spiritûs sancti simul et exsultatione filii intellexit adesse matrem Domini sui, Messiamque Mariæ utero contineri, quemadmodùm suo utero Messiæ præcursorem; id enim noverat per maritum ab angelo doctum, supra v. 17; ut vel propterea paratior fuerit ad credendum Messiæ præsentiam, quòd præcursore genito non longè abesse Dominus posset, nec incongruum esset præcursorem exultare gaudio ad præsentiam Domini sui. Quamvis autem sola Spiritûs sancti revelatio sufficeret ut hoc intelligeret Elisabeth, voluit tamen Spiritus sanctus addere sensibile indicium exsultantis infantis, quo magis eam moveret ad celebrandum dominicæ incarnationis mysterium, exclamando voce magnâ, et prædicando quæ intùs intelligeret apud animum suum (solet enim fides, accedentibus exemplis subjectis sensui, ardentiùs se prodere, et in exteriorem confessionem erumpere) præter alias causas exsultationis supra v. 41, declaratas. Porrò non hæc dixit Elisabeth, ut Mariam adduceret ad credendum se matrem esse Domini, quæ Angeli dictis omninò crediderat (quod versu proximo ipsa Elisabeth fatetur) et clariùs noverat se matrem esse Domini, quàm vel Joannes vel Elisabeth, illustrata à præsentiâ Domini plùs quàm omnes unquàm prophetæ. Non ergo ut doceret Mariam hæc dixit, sed ut narraret quod gestum esset; quodque Mariam nôsse congruebat, non tantùm ad majus gaudium ac solatium, verùm etiam ad hoc ut intelligeret, quid officii filio suo esset præstiturus, qui cognatæ utero claudebatur, præconis nimirùm ac præcursoris, olim id facturi voce, quod intra matris viscera jam faceret gestu. Id enim vicissim Virgo, tum ex signo pusionis exsultantis, tum ex Spiritûs sancti revelatione cognovit, utero cognatæ contineri præcursorem, quemadmodùm suo Dominum.

Vers. 45. — Et beata, certè felix es et beata; infallibili scilicet beatitudinis exspectatione. *Fides enim inchoando meritum, disponit ad præmii consummationem*, ait D. Bonaventura in hunc locum scribens.

Quæ credidisti. Alii codices legunt tertiâ personâ *quæ credidit*, ut etiam mox *ei* pro *tibi*: cui lectioni suffragatur Syrus. Porrò fons Græcus ambiguus est ad utramque lectionem, tam quia utitur participio carente personâ, quàm quia pronomen αὐτῇ, mutato solummodò spiritu, et secundæ et tertiæ personæ congruit. Cæterùm et si tertiam personam legas, non tamen intelligas oportet adfuisse huic salutationi extraneos; quod non est verisimile; sed præ affectionis vehementiâ, mutatam ab Elisabeth more prophetico esse personam, dùm exclamaret ferventiùs: *O Beata*, etc., *quæ credidisti.* Tacitè reprehendit incredulitatem mariti sui, eique opponit Mariæ fidem; q. d.: *Credidisti*, longè aliter ac maritus meus, qui eidem angelo longè faciliora nuntianti, non credidit, et incredulitatis pœnam adhuc sustinet. *Verè beata,* ait Beda, *quæ sacerdote præstantior; cùm enim sacerdos negâsset, virgo correxit errorem.* Hinc ergo constat Virginem minimè dubitâsse, aut quando interrogavit: *Quomodo fiet istud*, etc., aut quando iter ad cognatam suscepit, aut aliàs quandocumque. *Vides*, inquit Ambrosius, *non dubitâsse Mariam, sed credidisse, et ideò fructum fide consecutam.* Sed quidnam credidit? *credidisti*, liceat intelligere id quod sequitur *quoniam* seu quòd *perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Fides enim Mariæ hæc fuit, quòd crediderit perficienda ea omnia, quæ angelus jussu Domini ipsi annuntiabat. Hæc Titi videtur expositio esse, cujus verba sunt: *Prædicat eam beatam, ut quæ certò ea effectum sortitura crediderit, quæ ipsi à Domino prædicta fuerant.* Sed congruat fortè magis, ut ex consequente membro id solum subaudias, *ea quæ dicta sunt tibi à Domino*; quasi series orationis esset: *Et beata quæ credidisti ea quæ dicta sunt tibi à Domino*, *quoniam perficientur.* Quanquàm utrovis modo intelligas, omnia sint conjungenda. Nam si dicat Elisabeth: Beata quæ credidisti perficienda omnia, subaudit, quia verè perficientur; si dicat: Beata quæ credidisti omnia, nam perficientur, subaudit, *quæ credidisti*, omnia vera esse et perficienda.

Dicta sunt, annuntiata, promissa à Domino, à Deo, jussu, verbis, ac nomine Dei, per angelum scilicet. Hìc significatur, Virginem certum habuisse à Deo proficisci, quæ angelus ipsi nuntiabat. Fuerant autem dicta: *Ecce concipies et paries*, etc. *Hic erit magnus*, etc. *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc. Quæ summa licèt essent, et nec naturâ nec à rerum circumstantiis verisimilitudinem acciperent, credere tamen citra hæsitationem vera esse ac certò futura, fides fuit admirabilis, constantissimè tenentis, Deum ea quæ promittit omnia et posse et velle facere, nec commissurum quin opere compleat. Hæc Mariæ fuit fides, hìc laudata ab Elisabeth; quæ etiam hoc intelligendum Mariæ dat, se consciam, et eorum omnium quæ nuntiata ipsi fuerant per angelum, et quomodò ipsa credidisset simul et Dei Filium concepisset. *Cognovit Elisabeth*, inquit Euthymius, *etiam ea quæ dicta erant, et quòd Virgo crediderat.* Id volupe admodùm Mariæ fuit, et gaudium solamenque incom-

Vers. 45. — Et beata quæ credidisti, quia fides inchoat beatitudinem. Tacitè autem opponit illam credentem marito suo incredulo, quia cùm ille negâsset, hæc correxit errorem, inquit Ambros. Quoniam perficientur. Cùm enim credita eveniunt credenti, cèdunt illi ad gloriam; cùm eveniunt non credenti, cedunt ad ignominiam et confusionem: *Quæ dicta sunt tibi à Domino,* per angelum nuntium ejus. Porrò in his paucis verbis Elisabeth dicendo: *Quæ credidisti*, vaticinatur; dicendo: *Mater Domini*, præsentia; dicendo *perficientur*, futura, ut observat Greg. Hom. 1, in Ezech.

parabile. Inierat ipsa hoc iter, inter cætera, ut cum cognata communicaret ea quæ sibi acciderant; ubi intellexit primo accessu, ea omnia cognatæ cognita, nec quidquam ipsam latere, nimirùm factam omnium certiorem à Spiritu sancto, videns omnia clarè adeò sibi mutuò consonantia, et res suas sic prorsùs Deo esse curæ, inenarrabili perfusa est gaudio, sibique gratulata de eo est, quòd Dei dono credidisset, quòd fons ipsi foret omnis boni.

QUONIAM PERFICIENTUR, quia erit perfectio, id est, perficientur, adimplebuntur. Quidam jungunt verbo, *perficientur*, τὸ, *à Domino*, alii rectiùs verbo, *dicta sunt:* debet tamen et hoc utrobique intelligi. Perficientur enim, à Domino utique; perficientur autem, sicut dicta à Domino sunt, et sicut tu juxta sermonem Domini perficienda credidisti; ita fient certo certiùs. Jam quædam perfecta erant, conceptio Filii Dei de Spiritu sancto; reliqua omnia similiter perficienda certissimè, Spiritu sancto acta Elisabeth prophetat, illa signanter: *Hic erit magnus,* etc. *Et dabit illi Dominus Deus*, etc. Perficientur denique, magno tuo bono, ut propterea beatissima sis futura omnium mulierum. Ab initio beatitudinem tribuit fidei, non quòd in fide sita sit beatitudo, sed quòd fides ad beatitudinem ducat; nec quòd sola ducat, sed quòd sit radix cæterarum virtutum, ut spei, charitatis, humilitatis, magnanimitatis, aliarumque, quas Maria cùm diceret: *Ecce ancilla Domini*, etc., exercuit. Non enim simpliciter dicit: *Beata quæ credidisti*, sed: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur;* quemadmodùm infra 6, v. 20, non dicit Jesus absolutè: *Beati pauperes*, sed addit, *quia vestrum est regnum Dei.* Beata ergo quoniam perficientur; nec propriè adhuc Mariæ beatitudo consistit in istorum perfectione, quæ potiùs sunt beatitudinis ipsius Christi; sed in eo quòd perficientur, et perfecta scilicet afferent tibi consequenter beatitudinem. Nam incarnatio Christi et exaltatio, attulerunt Mariæ beatitudinem, et quidem summum beatitudinis felicitatisque super omnes creaturas gradum, qualis decebat matrem æterni regis Christi. Sed quid si Maria non credidisset? obstare quidem Deo non poterat quin opus suum perficeret, verùm ipsa beata non fuisset, nec enim ipsius ministerio, multòque minùs ipsius bono, fuisset perfectum. Igitur non contenta Elisabeth, demonstrato gravido utero suo, confirmare veritatem eorum quæ angelus Mariæ nuntiaverat, etiam verbis, spiritûs fervore plenis, asseverat esse perficienda, summo bono ipsius Mariæ matris; verè complexa omnem prophetiæ partem, de rebus futuris non minùs quàm de præteritis et præsentibus, quod supra ex D. Gregorio diximus.

VERS. 46. — AIT, dixit, subdidit. Maria admirata cognatæ sermonem, per omnia consentaneum iis quæ nuntiaverat angelus, quæ ipsa hactenùs apud animum suum lætè meditabunda presserat, persuasa esse occulta; non respondet cognatæ, sed totam se in Deum transfert, eique hymnum dicit gratiarum actionis et laudis, coram cognatâ, cui Spiritus sanctus (prout audiebat) rem omnem decreverat revelandam. Porrò non ait evangelista de Mariâ, spiritu sancto repletam exclamâsse, quemadmodùm de Elisabeth supra v. 41, 42; ut intelligatur, nihil fuisse commotam Spiritûs sancti instinctu, ad hunc hymnum promendum, quæ cùm Deo esset plena, quidquid diceret, quidquid ageret, Spiritu sancto agente ageret, ita suaviter ac si naturâ duce operaretur; jam enim habitabat in eâ corporaliter plenitudo divinitatis, Coloss. 2, v. 9. *Ait* igitur, id est, locuta est, virgineâ cum modestiâ, hymnum, edidit Psalmum seu Canticum, primum novi Testamenti; agit enim gratias de cœptâ præstari salute, quæ Veteri Testamento fuerat promissa; canticum, inquam, divinum prorsùs, et stylo planè prophetico, constans omnibus partibus, laudum, vaticiniorum, interpretationum, plenum affectibus, et ad veteres Annæ ac Davidis Psalmos allusionibus; ex quo intelligere liceat quantâ gratiâ Spiritûs Virgo excelluerit, quàmque fuerit in sacris litteris versata, quod supra diximus. *Ait* ergo, Spiritu sancto incitante, et Filio, quo erat fœcunda, dictante.

MAGNIFICAT, magnum prædicat, effert laudibus, præconiis extollit. *Dominus nec augmentum laudibus nec detrimentum recipere potest*, ait Origenes; sed magnificari dicitur, quando laudes ejus altè ac magnificè prædicantur. *Magnificate Dominum mecum,* ait Psalm. 33, v. 4; quod exponitur alterâ ejusdem versûs parte: *Et exaltemus nomen ejus in idipsum.* Dominus Virginem magnificaverat, quia magnam fecerat; vicissim Virgo magnificat Dominum, quia magnum prædicat.

ANIMA MEA, id est, ego; sed singularis emphasis inest huic sacro loquendi modo, quasi dicatur, ego ex intimis animæ meæ affectibus ac sensibus, contentis animæ meæ viribus, non linguâ solùm, quæ non valet tantùm exprimere, quantùm anima intentâ cogitatione assequi: *Benedic, anima mea, Domino*, canit David Psalm. 102, v. 1; quod interpretans subjungit: *Et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.*

DOMINUM, sacrosanctam Trinitatem, cujus est potentia, virtus, ac fortitudo; à potentiâ enim vocat Dominum, quod mox explicat; cuique proinde honor et laus omnis debetur. Angelus et Elisabeth laudaverant Mariam; Maria verò, sepositis propriis laudibus, totam se convertit ad laudandum Dominum, in ipsum omnem refert, qui auctor ipsis omnis boni, cujus omnipotentiâ effecta erat mater Filii Dei, per-

VERS. 46. — ET AIT MARIA, Spiritu sancto incitante, Filio dictante: MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINUM; quasi responderet: Tu magnificas matrem Domini, ego Dominum; ut scilicet sic indicaret se nihil sibi retinuisse, sed præ humilitate et gratitudine totum refudisse, et omnia nos refundenda docuisse in Deum, ut Bernard., serm. de duodecim Stellis. Itaque *magnificat anima mea Dominum*, id est, ex intimis animæ meæ medullis magnificentiam Domini erga me admiror et prædico.

manens virgo. Psalm. 102, v. 2, iterùm legimus : *Benedic, anima mea, Domino; et noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Itaque ex consuetudine Scripturæ discimus, hunc loquendi modum, esse hominis magnum Dei in se beneficium agnoscentis, proque eo gratias agentis.

VERS. 47. — EXSULTAVIT, præteritum pro præsenti exsultat, miro gaudio intra me gestit, et vehementer lætatur, magnâ lætitiâ perfunditur, *ineffabili cum cordis tripudio*, quod ait Basilius in Catenâ, et quod Titus, *ingenti gaudio perfusus in eo se oblectat.* Nam exsultare, quod propriè est corporis, lætitiæ magnitudinem et spiritale quoddam mentis tripudium significat, quo anima extra se rapta in Deum fertur. Sic Anna, 1 Reg. 2, v. 1 : *Exsultavit cor meum in Domino;* et David, Psalm. 34, v. 9 : *Anima autem mea exsultabit in Domino et delectabitur super salutari suo.*

SPIRITUS MEUS, idem est quòd, *anima mea*, annotantibus Græcis Euthymio ac Tito, quanquàm animam magnificare ad intellectum, spiritum exsultare ad voluntatem et affectum, maximè referre videatur. Certè cùm anima dici soleat, *in quantum est vita corporis,* quod habet Augustinus, vel quisquis est auctor Tractatûs in *Magnificat : Spiritus autem in quantum est substantia spiritalis*, et circa spiritalia versatur; videtur Virgo significare velle totam animam suam, quanta quanta est, omnes animæ suæ vires, superiores inprimis, tam etiam inferiores, ferri et ad magnificandum et ad exsultandum. Quare V. Beda hanc dat hujus loci paraphrasin : « Tanto me Dominus, tamque inaudito munere sublimavit, quòd non ullo officio linguæ explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi ; et ideò totas animæ meæ vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplandâ magnitudine ejus cui non est finis, quidquid vivo, sentio, discerno, gratulanter impendo. » Non absimiliter Psalmographus Psalm. 83, v. 3 : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum ;* quanquàm Maria spiritum corpori videatur opponere; non enim corpore exsultabat.

IN DEO, non in se, super Deo, de Deo, propter Deum : significatur enim Deus esse objectum seu materia gaudii atque exsultationis.

SALUTARI MEO, Salvatore meo. Quidam annotat lectum à se in uno codice τῷ σωτηρίῳ μου, quæ videri possit lectio interpretis, nisi quòd etiam in Psalmis, ex σωτήρ, *salutare*, aliquando convertat, ut Psalm. 23, v. 5, et 26, v. 9, et 61, v. 3. Frequenter occurrunt in Psalmis nomina *Jesah* et *Jesuha*, salutem significantia, quæ Græci interpretes reddunt, nunc σωτήρ, nunc σωτήριον, Latinus ferè *salutare.* Eadem vox *Jesah*, salus, legitur Habacuc 3, v. 18, ubi nos habemus : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo ;* pro quo Septuaginta : *In Deo Salvatore meo.* Porrò idem significatur, sive vocetur Deus salutaris, sive salvator, sive salus, nempe quòd auctor salutis sit et omnis boni. Syrus utitur vocabulo à vitâ deducto *Mahioni*, quasi dicas, *vivificatore meo.* Est hoc epitheton Deo proprium, per quem solum est salus; et quamvis totius humani generis sit salvator, peculiariter tamen suum vocat Maria, more Psalmorum Davidis, ex amoris gratitudinisque vehementiâ, cùm mens ejus tota arderet, in consideratione, ejus quam per ipsam Deus operari cœperat salutis, cujus ipsa inprimis erat particeps. Exsultare ergo et mirificè gaudere ac delectari toto spiritu se dicit in Deo seu de Deo, eò quòd salvatorem se præberet hominibus, et inprimis ipsi ; præ oculis habens salvificum incarnationis mysterium jam in ipsâ peractum, per quod noverat Deum procuraturum hominum salutem, et per quod agnoscebat jam se accepisse, non hoc tantùm quòd esset mater Dei, verùm etiam quòd mater Deo Filio digna, dotata omnis generis virtutibus et gratiis, ad propriam ipsius salutem inprimis facientibus. « Dominus potentiam, ait Augustinus, salutaris misericordiam notat; ad utriusque contemplationem Mariæ mens elevata fuerat. Nam cùm magnificare se Dominum perhibuit, tremendam universis æterni numinis majestatem, internâ visione contueri se, manifestè declaravit; cùm verò se in suo exsultare salutari asseruit, gustum se internæ dulcedinis percepisse ostendit. » Itaque et animi affectu et intellectu tota in Deum ferebatur, hinc potentiam, hinc beneficentiam ejus contemplans.

VERS. 48. — QUIA. Addit causam tantæ exsultationis. *Causam manifestat,* ait Græcus in Catenâ, *cur se magnificare Deum deceat, ac exultare in illo.*

RESPEXIT, benignis oculis intuitus est, et favore complexus singulari complacuit sibi in me. *Respicere plus est quam videre,* notat Augustinus; vide supra v. 25.

HUMILITATEM. Præponitur Græcè *ad*, quod interpres rectè omisit, ut profectum ex Hebraicâ phrasi. *Humilitatem* autem intelligit, personæ exiguitatem

VERS. 47. — ET EXULTAVIT, id est, præ lætitiæ vehementiâ gestiit et exilivit; SPIRITUS MEUS, idem est quòd anima mea; nisi quòd magis superiorem animæ partem significare videatur, ut indicet omnes animæ suæ vires magnificâsse, seu magnum prædicâsse Dominum, et exultâsse, IN DEO, Græcè *super Deo,* seu de Deo et propter Deum; significatur enim objectum exultationis. SALUTARI MEO, Græcè *Salvatore meo*, pro quo frequenter *Salutare* in Scripturis accipitur. Itaque nomine *Dei* magnificentiam majestatis ejus extollit; nomine *Salvatoris*, beneficentiam; ut et jure metuendum et dilectione dignissimum ostenderet.

VERS. 48. — QUIA RESPEXIT, benignis scilicet et misericordibus oculis; q. d.: Non est aversatus aut dedignatus, HUMILITATEM ANCILLÆ SUÆ. Humilitatis virtutem intelligit Orig. et Bernard. aliquoties, serm. 42, in Cant., et alibi; ut proinde ille sensus esset, quòd exultaret in illo Dei judicio, quo beneplacitum ei fuit humilitatis virtutem, quam sibi donaverat, attendere, et ejus intuitu majora donare, videlicet incarnationem filii sui; ut similis hæc esset exultatio, et eâdem causâ, et quâ exultatio Christi Lucæ 10, v. 21, cùm dixit : *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus et revelâsti ea parvulis,* id est, humilibus. Commodior tamen videtur sensus, ut humilitas significet abjectionem personæ, veluti tanto beneficio indignam, quo modo usurpatur Genes. 29, 32, et alibi; ita ut eam opponat tacitè magnitudini Dei, quo modo exponunt Græci

et abjectionem conditionis, depressam vilemque conditionem, qualis est hominis comparati Deo, pauperis opulento, servi domino. Ad hunc modum voce humilitatis utitur Lia, Genes. 29, v. 32 : *Vidit Dominus humilitatem meam,* contemptum meî, meî humilis et à marito despectæ misertus est. Rursùs Mardochæus alloquens Reginam Esther cap. 15, v. 2 : *Memorare dierum humilitatis tuæ,* humilitatem opponit dignitati regiæ, ad quam evecta jam erat; quemadmodùm Maria dignitati matris Dei. Denique Paulus ad Philippenses cap. 3, v. 21 : *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ,* quod est, corpus nostrum vile jam atque ignobile.

Ancillæ suæ, id est, humilem ancillam suam, Hebraico loquendi genere; quale illud Apoc. 17, v. 1, *damnationem meretricis,* pro damnatam meretricem. *Ancillam* se vocat, non hominum, sed Dei; *ancillam* autem, ratione tum creationis, tum redemptionis, quemadmodùm supra v. 38 ; humilem verò, tanquàm non magni pretii, tanquàm inter Dei ancillas minimam ; quemadmodùm David, non contentus se dicere servum Dei, addit exaggerationis causâ : *et filius ancillæ tuæ,* Psalm. 115, v. 7, quod est, devinctissimus servus, quanquàm ipsa condito servi seu ancillæ, per se sit humilis ac devincta. Humilem autem seu minimam, ac minimi pretii, adeòque vilem se dicit, ob exiguitatem bonorum, tum corporis, tum maximè animi; corporis, quia non opulentam nec inter homines claram aut splendidam, utpote fabri uxorem; animi verò, quia modicam virtutibus, exiguam meritis, minimèque dignam eo ad quem evecta erat honore; non quòd exigua aut vilis, et eo honore indigna esset, etiam antequàm fieret mater Dei, loquitur enim de tempore quo nondùm erat mater Dei; cùm gratiâ plena et præ omnibus mulieribus benedicta, fuerit ab angelo salutata supra v. 28 ; sed quòd ita de se sentiret, parvam se reputaret, nulliusque meriti, atque adeò indignam hoc Dei respectu ; nimirùm considerans seipsam ex se et suâ naturâ ; quomodò solent justi exiguitatem suam et indignitatem fateri, præsertim quando cum summâ illâ et æternâ majestate loquuntur. Genes. 18, v. 27, Abraham se fatetur pulverem ac cinerem, Dei comparatione. Sic ergo et Maria, seipsam coram Deo vilipendit, et nihil de se præclari sentiens, infimæ ancillæ loco se constituit, quæ nequaquàm meruerit eligi in matrem Dei. Atque omninò observare licet, quomodò humilitatem suam opponat magnitudini Dei, ac eodem sensu et se humilem et Deum magnum vocet. Deum magnum vocat, quasi præcellentem et supremum dignitatis gradum obtinentem ; contra se humilem, ab abjectâ vilique conditione.

Titus, Theophyl. et Euthym.; q. d.: Ideò exulto, quia cùm ipse maximus sit, respexit, in tanto beneficio exhibendo, non divitem, non in seculo sublimem, sed abjectam; se enim deprimit, Deum extollit, et humilitatis virtutem potiùs exercet operę, quàm voce prædicet, vel animo agnoscat. Verè enim humilitatis est, de humilitate non gloriari, sed eam reipsà exhibere. Unde etiam se *ancillam* vocat, ita ut humilitas ancillæ idem sit, quod humilis ancilla, id est, non magni pretii, sed inter Dei ancillas minima; non quòd reverà talis esset, sed quòd talem se reputaret.

Hunc ad modum interpretantur B. Virginis verba enarratores Græci; Euthymius : « Ad humilitatem, « ad vilitatem; seipsam enim dejicit, quasi tantâ re « indignam; vel etiam propter abjectionem humanæ « naturæ, comparatæ ad sublimitatem divinæ. » Theophylactus : « Ille respexit in me humilem, non ego « ad illum respexi; ille me prosecutus est misericor- « diâ, ego illum non quæsivi. » Titus : « Ego cùm hu- « milis abjectæque conditionis essem, tantoque bene- « ficio me planè indignam censerem, nihil prorsùs « hujusmodi exspectabam. » Quamvis ergo, inquit, summus ipse ac maximus esset, ego verò è diverso ancilla ipsius, et quidem omnium infima, minimarum tum animi tum corporis facultatum : tamen respexit me Deus, contra ac mundus, qui abjectos et humiles ne dignatur quidem respicere. Habebat inter filias Israel plures alias ancillas, quæ me opibus et splendore hujus mundi vincerent, nec minùs me excellerent virtutibus animi; in me tamen, his minimè præstantem, præteritis cæteris, conjecit oculos, meque gratuito amore complexus elegit. Exclusis propriis meritis, quæ nulla agnoscit, soli Dei gratiæ acceptam fert beneficii magnitudinem : tantò enim magis elucet divina tum potentia tum bonitas, quantò abjectior et inferior est persona quæ evehitur : id quod hìc evenisse fatetur, ubi ex ancillâ Dei, Dei matrem, et ex parvâ abjectâque beatam facere dignatus est. Porrò alludit Virgo ad ea loca Psalmorum, quibus excelsus Dominus humilia respicere perhibetur, Psalm. 112, v. 6, et 137, v. 6, tanquàm hoc habens pro more, ut potentiam simul et bonitatem suam ostendat, quod dicebamus; quod post Annam, 1 Reg. 2, v. 8, explicans David Psalm. 112, v. 7 : *Suscitat,* ait, *à terrâ inopem, et de stercore erigit pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui;* id enim in seipso expertus fuerat David, quem de post fœtantes acceptum evexerat Deus ad regnum. Quidam, etiam veterum, *humilitatem* hìc intelligunt, virtutem animi modestè ac demissè de se sentientis; quasi dicat Virgo, se ob profundam animi humilitatem, respectam et electam fuisse. Verum est quidem quòd incomparabili humilitatis virtute Virgo prædita fuerit; quòdque inter cæteras Virginis virtutes, hanc cumprimis respexerit Deus, et ob hanc mirificè placuerit Deo, judicataque sit digna quæ fieret mater Filii Dei; quanquàm non ex se virtutem hanc possideret, sed singulari Dei dono, ut cæteras : non hanc tamen prædicat Virgo, nec de eâ gloriatur, ut quæ nesciret hujusmodi virtute se præditam, quod est verè humilis, tantùm abest ut illius merito sentiat se fuisse respectam ; sed et etiamsi

Ecce enim ex hoc, id est, deinceps ex hoc tempore, beatam me dicent omnes generationes, per secula sibi successuræ ; nam verba hæc, teste Epiphanio, hæresi 30, vaticinium continent futurorum præconiorum, quæ in finem seculi usque beatæ Virgini ab Ecclesiâ deferuntur, et deferenda sunt.

scivisset, non in medium illam adduxisset, quam Dei misericordiæ tulisset acceptam, ut cætera sua bona; nec minùs, præter omne meritum, solâ Dei gratiâ, electam se fuisse prædicâsset, quod facit, prout explicuimus. Facilè quidem concesserim, quòd Virgo aliquid etiam modesti animi, voce humilitatis intellexerit, nimirùm quòd ita fuerit conditione humilis, ut etiam intra mensuram suæ conditionis se continuerit, non alta quærens aut sapiens, nec id exspectans ut fieret Christi mater, *sed humilibus contenta*; quod ait Græcus in Catenâ citatus; nihil majus de se cogitans, quàm ut Dei ancilla esset, eoque nomine ipsi esset accepta; nec enim respiciat Deus superbam humilitatem, cùm etiam hominibus odio sit pauper superbus: Ecclesiastici 25, v. 3, 4. Sed non habuit hoc Virgo pro insigni virtute, nec proinde hoc prædicavit, ut quo meruerit eligi in matrem Dei, sed habuit hoc pro re æquâ et congruâ suæ conditioni, quam sine vitio ac dedecore excedere haud posset; quemadmodùm si pauper non extollat se, nihil magnum censetur facere, multò minùs mereri regnum. Porrò hâc ratione cùm fiat plerùmque, ut in piis hominibus, conditio humilis et virtus humilitatis conjunctæ sint; sæpè fit dubium in sacris Litteris, ubi mentio occurrit humilitatis, an de conditione præcipuè, an de animi virtute intelligere oporteat. Atqui hoc loco, Virgini de tenui conditione sermonem esse, clarum ex jam dictis fit, quæ seipsam deprimens, Deum unum extollit. Non ergo gloriatur, virtute humilitatis se præditam, sed conditione humilem se agnoscit, neque respectam prædicat quia humilem, sed quamvis humilem; quod dùm facit, quantâ humilitatis virtute intùs ornata sit ostendit. Quare rectè cardinalis Cajetanus notat, his verbis B. Virginis, virtutem humilitatis non significari voce, sed exerceri opere. Porrò etsi per respectum Dei, Dei beneficentiam intelligat Virgo: non exprimit tamen quo beneficio à Deo affecta sit, tum quòd Elisabeth id sciret, adeòque jam prædicâsset, tum quòd præ studio humilitatis, malit id animo contemplari, quàm linguâ eloqui. Fuit autem illud, quod diximus, quòd electa fuerit in matrem Dei.

Ecce enim; mirabilem rerum conversionem. Declarat quod dixerat, Deum respexisse humilitatem ancillæ suæ.

Ex hoc, ex hoc nunc, ex hoc tempore, quo scilicet respexit me, beatitudinem suam non adscribit fidei suæ, ut Elisabeth supra v. 45, sed respectui ac misericordiæ Dei.

Beatam me dicent, beatificabunt me, beatam prædicabunt, idque verè ac meritò; respiciendo ita fecit præclaram, ut beatam me, adeòque beatissimam, prædicaturæ sint, quippe evectam ab humilitate ancillæ ad dignitatem matris Dei, ac proinde ad gloriam reginæ cœli ac terræ, denique ad summum beatitudinis gradum.

Omnes sibi mutuò successuræ, quamdiù mundus stabit, generationes, ætates hominum, secula, id est, ex omnibus et singulis ætatibus seu seculis aliqui, nec illi pauci. *Super credentibus illud interpretor,* inquit Origenes. *Quasi dicat,* ait Titus: *Non tu sola, Elisabeth, posthàc me felicem fortunatamque prædicabis, sed omnes omninò fidelium omnium generationes.* Cæterùm, *non se beatam appellat inani vexata gloriâ,* quod habet Græcus in Catenâ citatus; *unde enim focus in ipsâ superbiæ, quæ se ancillam Domini nuncupavit? sed sàcro tacta Spiritu, quæ futura sunt præscivit* ac prædixit. Prædicit omni deinde ætate, usque ad consummationem seculi, fore homines, qui crederent Jesum filium Mariæ esse Christum, Deum et hominem, Filium Dei simul et filium Mariæ Virginis, mundi salvatorem, qui enim id credant, non possint non Mariam prædicare beatam, matrem Jesu, tanto filio honoratam. Quomodò enim auctor beatitudinis, non ante omnes matrem suam reddat beatam? Observa quàm clarè intellexerit et firmiter crediderit Virgo, quæ angelus ipsi promiserat, fore ut filius ipsius, agnoscendus simul et Dei Filius, regnaret in domo Jacob in æternum; hinc enim intellexit, se quoque per omnia secula regnaturam, foreque gloriosam ac beatam, et pro hujusmodi habendam. Id quod se credere verbis declarat, non quòd desideret gloriam propriam, sed ut Dei erga se beneficentiam commendet, cujus hoc beneficium seculis omnibus futurum sit memorabile. Porrò impletum esse hoc vaticinium Virginis hactenùs, et pergere quotidiè impleri, luce meridianâ est evidentius, fidelibus omnibus agnoscentibus et clamantibus, neminem post Deum Mariâ Virgine esse beatiorem.

Vers. 49. — Quia. Reddit causam cur beata ab omnibus futuris seculis habenda sit, nimirùm, non quia propriâ industriâ aut virtute id laudis felicitatisque sit assecuta, sed quia fecit mihi magna, illi acceptum debeo. Μεγαλεῖα, magnifica, *magnalia*, pro ut aliàs vertit interpres, Act. 2, v. 11; ac solent Græcè μεγαλεῖα appellari, Latinè *magnalia*, quæ Hebraicè *gedoloth*, pro miracula; Deut. 10, v. 21: Psal. 70, v. 19. *Magna* autem intelligit, inaudita, admiranda, supernaturalia, incomprehensibilia; Job. 5, v. 9: *Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero.* Porrò quæ sint *magna* hæc, non exprimit Virgo, ob causas versu superiore indicatas, malens ea corde fovere et intelligenda relinquere, ne in ore ipsius sordescerent. Sciebat autem, ut ipsi Elisabeth esse jam nota, ita non fore ignota fidelibus filii sui discipulis. Adde quòd tanquàm inexplicabilia sigilla-

Vers. 49. — Quia fecit mihi magna, Græcè, *magnalia,* quia hactenùs inaudita et admiranda, et omnes naturæ vires superantia, conceptum scilicet Virgini sine viro, et matrem Dei, et virtutum apparatum tantis mysteriis congruentem. Qui potens est, mirabilia scilicet operari. Nam in istis mysteriis tota ratio facti est potentia facientis, ut Augustinus, epist. 3:

Et sanctum nomen ejus; supple, *fecit mihi magna;* vel potiùs, *cujus nomen sanctum est.* Usitatè enim Hebræi ponunt unum relativum pro altero. Itaque potentia Dei respicit hìc incarnationis sublimitatem ac difficultatem; sanctitas verò puritatem, tum conceptionis, tum præviæ præparationis ipsius Virginis, quantum ad corpus et animam.

tim, uno nomine cuncta comprehendat : volens plura tacendo, quàm loquendo exprimere, quòd lingua non sufficeret. Cæterùm fuerunt duo præcipua, unum quod Deus fecerit eam matrem Dei Filii sui, idque virtute Spiritûs sancti sine operâ virili; alterum quod sanctissimam reddiderit et animâ et corpore, ac omninò dignam quæ tantæ prolis foret mater. « Admirabilia, ait Titus, per me operatus est potens ille : « nam cùm Virgo sim, præpotenti illius voluntate, « naturæ fines supergressa concepi : nulliusque viri « commercio usa, digna effecta sum, quæ non cujusvis promiscuè, sed unigeniti filii Dei mater fierem. » Magna hæc meritò vocat Virgo, *quia,* quod habet tractatus nomine Augustini, « mysterium incarnationis Verbi super omnia constat esse ineffabile. Nihil « enim unquàm magis mirum factum est, quàm ut « Deus fieret homo, et naturâ incomprehensibilis, corporis substantiam sibi sic uniret, ut non minùs in « eâ esset quàm in se erat immensa. Generationem « ejus quis enarrabit ? » legimus Isaiæ 53, v. 8. Nam quod ad Virginis præparationem, quàm fuerit res illa magna, ex eo intelligi potest, quòd hinc censeatur benedicta super omnes mulieres adeòque creaturas.

Qui potens est ; ὁ δυνατὸς, ille potens *qui facit mirabilia magna solus,* Psal. 135, v. 4 ; tanquàm excellentissimè et solus potens. Est hoc unum ex decem Dei nominibus, Hebræis dictum *Saddai*, quo significatur Dei omnipotentia, qui sibi sufficiens, per se potest omnia. Ergo quia dixerat fecisse magna, utitur congruo nomine potentis, quòd potentis sit magna facere et operari. « Hoc addit, inquit Titus, ne quis « tanto huic mysterio fidem detrahat : quæ enim dicit « huc spectant : Nemo, si virgo concepi, miretur : « nam qui operatus est, omnipotens Deus est. » Similia habet Theophylactus. Quòd si in aliis rebus, certè in hoc incarnationis mysterio, verum est quod ait Augustinus epistolâ 3, *tota ratio facti, est potentia facientis.*

Et sanctum nomen ejus, scilicet, fecit mihi magna, id est, ille nominatissimus seu celeberrimus sanctitate, purissimus et ab omni vitio ac labe alienissimus. Quia duplicis generis erant magna illa quæ fecerat Deus Virgini (quod mox descripsimus) alia pertinentia ad conceptionem, alia ad sanctificationem seu præparationem ; propter illa dixit, *qui potens est,* propter hæc *et sanctum nomen ejus ;* quemadmodùm supra, v. 46 et 47, propter illa vocavit *Dominum,* propter hæc *salutarem,* et suprà v. 35, angelus, propter hæc meminit Spiritûs sancti, propter illa virtutis Altissimi. Ut enim fuit opus potentiæ, Deum fieri hominem ex virgine ; ita opus sanctitatis, virginem præparare, ab omni sorde ac labe præservare, corpore et animâ sanctificare, atque omninò talem reddere, quæ idonea esset ad concipiendum suo utero Dei Verbum sanctum et immaculatum. Cùm ergo Virgo ob utraque hæc sciret se prædicandam esse beatam inter Christianos, utraque Deo adscribit, volens omnia in Deum referri, qui nominatissimam suam tum potentiam tum sanctitatem, pietatem, bonitatem, ac misericordiam, ita in eam exeruerit, ut non tam ipsa quàm ipse ab omnibus seculis laudari ac prædicari mereatur.

Vers. 50. — Et, prout, misericordia, beneficentia, bonitas : hæc enim omnia significat Hebræum *hesed,* quod Septuag. verterunt, ἔλεος, misericordia.

A progenie unâ in omnes progenies. *A progenie in progenies.* Ita usus Ecclesiasticus. Porrò antiqui libri Evangeliorum, tum nostri tum Epanorthotæ et Zegeri, scribunt : *In progenies et progenies.* Unus *in generationem et generationem.* Græcè est, *in progenies progenierum,* seu generationes generationum, quod est, in infinitas progenies seu generationes, sibi mutuò succedentes. Sumpsit hunc versiculum Virgo ex Psalmi 102, v. 17, ubi legis : « Misericordia Domini ab æterno et usque « in æternum super timentes eum, » Hebraicè pro *ab æterno et usque in æternum,* est, *meholam vehad holam,* à seculo et usque in seculum, quod aliàs dicitur *middor vador,* à generatione in generationem, vel *ledor vador,* in generatione et generatione ; quæ geminatio auxesis Hebraica est, pro eo quod dicas, per omnia secula, progenies, seu ætates, id est, in æternum. Quare Euthymius notat : « Quod dicitur in « progeniem et progeniem, et in generationes generationum, aliaque similia, idem significant quod « semper apud Hebræos. » Vult dicere Virgo, misericordiam seu beneficentiam Domini esse perpetuam, continuam ac constantem ; non mirum si ipsa insignem illius misericordiam ac beneficentiam sit experta ; sic enim solere eum per omnes ætates ac secula benefacere. Amplificat igitur Virgo Dei laudem, à propriis, quæ ipsa acceperat, beneficiis, descendens ad laudandum Deum, ob continua ejus ac perpetua beneficia erga omnes qui ipsum timent.

Timentibus eum, scilicet patet, parata, exposita est, Hebraicè et Syriacè additur *hal,* super ; super timentes eum, scilicet est, extenditur, diffunditur. *Timentibus eum,* id est, iis qui sic in ipsum credunt, qui sic ipsum agnoscunt, ut etiam timeant offendere, quod est, qui servant mandata ejus, ut ejusdem Psalmi versu subsequenti exponitur. Annumerat seipsam Virgo timentibus Deum, citra omne detrimentum humilitatis ; nec enim minùs possunt quicumque profitentur se servos Dei, quàm ut Deum timeant, id est, conentur servare mandata ejus. Aliis quidem etiam benefacit ; sed non perinde in bonum ipsis vertuntur beneficia.

Vers. 51. — Potentiam, robur, quidam victoriam vertunt. Sic Psalmi 117, v. 16 : *Dextera Domini fecit*

Vers. 50. — Et misericordia ejus a progenie in progenies, id est, infinitas progenies seu generationes sibi mutuò succedentes. Timentibus eum ; supple, *exposita est ;* q. d. : Non mirum esse quòd tantam erga se misericordiam exercuerit, cùm illa soleat per omnes ætates timentibus benefacere. Respicit autem ad v. 17 Psal. 102. Et hæc quidem de misericordiâ Dei ; nunc de judicio.

Vers. 51. — Fecit potentiam, id est, exercuit potentiam suam, fortiter se gessit, in brachio suo. Hu-

virtutem, quod est, potentiam. Sensus est : Fecit seu gessit fortia, edidit insignis fortitudinis opera.

In, pro, cum, more Hebraico, quanquàm Latinè superfluat.

Brachio suo. Quia robur hominis in brachio, præsertim dextero, est situm ; ideò frequenter Scriptura, cùm de Dei fortitudine ac potentiâ est sermo, brachium Deo metaphoricè attribuit ; et quò res magis explicetur, ferè brachium cum potentiâ ac fortitudine conjungit. Psalm. 88, v. 14 : *Tuum brachium cum potentiâ*. Psal. 76, v. 16 : *Redemisti in brachio tuo populum tuum*. Psalm. 97, v. 1 : *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus*. Isaiæ 40, v. 10 : *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur*. Isaiæ 62, v. 8 : *Juravit Dominus in dexterâ suâ, et in brachio fortitudinis suæ*. Quare Euthymius hunc evangelii locum exponens ait : « Fecit magnificentiam, fecit victoriam, per fortitudinem suam ; « nam brachium hoc in loco significat fortitudinem. » Est autem præteritum pro præsenti positum, facere seu gerere solet, ut in consequentibus.

Dispersit, dissipavit, comminuit, tanquàm vas figuli confregit, ita ut frusta hinc inde dissilierint, hoc enim opus robusti brachii, dispergentis et ad nihilum redigentis adversarios.

Mente, sensu, cogitatione, cordis sui, cordis ipsorum ; ne ad Deum referas. Hoc jungo cum nomine *superbos*, ac si dicas elatos animo et arrogantes, quemadmodùm facit Euthymius, cujus verba sunt : « Superbos in cogitatione cordis sui, superbos apud se« ipsos. » Superbia enim ex corde nascitur, volvente cogitationes impias, quibus sibi ita placeat, ut Deo similis esse velit, saltem non putet se ab ipso pendere, denique erigat se adversùs Deum. Nam cùm cætera vitia Deum fugiant, superbia sola se opponit Deo. Hæc est igitur potentia, hoc forte facinus quod fecit brachio suo, quòd superbos eosque qui adversùs ipsum se erexerunt, disperserit, disperdiderit, ac ad nihilum redegerit ; tanquàm si dictum esset, exsertâ potentiâ seu robore brachii sui, dispersit malè sanâ mente rebelles. Ad quem modum Psalm. 88, v. 11 : *In brachio virtutis* seu fortitudinis *tuæ dispersisti inimicos tuos*. Intelligit autem Virgo, Deum hoc pro more habere, ac proinde, præteritis utitur loco præsentium, *dispersit*, pro dispergit seu dispergere consuevit, quasi diceret : Signanter dico, misericordiam ipsius perpetuò expositam esse timentibus eum ; nam qui non agnoscunt nec timent eum, qui inflati atque elati arrogantibus animorum suorum cogitationibus, erigunt se adversùs eum, nolunt ei parere aut cedere, ntùm abest ut misericordiâ ipsius fruantur, ut contra brachium ipsius sentiant, quo exerente robur suum conterantur et tanquàm in frusta dispersi pereant. *Quis enim habet brachium sicut Deus*, Job. 40, v. 4 ; aut *virtuti brachii ejus quis resistet?* Sap. 11, v. 22. Id cùm multis in Scripturâ occurrentibus exemplis sit manifestum, videtur Virgo, tametsi universè de omnibus loquens quæ solitus sit Deus facere, peculiariter ad id respicere, quod toties repetitur in variis Scripturæ libris, Deo ipso gloriante, quòd in manu forti et brachio potenti, excelso atque extento, eduxerit Israelem ex Ægypto. Illic enim notanter, exerto brachio suo fortia facinora complura edidit, et superbos obduratosque Pharaonem atque Ægyptios, nolentes agnoscere Dominum nec ei parere aut cedere, ita contrivit variis plagis afflictos, ut ad nihilum tandem redegerit submersos mari. De his Psalmus 88, v. 11 : « Tu humiliâsti sicut vulneratum su« perbum (Pharaonem), in brachio virtutis tuæ dis« persisti inimicos tuos (Ægyptios) » ; et Isaias, cap. 51, v. 9 : « Consurge, consurge, induere fortitudinem « brachium Domini : consurge sicut in diebus antiquis, « in generationibus seculorum. Numquid non tu per« cussisti superbum, vulnerâsti draconem? Numquid « non tu siccâsti mare, » etc. Laudatum igitur Deum à misericordiâ, pergit Virgo laudare à justitiâ, ac Davidem imitata, misericordiam et judicium cantare Domino, Psal. 100, v. 1. Est enim hic hymnus laudans Deum à rebus præteritis, potiùs quàm prophetia prædicens futura ; quanquàm mystico sensu, sub præteritis, intelligere liceat futura, gerenda per Christum.

Vers. 52. — Deposuit, καθεῖλε, detraxit, invitos adeòque viribus omnibus renitentes. Est autem præteritum rursùs pro præsenti deponit seu detrahit, deponere ac detrahere solet. « Nam quod dixit in bra« chio suo, et quod præmisit, in progenies et proge« nies, his quoque per singula commata est adnecten« dum versiculis, ait Beda ; quia videlicet per omnes « seculi generationes, et perire superbi, et humiles « exaltari, piâ justâque divinæ potentiæ dispensatione « non cessant. »

Potentes, dynastas, principes, primates. Dynastæ, à potentiâ sic dicti, ii sunt, quorum est in homines imperium, sive sint reges, sive regibus inferiores tetrarchæ, satrapæ, duces. Intelligit autem eos qui Deum non timeant.

De sede, è thronis, soliis, quod augustius aliquid sonat quàm sedes. Per thronum autem intelligit imperium seu rerum fastigium.

Et exaltavit, exaltare seu extollere solet, è terrâ

mano more loquitur, quia robur hominum in brachio, cujus proinde plerùmque symbolum est in Scripturis. Putant aliqui hic Virginem universè de mirabilibus Dei operibus vel creationis, vel eductionis Israel ex Ægypto loqui. Verisimilius credo, juxta Iren. l. 3, c. 11, hinc usque ad versum 54, esse prophetiam de futuris, prophetico more verbis præteriti temporis expressam. In hoc ergo fecit potentiam, quia dispersit superbos mente cordis sui, id est, quia Judæos, cogitatione cordis sui seu animo superbos, et ex superbiâ incredulos, dispersit per orbem terrarum.

Vers. 52. — Deposuit potentes, id est, principes et primates Judæorum, tam reipublicæ quàm religionis, detraxit *de sede*, Græcè, *de thronis*, principatûs videlicet et sacerdotii, propter superbiam adversùs Christum Dominum. Et exaltavit humiles, id est, populum gentilem priùs abjectum, et Spiritûs sancti missione humilem factum, in regnum et regale sacerdotium exaltavit.

scilicet ac pulvere, in solium regum ac primatum. È contrario, inquit, evehit humiles, et in regio solio, unde superbos duces dejecerat, collocat.

Humiles, infimos, humilis abjectæque conditionis homines, qui modò ipsum timeant, nec quidquam magni de se sentiant; opponit humiles potentibus seu dysnastis, id est, iis qui in magno honoris sunt gradu. Pergit ergo Virgo declarare fortia, quæ consuevit Deus patrare brachio suo, et laudare Deum à justitiâ simul et misericordiâ; justitiâ in arrogantes, quos regno et imperio sæpè exuit, misericordiâ in tenues à quibus agnoscitur et timetur, quos sæpè ad regnum et principatum evehit. Exempla prioris generis suppetunt in Nabuchodonosor, Saul, Aman, Vasthi; posterioris, in David, Esther, Daniele, Mardochæo, quod et in seipsâ Virgo patere vult, electâ ex ancillulâ in matrem Dei. Imitatur autem Davidem et Annam, quorum ille, Psal. 112, v. 6 et 7 : *Suscitans à terrâ inopem, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, cum principibus populi sui;* hæc et quidem ante Davidem, 1 Reg. 2, v. 7 et 8 : *Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Cùm verò multis exemplis hoc pateat, quod ostendimus : tum maximè respicere videtur Virgo, ad id quod universo contigit Israeli, in introitu terræ promissæ, quando innumeri reges et dynastæ, obfirmante se brachio Domini, deturbati è soliis suis sunt ac deleti (Josuæ 12, v. 7, et seqq. numerantur unus et triginta reges ab uno Josue percussi) et in eorum thronos ac solia, humiles Israelitæ, è domo servitutis Ægypto recenter educti, surrogati sunt. Quâ de re canit Psalmographus, Psalm. 135, v. 17, et seqq. *Qui percussit reges magnos, quoniam in æternum misericordia ejus, et occidit reges fortes,* etc., *quia in humilitate nostrâ memor fuit nostrî,* etc.

Vers. 53. — Esurientes. Participium loco nominis *famelicos*, positi pro, pauperes, egenos, humanis præsidiis destitutos, quibus ad vitam necessaria non aut vix suppetunt.

Bonis, id est, cibis, divitiis, opibus omnis generis.

Divites, opponit esurientibus, quod est egenis.

Dimisit, emisit, ablegavit à se.

Inanes, vacuos, exutos opibus ac bonis quæ priùs possederant, et quibus fuerant confisi. Conveniunt et hæc cum Annæ cantico, 1 Reg. 2, v. 5 : *Repleti priùs pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt.* Atque eòdem pertinet hic versus quò præcedens, quòd Dei misericordia, per omnia secula, soleat pauperes, quibus ad vitam commodè sustinendam necessaria desunt, si modò Deum timeant, omnis generis bonis locupletare; justitia autem locupletes, qui cùm omnis generis bonis vitæque deliciis abundent, Deum non recognoscunt, despoliatos abjicere et sinere pauperiem pati. Hoc idem canit Psalm. 33, v. 11 : *Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur* seu destituentur *omni bono.* Respicit autem potissimùm Virgo ad Israelem, è deserto arido ac sterili introductum in terram lacte et melle manantem, spoliatis atque ejectis locupletissimis ejus habitatoribus Chananæis. His ergo hactenùs, ad amplificandam Dei laudem, declarat Virgo, ut in se, ita in omnes cujuscumque seculi homines, misericordiam Dei semper fuisse diffusam, quod ad eos qui ipsum timeant, ut contra justitiam Dei et brachii fortitudinem, extensam in eos qui ipsum oderint impios.

Vers. 54.—Suscepit nunc denuò. Generalem divinæ erga Israelem misericordiæ per omnia secula diffusæ commendationem, accommodat præsenti tempori, quo Christi incarnatio, præcipuum misericordiæ opus, exhibita, omnem superiorem Dei erga Israelem misericordiam absolvit. *Suscepit,* ἀντελάβετο. Hæc duo verba frequentissimè occurrunt in Psalmis, quibus respondent varia vocabula Hebraica ; Psal. 29, v. 2, *dala,* quod est, exaltare ; Psalm. 117, v. 13, *hazar*, quod est, adjuvare ; Psalm. 145, v. 9, *hadad,* quod est, erigere, elevare. Ex his intelligitur, voces illas Græcam et Latinam, usurpari pro adjuvare, erigere, exaltare ; quemadmodùm et Syrus hìc vertit *hadar,* auxiliari ; et quidem Græca vox inde accepta est, quod quasi porrectâ manu quis extrahatur ex foveâ, aut prostratus erigatur ; ad quem modum, Latinam vocem interpreteris, sursùm ad se accipere. *Suscepit* ergo, id est, delapsum in malorum foveam extraxit, prostratum malisque obrutum erexit, adjuvit, liberavit. Collapsus erat populi Israelitici status, regnum ab alienigenâ occupabatur, sacerdotes et primores, neglectâ salute populi, non nisi suis studebant commodis, erant denique populi *vexati et jacentes sicut oves non habentes pastorem* (Matth. 9, v. 36), variis affecti afflictique et corporis et animi malis. Ex his extraxit et liberavit eos Dominus : nec tantùm extraxit, verùm etiam confirmavit ac fulcivit, ne in eadem mala relaberentur, quemadmodùm solent nutrices puerulos suos porrectâ aut suppositâ manu sustentare ac retinere ne cadant. Nam et hoc significari superioribus vocibus Græcâ ac Latinâ, declarant alia Hebraica verba, quæ alibi illis respondent : *sahad,* Psalm. 17, v. 36 ; *samach*, Psalm. 3, v. 6 ; et signanter *tamach,* Psalm. 40, v. 13 ; et Isaiæ 41, v. 10 ; nam ad hunc Isaiæ locum videtur Virgo alludere ; sic enim illic legis v. 8 et seq. *Et tu Israel, serve meus, Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendi te,* etc.; *et dixi tibi : Servus meus es tu, elegi te,* etc. ; *confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera justi mei,* seu, ut alii vertunt, *justitiæ meæ.* Intelligit autem Virgo quòd nunc denuò Dominus populum suum, quemadmodùm

Vers. 53. — Esurientes implevit bonis, id est, eosdem Gentiles omni virtute vacuos, et ideo justitiam Dei anhelantes, implevit bonis, justitiâ, virtutibus, omnisque generis beneficiis. Et divites, quasi saturos, qui seipsos justos esse putabant, et ad justitiam cum solâ cognitione legis sibi datæ sufficere, quasi non indigentes Christi auxilio, aut redemptione, dimisit inanes, quales videlicet erant. Cujus prophetiæ veritatem in effectibus suis nunc conspicimus, et ad divini sui judicii profunditatem meritò contremi-

frequenter antea, susceperit atque adjuverit et è malis liberaverit, idque quàm unquàm anteà perfectiùs; eò quòd Verbum suum carne vestiverit in ipsius utero, eò quòd Christum in mundum miserit, tanquàm manu dexterâ extensâ. Et quidem nondùm Christus populum liberaverat; sed quia jactum jam erat certum fundamentum successuræ deinde liberationis et adfuturæ divinæ opitulationis, adeòque opus inchoatum; Christi enim incarnatio, initium fuit ejus operis quo Deus salutem populo parare statuerat; loquitur de re proximè consecuturâ tanquàm de confectâ. Cæteroqui, si verbum Latinum suscipiendi, propriè liceat accipere, eo ipso Deus quo Christi operatus est incarnationem, suscepit Israelem è malis liberandum, erigendum, adjuvandum, fovendum, amplificandum, et perficiendum; nec tantùm animum adjecit, sed et manum admovit ad opus.

ISRAEL, quarti casus est, Israelem, quod est, Israeliticum populum, populum ex Israele aliàs dicto Jacob oriundum. Loquitur autem inprimis Virgo de populo sui temporis, et Israel carnali, ad quem primùm Christus ipse se missum fatetur, Matth. 15, v. 24, et ex quo, quod ait Titus, *multæ myriades in Christum crediderunt, credentesque salutem consecuti sunt.*

PUERUM SUUM; παιδὸς ambiguum est ad filium et servum; et quanquàm Israel etiam filius Dei vocetur, Exodi 4, v. 22, Oseæ 11, v. 1; potiùs tamen servum hìc oportet intelligere, prout Syrus vertit, et est in illo Isaiæ loco: sed servum in familiam assumptum, agnoscentem colentemque Dominum, et quasi adoptatum in filium. Sic enim consuevit Deus Israelem in sacris Litteris vocare servum suum, tanquàm peculiariter adamatum, ad distinctionem gentium, Deum non agnoscentium, tametsi subjectarum.

RECORDATUS. Ita Ecclesiasticus usus, quem legendi modum, utpote commodiorem, ex D. Hieronymi emendatione profectum, arbitratur Zegerus. Nam manuscriptorum antiquorum pleraque, pro *recordatus*, scribunt *memorari*, quo modo ad verbum vertas ex Græco; id est, ut recordari seu memorem esse se declararet. Syrus, *et recordatus est.*

MISERICORDIÆ, beneficæ, benedictionis, salutis cujus ob longam moram videri poterat oblitus. Salus per Christum promissa, vocatur misericordia, quia gratis promissa fuit, præter hominum meritum, Deo miserente. Quare D. Leo, serm. 1 de Jejunio decimi mensis: *Causa reparationis nostræ, non est nisi misericordia Dei.*

SUÆ non additur Græcè.

VERS. 55. — SICUT LOCUTUS EST AD PATRES NOSTROS. Hæc verba includenda sunt notis parentheseos.

SICUT, scilicet, usurum se misericordiâ erga Abraham et semen ejus, misso Christo.

LOCUTUS EST, olim, longè ante prædixit.

AD PATRES NOSTROS, avos, majores nostros, Abraham, scilicet, Isaac, Jacob, Davidem, et prophetas; his enim locutus Deus, salutem per Christum promisit Abrahæ ac semini ejus. Non ergo, inquit, fortuitò casuve hæc geruntur: sed hoc nunc præstatur, quod olim prædictum fuerat patribus nostris.

ABRAHAM, dativus casus est ex τῷ Ἀϐραὰμ, sicut is qui sequitur *semini*. Jungendi sunt autem hi dativi, verbis versûs præcedentis: *Recordatus misericordiæ suæ Abrahæ et semini ejus*; quod est, erga Abraham et semen ejus, vel Abrahæ et semini ejus promissæ, exhibendæ ac præstandæ. Videtur Virgo imitata illud Psalmi 97, v. 3: *Recordatus est misericordiæ suæ et veritatis suæ domui Israel*, quod est, erga domum Israel, vel promissæ domui Israel.

ET SEMINI, id est, filiis, nepotibus ac posteris ejus, nempe Israeli; sic enim gloriantur Judæi Joan. 8, v. 33: *Semen Abrahæ sumus.* Quia primò Abrahæ, vocato ac constituto patre multarum gentium, facta est promissio misericordiæ, benedictionis ac salutis, per Christum, idcircò ipse nominatur tanquàm caput; quia verò non ipsi soli facta est ea promissio, sed et posteris ejus, idcircò additur, *et semini ejus.* Est ergo sensus, Dominum extremo hoc tempore, misso in carnem Christo, opem ferre Israeli prostrato ac dejecto, ut memorem se ostendat veteris suæ erga Abraham ejusque posteros misericordiæ ac benevolentiæ, reipsà eam exhibens atque exercens, quemadmodùm se facturum Patribus ac prophetis olim prædixerat.

IN SECULA, in seculum, in ævum, id est, in æternum. Syrus, *leholam*, in seculum. Hoc quidam jungunt

scimus. Nam in omni populo et ætate eadem potentibus seu superbis et humilibus, eadem esurientibus et divitibus semper accidunt.

VERS. 54. — SUSCEPIT ISRAEL PUERUM SUUM, id est, Israelem filium suum, qui à primâ istius populi ætate populus Dei fuit, quasi suppositâ manu sustinuit et erexit, cùm prostratus miseriis jaceret. Hanc enim vim habet verbum *suscipiendi* in Scripturis. RECORDATUS MISERICORDIÆ SUÆ, cujus propter longam subveniendi moram quasi oblitus videbatur. Nam Deus *recordari* dicitur, cùm postquàm ita se gessit, ac si nostri oblitus esset, tandem subvenit. Hæc autem misericordia duo respicit: primò salutem, quam per Christi incarnationem Judæis, tunc temporis viventibus, attulit; nam, ut Leo, serm. 1 de Jejunio decimi mensis, causa reparationis nostræ non est nisi misericordia Dei; secundò, salutem, quam Israeli, per multa secula abjecto, tandem circa mundi finem allaturus est, ut ita B. Virgo perseveret in prophetandis rebus futuris. Recordatus est autem istius misericordiæ suæ.

VERS. 55. — SICUT LOCUTUS EST, hoc est, misericordiæ promissæ, sive quam promisit, quæ solet in Scripturis vocari Veritas, ut patet ad Rom. 15, v. 8. Unde Ps. 97; *Recordatus est misericordiæ suæ et veritatis suæ domui Israel;* quia misericordia, quæ secundùm promissa conceditur, fit veritas. Itaque recordatus est illius misericordiæ, sicut locutus est ac promisit, AD PATRES NOSTROS, id est, patribus nostris (nam et Græcum et Latinum verbum utrumque casum regit; et hujusmodi casuum enallage seu permutatio non inusitata est Hebræis, ut Ps. 102, versu 18) videlicet *Abrahamo* (est enim dativus) et *semini,* seu posteris, *ejus,* Israelitis, per multa *secula;* nam utraque salus, per diversos prophetas prænuntiata et promissa fuit. Posset tamen illud, ABRAHAM ET SEMINI EJUS, referri ad *recordatus,* etc., ut sensus sit, quòd memor fuerit misericordiæ, Abrahamo et posteris ejus, qui usque

verbo, *recordatus*, quo significetur nunquàm oblitus; quidam nomini *misericordiæ*, ut significetur misericordia æterna; quidam τῷ *semini*, ut significetur semen æternum, quod ut nunquàm deficiet, ita non ad certum usque gradum duntaxat, sed in infinitum sensurum sit misericordiam Domini. Præstet fortasse per se accipere τὸ *in secula*, quò significetur, ea omnia æterna esse, quæ hoc hymno hactenùs sunt expressa; positum pro eo quod frequenter in Psalmis occurrit, et aliquoties in hymno ipsius Habacuc, *Sela:* quo etiam psalmi quidam, nominatim tertius et vicesimus tertius clauduntur. Id post Aquilam et Editiones quintam ac sextam, D. Hieronymus transfert *semper;* docetque epistolâ 138, ad Marcellam, eo significari, sempiterna esse quæ dicta sunt; denique ut quæ scripta sunt roborentur, apponi ad finem instar *amen* aut *in sempiternum.* Favent Hebræi, de quibus Genebrardus enarrans Psalmum tertium scribit: « R. Kimhi « tradit, esse vocis, deinde mentis, ad considerandam « sententiam elevandæ, notulam. Talmudistæ, Chal« dæus, Hieronymus, Aquila, genus asseverandi, quo « jam dicta æterna esse pronuntientur, in æternum, « in secula, semper. R. Abraham, affirmationem ad « confirmanda superiora, verè, profectò, ita est, quod « hodiè Judæi ferè in suis precibus sequuntur. » Hæc Genebrardus. Cùm ergo variè admodùm de hoc postremo termino, *in secula*, tractatores sentiant, nec satis sciant quò commodè referre aut cui aptè jungere, verisimile fit per se accipiendum esse, positum pro *Sela*, ad modum *Amen*, quo ita claudit Virgo canticum suum, ut significet elevandam esse mentem ad attentam considerationem eorum quæ dicta sunt, ut quæ vera non solùm, sed et æterna sint, tangentia salutem humani generis æternam; ut verè se res habet.

Vers. 56. — Cum illa, Elisabeth cognatâ suâ, serviens seniori ac partui proximæ, et amicis obsequiis sanctisque colloquiis sublevans. Non dubium quin unicè sanctèque amârint se mutuò, cognoscentes mysteria quæ in ipsis latebant, et communi congratulatione sese in divinis laudibus exercuerint. Felix conventio, et magnis divinæ gratiæ splendoribus illustrata, quâ matres istæ gloriosæ, uteris suis ferentes salutis nostræ primordia, ita familiariter ac sanctè inter se exultârunt primùm, deinde et egerunt. Unde Origenes scribit in hunc locum, eumque imitatus Ambrosius: *Quomodò peccatum cœpit à muliere; sic et principium salutis à mulieribus habuit exordium.*

Quasi, circiter, plùs minùs.

Mensibus tribus, menses tres, continuos scilicet; non aliò interim excurrens aut divertens. Mansit autem, *per voluntatem videlicet sponsi*, ait Euthymius: « Joseph enim Zachariam et Elisabeth sanctos esse « sciebat, et animo beatissimo Virginem eis tradidit, non « solùm quia cognati ejus erant, verùm etiam quia irre« prehensibiles. » Hæc Euthymius. Nec est dubitandum quin desiderârit Elisabeth, ut diù secum maneret Maria, quò frui posset benedictione, quali Obededom, de quo 2 Reg. 6, v. 11, 12: *Habitavit Arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: et benedixit Dominus Obededom, et omnem domum ejus*, etc., *et omnia ejus, propter Arcam Dei.* Quàm similis Arcæ Domini, Maria Domino gravida! imò quanto major! Dubitari ergo non potest, quin propter cohabitationem illius, magis magisque Deus benedixerit Elisabethæ, omnique domui ejus, ac notanter marito et filio. Id certè sentiunt Origenes et Ambrosius, quorum hic scribit: « Non sola familiaritatis est causa, quòd diù « mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo « ingressu, tantus profectus exstitit, ut ad salutationem « Mariæ exsultaret infans in utero, repleretur Spiritu « sancto mater infantis; quantùm putamus, usu tanti « temporis, sanctæ Mariæ addidisse præsentiam! » Meminit autem trium mensium evangelista, ut significet Mariam interfuisse partui Elisabethæ, quem intra tres illos menses accidere necesse erat. Nuntium de Elisabethæ prægnatione cùm acciperet Maria per angelum, mensis à conceptu Elisabeth sextus agebatur non solùm, sed et finiebatur, quod docuimus supra, v. 26. Antequàm Maria pervenit domum Elisabeth, finitus fuit mensis sextus: nec enim statim se itineri accinxit Maria, nec uno die confecit iter, quod ostendimus supra, v. 39. Quocirca cùm tribus plus minùs mensibus manserit apud cognatam, adfuit ejus partui, etiamsi partus nono demùm mense finito accidisset, qui consuevit nono mense labente, quibusdam citiùs, quibusdam tardiùs, obvenire. Quare Ambrosius: *Tamdiù*, inquit, *mansit Maria, quamdiù Elisabeth pariendi tempus impleret.* Et quæ quæso, vel charitas, vel civilitas fuisset Virginis, discedere instante partu, cùm maximè omnium opus esset amicarum præsentiâ et auxilio? Imò verò, quod arbitror, ex composito Virgo exspectavit partum, sive pariendi actui interfuerit (quod non dedecebat eam, quæ ita virgo erat, ut etiam uxor et quidem prægnans, brevique etiam ipsa paritura) sive non; non tantùm ut ad similem suum partum instrueretur, quantùm *ut admirandæ rei eventum spectaret*, quod ait Titus; ut divinæ gratiæ spectaculo frueretur, quæ ipsi proposita ab angelo fuerat ad fidei augmentum; ut videret, exoscularetur, mani-

in finem seculi duraturi sunt, exhibendæ; ita ut illa verba *sicut locutus est ad patres nostros,* per parenthesim inserta legantur.

Vers. 56. — Mansit autem Maria cum illa, officii, obsequii et pietatis causâ, ut Ambr., tum hìc, tum lib. 2 de Virginibus. Addit etiam, causâ profectûs tanti vatis, quod et Orig. notat; qui significare videntur usum rationis Joanni in utero permansisse, ut qui primo ingressu exultaverat, ad præsentiam virginis paulatim proficeret. Unde et illa verba Zachariæ: *Tu, puer, propheta Altissimi*, eum intellexisse volunt.

Quasi mensibus tribus, id est, ferè mensibus tribus: quo probabiliter significari volunt Theophyl., Euthymus, et Niceph. lib. 1, c. 8, Virginem ante partum Elisabeth recessisse, cui, sive causâ decentiæ, sive disciplinæ virginalis sanciendæ interesse noluerit. Suadet hanc sententiam, quòd statim à discessu ejus subjungatur, impletum esse Elisabeth tempus pariendi, et quod legitima nativitas fermè decimi mensis ingressus sit, ut loquitur Tertull., lib. de Animâ, cap. 37,

bus tractaret, gremio exciperet, puerulum illum, ab angelo sibi indicatum, ex utero matris sanctum, qui ad primam ipsius salutationem in matris utero exsultaverat, qui futurus erat Propheta ac præcursor Messiæ, ipsius Virginis utero clausi, de quo denique intellexerat Virgo ea omnia quæ angelus supra, v. 13 et seq., Zachariæ nuntiaverat. Quam ob rem V. Beda: *Tamdiù mansit Maria,* inquit, *donec Elisabeth partûs tempore completo, præcursoris Domini sui, propter quam maximè venerat, nativitatem videret.* Procurata est autem et à divinâ providentiâ hæc trimestris mansio, ut faciliùs crederetur virginitas Mariæ, cùm foret divulganda, ut quæ tribus primis nuptiarum mensibus abfuisset à marito, domi cognatæ, matronæ honestissimæ, idque causâ idoneâ, ut cognatæ vetulæ ac gravidæ et proximæ partui adesset.

Et, deinde, reversa est. Nec enim congruebat, postquàm cognata feliciter peperisset, neque deessent illi multarum adventantium congratulationis causâ, cùm auxilia, tùm solatia, ut diutiùs abesset à marito, ne hominum subiret calumniam, tanquàm quæ divortium fecisset. *Reversa est* autem ut venerat, id est, comitata, non tantùm societate sanctâ, sed et angelis cœlestibus; miro perfusa gaudio, toto illo in itinere.

In domum suam, rectà, non hærens in viâ: partum sui similiter filii exspectatura. Illic postquàm diebus aliquot fuisset, observata à Josepho est esse gravida, et cætera consecuta, quæ à Matthæo narrantur cap. 1, v. 18, et seq.

Vers. 57. — Elisabeth autem, interea dùm Maria maneret cum eâ. Non enim intelligas, postquàm Maria reversa est in domum suam; nam hoc interjecit evangelista, eâ solâ de causâ, ut Mariæ historiam absolveret.

Impletum est, advenit, adfuit, *factum est* ait Syrus; nec enim ante tempus peperit seu abortavit.

Tempus, legitimum ac naturale, quo fructus maturus niteretur exire utero, labente nimirùm nono mense à conceptu.

Et peperit feliciter filium. *Octavo kalendas Julias, sicut tradit Ecclesia,* ait Augustinus enarrans Psal. 132. Idque juxta promissionem Dei per angelum supra, v. 13: *Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium.*

Vers. 58. — Cognati, consanguinei et affines. Syrus periphrasi suæ linguæ dicit, *filii cognationis.*

Ejus refertur ad Elisabeth, non ad Zachariam, quamvis utriusque intelligantur cognati, non minùs quàm vicini; nam cognati mariti, sunt et uxoris cognati.

Quia, quòd, magnificavit misericordiam suam; magnam esse fecit misericordiam suam, magnam præstitit misericordiam, magnificâ ac singulari erga eam usus est misericordiâ, id est, præclaro eam beneficio affecit. Sicut Loth liberatus è Sodomis, Gen. 19, v. 19, ait ad angelum *vattigdel hasdecha,* magnificâsti misericordiam tuam, magno beneficio affecisti me; nam *hesed* misericordiam et beneficium significat, quod diximus supra v. 50. Syrus utitur voce *hanono,* quæ significat gratiam. Insigne Dei erga Elisabeth beneficium seu misericordia erat, quòd ei quæ hactenùs erat et audiebat sterilis, concessisset in senectute, concipere non solùm, sed et feliciter parere filium, eumque maximæ exspectationis, patri adhibitâ divinâ visione promissum; constabat enim palam, mutum effectum fuisse patrem ex visione divinâ.

Congratulabantur ei, congaudebant ei, scilicet Elisabeth. Illa gaudebat, mater effecta divinitùs promissi ac dati filii; gaudebant et amici, animique sui gaudium verbis aliisque signis apud eam testabantur, quod est, gratulabantur. Sic solet charitas congaudere gaudentibus, Rom. 12, v. 15; alienum bonum, ducens suum. Atque hâc ratione et hoc perfectum est, quod angelus supra v. 14, prædixerat, *multi in nativitate ejus gaudebunt,* gratiam secuturæ in puero virtutis, exultatione vicinorum præfigurante, quod D. Ambrosius ait. Neminem porrò commemorat evangelista gratulatum fuisse Zachariæ, quia surdus cùm esset et mutus, inidoneus erat quicum ageretur, quanquàm nutibus aliisque hujusmodi mutis signis, potuerit ei gratulatio exhiberi.

Vers. 59. — In die octavo, à partu; is enim dies lege præscriptus erat ad circumcisionem, Gen. 17, v. 12: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Levit. 12, v. 3: *Die octavo circumcidetur infantulus.* Legis ratio fuit, ut ætatis teneritudini prospiceretur: quoniam vulnus recens natis et adhuc à matre rubentibus periculosius futurum erat. Nam ante diem octavum infans est vitæ admodùm ancipitis, et facilè proinde dolori ex accepto ante eum diem vulnere circumci-

intellige, saltem inchoati. Quamvis non desint, maximè recentiores, qui Virginem partui interfuisse putant.

Vers. 57. — Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, postquàm scilicet Maria discessisset. Impletio autem illa temporis, quæ etiam infrà tribuitur B. Virgini, significat, legitimo naturalique tempore peperisse decimo scilicet mense, quo et virgo peperit et proindè sine abortu aut intempestivo partu.

Vers. 58. — Et audierunt vicini, quia magnificavit, id est, quòd magnificâsset seu magnam fecisset, Dominus misericordiam suam cum illa, sterili et effœtæ non solùm conceptum, sed et felicem partum dando. Et congratulabantur ei. Græcè *congaudebant,* ut indicet impletum, quod vers. 14, angelus prædixerat.

Vers. 59. — Et factum est die octavo, à partu, juxta legem, Genes. 17, v. 12, quo octavo die August. significatum voluit quòd nos per Christi resurrectionem, quæ post septimum sabbati diem, octavo die contigit, spiritualiter à vitiis carnis et omni corruptione circumcidimur. Venerunt, scilicet amici circumcidere puerum. Unde intelligas circumcisionem tunc solemnem fuisse, uti nunc baptismus. Venisse autem non in synagogam, sed in domum Zachariæ, suadet Elisabethæ puerperæ præsentia. Nam quamvis Judæi nunc circumcidant in synagogis, exempla tamen Scripturæ probant, tum domi, tum alio quovis opportuno loco factitatam. Et vocabant eum, seu vocare vo-

sionis succubuisset. Septimo die superato, vitæ dubietatem superavit.

Venerunt, scilicet vicini et cognati. Hâc occasione usus est Deus, ut multos virtutis ac gloriæ suæ testes spectatoresque convocaret; nec verò dubium quin major ad inusitatum partum concursus factus sit. *Venerunt* autem domum Zachariæ; nam cùm adesset puerpera octiduana, quod constat tum ex hoc, tum ex proximè sequenti versu; non potuit negotium nisi domi ipsius confici. Jam in synagogis suis circumcidunt Judæi; quæ in Scripturis exstant exempla, domi et quovis alio loco opportuno fieri solitum fuisse monstrant; Gen. 17, v. 23; Exodi 4, v. 25; Josue 5, v. 3.

Circumcidere puerum, ut circumciderent puerulum (legitur enim diminutivum παιδίον), id est, ut circumcisioni adessent atque adsisterent; nec enim ipsi circumciderunt (quod vel erat officium sacerdotis aut Levitæ, si adforet, vel alterius cujusvis unius, præsertim qui chirurgiæ aliquid nôsset) sed adstiterunt circumcidenti tanquàm testes, et ut solemnitatem rei afferrent: prout mos habebat, ut quamvis domi vel ubicumque, non tamen sine hominum frequentiâ et conventu, circumcisio fieret. Nam cùm esset publicum illius temporis sacramentum, non conveniebat clàm aut privatim administrari. Sacramentum autem erat à Deo institutum, quo inserebantur recens nati pueruli populo Dei, et declarabantur participes fœderis seu pacti cum Abraham et patribus initi, promissionumque hæredes; Genes. 17, v. 11. In ejus locum surrogavit Christus baptismi sacramentum, quanquàm longè majori cum gratiæ copiâ, quod ab apostolo vocatur *circumcisio non manufacta*, Coloss. 2, v. 11. Illa enim fiebat manu ejus qui acceptâ novaculâ abscinderet pelliculam illam, quæ penis glandem cooperit; quo significabatur, ita auferri originale peccatum, cæteraque quæ esse possent, ut toto deinde vitæ spatio, incumbendum esset circumcidendis atque amputandis vitiosis moribus atque affectibus.

Et, id est, quo facto, peractâ nimirùm circumcisione vocabant, volebant seu cœperunt vocare, et nomen imponere; agebant de eo vocando. Mox à circumcisione imponebatur infantulo nomen, ut qui jam cooptatus in populum Dei, mereretur nominari et agnosci. « Par erat, inquit Titus, ut per signaculum « quod Deus præceperat, hoc est, per circumcisionem « primò omnium in Dei populum censeretur, ac tum « demùm humano nomine insigniretur. » Similia habent Chrysostomus in Catenâ citatus et Theophylactus. Is erat mos non contemnendus illius temporis, introductus ad imitationem fortassè ejus, quòd Abrahamo, quo die jubebatur se circumcidere, nomen à Deo fuerit mutatum, Genes. 17, v. 5. Cæteròqui non fuit mos ille initio observatus, nec ab ipso Abrahamo; nam ipsi Isaac statim à partu inditum est nomen, Gen. 21, v. 3; similiter Esaü et Jacob, Gen. 25, v. 25; Phares, Gen. 38, v. 29; Gersam filio Mosis, Exod. 2, v. 22; Samuel, 1 Reg. 1, v. 20.

Nomine patris sui. Gratissimum id esse consuevit patri, ut filius, unicus præsertim (nec enim hìc sperabatur alius) vel primogenitus, sortiatur ipsius nomen; et patrem etiam mortuum mundo referat, tam nomine quàm naturâ, virtute, ac in bonâ successione; ut qui in se nequit semper vivere, in filio quo potest modo vivat, juxta illud Ecclesiastici cap. 30, v. 4: *Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* Id considerârunt isti, qui infanti nomen patris conabantur imponere.

Vers. 60. — Respondens. Non videtur fuisse interrogata, velletne infanti nomen paternum imponi; eò quòd consuetudo fuisse videatur, qualis est hodiè inter Christianos, ut parentes, quamvis penes eos præcipua sit auctoritas, nomina filiis suis imponendi, propinquis id relinquerent, majoris amicitiæ conciliandæ causâ. Respondisse tamen dicitur, quia occasione locuta est, occasione, inquam, eorum quæ inaudiebat, inter amicos suos præsentes, ad mensam circumcisionis consultari ac tractari, ipsa lecto non procul decumbens. Impropriè accipitur respondendi vox, phrasi sacris litteris familiari, ubi ex re præsenti occasio accipitur in verba prorumpendi, etiamsi nulla alicujus interrogatio præcesserit; ex Hebraico ac Syriaco verbo *hana*, quod sæpè non tam respondere, quàm cogitatam et opportunam orationem proferre, aut intermissum sermonem prosequi et velut novum subjicere ac ordiri significat, ita ut planè sit loqui, sermonemque instituere, maximè sequente verbo dicendi, ut passim in Job et Evangeliis.

Nequaquam vocabitur nomine patris sui Zacharias. Non displicet ei mariti nomen; sed quia Deus aliud præceperat, vult ejus voluntati omnia postponi.

Sed vocabitur Joannes. Non rogat amicos, ut Joannis nomen imponant, sed imperat, aliud nomen non ferens; nec ait, sic vult maritus meus (quamvis id sciret eum velle) quia superioris auctoritatis jussio erat, Dei, qui supra v. 13, Zachariæ per angelum præceperat: *Vocabis nomen ejus Joannem.* Noverat id autem Elisabeth, partim quia maritus id ipsi indicaverat scripto, quod supra, v. 24, diximus esse verisimile; partim quia ab eo tempore quo fuerat à Mariâ salutata, Spiritus sanctus clarè ipsi revelaverat universa inter angelum et maritum ejus gesta, quemadmodùm revelaverat universa gesta inter eumdem angelum et Mariam, supra, v. 42, et seq. Quare Ambrosius:

luerunt, de eo tractando. Ex quo colligas, in circumcisione nomen plerùmque imponi solitum, sicut nunc in baptismo; fortassis ad imitationem Dei mutantis ipso die circumcisionis nomen Abrahæ, Genes. 17, v. 5. Nomine patris sui Zachariam, tanquàm gratius futurum patri, ut in filio unico etiam nomine quasi superviveret. Quod cùm displiceret matri, dixit.

Vers. 60. — Nequaquam, sed vocabitur Joannes;

Neque poterat, ait, *Domini ignorare prænuntium, quæ prophetaverat Christum.*

Vers. 61. — Ad illam, volentes eam abstrahere à sententiâ imponendi puero nomen Joannis.

Quia, superest.

Nemo est. Non dicunt, *fuit*, quasi nemo unquàm ex ipsorum genere vocatus fuerit Joannes; hoc enim incertum erat admodùm, præsertim cùm nomen *Joannes* jamdiù satis vulgare esset, quo insigniti fuisse leguntur plures tempore Machabæorum, ac nominatim ex stirpe sacerdotum, Joannes frater Judæ Machabæi, et Joannes filius ac successor Simonis Machabæi. Sed *nemo est*, inquiunt, quòd nullus ex consanguineis pueruli, eo tempore viventibus, aut paulò antè recenti memoriâ vitâ functis, id nominis gesserit.

In cognatione, genere, progenie; tua vel mariti. Cognati spectantes carnem, volunt gentile nomen puerulo imponere; parentes gratiam considerant, non carnem. Dant autem intelligendum cognati, sui temporis fuisse consuetudinem, ut infantibus imponerentur nomina patrum, majorum, aut consanguineorum. Non erat is mos veterum; nam nec Adam ulli filiorum suorum nomen suum imposuit, nec cæteri patres ante diluvium, nec post diluvium Abraham, Jacob, David, etc. Cùm enim eo tempore numerus hominum, vel parvus esset, vel in justam multitudinem nondùm excrevisset, nova singulis nomina imponebantur, quibus facilè possent à se mutuò discerni; et aliquando quidem instinctu prophetico, plerùmque ab eventu aliquo imponebantur; quod ex Mosis et prophetarum libris est manifestum. Cùm autem in maximam multitudinem homines excrescerent, et uberior suppeteret nominum copia quàm ut nova quotidiè fingi commodè possent; contenti parentes vetustis nominibus ac jam receptis, sua ipsorum aut chariorum è suâ familiâ nomina filiis suis indi curârunt, ita volentes conservare memoriam suî suorumque. Cæterùm huic puerulo novum nomen debebatur; more antiquo sumptum ab eventu prophetico, quòd futurus esset modis omnibus gratiosus, quemadmodùm diximus supra, v. 13; non patris nomen; cui non erat successurus in sacerdotium brevi abrogandum.

Vers. 62. — Innuebant, adhibitis nutibus ac gestibus interrogabant. Hinc constat Zachariam, non mutum tantùm fuisse, sed et surdum, quod docuimus suprà v. 20, et 22; cæteroqui enim voce eum compellâssent.

Autem, ergo, itaque.

Patri ejus, scilicet pueri, id est, Zachariæ, qui et ipse aderat, sed ita ut se rei haud immisceret spectator nudus. Veriti ne ipsi ingratum esset nomen novum, quod mater suggerebat; nec enim citaverat Elisabeth auctoritatem mariti ob causam supra dictam.

Quem, τὸ, τί, hoc, quid. Superest τὸ *hoc*, τί autem *quid* seu *quem*, id est, quo nomine, vel, ut transfert Syrus *quomodò*, nimirùm ut ipse, cujus præcipuè intererat, interpositâ auctoritate suâ, contentionem de nomine imponendo dirimeret.

Vers. 63. — Et. Qui re intellecta *postulans*. αἰτήσας postquàm postulâsset, nutibus similiter ac gestibus.

Pugillarem, tabellam; significatur voce Græcâ, quod Latinè dicitur pugillar, seu potiùs plurali numero pugillares aut pugillaria, tabella nimirùm cærea, lignea, aut alterius materiæ, in quâ scribitur stylo; quales sunt et hodiè in usu. Syrus imitatus vocem Græcam vocat *penkitho*.

Scripsit dicens, scripsit hæc verba, vel scripsit in hanc sententiam.

Est. Non dicit *erit* aut *sit*, sed jam est, dudùm scilicet impositum; sic omninò vocandus est, ita ut non sit controvertendum aut quærendum aliud nomen.

Mirati sunt universi qui aderant; *mirati sunt* autem, in primis consensum mariti et uxoris (nam nec Zacharias intellexisse potuerat quid dixisset Elisabeth, surdus cùm esset, nec ipsi inter se antea facilè potuerant convenire) : idque in imponendo nomine extraneo, *quod novum et inusitatum in illorum cognatione erat*, ait Titus. *Mirati* deinde *sunt*, quòd significaret Zacharias, nomen puero jam antea esse positum, nec dubitârunt quin à Deo impositum vellet dicere, qui in templo ipsi apparuerat; id enim jamdiù in vulgus sparsum fuerat, faciente publicâ ipsius obmutescentiâ. *Mirati sunt* denique, faustum illud nomen Joannis, gratiæ significatione observandum. Summa est autem, licet cognatis et amicis repugnantibus, Joannis nomen à patre et matre, ore Spiritûs sancti loquentibus, puero fuisse datum, ut impleretur quod angelus prædixerat supra v. 13. *Vocabis nomen ejus Joannem.* Exemplum fidelis obedientiæ in Joannis parentibus proponitur.

sive quòd scripto ei hoc nomen maritus indicâsset, sive quòd juxta Ambr. à Spiritu sancto hoc didicisset; et ideò cum tantâ auctoritate se eis opponit.

Vers. 61. — Et dixerunt, quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Ex quo liquet, illius ætatis fuisse consuetudinem, ut liberis nomina parentum aut cognatorum imponerentur. Primis tamen seculis videntur ferè ex eventis imposita, ut patet de nominibus filiorum Adam, de Isaac, Jacob ejusque filiis, et aliis multis passim.

Vers. 62. — Innuebant autem patri ejus, nutibus ac signis interrogando, ut etiam surdum fuisse liqueat, quem vellet vocari eum, ut paternâ auctoritate controversiam istam dirimeret.

Vers. 63. — Et postulans, similiter nutibus, pugillarem, id est, tabellam, in quâ scribitur stylo, quales et apud nos in usu, memoriæ causâ. Ex cerâ fuisse Tertull. notat lib. de Idololatriâ, c. 23, dùm ait : Zacharias loquitur in stylo, auditur in cerâ, manus omni sono clarior. Modus ille scribendi tunc usitatissimus erat; unde Hieron. etiam epistolas longas in cerâ dictâsse indicat Epist. 142, in fine. Scripsit. dicens, id est, in hanc sententiam : Joannes est nomen ejus, quasi diceret : Vos petitis, quo nomine velim vocari filium : id non est meæ voluntatis, nam Joannes jam est nomen ejus, ipsi jam dudum ab alio divinitùs impositum, ut Ambr. Et mirati sunt universi, conspirationem utriusque in peregrinum no-

Vers. 64. — Apertum est, id est, interprete Euthymio, *in vocem solutum est,* restitutus est ei usus vocis quo per novem menses obturatus fuerat. Videtur enim os mutis occlusum quemadmodùm et oculi cæcis auresque surdis clausæ ; quare et hæ aperiri dicuntur, Matth. 9, v. 30, Marc. 7, v. 35. *Manifestum est autem*, inquit Euthymius, *quod et auditus pariter solutus est; sicut enim pariter ablatus fuerat, ita quoque pariter solutus est.* Metaphoricus sermo est : os videbatur clausum, quòd officio non magis fungeretur, quàm si de industriâ clausum fuisset : apertum igitur dicit, quia naturali usui restitutum et ad audiendum aptum redditum est.

Illico. Mox ut filii sui nomen scripto declaraverat. *Meritò,* habet Ambrosius, *continuò resoluta est lingua ejus quia quam vinxerat incredulitas fides solvit.* Cui os obstruxerat incredulitas, fides cum obedientiâ conjuncta aperuit : litteris enim mandans, et imponens filio suo nomen Joannes, quod angelus jusserat, quasi manu suâ subscripsit et confirmavit, quod ab angelo prædictum credere noluerat. Interim novi nominis impositio, et nova præcursoris nativitas, novo sunt miraculo confirmatæ ac celebratæ.

Et lingua ejus, scilicet aperta est, quod est soluta impedimentis : nam *patach* Hebræis, à quâ radice descendit *ethpatah,* quo hìc utitur Syrus, non tantùm significat aperire, sed et solvere ligatum. Regia Biblia ex Complutensibus addunt *perarticulata est,* perpolita est, potuit articulatè et distinctè loqui : verùm illud alibi non additur.

Et loquebatur, ita ut loqueretur, rectè scilicet et clarè, quemadmodùm antea. Hoc futurum prædixerat angelus supra, v. 20; nimirùm, recepturum loquelam, postquàm impleta vidisset, quæ nolebat credere.

Benedicens, laudans. Syrus, *et benedixit*, id est, laudavit, gratias egit.

Deum, seu Deo. Mox ut loquendi facultas ei reddita fuit, erupit in laudem reddentis Dei, ut par fuit; et verborum primitias ei obtulit, cujus munificentiâ tantus gaudiorum cumulus obveniebat. Nec tamen laudavit statim aut gratias egit ob vocem restitutam, aut etiam ob filium acceptum, aut ob alia privata beneficia, sed ob beneficia publica ac longè sublimiora, quorum contemplatione admirationeque intùs ardebat, tenebras illis offundentia. Intelligit enim Evangelista, erupisse in hymnum, quem infra, v. 68 et seq., recenset : nam quæ narrat intermedia, post hymnum decantatum contigerunt; quin etiam hymnus unum fuit eorum quæ divulgata sunt.

Vers. 65. — Et factus est, ortus est itaque, et pervasit animos omnium, cùm ob hoc loquentis Zachariæ, tùm ob cætera miracula.

Timor Dei, timor reverentiæ religionisque. Nam ubi Deus potentiam præsentiamque suam ostendit, necessariò invadit timor animos hominum, reverentium præsentis Dei magnitudinem majestatemque, et humiliter se ei subdentium.

Vicinos, circumhabitantes; non tantùm præsentes, quorum aderat non parvus numerus, sed et absentes, qui ex iis qui præsentes fuerant audierunt.

Et, adeòque non tantùm per vicinos, sed et super omnia montana, in totâ montanâ, scilicet regione, in quâ sita erat civitas Zachariæ. Syrus, *in universo monte;* vide supra, v. 39.

Divulgabantur, præteritum imperfectum pro perfecto, divulgata sunt, et rumore sparsa, omniumque sermonibus celebrata.

Omnia verba hæc, omnes res istæ quæ circa puerulum hunc contigerant, quidquid hìc aut factum aut dictum fuerat; de filio per angelum promisso, de patre ob incredulitatem muto, de puerperio anûs sterilis, de nomine divinitùs imposito, denique de patre ex elingui rursùs facundo, et ex afflatu Spiritûs repentè prophetâ.

Vers. 66. — Posuerunt, reposuerunt, in corde suo, animo velut infixerunt, et diligenter attentèque considerârunt; non oscitanter audierunt, sed considerârunt attento memorique animo, quid sibi vellent, quidve futurum portenderent.

Qui audierant, quæ de admirando pueri hujus conceptu ortuque ferebantur.

Dicentes, apud seipsos et inter se invicem.

Quis, vel quid; est enim varia lectio, et Græcum ambiguum; nam τί neutrum, vel per se licet interpretari, *quid* vel referre ad τὸ παιδίον (quod est puerulus) similiter neutrum; sensus idem unus est utriusque.

Putas, est loco conjunctionis expletivæ, quis putas, quisnam.

Erit? evadet? quantus futurus est vir, quantus propheta, tot conceptus, tot natus cum miraculis? q. d. : Non vulgaris aut gregarius erit, sed evadet haud dubiè vir magnus coram Domino, ad res sum-

men, et præcipuè quia intelligebant hoc à Deo impositum esse.

Vers. 64. — Apertum est autem illico os ejus, id est in vocem solutum est; nam mutis os quodammodò clausum videtur. Quod autem dicit, *illicò*, hoc est, mox ut scripserat nomen, significat nominis impositionem fuisse causam solutionis linguæ, ut observat Origen., hom. 9, quia tunc quasi manu suâ subscripsit id quod Angelo nuntianti credere noluerat; ut hinc Ambr. dicat : Linguam, quam infidelitas vinxerat, fides solvit.

Vers. 65. — Et factus est timor, id est, reverentia hominum erga Deum, existimantium tot signis divinitùs editis non posse, nisi aliquid admirandum portendi. Itaque divulgabantur, hominum sermone, omnia verba hæc, id est, res istæ omnes, apparitio scilicet angeli, cæteraque omnia quæ in textu narrata sunt.

Vers. 66. — Et posuerunt in corde suo, non tanquàm vanos rumores præterire sinendo, sed illa, tanquàm magnarum rerum portenta et præludia, attento animo expendendo, dicentes, quis putas, Græcè, *quisnam*, puer iste erit? id est, quantus vir et propheta futurus est, cujus conceptus et ortus tot miraculis nobilitatur? Etenim manus Domini erat cum illo. Verba sunt Lucæ, rationem reddentis sermonum vulgi, quia videlicet ista non poeticâ fictione, non fortunâ aut casu, sed Dei potestate gerebantur.

mas delectus. Nam nec prophetæ tam prodigiosè leguntur nati. Notandum hos minimè aberrâsse à scopo, cùm ad futuram infantis excellentiam retulerunt quæ contigerant miracula ; ex iis velut præludiis colligentes, ad magna natum, magnamque de eo opinionem et spem eventûs alicujus admirandi animo præsumentes. Nam eo consilio ediderat miracula illa Deus, et nativitatem (maximè verò circumcisionem, quando aderat frequentia populi) hujusmodi insignibus voluerat ornare, quæ magnum aliquid et singulare de ipso in futurum tempus promitterent; ut hominum oculos in ipsum converteret, ne obscurus postea et tanquàm unus quilibet ex vulgo, sed eximiâ cum commendatione magnâque auctoritate, ad exequendum prophetæ præcursorisque munus prodiret. Annotavit hoc inter Latinos Patres V. Beda, cùm in hunc locum scribit : *Ut his atque hujusmodi, futurus Christi propheta, commendetur auspiciis; iterque (ut ita dixerim) præcursori veritatis, præcurrentia signa præbeant.* Inter Græcos Theophylactus et Titus ; illius verba sunt : *Facta sunt hæc omnia singulari quâdam dispensatione, ut qui de Christo prophetaturus esset, fide dignus haberetur.* Et probabile omninò est, multos fuisse horum in tempore memores, ita ut Joannem prædicandi officium aggredientem, exceperint tanquàm Dei legatum.

Etenim, *et*, nihil aliud quàm *et* legitur Græcè et Syriacè; rectè tamen interpres dedit *etenim* conjunctionem causalem ; reddit enim causam evangelista , cur ominati sint omnes magni aliquid de puero isto.

Manus, providentia, cura, præsens favor et gratia.

Erat cum illo, ducebat, regebat, dirigebat illum et quæ circa illum. Psal. 138, v. 5 : *Tu formâsti me, et posuisti super me manum tuam,* id est, gubernâsti me ; manu ducuntur enim pueruli præsertim ab iis à quibus reguntur. *Erat* autem *cum illo* seu regebat illum et quæ illius, manifestè scilicet et evidenter, ita ut dubitari à nemine posset, qui modò vidisset aut intellexisset admiranda illa quæ circa puerulum contigerant. Multis modis conspicua fuit Dei cura et gratia, quæ palam ostenderet puerum ad magna destinatum.

Vers. 67. — Et, pro *tunc*, simul ac os ipsi esset apertum, et lingua soluta, repletus est Spiritu sancto, corripuit eum Spiritus sanctus. Non fuerat hactenùs vacuus Spiritu sancto, vir justus coram Deo, supra, v. 6 ; qui si quid peccati admiserat, credendo tardiùs promissis Dei, jamdiù illud pœnitentiâ diluerat, supra v. 20 ; et Christi deinde ejusque matris præsentiâ faciente, in agnitione mysteriorum ac Spiritûs sancti gratiâ, progressus non parvos fecerat ; sed nunc repletus Spiritu sancto dicitur, quia Spiritus sanctus in eo se esse declaravit, novo eum dono et gradu gratiæ ita augens, ut verbis prophetam ageret, quemadmodùm supra, v. 41, mater; nam sequitur :

Et prophetavit, quasi dicatur : Repletus est Spiritu sancto ad prophetandum ; datus est illi spiritus prophetiæ, quo imbutus prophetavit. Inflammatus enim vehementi spiritûs ardore, et præclaro prophetiæ lumine illustratus, palàm erupit in pronuntiationem ejus qui sequitur hymni mysteriis refertissimi : « Vide quàm bonus Deus, ait Ambrosius, et « facilis indulgere peccatis : non solùm ablata restituit, sed et insperata concedit. Loquela enim, addit « Beda, quæ sola ablata fuerat diffidenti, cum spiritu « prophetiæ est restituta credenti. » Lingua ei non tantùm soluta est, sed et organum facta Spiritûs sancti ad prophetandum. Jungit evangelista spiritum et prophetiam, ut significet quòd non humanitùs loquatur tanquàm privatus quispiam , sed ex afflatu Spiritûs cœlestem proferat doctrinam. Prophetat autem partim de Christo, partim de filio suo : de filio suo futura præsnuntiat, nimirùm quid ministerii præstiturus sit advenienti Christo ; de Christo, partim revelat præsentia, sed etiamnùm occulta mysteria, nimirùm quòd incarnatus sit, partim futura prædicit, beneficia, inquam, quæ per eum contingent populo ; simul explicans, promissa Patribus facta, et veterum prophetarum oracula, intelligenda esse de animi inprimis salute, consistente in remissione peccatorum atque integritate vitæ.

Dicens. Prophetavit in hæc verba, quæ prima eruperunt ex aperto ipsius ore : simul enim accepit facultatem loquendi et donum prophetandi, quæ ambo mox exerens, in divinas prorupit laudes, benedicens Deo, et eum qui sequitur hymnum promens ; qui quidem epitome quædam est omnium in Christo promissionum.

Vers. 68. — Benedictus, laude dignus, laudandus scilicet est; vel benedictus , scilicet sit, benedicatur, prædicetur et laudetur ab omnibus ; nos utramque expositionem jungamus, laudetur, prout dignus est, ab omnibus. Benedicit homo Deo , laudando ; Deus autem homini , benefaciendo. Est igitur exordium à laude et gratiarum actione , quòd summum beneficium prædicet redemptionis per Christum.

Vers. 67. — Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto ; non ad eum justificandum, nam erat et ante justus ; sed ad prophetandum , ut explicando subjungit : Et prophetavit dicens. Simul enim vim loquendi et spiritum prophetandi accepit, ita ut prophetica verba primò ex ejus ore proruperint.

Vers. 68 — Benedictus Dominus Deus Israel , id est, benedicatur et laudetur Deus populi Israelitici ; quæ est periphrasis veri Dei, et opponitur diis gentium dæmoniis. Quia visitavit , supple, *plebem suam Judaicam*; nam de gentibus dicit per prophetam : *Non plebs mea vos.* Sumitur autem *visitatio* in scripturis et in malam partem , pro pœnis affligere, ut Levit. 26, v. 16 : *Visitabo vos in egestate*, etc., et sæpissimè in bonam , pro beneficiis afficere, aut liberare, maximè quando Deus prophetam aut angelum aliquem mittit. Hic autem, *visitavit*, idem est, quòd in propriâ personâ carnem indutus invisit populum suum ; idque non ad puniendum , quia fecit redemptionem plebis suæ, id est, redemit eam à captivitate Satanæ, et servitute peccati. Redemptio enim captivitatem respicit, et soluto pretio peragitur, quod

Dominus, usurpatur id loco proprii illius et ineffabilis nominis, quod sæpè diximus.

Deus Israel. Sic legis et Psal. 40, v. 14 : *Benedictus Dominus Deus Israel.* Est autem *Israel* secundi casûs, Israelis, quod intellige, vel Patriarchæ Jacob, vel potiùs populi trahentis ex Jacob originem. Et est quidem Deus omnium, Rom. 3, v. 29 ; sed quia à solo illo populo, docto à suis patribus Abraham, Isaac et Jacob (qui et Israel) agnoscebatur et colebatur, idcircò passim à Prophetis vocatur Deus Israel ; quæ est periphrasis veri Dei, quâ distinguitur à diis gentium, qui sunt dii falsi, ac proinde nec dii ; vide supra v. 16. Porrò eò magis hìc usus est Zacharias hoc epitheto, quòd mens ejus esset loqui de redemptione Israelitici populi, juxta promissa Dei Abrahamo et Israeli patribus facta.

Quia, jam tandem, visitavit, invisit, supple ex consequentibus verbis, plebem seu populum suum. Ad quem modum Syrus transfert : *Quia visitavit populum suum, et fecit ei redemptionem.* Visitare aliquem, est, absentem, cujus curam geras aut rationem habeas, invisere, ut scias quo res ejus sint statu. Id propriè Deo non congruit qui semper hominibus adest, semperque eos videt, ac novit illorum res ; sed metaphoricè visitare homines dicitur, quando exteriori aliquo opere præsentem se illis esse, et res eorum videre, eorumque rationem habere declarat ; ut quando vel per justitiam eos punit, Levit. 26, v. 16 : *Visitabo vos velociter in egestate et ardore ;* vel per misericordiam beneficiis afficit, Gen. 21, v. 1 : *Visitavit Dominus Saram, concepitque*, etc., præsertim verò si etiam mittat ad eos aliquem è servis suis. Sic sæpè antehàc Deus visitaverat populum Israel per Prophetas, *de nocte consurgens, et quotidiè commonens,* 2 Paral. 36, v. 15, signanter per Mosem, qui jussu Domini locutus est ad seniores Israel, prout legitur Exod. 3, v. 16 : *Visitans visitavi vos, et vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto, et dixi ut educam vos de afflictione Ægypti*, etc. Intelligit autem Zacharias, quòd jam visitaverit Deus populum suum, non per prophetam, aut angelum, aut alium legatum, sed per seipsum, juxta id quod promiserat, Ezech. 34, v. 11 : *Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas.* Per seipsum autem, quia per Filium, unum Deum secum, quem de cœlo in mundum misit, et carnem induit ex Mariâ Virgine, illâ quæ jam trimestri domi ipsius egerat. Conceptum enim ab eâ Messiam Dei Filium, cujus præcursor in spiritu et virtute Eliæ foret filius ipsius, quod angelus supra, v. 17, prædixerat, cognovit, non quidem ex relatu uxoris suæ, multòque minùs B. Mariæ, sed ex revelatione Spiritûs sancti, quam Maria cohabitans, inter cæteras benedictiones ipsi impetraverat, (*Paulatim enim et hic,* inquit Origenes, *per tres menses, Spiritûs sancti augmenta capiebat, et cùm nesciret erudiebatur*) quo Spiritu sancto impellente, jam etiam verbis id declaravit, quanquàm obscuris, quia tempus nondùm permitteret apertiora. Visitandi igitur vocabulo, significatur ipsa Flii Dei in carne præsentia ; quæ visitatio in utero Virginis inchoata, tamdiù duravit, quamdiù Verbum caro factum habitavit in nobis. Hinc legis infra cap. 7, v. 16, dixisse populum : *Deus visitavit plebem suam ;* et infra 19, v. 44, ipsum Dominum, causam oneris Jerosolymorum pronuntiâsse, *eò quòd non cognovisset tempus visitationis suæ.* Hæc Dei visitatio, quâ populum invisit per Filium suum, omni aliâ Dei visitatione est excellentior, ac proinde laudandus ac benedicendus Deus, ob hanc magis quàm ob quamvis aliam, quod facit hìc Zacharias. Sed ne putes hujusmodi fuisse hanc visitationem, quales nonnullæ aliæ, ad puniendum, inquam, adjungit : *Et fecit redemptionem. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum ;* Joan. 3, v. 17.

Fecit redemptionem, id est, redemit ; *redemit* autem, id est, liberavit, à captivitate scilicet ; redemptio enim ponit captivitatem ; captivitate autem peccati ac Satanæ, et consequentibus animi corporisque miseriis ac malis ; ab omnibus enim liberat et redimit Deus per Christum, sed priùs à servitute peccati et Satanæ, tandem etiam à morte et corporis miseriis ; vide infra 21, v. 28. Porrò cùm redemptio seu liberatio fiat pluribus modis, viribus ac potentiâ ; quomodò Deus eumdem hunc populum olim liberaverat ex Ægypto, *in manu potenti et brachio excelso*, Psalm. 135, v. 12 ; cum bonâ hostium gratiâ ; quomodò idem redemptus fuerat è captivitate Babylonicâ, Cyro et Dario spontè dimittentibus, 1 Esdræ 1 et 6 ; redemptio de quâ hìc est sermo, cùm λύτρωσις Græcè appelletur, significatur hujusmodi esse, quæ fiat persoluto justo pretio, quod λύτρον Græcè dicitur. Christus enim redemit Israel ex omnibus iniquitatibus ejus, et diaboli potestate, non vi ac potentiâ, multòque minùs favente diabolo, sed soluto justissimo pretio, sanguine suo ; satisfactione, qualem hominum peccata promeruerant, moriendo datâ, non diabolo, sed Deo Patri, tanquàm Domino offenso, qui justitiâ exigente hominem diabolo inimico permiserat puniendum ac pro meritis tractandum. Quare de seipso Christus profitetur, quòd *venerit dare animam suam redemptionem* (redemptionis pretium) *pro multis,*

juxta Scripturas fuit sanguis Christi. Utitur autem verbo præteriti temporis, partim quia jam per incarnationem fieri cœperat, partim propheticè, quia jamjam futurum erat.

Vers. 69. — Et erexit cornu salutis nobis, id est, cornu salutare seu salutiferum ; ut scilicet non solùm nos tueatur ab hostibus, sed etiam salutem afferat. Per *cornu* autem significari metaphoricè solet potentia et robur, eò quòd animalia cornuta totum in cornibus offendendi ac tuendi robur habeant. Unde consequenter significat sæpiùs regnum seu gloriam ejus ; ita ut hìc significetur, quòd regnum Davidis jam collapsum per Messiam in antiquum splendorem et robur restituerit, ad afferendam salutem nobis ; ideò enim addit : In domo David, id est, in familiâ David, cui regnum illud promissum erat, ut dictum est v. 32 et 33. Pueri sui, id est, servi, quia Deo placuit, et regnum sibi à Deo creditum fideliter administravit. Simili ferè phrasi dicitur, 1 Reg. 2, v. 10 : *Dominus dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi*

Matth. 20, v. 28; et sancti gratitudinis causâ ipsi occinunt, Apoc. 5, v. 9 : *Redemisti* (emisti) *nos Deo in sanguine tuo;* denique Apostolus monet, 1 Corinth. 6, v. 20 : *Empti estis pretio magno*, etc. Atqui si pretium redemptionis Israel fuerit mors Christi, quomodò dicit hic Zacharias, quòd Deus populum suum redemerit per Christum, qui conceptus duntaxat adhuc erat, nondùm natus, minùs mortuus? Euthymius respondet, *quòd dicat ea quæ futura sunt, tanquàm ea quæ facta sunt, more prophetiæ;* verè. Beda aliquid ampliùs addit : *Quod B. Zacharias proximè faciendum cognoverat, prophetico more quasi jam factum narrat;* rectè. Sed plena videtur futura responsio, si dicatur, quòd narret tanquàm factum id quod jam noverat inchoatum. Jam enim in mundum redemptor venerat, jam carnem induerat, quâ opus redemptionis auspicabatur : nam etiam incarnatio Filii Dei, nativitas, et cætera omnia ejus, præcedentia mortem, fecerunt ad nostrî redemptionem, sed quæ morte demùm perfecta sit.

Plebis suæ. Alii libri, et quidem veteres, legunt dativo casu *plebi suæ*, consentaneè Græco et Syriaco, quanquàm sensu non admodùm diverso : Visitavit et redemit plebem suam. Intelligit autem populum Israel, qui solus hactenùs erat plebs et populus Dei, cui soli promissa fuerat redemptio, ex quo solo natus Christus redemptor, cui soli denique Christus præsentiam suam exhibuit et redemptionem salutemque obtulit, secundùm id quod ipse postea visitans lustransque hunc populum suum instar ovium dissipatum, testatus est, Matth. 15, v. 24 : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel.*

Vers. 69. — Erexit, excitavit.

Cornu, regnum; quia cornua animalibus in capite, supra reliqua corporis membra, excelso loco constituta, robur præcipuum obtinent, solent eis regna significari, quemadmodùm Zachar. 1, v. 18 et seq. Est enim regnum, dominatus omnium præstantissimus, gloriosissimus, ac validissimus, quo cives ab hostibus potentissimè defensi, securè agant : ut adversùs Christi regnum, nec peccatum, nec mors, nec portæ inferorum quidquam valent.

Salutis, id est, salutare seu salutiferum, phrasi Hebraicâ, quòd non solùm tueatur nos ab hostibus, verùm etiam salutem felicitatemque nobis afferat æternam, hoc est, regnum cœlorum. Porrò quod suis salutare est regnum, illud adversariis est exitiosum, ut eos prosternat et instar cornu ventilet ac dissipet.

Nobis, plebi seu populo suo, utcumque visi fuerimus dejecti et ab omni spe alieni; seipsum enim annumerat populo.

In domo, familiâ seu posteritate David, cui beneficium hoc promiserat.

Pueri, servi seu ministri sui. Servum Dei vocat, non tam quia Deo placuit, vir juxta cor Dei, 1 Reg. 13, v. 14; quàm quia regnum et regimen populi, sibi à Deo creditum, ita sanctè ac fideliter administravit, Psal. 77, v. 71, 72, ut promiserit Deus illud in ipsius posteritate fore æternum, Psal. 88, v. 36 et seq. Benedicit ergo Zacharias Domino, quòd misso in mundum Christo, non solùm visitaverit populum suum et redemerit è captivitate Satanæ servituteque peccati, verùm etiam adscripserit regno, cujus potentiâ defendi queat, ne in hostium suorum (Satanæ, mundi, carnis) servitutem recidat, et cujus felicitate, queat repleri omnis generis bonis, atque ad salutem adduci æternam. Hoc est quod Apostolus ait Coloss. 1, v. 13 : *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ*, id est, filii dilecti sui. Illud regnum cùm jam olim Davidi Dominus promisisset futurum in familiâ ipsius, jam constituit, excitavit, et in sublime sublatum gloriosè erexit (nam cornu in altum erectum, animositatis, gloriæ, prosperitatisque est signum, Psal. 74, v. 5, 6); Christo Rege incarnato ex virgine de domo David, et parato, omnes à se redemptos, et è peccati tanquàm Ægyptiacâ servitute eductos, ad hoc regnum admittere. Quod quidem tunc maximè factum est, cùm prædicaretur : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum,* Matth. 3, v. 2, et 4, v. 17, et 10, v. 7, etc.; *et* cùm *omnis in illud vim faceret*, infrà 16, v. 16; id quod etiamnùm fit. Loquitur enim Zacharias etiam hìc prophetico more, de re inchoatâ tanquàm perfectâ : quam futuram supra, v. 32, promiserat angelus Virgini, cùm diceret : *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.* Lege quæ illìc scripsimus. Quin et sub nomine cornu fuit hoc regnum prædictum, 1 Reg. 2, v. 10 : *Dominus dabit imperium Regi suo, et sublimabit cornu Christi sui;* nec non Psal. 131, v. 17 : *Illuc producam cornu David;* pro quo D. Hieronymus vertit ex Hebræo : *Ibi oriri faciam cornu David;* seu Davidi : ad quem manifestè locum videri possit Zacharias allusisse.

Vers. 70. — Sicut, prout, locutus, pollicitus est, disertè promisit, scilicet Dominus Deus Israel.

Per os, seu ora, nisi fortè singulari numero significetur, quòd uno omnes ore locuti fuerint.

Sanctorum qui. Hyperbaton, sic ordinandum, quomodò ordinavit Syrus : *Prophetarum ejus sanctorum, qui à seculo sunt.* Sanctos vocat, ad distinctionem à pseudoprophetis, quia afflati seu inspirati fuère Spiritu sancto, 2 Pet. 1, v. 21, eoque acti tam in moribus quàm in sermonibus, quò faciliùs credatur, quòd per os ipsorum Dominus locutus sit.

Qui a seculo sunt, qui à seculo. Interpres supplevit *sunt.* Act. 3, v. 21, nihil supplet; clariùs supplevisset *fuerunt;* qui jam olim fuerunt seu floruerunt,

sui; et Ps. 131, v. 17 : *Illic producam* (Hieronym., *orire faciam*) *cornu David,* ad quem locum Zacharias alludere videtur.

Vers. 70. — Sicut locutus est per os sanctorum, etc., id est, ita fecit, quemadmodum promiserat per os prophetarum sanctorum omnium, qui ab initio seculi floruerunt : omnes enim proximè vel remotè Christi incarnationem, passionem, et regnum, et con-

quod est, antiquorum. Sic legis, Genes. 6, v. 4 : *Isti sunt potentes à seculo,* quod est, antiqui : et Psal. 24, v. 6 : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt,* id est, antiquarum.

PROPHETARUM EJUS, pro suorum, et quidem plerorumque omnium. Videtur autem loqui Zacharias, de iis potissimùm Prophetis, qui vaticinia sua scripto reliquerunt, qui posteriores sunt patribus, de quibus agit infra v. 72 et 73. Jam cùm pendeat hic versiculus, quæritur an ad præcedentia, an verò ad sequentia sit referendus? Ego existimo sic ad sequentia referri, ut ad præcedentium pertineat confirmationem. Nam sequentibus omnibus versibus usque ad 76 : *Et tu puer,* etc., nihil aliud fit, quàm quòd explicetur clariùs, quod præcedentibus duobus est dictum ; hoc solùm addito, quod antiquis prophetarum oraculis et pactis à Deo cum primis Patribus initis, consentaneum esse doceatur.

VERS. 71. — SALUTEM, salvationem, liberationem ; regitur à verbo, *locutus est,* posito pro *promisit.* Syrus volens sensum explicare, mutavit nomen in verbum *denephrekan* quòd liberabit nos, quòd esset liberaturus nos, vel, se liberaturum nos : quod et multi ex recentioribus interpretibus Latinis faciunt. Visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, sicut locutus fuerat seu promiserat nobis salutem ex inimicis, sive quòd liberaret nos ab inimicis.

EX INIMICIS NOSTRIS, qui dominarentur nobis, populo, inquam, Israel.

ET DE MANU, et ex manu, potestate, captivitate, tyrannide.

OMNIUM ; non enim sufficit ex unius aut alterius manu liberari.

QUI ODERUNT NOS. Repetitio est Hebræis familiaris, qualis sæpè occurrit in Psalmis, et quidem uno Psalmo 17 bis, v. 18 et 41. Nam si de creaturis agatur ratione præditis, iidem sunt inimici et qui oderunt ; quòd si agatur et de ratione carentibus, significatur omne genus inimici. Porrò sæpè id legitur in libris Prophetarum, promissam Israeli à Deo ex inimicis liberationem, Isaiæ 19, v. 20 : « Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, et mittet eis salvatorem, et « propugnatorem, qui liberet eos. » Jerem. 30, v. 10 : « Ecce ego salvabo te de terrâ longinquâ, et semen « tuum de terrâ captivitatis eorum. » Ezech. 13, v. 21 : « Et liberabo populum meum de manu vestrâ, neque « erunt ultra in manibus vestris ad prædandum, » etc. Et videri quidem possint Prophetæ loqui de inimicis corporalis ac visibilibus : sed cùm Zacharias eos interpretetur de iis inimicis qui per Christum devicti sunt, constat, et illos, et Zachariam, loqui de invisibilibus inimicis, qui nocent saluti animarum, et pertrahere conantur in mortem æternam. Quare Origenes annotat in hæc verba : *Non putemus nunc de corporalibus inimicis dici, sed de spiritualibus.* Similiter Titus : *Non de aspectabilibus hostibus, sed de iis qui sub aspectum non cadunt.* Sunt autem hi, peccatum, Satan, mundus, caro ; et quanquàm caro et mundus sub aspectum cadant, plerùmque tamen non eâ ratione, quâ nocere conantur. Inter hos Satan propriissimè Israelem odit et perdere conatur, atque impedire ne ascendat, unde ipse dejectus est : sed peccatum, ad quod, ut finem, Satan cæterique inimici respicientes, sollicitant, præcipuè ac per se nocet inimicumque est. Non solùm enim conatur perdere, sed etiam servos, et quidem perditos, tenet, facitque captivos Satanæ, et mundi carnisque mancipia ; à quo qui liberatur, consequenter et à reliquis liberatur, Satanâ, mundo, ac carne, ne sit captivus aut servus illorum. Per salutem ergo seu liberationem ex inimicis, Israeli à Deo per Prophetas omnes promissam, Zacharias præcipuè intelligit, remissionem peccatorum quam Christus præstet. Cui suffragatur Apostolus Petrus, Act. 10, v. 43, ubi ait : « Huic omnes « prophetæ testimonium perhibent, remissionem pec« catorum accipere per nomen ejus omnes qui cre« dunt in eum. » Atque hæc remissio peccatorum, est ea quam supra, v. 68, memorat, redemptio, Deo Israelem per Christum visitante facta, soluto pretio sanguinis Christi, et satisfactione pro peccatis datâ. Huic enim remissioni peccatorum, conjunctam esse liberationem et à cæteris inimicis, manifestè sacræ Litteræ docent ; quod ad Satanam, Coloss. 2, v. 13 et 15 : *Donans vobis omnia delicta,* etc., *et exspolians principatus ac potestates ;* quod ad mundum, Gal. 1, v. 4 : *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti seculo nequam.* Denique de reconciliatis Deo scriptum est : *In carne ambulantes, non secundùm carnem militamus,* 2 Cor. 10, v. 3. Ab horum ergo hostium omnium dominio seu potiùs tyrannide, sicut promiserat Dominus per omnes veteres prophetas, se liberaturum Israelem, subaudi, ita jam fecit seu facit, per Christum nos visitans ; respicit enim ad hoc potissimùm quod dixerat, *Fecit redemptionem plebis suæ.* Nota quàm misera sit hominum extra Christum conditio, nempe servi peccati sunt, et prostrati subjacent hostium tyrannidi.

VERS. 72. — AD FACIENDAM, ποιῆσαι, facere. Liceret et hoc referre ad, *sicut locutus est,* seu promisit, quo

sequenter salutem populi Dei vaticinati sunt. Nam quid Deus locutus sit per os prophetarum explicat per sequentia, videlicet.

VERS. 71. — SALUTEM EX INIMICIS NOSTRIS. Refertur enim hoc ad verbum *locutus est.* Intelligit autem salutem seu salvationem ab illis inimicis, quos Christus vicit; hos autem certum est fuisse non visibiles Romanos, aut Græcos, cujusmodi redemptionem et salutem carnales Judæi exspectabant; sed spirituales dæmones, qui humano generi dominabantur. Itaque Zacharias interpretatur hìc omnes illas prophetias, quæ dimittendo Israel liberatore ab hostibus loquuntur. ET DE MANU OMNIUM, QUI ODERUNT NOS. Repetitio est Hebræis familiarissima, in Proverbis, et Psalmis, et Canticis. Unde hæc eadem repetitio habetur bis in eodem Psalmo 17, v. scilicet 18 et 41.

VERS. 72. — AD FACIENDAM MISERICORDIAM CUM PATRIBUS NOSTRIS ; ut sic Filium suum mittendo misericordiam seu gratiam erga patres antiquos reipsà exhiberet, id scilicet præstando, quod eis tam pro se,

modo multi vertunt, et sensus est clarus : visitabat enim Deus et redimebat Israelem, et erigebat ei cornu salutis, sicut promiserat se facturum misericordiam, seu usurum misericordiâ cum patribus. Sed vetus Interpres, subaudito, ἕνεκα οὗ (ad hoc ut faceret), intellexit finem, intuitum, vel respectum hìc significari, ob quem promiserit per Prophetas Deus Israeli salutem ex inimicis; vel etiam (ut altiùs et pleniùs accipias) ob quem visitaverit, et fecerit redemptionem, et erexerit Israeli cornu; nimirùm, ideò quoque ut faceret misericordiam cum, etc. q. d.: Una causa fuit, ut impleret oracula prophetarum (nam sub salute ex inimicis quodam modo intelligit et regnum, quod postea clariùs explicat); altera, ut faceret, præstaret *misericordiam*, etc.

Misericordiam, beneficentiam, gratiam cum patribus nostris, primis illis, Abraham, Isaac et Jacob, quos summo semper amore est prosecutus : ut sicut illis viventibus benefecerat, ita et mortuis benefaceret in filiis. Non credo hìc agi de propriâ patrum salute, sed quòd patrum intuitu, erga posteros, beneficentiam suam Deus, misso Filio ad salvandum, voluerit exercere. Ad hoc ergo, inquit, ut continuaret beneficentiam seu misericordiam suam erga patres nostros. Sic Strabus interpretatur auctor Glossæ ordinariæ, cùm ait, *ut misericordiam, quam patribus promisit, impleat in nobis;* similiter Lyranus. *Filios enim suos*, inquit Theophylactus, *cùm vident patres talibus frui bonis, gaudent et participes sunt lætitiæ, perinde ac si in se collata essent.* Omninòque quod fit filiis, censetur patribus fieri, et præsertim quando fit patrum respectu. Quanquàm autem vox Hebræa, quamvis beneficentiam significet, quod supra v. 50, annotavimus, Græcè tamen et Latinè *misericordia*, Syriacè *gratia*, hìc rectè vertitur, quia non est alia major seu misericordia seu gratia, quæ miseris præter omne meritum gratis fiat et detur, quàm missio seu incarnatio Filii Dei, remissio peccatorum, adoptio, novæ vitæ aggressio, et perseverantia, de quibus omnibus hìc agitur. Hæc patres non promeruerunt, multò minùs filii, quanquàm patrum respectu filiis obtigerint.

Et memorari. Hìc ubi interpres servavit infinitivum; est enim varius in versione; liceat eum referre ad, *sicut locutus est*, seu promisit; sed quia mox vertit per gerundium, *ad faciendum*, consequenter et hìc intelligendum est ad memorandum, ut memoraretur seu meminisset, (abutitur enim interpres passivâ voce *memorari*, pro activâ *meminisse*, et quod ad significationem, et quod ad constructionem), quod est, ad hoc ut reipsà memorem se declararet. Videri enim poterat oblivio quædam, longa illa mora, sub quâ passus fuerat languere populum, gravissimis afflictum tam animi quàm corporis malis.

Testamenti, fœderis, pacti : sic enim sæpè accipitur vox testamenti; vide infra, cap. 22. *Testamenti* autem, supple, cum eisdem patribus initi : nam sic misericordem se præstitit, ut etiam fidelem; erat enim misericordia pacto promissa; origine misericordia, pacto debita; sed debita, non singulis, at generi, ex pacto spontaneo, gratuito, ac misericordi. Testamentum enim hoc seu pactum, illa intelligitur promissio Dei facta Abrahæ, Gen. 12, v. 3; Isaac, Gen. 26, v. 4; Jacob, Gen. 28, v. 14 : *Benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ.* Quam patres minimè promeruerunt ex æquo, licèt adductus Deus fide cæterisque eorum virtutibus, illis potiùs quàm aliis eam addixerit. *Testamentum seu fœdus de quo hìc sermo,* ait Titus, *illud est quod pepigit cum Abrahamo, dicens: Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Suffragatur apostolus Petrus Act. 3, v. 25, ubi Israelitas sui temporis alloquens ait : *Vos estis, filii prophetarum, et Testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ;* quo loco Petrus, et alio Paulus (Gal. 3, v. 8, 14, 16), semen interpretantur Christum. Dicit ergo Zacharias, quòd Deus promiserit Israeli per prophetas salutem ex inimicis; vel potiùs, quòd visitaverit et fecerit redemptionem et erexerit cornu populo suo, etiam ideò, seu ad hoc (ut sit hæc quasi tertia causa, à vaticiniis prophetarum, et Dei erga patres misericordiâ) ut reipsà memorem se declararet fœderis sanciti cum patribus, quod habebat, in Christo ex ipsis nascituro, benedicendas omnes familias, tribus, seu ut legitur, Gen. 22, v. 18, gentes terræ; inter quas Israelitæ primum ex Dei mente obtinebant locum, quos proinde Petrus mox dixit filios prophetarum, et testamenti seu pacti ordinati cum patribus, eò quòd de ipsis præcipuè prophetæ vaticinati essent, et primam ipsi partem in fœdere illo, hæreditario quodam jure, haberent.

Sancti. Ita vocat, quòd testamentum illud, participes suî, redderet sanctos. Erat aliud testamentum, quod inierat Deus cum Israele egresso ex Ægypto, ut si legem servaret, quod fuerat pollicitus, terram Chanaan obtineret, bona terræ comederet, etc., quod exigebat quidem sanctitatem, sed non conferebat; istud sanctitatem non præcipit tantùm, verùm etiam largitur, ideòque vocatur ab Jeremiâ novum, quod novum reddat hominem, Jer. 31, v. 31 et seqq. : « Et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, etc. Dabo legem meam in visceribus eorum, et « in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum, « et ipsi erunt mihi in populum, etc., quia propitia« bor iniquitati eorum, et peccati eorum non memo« rabor ampliùs. »

Vers. 73. — Jusjurandum; accusativus casus est ex ὅρκον : quæstio est unde regatur? Euthymius refert ad

quàm pro posteris promiserat. Nam et ipsi patres fide et gratiâ Christi justificati sunt, et ejus adventu è limbo liberati. Et memorari testamenti sui sancti Græca constructio est, pro, *ad memorandum*, id est, ut ita se memorem declararet reipsà post longam illam quasi oblivionis moram, fœderis sive pacti cum

patribus initi, videlicet de Christo ex semine Abraham nascituro. Respicit enim ad illud fœdus, quod pepigit cum Abraham, Genes. 22, v. 16 et 18, ut clariùs patet Act. 3, v. 25, ex verbis S. Petri; et ipse Zacharias hoc explicat sequentibus verbis.

μνησθῆναι, *memorari* : nam *indifferenter*, inquit, *verbum* μνησθῆναι, *à genitivo transit ad accusativum;* quemadmodùm et Latinum *meminisse*, pro quo interpres dixit *memorari*. Sit igitur κατ' ἀντίπτωσιν accusativus loco genitivi, *jusjurandum* pro jurisjurandi seu *juramenti*, quo modo legitur apud Origenem; et appositio, testamenti jurisjurandi, pro testamenti quod est jusjurandum, vel nempe jurisjurandi. Huic expositioni favet Syrus, sed ita ut clariùs, interpositâ conjunctione copulativâ, tollat appositionem : *Testamenti sui sancti et jurisjurandi.* Hoc sensu non potest dari alius magis perspicuus; quem etiam sequitur Theophylactus. Testamentum enim seu pactum, quod sæpè cum Abraham inierat Deus, Genes. 12, v. 2, et c. 13, v. 14, et c. 15, v. 5, et c. 17, v. 7; tandem, delectatus ejus obedientiâ in filio immolando, firmavit adhibito juramento.

Quod juravit ad Abraham, quod dedit ipsi Abrahæ, Genes. 22, v. 16 et seq. : *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi et multiplicabo semen tuum*, etc.; *et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedîsti voci meæ.* Etsi Dei promissio per se firma sit, quia Deus verax est, nec fallere potest : voluit tamen humano more juramentum addere, quò geminaret firmitatem, et quàm certissimum redderet Abrahamum ejusque posteros. *Abundantiùs enim volens Deus,* ait Apostolus, Hebr. 6, v. 17, *ostendere pollicitationis hæredibus, immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad propositam spem.* Promissioni porrò Abrahæ factæ, juramentum addidit Deus, non Isaac factæ aut Jacob. Est autem gradatio hìc observanda : primùm enim nuda misericordia nominatur; deinde testamentum, fœdus, seu pactum affertur; denique juramentum : quibus omnibus ut satisfaceret Deus, promiserat per prophetas, se salvaturum Israelem ex inimicis, adeòque visitatum jam redemit et in regnum extulit.

Patrem nostrum, à quo primo fidem et circumcisionem accepimus, et cui primo factas promissiones hactenùs exspectamus.

Daturum se nobis, τοῦ δοῦναι ἡμῖν, ad hoc ut daret nobis; subauditur enim ἕνεκα, quod explicans Euthymius : *Deinde dicit*, inquit, *ad quid fuerit hoc testamentum, et jusjurandum seu confirmatio : Ut daret nobis quò sine timore*, etc. Latinus interpres clariùs accepit τοῦ pro ὅτι, quòd daret nobis; vel, nimirùm daturum se nobis : cui suffragatur Syrus vertens *denettel lan*, quòd dabit nobis. Sensus est : Quod pactum cum patribus initum, et confirmatum jurejurando Abrahæ dato, hoc habet, Deum daturum nobis, ut sine timore, et cætera quæ consequuntur duobus proximis versiculis. Omninò enim ad sequentia referendum est hoc *daturum se nobis;* significaturque ea quæ sequuntur, esse Dei dona et beneficia, veteri illâ promissione jurationeque contenta, quemadmodùm latiùs dicemus infra v. 75. Igitur quia hucusque variè intricata est series orationis, jam inde à versu 70, sic liceat eam enodare juxta versionem Latinam : Benedictus Dominus, quia visitavit nos, et redemit, et erexit nobis cornu seu regnum salutis : fecit autem hæc, prout promiserat per prophetas suos, se liberaturum nos ex inimicis nostris; fecit præterea ad hoc ut se patribus misericordem præstaret, et pacti cum ipsis initi, juramentoque Abrahæ dato stabiliti, memorem se declararet; quo pacto id continebatur, quòd ex inimicis nos esset liberaturus (hoc est, facere redemptionem) et præterea quòd effecturus, ut sine timore ipsi serviremus in sanctitate, etc. Hoc est erigere cornu seu regnum salutis. Juxta Græcam lectionem paulò aliter expedias : Prout promiserat per prophetas suos, se liberaturum nos ex inimicis, se facturum misericordiam cum patribus, denique se memorem fore pacti cum ipsis facti, et juramenti Abrahamo dati, hujus nimirùm, se daturum nobis, ut sine timore, etc. Utriusque lectionis sententia est : Benedictus Deus, qui nos jam visitatos redemit, et adscripsit regno Christi; quemadmodùm promiserat per prophetas, se liberaturum nos ex inimicis, et effecturum ut sub regno Christi sine timore ipsi serviremus in sanctitate, etc.; idque patrum intuitu, et juxta promissa ipsis facta ac juramento firmata.

Vers. 74. — Ut, etc.; amplificat testamentum illud juramento stabilitum, ostendens quòd illo contineatur, non tantùm salus seu liberatio ab inimicis, et remissio peccatorum, verùm etiam vita nova ac sancta.

Sine timore, scilicet inimicorum, peccati, Satanæ, mundi, carnis; à quibus semel liberati, timere non

Vers. 73. — Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum. *Jusjurandum* est quartus casus Græcè, et regitur à *memorari* : Nam sicut Græcum ita et Latinum, *meminisse*, pro quo hìc sumitur *memorari*, regit indifferenter genitivum et accusativum. Sensus est ergo, ut se memorem ostenderet testamenti jurisjurandi, seu testamenti, quod est jusjurandum, ad Abraham factum, ut diximus. Ita Theop. et Euthym., et favet ei textus Syriacus. Simile quid vide sup. v. 55. Daturum se nobis, id est, ad hoc, ut daret nobis, vel nimirùm daturum se nobis ea quæ sequuntur; explicat enim quid contineatur illo jurejurando, videlicet.

Vers. 74. — Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum, etc., id est, ut ex potestate inimicorum nostrorum, Satanæ, peccati, mundi, carnis, per gratiam Christi liberati, deinceps serviamus Deo, sine timore eorum, utpote quorum vires per Christi redemptionem fractæ sunt. Unde Christus ipse Joan. 16, v. 33: *Confidite, ego vici mundum,* et infra, c. 12 : *Nolite timere, pusillus grex.* Et sic ista verba et sequentia de præsenti vitâ intelligerentur in quâ justi serviunt Deo in sanctitate, sine timore saltem servili, et illo immodico et anxio, qui mentis hilaritatem tollit. Sed quia hoc beneficium satis videtur indicatum v. 71, hinc malim istum et sequentem versum ad statum æternæ salutis referri. Neque enim æquum est, ut hoc summum beneficium in isto cantico prætermittatur, quod et ipsa verba magis postulant. Æternitas enim verè omnes dies nostros comprehen-

debeamus, ne iterùm nos sibi subjugent; fiduciâ collocatâ in eo qui nos liberavit, et in regnum suum securissimum transtulit; qui vicit mundum, quod de se ipse dicit, Joan. 16, v. 33; et principem ejus palam triumphavit, Coloss. 2, v. 15. Hinc Israelem alloquitur Deus Isaiæ 43, v. 1 : *Noli timere, quia redemi te;* et Jeremias prophetavit, cap. 23, v. 6 : *In diebus illis* (regni Messiæ) *salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter. Sine timore* autem, anxio atque immodico; cæteròqui enim sollicitè nos conversari, et *cum metu ac tremore salutem nostram operari oportet,* quod monet Apostolus, Philip. 2, v. 12; *quia adversarius noster diabolus circuit, quærens quem devoret,* etc., 1 Pet. 5, v. 8. *Sine timore* rursùs, non tantùm dictorum inimicorum, verùm etiam mortis, ut quæ nocere nequeat, sed ad vitam transmittat meliorem. Quâ de re Paulus Hebr. 2, v. 15, loquens, Christum, ait communicâsse carni ac sanguini, *ut per mortem destrueret eum qui mortis habebat imperium, id est, diabolum; et liberaret eos qui timore mortis, per totam vitam obnoxii erant servituti.* Denique *sine timore* pœnæ, qui servorum est, cum amore autem Dei ac justitiæ, qui est filiorum. *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterùm in timore,* (ait idem Apostolus, Rom. 8, v. 15, iis qui sunt in Christo Jesu :) *sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum.* Ut sine timore ergo, id est liberè atque hilariter, Domino serviamus, facit Christi gratia, promissa fœdere percusso cum patribus Abrahæque jurato. Nam τὸ *sine timore,* non referendum est ad participium *liberati,* quod faciunt plerique Græcorum; sed ad verbum *serviamus,* monente Euthymio : quod verbum quia longiùs abest, Syrus, ut hyperbaton vitet, transponit, quod solet, et hunc versiculum in duo membra dividit, hoc modo : *Quod dabit nobis, ut liberemur de manu inimicorum nostrorum, et ut absque timore serviamus coram eo.* Sed quia hoc jam ante ex professo dictum fuerat : *Ut liberemur de manu inimicorum nostrorum,* sup. v. 71, videtur hìc non repeti, nisi in transitu, ut inferiora superioribus monstrentur cohærere, in hanc sententiam : Ut ex potestate inimicorum nostrorum liberati (quod dictum est) deinceps sine timore serviamus illi, etc., qui est sensus Græcæ Latinæque editionis.

Serviamus, colamus, ferè ad servitutem soli Deo debitam refertur vox Græca.

Illi, uni, cui omnia debemus. Dominus opponitur inimicis; liberamur enim à servitute peccati, ut fiamus servi justitiæ et Dei, Rom. 6, v. 18, 22.[1]

Vers. 75.—In, pro cum, sanctitate, vitam ducentes sanctam et justam; sanctam quà Deum respiciat, justam quà homines. *Sanctitatem vocat cultum divinum,* ait Euthymius, *justitiam verò reliquarum perfectionem virtutum,* suffragantur Chrysostomus in Catenâ citatus et Theophylactus. Titus per utrumque intelligit sanctam religiosamque universorum Dei præceptorum expletionem, quod idem unum est; nam universa Dei præcepta, duabus tabulis, continentur, priore complectente officia pietatis erga Deum, posteriore officia justitiæ charitatisque erga proximos. Syrus unum solum ponit *becinoutho,* in justitiâ; cui assentiuntur illi qui posterius prioris expositionem interpretantur, eò quòd justitia, genus omne virtutum significare consueverit. Hæc omnia eòdem recidunt, quòd Dominum colere oporteat, observatione præceptorum ejus omnisque generis bonis operibus ac virtutibus; quemadmodùm ait Apostolus Petrus, 1 Epist. 1, v. 15 : *Secundùm eum qui vocavit vos Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis.* Videtur autem tacitè Evangelium legi opponi, quòd lex carnalem potiùs et exteriorem cultum, consistentem in sacrificiis, cæremoniis, umbris et justitiis carnis (quomodò loquitur Apostolus Hebr. 9, v. 10), videretur exegisse; Evangelium verò, interiora magis requirat, et veram animi justitiam.

Coram ipso, cogitantes nos semper versari coram ipso, qui opera omnia nostra intueatur et corda scrutetur. Significatur justitia Deo probata, vera, sincera, ac solida, non ficta, simulata aut hypocritica, interpretibus Chrysostomo et Theophylacto; vide supra, v. 6.

Omnibus diebus, *non semel,* ait Theophylactus, *neque duobus diebus, sed omnibus,* nullo admisso temporis intervallo.

Nostris[1], vitæ nostræ. Atqui interpres Syrus non plus legit quàm Latinus. Potest significari, quod legi evangelicæ nulla alia succedat; sed perseverantia præcipue notari videtur; hâc lege nos esse redemptos, ut Dei cultus ac servitus, non alium nobis habeat finem, quàm vitam. *Apertè et breviter,* ait Beda[1], *quomodò sit Domino serviendum designat, videlicet, et in sanctitate ac justitiâ, et coram ipso, et omnibus diebus :* quæ vocatio est vitæ christianæ, similiter descripta ab Apostolo, Tit. 2, v. 12 : *Ut abnegantes impietatem, et secularia desideria, sobriè, et justè et piè, vivamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Hujusmodi vitæ institutionem, intellexit Zacharias supra, v. 69, sub cornu seu regno salutis; profluit enim ex salutifero Christi regno, estque pars maxima felicitatis ejus in hoc seculo; nec enim aliis Christus regnat, quàm quibus hujusmodi vitam ducere largitus

dit, ubi, juxta Isaiam, timore omnium malorum sublato, sedebit populus in pulchritudine pacis, et tabernaculis fiduciæ, ut serviamus illi.

Vers. 75. — In sanctitate, quæ Deum respicit, et cujus cultus est sanctitas colentis, et justitia, id est, omnium virtutum perfectione, quæ generaliter *justitia* in Scripturis vocari solet, coram ipso, Deo scilicet facie ad faciem seipsum demonstrante, omnibus diebus nostris, per totam æternitatem, ubi nulla dies erit à Dei servitio, justitiâque feriata. Postquàm autem celebravit beneficia, per Christi adventum nobis allata, utitur apostrophe ad puerum recens natum, sive quòd usus rationis ut in utero datus ei permanserit, ut Orig. et Ambr. hìc, et ferè Græci, sive poetico et prophetico more, personam fingendo, sicuti Moyses, Deut. 32, v. 1, et David, 2 Reg. 1, v. 21, ut ità adstantes doceret, quantus puer ille futurus esset, dicendo.

fuerit. Hæc gratia est novi Testamenti, et donum, quo non aliud præclarius aut excellentius, hâc in vitâ obtingere homini queat à Deo; hoc cui datur, restat duntaxat ut exspectet æternæ vitæ beatitudinem, et regni in se Christi perfectionem, quod mox dicebat Apostolus. Hoc ipsum porrò donum, nempe, ut de manu inimicorum liberatus Israel, sine timore serviat Domino in sanctitate et justitiâ coram ipso omnibus diebus suis, ait Zacharias fuisse contentum ac promissum fœdere illo cum patribus inito juratoque : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, Gen. 22, v. 18. Benedictionem enim, cùm copiam abundantiamque bonorum quæ Deus largiatur significet, Zacharias Spiritu sancto illustratus, de veris et solidis animi bonis, quibus homo bonus et justus et Deo gratus reddatur, et ad Deum summum bonum adducatur, intelligit; quæ quidem illa sunt jam dicta, liberatio ab inimicis, seu remissio peccatorum, vita solidè sancta, justa, secura, et perseverantia. Hæc autem numerat inter Dei benedictiones, dona, ac beneficia; *Daturum* enim *nobis*, ait; quia nemo hæc habet aut habere vel acquirere potest ex seipso aut ex meritis propriis : Dei enim gratiæ et dona sunt, et quanquàm pacto promissa filiis Abrahæ, non tamen cuiquam debita singulari, huic aut illi, sed generaliter tantùm filiis Abrahæ, iis quos Deus pro suo beneplacito elegerit. Neque tantùm intelligit Zacharias, hæc dona Dei pacto fuisse comprehensa, sed et per ora posteriorum prophetarum, pacti illius divini interpretum, fuisse promissa; non solùm liberationem à peccatis, de quâ supra, v. 71; verùm etiam gratiam benè vivendi, de quâ hìc potissimùm agitur. Inter hos enim Ezechiel manifestè, cap. 36, v. 25 et seqq. : *Effundam super vos aquam mundam,* ait, *et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, etc.; *et dabo vobis cor novum*, etc.; *et spiritum meum ponam in medio vestrî, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.* Nec minùs apertè Jeremias, laudatus supra, v. 72, ut plures alios prætereant. Jam verò beneficia hæc promissa patribus interposito jurejurando, et à prophetis clariùs exposita ac prædicta, gratulatur Zacharias, suo tempore missa esse Israeli à Deo. Quanquàm enim non nisi commemorare videatur quid illo jurejurando contineretur, nimirùm *daturum se nobis*, etc., mens tamen ejus est significare, hæc jam allata esse, quippe qui præmiserit illud *memorari* seu ut memorem se declararet, testamenti ac jurisjurandi : prout etiam hæc omnia suis ab initio verbis comprehendit, *fecit redemptionem, et erexit cornu salutis ;* solùm adjunxit, prophetarum vaticiniis et patrum pactis esse consentanea. Intelligit ergo hæc jam à Deo Israeli missa esse, ut qui visitaverit populum suum, misso in carnem Christo, id est, semine illo per quod benedictiones istæ ac beneficia fuerant promissa. *Benedicentur in semine tuo*, id est, merito seminis tui, *quod est Christus.* (Vulg. Sixti V : *Qui est Christus*), Apostolo interprete, Gal. 3, v. 16. Christus enim id promeruit, ut electis ex omnibus gentibus terræ, daretur peccatorum remissio, justificatio, vita sancta, et in eâ perseverantia. *Qui dedit semetipsum pro nobis*, inquit Paulus Tit. 2, v. 14, *ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Hæc probè cognoscens Zacharias, benedicit Deo et gratias agit ob rem inchoatam (appropinquabat enim regnum cœlorum, Christo jam concepto et carnem induto) tanquàm perfectam; nam et in quibusdam, nominatim Zachariâ ipso ejusque uxore, res jam perfecta erat, Christi morte operante, etiam antequàm esset tolerata.

Vers. 76. — Et tu, tu verò. Postquàm celebravit beneficia, quæ Christi adventus, juxta Dei promissa, secum afferat; convertit sermonem ad filium suum, futurum præconem adventûs Christi, et paraturum homines ad illa Christi beneficia.

Puer, puerule, hodiè tantillus licèt sis. Alloquitur octiduanum infantem, quemadmodùm sæpè prophetæ, præ affectuum vehementiâ, cœlum et terram aliaque intellectûs ac sensûs expertia alloquuntur (Deut. 32, v. 1 : *Audite, cœli, quæ loquor*, ait Moses; *audiat terra verba oris mei.* 2 Reg. 1, v. 21, David : *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos*, etc.), quò auditores cum gratiâ doceat, ad quid natus ac destinatus sit puer iste, et quid officii aliquando obiturus; quod scitu dignum et utile ipsis erat; quanquàm potuerit et puer intellexisse, cui ab exsultatione in utero, de quâ supra v. 41, continuum mansisse usum rationis, sentiunt plerique veterum; inter Græcos, Origenes, Theophylactus, Titus; inter Latinos, Ambrosius, Beda. « Potuit, inquit Ambrosius, vocem patris natus audire, qui Mariæ salutationem antequàm nasceretur audivit. » Addit Beda : « Nisi fortè putandus est Zacharias, propter eos potiùs qui aderant instruendos, futura filii sui munera quæ dudùm per angelum didicerat, mox ut loqui potuit prædicare voluisse. »

Propheta, nuntius, legatus Altissimi, ab Altissimo missus. Altissimo autem, sive Patre, sive Filio ipso, est enim Filius æqualis Patri; sive utroque. Nam Patri quidem Matthæus, cap. 11, v. 10; Filio autem Malachias c. 3, v. 1, attribuit illud : *Ecce ego mitto angelum meum. Propheta,* id est, sanctus veritatis doctor à Deo missus; hâc enim significatione utebatur populus voce *prophetæ*. Vera itaque hìc appellatio est, quamobrem Joannes ut miraculum quoddam viseretur populo, qui per quadringentos ferè annos prophetâ caruerat.

Vers. 76. — Et tu puer, non cum aliis prophetis promiscuè propheta Domini, sed singulariter propheta altissimi vocaberis, seu eris; utpote quem Altissimus *angelum suum;* per Malachiam cap. 3, vers. 10, vocat. Præibis enim ante faciem Domini, in carne præsentem, vide dicta vers. 17. Parare vias ejus, id est, ut pares et disponas mentes Judæorum ad hoc ut Christum Salvatorem et sponsum recipiant. Prædicabis enim pœnitentiam, ne Domini doctrina; prædicabis baptismum, ne Domini disciplina; prædicabis Spiritum sanctum et ignem, ne Domini gratia, rudes sibi mentes hominum inveniat, et imparatas exhorreat. Nam explicans modum parandi vias Domini addit.

Propheta fuit Joannes, quia vir sanctus immediatè à Deo missus, pœnitentiam conversionemque ad Deum, populo Judaico prædicavit, et Messiam venturum prædixit, præsentemque divino spiritu cognovit nemine indicante. Fuisse autem plus quàm prophetam docet Salvator Malachiæ vaticinio, in Matthæo, cap. 11, et supra veteres prophetias evehit ejus doctrinam, ac supra prophetarum ordinem ipsum extollit et locat, ut populus ad rectum ministerii ejus scopum, collimet, et peculiare aliquod atque excellentius illi datum fuisse mandatum discens, memoriâ infixum teneat quod est ille de Christo locutus.

Vocaberis, eris, agnosceris, celebraberis, publico testimonio. Hoc factum est, quando ostensus Israeli fuit. Congratulatur filio suo pater, et quasi dicit vaticinans : Tibi non solùm dabitur in sanctitate et justitiâ Domino servire, sed et prophetam ipsius esse.

Præibis enim, jussus. Exponit munus quod tanquàm Propheta sit obiturus, iisdem ferè verbis quæ suprà, v. 17, ex angelo audierat: quæ cùm minori tunc fide excepisset, jam errorem corrigens palàm prædicat ut divina.

Ante faciem Domini, ante Dominum Christum, tum propinquum, tum præsentem, est enim Hebræa phrasis, *ante faciem*, pro, *ante,* quemadmodùm supra v. 17, Angelus dixerat *ante illum.* Alludit ad regum ac principum consuetudinem duplicem, quando illi diù desiderati civitatem aliquam suam solemni comitatu ingressuri sunt, quam nunquàm aut diù est quòd inviserint. Una consuetudo est, quòd adventus eorum ante nuntiari per præcursorem soleat, quem nos vulgò vocamus *fourrier,* quò præparentur omnia, ita ut ipsis dignum sit, (inter quæ, non minimùm sunt viæ per quas oportet ut adveniant) et majore cum pompâ populique frequentiâ occurratur. Altera quòd jam advenientem regem, nobilissimorum Principum aliquis aperto capite sit qui proximè antecedat, et sceptrum præferat, regem subsequentem monstret, ac de viâ secedere omnes faciat quà rex venit, utroque officio Joannes functus est. Inprimis enim nuntiavit Christum mox venturum, nuntiavit adventum sive manifestationem Christi instantem ; et præparavit, id est, præparari jussit, omnes hortatus est ut præpararent venturo viam, baptismi et pœnitentiæ prædicatione. Nam ut semestri Joannes ante Christum conceptus et natus est, tantillo etiam ferè tempore, ante Christum prædicare cœpit. Deinde Christum jam advenientem monstravit fecitque manifestum omnibus, et se quidem demittens, illum autem extollens, omnes hortatus est illum agnoscere et suscipere, in illum credere, illique adhærere, quippe Christo diù desiderato et vero mundi Salvatori. Atque utrumque egit ex Dei delegatione, Joan. 1, v. 6, et 33. His itaque modis Joannes Christi nuntium egit, et venienti viam præparavit. Porrò, plus ipse fuit Propheta; quia angelicam in terris vitam ducens, Christum, quem cæteri prophetæ, è longinquo vaticinati fuerant aliquando venturum, mox esse venturum nuntiaverit ; imò et ubi jam venisset præsentem ostenderit, ac, coram facie illius positus, digito ipso monstraverit, suisque manibus baptizaverit, et regnum cœlorum ac redemptionis tempus, quod cæteri eminùs et obscurè sub umbris præcinuerant, ipse propè jam appropinquâsse palàm primus nuntiaverit, ac viam Christo ad homines, hominibusque ad Christum et cœlorum regnum, munire cœperit baptismi et pœnitentiæ denuntiatione, denique ab aliis ipse prophetis, nominatim à Malachiâ, prædictus sit futurus hujusmodi. Ex quibus jam luce meridianâ clarius efficitur longè à Joanne esse, ut in dubium jam revocaverit, quod aliàs fuerat ex officio sibi à Deo delegato disertè testatus, nempe Jesum esse Christum.

Parare, ut pares, ut parari jubeas vias ejus, vias per quas sit venturus ad populum Israel, sublatis nempe impedimentis, ignorantiâ per doctrinam, peccatis per pœnitentiam, efficies ut faciliùs recipiatur. Metaphoricam locutionem prosequitur, sumptam à similitudine civium, qui si regem quem exspectant suum, honorificè excipere et testari gratum esse ipsius adventum volunt, viam, quâ venturus est, à sordibus, incommodis, atque impedimentis omnibus liberam reddunt, et pulchram ac amœnam constituunt. Hoc itaque sibi vult vox ista, in viâ esse Christum Dominum, curandum unicuique ut ita se paret, ut honestè ipsum excipiat, quomodò illo dignum et sibi utile est, animo scilicet peccata ejiciat quemadmodùm solent è viâ sordes, novæ vitæ studeat, quâ non secùs ornetur ac via aulæis aut ramorum viriditate; sic enim istud Joannes explicuit dicens: *Pœnitentiam agite :* nam constat pœnitentiâ, malorum operum detestatione ac fugâ, et bonorum exercitatione ac studio. Cæteròqui, via hominis in sacris litteris, mores ipsius sunt et institutum vivendi : hanc si velit Domino esse gratam atque amœnam, à vitiis expurget oportet et virtutibus ornet. Tametsi enim instaret corporalis Christi adventus, non tamen corpora, sed animos ut occuparet hominum, adventabat. Hos obsederant peccata affectionesque pravæ, non secùs ac desertum spinæ ac tribuli, aut viam aliam lutum et cætera sordium. Ut itaque liber esset ingressus Christo, auferenda hæc erant, sarculo ac ligone pœnitentiæ, quam suo clamore commendabat omnibus Joannes. Viarum obliquitates, inæqualitates, asperitates, inamœnitates, et quidquid remorari aut offendere possit advenientem, tollite ; iterque rectum, planum, æquabile, amœnum, pulchrum, et quale ipsum decet, reddite ; id enim fieri consuevit in adventum exspectati regis. Porrò simplicitas integritasque virtutis absque hypocrisi, rectitudo semitarum est. Dicit ergo : Ex toto corde absque fictione, convertimini ad Deum, et pœnitentiam agite.

Vers. 77. — Ad dandam, *dare,* seu ut des. Explicat primam cognitionem eorum, quæ ad salutem sub novo Testamento erunt necessaria, in remissionem

Vers. 77. — Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, id est, ut magisterio tuo des populo Judaico

quod dixerat, *parare vias ejus.* Theophylactus : *Quomodò autem illas præparavit ? dando scientiam salutis populo.* Dando autem, id est, docendo. Non enim dedit scientiam sicut Deus, Dan. 1, v. 17; infundendo scilicet in animum; sed docendo, admonendo, prædicando.

Scientiam salutis, scientiam salutarem, ut sciant quæ sit vera salus, et in quo consistat. Syrus *scientiam vitæ,* quod est, vivificam, eodem sensu. *Quasi Jesu nomen exponere ac diligentiùs commendare desiderans,* ait Beda, *salutis mentionem frequentat.*

Plebi, populo, ejus, Domini, id est, populo Israel. Docuit enim Joannes Israeliticum populum salutaria cumprimis, ineundam esse pœnitentiam, corrigendam vitam, Christum Dominum esse propinquum, qui pœnitentium auferat peccata, et emendantibus vitam det regnum cœlorum; contra, obduratos puniat igne inexstinguibili. Atque ita paravit populum, ut cum fructu susciperet Christum advenientem.

In, pro *ad,* quod frequens est.

Remissionem peccatorum, quâ scientiâ pervenire possint ad remissionem peccatorum. Instructi enim scientiâ salutari, quâ cognoscant detestanda ac vitanda esse peccata, et præsentem esse Christum, qui sit agnus Dei, auferens peccata mundi, paratus admissa peccata pœnitentibus dimittere, facilè pervenient ad remissionem peccatorum. *Ne temporalem,* ait Beda, *carnalemque promitti salutem putares, in remissionem, inquit, peccatorum eorum.* Nominat autem remissionem peccatorum, non quòd in solâ remissione peccatorum salus et justitia sita sit; quod vult Calvinus cum suis, sed quòd remissio peccatorum, principium et fundamentum totius salutis sit; præter quam requiri lumen gratiæ, quo faciente dirigantur pedes in viam rectam, docent sequentia.

Eorum, pro suorum vel ipsorum, scilicet plebis seu populi; significatum enim nominis collectivi respicitur.

Vers. 78. — Per, id est, propter, quod exstat Græcè, viscera misericordiæ, id est, viscera plena misericordiâ. Non est contentus dixisse propter misericordiam, nec propter viscera, sed magnâ cum auxesi utrumque conjungit, *rahame hesed,* viscera misericordiæ, significans intimum commiserationis affectum, misericordiam ex intimis profectam visceribus, quâ ita condoleat et mederi studeat Deus humanis malis, ac si sua ipsius essent; sic enim commoventur et cruciantur hominum viscera, ad conspectum calamitatis, eorum præsertim quos diligunt, ac si sua ipsorum esset. Declaratur ergo summa Dei erga nos misericordia, et ineffabilis dilectio; de quâ Apostolus, Ephes. 2, v. 4 : *Deus, qui dives est in misericordiâ, propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos,* etc. Jungendum est autem hoc ei quod præcedit, in *remissionem peccatorum,* obtinendam scilicet *per,* seu *propter viscera misericordiæ Dei nostri,* propter intimam ac profundissimam misericordiam quam Deus noster erga ipsos gerit; sic Theophylactus et Euthymius; quorum hic : *Per remissionem peccatorum,* ait, *quæ est per viscera misericordiæ Dei nostri, sive quæ datur per compassionem misericordiæ ipsius, et non per opera eorum.*

In quibus, cum quibus visceribus misericordiæ, et quibus impellentibus, visitavit nos; venit ad nos, ex alto scilicet, ut subsequitur, quod est, caro factus est, ut mox dicemus. Est ergo ac si dicat Zacharias : Meritò adscribo Deo misericordiæ viscera : non enim subvenire solùm voluit miseriis hominum, quod misericordiæ est, sed et sic affectum se declarare, ac si ipse eas pateretur, atque ut eas omninò aboleret, magnâ ex parte in se suscipere, summi erga nos amoris argumento. Usque adeò enim commota dicas viscera ejus super miseriis nostris, ut cùm alia non suppeteret ratio nos liberandi, quàm si ipse nos visitaret ex alto, descenderet de cœlo, et miserum hominem se redderet similem nobis, excepto peccato; id facere maluerit, quàm permittere nos ire perditum. Incarnationis Filii Dei, viscera illa misericordiæ, causa fuêre. Ubique prædicatur misericordia in opere redemptionis, eaque summa, quo et maxima miseria nostra declaratur, et merita omnia nostra excluduntur. Sic Maria virgo supra, v. 54 : *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ,* etc. Apostolus ad Titum 3, v. 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit,* etc.

Oriens, is qui Oriens prophetis vocatur, qui idem Deus noster et Christus est. Non participium esse, *oriens,* sed nomen, ex Græco fit manifestum, ubi legitur ἀνατολή. Nomen autem esse Messiæ seu Christi, quod Hebraicè dicitur *semah,* non est dubium; quod cùm quinque potissimùm locis occurrat apud prophetas posteriores, à Jonathan Paraphraste Chaldæo ubique vertitur juxta sensum *Messias;* à Græcis interpretibus semel βλαστὸς transfertur, Jer. 33, v. 15, ter ἀνατολὴ, Jer. 23, v. 5; Zach. 3, v. 8, et c. 6, v. 12; quod evangelista hoc loco sequitur; semel mutatur in verbum ἐπιλάμψει, Isaiæ 4, v. 2. Ab Hieronymo, Latino prophetarum interprete, ter redditur *germen,* Isaiæ 4, v. 2; Jer. 23, v. 5, et c. 33, v. 15, quod est βλαστὸς, bis *Oriens* (quod est ἀνατολὴ, aut alludit), nimirùm Zachar. 3, v. 8 : *Ecce ego adducam servum meum Orientem;* et Zach. 6, v. 12 : *Ecce vir, Oriens nomen ejus,* pro quo Chaldæus, *Christus nomen*

peccatorum eorum, per Christum videlicet obtinendam. Non enim doctrina Joannis eam dabat, sed eò disponebat, agnum Dei, tollentem peccata mundi, demonstrando, quod explicat clariùs sequenti versu. Nam quasi quæreres, per quem danda esset hæc salus et remissio peccatorum, respondet.

Vers. 78. — Per viscera misericordiæ Dei nostri, seu per viscera miseratione plena, id est, per misericordiam Dei, ex intimis ejus visceribus et affectu prodeuntem. In quibus, id est, quâ profundissimâ misericordiâ impellente, visitavit nos in propriâ personâ ad nos veniendo, ut dictum est versu 68. Visitavit autem, veniendo ex alto, quia à summo cœlo, seu sinu Patris, egressio ejus, ad nos visitandos in assumptâ carne oriens, id est, is qui oriens à prophetis vocari solet, scilicet Christus. Porrò, *Oriens,* non est

ejus, qui revelandus est. Quæritur ergo quæ sit propria vocabuli significatio, an *germen*, an *Oriens?* Hebræi, quorum onomasticis et libris jam utimur, tradunt propriam significationem esse germinis, ut quod derivetur à radice *samah,* quæ germinare, pullulare, Genes. 2, v. 5, ac compluribus aliis Scripturæ locis significet, et de plantis ac stirpibus propriè dicatur. Potuit quidem hæc fuisse et veterum Hebræorum, utpote septuaginta. Interpretum, sententia : tamen ex locis jam citatis, sensisse videntur, quòd ea radix generaliùs etiam usurpetur, ad eum ferè modum quo Latinum verbum *oriri,* quod non solùm de plantis, sed de sole etiam et luce, et iis omnibus dici potest, quæ, postquàm latuerint, prodeunt. Hinc enim factum videmus, ut Isaiæ 4, v. 2, ubi Hieronymus clarè ex Hebræo vertit : *In die illâ erit germen Domini in magnificentiâ et gloriâ ;* ipsi transtulerint : *In die illâ illucebit Deus in consilio cum gloriâ;* nimirùm τὸ *ihie semah adonai,* erit germen Domini, intellexerunt, erit oriens, aurora, seu lux, Dominus. Accedit quòd ex *semah* sæpiùs transtulerint ἀνατολὴ, quod Græcè ad ortum solis et lunæ propriè spectat. Verùm hæc ratio non tantùm urget, quantùm ea quæ præcedit. Nam licèt ἀνατολὴ propriè de solis ortu dicatur, verbum tamen ἀνατέλλειν, unde derivatur, usu scriptorum et sacrorum et profanorum, etiam de herbis et plantis dicitur, adeòque idem ferè est quod Latinis *oriri.* Psalm. 103, v. 14, ubi legimus *Producens fœnum jumentis,* Græcè est, ὁ ἐξανατέλλων, ex Hebræo *masmiah,* quod est, germinare faciens, seu, ut Hieronymus vertit, germinans. Similiter Psalm. 131, v. 17 : *Illic producam cornu* (τῷ) *David,* est ἐξανατελῶ, ex *asmiah*, germinare faciam ; Hieronymus, oriri faciam. Quin et Hebr. 7, v. 14, tribuitur hominis ortui : *Manifestum est quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster.* Quid quòd Septuaginta, postquàm Jer. 23, v. 5, ubi Latinè legitur : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David* (dativi casûs est) *germen justum,* vertissent *Orientem justum*, quomodò reddit Hieronymus in ejus loci commentario, postea Jer. 33, v. 15, ubi res eadem repetitur : *In diebus illis, et in tempore illo, germinare faciam David* (Davidi) *germen justitiæ,* ipsi transtulerint : βλαστῆσαι ποιήσω τῷ Δαβὶδ βλαστὸν δικαιοσύνης ; quo argumento utitur Franciscus Ribera, enarrans caput tertium Zachariæ, ut ostendat ἀνατολὴν pro βλαστὸν, *germen* usurpari ; nec parùm efficax est, nisi quòd in Aldinâ et Basileensi editionibus, non legatur Græcè posterior hæc pars capitis 33, ita ut dubitari possit an sit eorumdem interpretum, quod legitur in regiis Bibliis hoc capite 33, quorum est caput 23. Sed quidquid eâ de re sit, satis fit manifestum, voce Hebræâ *semah,* et Græcâ ἀνατολὴ, quando Christo tribuitur, ex sententiâ Græcorum interpretum, non minùs significari posse germen, quàm solem aut lucem (nomen ortûs enim, quod est, ἀνατολὴ, accipiendum est pro eo quod oritur) quemadmodùm Latinâ voce *oriens,* ex sententiâ Latini interpretis, non minùs significatur germen oriens, quàm sol aut lux oriens, postquàm ad utrumque modum D. Hieronymus explicet. Enarrans enim caput tertium Zachariæ, sic exponit nominis *Oriens* rationem, ac si sol aut lux oriens significaretur, dùm scribit in hæc verba : « Dicit plenam « felicitatem et perfectam beatitudinem tunc futuram, « quando venerit Oriens, de quo scriptum est : *Ecce « vir, Oriens nomen ejus ;* et in Malachiâ : *Orietur vobis « timentibus nomen meum sol justitiæ; et sanitas in « pennis ejus.* Et in Numeris : *Orietur stella ex Jacob, « et homo ex Israel.* In Evangelio quoque apertissimè « de Christo legimus : *In quibus visitavit nos Oriens ex « alto,* illuminare eos qui in tenebris et umbrâ mortis « sedent. » Idem autem tractans subsequens caput sextum Zachariæ, ἀνατολὴν seu Orientem exponit germen, dùm ait : « Ecce vir, cujus nomen est Oriens, « quod Hebraicè dicitur *semah*, non per *sin* (tunc « enim significet lætari) sed per *sade* litteram scri- « ptum. Qui idcircò oriens, id est, ἀνατολὴ, vel ἀναφύη, « sive βλάστημα nuncupatur, id est, germen ; quia ex « se repentè succrescet, et ex radice suâ in similitu- « dinem germinis pullulabit ; » et postea mysticum sensum explicans : « Ipse, ait, qui Jesus appellatur, « eò quòd salvaverit mundum, et oriens dicitur, quia « in diebus ejus orta est justitia ; et canitur in Psalmo : « *Veritas de terrâ orta est*, eò quòd de utero virgi- « nali, in seculorum consummatione generatus, dixe- « rit : *Ego sum veritas,* » et paulò post : « Iste igitur « qui nostris virtutibus coronatus est, orietur, et « appellabitur Oriens : ad quem locutus est Pater : « *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* » Hæc Hieronymus. Jam quòd Chaldæus, nomine *Semah* intelligat Christum, dat intelligendum ex eo esse, quòd sit revelandus (addit enim hoc aliquoties), id quod et ad lucem et ad germen similiter potest referri. Liceat ergo tum in prophetis tum in evangelio, voce Græcâ ἀνατολῆς et Latinâ *orientis,* duo intelligere significata, et duplici ratione id nominis Christo convenire, quod Hebraicè dicitur *semah ;* unâ, quia germen sive surculus est, ex reciso trunco Davidicæ stirpis derepentè ortus. Cùm enim radix Jesse arefacta ac mortua videretur, omninòque periisse genus David, et procul abesse ut regnum recuparet, quod obscurum atque ignobile latebat ; subitò præter hominum

hìc participium, sed nomen respondens Græco ἀνατολὴ, *ortus.* Respicit autem ad loca Zachariæ 3, v. 8, et ibid., c. 6, v. 12, ubi Hebraicè est, *Tzemach,* quod Hieron. ibi vertit, *Oriens,* et 70 Interpretes, *oriens* seu *ortus:* alibi verò Hier. subinde vertit, *germen,* quod etiam oritur ex terrâ. Nam Hebraica radix, *Tzamach*, propriè quidem *germinare* aut *pullulare* significat ; usurpatur tamen etiam generatim pro, *oriri.* Utrumque ergo est Christus, et *germen,* quia ex rescisso trunco Davidicæ stirpis, sine viri operâ, repentè pullulavit, et in arborem amplissimam crevit, et *oriens,* quia ipse est lux mundi, et Sol justitiæ, qui, Malachiæ 4, oritur timentibus Deum, et stella, quæ oritura dicitur ex Jacob, Num. 24, v. 17, quam rationem nominis consideravit Orig., Hom. 13, in Levit. Greg. lib. 20 Moral., c. 18, aliàs 21; Theophyl., Euthym., Beda hìc, et alii passim. Nam ipse Zacharias explicans, cur orientem dixerit, adjicit.

exspectationem, Deo faciente, ortus natusque ex eo infantulus est, non ab homine satus, surculi ex veteri arboris trunco, seu germinis ex humili terrâ pullulantis instar, quod paulatim succressens, evasit in arborem amplissimam, non absimiliter grano sinapi, Matth. 13, v. 32; et erepto restitutoque regno David, universum terrarum orbem subjugavit. Ac certè, cùm Zacharias hæc caneret, jam recenter germinaverat, et ramusculos suos jecerat hoc nobile germen, in utero Virginis, de domo David, ita ut impleretur illud Isaiæ 11, v. 1: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet,* ubi pro *flos* Hebraicè legis *neser*, quod alii vertunt germen, et æquiparant nomini *semah.* Altera ratio, quâ Christus *Semah* oriensque dicatur, est, quòd ipse sit *lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum,* Joan. 1, v. 9; quòd ipse *lux mundi*, prout de se ipse testatur, Joan. 8, v. 12; et *sol* ille *justitiæ*, quem Malachias promiserat *orituram timentibus nomen Domini,* cap. 4, v. 2, qui per incarnationem oriri mundo incipiens (quod erat cùm Zacharias hæc caneret) quodam progressu ætatis et prædicationis atque operum suorum, paulatim per mundum universum, cœlestis doctrinæ vitæque lumen sparsit; non secùs ac sol inanimis ab oriente surgens, sensim per universum orbem lumen propagat suum. Atque id jam senserant, Zacharias ipse, uxor, et filius, quos sol iste oriens, radiis suis attactos, repleverat Spiritu sancto. Hanc posteriorem rationem, plerique omnes Scripturæ tractatores solam considerârunt, Philo Judæus circa medium libri de Confusione linguarum, Origenes, homiliâ 13, in Leviticum, Athanasius sub finem tractatûs in hæc verba: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, Eusebius lib. 7, de Demonstratione evangelicâ, dem. 9, Chrysostomus, homil. in illud: *Ecce vir, Oriens nomen ejus,* Theophylactus, Titus, Euthymius, in hunc Evangelii locum, Gregorius, lib. 20, in Job cap. 18, Beda in Lucam, ut recentiores prætercam. Gregorii verba sunt: « Nam « quia ab oriente lux surgit, rectè Oriens dicitur, « cujus justitiæ lumine, nostræ injustitiæ nox illu« stratur. » Bedæ: « Qui ideò rectè oriens vocatur, « quia nobis ortum veræ lucis aperiens, filios noctis « et tenebrarum, lucis effecit filios, juxta id quod « consequenter exponit: Illuminare, » etc. Priorem solam rationem, considerandam putat Franciscus Ribera scribens in caput tertium Zachariæ; in quam sententiam abiens hæreticus Beza, audet etiam vertere: *Quibus invisit nos germen ex alto.* Nos, Hieronymum secuti, utramque considerandam ducimus; et eò magis posteriorem hoc quidem loco, quòd inhærendo eidem metaphoræ subsequatur: *Illuminare his*, etc. Syrus utitur voce *dancho;* quam de ortu solis dici certum est, an verò de plantarum etiam, mihi incertum.

Ex alto. Jungendum est cum verbo, *visitavit* (quod supra diximus) prout facit Theophylactus his verbis: *Ille visitavit nos ex alto, qui Oriens dicitur. Ex alto,* id est, ex cœlo, delapsus de cœlo visitavit nos. Intelligendum datur quòd de cœlo descenderit, quemadmodùm habet Nicenum Symbolum: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis;* et Joan. 3, v. 31, dicitur *de cœlo venisse;* non quòd cœlum deseruerit, sed quòd apparuerit in terrâ, manifestatus in carne, id est, incarnatus sit, quemadmodùm sequitur in Symbolo; quòd cœlestis Deus factus sit terrenus homo. Sic enim ait ipse Oriens, Joan. 3, v. 13: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo;* descendit de cœlo, de cœlo factus filius hominis, et tamen est in cœlo, et permanet in cœlo, juxta naturam divinam, quâ cœlum implet et terram.

Vers. 79. — Illuminare, infinitivus est, pro ad illuminandum, ut solet interpres vertere; ut illuminet, ut luceat, ut lumen præbeat. Euthymius: *Visitavit nos ut appareret, hoc est, ut illucesceret.*

His qui, vel potiùs, *eos qui,* relatum ad *illuminare.*

Et in umbra mortis, in tenebris iisque densissimis. Tenebris additur plerùmque *umbra mortis,* quando densissimæ tenebræ significantur, quæ tristissimam mortis imaginem referant; quæ si non mors, vicinæ mortis umbræ esse videantur, et præsentem mortis horrorem incutiant, quales sunt in sepulcris, carceribus, etc. Job. 12, v. 22: *Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis.* Est autem Hebræis unica dictio *salmaveth,* eaque composita (quales paucæ apud Hebræos) ex *sel,* umbra, et *maveth,* mors, quâ metaphoricè declarantur extrema pericula, et tristissima rerum facies, tempusque calamitosum inprimis ac luctuosum. Psal. 22, v. 4: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psal. 106, v. 14: *Eduxit eos de tenebris et umbrâ mortis, et vincula eorum disrupit.* Psal. 43, v. 20: *Humiliâsti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.* Factâ autem à rebus corporalis ad spiritales translatione, significantur errores et iniquitates, vel pericula ex illis consequentia adversitatum temporariarum atque æternarum. Græci tractatores, Euthymius, Titus, Theophylactus, et Chrysostomus, per tenebras intelligunt ignorantiam, per umbram mortis peccatum, quod æternam mortem secum trahit; atqui magis propriè, per utramque vocem confusè utrumque significatur, per tenebras errores et iniquitates, per umbram mortis gravissimi errores et teterrima pec-

Vers. 79. — Illuminare, id est, lumen præbeat, seu illucescat his qui in tenebris et in umbra mortis sedent; id est, qui habitant in tenebris densissimis, et in afflictissimo rerum statu tristissimam mortis imaginem referente. Metaphora est à locis obscuris, ut sepulcris et carceribus, quæ mœstissimâ rerum facie præsentis mortis horrorem incutiunt. Transfertur autem spiritaliter ad significandum teterrimum animæ statum; per ignorantiam erroresque miserabiles, et peccata, tanquàm æternæ mortis vestibula. Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, id est, ut lumine doctrinæ et charitatis, quod mentibus infundit, dirigat affectus, consilia, et opera nostra in viam, quâ tenditur ad pacem æternæ beatitudinis. Hæc autem via non est alia, nisi via veritatis et justitiæ, ut sobriè, justè, et piè vivamus in hoc seculo.

cata. Umbra mortis, quam Hebræus sermo unicâ voce effert *Salmaveth,* propriè est color ille quem mors proximè instans oculis ac faciei hominis obducit; qui quasi umbra est adventantis appropinquantisque mortis. Quare densæ tenebræ è quibus nequeas emergere, extremaque pericula quæ præsentem intententent mortem, quæ mors proximè subsequi soleat, umbra mortis metaphoricè in sacris litteris appellantur. Hujusmodi autem tenebræ malaque, è quibus non sit salutis spes, cùm sint apud inferos maximè, idcircò ea peculiariter regio sive terra umbræ mortis vocatur, Job. 10, v. 21, 22, ad eos autem transfertur, qui in summo discrimine atque extremis malis versantur, sive tribulationum aut miseriarum, sive errorum aut iniquitatum; pleni cæcitate ignorantiâque divinarum rerum, ac proinde etiam iniquitate lucifugâ.

Sedent, habitant, agunt, versantur, καθημένοις, sedentibus; quod participium rectiùs servâsset interpres, nam et seipsum comprehendit Zacharias, quod constat ex verbis subsequentibus, eò quòd membrum unum esset illius populi, quanquàm ipse jam ereptus è tenebris. Alludit autem ad prophetiam Isaiæ cap. 9, v. 2, citatam Matth. 4, v. 16. Nam quanquàm illa propriè de Galilæis loquatur, remotis à templo et vicinis gentibus, habuisse tamen locum et in Judæis, facile est animadvertere, considerantibus statum doctorum ac populi eo tempore; quando animæ immortalitas et corporis resurrectio à multis negabatur, ab aliis imperfectè admodùm, et non nisi admistis multis erroribus, credebatur. Doctrina magistrorum frigida erat atque elumbis, et ferè formans externos mores, neglectis animis; minimè intenta observandis signis adventûs Christi. Vitia seniorum gravissima erant et intolerabilia. Populi denique erant vexati, jacentes et dispersi, *sicut oves non habentes pastorem,* Matth. 9, v. 30; ut nihil dicam de externo rerum statu et Herodis tyrannide. Agebant ergo ejus regionis atque ætatis homines in densissimis tenebris, et miserabili rerum statu, qui reipublicæ interitum et vicinam omnibus mortem minaretur, æternam non minùs quàm temporariam, nisi visitatos Oriens illuminâsset. Visitavit enim ex alto nos Oriens, inquit, ut illuminaret sedentes in tenebris, ut discussis mortis tenebris, populo suo lucem vitæ restitueret. Loquitur enim de populo Israel, licèt similis, adeòque deterior esset reliqui mundi conditio. Nihil enim usquàm extra Christum est vivificæ lucis, sed omnia horribili mortis caligine occupantur; ideò Isaias beneficium hoc Ecclesiæ Christi proprium esse testatur cap. 60, v. 2: *Quia ecce tenebræ operient terram et caligo populos; super te autem orietur Dominus,* etc. Dispulit autem errorum tenebras Oriens, afferens veram, cœlestem, et claram doctrinam, de Deo uno et trino, de animæ immortalitate, corporum resurrectione, regno cœlorum, suppliciis æternis, vitâ rectè instituendâ, etc. Iniquitatum verò et peccatorum, condonans ea atque dimittens, meritis mortis suæ, eorumque loco amoris divini radios in animos infundens, quod ait hoc loco Vener. Beda; ita ut fieret, quod postea et in Ephesiis, de quibus legitur: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino,* cap. 5, v. 8.

Ad dirigendos, ad hoc ut dirigere queamus. Liceat etiam intelligere cum Theophylacto, ad hoc ut dirigat, scilicet Oriens; sed priùs videtur præferendum. Oriens dirigit pedes nostros dono suo, quod dixit supra, v. 73, *daturum se nobis, ut,* etc. Nos ipsi dirigimus pedes nostros, libero arbitrio, quod hìc vult. Utrumque enim concurrit, nec alterum ab altero excluditur, prout hìc etiam præmittitur lumen gratiæ.

Pedes, gressus, affectus, actus, conversationem, vitam. Antequàm Oriens nos visitâsset, et lumen suum produxisset, agentes in tenebris, tum ignorantiæ, tum iniquitatis, nesciebamus quò pedes nobis essent dirigendi, quo modo vita esset instituenda, quæ via tenenda, ut ad pacem perveniremus, denique verè scriptum erat de nobis: *Viam pacis non cognoverunt,* Isaiæ 59, v. 8. Visitavit nos Oriens, et tum sermone docuit, tum exemplo monstravit viam illam, ita ut clarum nobis sit factum, ubi figendi pedes, quò dirigendi actus, quomodò premendi affectus, vitaque instituenda, et facilè factum id sequi, auctis eâ quam addidit gratiâ.

Nostros. Cæteris se annumerat Zacharias, loquens in personâ populi; cæteròqui tenens ipse jamdiù et ambulans viam pacis.

In viam pacis, id est, salutis ac felicitatis, in viam quæ ducit ad salutem beatitudinemque æternam, quæ Matth. 7, v. 13, 14, vocatur *via quæ ducit ad vitam;* ut contraria, *quæ ducit ad perditionem.* Pacis enim nomine, Hebræi statum intelligunt, quo benè hominibus est, quo contenti quiescunt, nec quid ampliùs quærunt aut expetunt: quæ profectò sola esse debet vita æterna. Est autem via pacis, quæ, inquam, ad hanc pacem ducit; *via justitiæ,* quod ait Theophylactus; via virtutis, sobriè, justè, ac piè vivere in hoc seculo, Tit. 2, v. 12; in sanctitate et justitiâ Deo servire, quemadmodùm supra dixit Zacharias ipse. Illuminati enim, justificati, et redditi lux in Domino, faciente lucidâ Orientis visitatione, possumus ac debemus ambulare et vitam dirigere, *ut filii lucis, in omni bonitate et justitiâ et veritate,* Ephes. 5, v. 8, 9, quo modo fiet ut ad vitam felicitatemque perveniamus æternam, qui priùs in tenebris miris modis offendentes, abibamus præcipites in mortem perditionemque æternam. Brevi abruptâ apostrophe ad filium, relapsus est Zacharias, ad commemoranda beneficia quæ secum afferat adventus Christi, nimirùm peccatorum remissionem (sub quâ intelligenda est ignorantiæ errorumque ablatio) et vitam sanctam; quæ duo ter hoc uno hymno diversis verbis repetit, initio, medio, fine, ita ut toto cantico non aliud agat, quàm Deo gratias agere, quòd misso Christo, cujus Joannes præcursor, Israelitas à peccatis liberatos, justitiæ servos feliciter reddiderit, juxta promissa sua. Hic propheticus ac divinus hymnus, absolvit celebritatem circumcisi Joannis, auditoribus omnibus præ-

sentibus, in summam undique raptis admirationem.

Vers. 80. — Puer autem, etc., puerulus autem. Redit ad historiam Joannis, uno verbo declarans quid egerit ab infantiâ ad tricesimum usque ætatis annum, et quàm probè responderit progressus, miris adeò rerum exordiis.

Crescebat corpore, et confortabatur spiritu, id est, quantùm crescebat corpore, tantùm confortabatur spiritu; quantùm staturæ atque ætatis accedebat corpori, tantùm gratiæ spiritalis animo. Spiritus ergo intelligitur ipsius Joannis, sed confortationis auctor Spiritus divinus, qui donis suis spiritalibus in dies puerum augeret, ita ut continuos in sapientiâ, virtute et gratiâ progressus faceret. Confortatio enim hic augmentum profectumque in primis significat: in quem sensum Titus scribit: *Juxta ætatis analogiam et incrementum, gratiâ et spiritu proficiebat;* et Theophylactus: *Cum corpore simul crescebat et spiritale donum.* Significat præterea, quòd continuo profectu spiritalium gratiarum, spiritus ejus potentior quotidiè ac robustior redderetur, ad regendum corpus; nec solùm redderetur, verùm etiam appareret, exterioribus actibus id demonstrantibus; quâ de re subdit Theophylactus: *Et quantò magis crescebat puer, tantò magis et efficaciæ spiritus in illo se ostendebant, organo illarum capace existente,* id est, quò organum corporis fiebat per ætatem aptius et capacius, eò magis se exerebat in corpore virtus spiritalium donorum latentium in animo. Semper enim ad majora ac meliora tendebat, eaque sæpè superantia ætatem et consuetas corporis vires, ut quòd infans incoluerit deserta, prout sequitur. Quanquàm verò pericope ista de toto illo temporis spatio loquatur, quod fuit inter octavum à nativitate diem et annum tricesimum; quia tamen etiam infantiam comprehendit; præsertim cùm diminutivo puerulì Evangelista utatur; videtur hinc etiam ostendi posse, mansisse in Joanne, ab exultatione in utero, perpetuum rationis usum; quia gratia infantibus infusa, nisi rationis et liberi arbitrii usu accedente, augeri, aut foris elucescere nequit: quæ sententia est Cajetani et Toleti cardinalium.

Et erat ab infantiâ in desertis. In sylvestribus montosisque locis deserti Judææ. Desertum Judææ vocatur, quòd eo nullum aliud in Judæâ vastius majusque esset (in Judæâ, inquam, strictè acceptâ, ut supra 2, v. 1, 22) quod à vico Anatoth patriâ Jeremiæ prophetæ, sito mediâ viâ inter Jerosolyma et Jerichuntem, extensum supra Galgala, flectitur usque ad desertum Thecuæ, et Engaddi, juxta mare Mortuum, cujus campestria, ampla illa ac vasta, obiens, prædicavit Joannes, paucis primùm quos illic fortè invenit hominibus; omnibus deinde, famâ à paucis illis profectâ excitatis, magno numero confluentibus. Unde salvator: *Quid*, ait, *existis in desertum videre?* Fuit autem desertum, locus, pœnitentiæ, quam ipse prædicabat, accommodus. Proxima causa secessûs Joannis in desertum, fuit Herodis tyrannis, quærentis inter cæteros hunc puerum neci dare, ne fortè esset Christus, Matth. 2, v. 16. Id enim intelligens mater Elisabeth, asportavit eum in desertum, cùm octo plus minùs jam esset mensium; ibique eum nutrivit et educavit, quoad ipsa vixit. Cui sententiæ Nicephorus suffragatur, dùm ait lib. 1, cap. 14: « Filius Zachariæ Joannes, unà cum matre Elisabethâ, « in speluncâ quâdam, ad regionem montanam, salvus « conservabatur, fortassis Herodis sanguinariam effugiens manum. Atque inde in solis locis libenter « versari solitus, Angeloque duce usus, in remotiores « sylvarum recessus secessit. » His addit Cedrenus in compendio Historiæ, quòd Elisabeth obierit diem suum, quadragesimo post die quàm in speluncam fugerat; quòdque angelus deinde curam pueruli susceperit. Astipulantur Origenes et Chrysostomus; ille enim homiliâ in Lucam, credit extra consuetudinem fuisse nutritum, non lactatum matris uberibus, non in sinu gerulæ constitutum, etc. Chrysostomus similiter homiliâ 38, in Matthæum, non lacte nutritum fuisse scribit, non lecto susceptum, non tecto, non foro, non aliâ re humanâ usum.

Usque in diem, usque ad tempus ostensionis suæ. Quo ipse ostensus seu manifestatus est, *quo visum fuit Deo, illum ostendendum esse*, ait Theophylactus.

Ad Israel, apud Israelem seu Israeli, usque ad tempus illud, quo, *facto super eum verbo Domini*, infra, 3, v. 2, cœpit apud Israeliticum populum, obire officium prophetæ Altissimi, de quo mox, v. 76. Tunc enim divini jussi explendi gratiâ ex interiori deserto prodiens, *venit in omnem regionem Jordanis*, quod legitur infra 3, v. 3, et cœpit inter homines conversari. Ad illud usque tempus, id est, tricesimum circiter ætatis annum, vixit, egit, latuitque in deserto (*ubi purior aer, et cœlum apertius, et familiarior Deus*, inquit Origenes) procul ab omni hominum consortio, id enim indicatur nomine *ostensionis*, quod superiori illo loco astruens Chrysostomus, *neminem vidit unquàm conservorum*, ait, *nec ab aliquo horum visus fuit.* Hìc θεοδίδακτος effectus, doctus, inquam à Deo fidem, et sacras Litteras, et quidquid opus foret, traduxit vitam in jejuniis, aspe-

Vers. 80. — Puer autem crescebat, ætate et mole corporis; et crescentibus pari passu virtutibus, confortabatur spiritu suo, quamvis nonnulli intelligant ipsum Spiritum divinum gratiæ et confortationis auctorem. Et erat in desertis, statim scilicet à primâ pueritiâ, ut videtur sentire Orig., Hom. 11 in Lucam, et apertiùs Hieron. lib. contra Luciferianos, ubi dicit quòd post materni ventris hospitium eremi deserta sectatus sit, et parvulus de serpentibus luserit. Occasio petendi deserti videtur fuisse tyrannis Herodis, pueros Bethleem persequentis, ut Christum assequeretur; quod Nicephorus notat lib. 1, c. 4. Addit Cedrenus, in Compendio historiæ, curam ejus ab angelo susceptam, eò quòd Elisabeth paulò post fugam cum puero in desertum obiisset. Usque in diem ostensionis suæ ad Israel, id est, usque ad tempus quo inter homines prædicando et baptizando conversari cœpit, quod fuit circa annum ætatis ejus trigesimum, sicut et Christi.

ritatibus, et mundi contemptu; in silentio, oratione et rerum divinarum contemplatione. « Semper in hymnis, « semper in orationibus fuit, auctore Chrysostomo, « nulli hominum antequàm ad baptizandum accederet, « Deo autem soli, sua semper colloquia offerens. » Similiter Origenes, « ut vacaret, inquit, orationibus, « et cum angelis conversaretur, appellaretque Domi« num, et illum audiret respondentem atque dicentem: « *Ecce adsum.* » Talis nimirùm vita decebat eum qui prædicandæ pœnitentiæ erat destinatus, ut qui cæteros ad Christum suscipiendum erat paraturus, primum ipse se exhiberet omnium paratissimum. Denique consilium Dei hoc fuit, ut postquàm multis hic annis latuisset, et siluisset, et virtutem coluisset, suo tempore majore cum auctoritate prodiret, et loqueretur, et præcursoris munus expleret, prout factum fuit. In hanc sententiam scribit Euthymius: « Oportebat eum à teneris, quod aiunt, unguibus ad vir« tutem exerceri, ut et liberè argueret, et Christi qui à « se annuntiaretur testis fide dignus esset. » Similiter Titus: « Ut Christo testimonium perhibiturus, nec non « hominum nequitiam imperterritè redarguturus, « testis doctorque omni exceptione major habe« retur. »

CAPUT II.

1. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.

2. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino:

3. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem.

4. Ascendit autem et Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd esset de domo et familiâ David,

5. Ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.

6. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

7. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.

8. Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.

9. Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno.

10. Et dixit illis angelus: Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo:

11. Quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

12. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.

13. Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium:

14. Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.

15. Et factum est ut discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

16. Et venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.

17. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc.

18. Et omnes qui audierunt, mirati sunt, et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.

19. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

20. Et reversi sunt pastores glorificantes, et lau-

CHAPITRE II.

1. Or, il arriva en ces jours qu'il parut un édit de César Auguste, pour faire un dénombrement des habitants de toute la terre.

2. Ce premier dénombrement se fit par Cyrinus, gouverneur de Syrie.

3. Et tous allaient se faire enregistrer chacun dans la ville dont il était.

4. Alors Joseph partit aussi de la ville de Nazareth, qui est en Galilée, et vint en Judée à la ville de David, appelée Béthléhem, parce qu'il était de la maison et de la famille de David,

5. Pour se faire enregistrer avec Marie son épouse, qui était grosse.

6. Et pendant qu'ils étaient là, il arriva que le temps auquel elle devait accoucher s'accomplit.

7. Et elle enfanta son fils premier-né, elle l'enveloppa de langes, et le coucha dans une crèche, parce qu'il n'y avait point de place pour eux dans l'hôtellerie.

8. Or, il y avait là aux environs des bergers, qui passaient la nuit dans les champs, veillant tour à tour à la garde de leur troupeau.

9. Et voici l'ange du Seigneur se présenta à eux, et une clarté céleste les environna; et ils furent saisis d'une grande frayeur.

10. Mais l'ange leur dit: Ne craignez point, car je viens vous apporter une nouvelle qui sera pour tout le peuple le sujet d'une grande joie:

11. C'est qu'aujourd'hui, dans la ville de David, il vous est né un Sauveur, qui est le Christ, le Seigneur.

12. Et voici la marque que je vous donne pour le reconnaître. Vous trouverez un enfant enveloppé de langes, et couché dans une crèche.

13. Au même instant, il se joignit à l'ange une grande troupe de l'armée céleste, louant Dieu, et disant:

14. Gloire à Dieu au plus haut des cieux, et paix sur la terre aux hommes de bonne volonté.

15. Après que les anges se furent retirés dans le ciel, les bergers se dirent l'un à l'autre: Passons jusqu'à Béthléhem, et voyons ce qui est arrivé, et ce que le Seigneur nous a fait connaître.

16. S'étant donc hâtés d'y aller, ils trouvèrent Marie et Joseph, avec l'enfant couché dans une crèche.

17. Et l'ayant vu, ils reconnurent la vérité de ce qui leur avait été dit touchant cet enfant.

18. Et tous ceux qui l'entendirent admirèrent ce qui leur avait été rapporté par les bergers.

19. Or, Marie conservait toutes ces choses, les repassant dans son cœur.

20. Et les bergers s'en retournèrent, glorifiant et

dantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

21. Et postquàm consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus, Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquàm in utero conciperetur.

22. Et postquàm impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino,

23. Sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur;

24. Et ut darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

25. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.

26. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.

27. Et venit in Spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo:

28. Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit:

29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace:

30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum:

31. Quod parâsti ante faciem omnium populorum:

32. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

33. Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.

34. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel; et in signum cui contradicetur:

35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ.

37. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.

38. Et hæc ipsâ horâ superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel.

39. Et ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth.

40. Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientiâ: et gratia Dei erat in illo.

41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ.

42. Et cùm factus esset annorum duodecim, as-

louant Dieu de toutes les choses qu'ils avaient entendues et vues, selon qu'il leur avait été dit.

21. Le huitième jour, auquel l'enfant devait être circoncis, étant arrivé, on lui donna le nom de Jésus, qui était celui que l'ange lui avait donné avant qu'il fût conçu dans le sein de sa mère.

22. Et le temps de la purification de Marie étant accompli selon la loi de Moïse, ils le portèrent à Jérusalem, pour le présenter au Seigneur,

23. Selon qu'il est écrit dans la loi du Seigneur: Tout mâle premier-né, sera consacré au Seigneur;

24. Et pour donner ce qui devait être offert en sacrifice, selon qu'il est écrit dans la loi du Seigneur, deux tourterelles ou deux petits de colombes.

25. Or, il y avait alors à Jérusalem un homme juste et craignant Dieu, nommé Siméon. Il attendait la consolation d'Israël, et le Saint-Esprit était en lui.

26. Il lui avait été révélé par le Saint-Esprit qu'il ne mourrait point, qu'auparavant il n'eût vu le Christ du Seigneur.

27. Il vint donc au temple conduit par l'Esprit de Dieu; et comme le père et la mère de l'enfant Jésus l'y portaient, afin d'accomplir à son égard ce qui était ordonné par la loi,

28. Il le prit lui-même entre ses bras; et bénit Dieu, en disant:

29. C'est maintenant, Seigneur, que vous laisserez mourir en paix votre serviteur, selon votre parole;

30. Puisque mes yeux ont vu le Sauveur que vous nous donnez,

31. Et que vous destinez pour être exposé à la vue de tous les peuples,

32. Comme la lumière qui éclairera les nations, et la gloire de votre peuple d'Israël.

33. Le père et la mère de Jésus étaient dans l'admiration des choses que l'on disait de lui.

34. Et Siméon les bénit, et dit à Marie sa mère: Cet enfant que vous voyez est pour la ruine et pour la résurrection de plusieurs dans Israël; et pour être en butte à la contradiction.

35. Et votre âme même sera percée d'un glaive, afin que soient découvertes les pensées de plusieurs, cachées au fond de leur cœur.

36. Il y avait aussi une prophétesse, nommée Anne, fille de Phanuël de la tribu d'Aser: elle était fort avancée en âge, et avait vécu sept ans avec son mari depuis sa virginité.

37. Et elle était demeurée veuve jusqu'à quatre-vingt-quatre ans; elle ne s'éloignait point du temple, servant Dieu jour et nuit dans les jeûnes et dans les prières.

38. Etant donc survenue à la même heure, elle se mit aussi à louer le Seigneur; et à parler de lui à tous ceux qui attendaient la rédemption d'Israël.

39. Après qu'ils eurent accompli tout ce qui était ordonné par la loi du Seigneur, ils s'en retournèrent en Galilée, à Nazareth, leur ville.

40. Cependant l'enfant croissait et se fortifiait, étant rempli de sagesse; et la grâce de Dieu était en lui.

41. Son père et sa mère allaient tous les ans à Jérusalem, à la fête de Pâques.

42. Et lorsqu'il fut âgé de douze ans, ils y allè-

cendentibus illis Jerosolymam secundùm consuetudinem diei festi,

43. Consummatisque diebus, cùm redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus.

44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos.

45. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum.

46. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.

47. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentiâ et responsis ejus.

48. Et videntes admirati sunt; et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

49. Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

50. Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.

51. Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.

52. Et Jesus, proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratiâ apud Deum et homines.

rent, selon qu'ils avaient coutume, au temps de la fête.

43. Quand les jours de la solennité furent passés, lorsqu'ils s'en retournèrent, l'enfant Jésus demeura dans Jérusalem, sans que son père et sa mère s'en aperçussent;

44. Et pensant qu'il était avec quelqu'un de ceux de la compagnie, ils marchèrent durant un jour; et le soir ils le cherchaient parmi leurs parents, et parmi ceux de leur connaissance.

45. Mais ne l'ayant point trouvé, ils retournèrent à Jérusalem pour l'y chercher.

46. Et trois jours après, ils le trouvèrent dans le temple, assis au milieu des docteurs, les écoutant, et les interrogeant.

47. Et tous ceux qui l'entendaient étaient surpris de sa sagesse et de ses réponses.

48. Lors donc qu'ils le virent, ils furent remplis d'admiration; et sa mère lui dit: Mon fils, pourquoi en avez-vous usé ainsi avec nous? Voilà que nous vous cherchions, votre père et moi, étant tout affligés.

49. Il leur répondit: Pourquoi me cherchiez-vous? ne saviez-vous pas qu'il faut que je sois occupé aux choses qui regardent le service de mon Père?

50. Mais ils ne comprirent point ce qu'il leur disait.

51. Il s'en alla ensuite avec eux, et vint à Nazareth; et il leur était soumis. Or, sa mère conservait dans son cœur toutes ces choses.

52. Et Jésus croissait en sagesse, en âge et en grâce, devant Dieu et devant les hommes.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Factum est, accidit. Vide supra, 1, v. 8.

In diebus illis, illo tempore quod proximè secutum est nativitatem Joannis.

Exiit, emanavit in publicum, promulgatum est.

Edictum, decretum.

A Cæsare. Hujus proprium nomen fuit Octavius seu Octavianus; accepit autem cognomen Cæsaris, à Julio Cæsare, cui successit in imperio. Nam à primo imperatore Julio Cæsare (sic dicto, à patris nomine, non à cæso matris utero) qui Augustum reliquerat nominis et imperii sui hæredem, omnes deinde imperatores dicti sunt Cæsares; quod nomen, non tantùm Romanis, verùm etiam Judæis, Syris, et Græcis cæterisque nationibus, quibus Romani imperitabant, nobile fuit.

Augusto. Et hoc cognomine (quod Latinum licet, in usu est Græcè ac Syriacè) nobilitatus est, idque primus, quòd urbem atque imperium miris modis auxisset, et fortunatissimè administrâsset, ab omnibus tanquàm numen cœlitùs demissum observatus: nam inter cætera augustum dicitur, quod sanctum est ac veneratione dignum.

Ut describeretur, id est, in acta publica referretur numerus capitum, et tributum à singulis pro copiâ facultatum solutum.

Universus orbis, gr., tota habitata, scilicet terra, quàm latè scilicet pareret Romano imperio, ut certè major noti orbis pars parebat. Quare Syrus vertit, *universus populus possessionis*, seu *dominii ejus*; id est, totum Romanum imperium. Cùm jam devictis hostibus et rivalibus imperii omnibus, Augustus solus rerum summâ potiretur, et toto orbe altissimâ pace frueretur, anno imperii sui 40, si numeres à triumviratu ipsius; at 42 si à nece Julii Cæsaris (regnavit enim annis circiter 57), jussit iniri totius imperii

Vers. 1. — Factum est autem in diebus illis, circa tempus scilicet nativitatis Joannis, et paulò post, Deo hujusmodi descriptionem orbis, vel procurante, vel certè tempus ejus illud potiusquàm aliud ordinante, ut illius occasione beata Virgo in Bethleem venire: Exiit edictum a Cæsare Augusto, nempe Octavio, cui nomen *Cæsaris*, à Julio Cæsare, à quo adoptatus fuerat, adhæsit; cognomine verò dictus est *Augustus*, quòd urbem et imperium auxisset, et fideliter administrâsset. Hinc omnes Romani principes postea sunt appellati *Cæsares* et *Augusti*, sicut apud Syros *Antiochi*; apud Persas *Arsacidæ*; apud Phylistiim, *Abimelech*; apud Ægyptios olim *Pharaones*, et post Alexandrum usque ad Cleopatram Ptolomei, ut Hieron. in cap. 29 Ezech. Ut describeretur universus orbis, Romanis scilicet subjectus, hoc ést, ut numerus capitum in acta publica referretur, et tributum pro facultatibus uniuscujusque solutum. Nam facultates singulorum in hujusmodi descriptionibus fuisse censas testis est Josephus lib. 18 Antiquit., cap. 1. Capita etiam singulorum non tantùm adultorum, sed etiam puerorum, descripta fuisse probat immunitas, quæ postea Syriæ concessa fuit, ut soli puberes tabulis adscriberentur, ut patet ex D. Formâ D. de censibus. Unde Justinus Martyr, Orat. ad Antonium Pium audacter, dicit: Christum natum in Bethleem ex descriptionibus census acti, quæ sub Cyrino, primo vestro in Judæâ procuratore, sunt confectæ, in-

recensionem, et in acta publica referri singula capita et vectigal pro opum ratione per singula capita imperandum; partim ut sciret gloriabundus, capitum fortunarumque in suo imperio summam, quàm immensum hominum numerum, quantùmque divitiarum pelagus, subjectum sibi teneret; partim ut ærarium civilibus bellis exhaustum repleret, singulis capitibus solventibus numisma censûs, denarium inquam, unum aut plures pro facultatum ratione. Denarium autem argenteum, non aureum; solebant enim Romani victis gentibus argentum in tributo imperitare, non aurum, quod scribit Plinius lib. 33, cap. 3; minor denarius, verisimile est, ponderis circiter unius drachmæ (nam drachma octava, denarius septima pars unciæ fuisse putatur) pretii regalis Hispanici, unus aut plures, pro ratione censûs facultatum uniuscujusque, numisma erat quod in censum annuè solvebatur ætate Christi : modestum sanè tributum.

Vers. 2. — Hæc descriptio prima, scilicet universi orbis. Sic V. Beda : *Significat hanc descriptionem primam esse earum quæ universum orbem concluserint.* Favet huic interpretationi Hieronymus scribens in caput secundum Isaiæ his verbis : *Orto Domino Salvatore, quando sub præside Syriæ Cyrino, prima est in orbe terrarum facta descriptio*, etc. Hactenùs enim nunquàm Romanus orbis, tam latè patens quàm patebat hoc tempore, fuerat uno eodemque tempore recensitus ac descriptus, ut nec id bella permiserant. Neque hìc datur intelligendum fuisse alteram aliquando factam generalem totius orbis descriptionem, sed duntaxat nullam ante hanc, quanquàm particulares certarum provinciarum factæ fuisse potuerint.

Facta est, scilicet in Syriâ.

A præside, procurante præside. Græcè omissa præpositione legitur, ἡγεμονεύοντος, quod est, præsidem agente, quemadmodùm et Syriacè, *sub præfecturâ.* Utrumque verum est; facta est enim ea descriptio in Syriâ et ipso præside, et ab ipso præside. *Principatum descripsit Cyrenii,* ait Euthymius, *ad significandum quòd ipse fecerit Syriæ descriptionem.*

Syriæ. Meminit Syriæ evangelista, quia cùm Judæa et Galilæa, de quibus vult agere, essent Provinciæ Syriæ; omnes enim regiones, Syriæ nomine comprehenduntur, cujus termini describuntur, ab aquilone Cilicia, à meridie Ægyptus, ab Occidente mare magnum, quod et Syriacum mare ab eâ dicitur, ab Oriente fluvius Euphrates, ad quem usque David protulerat fines regni sui, 1 Paral. 18, v. 3; 2 Paral. 9 v. 26; præses Syriæ procurabat earum descriptionem. Erat quidem Herodes rex Judææ et Galilææ, sed ejusmodi qui reclamare non posset, quin populus sui regni à Romanis pro libitu censeretur, quippè qui et ipse Romanis subjectus esset, adeòque vectigalis, regno ab ipsis precariò accepto et sub definito tributo. Neque verò conveniebat censum Judææ per Herodem fieri, quia de re Romanorum agebatur quæ Herodi non perinde grata esse poterat, præferenti suam ipsius.

Cyrino. Cyrenio. Latina vox propria fuit *Quirinus*, aut ut apud Tacitum legitur, *Quirinius.*

Vers. 3. — Et, itaque, ibant, proficiscebantur omnes, Syri, ac nominatim Judæi; qui quidem foris habitabant, ut multi variis occasionibus habitabant; nam qui in civitatibus suis habitabant, procul dubio non opus habebant foras proficisci ut profiterentur. Intelliguntur autem plerique omnes : nam Judas Galilæus et quidam ei consentientes, recusârunt profiteri; de quibus Gamaliel, Act. 5, v. 37 : *Post hunc exstitit Judas Galilæus in diebus professionis,* etc.

Ut profiterentur, ut describerentur; est enim Græcè hìc eadem vox quæ duobus præcedentibus versiculis, resque eadem significatur. Nam Judæi quidem describebantur seu profitebantur, id est, nomina sua dabant, nomina ac familias suas publicè apud acta denuntiabant, et exactum numisma censûs, unum aut plura, prout divites censebantur, solvendo, subjectionem testabantur; censores verò et commentarienses in singulis civitatibus ordinati, describebant, id est, propria accedentium nomina et familias et solutum censum scripto mandabant.

In suam, in propriam civitatem (refertur ad *ibant*); eam quæ familiæ ipsorum erat caput; quam scilicet à majoribus vel instructam vel exornatam habebant.

telligere potestis; et Tertull., lib. 4 contra Marcionem, c. 7. Censum, inquit August. testem fidelissimum Dominicæ nativitatis, Romana archiva custodiunt. Ut credibile sit hâc de causâ Deum voluisse hanc descriptionem fieri, ut Christiani inde probarent, infidelibus Christum in Bethleem de familiâ David natum esse.

Vers. 2. — Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino; non prima absolutè, sed prima sub isto Cyrino, seu Quirino, ut alii nominant; nam egit ipse et secundum censum post mortem Archelai, filii Herodis, multis scilicet annis post istum primum, de quo hìc Joseph. supra cit. Quem cùm Eusebius putâsset eumdem esse cum eo de quo hìc Lucas, hinc factum est, ut Josephum graviter errâsse plerique Annalium Scriptores existimaverint, cùm fuerit error Eusebii, non Josephi. Prima igitur hæc descriptio dicitur facta à Cyrino, quia inchoavit eam, perficiendam verò reliquit Sentio Saturnino, ut Tertull. 4 contra Marcion., c. 19, insinuat. Quanquàm aliqui putent, hunc censum à Cyrino extraordinariè fuisse actum in Syriâ, cùm neque consul esset neque præses Syriæ, sed Saturninus cui eum propterea adscribit Tertull. Et ideò id, quod Lucas dicit, a præside Syriæ, Græcè est, *imperante,* scilicet per præfecturam extraordinariam. Quam rationem exponendi difficultatem esse simplicissimam et à pluribus remoris expeditam, putat Dionys. Petavius. Sed quia istam extraordinariam illius præfecturam probare difficile est, hinc aliqui suspicati sunt solutionem ex Græcâ phrasi petendam, quam sic exponi posse volunt, ut sensus sit : Hæc descriptio facta est, priusquàm præsideret Syriæ Cyrinus, scilicet Sentio Saturnino. Nam Cyrinus adhuc diù post præsedit Syriæ, juxta testimonium Joseph, de censu agentis.

Vers. 3. — Et ibant omnes, ut profiterentur, Græcè est idem verbum, quod, v. 1, *describerentur,* id est, ut nomina et familias suas apud acta denuntiarent, et censum pro facultatibus solverent. Singuli in suam civitatem, scilicet ibant, ubi nimirùm familiæ caput erat. Nam Romani videntur in Judæâ servâsse modum censendi, in illo populo usitatum, qui solebat fieri per tribus, et inde per tribuum familias,

Consueverant Israelitæ censum populi agere, per tribus et tribuum familias; nam sicut populus in tribus, ita tribus in familias dividebantur. Manifestum id est, ex veteris Testamenti libris, nominatim Numeris. Romani itaque hanc rationem apud Judæos servârunt.

Vers. 4. — Adscendit, profectus est, sed indicatur Judææ situs altior quàm Galilææ.

Joseph, vir justus, semper paratus ad obsequendum præceptis majorum.

A Galilæa, de civitate, ex provinciæ Galilææ civitate Nazareth, in quâ habitabat. Quo quisque loco habitaret, nil referebat; verùm professionis tempore, oportebat unumquemque ad suæ familiæ locum celebrem ac certum redire.

In Judæam, in provinciæ Judææ civitatem, eam quæ fuerat civitas regis David. Sed ne intelligeretur arx Sion, quæ passim in libris Regum vocatur civitas David, quòd David eam Jebusæis ereptam ædificâsset, et inhabitâsset, et pro regni sede habuisset, 2 Reg. 5, v. 7, 9; addidit evangelista, quæ vocatur *Bethlehem*, ùt intelligas civitatem, nativitate educationeque Davidis nobilem.

Eò quòd esset de domo, id est, de familia, genere, ac stirpe David. Hùc convenisse similiter alios omnes qui erant de genere David, sive extra sive intra Bethlehem habitarent, datur intelligendum.

Vers. 5. — Ut profiteretur seu describeretur, sicut mox, v. 3.

Cum Maria. Ascendit cum Mariâ, ut cum Mariâ profiteretur; ad utrumqùe enim id referendum est: nam et Maria erat de familiâ David. Jure autem antiquo Romanorum, etiam feminæ censebantur, adeòque etiam infantes; eò verò magis censenda Maria erat, quòd filia unigenita esset, agri paterni hæres, quod Lyranus hìc, nos alibi diximus.

Desponsata, nuptâ quidem, sed incognitâ; vide supra, 1, v. 27.

Prægnante, existente gravidâ, adeòque partui proximâ, tunc scilicet cùm ascenderet, non cùm desponsaretur. Hoc autem addit, quò aptiùs subjungat historiam partûs. Mirum videri posset, quòd Maria non excusaverit gravidum uterum et partum vicinum ne profectionem hanc iniret: nisi constaret divinitùs actam fuisse ut proficisceretur, adeòque doctam, in Bethlehem sibi pariendum esse, denique expertam uterum nullo modo sibi esse molestum aut gravem. Quocirca, etiamsi iter ex Nazareth in Bethlehem longum esset dierum non minùs tribus, Bethlehem ultra Jerusalem ad meridiem sitâ itinere sex milliarium, id est, duarum horarum, juxta viam quæ ducit Hebron; quod D. Hieronymus ait, scribens de locis Hebraicis, vide supra 1, v. 39: facilè tamen illud confecit prægnans, etiam pedes, utpote cui sarcina facilis esset, nec tantùm non prægravans, verùm etiam confortans, viresque matri addens, ad proficiscendum eò ubi nasci volebat: *Ascendit* (ait Bernardus, sermone in illud Apocalypsis: *Signum magnum apparuit in cœlo) Bethlehem imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans à quo portabatur;* et paulò post: *Sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit.* Jam intelligendum relinquitur id factum fuisse, professos nimirùm fuisse Joseph et Mariam, conjuges se esse, oriundos ex tribu Juda et genere David, subditos Cæsari, et paratos in ejus rei argumentum solvere numisma censûs; idque professos coram omnibus aliis ex ejusdem Davidis stirpe superstitibus, præsentibus et suffragantibus, atque ut hujusmodi fuisse in tabulis censuum descriptos: quæ ad Augustum deportatæ et Cæsareâ auctoritate confirmatæ, perpetuò testari et indubitatam fidem facere potuerunt, Mariam Josephi uxorem fuisse ortam ex tribu Judâ et familiâ David, et consequenter ejus filium. Ad quas tabulas, veteres Christiani, dicentes posteà ad gentiles, etiam provocârunt, nominatim Justinus Martyr, Apologiâ secundâ pro Christianis ad Antoninum Pium, paulò post medium, et Tertullianus, lib. 4 contra Marcionem, cap. 7, 19 et 36.

Vers. 6. — Cum essent, Joseph et Maria, ibi, in Bethlehem, cùm hærerent ibi aliquot diebus (nec

et familiarum capita: nam illa ratio datur versu 4.

Vers. 4. — Ascendit autem et Joseph a Galilæa: quia Judææ situs altior erat, quàm Galilææ. Et hinc est quòd in Scripturis passim dicuntur *ascendere in templum Domini,* quia altissimo loco situm, *et descendere in domum regis;* et rursùm Christus dicitur *ascendisse Jerosolymam,* et *descendisse Capharnaum,* quæ erat vicina Galilææ. De civitate Nazareth, ubi habitabat; nam in descriptione nulla habebatur ratio, ubi quis natus esset, vel habitaret, vel domum, aut bona sua haberet, sed loci familiæ celebris. In civitatem David, quæ vocatur Bethleem; quod additur distinctionis causâ. Erat enim et alia civitas David, arx Sion, quam armis occupaverat, sed in Bethleem natus erat; quam parùm splendidam parùmque populosam Dominus præelegit nativitati, sicut Jerosolymam passioni, inquit Leo, sermone 1 de Epiphaniâ. Accedebat et nominis congruentia: nam ex Bethleem, id est, domo panis, conveniebat panem vitæ procedere. Eo quod esset de domo et familia, id est, de familiâ David: nam prius nomen exponitur per posterius. Quamvis alioqui *familia* et *domus* distingui possint; ut *tribus* dicantur à primis filiis Jacob et Joseph; *familiæ* à celebribus quibusdam nepotibus eorum, *domus* à singulis patribusfamiliâs. Sed hæc distinctio non semper servatur in Scripturis. Insinuatur autem hìc, omnes omninò de stirpe David similiter in Bethleem esse descriptos.

Vers. 5. — Ut profiteretur; Græcè est iterùm, *ut describeretur,* sed interpres noster causam descriptionis respexit, quæ fiebat; ut quisque se hujus vel illius esse familiæ, et imperatori persoluto censu subjectum esse profiteretur. Cum Maria; nam et feminæ censebantur, maximèque quia unigenita et hæres erat de familiâ David. Desponsata sibi uxore, id est, sibi nuptâ, sed incognitâ, ut dictum est cap. præced. v. 23, prægnante, id est, partui jam proximâ; ut satis constet actum hoc divinitùs ut tale iter in illo statu susciperet, videlicet ut in publicis tabulis censuum profiteretur Maria se Josephi uxorem, ortam ex tribu Judâ; ex familiâ David, subjectam Cæsari, atque ita indubitata fides fieret posteris. Et hinc est quòd Christiani, ut supra diximus, ad illas tabulas censuum provocabant.

Vers. 6. — Factum est autem cum essent ibi, id est, cùm aliquot diebus ibi hærerent, impleti sunt

enim mox ut advenerant, Maria peperit) ut qui non statim admitterentur ad professionem, præ multitudine; vel etiam professi, non statim vellent abire, quòd scirent Dei consilium esse, ut illic, in civitate David, nasceretur puer, quem Dei ac Davidis filium et Christum esse, dudùm ex angelicâ revelatione no verant, non sola Maria, verùm etiam Joseph.

Impleti, perfecti, sunt dies naturales, menses legitimi, *pariendi;* tempus, inquam, novem mensium à conceptu. Nec enim abortavit Maria præ lassitudine ex viâ aut aliâ quâvis de causâ: sed perfecto consueto tempore, peperit, quò eum qui nascebatur verum hominem esse constaret. Hùc porrò inter prima respexerat divina providentia, urgens Augustum Cæsarem ut describi juberet universum orbem, ut opportuna hujus descriptionis occasione, Josepho et Mariâ profectis in Bethlehem, rerum exitus responderet oraculis prophetarum, illic, inquam, Filius Dei, secundùm carnem nasceretur, ubi Deus ipse decreverat, et per prophetas nasciturum prædixerat, quod annotat Titus. Huic rei censionem illam servire Deus voluit, quanquàm nec Cæsar nec præses id scirent. Nam si datâ operâ consultòque mutâsset locum Maria, et ultrò Bethlehem adivisset, ut illic pareret, res ex composito facta non tantæ fuisset auctoritatis, quantæ jam, quando publico edicto aliud agente eò fuit evocata. Fuit enim præses, vel quisquis ille Cæsaris minister, arcanus Dei præco, qui Mariam in locum divinitùs ordinatum accersierit, ut illìc non tantùm censeretur, verùm multò magis pareret, et partum quoque deinde suum, *priusquàm descriptio compleretur ortum*, quod ait Origenes, censui subjiceret. Circumcisus enim Jesus ante absolutum censum (nam ante diem circumcisionis censeri non poterant, quorum nulla erant nomina) et ipse census fuit post parentes, si ante ipsius nativitatem illi censiti fuerant; et præsentibus atque adstipulantibus omnibus qui essent de genere David, in publicas tabulas relatum est, Jesu Mariæ filio originem carnis tractam esse ex David. Hoc sentiunt veterum plerique, et Jesum, inquam, censum ac descriptum fuisse, Justinus Martyr, Apologiâ secundâ ad Antoninum Pium, Origenes, Theophylactus, et Euthymius, scribentes in hunc locum, ex quibus, Origenis verba sunt: « Diligentiùs intuenti, sacra« mentum quoddam significare videtur, quòd in totius « orbis professione, describi oportuerit et Christum, « ut cum omnibus scriptus, sanctificaret omnes, et « cum orbe relatus in censum, communionem suî « præberet orbi, liberans eum, quod addit Euthymius, « à servitute diaboli, qui princeps est mundi. »

Vers. 7. — Et peperit. Peperit itaque nocte, infra, v. 8, et quidem paulò post medium noctis, incipiente nimirùm die hebdomadis illo, qui Judæis prima sabbati, Christianis dies Dominicus vocatur, die autem mensis qui Latinis octavus kalendas Januarii, vulgò vicesimus quintus decembris dicitur; de his enim constat ex traditione. Interea dùm nocte intempestâ vacaret Virgo altissimæ rerum divinarum contemplationi, excitata prænuntiis partùs, non doloribus, sed suavibus motibus, quibus sacer fœtus utero se prodire gestire significaret, corpore composito peperit, cœlestis consolationis et gaudii plena. *Peperit* autem, enixa aliarum matrum more, sic tamen ut nullum passa sit virginitatis detrimentum; nec enim reserata sunt claustra virginalis pudoris, sed per ea illæsa atque integra transiit, qui redivivus sepulcro clauso prodiit. Quâ de re D. Gregorius, homil. 26 in Evangelia: *Illud corpus Dominicum intravit ad discipulos januis clausis, quod ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero virginis.*

Filium, illum de quo ab Angelo prædictum ipsi fuerat, supra, 1, v. 32: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur*, etc.

Suum, non Josephi.

Primogenitum, ante quem nullum alium unquàm pepererat, ac proinde etiam, hâc ratione, nascendi, inquam, ordine, sanctum ac Deo dicatum, præ cæteris primogenitis eximium et Deo charum. Primogenitum vocavit, non quòd post eum alii ex Mariâ nati sunt, uti volebat Antidicomarianus Helvidius, teste B. Hieronymo, libri adversùs eum scripti cap. 5, sed quòd ante eum nullus. Lex enim lata Exodi 13, v. 2, quæ primogenita Deo esse sancta, hoc est, Dei esse, jubebat, non tantùm primogenita vocabat ea post quæ alia ex iisdem gignebantur, verùm etiam quæ sola, post quæ nulla gignebantur. Quocircà Evangelista *primogenitum* Mariæ maluit Jesum dicere quàm unigenitum, ut cùm jam aliundè, tùm et hinc, sanctum ac dicatum Domino esse, nimirùm ex ipso etiam nascendi ordine, Dei esse intelligeres. Neque Hebraicum nomen *becor*, quo et Syrus hìc utitur, est relativum, aut respicit alium qui nascatur postea.

---

dies, ut pareret; naturales scilicet et legitimi, quos dies Aug., lib. 83 Quæst. Evang., q. 56, ponit ducentos septuaginta sex, hoc est, novem menses, et sex dies; tot enim inveniri ait inter 8 kalendas aprilis, quo conceptus est, et 8 kal. Januarii, quo natus est Dominus, sicut à majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, inquit idem, l. 4 de Trin., c. 5, ubi hoc latiùs tractat.

Vers. 7.—Et peperit, enixa, aliarum matrum more, quâdam activitate; sine quâ quidem Christus de matre natus, non tamen mater ita propriè filium peperisse diceretur. In quo partu Aug., 10 de Civit., cap. ult., agnoscit cum Ecclesiâ proprium Salvatoris miraculum, quòd scilicet Virgo peperit, quod fieri non potuit, nisi claustro virginitatis non reserato, et consequenter non sine penetratione dimensionum. Peperit et sine dolore, quia sine corruptione conceperat, ut Bernard., in illud Apocal.: Signum magnum, etc. Additur apud Zenonem, serm. 6, de Nativit., filium sine sordibus delibutum prodiisse cum quibus proles solent. Sed Hier. refragatur, qui lib. contra Helvidium, sicut dicit Virginem per genitalia peperisse filium, ita et tegmine membranarum solito circumvolutum, et, Ep. 22, cruentatum. Non enim, inquit, erubescimus, non silemus; quantò sunt humiliora, quæ pro me passus est, tantò plus ei debeo. Filium suum primogenitum, id est, ante quem nullum alium genuerat; non enim habet hìc respectum ad secundò genitum; ita ut primogenitus et unigenitus reipsâ hìc idem sint. Quanquàm Epiphan., Hæresi 78, velit

PANNIS INVOLVIT, fasciis involvit, ipsa scilicet, non obstetrix, non adjutrix aliqua. Hieronymus, libri contra Helvidium capite 4 : *Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit, ipsa pannis involvit infantem, ipsa et mater et obstetrix fuit.* Similiter Cyprianus, aut quisquis est auctor libri de cardinalibus Operibus Christi, sermone primo : *Panniculi pro purpurâ, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur ; genitrix est et obstetrix, et devotam dilectæ soboli exhibet clientelam*, etc. ; *nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio.* Nullam enim aut infirmitatem aut dolorem inter pariendum passa est, libera à maledicto illo : *In dolore paries filios*, Gen. 3, v. 16 ; sed summo cum gaudio peperit, adeò integra valensque viribus à partu, ut et obstetricis et ancillæ operam egregiè exhibere potuerit. Quare ipsa suis manibus excepit prodeuntem è suo utero, tanquàm pomum maturum ex arbore delabens, nervo ombilicari spontè ac sine violentiâ se dissolvente, quemadmodùm solvitur maturi pomi petiolus. Exceptum manibus, provoluta in genua adoravit, adoratum suavissimè est osculata, lotum deinde (habebat enim lotione aliquâ opus, qui tanti temporis spatio, more cæterorum fœtuum, in utero fuerat membranis obtectus) involvit pannis ac fasciis (ut solent recens nati pueruli), ne membra soluta ac libera enormiter crescerent. Quamvis enim non esset hoc periculi in Christi corpore, debebatur tamen hæc ipsi cura à matre, quam et voluit admittere, ut verum se hominem esse declararet. Involvit autem pannis ac fasciis, non laceris, tritis aut immundis, sed mundis atque honestis (quamvis exigui ac vilis pretii) quæ in hunc usum ante apparaverat et secum hùc attulerat, nihil dubia quin hìc esset paritura. Pannis involutus hìc jacuit, qui postea nudus pependit in cruce.

ET RECLINAVIT EUM ipsa. Non enim decubuit infirma aut exhausta viribus, sed ut sederat pariens, ita à partu mox surrexit, et incessit, et egit quæ opus erat, non minùs alacris et expedita, quàm ante partum, nullo impedita secundarum fluxu, quem non est passa.

IN PRÆSEPIO cùm aliæ non adessent cunæ, significatur peperisse in stabulo seu speluncâ stabulari, adhærente diversorio, et serviente hospitandis jumentis cauponis diversorii ejusque hospitum, exilem sibi locum à bestiis mutuata. Ergo cùm in stabulo non esset alius locus aptior, collocavit filium recens natum in præsepi inter fœnum et paleas, ubi et commodiùs paulò jacere, et frigus minùs sentire posset, ipsa ad præsepe vigilans cum sanctis angelis et Josepho, divinum mysterium adorantibus. Non fugit in infantiâ præsepe, qui in virili ætate non abhorruit crucem. Præsepi porrò alligata fuisse jumenta aliqua, ut est verisimile, ita sentiunt plerique veterum, ac nominatim bovem et asinum, juxta illud Isaiæ 1, v. 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui* ; ita Hieronymus, epistolâ 27. Ambrosius in hunc scribens locum, Gregorius Nazianzenus sub finem orationis in natalem diem Salvatoris nostri, et alii. Qui et hùc affertur illud Abacuc 3, v. 2, juxta interpretationem Septuag. : *In medio duorum animalium cognosceris* ; in quem sensum id canit Ecclesia in Officio circumcisionis Domini, responsorio 6. Et per bovem quidem assuetum jugo, Judaicus populus ; per asinum verò liberum, populus gentilis, solet intelligi ; utrique enim populo Christus incarnatus, factus est pabulum, et appositus in præsepi. Nam cùm homo non intelligens comparatus esset jumentis insipientibus, et similis factus illis, Psal. 48, v. 13 : Verbum Dei, ut fieret congruus cibus hominis, comparatum est cibo jumentorum, et simile factum illi, factum, inquam, fœnum, quod est, caro (*omnis enim caro fœnum*, Isaiæ 40, v. 6) et collocatum appositumque homini in præsepi, ut manducans per fidem, viveret.

QUIA NON ERAT EIS, scilicet Josepho et Mariæ. Explicat causam evangelista, quare Maria pepererit in stabulo. Quidam libri habent pronomen numeri singularis *ei* ; sed meliores servant plurale *eis*, adstipulantibus editionibus Græcâ et Syriacâ.

LOCUS hospitandi IN DIVERSORIO ipso seu hospitio publico (est enim diversorium, locus publicus, ad quem hospitandi causâ homines ex itinere divertunt) quâ scilicet parte homines excipi consueverant ; cæteròqui enim, stabulum pars erat diversorii, sed bestiis excipiendis serviens, non hominibus. Petierat sibi et conjugi Joseph locum in diversorio, oblato pretio, sed non erat eis, præ multitudine externorum qui eò diverterant, et vel anteverterant Joseph et Mariam longè adventantes, vel ut ditiores ac splendidiores ipsis fuerant prælati. Quare in stabulum ejus diversorii divertere coacti fuerant ; nam ut alia adirent diversoria, si quæ erant, aut domos consanguineorum, non temerè credebant omnia similiter plena

primogenitum vocari non respectu Virginis, quasi diceretur, primogenitum suum, sed absolutè primogenitum omnis creaturæ, sicut Apostolus vocat. ET PANNIS EUM INVOLVIT ; Græcè *fasciavit* seu *fasciis involvit*, sicut infantes involvi solent. Nulla enim ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit ; ipsa pannis involvit infantem, ipsa et mater obstetrix fuit, ut Hieron. contra Helvidium. Quod et clariùs ex eo patet, quia RECLINAVIT EUM, præ teneritudine consistere aut sedere non valentem. Nam fasciare et reclinare, et similia opera facere, non est mulieris decumbentis, aut obstetricibus utentis, ut quidam delirârunt ; IN PRÆSEPIO, tanquàm in cunis. Causa erat, QUIA NON ERAT EIS LOCUS, hospitandi, IN DIVERSORIO ; sive propter confluxum populi, describendi causâ accurrentis, sive simul potiùs, quòd odiosa esset paupertas, et instans mulieris puerperium. Porrò insinuat istis verbis Evangelista Christum in stabulo, cujus præsepe est velut mensa, natum esse ; quod quidem Ambr. putat fuisse appendicem diversorii. Euseb. tamen, lib. 7 de Demonstrat. Evang., et Hieron., qui illis in locis versati fuerunt, aliique communiùs tradunt in agro Bethleemitico seu in suburbiis situm fuisse. Fuit autem spelunca, ut Orig., lib. 1 contra Celsum, omnibus aliis consentientibus, ad quam pastores agere solerent de more pecora sua. Unde bovem et asinum præsepi stetisse alligatos, juxta prophetiam Habacuc 3, secundùm Septuaginta tradit Hier., epist. 27 ; Nazian., de Christi Nativit. ; Nyssen., Paulinus et alii. Spelunca ista marmore postea tecta fuit, et super eam structa grandis Ecclesia.

esse, nequè usquàm gratum fore maritum comitatum uxore proximâ partui. Hâc occasione Christus in stabulo est natus, reclinatusque in præsepi, ab ipso suæ nativitatis exordio declarans veritatem illius sui dicti, Matth. 8, v. 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet ;* nimirùm, *propter nos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ nos divites essemus,* 2 Cor. 8, v. 9.

Vers. 8. — Et erant. Erant autem, eâdem scilicet horâ, quâ Maria peperit in Bethlehem.

Pastores ovium, numero tres, quod ait Beda, libri de Locis sanctis cap. 8.

In regione eadem, Bethlehemiticâ scilicet, in pascuis seu campis suburbanis, propè ab urbe. D. Hieronymus, tam epistolâ 27, quàm libro Quæstionum in Genesin, putat eo loco pavisse greges, qui Genes. 35, v. 21, vocatur *turris* Ader seu *gregis.*

Vigilantes. Videri possit interpres legisse ἀγρυπνοῦντες, quod est, vigilantes, cùm Græcè legatur, ἀγραυλοῦντες, quod Euthymius interpretatur, *in agro degere seu pernoctare ;* similiter Theophylactus : *In agro stabulantes et versantes.* Sic enim in regionibus calidioribus solent pastores, etiam hieme, in agris nocte, sub dio, agere cum gregibus suis, quos septis circumdederint adversùs luporum incursum.

Et custodientes, observantes, vicissim obeuntes, vigilias. Interpres hoc habuit pro expositione vocis præcedentis ad verbum, *custodientes custodias, excubantes excubias.* Sæpè occurrit in Evangeliis mentio vigiliarum, quæ Græcè dicuntur custodiæ, in quas numero quatuor divisa olim erat nox, sumpto à militari disciplinâ exemplo. Quod ergo in exercitu milites adversùs hostes, id pastores in agris adversùs lupos et fures faciebant, ut excubias suo ordine agerent, partito in plures onere.

Noctis, quod est, nocturnas. Clarè significat evangelista, quòd nocte Christus natus sit; nec dubium quin tertiâ noctis vigiliâ, incipiente à nocte mediâ. Quidam vertunt *nocte,* quod posset admitti, si non adderetur Græcè articulus τῆς νυκτός. Nocte natus est Christus, quia in tenebris et umbrâ mortis sedebant ii quibus illuminandis est natus, sup., 1, v. 79.

Super gregem suum, ne quid detrimenti pateretur ab insidiis noctis, nempe à furibus vel à lupis aliisve feris. Christus natus debuit manifestari, ut sciri posset quando, ubi, et quomodò natus fuisset : supervacaneum enim fuisset nasci, si occultum hoc mansisset, nec innotuisset mundo. Non tamen mox omnibus manifestandus fuit (quam etiam ob causam nocte est natus) quia id tempus nondùm permitteret. Cùm ergo aliquibus esset manifestandus, quæritur cur primùm pastoribus? Respondet schola Græcorum, propter simplicitatem expertem doli, et innocentiam morum, quòdque patriarcharum (quibus Christi nativitas promissa fuerat) veterem vivendi consuetudinem sectarentur. Addunt Latini, quia natus pauper et humilis pauperibus et humilibus primum ostendi voluit; divites enim superbi, vel mysterium ludibrio excepissent, vel suis adscripsissent meritis, si primis ipsis Christus fuisset revelatus. Quo ergo consilio postea, primos discipulos elegit piscatores, eodem nunc pastores, ignobilia et contemptibilia præferens, ut confunderet fortia, ut nè gloriaretur omnis caro in conspectu ejus, 1 Cor. 1, v. 26 et seq. Interea putandum non est, solos idiotas Christo placere : nam et magis philosophis statim se revelavit. Sed si ab his philosophis cœpisset, hunc honorem scientiæ tribueremus tanquàm merito. Ut igitur istam superbiam prosterneret Dominus, exorsus est à pastoribus, mundi judicio vilibus nec alicujus reputationis.

Vers. 9. — Ecce rem inexspectatam.

Angelus cœlestis, *sensili crassoque corpore indutus,* quod ait Titus. *Nam et is quoque,* ait, *qui corporis ante expers erat, per carnem assumptam mortalium generi conspicuum se reddidit.* Apparebat haud dubium, humanâ specie; putatur autem rursùs fuisse Gabriel, cui tota hujus rei cura fuerit demandata. *Angelus Mariam, angelus Joseph, angelus pastores instruit,* inquit Beda; *et concipiendum, et conceptum, et natum, cœli cives, Dominum testantur; ut et mortales sufficienter imbuant, et suum auctori servitium incessanter impendant.* Atque omninò par erat, ut regem cœlorum natum, cœlestis nuntius primùm annuntiaret; considerare ergo oportet Christum in speciem abjectum, sed coram Deo et angelis æstimatione nihil imminutum.

Stetit juxta illos; adstitit illis, Syrus : *Venit apud eos.* Quidam vertunt *supervenit illis,* repentè scilicet, cùm nihil minùs exspectarent. Alii *superadstitit illis,*

Vers. 8. — Et pastores erant in eadem regione, Bethleemiticâ, nempe circa turrim Ader seu Gregis dictam, ubi Jacob paverat gregem suum, ut Hier., tum lib. Quæst. in Gen., tum ep. 27. Græcum autem sonat potiùs *in eodem agro,* quo videtur magis insinuari in agro fuisse locum Nativitatis Christi. Vigilantes, Græcum significat in agro stabulantes seu pernoctantes, ut exponit Euthymius, quod etiam hyeme in regionibus calidis frequens est ; ut imperitè colligat hinc Scaliger non esse natum Christum hyeme. Et custodientes vigilias noctis, id est, quatuor illas notissimas noctis vigilias vicissim ordine suo peragentes pro gregibus, adversùs lupos et fures, sicut milites contra hostes. Itaque indicatur plures fuisse, quos Beda, de Locis sanctis, et Bernard., serm. 6, de Nativ., tres fuisse ponit. Porrò quo mysterio primos discipulos Deus elegit piscatores, eodem et pastores, infirma videlicet mundi præferens, ut confunderet fortia.

Vers. 9. — Et ecce, ex improviso, angelus Domini, qui creditur fuisse idem Gabriel. Unde Beda, verbis ex Ambrosio mutuatis : angelus Mariam, angelus Joseph, angelus pastores instruit, et concipiendum, et conceptum et natum, cœli cives Dominum loquuntur ; eumdem angelum fuisse insinuans. Stetit juxta illos, visibili scilicet corpore, et propter nativitatem Christi in humanâ carne jam familiarior. Nam, ut August., 9 de Civit. c. 9, ad ærumnas hujus vitæ (scilicet ex peccato damnatæ) pertinet, quòd angeli nobis non eâ, quâ homines, familiaritate misceantur. Et claritas Dei, id est, splendor quidam eximius divinitùs circumfusus, circumfulsit illos, id est, fulsit circùm illos, ut et tenebræ noctis dispellerentur, et divinitùs missum intelligerent ; et timue-

imminuit illis, ex alto scilicet imminuit verticibus eorum, sublimis stetit supra illos, eo situ declarans se de cœlo delapsum: hæc enim omnia admittit præpositio ἐπὶ, ex quâ compositum est verbum ἐπέστη: quanquàm proximè ex stabulo se venire mox indicet.

Claritas, gloria Dei, *Domini*, divinus splendor, fulgor cœlestis, quo scilicet angelus fulgebat, testis Dei præsentis et angeli à Domino missi. *Claritatem Domini, intellige hìc divinum lumen*, ait Euthymius. Apparuit angelus non vulgari formâ, vel sine dignitate, sed fulgore cœlestis gloriæ instructus, qui pastorum animos ita afficeret, ut allatum sibi sermonem, non secùs atque ex ore ipsius Dei exciperent.

Circumfulsit eos, fulsit circùm eos, *divinâ claritate cœlestique gloriâ circumfusi sunt*, ait Titus, quâ tenebræ noctis circùm eos diei instar sunt illuminatæ.

Et, quamobrem, ob subitum scilicet et insolitum angeli conspectum ac splendorem. Euthymius, *propter visionis novitatem*

Timuerunt. Vel enim vigilabant omnes, vel unus suo ordine vigilans, cæteros perterritus excitàrat.

Timore magno, id est, vehementissimè, ut solent homines ad subitam Dei angelive apparitionem, quâ sunt infirmitate; vide supra, 1, v. 12. Dùm enim conditionem suam humilem cum cœlestibus cogitando comparant, religioso timore correpti, tantùm non exanimantur.

Vers. 10. — Nolite timere, ne timeatis. Aufert bonus angelus incussum suâ præsentiâ timorem, ut consuevit, quò audiatur sedato ac tranquillo animo; vide supra, 1, v. 13.

Ecce enim, præter exspectationem vestram,

Evangelizo, annuntio lætum nuntium. Non adsum legatus rei quæ timorem incutere vobis debeat. Evangelizandi voce signanter evangelista est usus, quòd hìc de primo Evangelii capite ageretur. Vide titulum Evangelii, ad caput primum Lucæ.

Vobis, præ aliis nobilioris conditionis, quod magni proinde beneficii loco tenere debetis. *Pauperes evangelizantur*, Matth. 11, v. 5.

Gaudium magnum, nuntium, quod non timorem, sed gaudium, idque magnum et incomparabile, vobis afferat, vel certè materiam præbeat.

Quod, scilicet gaudium ex hoc nuntio proveniens,

Erit commune vobiscum omni populo vestro, Israelitico, inquam; multis ejus populi quod ad rem, omnibus quod ad materiam. Vobis primis annuntiatur, quâ estis felicitate: verùm patebit longiùs, erit suo tempore, quando publicitùs prædicabitur omni populo commune: universus populus habebit unde gaudeat, ut de communi ac publico bono. Populum intelligit eum cujus pastores membra erant, qui eo tempore Christum exspectabat, et cui Christus præsentiam ac ministerium suum venerat exhibiturus, id est, Judaicum. Quamvis enim non omnes ejus populi hoc nuntium cum gaudio exceperint, quinimò multi, hostili odio prosecuti, pertinacissimè rejecerint: tamen ut omnibus promiscuè oblatum est, ita multis magno gaudio fuit, omnibus autem et singulis copiosissima gaudii materia, Deo fidem suam liberante, qui semini Abrahæ Christum promiserat. Tandem verò dirutâ maceriâ, fuit gaudium hoc commune omni totius mundi populo, tam gentili quàm Israelitæ: quod Syrus intelligens hìc significari, pro populo vertit *holmo*, quod est mundo, seculo.

Vers 11. — Quia, id est, quod. Syrus, *enim*, tanquàm causa reddatur. At præstat εἰδικῶς interpretari, gaudium magnum, hoc scilicet, quòd natus sit, quomodò Euthymius exponit. Nullum poterat fidelibus Israelitis hoc nuntio lætius afferri, aut jucundius audiri, in nullam rem æquè ac in venturum Christum intentis.

Natus est, homo, ejusdem naturæ vobiscum.

Vobis. Nec omittendum est secundæ personæ pronomen *vobis*, nec mutandum cum primæ personæ *nobis*. Vobis Israelitis, quibus à Deo olim promissus, et à quibus hactenùs votis omnibus exspectatus: *Vobis*, inquam, vestro maximo bono, ad salutem inprimis et utilitatem vestram. Significantur Israelitæ, singularem tamen vim atque emphasim habet pronomen erga ipsos pastores. Eodem loquendi genere, Isaias ex Israelitarum personâ sibi gratulatur hoc beneficium, ubi ait, cap. 9, v. 6: *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis.*

Hodiè, id est, hâc ipsâ horâ, plus enim significat quàm dicat; non solùm enim vult dicere *hodiè*, quia nox pars est diei civilis incipientis à mediâ nocte, verùm etiam hâc nocte et hâc horâ omninòque recenter.

Salvator, qui salvos faciat, qui liberet vos, ab omnibus malis. Hoc epitheto insignit angelus Christum, alludens, tum ad prophetias, quibus promittitur sub hoc nomine; Isaiæ 62, v. 11: *Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit;* tum ad futurum ipsius nomen proprium Jesu; non solùm quia ipsum per se Salvatoris nomen splendidum est ac lætum, et gaudium illud magnum quod promiserat præ se ferens, verùm etiam quia

runt timore magno, humanâ videlicet infirmitate, quam ad subitam Dei vel angelorum apparitionem experiri solent.

Vers. 10. — Et dixit angelus: Nolite timere. Ita quippe boni angeli solent timorem abstergere, ut animo tranquillo verba sua accipi possint. Ecce enim non est causa timendi, sed gaudendi, quia evangelizo vobis, pro cæteris, quâ in re singularis vestra felicitas est, gaudium magnum, id est, causam seu objectum gaudii magni: quod erit, non vobis tantùm privatim, sed publicum omni populo Judaico. Non enim ad gentiles respici, sed ad expectationem Judæorum suadet circumstantia personarum, ad quas loquitur.

Vers. 11. — Quia natus est vobis, Israelitis in Messiæ sibi promissi exspectationem attentissimis, salvator, quo nomine sæpè promissus erat à prophetis, ut Isaiæ 62, v. 11, Zachariæ 9, v. 9, qui est christus, Messias ille vester, seu unctus, non quolibet modo, sicut et alii *Christi* vocantur, sed *Christus Dominus*, qui scilicet unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis, ut non aliorum Christorum conditione servus sit, sed Dominus, quo divinitas ejus indicatur. In civitate David, scilicet Bethleem, ut supra dictum,

præcipuum Christi munus declarat, quod est salvum facere populum. Nec addit ab his aut illis malis, ut omnia excludantur, et absolutè *Salvator* dictus intelligatur; q. d.: Multis opprimimini tum animi tum corporis malis; ab omnibus hic vos liberabit; id enim tandem perfecturus est in resurrectione justorum, ubi plenam daturus est salutem.

Qui est Christus seu Messias, ille desideratissimus vobis. Loquitur de re notâ pastoribus Judæis; quia apud gentiles frustra hâc loquendi formâ usus fuisset.

Dominus, promissus rex et princeps Israelis. *Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus*, Psal. 2, v. 6. Christus propriè vocatur Dominus in sacris litteris, ut qui pretio sanguinis sui redemerit populum è servitute. Sed videtur angelus non minùs suum Dominum agnoscere quàm pastorum, et dicere: *Dominus* noster, non minùs quàm vester, si de creatione agatur; nam angelorum non est redemptor. Christum igitur, etiam Deum esse dat intelligendum.

In civitate, in patriâ, David, vicinâ. Nominat civitatem David, potiùs quàm Bethlehem, ut memores promissionis Davidi factæ nec ulli non notæ, quòd ex stirpe ejus Christus esset oriturus, psal. 131, v. 11, et opinionis vulgi, consentaneæ vaticiniis prophetarum, quòd *ex semine David et de Bethlehem castello ubi erat David* venire habebat Christus Joan. 7, v. 42, faciliùs fidem nuntio adhibeant. Ergo promissiones de futuro Messiâ (quæ tantoperè desideratæ fuerant) adimpletas, evangelizat angelus; quæ res attentissimos profectò pastores reddidit.

Vers. 12.—Et hoc; etc. Postquàm tacitè monuisset angelus pastores versu præcedente, ut quærerent et inviserent Christum recenter natum, quando dixerat, ipsis esse natum, et non procul ab eo loco; jam dat eis signum quo possint invenire ac dignoscere, intelligendum interim dans se ex speluncâ illâ stabulari venire.

Hoc autem, si tantum bonum quærere, et Christum Dominum recens natum invisere vobis sit animus, erit vobis signum, quo eum inveniatis, et ab aliis infantibus discernatis, quo cognoscatis quis sit ille quem dico. Duplex dari potest alicujus rei signum, unum quo probetur ac monstretur esse talis qualis dicitur; sic Jesum esse Christum, multis supernaturalibus ac divinis miraculis suo tempore declaratum fuit. Alterum, quo cognosci ac discerni possit res illa, quam talem aut talem esse dicimus, quod dici possit signum discretionis atque agnitionis, prout alterum signum probationis seu confirmationis. Porrò angelus hìc dat signum mixtum, magis tamen distinctivum, quo cognosci posset infans ille quem nuntiaret, quàm confirmativum: nam pro perfectè confirmativo, mox accessit apparitio cœlestis exercitûs. Dat ergo signum sensibile et in oculos incurrens, declarans quo habitu et quâ constitutione inventuri sint eum de quo loquitur, et quem Christum esse prædicat, ut sciant et certò dicere inter se possint: Hic est infans de quo angelus nobis locutus est. Quemadmodùm infra, 19, v. 30, Christus dat signum asini quem adduci ad se velit, quòd inveniendus sit ligatus in ipso introitu loci, rursùs domûs in quâ velit cœnare Pascha, quòd eam ingressurus sit homo, amphoram aquæ bajulans, infra, 22, v. 10; habet autem hoc genus signi distinctivi aliquid probationis, eis qui animadvertunt, absentia revelari et futura prædici, quod nemo facilè potest, nisi Deo faciente. Non poterat angelus certò scire, infantem esse fasciatum et in præsepi positum, tum cùm pastores alloqueretur, multòque minùs hujusmodi fore quando pastores eò pervenissent, nisi Deus ipsi revelâsset. Facillimè enim infans è præsepi auferri et in ulnas accipi, aut in sinu collocari, fasciæque dissolvi potuissent, antequàm pastores eò pervenissent.

Invenietis, ubi adveneritis eò, infantem, natus est enim infans ætate, more cæterorum hominum, quamvis virtute vir.

Pannis ac fasciis puerilibus involutum, non dissolutis fasciis nudum.

Positum, jacentem, non levatum.

In præsepio, non in cunis, lectulo, aut gremio matris, sed in præsepi, quasi omninò natum more pastoris, ut reverà est promissus ille pastor bonus, Ezech. 34, v. 23. Ut inusitatum est hoc, infantulum mox ut natus est collocari in præsepi; ita signum erat, quo infallibiliter nôsse pastores possent, de hoc puero angelum fuisse locutum. Non puduit autem angelum, ejusmodi signum proponere, quod non nisi paupertatem et humilitatem præ se ferret, imò consultò hoc elegit; nam cùm ejusmodi res hæc esset, quæ pastores abstrahere posset, ne crederent hunc puerum esse Christum Regem, quippe vilis et abjectæ conditionis res; dando eam in signum, occurrit omni offensioni, quasi diceret, regnum Christi non in fastu consistere et divitiarum jactantiâ, sed in mundi contemptu; nec ignominiæ Christo fore hanc paupertatem, sed gloriæ, sic enim Deo decretum esse,

Maluit hâc periphrasi uti, quàm nomine proprio, ut indicaret promissionem Davidi factam, jam impletam esse, ut Iren., lib. 3, c. 11.

Vers. 12. — Et hoc vobis signum, erit, non probativum Salvatoris, humilitas scilicet et paupertas nascentis, ut S. Bernardus voluit, moraliter potiùs quàm litteraliter; sed signum distinctivum illius infantis ab aliis quos quærere potuissent. Invenietis infantem pannis involutum, fasciis puerilibus, positum in præsepio, quasi natum more pastoris, qui pastor unus et bonus futurus est, juxta prophetas. Cùm autem ex nomine præsepii locum pastores intellexerint, consequens videtur, præsepium fuisse publici stabuli, pastoribus passim notum, vel certè non omnia angeli verba hìc esse expressa. Porrò pastoribus maluit Deus primò revelare Christum suum, tum ex illâ generali, et archivâ regulâ divinæ providentiæ, ex quâ stulta et infirma, et ignobilia mundi solet eligere; tum quia quantò vilior eorum persona erat ad humanam prudentiam, tantò pretiosior erat ad faciendam fidem, inquit Ambrosius, nescit enim fucare vel palliare simplicitas; tum denique ut essent typus pastorum Ecclesiæ, quos primos Deus elegit illitteratos et simplices, ad prædicandam aliis Christi nativitatem.

ut hâc initâ vivendi ratione, Christus populum salvet. Jam notet quis, quòd cùm multa fuisse præsepia in Bethlehem, verisimile sit, angelus non declaret pastoribus in cujus stabuli præsepi sint puerum inventuri. Respondeo, quòd non obscurè declaret angelus, puerum natum esse filium mulieris alicujus extraneæ, quæ domum propriam Bethlehemi non haberet, ac proinde quærendum illum esse in stabulo diversorii alicujus publici; qualia credibile est in parvo oppidulo non ita multa fuisse, quin facilè inveniri atque adiri potuerint, præsertim stabula, et quidem à pastoribus ejusdem loci. Interim potuit angelus, diligentiæ pastorum aliquid reliquisse; nec dubium quin ducem se quærentibus præbuerit, ut faciliùs invenirent.

Vers. 13. — Et subito, simul atque angelus desîsset loqui.

Facta est, adfuit; *conjuncta est*, exponit Euthymius,

Cum angelo, cum illo angelo, qui scilicet locutus fuerat; Syrus *apparuerunt cum illo angelo*,

Multitudo militiæ cœlestis, multus exercitus cœlestis; ponitur enim militia pro exercitu; magna cœlestium angelorum multitudo, ut exercitus præ multitudine visus esse fuerit, isque benè magnus, duobus enim nominibus exaggerat evangelista multitudinem. Consuevit Scriptura multitudinem angelorum vocare exercitum, quia angeli velut Dei milites sunt, et quidem innumerabiles, Job 25, v. 3, quia ordine per choros velut legiones dispositi sunt, quia summis viribus valent, denique quia Deo monarchæ, veluti summo imperatori, omnes subsunt ac parent, et ad ejus nutum præstò sunt, parati debellare quicumque Dei imperio velint rebellare, et omnia ejus jussa efficacissimè velocissimèque exsequi. Hinc vocatur Deus Sabaoth, Deus virtutum, Deus exercituum; hæc enim tria idem unum significant; quòd semper paratos habeat complures exercitus angelorum, virtute potentium, quos emittat in omnem partem, ad faciendum vocem sermonum ipsius, psal. 102, v. 20. Ut ergo cessavit loqui primus angelus, mox adfuerunt illi copiæ plurimorum aliorum angelorum, sive ex alto advolârint, quod vult Beda, sive ex improviso apparuerint visibiles, cùm priùs adfuissent (neque enim verisimile est auditos tantùm fuisse) quemadmodùm adfuerant Dominicæ nativitati, haud dubium, licet non visi. Notat Epanorthotes, pro *militiæ*, quosdam legere ex antiphonâ *exercitus*, alios utrumque jungere, *militiæ cœlestis exercitus;* neutrum probat.

Laudantium Deum, canentium modulatione quâdam cœlesti atque ineffabili laudes Dei, unà cum primo illo angelo, cæteris tanquàm duce præcinente. Laudârunt autem Deum, ob Christum Salvatorem hominibus datum; suo nos exemplo docentes quid nos facere oporteat quibus est datus, si ipsi tantoperè jubilârint, quibus non est natus. Quamvis ergo unus angelus jam apparuisset amictus divino splendore, ne tamen parùm fidei aut auctoritatis uni tribuerent pastores, neve offenderentur nuntiati pueri paupertate humilitateque, voluit Deus splendidiùs etiam Filium suum ornare, et uni plures adjungere, qui ita suffragarentur primi nuntio, ut monstrarent, nihil ob pauperem humilemque nativitatem in carne, puerulo decedere majestatis, cujus gloriæ cœlestes omnes spiritus æquè servirent. Sic enim laudârunt Deum, et hominibus congratulati sunt, ob Christum natum, ut consequenter Christum ipsum ornârint atque illustrârint. Ita nativitas Christi, in speciem vilis atque humilis, cœlesti magnificentiâ ac gloriâ decorata est.

Vers. 14. — Gloria, laus, honor, actio gratiarum, scilicet ut debetur, ita redditur et canitur à nobis. Proprium ac perpetuum angelorum opus atque officium est, Deum incessabili atque inenarrabili voce laudare, quippe qui sit summum bonum in se, et fons omnis ejus quod in ipsos et homines cæterasque creaturas derivatur boni : ita ut solus laudari mereatur, nec unquàm satis à suis creaturis laudari possit.

In altissimis Deo, Deo qui est seu habitat, id est, præsentiam suam manifestat, in altissimis seu excelsis, quod est, in cœlis. Quare Syrus clariùs, mutato verborum ordine, scribit : *Gloria Deo in excelsis.* Tamen *altissimis* non mutes pro, *excelsis.*

Et, pro *nam*, seu *quia;* exprimunt enim angeli causam, quare jam canant gloriam Deo, idque insueto more, hominibus videntibus et audientibus, quia

In terra pax data est, quia à Deo ex altissimis cœlis jam contigit in terrâ pax. Gaudent enim de nostro terricolarum, non secùs ac de suo bono. Pacis autem nomine intelligunt salutem, ut solet in divinis Scripturis intelligi; salutem autem eam quam Christus afferat; à quâ Salvatorem vocaverat primus angelus, supra, v. 11; cujus principium est, reconciliatio cum Deo, complementum visio Dei. Salutem verò dicunt allatam in terram, quia initium salutis; quia auctor salutis natus apparuit in terrâ. Quòd enim hùc referant gratulationem suam, clarum ex eo fit, quòd occasione nuntii de Christo nato dati hoc canant.

Vers. 13. — Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, id est, magna cœlestium angelorum multitudo, instar exercitûs; quo nomine passim angeli vocantur, quia numero innumerabiles sunt, Job 25, versu 3, quia ordine per choros tanquàm legiones dispositi sunt, quia potentissimi, quia Deo, imperatori summo, ad nutum præstò sunt, ad debellandos hostes, tum visibiles, tum aerias dæmonum potestates. Et hinc vocatur Deus ipse *Dominus virtutum, exercituum, sabaoth,* quæ idem sunt. Laudantium Deum, de tanto beneficio, non sibi quidem, sed hominibus præstito. Utilis fuit ista tantorum testium multitudo, ut non offenderentur paupertate nascentis, cujus majestati et gloriæ servirent.

Vers. 14. — Gloria in altissimis Deo; id est, gloria, honor, et laus debetur Deo, qui habitat in altissimis, nempe cœlo, vel angelis; vel potiùs gloria debetur ac defertur Deo in altissimis, scilicet cœlo et cœlestibus angelis, ut significetur glorificationem esse fructum, qui angelis, altissimum creaturæ locum obtinentibus, ex Christi nativitate obtigit. Et in terra, sedibus altissimis oppositâ, pax hominibus, scilicet cum Deo, quia per Christi nativitatem homines Deo reconciliati sunt; quæ pax in eis fons est omnium bonorum bonæ voluntatis; quod Augustinus,

Hominibus, in hominibus. Præpositio *in*, vel posita est pro *ad* seu *erga*, ut frequenter in hoc genere loquendi, Psal. 149, v. 4; Matth. 3, v. 17, etc; vel superfluit Latinè et Græcè, quod frequenter; prout intellexit Latinus interpres, opponens Deo in altissimis, homines in terrâ.

Bonæ voluntatis. Syriacè similiter sunt duæ dictiones *sabro tobo*, Evangelium seu nuntium bonum; nam Græcè unica est vox εὐδοκία, quam Latinè exprimas lubentiam seu placitum. Vetus interpres consuevit transferre, nunc propositum, Ephes. 1, v. 5; nunc beneplacitum, Psal. 68, v. 14, et 140, v. 5; Eccles. 1, v. 35, infra 10, v. 21; nunc bona voluntas, Psal. 5, v. 13 et 50, v. 20; Philip. 2, v. 13. Quanquàm autem vox ista etiam hominibus tributa legatur, significans pium, benevolum, ac propensum animi hominis erga Deum aut proximos affectum, Ephes. 1, v. 15; Rom. 10, v. 1; tamen hæc significatio huic sententiæ congruere non videtur, præsertim cùm et in malam partem hâc significatione accepta legatur. Nam Ecclesiastici 18, v. 31, habes: *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus* (Græcè, εὐδοκίαν ἐπιθυμίας, beneplacitum seu proclivem affectum concupiscentiæ), *faciet te in gaudium inimicis tuis;* ut nec hominis placitum per se laudatur in sacris litteris. Est igitur eâ significatione accipienda vox εὐδοκία, quâ Deo tribuitur (quod frequens est) pro antegressâ Dei in homines bonâ voluntate, pro amicâ, benevolâ, ac propensâ Dei erga homines affectione, denique pro infinito illo ac gratuito Dei in electos amore, quo ipse eos prior ante tempora secularia in Filio dilexit; de quo Apostolus ad Ephes. 1, v. 5, ait, *secundùm propositum voluntatis suæ.* Hùc Syrus respexisse videtur, qui vertit evangelium seu nuntium bonum (est enim Syris *sabro*, quod Hebræis *besora*) quia æternus ille Dei erga homines amor, Evangelio Christi caro facti manifestatus fuit. Hebraica vox *rason*, respondens Græcæ εὐδοκία, etiam ipsa vox media est, et in bonam partem sumitur et in malam, et tam hominibus quàm Deo tribuitur, pro favore, benevolentiâ, gratiâ, propenso animo, etc. Jam observandum, quòd Græcè legatur recto casu εὐδοκία, cui lectioni Syriaca editio suffragatur, scribens additâ conjunctione, quæ tamen nec Græcè nec Latinè exstat, *et nuntium bonum hominibus.* Id Theophylactus et Euthymius ita accipiunt, ut sit tertium membrum hujus hymni angelici: *In hominibus bona voluntas;* sed præstat accipere tanquàm explicationem præcedentis, *pax in terrâ* (ita ut non sint nisi duo membra, quemadmodùm Latinè) quâ declaretur causa pacis immediata, nimirùm Dei per Christum benevolentia. Salus obtigit in terrâ, nimirùm hominibus qui terram incolunt, Dei favor, benevolentia, ac gratia, Dei amicus ac benevolus affectus. Beneplacitum Dei est in hominibus seu erga homines; quomodò legitur, Psal. 149, v. 4: *Beneplacitum est Domino in populo suo;* idcircò in terrâ pax. Prius non erat Deo beneplacitum in hominibus, ac proinde nec pax in terrâ, *quia Dominus de cœlo prospexit,* ait ille, *super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt,* etc., Psal. 13, v. 2. Sed postquàm is natus est, de quo infra 3, v. 22, testatur: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi;* propter eum propitius ac favorabilis hominibus factus est Deus, eo nato et hominibus dato, propitium, benevolum ac fautorem se hominibus ostendit, ita ut terræ obveniret pax, salus et omnimoda animi corporisque prosperitas. Hoc sensu Græcè legitur casus nominativus; sed Latinus interpres genitivum casum habuit, et vertit *bonæ voluntatis;* quam lectionem sequuntur vetustissimi quique Latinorum auctorum, quibus disertè suffragantur Græci, Origenes, hom. 13 in Lucam, et Chrysostomus, homiliâ de nativitate Domini. Hunc genitivum quidam construunt cum *hominibus* (quod mollissimum est) et intelligunt homines bonæ voluntatis, eos quos Deus propenso suo favore et gratiâ dignatur, electos nempe ac prædestinatos, quemadmodùm dicuntur filii iræ, illi qui in iram Dei incurrerunt. Sed quia non facilè mihi persuadeo angelos restringere voluisse nuntium ab se allatum, cujus gaudium omni populo commune fore primus angelus dixerat supra, v. 10; idcircò malim cum aliis jungere genitivum *bonæ voluntatis* cum nominativo *pax: Pax bonæ voluntatis;* sicut dicitur, Psal. 5, v. 13, *scuto bonæ voluntatis.* Est autem pax bonæ voluntatis, salus profecta à bonâ Dei voluntate, salus proveniens non ex meritis hominum, sed ex gratuitâ ac propensâ Dei benignitate. Quo significant angeli, ex merâ Dei misericordiâ, nullis intercedentibus hominum meritis fluere salutem hanc, quam canunt obtigisse hominibus terram incolentibus. Ut enim incarnatio Filii Dei singulare opus fuit gratuitæ Dei misericordiæ, quod supra, 1, v. 54, 72. 78, et alibi sæpè doctum est; ita et salus ex eâ proveniens. Nec enim nisi per Christi incarnationem, salus, gratia, favor aut benevolentia Dei, unquàm potuit hominibus contingere. Canunt ergo angeli laudem Deo, et celebrant gloriam ejus, eò quòd jam obtigerit à Deo in cœlis agente, hominibus terram incolentibus, perfecta salus, non ex ipsorum hominum meritis, sed ex solâ Dei misericordiâ ac benevolentiâ, per Chri-

4 de Civit., c. 8, et alibi exponere solet de bonâ voluntate hominum, quasi dicerent, pax hominibus, habentibus bonam voluntatem; sed Græcè est in nominativo *bona voluntas,* quod significare solet in Scripturis bonam voluntatem, non hominum, sed Dei, quam vocamus benevolentiam et beneplacitum Dei erga homines. Itaque Græci nonnulli trimembrem faciunt hunc hymnum: ut prima pars sit: *Gloria in altissimis Deo;* secunda, *et in terrâ pax;* tertia, *hominibus bona voluntas.* Sed longè rectiùs illa postrema in unum conjunguntur, et quidem in genitivo: *In terrâ pax hominibus bonæ voluntatis;* sic enim omnes Latini et antiquiores aliqui Græci legerunt; et ita illud, *bonæ voluntatis,* referendum est vel ad *pacem*, ut sensus sit, pax bonæ voluntatis, id est, pax non profecta ex meritis, sed ex gratuitâ Dei benevolentiâ, obtigit hominibus; vel faciliùs et molliùs ad illud, *hominibus,* hoc sensu: Pax data est hominibus, quos Deus benevolè dilexit, seu in quibus sibi complacuit. Quo nomine electi et prædestinati vocari solent; nam illis præcipuè Salvator venit, et pax allata est.

stum natum. Hymnus est laudis, quà respicit Deum; gratulationis verò, quà homines; illustrans pauperem Christi nativitatem, et pastoribus fidem atque animum addens.

VERS. 15. — UT, mox ut.

AB EIS, pastoribus.

IN COELUM. Sicut apparuerunt visibili formâ, ita visibili modo ascenderunt in cœlum, quò pastores facerent certiores, se ut angelos bonos, peractâ legatione, redire ad Deum à quo fuerant missi; est enim cœlum, Dei palatium, et bonorum angelorum domicilium, unde cacodæmones exsulant.

PASTORES, et *homines pastores.* Interpretes Latinus et Syrus non legerunt illud, *et homines*, vel certè si legerint, ut superfluum omiserunt. ET enim, vel redundat, vel pro *tunc* ponitur, ut aliquando: *homines pastores* autem, appositio est speciei ad genus, qualis legitur Genes. 46, v. 32: *Anasim rohe son,* viri pastores pecudis. Quidam intelligunt homines angelis opponi.

LOQUEBANTUR, dixerunt, exhortati sunt se mutuò, invitabant se mutuò verbis, læti.

TRANSEAMUS, compositum pro simplici *eamus.* Additur Græcè, δὴ, sanè, obsecro.

USQUE, *usque in* BETHLEEM.

ET VIDEAMUS, ut videamus oculis nostris HOC VERBUM QUOD FACTUM EST, rem istam quæ facta est, scilicet illic. Sic legis 2 Reg. 1, v. 4: *Quod est verbum quod factum est? indica mihi.* Hebraicè: *Me haia haddabar,* quod fuit verbum? id est, quid accidit rei? Similiter Jud. 8, v. 1: *Ma haddabar hazze hasita lanou?* cur verbum hoc fecisti nobis? pro, rem hanc.

QUOD DOMINUS OSTENDIT NOBIS. Hæc, ut est Bibliorum Sixtinorum, ita et antiquorum exemplarium lectio, conformis Græco ac Syro. Quare non mutanda cum hâc aliorum: *Quod factum est, quod fecit Dominus et ostendit nobis.*

Quod, scilicet verbum seu rem. Syrus, *aich,* sicut, prout.

Dominus. Scienter et rectè adscribunt Domino, quod non nisi ab angelis ejus audierant: nam quos agnoscunt Dei fuisse legatos, auctoritate quoque dignantur, ac si Dominus fuisset locutus. *Ostendit,* notum fecit, aperuit, indicavit, adeòque signis adhibitis ut invenire possimus. *Nobis,* tantillis licèt et immerentibus. Nihil dubii quin angeli à Deo missi nuntiàssent ipsis quod res vera erat, excitant se mutuò ad visendum, ne Deo ingrati sint, tum quòd primus angelus non obscurè monuisset id Dei consilium esse, tum quòd res esset visu digna cumprimis, Christus natus.

VERS. 16. — ET VENERUNT. Venerunt itaque Bethlehem. Putantur pascua distantia fuisse mille passus à Bethlehem.

FESTINANTES, tum præ desiderio videndæ rei tantæ, tum præ curâ quàm ocissimè redeundi ad gregem, quem non sine periculo deseruerant. *Non cum desidiâ quærendus est Christus*, quod monet Ambrosius. Nam *quia festinantes venerant, et non pedetentim, neque fesso gradu*, inquit Origines, *ideò invenerunt,* etc.

INVENERUNT, in stabulo unius ex publicis diversoriis; facile enim eis fuit invenire stabulum, quod diximus supra, v. 12; et facilis ipsis eò fuit accessus, pastores præsertim cùm essent.

MARIAM, matrem, rectè valentem, quamvis recens enixam, itaque matris officium peragentem, ut sine comitibus aut aliis ministris, ipsa infantem involutum in præsepi positum haberet.

ET JOSEPH, maritum Mariæ, *dispensatorem ortûs Dominici,* quod ait Origenes.

ET INFANTEM. Non addit *pannis* seu fasciis *involutum*, quia hoc satis intelligitur ex eo quòd positus dicatur in præsepi, præsertim cùm superiùs esset expressum.

POSITUM, jacentem, solos scilicet, et quidem Mariam ac Joseph, ad præsepe vigilantes, et pernoctantes in oratione Dei.

VERS. 17. — VIDENTES, postquàm vidissent, Mariam scilicet, Joseph, et infantem recenter natum, pannis involutum, et in præsepi jacentem, quemadmodùm angelus prædixerat inventuros, quod signum angelus ipsis præstituerat dignoscendi infantis. Nam quamvis angelus disertè non nominâsset Mariam et Joseph, implicitè tamen reliquerat intelligendos; nec enim infans solus inveniri debebat, sine præsentiâ curâque matris, et tutelâ ejus qui putaretur pater, tanquàm derelictus, et expositus, incertorum parentum ac spurius.

COGNOVERUNT, pernoverunt, clarè et omninò noverunt, crediderunt. Euthymius *certiores facti sunt.*

DE VERBO, seu verbum, id est, verbi veritatem.

QUOD DICTUM ERAT, fuerat, dicto (ut scias *quod* relativum esse, non conjunctionem) ab angelo scilicet.

DE PUERO HOC. Postquàm suis oculis vidissent signum ab angelo datum, eoque agnovissent puerulum,

VERS. 15. — ET FACTUM EST, UT DISCESSERUNT ANGELI IN COELUM; quo se angelos bonos fuisse significabant, et ad hunc tantùm actum extra ordinem missos à Deo. PASTORES LOQUEBANTUR AD INVICEM. Insinuaverant enim angeli operæ pretium esse, Deoque gratum, si oculis rem explorando visionem adhuc magis credibilem redderent. VIDEAMUS HOC VERBUM, QUOD FACTUM EST, id est, rem quæ accidit, phrasi Hebraicâ; quamvis hìc satis commodè accipi possit propriè pro verbo seu nuntio, quod ipsis annuntiatum erat, conformiter ad vers. 17, et ad id, quod mox sequitur. QUOD DOMINUS OSTENDIT NOBIS, annuntiando per angelum. Quo indicant se non tantùm rei novitate, sed et Domini ostensione moveri ad explorandum, ne beneficio viderentur ingrati aut increduli. Quod verò Ambrosius et Bernardus, sermone 22 in Cant., intelligunt Verbum incarnatum seu factum hominem, videtur minùs hoc loco congruere.

VERS. 17. — VIDENTES AUTEM, scilicet Mariam, Joseph, et infantem in præsepio, COGNOVERUNT DE VERBO, id est, reipsà compererunt verum esse, quod angelus dixerat DE PUERO HOC; quatenùs dixerat inveniendum in præsepio. Nam eumdem esse Salvatorem non viderunt, sed crediderunt, illâ prædictione et Dei internâ illustratione permoti.

intellexerunt et crediderunt id verum esse, quod angelus de puero illo dixerat, nimirùm esse Christum Dominum ac Salvatorem. Intuiti oculis carnis situm et habitum infantis, quem descripserat ac notaverat angelus : internis fidei oculis cognoverunt, Messiam ipsum esse, quod etiam angelus dixerat. Jam quidem antea crediderant angelo, nuntianti Messiam natum esse in civitate David : nunc autem ita crediderunt, ut digito monstrarent, hic est. Crediderunt autem, defixam tenentes mentem in illam angelorum apparitionem ac revelationem, quam non dubitârunt à Deo fuisse profectam, Deo simul ac puerulo divinæ lucis radiis corda eorum illustrantibus. Nam quanquàm vilis appareret conditio conspecti pueri, quia tamen talis qualem angelus indicaverat, quidquid in Christo inglorium vident, fidei altitudine transcendunt, persuasi dispensationem hanc divini esse consilii. Credentes autem et habentes puerulum hunc pro Christo Domino, proculdubiò ut hujusmodi sunt venerati et adoraverunt, oblatis etiam suæ artis munusculis, quod quidam conjiciunt. Alii, pro *cognoverunt*, vertunt *notum fecerunt* aut divulgaverunt, inter quos Syrus : quemadmodùm interpres vetus, supra, v. 15, vertit *ostendit*. Nec dubium quin utrumque locum habuerit. Postquàm enim introîssent in stabulum pastores et lustrâssent omnia, primùm quidem ipsi agnoverunt, hunc esse puerum quem angelus ipsis designaverat, et Christum Salvatorem esse cognoverunt ac crediderunt : deinde verò exposuerunt Mariæ et Joseph causam adventûs sui, et notum ipsis fecerunt quid intellexissent ab angelo de puero hoc, immenso angelorum exercitu suffragante, Deumque ob illius nativitatem laudante : tandem etiam aliis quibusvis obviis omnia manifestârunt. Unde Græcus in Catenâ citatus : « Oculatâ fide felicia « relata contuentes, non contenti de veritate stupere, « quæ primitùs viderant et perceperant, angelo nun- « tiante, non solùm Mariæ et Joseph promebant, sed « etiam cæteris, et, quod amplius est, eorum mentibus « infigebant; unde sequitur : *Et omnes qui,* » etc.

VERS. 18. — ET OMNES, in Bethlehem locisque vicinis.

MIRATI SUNT, ut nova atque insolita, præsertim magni momenti, admirationem movent. Non sine profectu aliquo pastores vulgârunt quæ audierant; nec dubium quin gratiam Dominus sermoni eorum addiderit, ne ludibrio esset vel sperneretur. *Non enim sapientes sed simplices, qui fucare audita nescirent, suî præcones elegit*, ait Beda ex Ambrosio; *quemadmodùm postea non rhetores, sed piscatores ad evangelizandum destinavit.* In pastorum autem simplicitatem nulla cadebat fuci suspicio. Sed admirati tantùm leguntur auditores novitatem rei, non etiam visisse et inquisivisse; quòd si fecerint aliqui (quod non est absimile vero), at conspectâ pueruli, loco adeò vili nati, paupertate, fidem omnem auditis et illi et secundùm illos alii mox abrogârunt.

ET DE HIS, et ea. Quidam Latinorum tractatorum censent *et* superfluum, ut nec Græcè nec Syriacè legitur; alii exponunt *etiam*, quasi dicatur, omnes qui audierunt famam Christi nati, et adventûs pastorum ad illius adorationem, mirati sunt, tum hanc famam, tum ea deinde quæ pastores ipsis narrârunt. Ambrosius quoque : *A pastoribus*, inquit, *populus ad Dei reverentiam congregatur; mirati enim sunt de iis quæ dicebantur à pastoribus ad ipsos.*

VERS. 19. — MARIA AUTEM, ipsa verò Maria. Alii omnes qui audierant, admirabundi de his rebus locuti sunt. Nec dubium quin Joseph quoque, postquàm pastores audisset et vidisset certiores à Deo redditos de mysterio, vicissim ipsis modestè aliquid dixerit, quod fidei illorum suffragaretur, verbi gratiâ, se quoque et uxorem ab angelis doctos, hujus pueruli dignitatem, quòd esset Messias; prout decuit, ne si parentes pueri prorsùs ita se haberent, ac si essent totius rei ignari, labasceret pastorum fides; at Maria

CONSERVABAT, memoriæ diligenter commendabat OMNIA VERBA HÆC; omnes res istas gestas, quas pastores narraverant.

CONFERENS ea IN CORDE, seu animo suo, tacita apud se. Refertur hoc et ad verbum *conservabat*, et ad participium *conferens*. Non declaravit ipsa pastoribus, magnifica illa quæ ex angelo intellexerat, quæque ipsi deinde accidissent, quòd concepisset virgo de Spiritu sancto, quòd virgo peperisset absque dolore, quòd filius ipsius futurus esset magnus, vocandus Filius Dei, et restituturus regnum Davidis æternum, etc., tum quòd sorduisset testimonium hoc in ore ipsius, tum quòd sciret nondùm adesse tempus definitum à Deo, quo hæc promulgari deberent. Nihil ergo horum ore protulit, nec suam felicitatem jactavit, tametsi opportunitas id permittere videretur, *non minùs ore pudica quàm corpore,* quod ait Ambrosius; sed exspectans tempus congruum, quo Deus hæc velit evulgari, interim cum his mandat memoriæ ea quæ recentia ex pastoribus audit, ut quæ in memoriâ reposita haberet, aliis cùm Deus juberet manifestaret, quemadmodùm huic evangelistæ manifestavit; deinde verò etiam, ut alia cum aliis apud se confer-

VERS. 18. — ET OMNES QUI AUDIVERUNT, MIRATI SUNT, quo significatur pastores ea divulgâsse. Unde verbum Græcum, quod, v. 17, vertitur, *cognoverunt*, quidam transferunt *divulgaverunt*. ET DE HIS, QUÆ DICTA ERANT A PASTORIBUS. Græcè et Syriacè deest, *et*, videturque sensum impedire. Unde quidam sic exponunt, ut mirati dicantur, quia audiverant concentum angelicum, et ea quæ dicebantur à pastoribus; alii, ut dicantur mirati non solùm rem, quam audiverant, sed etiam ea quæ dicebantur à pastoribus de nuntio angelico; quamvis simpliciùs *et* accipi possit pro, *id est.*

VERS. 19. — MARIA AUTEM CONSERVABAT OMNIA VERBA HÆC, id est, omnes res istas gestas, tum circa se in concipiendo, et pariendo, tum circa pastores, CONFERENS IN CORDE SUO, sequentia scilicet cum præcedentibus, in quibus videbat magnam omnium conspirationem ad ejusdem mysterii confirmationem et fidem. Singulare exemplum datur virgineæ taciturnitatis, prudentiæ, et modestiæ, quòd non ipsamet in

ret, testimonia, inquam, pastorum cum nuntio Gabrielis, vaticinio Elisabethæ ac Zachariæ, iis quæ ipsa in se experta fuerat, aliaque præsentia cum præcedentibus, et prudenter expenderet atque inter se compararet omnia, prout fecit, evangelistâ teste, partim ut fidem quam à principio conceperat, novis argumentis augeret, quod notat Ambrosius, partim ut frueretur lætâ contemplatione consensionis omnium, considerans universa, sublimia humilibus mixta summâ concordiâ suavissimoque ordine ad hoc tendere, ut quod ab initio promissum ipsi fuerat, perficeretur, ineffabili Dei sapientiâ ac providentiâ, ex hujusmodi initiis, rem tantam parante ac fovente. Sic ferè Græci, Euthymius, Titus, et Anonymus in Catenam allatus : ex quibus iste : « Quidquid ei tulerat angelus, inquit, quidquid audierat à pastoribus, « cuncta congerebat in mente, et ad invicem comparans, unam in omnibus mater sapientiæ cernebat « concordiam, » quodque Titus habet, « universa summâ consensione ad hoc tendere comperit, ut, » etc. Singulare exemplum, inprimis virgineæ taciturnitatis ac modestiæ, incomparabilis deinde prudentiæ, constantissimæ denique fidei, admirantis præsentia et majora exspectantis.

VERS. 20. — REVERSI SUNT; Euthymius *ad gregem suum*, facti scilicet compotes voti. Nihil detrimenti sunt passi in grege, quem Dei providentiæ tantisper commendaverant; quemadmodùm nihil solet detrimenti obvenire ex tempore impenso in cultum Dei.

GLORIFICANTES ET LAUDANTES DEUM, gloriosè prædicantes Deum, celebrantes laudem et gloriam Dei. Nec aliud facere potest, qui præsepe Salvatoris inviserit.

IN OMNIBUS, super omnibus iis QUÆ AUDIERANT ab angelis, *et viderant* ipsi suis oculis SICUT DICTUM fuerat AD ILLOS; nam τὸ, *sicut dictum est ad illos*, jungendum est cum solo *viderant*, non etiam cum *audierant*, et viderant consentanea auditis. Viderant enim et invenerant eadem ipsa quæ ipsis fuerant prædicta. « In hoc glorificant, ait Beda, quòd non aliud venientes invenerant, quàm dictum est ad illos. » Beati pastorum istorum oculi, qui viderunt, quod multi prophetæ et reges videre voluerunt, nec viderunt; et audierunt, quæ illi audire optâssent, nec audierunt; Matth. 13, v. 17; infra, 10, v. 24. Atque intelligendi sunt pastores isti, ex visu et præsentiâ Christi, suo modo repleti Spiritu sancto, quemadmodùm Elisabeth ac Simeon, quo agente in magnificam Dei laudem proruperint. Soli pastores isti fructum ex angelorum apparitione retulerunt, fidem, inquam, in Christum natum : cæteri qui audierunt (exceptis Joseph et Mariâ) licet demirati fuerint initio, mox tamen *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*, Rom. 1, v. 21. Sed hoc boni consecutum est, quòd fama nati Christi fuerit divulgata; id quod divinæ providentiæ suffecit hoc tempore, donec aliis occasionibus eadem fama renascens, obtineret tandem apud omnes.

VERS. 21. — POSTQUAM CONSUMMATI SUNT DIES OCTO, cùm impleti sunt dies octo, id est, cùm advenisset seu ageretur dies octavus, scilicet à nativitate. Similis forma loquendi exstat Act. 2, v. 1 : *Cùm complerentur dies Pentecostes*, seu ut Græcè, *in compleri diem Pentecostes*, quod est, dùm advenisset seu ageretur dies Pentecostes. Verùm illic, ubi usus est temporis præsentis, modi infiniti, faciliùs se prodit sensus, quàm hìc ubi legitur verbum præteriti temporis modi indicativi *consummati* seu impleti *sunt*, quomodò enim consummati sunt dies octo, cùm octavus jam primùm advenisset aut adhuc ageretur? nec enim nono die fiebat circumcisio. Atqui hic modus est loquendi sacrorum Scriptorum, ut quando significare volunt futurum aliquid certo die vel tempore, dicant futurum post diem illum vel tempus : volentes dicere, futurum post omninò exactum tempus intermedium, et insuper post exactam partem illius diei aut temporis quod nominatur. Sic Matth. 27, v. 63, et alibi, Christus dixit : *Post tres dies resurgam*, id est, elapsis duobus diebus integris et tertio ex parte. In usu est Latinis *post*, ut

vulgus jactaret omnia, sed corde perpenderet, ut notat Ambrosius.

VERS. 21. — ET POSTQUAM CONSUMMATI SUNT DIES OCTO. Consummatio refertur non ad ipsos dies, quasi expletis omninò totis octo diebus sit circumcisus, sed ad dierum numerum, quia septem dies integri completi erant, et octavus inchoatus, qui per synecdochen dicuntur octo dies, phrasi Hebræis familiari, ut patet Matth. 27, versu 63, et clarè Genes. 40, versu 13 et 19, collatis cum versu 20. UT CIRCUMCIDERETUR PUER, id est, quo juxta legem circumcidendus erat; idque sine legalis quidem præcepti necessitate, sed ut propriâ dignatione factus sub lege, legis obedientiam nobis commendaret; ut declararet se veram assumpsisse carnem, contra Manichæum : ut ostenderet se non cœleste corpus detulisse de supernis, contra Valentinum, neque consubstantiale divinitati, contra Apollinarem, ut Judæis tolleret excusationem, quòd ideò non recepissent eum, quia circumcisione caruisset, sicut hæc indicat Epiph., hæresi 30. Circumcisus autem fuit secundùm quosdam à Mariâ, quod Epiph. videtur improbare; secundùm alios à Joseph. Aug. tamen, lib. 2 contra Parmenian., c. 17, dicit hoc fieri solitum à Judæis, cui Epiph. magis favet, et res magis postulat, ut veritas circumcisionis ejus per publicum extraneorum testimonium esset extra suspicionem. ET VOCATUM EST NOMEN EJUS JESUS, nomen cœlitùs impositum, ut etiam cœlitùs conceptum et mirabilem futurum intelligas, inquit Chrysost. Nam quibus à Deo nomen ante nativitatem impositum fuit, semper admirabiles inventi sunt, ut Isaac, Salomon, Cyrus, Baptista.

In Matthæi cap. 1, post hæc verba, *nomen ejus Jesum*, additur : *Ipse enim salvum faciet populum suum;* nempe omnes prædestinatos in vitam æternam, seu omnes filios promissionis, qui ipsum fide et charitate tanquàm regem ac Dominum complexuri sunt. Salvabit autem non ab imperio gentium, et ab hostibus visibilibus, sed *à peccatis eorum*, tam quæ fecerant, quàm quæ facturi essent, ne faciant, et consequenter ab omnibus causis peccatorum, diabolo et concupiscentiâ eis dominante, et effectis eorum, morte, mortalitate, omnique miseriâ. Per hæc ergo verba significat filium istum non tantùm hominem, sed et Deum futurum, qui solus talem salutem à peccatis afferre potest. Ex quâ nominis istius Jesus ety-

non consequens tempus, sed interjectum declaret, et, quod amplius est, non incertè quodvis interjectum, sed illius extremam partem, significetque *post tres dies,* non tantùm intra tres dies, verùm etiam post tertium diem exortum seu ante tertium diem finitum, ita ut sit idem unum *post tres dies* quòd tertio die, si non profanorum, certè sacrorum auctorum usus testatum facit. Cui loquendi formulæ adstipulatur oppositum dicendi genus classicis auctoribus extra controversiam usurpatum, tertio seu quarto kalendas aut nonas; ubi cùm *ante* præpositio subaudiatur, non tamen excluditur dies ipse kalendarum nonarumve, sed includitur. Hùc accedit Syricus interpres, qui, etsi Marci 8, 31, pro μετὰ det litteram *lomad*, quæ vocabulis præposita idem valet Hebræis et Syris quod Latinis *in*, aliis tamen locis transfert *Bothar*, id quod idem unum est quod Hebraicè אחר et Latinè *post*, Matth. 27, v. 63, Joann. 20, et 26, ita ut μετὰ Græcè his aliisque similibus locis *post* significare, et eodem modo, quo diximus Latinè *post,* accipi videatur. Quod Genes. 40, v. 13, 19, Hebraicè ad verbum dicitur *beod seloseth jamim, in adhuc tribus diebus;* Chaldæo aliisque interpretantibus, *in fine trium dierum.* Similiter ergo dicas : Puer natus circumcidendus est post dies octo, seu, quo modo hoc loco loquitur evangelista (quod idem unum est), consummatis, impletis aut finitis diebus octo, id est, lapsis diebus omnibus intermediis, et octavo etiam partim. Id autem est, cùm agitur octavus dies, seu octavo post die. Consummatio enim, non ad octavum diem refertur, sed ad numerum dierum : nam sic octo dies dicuntur consummati, quia septem dies integri et octavi pars. Ergo *postquàm consummati sunt dies octo,* id est, postquàm consummati sunt septem dies integri, et octavus ex parte, id est, cùm dies octavus jam laberetur, advenisset, seu ageretur, quod ab initio dicebamus. Fuit autem is dies kalendarum Januarii, et quidem primus hebdomadæ seu Dominicus dies, quemadmodùm dies nativitatis.

Ut circumcideretur puer, quo tempore puer erat circumcidendus secundùm legem; vide supra 1, v. 59. Quædam antiqua manuscripta omittunt *puer*, nominatim Brugentia et Audomarensia Biblia, ut et quidam libri Græci. Alia addunt faventibus plerisque Græcis, ad hæc Syriacis, et D. Ambrosii Commentario. Si omittas, at vel subaudias oportet. Non addit Evangelista *circumcisus est*, sed solùm insinuat seu tacitè intelligendum dat, circumcisum fuisse. Quamvis enim legi circumcisionis subjectus non esset, tum quia legis ratio in ipso non militaret, quippe immuni à peccato et justo non per fidem, tum quia legis auctor esset : tamen quia nolebat id mox ab initio omnibus manifestari, se Deum et legis auctorem ac dominum esse, volebat autem haberi legitimus Abrahæ, qui circumcisionis legem pro se et semine suo susceperat (Genes. 17, v. 10) filius; qualis nunquàm agnitus fuisset incircumcisus; permisit se circumcidi, ut factus sub lege, qui erat supra legem, opportuno tempore suos à legis jugo redimeret, institutâ aliâ præstantiori circumcisione spiritûs non carnis, Rom. 2, v. 28, 29. Circumcisus autem Christus fuit, in eâdem illâ speluncâ stabulari, in quâ et natus, à Josepho nutritio, aut alio viro, majorem quàm alii infantes dolorem passus, propter usum rationis; nam et præludium quoddam fuit futuræ passionis ac mortis, quòd permisit se circumcidi Filius Dei. Lege quæ diximus de circumcisione supra 1, v. 59.

Vocatum est. Græcè præponitur conjunctio *et*, quam quidam vertunt *tunc* (post peractam scilicet circumcisionem); alii, nominatim interpretes Latinus et Syrus omittunt ut superfluam, et nihilominùs subaudire oportet, *vocatum est* post peractam circumcisionem, prout moris erat. *Vocatum est* autem, tum à Mariâ, tum à Joseph; utrique enim id Angelus injunxerat; Mariæ supra, 1, v. 31, priusquàm in utero conciperetur; Josepho Matth. 1, v. 21, postquàm in utero conceptus esset.

Jesus. Non fuit nomen tunc temporis insolens sed huic puerulo suo jure debitum, cui soli nominis significantia congruit, mille continens thesauros bonorum : id quod explicat Matthæus, c. 1, v. 21, dicendo : *Ipse enim salvum faciet,* etc. Reddit indendi nominis etymologicam rationem legatus cœlestis : Jesus vocabitur, quia salvum faciet. In eum veritas hujus etymi competit : in aliis aut inane est nomen, aut sola umbra fuit. *Non enim est in alio aliquo salus,* Act. 4, v. 12.

mologiâ, quam ipse angelus tradit, manifestum est, nomen illud significare *salutem* vel *salvationem*, ac proinde falsum esse commentum Osiandri, qui voluit nomen Jesus esse idem cum nomine Dei tetragrammato, insertâ litterâ ש Schin, et scribendum esse *Ieheschou :* nomen enim istud fictitium est, neque prorsùs quidquam significat. Nomen ergo Jesus idem est cum nomine *Iehoscuagh*, quod Græci, Septuag., Philo, Josephus per *Jesus* tradiderunt, Latini *Josue,* et salvatorem significat. Sed post Babylonicam captivitatem, quando lingua Hebraica in usu vulgari esse desiit, et Syriaca inolevit, pronuntiatio ejus mutata fuit, et loco יהושע, Hebraicè, dici vulgò cœpit ישוע. Quod ex eo apertissimum est, quòd Jesus ille, filius Josedech, typus veri nostri Jesu, cùm ab Aggæo c. 1, v. 1, Zacharia semper vocetur יהושע, tamen in libro Esdræ et Nehemiæ, qui eodem vixerunt seculo, semper vocatur ישוע; ut patet Esdræ 2, v. 2, et c. 3, v. 2, 8 et 9; item Nehemiæ 7, v. 1, et in eodem libro sæpiùs. Imò et Josue, filius Nun, alter clarissimus typus Salvatoris, qui sexcenties vocatur in Scripturâ, יהושע, tamen Nehemiæ 8, v. 1, dicitur ישוע. Nimirùm hi libri post captivitatem Babylonicam scripti sunt. Ex quo usu Syriaco factum est, ut Salvator noster etiam vulgò non יהושע sed ישוע, vocaretur; sic enim etiam in titulo crucis, qui Romæ asservatur, etiamnùm scriptum est, ut oculatus testis Pagninus tradit. Quod ergo Judæi Salvatorem nostrum nominant ישו sine ע in fine, duabus ex causis fit, partim ex contemptu, ne Salvatorem ipso nomine fateantur, ut declarat Elias in Thisbi; partim ex usu linguæ Thalmudicæ, in quâ, ע, pronuntiatu difficillima, sæpè facilitatis causâ absorbetur : partim denique fit à recentioribus Judæis ad blasphemandum Salvatorem. Nam isti tres characteres ישו per abbreviationem apud ipsos significant, *iimmach schemo vezichro : Deleatur nomen ejus et memoria ejus.*

Hebraicè verbum *jasah* in primâ conjugatione salvum esse (quanquàm hìc in usu non sit) in quintâ est salvum facere; nomen autem *jesah* et nomen *jesuha* significant salus. Hinc *Jesu*, vel, ut Hebræi pronuntiant, *Jesuah*, salutis auctor, salvator. Postremam litteram, quam vocant *ain*, cum pronuntiari nisi aperto gutture non possit, ut pronuntient Hebræi post eas vocales quæ os gutturve claudunt, assumunt vocalem *patah*, quæ est *a* brevis gutturque aperit, quare dicunt, et fit trissyllabum nomen quod dissyllabum esse debuerat. Eam autem litteram qui Latinè exprimere volunt scribunt *Jesuagh*, aut *Jesuah;* sed, cùm linguis nostris non minùs difficilis sit scriptu quàm pronuntiatu, ne dicam impossibilis, rectè Septuaginta Græci, et eos secuti Latini mutârunt eam cum litterâ *s*, quæ plerùmque Græcis ac Latinis nomina propria terminat, et dixerunt *Jesus*, duabus syllabis. Id quod eò fuit ipsis facilius quòd cùm nulla haberent vocalia puncta suis libris adscripta, quæ postea Judæorum operâ Bibliis sunt addita, nihil aliud ipsis fuerit quàm una littera cum aliâ commutanda, *ain* cum *s*, quod diximus. Omninò enim ita scribendum est Hebraicè nomen Jesus, ut postremam litteram habeat *ain*, quemadmodùm scribitur nomen Jesu filii Josedec ac Jesu filii Nun, in libris Esdræ et Nehemiæ, quod mox ostendemus; et duorum aliorum, sacerdotis unius, Levitæ alterius, 1 Paral. 24, 11, et 2 Paral. 31, v. 15, *Jesuah*, quomodò semper scribunt Syri. Videtur autem id nominis vulgò contractum fuisse, jam inde à reditu ex Babylone, aut etiam antea, ex nomine *Jehosuah*. Nam inprimis *jasah*, unde derivatur, in usu non est, quod diximus, in primâ conjugatione, sed in quintâ, quâ format *hosiah;* quanquàm cùm in usu sint voces *jesah* et *jesuha*, pro salute, parum sit istud, si nihil aliud foret; facile enim fit, à *Jesuha* præsertim, rejecto *he* feminino, formare nomen proprium *Jesuah*, tanquàm salutis auctorem aut ipsam salutem. Quid quòd *suah* quidam salutem interpretentur, ut jam nec aliud sit opus quàm *iod* litteram formativam nominis proprii præponere? Sed est et aliud. Filius ille Josedec, qui apud Aggæum et Zachariam *Jehosuah* dicitur, in libris Esdræ et Nehemiæ passim (Esdræ 2, v. 2; Nehem. 7, v. 7, etc.) *Jesuah* appellatur (quanquàm nobis aliquando redditum sit *Josue*, interprete, litteræ proximè præcedenti, elisarum litterarum vocalem tribuente) et Filius Nun, qui et ipse *Jehosuah* dictus est (nam Latinus interpres, elisâ *he* litterâ *Josue* extulit) Nehemiæ 8, v. 17, *Jesuah* vocatur; ab Interpretibus autem septuaginta qui paulò post Nehemiam et Esdram floruêre, ubique Jesus est nuncupatus. Priùs *Hoseah* sive *Hosuah* hic vocatus fuit; postea autem, ubi ad explorandam promissam terram missus fuit, à Mose, unâ litterâ nomini adjectâ, *Jehosuah* est nominatus (Num. 13, v. 17) fortè ut eò propiùs ad promissum Salvatorem, quem officio adumbraturus erat, etiam nomine accederet. Crediderim itaque *Jesuah* nomen esse ex *Jehosuah* contractum, puncto ministro scheva, in vocalem secundam, propter eas quæ proximè desunt litteras, mutato; ita verò *iod* littera in capite, non sit essentialis littera, sed serviens ad formationem nominis proprii. Alio contrahendi modo usus Latinus interpres dixit *Josue* (nam quod ad postremam vocalem, illa, pro legentium absque punctis arbitrio, fuit vel *e* vel *a*) quemadmodùm ex *Jehuda*, *Juda*, non solus ipse, sed et Septuaginta; hìc unica littera *he* omissa est; in nomine Jesu duæ, *he* et *vau*. Porrò hinc duo quædam non minimi momenti evadunt clariora; unum, quî Jesus à salvum faciendo dicatur, et non à salvum esse aut salvum fieri, quod quidam contra ipsam angeli interpretationem dicere audent; alterum, quî verum sit quod veteres Patres docent, Josue ducem et Jesum sacerdotem, tam nomine quàm officio figuras fuisse Jesu Christi. Cæterùm non illud dico, proprium nomen Salvatoris nostri fuisse *Jehosuah;* sed id quod est proprium ejus nomen *Jesuah* fuisse contractum ex nomine *Jehosuah*, illudque ut brevius ac facilius hujus loco usurpatum, jam inde à captivitate Babylonicâ. Nam quanquàm idem unum nomen sit, non tamen hâc formâ *Jehosuah* Salvatori impositum datumve fuit, sed istâ *Jesuah*, quam nos Græcè et Latinè vertimus *Jesus*. Ad hoc dulcissimum nomen, Dei Filio carnem induto quandoque imponendum, alludunt pleraque sacrarum litterarum loca, nunc Deum salvatorem prædicantia, nunc salutem aut promittentia aut postulantia; ex quibus ille Psalmi 67, v. 21, huc apprimè spectat: *Deus noster, Deus salvos faciendi;* et hic Isaiæ cap. 45, v. 8. *Aperiatur terra, et germinet salvatorem;* rursùs alter ejusdem cap. 49, v. 6: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Circumcisus est Christus tanquàm Abrahæ filius, et vocatus est Jesus tanquàm Dei Filius: nomen declarat eum esse salvatorem, et circumcisio monstrat quomodò salvaturus sit, sanguinis, inquam, sui effusione: ita ut quàm congruentissimè hæc fuerint conjuncta.

Quod vocatum est, seu fuerat, quod vocari seu puero imponi jussum fuerat.

Ab angelo, Gabriele, Dei nomine.

Priusquam in utero conciperetur, nimirum suprà 1, v. 31. Non enim utero conceptus fuit, priùs quàm angeli legatione absolutâ, Virgo consensum præbuisset, quod docuimus supra 1, v. 38, et enarratores Græci hìc monent, Theophylactus ac Titus. Vocatum etiam fuerat postquàm in utero conceptus esset, quod diximus; sed Evangelista id quod majus est refert. Significat autem non temerè aut fortuitò hoc nomen impositum fuisse, sed Deo auctore, æterno Dei consilio, qui cùm solus exactè nôsset proprietates nascituri, solus potuerit ei congruum nomen dare. Ergo cùm mitteret Deus Filium suum in mundum ut salvaret mundum, Joan. 3, v. 17; utque esset salus

Quod vocatum est ab angelo: significans ita non temerè, non casu, non humano sed divino impositum fuisse consilio. Priusquam in utero conciperetur. Quo clarissimè ostenditur Christum conceptum non nisi absolutâ angelicâ legatione, non autem antè, ut quidam putaverunt.

Domini usque ad extremum terræ, Isaiæ 49, v. 6; Jesu, id est, Salvatoris, nomen ipsi indidit. Ipse ab omni peccati labe immunis, atque ipso nascendi modo unicè sanctus, suo sanguine liberavit populum suum è diaboli tyrannide. Abstulit peccata mundi, quibus erat obnoxius et servavit ne in peccata recideret populus suus, id est, omnes qui in ipsum crediderunt eique dederunt regis nomen. In hoc vera consistit salus. Sublatis enim peccatis, miseria aufertur atque omne prorsùs malum, succeditque justitia, quam omne bonum consequitur, salusque numeris omnibus absoluta; si non continuò, at suo certè tempore, ubi prorsùs deletum fuerit peccati regnum. Itaque dùm in Matthæo, prædicitur suos Jesus à peccatis liberos redditurus, omnis mali propulsator atque omnis boni auctor, verè ἀλεξίκακος verusque σωτὴρ, declaratur. Docet igitur his verbis Josephum angelus, inprimis, Messiam sive Christum esse, exspectatum populi redemptorem ac salvatorem, eum quem uxor ejus à Spiritu sancto fœcunda fert utero. Tum regnaturum eum, et populum liberaturum, sed non à gentium (id quod Judæi potissimùm exspectabant) imperio, verùm ante omnia, è peccati ac diaboli regno, totius mali unico capite. Denique, majus eum quid homine esse, cujus vocatur populus, is quem Dei populum passim Scriptura vocat; quique id potest, quod Deo proprium est, peccata auferre.

Vers. 22. — Et, rursùs. Postquam impleti sunt. Versu superiore reddidit *postquàm consummati sunt.*

Dies purgationis ejus, scilicet Mariæ; est enim Græcè pronomen femininum αὐτῆς. Cæterùm quidam codices habent masculinum αὐτοῦ, quod ad puerum referatur; multi plurale αὐτῶν, quod ad utrumque, matrem et puerum, fortè etiam maritum. Sed improbabiles sunt hæ lectiones, quanquàm posterior suos habeat auctores: agit enim lex de purgandâ puerperâ, nusquàm de fœtu aut marito purgando. Loquitur autem evangelista secundùm hominum opinionem, quando dicit impletos dies purgationis Mariæ; eò quòd tum haberetur Maria reliquis puerperis similis, ita ut purgatione opus habere crederetur, sicut aliæ, quamvis secùs esset. Sic infra v. 27 et 48, Josephum vocat patrem Jesu, quia hominum opinione pater habebatur, licèt reverà non. Sic alibi prædicit Scriptura, quod stellæ cadent de cœlo, Matth. 24, v. 29; quia cadere hominibus videbuntur, etiamsi verè non cadent. *Dies* ergo *purgationis ejus*, id est, dies quibus illa pro more videbatur purganda, à sordibus scilicet et immunditiâ partûs. Solent enim puerperæ à partu, fœdos, horrendos et abominabiles sanguinis humorumque per naturalia fluxus, plurimis diebus pati, effluentibus mensibus qui jamdiù utero fuerant retenti, ut viam egressuro fœtui redderent faciliorem.

Secundum legem Moysi. Jungendum hoc est verbis præcedentibus, non sequentibus; explicat enim evangelista, de quâ purgatione loquatur, eâ nempe quam lex Mosis præscripserat puerperæ quæ masculum filium peperisset; quæ quidem in vulgari usu tunc erat apud eam gentem. Præscripserat lex Mosis, Levitici cap. 12, ut mulier quæ masculum peperisset, domi se contineret ut immundam, diebus quadraginta; sed eo discrimine, ut primis quidem septem diebus, immunda esset, *juxta dies separationis menstruæ*, id est, juxta ritum dierum quibus ob menstrua separabatur, eo modo quo cùm menses pateretur, nimirùm quòd et ipsa et lectus sedesque ejus omnis polluta forent, et quisquis vel ipsam vel ipsius lectum aut sedem tetigisset, immundus redderetur: hæc enim lex est mulieris, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis; Levit. 15, v. 19. Reliquis verò triginta tribus diebus, permittitur ut cum hominibus conversetur, ita ut nullam ipsi ab eâ immunditiam contrahant (excepto congressu cum marito), sed jubetur cavere à contactu rerum Deo dicatarum, et *manere in sanguine purificationis suæ*, id est, domi se continere dùm à fluxu sanguinis purgatur; videtur enim hypallage esse, in *sanguine purificationis suæ*, pro, in purificatione sanguinis sui: partim quia adhuc fluere consueverit; neque enim profluvium sanguinis post septimum diem cessat, tametsi minus; partim quia propter fluxum quem passa fuerat, legaliter censebatur immunda, donec quadragesimo die solemni ritu esset purificata. Hanc legem B. Maria Christi mater cum reliquis puerperis observavit, eo quo pepererat loco se continens diebus quadraginta, et habens gerensque se tanquàm immundam, quamvis eâ lege non comprehenderetur, ob causas potissimùm duas; unam, quòd lex dicat: *Mulier si suscepto semine pepererit masculum.* Atqui B. Maria, non suscepto semine pepererat, quæ de Spiritu sancto conceperat. Observârunt hoc, inter Græcos Theophylactus et Euthymius, inter Latinos Beda in hunc locum scribens, et Bernardus, serm. 3, de Purificatione. Verùm quia Hebraicè legitur, *issa ci tasriah*, mulier si semen fecerit; intelligunt quidam per *semen*, non principium generationis, sed terminum, quod est, prolem, tanquàm dictum esset, mulier si susceptâ prole, pepererit masculum. Est ergo altera causa potior, cur mater Christi hâc lege non comprehenderetur, quia nullum sanguinis à partu fluxum passa fuerat, ac proinde nec immunda reddita aut polluta. Quòd autem nullum sanguinis fluxum passa fuerit, manifestum est, tum quia peperit

Vers. 22. — Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus, Mariæ scilicet; est enim Græcè femininum νατῆς, id est, dies quibus legaliter purganda videbatur, secundum legem Moysi; quæ statuit, Levit. 12, ut, si peperisset masculum, immunda esset septem diebus, juxta dies separationis menstruæ, hoc est, sicut immunda erat mulier menstruata, quæ quidquid tangeret reddebat immundum, etiam homines. Deinde alios triginta tres dies manebat immunda, juxta ritum observatu faciliorem quo solum arcebatur à Sanctuario, et à contactu rei sanctæ; ita ut dies purgationis essent simul quadraginta. Eâque de causâ totidem sunt à die nativitatis dominicæ usque ad diem purificationis utrinque inclusivè. Itaque *postquàm impleti sunt dies*, etc. Phrasis omninò similis est præcedenti, *postquàm consummati sunt dies octo*. Nam quadragesima dies purgationis adhuc agebatur, in quà per oblationem sacrificii finiebatur purificatio. Lex

clauso utero, tum quia nullus fuit in eâ sanguis superfluus. Nam menstrua quidem (qui est sanguis fœtidus ac noxius adeòque venenatus) nunquàm habuerat, multò minùs passa fuerat effluentia; quemadmodùm nec iis opus fuerat, ut viam lubricam redderent nascituro ex ipsâ fœtui, qui clauso utero erat egressurus. Reliquus sanguis Virginis, non majoris fuit quantitatis, quàm necesse esset ad generationem, id est, ad conceptionem et nutritionem. Quocirca qui ante partum sanguis, servierat alendo in utero fœtui, post partum non profluxit, sed ad ubera in lac conversus, servivit eidem extra uterum alendo. Denique non vi avulsus est Christus ab utero matris, sed spontè tanquàm maturum pomum delapsus est, absque omni vulnere læsioneque matris. Quare B. Augustinus libri de quinque Hæresibus, capite 5: « Stulte, unde « sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum « homine patre? unde sordes in eâ quæ nec concipiendo « libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? » Et Cyprianus sermone de Nativitate Christi: « Nullus do- « lor, ait, nulla naturæ contumelia in puerperio, » etc. « Nec locus ibi erat lavacris, quæ solent puerperis « præparari; quippe nec aliqua naturæ injuria matrem « Domini læserat, quoniam sine tormento peperit, « quæ in conceptione caruit voluptate. Et tamen con- « suetudinem sequens, ut legi satisfaceret, quasi cum « aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio simi- « lis, etc., oblatæ quieti paruit; et in diebus separatio- « nis, se non à thoro Joseph, qui eam nunquàm tetigit, « sed ab ingressu templi et cæteris quæ lex prohibe- « bat continuit. Ultrò maturus ab arbore bajulâ fru- « ctus elapsus est; nec oportuit vellicari, quod spontè « prodibat, » etc. Ergo ut cùm conceperat, nullâ ex parte sive animo sive corpore fœdata fuerat; ita cùm peperit, nihil passa est quod redderet sive corpore sive animo immundam, sed contra sanctificata est singulariter, ab eo quem edebat omnis sanctitatis auctore, ita ut permaneret *virgo sancta et carne et spiritu*, 1 Cor. 7, v. 34. Quamvis ergo lege non comprehenderetur, eam tamen observavit; ut nec debuit omittere, ne aliis offendiculo esset, quibus exemptio ipsius erat ignota. Nam si hâc ratione filius ipsius postea, etsi jam mundo se probâsset Filium Dei, tamen solvit didrachmum templo, ne scandalizaret Judæos, Matth. 17, v. 26; multò magis hoc adhuc tempore legem sequi debuit mater, quo divinissimorum privilegiorum ejus nihil erat divulgatum, ut nec tempus etiamnùm ferebat; nec legem à Deo latam contemnere, hominibus videretur. Debuit igitur, sed non minùs voluit, legem servare, ut humilitatis et obedientiæ præberet exemplum. Quocirca quæ octavo kalendas januarii pepererat, postridiè kal. februarii, hoc est, quadragesimo die profecta Jerosolymam est ad templum, causâ offerendi sacrificii à lege præscripti, quo purificaretur seu purgaretur, id est, quo oblato pura ac munda haberetur. Nam quamvis dies omnes quadraginta purificationi servirent, eò quòd à fluxu immundi sanguinis, labentibus illis diebus, magis magisque libera atque immunis puerpera redderetur; ipsa tamen purificatio, quadragesimo demùm die, sacrificio oblato, perficiebatur, id est, tunc demùm nec priùs munda habebatur. Quamobrem quod hìc dicitur *postquàm impleti sunt dies purgationis ejus*, sic ferè intelligendum est, ut illud versûs proximè præcedentis, *postquàm consummati sunt dies octo;* nimirùm, cùm advenisset jamque ageretur dies ultimus purgationis ejus, videlicet quadragesimus; censentur enim finiti dies purgationis, quando postremus jam agitur, tametsi eo sacrificium adhuc ad purgationem adhibendum restet. Simili loquendi modo lex præcipit, ut hostiam puerpera deferat, *cùm expleti fuerint dies purificationis suæ*, Levit. 12, v. 6, quod est, die quadragesimo; rursùs prohibet ne in sanctuarium ingrediatur, *donec impleantur dies purificationis suæ* (ibidem, v. 4), quamvis quadragesimo die, peracto sacrificio, ingredi posset.

Tulerunt, scilicet Maria et Joseph.

Illum, Jesum puerulum.

In Jerusalem, profecti sunt è Bethlehem in Jerusalem, allato secum puerulo Jesu.

Ut sisterent, exhiberent in conspectum, repræsentarent *eum*, scilicet in templo; quod erat unicum Jerosolymis.

Domino, tanquàm Domino debitum ac sacrum. Syrus *coram Domino*. Hæc fuit una causa ob quam peractis diebus purificationis, profecti sint Jerosolyma, ut Jesum puerum Domino in templo offerrent.

Vers. 23. — Sicut scriptum est, juxta id quod scriptum est, consentaneè ei quod scriptum est.

In lege Domini. Mox vocaverat legem Moysi, jam legem Domini; quia à Domino data ac lata fuerat, ministro Mose, à quo etiam scripta litterisque tradita fuerat. Porrò quod hìc dicitur, multis in lege locis

ista in Virgine non habuit locum, partim, quia non pepererat suscepto semine, ut lex loquitur, sed de Spiritu sancto, partim, quia fœdi illi et horrendi sanguinum et sordium fluxus, quos puerperæ per plurimos dies pati solent, et quibus purgantur, non est passa, quæ sine dolore naturæque contumeliâ peperit, ut Aug. lib. de quinque Hæresib. c. 15, et Cyprian., serm. de Nativit. Domini. Eam tamen observavit, sicut filius legem de didrachmo solvendo, ne videlicet ignorantes puritatem ejus offenderentur. Tulerunt eum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, id est, ut eum tanquàm Domino debitum ratione primogenituræ Domino offerrent.

Vers. 23. — Sicut scriptum est in lege Domini. Hæc est alia lex, quæ habetur Exodi 13, v. 22, de masculis primogenitis, tam in pecoribus quàm hominibus, ista videlicet: Omne masculinum adaperiens vulvam. Periphrasis est primogeniti ex matre; q. d.: Omne quod primò nascitur; hoc enim videtur matris uterum adaperire, ut aliis nascituris viam faciat. Hinc est quòd Ambr. et Hiero, n. 2 contra Pelag. et alii quidam, putent hanc legem soli Christo convenisse, eò quòd ipse solus matris vulvam clausam, licèt permanentem, nascendo adaperuerit, quod aliis mulieribus fit concumbendo. Sed certum est legem Exodi etiam brutis convenisse, itemque hominibus. Alii volunt Christo soli non convenire, eo quòd ne nascendo quidem matris vulvam adaperuerit; sed hæc sententia

reperitur scriptum, sed originariè Exodi 13; non enim ipsissima verba certi alicujus loci citat evangelista, sed sententiam plurium.

Quia, quòd, omne masculinum, tam de hominibus quàm de jumentis, Exod. 13, v. 2.

Adaperiens vulvam, scilicet matris, primò egrediens è vulvâ, primò nascens. Hebraicè *peter rehem,* apertio vulvæ. Septuaginta transtulerunt διανοῖγον μήτραν, quos evangelista et Latinus interpres secuti sunt. Periphrasis est primogeniti; nam quamvis aliquando addatur vox primogeniti, Exodi 13, v. 25, sæpiùs tamen omittitur, Exodi 13, v. 12, 15. Est autem ex eo sumpta periphrasis, quòd primogenitus, et primus è vulvâ egrediatur, et viam egrediendi aliis post se aperire videatur.

Sanctum, dicatum, separatum, proprium, Domino vocabitur, agnoscetur, erit, id est, Domini erit; quemadmodùm Exodi 34, v. 19, Dominus ait : *Omne quod aperit vulvam generis masculini, meum erit.* Est autem futurum loco imperativi, volo ut sit meum, vocetur sanctum Domino, sit Domini. Quod Domini est, id vocatur sanctum, quia non debet profanis usibus applicari, sed solius Domini. Hujusmodi autem erant omnia primogenita Israel, ex quo Dominus ad servandum Israelem interfecerat omnia primogenita Ægyptiorum, Exodi 13, v. 15. Quare si Domini erat omne masculinum primogenitum, æquum erat ut ad Dominum afferretur et Domino in templo suo sisteretur, et recognoscerent parentes ac domini, nihil sibi juris in illud competere, nisi Dominus spontè jus ipsis cederet suum, sed fieri de eo debere id quod Dominus statuisset. Id subaudit evangelista, quod et consuetudo tenebat. Nam primogenita quidem boum, ovium, etc., allata ad Dominum, ipsi immolabantur, primogenitum asini mutabatur ove, primogenitum hominis pretio redimebatur, eò quòd tulisset Dominus Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel, ut servirent sibi pro Israel, in tabernaculo fœderis seu templo. Hanc enim suam de singulis primogenitorum generibus voluntatem, declaraverat Dominus, Exodi 13, v. 12, et 34, v. 19; Num. 3, v. 45, et 18, v. 15. Primogenitus igitur Mariæ cùm esset Jesus, ac proinde ex vi legis, cui se subjecerat, sanctus, dicatus, seu proprius Domino; rectè fecit Maria, et consentaneè tum legi, tum consuetudini, quòd tulerit eum in Jerusalem, ut sisteret Domino, et faceret de eo id quod Dominus statuisset; id vult dicere evangelista. Quare contradicere evangelistæ videntur, qui negant Jesum hìc vocari sanctum Domino, negant hâc lege comprehendi, et vi legis hujus fuisse Domini, eò quòd vulvâ clausâ natus, non possit dici adaperuisse vulvam. Atqui, quod diximus, periphrasis hæc est primogeniti, *adaperiens vulvam*, cujus loco aliàs *primogenitum* ponitur (Exodi 22, v. 29), in quâ non tam voces urgendæ sunt, quàm significatio, nec tam premenda apertio ejus quod clausum fuerit, quàm alterius egressi; tam verè enim exiit, quàm si aperuisset. In hanc sententiam scribit Beda : « Quod ait, *adaperiens vulvam,* consuetæ « nativitatis more loquitur : non quòd Dominus noster, « sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificârat, « devirginâsse credendus sit, juxta hæreticos, qui di« cunt B. Mariam virginem usque ad partum, non virgi« nem esse post partum; sed juxta fidem catholicam « clauso Virginis utero, quasi sponsum suo processisse « de thalamo. » Denique rectè in hunc locum Euthymius: « Solus Christus, ait, nondùm apertam supernaturaliter « aperuit (id est, pertransiit) et clausam naturaliter ser« vavit. » Verum est quidem, quòd non tenebatur Virgo, multòque minùs Jesus, lege sistendi se in templo illo Mosaico, et à sacerdotibus se redimendi, qui unus erat cum Patre Deus; sed quòd Dominus Jesus ut homo, non fuerit sanctus Deoque consecratus, etiam ex ordine nativitatis, nimirùm ut primogenitus, adversatur etiam interpretibus, annotantibus causam ob quam signanter adeò dictum fuerit ab evangelistis, ad historiam Dominicæ nativitatis, quòd Maria *peperit filium suum primogenitum,* Matth. 1, v. 25; Luc. 2, v. 7. Quòd ergo Maria voluerit Jesum primogenitum suum sistere Domino, fecit consentaneè legi, quod evangelista ait; sed cùm id facere non teneretur, quod diximus, fecit inprimis, ne aliis scandalo esset, quibus humana filii sui natura manifesta, divina ignota erat; fecit deinde, ut promptum obedientiæ exemplum relinqueret; denique fecit, quò publicè constaret, filium suum primogenitum esse, id quod multis modis ad Christi dignitatem noverat pertinere. Quocircà ubi Jerosolymam venisset Maria, tulit filium suum in templum, et per manus ejus qui sacerdotio fungebatur in ordine vicis suæ, obtulit Domino, qui ipsius erat, tam modo nascendi quàm ordine. Non dubium autem quin gratissima fuerit Domino oblatio, et è sancto sanctorum responderit Virgini, quod aliàs è cœlis Joanni Baptistæ : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3, v. 17. Nunquàm in tabernaculo fœderis hujusmodi apparuerat hostia, nunquàm in templo Salomonis, magnifica adeò et gloriosa visa oblatio fuerat; jam cœptum impleri est illud Aggæi : *Magna erit gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ; veniet enim desideratus cunctis gentibus*, *et implebo domum istam gloriâ,* cap. 2, v. 8, 10. Cæterùm oblatum Domino puerum, noluit Maria relinquere illo in templo, aut commodare illi tabernaculo Do-

videtur Evangelio repugnare, utpote quod hanc legem Christo adaptare videatur. Rectiùs ergo dixerimus, periphrasim esse nativitatis primogeniti, sicut supra indicavimus, sive illa fiat aperiendo vulvam, sive aliter. Loquitur enim Scriptura juxta morem nascendi usitatum. Nam Hebraicum verbum *Peter,* solummodò significat uteri laxationem, seu dimissionem, quâ fœtus ab utero dimittitur, sive interim adaperiatur uterus, ut communiter fit, sive clausus maneat. Et hinc est quod Scriptura aliquando soleat illam jam dictam periphrasim explicare nomine primogeniti, ut patet Levit 27, v. 26 : *Sanctum Domino vocabitur*, id est, dedicatum Domino erit ad opera religionis : nam primogenita mundorum animalium immolabantur Deo, primogenitum hominis redimebatur pretio quinque siclorum, eò quòd Levitæ in locum primogenitorum successissent ad serviendum Deo.

mini, quemadmodùm olim Anna Samuelem, 1 Reg. 1, v. 28; non enim voluit eum synagogæ proprium esse, quem pepererat futurum Salvatorem totius mundi. Quare redemptum pretio (quod lex permittebat Exodi 13, v. 13), pretio autem quinque siclorum, quod colligitur ex Num. 3, v. 47, et 18, v. 16, ad se recepit. Redemit à ministerio illius templi et sacerdotii Aaronici, sed ita ut maneret Domino consecratus, ut fungeretur aliquando coram eo sacerdotio secundùm ordinem Melchisedec, ad salutem totius generis humani.

Vers. 24. — Et ut darent. Supple, non, *tulerunt eum in Jerusalem*, sed hoc solum quod continetur, *profecti sunt in Jerusalem*, Joseph et Maria profecti sunt Jerosolymam, assumpto secum puerulo Jesu, duas ob causas, unam, quæ solum tangebat Jesum, *ut sisterent eum Domino*, de quâ jam dictum est; alteram, quæ solam tangebat Mariam, *ut darent hostiam*, etc. Utrumque enim eâdem operâ perfecerunt, et quo die Jesus fuit in templo exhibitus eodem Maria sacrificio oblato purificata.

Darent, offerrent, ad dandum; posset id referri ad solam Mariam; verùm etsi referas simul ad Joseph, eò quòd Joseph affuerit Mariæ socius, in comparandâ, afferendâ, tradendâ hostiâ, non tamen data seu oblata intelligitur hostia pro Joseph, sed pro solâ Mariâ.

Hostiam, secundum quod, etc., sacrificium purgationis seu purificationis, quo nimirùm Maria purificaretur, id est, pura declararetur. Redit hìc ergo evangelista ad purgationem Mariæ, cujus meminerat supra, v. 22, et alteram causam itineris hujus Jerosolymitani fuisse dicit, ut hostia seu sacrificium (quod extra templum Jerosolymitanum offerri non poterat) offerretur pro Mariâ, *secundùm quod dictum*, mandatum seu statutum *est in lege Domini*, nimirùm, *duo turtures aut duo pulli columbarum*. Sic enim sequitur loco illo Levit. 12, quem supra laudavimus: *Cùmque expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio sive pro filiâ* (cave sequentibus id jungas, *pro filio sive pro filiâ*, quod quidam faciunt, orationis contextu reclamante; nam præcedentibus idcircò est additum, quia, quemadmodùm antedictum fuerat, dies purificationis duplicandi erant ei quæ filiam peperisset) *deferet* (scilicet mulier; *tabi*, adducet; feminei generis est) *agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti; qui offeret illa coram Domino, et orabit pro eâ, et sic mundabitur à profluvio sanguinis sui*, etc. *Quòd si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato; orabitque pro eâ sacerdos, et sic mundabitur.* Hostia seu sacrificium, quo mundetur mulier excedens puerperio, præscribitur agnus oblatus in holocaustum, et turtur seu columbus oblatus pro peccato; vel, si mulier fuerit pauper, duo turtures aut duo pulli columbarum, unus in holocaustum, alter pro peccato. Inter holocaustum et sacrificium pro peccato hoc intererat, quòd holocaustum cremaretur totum, sacrificii verò pro peccato pars cederet sacerdoti. Holocaustum hìc offerebatur, in gratiarum actionem, pro felici partu et prole acceptâ; sacrificium verò pro peccato offerebatur pro immunditiâ illâ corporali, quæ secundùm præscriptum legis contracta fuerat ex profluvio sanguinis. Illa immunditia peccatum vocatur, peccatum, inquam, legale, quod separaret à sanctis, nonnunquàm etiam à consortio hominum; quemadmodùm et Levit. 14, v. 19, immunditia ex leprâ contracta; Levit. 15, v. 15, immunditia viri seminiflui; ibidem, v. 30, mulieris menstruatæ, peccata vocantur; à quibus mundari dicebantur homines per hoc genus sacrificii pro peccato, quia auferebatur ab eis constitutum lege impedimentum conversandi cum hominibus, tractandi sacra, in sancta ingrediendi; mundabantur, inquam, id est, mundi declarabantur, ad effectus jam dictos, ut possent inter homines agere, sancta tangere, alias victimas offerre, iisque vesci, etc. Cæteròqui animum hæc sacrificia non purgabant; et quanquàm offerrentur etiam pro eo quod verè peccatum erat, Levit. 4, v. 2, non tamen peccatum verè auferebant, quod docet Apostolus ad Hebræos cap. 9, v. 10, consistentia *in justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.* Porrò hìc, quia de mundatione agebatur, congruebant, agni, turtures, et pulli columbini, ut innocentissima, ita mundissima animalia; sed pulli columbini potiùs quàm columbæ, quia columbæ non perinde esui aptæ sunt, ac proinde nec sacrificio. Atqui prioris generis hostiæ, quæ divitum erat, agni, inquam, et columbi seu turturis, evangelista non meminit, intelligendum dans Mariam, etsi pietatis affectu divitem, pauperem tamen fuisse, ac proinde more pauperum se gessisse. Non quòd nullo modo suppetierit ei facultas emendi agni, quæ filium modò quinque siclis redemit; sed quòd obtulerit, prout ferret ipsius conditio, quod fuit modestiæ, à fastu alienæ. Nec enim decuisset, etiamsi suppetîsset ipsi pecuniæ aliquid, dono magorum aut aliunde, ut quæ conditione pauper erat, divitum subitò oblationem præferret; ut neque lex præcisè mandaverat, ut in sacrificium consumerent pauperes omnem substantiam suam, ita ut nihil apud eos remaneret, quo itineris et vitæ sumptus tolerarent; sed à divitibus eos discernens, æquo majoribus expensis levaverat. Maria itaque beata, tanquàm immundam se continens, venit in atrium templi profanum (pro quo Moses, ante exstructum

Vers. 24. — Et ut darent hostiam, supple, profecti sunt in Jerusalem, non autem tulerunt eum; nam ad offerendam hostiam non erat necesse ferre puerum ad templum. Secundum quod dictum est, seu statutum, in lege Domini. Hæc est tertia lex de sacrificio purificationis puerperæ, quæ habetur Levit. 12, et statuit, ut, si mulier pauper fuerit, et non potuerit agnum offerre, offerat par turturum aut duos pullos columbarum: unum scilicet in holocaustum, quod cremabatur Deo, in gratiarum actionem pro felici partu; alterum pro peccato, scilicet legalis immunditiæ, à quâ mulier purgabatur. Nam pro muliere immediatè offerebatur illa hostia, ut manifestè patet Levit. 12, v. 7. Mediatè tamen videtur hæc

templum, dicit, *ad ostium tabernaculi testimonii*) et hostiolâ suâ sacerdoti traditâ, obtulit per manus ejus par turturum vel par pipionum; sed utrum non dicit evangelista, quia non referat scire, relictum offerentis arbitrio, et *æquè utrumque conditori acceptum*, quod Beda ait. Quidam conjiciunt obtulisse pipiones, id est, pullos columbinos, eò quòd magis vulgares et usitati essent; alii, turtures, quia illud anni tempus, quo columbæ incumbunt generationi, non ferat pullos columbinos, sacrificio et esui idoneos; prout etiam turtures, à castimoniâ commendati, magis congruebant matris et filii, virginis utriusque, moribus. Hâc oblatione peractâ, admissa est B. Maria in sanctum feminarum atrium, tanquàm jam purificata ac munda. Sed quærat aliquis, an non in mendacium incurrerit, gerens se tanquàm immundam, et pro suî mundatione sacrificium offerens, quæ nihil immunditiæ ex partu, ne corporalis quidem, contraxerat, quod ostendimus supra, v. 22. Respondeo, non pronuntiâsse se immundam esse, quod fuisset mentientis, sed eo se habuisse modo quo solent immundæ, quod fuit dissimulantis se mundam esse; denique obtulisse sacrificium, non ut mundaretur, sed ut munda declararetur, et ab aliis haberetur, cæteròqui non habenda. In atrio ergo feminarum constituta, exhibuit filium suum primogenitum sacerdoti ac Deo, eumdemque pretio abs sacerdote redemit, quemadmodùm diximus versu superiore; præcessit enim purificatio Mariæ, subsecuta est oblatio Jesu, quamvis evangelista hujus priùs, illius posteriùs meminerit.

Vers. 25. — Et. Syrus *autem*. Ecce. Nota attentionis est, quod sæpè diximus: producit enim evangelista quosdam fidelium ejus temporis, qui testimonium perhibuerint Christo puero in templo oblato.

Homo. Syrus, *vir quidam*.

Erat, habitabat, eo tempore.

Simeon. Sive pronunties Simon sive Simeon, idem unum est nomen Hebræis et Syris, quod à *samah*, audire, derivatum est. *Quoniam*, inquiebat Lia, *audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, et vocavit nomen ejus Simeon*, seu, ut Hebræi pronuntiant, Simhon, Gen. 29, v. 33. Catholici tractatores ferè putant virum hunc celebrem fuisse; hæretici contra, nominatim Calvinus, plebeium et obscuræ famæ; non improbabile fit fuisse sacerdotem, si subsequentia considerentur.

Justus, ob justitiam animo inhærentem Deo acceptus ac gratus; vide supra 1, v. 6.

Timoratus, religiosus. Significat εὐλάβεια non quemvis timorem, sed cum reverentiâ conjunctum, quem Latini auctores religionem vocant, sacri auctores timorem sanctum, quo quis timet et sollicitus est ne Deum offendat.

Exspectans ardentibus votis ac desideriis consolationem Israel, quam Christus secum brevi esset allaturus. Exspectabat videre eum, quem prophetarum oracula in hoc venturum promiserant, ut consolaretur Israeliticum populum variis modis afflictum. Patienter ferebat præsentes miserias, hâc spe fretus quòd instaret adventus Christi, quem ex prophetis didicerat fore solatio Israeli. Isaias, cap. 40, v. 1: *Consolamini, consolamini, popule meus*, etc. Rursùs cap. 51, v. 3: *Consolabitur Dominus Sion*, etc. Denique cap. 61, v. 1, 2: *Spiritus Domini super me*, etc., *ut consolarer omnes lugentes. Consolationem* autem, de mortalis hujus vitæ miseriis, erroribus inprimis et peccatis (annotantibus Theophylacto et Euthymio) quæ Christus esset ablaturus; deinde et de afflictionibus temporariis, quas si non statim auferret, at tantam copiam esset largiturus solatiorum ac bonorum spiritualium, quanta interim cum gaudio illas posset tolerare. Hinc enim apostolus gloriatur in tribulationibus, Rom. 5, v. 3, contestans, 2 Cor. 1, v. 5: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. Israelis* autem *consolationem* dicit, quia publicæ salutis avidus, *populi magis gratiam quàm suam requirebat*, quod ait Ambrosius considerans miserrimum rerum Judaicarum eo tempore statum, certus interea se communis consolationis participem fore. Extra Christum mera desolatio est, salutis nulla spes. Credebat autem non solùm sperabatque aliquando adfuturam, et desiderabat ut brevi adforet hæc consolatio seu Christi adventus, quemadmodùm veteres ante eum patres; verùm etiam exspectabat, tanquàm vicinum, jamjam adventantem et imminentem, vicinum enim esse Christi adventum cognoverat, partim ex signis quæ Scripturæ prophetarum reliquerant, partim ex ora-

oblatio etiam fuisse pro ipsâ prole ut à peccato originali mundaretur, ut August. sæpiùs, et maximè quæst. 40, in Levit., et Leo, epist. 4: cæterùm Lucas non indicat, utrùm obtulerint turtures, an columbas, quia verba legis nudè recitat, omittens primam ejus partem de offerendo agno anniculo in holocaustum quæ ad divites pertinebat, ut per hoc significaret eorum tantam fuisse paupertatem, ut vel non possent eum offerre, vel certè non deceret eos oblatione divitum fastum eorum præferre. Porrò utrâque oblatione sive turturum sive pipionum castitas significatur; turtur enim, quâcumque ætate casta est, columbæ verò libidinosæ quidem, sed in pullis earum per ætatem adhùc libido sopita est, ut Bern., serm. 59, in Cant.

Vers. 25. — Et ecce, rem novam et opportunam. Homo erat in Jerusalem; quâ epitheti simplicitate significatur fuisse vulgarem et laicum; nec enim sacerdotis dignitatem, qualem quidam fuisse putant, taciturus fuisse videtur Lucas. Cui nomen Simeon, seu Simon; Hebræis enim et Syris idem nomen est. Et homo iste justus et timoratus; timore, qui Deum reveretur et offendere timet: Græcè enim est, *pius et religiosus*. Exspectans consolationem Israel, quam Christus Dominus allaturus erat adventu suo; ut scilicet finem acciperet peccatum, et adduceretur justitia sempiterna, sicut prædixit angelus apud Danielem; hoc enim ardentibus votis antiqui exspectabant Et Spiritus sanctus erat in eo; non solùm quia justus erat, sed etiam quia prophetavit. Nam videtur respicere ad id quod sequitur, et causam dare propter quam

culo quod ipsi eâ de re divinitùs datum fuerat, de quo subsequitur.

Et, pro *nam*. Explicatur quì sciverit, solamen Israelis, Christum, exspectandum sibi tanquàm vicinum.

Spiritus sanctus, per sua dona, nominatim prophetiæ, auctore Euthymio.

In eo, super eum, fovebat eum, occupabat ejus animum cœlitùs delapsus. Describuntur singularis hujus viri qualitates, ut testimonium ejus de Christo quàm gravissimum habeatur, nec tam humanum quàm divinum.

Vers. 26. — Et, quapropter responsum acceperat, *fuerat illi oraculo promissum*, divinitùs revelatum. Syrus *dictum ei fuerat*. Verbum Græcum inter cætera est responsa dare legationibus, dùm ad magistratus refertur, ad Deum relatum consulentibus aut petentibus oracula reddere, sive in somnis, sive per angelum, sive alio modo.

A Spiritu sancto. Antecedens repetitur loco relativi, à quo responsum seu oraculum acceperat; per interiorem scilicet inspirationem in adytum pii pectoris. Cùm magno adventûs Messiæ desiderio flagrans diligenter ex sacrâ Scripturâ plenitudinem temporis scrutaretur, et ardenter oraret Deum cum Mose, ut mitteret quem missurus esset, Exodi 4, v. 13; cum Isaiâ, 45, v. 8: « Rorate, cœli desuper, et « nubes pluant justum, aperiatur terra et germinet « Salvatorem; » et, 64, v. 1: « Utinam dirumperes cœ-« los et descenderes! » revelavit ei Spiritus sanctus, fore ut ante mortem ipsius, adesset Christus, et ab ipso conspiceretur.

Visurum, id est, sensurum, experturum, mortem. Similis phrasis exstat Psalmo 88, v. 49: « Quis est « homo qui vivet, et non videbit mortem? » et Psalmo 15, v. 10: « Nec dabis sanctum tuum videre corru-« ptionem. »

Prius videret, oculis corporis. Nam fidei oculis jamdiù viderat. Non omittas adverbium, *priùs*.

Christum natum, inter homines hominem. Illum Christum, promissum Israeli, ad publicam salutem ungendum. Nomen est dignitatis, vox Græca, ab Septuaginta Interpretibus accepta, quæ Hebraicè *Mesiah*, Latinè *Unctus* effertur. Solent sub veteri lege, reges, sacerdotes et prophetæ, sacro oleo ungi (1 Reg. 10, v. 1; 3 Reg. 1, v. 39; Levit 8, v. 12; 3 Reg. 19, v. 16) quo declararetur illos Deo sacros dicatosque esse ad sua illa munera obeunda; oleo divinæ gratiæ spiritalisque efficacitatis, quâ idonei ad hæc redderentur, significationem habente. Hinc fiebat ut Messiæ seu Christi, id est, uncti appellarentur hi omnes (2 Reg. 1, v. 14; 2 Machab. 1, v. 10; Psal. 104, v. 15) etiamsi quandoque visibilis olei unctio ipsis defuisset, modò de consilio Dei illos ad hujusmodi officia destinantis constaret. Fieri hæc ordinaverat Deus in typum hujus quem lex promittebat, κατ' ἐξοχὴν, Messiæ dicti, qui præ sociis omnibus à Deo oleo lætitiæ unctus (Heb. 1, v. 9), id est, imbutus spiritu absque mensurâ (Joan. 3, v. 34) et regis, et sacerdotis, et doctoris seu prophetæ simul dignitate ac munere clarus futurus erat. Et fuerunt tres maximè, proprio nomine simul et dignitatis splendore ac officio hujus figuræ; Jesus filius Nave, rex, qui in promissam terram populum introduxit; Jesus filius Josedec, sacerdos, qui è Babylone reduxit; denique Jesus filius Sirach, propheta et doctor eximius.

Domini, à Domino ungendum Spiritu sancto, Act. 10, v. 38; nam requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs, etc., Isaiæ 11, v. 2; ut sit rex, sacerdos, et propheta Israelis. Fuerant et priores Israelis reges vocati Christi Domini, quia uncti à Domino vel jussu Domini, et à Domino regnum acceperant; verùm ut hìc ille intelligatur qui omnes excellit, additus articulus est; ut etiam à captivitate Babylonicâ, nomen Christi huic appropriatum fuit. Additur articulus, emphaseos nota. Ille Christus à lege et prophetis olim promissus, et à sanctis omnibus hactenùs exspectatus ac desideratus, unctus consecratusque à Deo rex, sacerdos et propheta: propheta ad dandam scientiam salutis plebi ejus, sacerdos ad reconciliandum illos Deo, rex ad protegendum illos et ornandum. Hoc privilegio, quòd promissus ipsi fuerit conspectus Christi ante mortem, superavit Simeon patriarchas omnes et prophetas, qui exquirentes atque scrutantes quod vel quale tempus significaret eis spiritus Christi, prænuntians ea quæ de Christo sunt, responsum seu revelationem acceperunt, quod hæc ipsis servitura non essent, sed posteris ipsorum, 1 Pet. 1, v. 11, 12: *Itaque juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes ac salutantes*, Hebr. 11, v. 13. Simeon autem, et promissionem accepit propè aspiciendi Christum, et reipsà præsentem aspexit ac salutavit, prout sequitur.

Vers. 27. — Et venit, venerat itaque, paulò ante scilicet quàm fieret id quod sequitur, quàm inducerent, etc.

In spiritu, per spiritum, instinctu spiritûs: Euthymius, *motus à Spiritu sancto*. Non fortuitò, nec vocatus aut excitatus ab homine, sed agente eodem Spiritu sancto, qui antea promiserat ipsi conspectum

Vers. 26. — Responsum acceperat a Spiritu sancto, qui in ipso tanquàm templo suo habitans responsa dabat. Quale enim templum, in quo non loquitur, nec respondet Deus? inquit August., prologo in libros de Doct. christianâ. Loquitur autem diversis modis, sive cognitas semper veritates in memoriam revocando, sive novas abstrusasque revelando, sicut hoc loco: Non visurum, seu experturum, se mortem, id est, non moriturum; quæ phrasis in Scripturis usitata, ut Psal. 88, v. 49, et alibi. Nisi videret, non solâ fide, quemadmodùm justi et prophetæ cæteri, sed oculis corporis, Christum Dominum, illum videlicet qui præ cæteris omnibus à Domino unctus est Spiritu sancto, qui omnium unctorum, regum videlicet et sacerdotum, archetypus et scopus fuit; unde Græcè additur articulus τὸν χριστόν.

Vers. 27. — Et venit in spiritu, id est, Spiritu sancto eum inhabitante instigatus; nam quos ille

Christi. Quamdiù ante, quot annis aut mensibus, promiserit, incertum est; illud certum, cùm jam venturus esset Jesus in templum, Simeonem ejus rei à Spiritu sancto certiorem factum et admonitum, ut in templum se conferret, si voti ac promissi compos fieri vellet. « Significat eum, ait Beda, eâdem spiri« tûs gratiâ, quâ olim venturum præcognoverat, « etiam nunc venientem et jamjamque à se videndum « cognovisse Salvatorem. »

Cum inducerent, *cùm induxissent*, est enim aoristus secundus, simul atque introduxissent, scilicet in templum, in atrium sanctum.

Parentes, Maria vera mater, et Joseph publicâ opinione pater.

Ejus, non legitur Græcè, sed subauditur. Maria, unà cum Josepho marito et filio Jesu, constituta in atrio profano, fuerat purificata, oblato pro eâ sacrificio columbino; purificatione peractâ, jam tanquàm munda, progressa est in atrium sanctum Israelis seu populi, secum ferens puerum Jesum brachiis, Josepho duce, ut illìc, in atrio, inquam, sancto et inter mundos, adorarent Dominum, et *facerent secundùm consuetudinem legis pro Jesu*, id est, sisterent eum Domino tanquàm primogenitum, et redemptum quinque siclis ad se reciperent.

Vers. 28. — Et, pro, *tunc*, usurpare, familiare est huic evangelistæ.

Accepit, suscepit.

In ulnas suas, inter brachia. Inter multos, credibile est, puerulos, qui aderant præsentes cum matribus suis ut Domino sisterentur; Simeon, perspicacissimis fidei oculis, agnovit Jesum Mariæ filium esse Christum, præsertim Spiritu sancto revelante auriculam ejus, et dicente: Ecce Christum, cujus visum ante mortem promisi tibi. Ille igitur non contentus credidisse et vidisse, inenarrabili perfusus gaudio accepit in ulnas, nec se continuit, quin summo pietatis et amoris affectu amplecteretur, atque oscularetur (quanquàm contactu ejus se judicaret indignum) ut testari posset, non solùm visum sibi ac salutatum, sed manibus etiam acceptum et proximè ad se admotum. Tantum thesaurum, nulli unquàm clarissimorum regum aut potentissimorum monarcharum contigit, portare manibus. *Qui cœlo terrâque non capitur*, ait Beda, *grandævi hominis gestatur totus in ulnis.* Consideranti porrò, quòd hoc fecerit Simeon, non postquàm parentes fecissent secundùm consuetudinem legis pro Jesu, sed tunc cùm inducerent, seu mox ut induxissent eum ut facerent, fit verisimile, quòd Simeon ut sacerdos accepit Jesum in ulnas, tanquàm facturus quæ secundùm legis consuetudinem erant facienda pro eo, acceperit, inquam, ut sisteret eum Domino. Nec enim credendum est ita importunè eum se ingessisse, ut cùm afferretur puer religionis causâ, ipse antequàm sacerdos fecisset quæ religionis erant, arripuerit eum in sua brachia. Accepit igitur ut sacerdos, et Domino obtulit, reddendum parentibus persoluto redemptionis pretio. Nam etsi fortè non fuerint vices ejus ut sacerdotio fungeretur, facilè tamen, à præsentibus sacerdotibus indulgebatur tantillùm sacerdoti seni, ut puerulum quem diligebat offerret, maximè cùm pretium redemptionis ad ipsos rediret. Hujus sententiæ, Simeonem fuisse sacerdotem, inter veteres, sunt Athanasius et Epiphanius, inter recentiores Lyranus et Toletus. Verba Athanasii, libro de communi Essentiâ Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, longè post medium, sunt: « Illum adhuc « infantulum gestat mater, et offert Simeoni sacerdoti: « ille in ulnas capiens, » etc., et paulò post: « Simeoni « certè et sacerdoti et seni, oraculum redditum est « à Spiritu, » etc. Epiphanii, sub finem libri de Vitâ et Interitu prophetarum, ista: « Simeon sacerdos « è tribu Aaron emicuit; hic quippe est qui oraculum « accepit à Spiritu sancto, neutiquàm visurum se esse « mortem, quousque Christum Dominum incarnatum « videret. » Hæc Epiphanius. Vidit, nec vidit tantùm, sed et ulnis complexus est, plus quàm promissum fuerat assecutus, maximo suo, non gaudio tantùm, verùm etiam fructu. Nam si quæ fimbriam vestimenti tetigerat, sanitatem obtinuit, quid non gratiæ consecutus est, cui datum est in ulnas accipere? annotat Origenes.

Benedixit, laudavit, gratias egit, *quòd promissa sibi facta, sortita essent efficaciæ veritatem*, ait Græcus in Catenâ citatus.

Et dixit, id est, dicens, seu his verbis. Sicut Zacharias et Maria, et ante eos alii justi, pro more habuêre, post accepta singularia beneficia, Dei misericordiam ac gloriam publicis encomiis celebrare; ita nunc Simeon à Spiritu sancto carmen edit gratulatorium, quo suam erga Deum gratitudinem testatur,

inhabitat, eos etiam dirigere solet, et in eis tales effectus operari. Et cum inducerent, seu inferrent, puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo; non quæ jubebat offerre sacrificium, nam hoc non fiebat propriè pro prole, sed quâ proles debebat sisti Domino tanquàm primogenita, et quinque siclis redimebatur.

Vers. 28. — Et ipse accepit eum in ulnas suas; ubi illud, *et*, quidam superfluum esse putant; sicut apud Hebræos frequenter; alii pro, *tunc*, accipi, sed propriè accipi potest, ut copulet Simeonem cum parentibus Jesu, tanquàm qui videns puerum in ulnis portari, ex manibus Virginis etiam ipse eum acceperit, ut Iren., lib. 3, c. 18, indicat. Et benedixit eum, cum gratiarum scilicet actione laudando, quòd consolationis exspectatæ non frustratus, nec tantùm videre Christum Domini, sed et ulnis dilectionis amplecti licuisset.

Vers. 29. — Nunc dimittis, quod multi pro, *dimittes*, positum volunt; sed potiùs pro præsenti usurpari dixeris, quasi significaret, quem hactenùs contra propriam quasi inclinationem naturæ in vitâ detinuisti, ut promissum tuum erga me impleres, *nunc* tandem *dimittis* servum tuum, ut juxta naturæ inclinationem in mortem decidat, idque secundum verbum, seu responsum tuum, quia non ultra hoc tempus se extendit promissionis tuæ veritas, ut mortem non videam. In pace, quod refer ad *dimittis;* q. d.: Nunc dimittis me contentum tranquillo pacatoque animo; quo modo Jacob dixit: *Jam lætus moriar*, quia vidi faciem tuam

qui Filium suum, et in mundum miserit, et ipsi dederit conspiciendum ac tractandum.

Vers. 29. — Nunc, ex nunc, deinceps, quando tibi placuerit; antehàc non item.

Dimittis, absolvis, facis abire, discedendi copiam facis, ex hâc scilicet vitâ. *De dimissione ex caducâ hâc mortalique vitâ, hæc accipe,* ait Titus. Est autem præsens loco futuri instantis, *dimittis* pro dimittes quandocumque tibi placuerit dimittere, quod brevi erit. Ut significat Deum esse mortis ac vitæ Dominum, et retinere in vitâ ac dimittere prout ipsi visum fuerit; ita insinuat senem se esse ac maturum ævi, et quasi ob hoc solum, ut Christum videret, hactenùs in vitâ retentum.

Servum tuum. Me qui sum servus tuus (loquitur de se in tertiâ personâ) voluntatis affectione non minùs quàm conditione.

Domine. Relativum est servi. Alloquitur Deum Trinitatem.

Secundum verbum tuum, juxta promissum tuum. Respicit promissum illud, supra, v. 26, priùs videndum à se Christum quàm mortem; quod annotant Theophylactus et Titus.

In pace, cum pace, quiete, gaudio, animo tranquillo ac læto et voti compote. Ordo verborum turbatior, hâc ratione construendus est: O Domine, nunc dimittis in pace servum tuum, secundùm verbum tuum. Illud enim *in pace* jungendum est cum verbo *dimittis*, et *secundùm verbum tuum* refertur ad *dimittis in pace;* sensusque est: Nunc, ô Domine, ex hâc vitâ me dimittes quandocumque placuerit (quod non dubito brevi fore) tranquillum animo ac lætum, quippe voti compotem, consentaneè promissioni tuæ. Promiseras, non priùs moriturum me, quàm vidissem Messiam tuum; nunc satisfactum est votis meis, libenter et quietâ mente moriar, ubi tibi visum fuerit. Si priùs me è vitâ evocâsses, anxius et cum dolore animoque irrequieto àbiissem, frustratus spe exspectationeque meâ: ut certè hactenùs non sine anxietate vixi, sollicitus semper et desiderans videre promissum; nunc verò ut satisfactum est desiderio meo, ita pacatâ mente et quieto animo hinc discedere paratus sum, nihil ultra hâc in vitâ desiderans. Nomen *pacis* Hebræis quàm Latinis latiùs patet, non tantùm concordiam significans, verùm etiam salutem, sanitatem, prosperum successum, adeptionem votorum; itaque in pace eis mori dicuntur, qui contenti præteritæ vitæ spatio ex hâc vitâ discedunt, quorum desiderio ita satisfactum est, ut quando moriendum est, nihil remordeat eos, propter quod hâc in vitâ remanere desiderent. Ad hunc modum in pace mortui sunt, Abraham, Gen. 15, v. 15, et Josias 4 Reg. 22, v. 20. Simili modo Jacob, viso filio Joseph, quem crediderat mortuum, exclamavit: *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo*, Gen. 46, v. 30. Ad eumdem locum mori se oloris instar canit Simeon, placidè et cum lætitiâ, votis satiatum suis, animo quieto, contento, minimèque repugnante, quippe nihil ultra hâc in vitâ desiderante. «Priusquàm vidissem Dominum,» ait Theophylactus, «non pacatâ mente eram, exspectans «eum, et semper sollicitus quando veniat; nunc au«tem ipso viso, et pacem consecutus, et sollicitudine «liberatus (ut sic dicam) absolvor.»

Vers. 30. — Quia, etc. Explicat causam ob quam hâc in vitâ sibi putet satisfactum, ita ut mori paratus sit, amplius nihil desiderans.

Viderunt oculi mei, oculi carnis meæ; magna his verbis subest emphasis, ita ut pleonasmus locum habere non videatur. Nunc vidi, non solùm fide ac mente, ut hactenùs ego et patres mei, verùm etiam hisce oculis corporis mei; potuisset addere, quod Apostolus Joannes, 1 Epist. 1, v. 1: *Et manus meæ contrectaverunt.* Sine dubio loquitur de oculis corporis sui; quia tamen solus exterior pueruli conspectus nihil poterat nisi contemptum adducere, certum est aliis etiam quàm corporis oculis Simeonem usum esse; nimirùm, Spiritus sanctus fide illuminavit ejus animum, ut gloriam Filii Dei in servili contemptoque habitu cerneret. Quare rectè Beda, *diù desideratum,* inquit, *nunc et carnis et cordis oculis contemplor.*

Salutare, illud salutare, illam salutem. Diximus supra, 1, v. 47, voces Hebraicas *Jesah* et *Jesuha,* quæ salutem significant, ab interpretibus Græcis ferè verti *salutare.* Hos sequitur evangelista.

Salutare tuum. Cùm frequentissimè occurrat vox ista *salutare*, in Psalmis præsertim, observandum est, nunc Deum vocari salutarem seu salutare nostrum, tanquàm auctorem salutis nostræ; nunc memorari salutare Dei; quod licèt significet salutem cujus Deus sit auctor, videntur tamen interpretes sacri, ideò *salutare* (quod est, salutiferum) potiùs reddidisse quàm salutem, ut clariùs indicarent Christum à se intellectum, per quem Deus salutem promiserat hominibus. Sic Psal. 97, v. 2: «Notum fecit «Dominus salutare suum;» et v. 3: «Viderunt omnes «termini terræ salutare Dei nostri,» id est, Christum, quem misit ac dedit auctorem salutis. Ad eumdem modum Simeon hìc, alludens tum ad Scripturas illas veteres, tum ad nomen proprium pueruli, nempe Jesus, Christum vocat salutare Dei, ut à Deo missum ac datum, procurandæ salutis hominum causâ: *Salutare tuum,* inquit, id est, eum quem tu misisti ut sit hominibus salutaris, salvator, salutis procurator, auctor, et pontifex. Idcircò ergo sibi satisfactum hâc in vitâ dicit quòd suis oculis conspexerit Christum salutis auctorem, quem Deus olim pro-

et superstitem te relinquo. Causam enim omninò similem hìc subjicit.

Vers. 30. — Quia viderunt oculi mei, etiam corporis, salutare tuum, id est, salutem tuam, Christum videlicet salutis nostræ auctorem. Verbum enim Hebraicum, quod septuag. Interpretes plerùmque *salutare* vertunt, nihil aliud quàm salutem significat; sed *salutare* potiùs vertere maluerunt, ut causam salutis sive Deum sive Christum insinuent, quem loquendi modùm hìc Lucas sequitur.

miserat, quem prophetæ et sancti omnes hactenùs exspectaverant, et votis ardentissimis desideraverant. Quòd beneficio hoc dignatus ipsum sit Deus, ut suis oculis videret promissum Salvatorem, quem patres fide tantùm à longè aspexerant : tantam animo ipsius affert voluptatem ac satisfactionem, nihil ut ultra desideret, et mori contentus sit. Cecinerat olim Jacob morti proximus : *Salutare tuum exspectabo, Domine*, Genes. 49, v. 18. Anna mater Samuelis testata fuerat : « Lætata sum in salutari tuo, » 1 Reg. 2, v. 1. Professus fuerat David : « Defecit in « salutare tuum anima mea, Oculi mei defecerunt « in salutare tuum, exspectabam salutare tuum, Do- « mine ; concupivi salutare tuum, Domine » (Psal. 118, v. 81, 123, 166, 174) ; adeòque oraverat : « Redde mihi lætitiam salutaris tui, » Psal. 50, v. 14 ; « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et sa- « lutare tuum da nobis, » Psal. 84, v. 8. Quod ergo futurum, viri isti sancti olim ardenter adeò desideraverant ; id Simeon gaudet sibi datum esse, ut oculis conspiciat præsens ; certus, quandoquidem Salvator natus sit, salutem humani generis simul et suam, etiamsi mortui, brevi perficiendam. Non enim tam ob exteriorem conspectum sibi gratulatur, quàm ob salutis effectum, quem credit mox subsecuturum, suo et totius mundi hominum bono ; id enim sibi vult id quod subjungit proximis versibus. Jam si tantum apud Simeonem valuit Christi primùm nati et adhuc infantis conspectus, ut mortem hilaris atque tranquillus adiret, eò quòd superstitem relinqueret, qui hominum salutem esset operaturus ; quantò uberior nobis tranquillæ pacis materia suppetit, quibus contigit omnes salutis nostræ numeros in Christo completos videre, quin et gustare !

VERS. 31. — QUOD, scilicet salutare, seu, quem Salvatorem *parâsti*, paratum exposuisti, tanquàm solem quemdam *ante faciem*, in oculis, in conspectu *omnium populorum* totius mundi, ut omnes qui velint, eo Salvatore utantur, salutem ab eo accipiant. Proposuisti tanquàm signum edito loco positum, à quo omnes, qui defigere in illud oculos velint, salutem consequantur, à quo omnes qui per fidem illud apprehendere ut oportet velint, salvi fiant. Est igitur Christus omnibus populis propositus, ut omnes in eum tanquàm salutis auctorem respiciant. Sed loquitur more prophetarum Simeon, de re futurâ, tanquàm de præteritâ, eò magis quòd brevi futura esset. Nam per prædicationem demùm, primùm Christi ipsius, deinde apostolorum ac successorum, futurum erat ut Christus toti mundo proponeretur et offerretur Salvator ; quia id tamen certò futurum erat, adeòque jam natus erat Christus, qui diù promissus ac desideratus fuerat, loquitur tanquàm de re confectâ. Et verè prophetam Simeon agit, non tantùm agnoscens præsentem Christum, verùm etiam intelligens venisse ad salutem totius mundi ; vaticinans non Judæorum tantùm, sed et totius mundi populorum, futurum Salvatorem ; quod ne ipsi quidem apostoli, accepto Spiritu sancto, statim noverant ; id patet ex Actor. 10 et 11 capitibus.

VERS. 32. — LUMEN, lucem, est enim accusativus, rectus à verbo *parâsti ;* quod parâsti lumen, id est, ut sit lumen.

AD REVELATIONEM GENTIUM, quod reveletur, manifestetur, illucescat gentibus ; ita recentiorum complures, sed vetustiores ferè exponunt, quod revelet, id est, illustret, illuminet gentes ; inter Latinos Beda, inter Græcos Euthymius et Theophylactus ; hujus verba sunt : « Lumen ad illustrationem gen- « tium obtenebratarum ; » illius : « Lumen quod gen- « tibus errore cæcis visum restituat ; revelationem « enim vocat visûs restitutionem. » Sic legitur Psal. 118, v. 18 : *Revela oculos meos*, pro illumina. Populos mundi, quibus dixerat, Christum, Dei salutare, communem esse, distinguit Simeon in gentes et Israelem (nam Israel quidem, jure adoptionis, jam antea propinquus erat Deo ; gentes autem, quibuscum Deo nullum erat fœdus, hactenùs extraneæ), declarans quomodò sit Salvator singulorum. Et priùs quidem gentium dicit esse Salvatorem, quia lumen quod illuminet cæca illorum corda. Constat, gentes omnes ante Christum constitutas fuisse in densissimis errorum tenebris, et in tetrâ veritatis ignoratione degisse, ita ut ne Deum quidem ipsum nôssent, adeòque cultum soli Deo debitum dæmonibus impenderent ; Christus lux mundi (Joan. 8, v. 12) ipsis prædicatus, abstulit tenebras illas, et revelans eis omnem Dei veritatem, fide illuminavit corda earum, ac salvas fecit. Non solùm vita erat et sibi et hominibus, verùm etiam lux et sibi et hominibus, naturâ sibi, effectu hominibus. Dulcis res est vita, sed tristis absque luce. Verbum et vita est in se et lux, lux viva vitaque lucida, *Deus enim lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*, 1 Joan. 1, v. 5 : hominibus similiter vi suâ et vita est et lux, ac proinde lumen seu lux vitæ, quomodò seipsum vocat Joan. 8, 12 : *Ego sum lux mundi. Erat lux hominum*, id est, valebat, parataque erat homines omnes illuminare, prout quosdam etiam illuminabat, eisque suâ incarnatione lucem cum vitâ conjunctam afferebat. Homines, qui in primâ suî creatione, unà cum vitâ ac justitiâ originali, donati fuerant clarâ cognitione Dei rerumque divinarum ; paulò post, malitiâ suâ, seipsi, ut occiderunt, ita etiam excæcârunt, sic ut

VERS. 31. — QUOD, supple salutare seu quem salutis auctorem PARASTI ANTE FACIEM OMNIUM POPULORUM, id est, oculis totius mundi proposuisti, ut in eum credendo salutem assequantur. Loquitur autem propheticè de re per prædicationem futurâ, tanquàm de præteritâ.

VERS. 32. — LUMEN, id est, lucem ; quartus enim casus est, AD REVELATIONEM GENTIUM, id est, parâsti eum, ut sit lumen ad illuminandas gentes, in summâ veritatis ac Dei ignoratione versantes. Alludit enim ad prophetias, quæ Christum peculiariter ad miserabilem gentium cæcitatem auferendam missum prædicant ; de quo Isaias, cap. 42, v. 6 : *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæco-*

deinde Deum ejusque Verbum, et quæ ad salutem necessaria sunt, non aut vix cognoverint, procul miserèque à Deo ac viâ salutis aberrantes. Merito incarnationis Verbi, ut vita, id est, justitia, multis eorum à Deo est reddita, adeòque omnibus parata et oblata, ita et lux cognitionis rerum divinarum, id est, fides, quæ initium, fundamentum, ac radix justitiæ est. Quem vivificat seu justificat Deus, primùm omnium illuminat infusâ fide, sine quâ nec potest justitia consistere, aut justus vivere. *Justus enim ex fide vivit*, Rom. 1, v. 17. Hoc futurum longè antè Isaias prædixerat, ad cujus vaticinia respexisse videtur Simeon; nam cap. 42, v. 6, Christum alloquens: « Dedi te, inquit, in fœdus populi, in lucem « gentium : ut aperires oculos cæcorum, et educeres « de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes « in tenebris, » etc. Rursùs, cap. 49, v. 6: « Ambula« bunt gentes in lumine tuo, » etc.

Et gloriam, et ut sit gloria, decus, ornamentum plebis tuæ, populi tui Israel. Erat ille populus Dei peculiaris, quod sæpè annotavimus. Jam declarat Simeon, Christum Israelis esse Salvatorem, quia gloriam. Populus Israel ante Christum inglorius erat, subjectus alienigenis, variorum servus peccatorum, innumeris deditus vitiis. Christus attulit ei gloriam ac salutem, non tantùm quia ex ipso natus, ipsique juxta promissa patribus facta exhibitus, et magnâ cum miraculorum gloriâ inter ipsum conversatus; postremò per ipsum gentibus prædicatus, gentibus ab ipso Christum recipientibus, quæ fuit ei summa gloriandi materia; verùm multò magis, quia ad pœnitentiam ac virtutum studium eum adduxit, singulari vitæ sanctitate atque integritate ornavit; denique ad eam libertatem dignitatemque, quâ verè Israel dici possit, et, quod addit Titus, *ad cœlestem gloriam*, evexit. Verum est quidem, quòd majori illius populi parti, salutaris hæc gloria non contigerit, plerisque Christum non agnoscentibus, adeòque rejicientibus; meminisse tamen oportet ejus quod scribit Apostolus Rom. 11, v. 2: *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit; sed secundùm electionem gratiæ, reliquiæ salvæ factæ sunt;* quarum centum quadraginta quatuor millia, ex omni tribu filiorum Israel, Apocalypsis enumerat cap. 7, v. 4. Factus est ergo Christus, gloria plebi Dei Israel, plebi, inquam, quam præsciverat, præcognoverat, elegerat Deus; nec facilè in gentibus invenias, quos ad tantum decus vitæ sanctæ, et tantum cœlestis gloriæ culmen, Christus evexerit, quantùm complures Israelitarum; beatam Mariam inprimis, Joannem Baptistam, Apostolos, etc. Porrò et hoc prædixerat Isaias cap. 46, v. 13: *Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.* Cap. 60, v. 1: *Gloria Domini super te orta est;* et v. 2: *Gloria ejus in te videbitur.* Cap. 62, vers. 2: *Videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum;* Hebræa et Septuaginta: *Gloriam tuam.* Nam sive agatur de Christo, ut argumento gloriæ, sive ut auctore gloriæ, Israeli; utrumque hìc propheta latè describit, conjungens ferè gentium vocationem atque illuminationem; quem proinde Simeon hìc facilè intelligitur imitatus. Atqui dicis ornamentum vitæ sanctæ, et gloriam vitæ æternæ, allata abs Christo tam gentibus quàm Israeli; rursùs illuminationem non minùs Israeli per Christum contigisse quàm gentibus: *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum,* etc., Isaiæ 60, v. 1; ut et utrique magna fuit materia gloriandi de Christo; quomodò ergo Simeon, distinguens inter Israelem et gentes, his lumen et illuminationem, illi gloriam adscribit per Christum? Distinguit eos inter se, ab eo quod singulis est maximè singulare. Maximum malum quod gentes premebat, obtenebratio erat atque ignorantia, et primum quod eis deerat, scientiæ ac fidei illuminatio; his comparatus Israel, versabatur in luce, propter cognitionem Dei ejusque legis, et fidem in Christum venturum; nec tam ei deesse videbatur cognitio veri, quàm obedientia et laudabilis vitæ integritas; idcircò huic quidem gloriam Simeon, illis illuminationem per Christum tribuit. Quanquàm utrumque utrique populo, à Christo communi Salvatore, exhibitum fuerit, quippe utrumque utrique opus erat; nam gentibus non minùs deerat vitæ sanctitas quàm fides, ut Israeli non minùs fides et cognitio multorum ad salutem facientium quàm sanctitas vitæ; prout etiam utrumque necessarium est ad salutem. Prætereo majorem longè de Christo gloriandi materiam Israeli suppetisse quàm gentibus; cæterùm ita præfert Simeon hunc illis, ut communiter omnes salutem in Christo obtinere doceat.

Vers. 33. — Erat. Interpres vertit singulare *erat* ex Græco ἦν, quod tamen pluraliter aliquando accipitur contractum ex ἦσαν. Simile Matth., 27, vers. 61.

Pater ejus. Græcè et Syriacè est *Joseph*, quod substitutum esse videtur ab iis quos offenderit nomen patris; quanquàm illud infra, v. 48, ab ipsâ Virgine tribuatur Josepho. Pater vocatur, non naturâ, sed famâ et lege conjugii. Quippe Jesus filius ejus, non quidem naturalis, aut ab eo genitus, sed nec secundùm vulgi opinionem et famam publicam tantùm, ut neque adoptivus, sed reipsà proprius ac legitimus, ipsi legitimè ex uxore Virgine, nec aliundè ex ullo

rum, etc. Et gloriam plebis tuæ Israel, id est, ut sit gloria ac decus Israelitis, qui peculiaris tibi populus ab initio fuit. Magnam quippe gloriam attulit Christus Israeli, quòd ex illo populo carnem assumpsit, in illo natus et conversatus est, ab illo gentibus prædicatus. Quamvis igitur et plebi Israel Christus lumen fuerit, et gentibus gloria, utrique tamen populo tribuit id quod ei maximè peculiare fuit.

Vers. 33. — Et erat pater ejus, Græcè, *Joseph*, qui pater dicitur, non tantùm ex hominum opinione, putantium Jesum ex Joseph more aliorum natum, sed etiam jure conjugii, quo multò conjunctiùs dicitur pater ejus, qui ex ejus conjuge natus fuit, quàm si esset aliunde adoptatus, ut Aug., lib. 2 de Consensu, c. 1. Et mater mirantes; nam et ipsi matri ordo mysteriorum, quæ jam generatim angelo nuntiante

viro, virtute Spiritûs sancti, in sanctissimo conjugio conceptus, natus, generatus ac divino munere datus, quo regnum, cujus ipse hæres quidem erat, sed assumere illud atque erigere nequaquàm valebat, operâ unigeniti illius filii ipsius, restitueretur et exaltaretur. Nam cùm legitimo matrimonio junctus esset Josephus virgini Mariæ, essetque proinde Mariæ corpus corpus ejus, quin et una ipse cum eâ esset caro, jure, etsi non re, proles è Mariæ carne genita ex ejus genita est carne. Nam sunt conjuges una caro, jure quidem priusquàm convenerint, re autem post; et Josephus, si Deo fortè virginitatem voverat, non juri matrimonii cesserat, sed juris executioni. Dùmque inviolata connubii fide, legitimè Deo cooperante, qui nihil non legitimè operatur, cujus libero dominio non subtrahit uxorem mariti auctoritas, in connubio concepta est, legitima connubii illius Josephi et Mariæ proles fuit.

Mirantes, *erant mirantes*, pro admirabantur.

Super, de his quæ dicebantur, à Simeone præsertim et Annâ, tam enim subsequentia comprehendere oportet, quàm præcedentia.

De illo, de filio suo, Jesu. Admiratio plerùmque ponit ignorantiam ; nam licèt Maria et Joseph præcipua jam ante mysteria didicissent, nominatim quòd filius ipsorum Messias esset, futurus Salvator Israelis ; potuerunt tamen quædam adhuc ignorâsse, ut quòd non omnium Israelitarum Salvator, sed multorum ruina foret, passurus multos eorum adversarios, denique quòd Salvator foret etiam gentium, quæ à Simeone didicerint ; paulatim enim mysteria omnia docebantur, etiam Virgo, nec solùm per Deum et angelos, verùm hominum etiam aliquando ministerio. Atqui eo etiam dato, quòd hæc omnia Virgo noverit, fuit adhuc admirandi argumentum, cùm viderent pluribus à Spiritu sancto mysteria hæc esse revelata, et audirent, præter exspectationem, Simeonem et Annam de puero loquentes consentanea iis quæ didicerant ; mirabantur ergo, quòd à Spiritu sancto, tot testimonia ac tam magna et aperta, per alios etiam edi de illo videbant. Denique mysteria hæc, quia incomprehensibilia, et facultatem atque intelligentiam humanam excedentia, quoties in memoriam et considerationem ab eis revocabantur, toties novam ipsis admirationem et gaudium excitabant, ut fidelibus omnibus usu venit. Hoc est quod ait Græcus in Catenâ citatus : *Transcendentium rerum notitia, quoties in memoriam venerit, toties renovat in mente miraculum.*

Vers. 34. — Et benedixit. Postquàm autem benedixisset Simeon Deum, benedixit etiam *illis*, seu illos prout legitur Græcè ; sine discrimine enim utrumque casum admittit hoc verbum in sacris litteris ; nempe patri et matri Jesu. Deo benedixit, laudans ejus misericordiam ac fidem ; parentibus verò Jesu, gratulatus eis hujusmodi filium, et fausta omnia precatus. *Benedixit,* id est, *benedictos prædicavit,* ait Bonaventura, *ac si diceret illud Davidicum : Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum et terram,* Psalmo 113, v. 15. Atque consuevisse sacerdos benedicere parentibus post oblationem primogenitorum, id est, fausta omnia precari, fit verisimile ; et consentaneum est iis quæ diximus supra, 1, v. 21. Quòd autem puero Simeon benedixerit, quem confessus fuerat omnis salutis ac benedictionis auctorem, non potest animus præsumere.

Ad Mariam, non Josephum, tum quòd non agnosceret eum naturâ patrem, tum quòd victurus non esset, cùm futura essent quæ vult dicere, priùs enim evocatus è vitâ est, quàm cœperit Jesus publicè se manifestare Israeli. Ut enim non decebat eum qui prædicaturus erat Patrem suum Deum, esse in vivis hominem matri suæ conviventem, qui pater ipsius publicâ opinione haberetur, ita non dubium est, quin divinâ dispensatione Joseph è vivis sublatus sit, ante ostensionem Jesu ad Israel. Cui sententiæ favet Epiphanius, hæresi 78, contra Antidicomarianitas.

Ecce, rem observatione dignam, quam utile est te præscire, ne ex insperato adveniens, plus æquo turbet. Læta ex me audîsti, quòd filius hic tuus futurus sit Salvator omnium populorum ; oportet noveris et tristia, ut ad tolerantiam te componas.

Positus est, *jacet,* constitutus, ordinatus est, scilicet tanquàm lapis in Sion seu *Israel,* prout sequitur ; alludit enim ad Isaiam, citatum ab Apostolis Paulo, Rom. 9, v. 33, et Petro, 1 Pet. 2, v. 6 : *Ecce pono in Sion lapidem,* quæ verba leguntur Isaiæ 28, v. 16. Nam vocabulum *issad,* quod interpres Latinus cum Græcis vertit, *mittam in fundamentis,* Apostoli simpliciter exposuerunt *pono* seu colloco. Ponendi autem vocabulo, significatur divinum consilium, quòd non casu, sed æternâ Dei destinatione constitutus sit.

Hic, filius tuus.

In ruinam, ad ruinam, ut sit ruina, id est, exitium, perditio, seu causa ruinæ ac perditionis. Metaphora est enim, ruina seu casus pro exitio, quòd is qui ceciderit, facilis sit oppressu, nec juvare se ipse queat adversùs hostes, censeaturque in bello perditus. *In ruinam* autem, supple ex consequentibus, *multorum in Israel,* multorum Israelitarum. Hoc est quod ex Isaiâ Paulus dicit, addens ex cap. 8, v. 14, verbis mox citatis : *Lapidem offensionis et petram scandali.* Isaiæ locus integer ex capite 8, sic habet : *Erit vobis in sanctificationem* Dominus : *In lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel ; in*

noverat, enucleatiùs innotescebant. Super his quæ dicebantur de illo. Euthymius ad sola jam dicta Simeonis verba refert ; Orig., hom. 16, ad omnia præcedentia ; sed non malè referri possunt simul etiam ad sequentia, ut sit et epilogus præcedentium, et præfatio sequentium, quæ ipsis maximè mirandi causam præbere potuerunt. Cùm enim Simeon benedixisset eis, sive benè precando sive talem eis filium gratulando,

Vers. 34. — Dixit ad Mariam matrem ejus ; nam Joseph, cùm hæc contingere debebant, scilicet in prædicatione et passione Domini, juxta multorum opinionem, ex hâc vitâ migraverat. Ecce positus est hic in ruinam, id est, ad ruinam, seu ut sit ruina et perditio multorum in Israel ; effectum enim positionis, non finem significat. Alludit autem ad prophetiam Isaiæ, c. 8, ubi dicitur Dominus futurus *in lapidem offensionis, et petram scandali,* id est, in lapi-

laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. Posterius prioris est explicatio : *In lapidem offensionis et in petram scandali,* id est, *in laqueum et ruinam.* Cæterùm observandum, quòd Isaias dicat, quòd Dominus erit multis in lapidem offensionis et in ruinam, seu lapis offensionis et ruina, etc., similiter Paulus, *pono lapidem offensionis,* etc. ; Simeon autem ampliùs dicat, nimirùm, Dominum positum esse in lapidem offensionis et in ruinam. Quid sit Christum aliis esse seu fore lapidem offensionis et ruinam, non difficile est explicare, scilicet quòd multi ad eum offendentes, cadent, corruent, peribunt. Sic interpretatur sua ipse verba Isaias, subdens jam laudatis : *Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.* Porrò id ita accidit, quando Christus se ipse manifestavit Israeli ; loquitur enim Simeon de eo quod futurum erat, Christo in terris agente, seque ipsum manifestante. Sacerdotum, scribarum, Pharisæorum et populi pars longè major noluit in ipsum credere ; noluit eum agnoscere Christum ; itaque impegerunt in eum per cæcitatem, ceciderunt per incredulitatem, perierunt per obstinatam perfidiam. *Propter incredulitatem fracti sunt,* ait Paulus, Rom. 11, v. 20 : *Tu autem fide stans, noli altum sapere.* Similiter Petrus 1 Epist. 2, v. 7 : *Vobis honor credentibus; non credentibus autem,* etc.; *factus est lapis offensionis et petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt.* Denique Beda : *Quomodò in ruinam, nisi quia lapis offensionis est et petra scandali, id est, ruinæ, his qui offendunt verbum nec credunt?* Hoc ergo modo fuit eis Christus ruina et lapis offensionis, quia non fuit receptus ab eis per fidem, quia pervicaciter ab eis fuit repudiatus, ac proinde fuit ipsis exitialis, sed ipsorum vitio, non Christi. Nec enim Christus eis præbuit ruinæ causam, qui nihil intactum reliquit, quo ipsos ad fidem in se ac salutem adduceret ; verùm illi pervicaciter eum rejicientes, fide et salute exciderunt. Ergo propriè, non auctor, non causa exitii fuit eis Christus, sed occasio duntaxat, eaque accepta, non data ; quemadmodùm lapis ingens, in quem quis, spontè clausis oculis, impingens, præceps ruat in foveam. Nam quia rebelles fuerunt Christo, alliserunt se ad eum, atque inde secuta est eorum ruina seu exitium. Facile est ergo intelligere, quomodò Christus factus sit multis lapis offensionis ac ruina ; sed videtur Simeon ampliùs dicere, quòd nimirùm de industriâ, eo consilio à Deo sit positus, ut sit multis ruina, non minùs quàm multis resurrectio. Numquid ergo mens Dei fuit ut Christus aliquos perderet vel in occasione? ut Christus ad hoc Judæorum multis se proponeret, ut non credentes perirent? Fuit mens Dei, ad liberandam fidem patribus datam, exhibere Christum suum, quamvis certò sciret majorem Judæorum partem impacturam in eum, oppposituram se ei, itaque perituram. Quâ præscientiâ non obstante, dùm exhibuit eum, dicitur eum posuisse in ruinam eorum; tum quia justo suo judicio exposuit eum ad quem noverat eos offensuros, cùm peccata eorum mererentur peccatis puniri ; quemadmodùm quibusdam rogantibus, iratus largitur divitias, quibus novit eos abusuros ; tum quia ut offenderent ad eum, permisit. Et quanquàm nec hâc quidem ratione, propriè dici possit Christum eo consilio aut eo fine, directè à Deo positum fuisse inter Israelitas ut caderent, qui *odit omnes qui operantur iniquitatem,* Psal. 5, v. 7 ; quique *misit Filium suum in mundum, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum,* Joan. 3, v. 17 : tamen quia positis iis quæ dicta sunt, videri id possit hominibus, hujusmodi fuisse Dei consilium, et de industriâ ad hoc à Deo positum Christum ut illi caderent, idcircò absolutè Scriptura dicit, positum esse in ruinam multorum, ex hominum opinione potiùs quàm ex propriâ sententiâ, secundùm id quod videri possit, potiùs quàm secundùm id quod sit, loquens. Si quis roget, quomodò occasio ruinæ Christus fuerit eis qui absque Christo fuerant etiam perituri? Respondeo quòd si Christus ipsis non fuisset exhibitus, vel non erant perituri, sed salvandi fide in Christum venturum, vel si ob alia peccata erant perituri, longè gravius exitium passi sint, qui etiam oblatæ divinitùs saluti scientes volentes se opposuerint. *Si non venissem et locutus fuissem eis,* ait Christus Joan. 15, v. 22, *peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Et in resurrectionem, positus est, id est, ut sit resurrectio seu auctor resurrectionis, quod est salutis ; quo nixi resurgant qui jacebant, id est, per quem, qui peccatis subjecti et obnoxii erant, liberentur ac salventur. Est enim metaphora resurrectionis pro salute, quemadmodùm ruinæ pro exitio, eò quòd qui erectus steterit firmus in pedes, salvus et extra periculum omne esse videatur. Ne Christum formidabilem redderet, quòd dixerat positum esse in ruinam, addit consolationem, quòd et in resurrectionem sit positus. Cæterùm non sic in resurrectionem positus est, quemadmodùm in ruinam ; proprium enim ac genuinum Christo est salvare, accidentale verò perdere ; salutis ipse propriè auctor est et causa efficax ; exitii verò occasio duntaxat. Nam propria causa ipsi sibi sunt increduli. Deus quoque Christum, hoc directè fine, et hoc determinatè consilio, misit ac constituit inter Israelitas, ut per ipsum resurgerent ac salvarentur ; ut verò Christi occasione damnarentur ac perderentur, non eum sibi præstituit finem, verùm id

dem, in quem offendant et cadant, metaphorâ sumptâ ab offendiculis pedum ; nam exponens verba sua (scilicet Isaias) addit : *In laqueum et ruinam habitantibus Jerusalem, et offendent ex eis plurimi, et cadent, conterentur, et irretientur et capientur.* Factum est hoc per Judæorum incredulitatem, sicut hic locus exponitur, 1 Petri, 2, versu 7. Et in resurrectionem multorum in Israel, id est, non solùm ad perditionem, sed etiam ad salutem multorum in populo Israel positus est. Nam illud, *multorum,* ad utrumque referri debet ; differenter tamen ; nam ad ruinam est ex hominum vitio ; ad resurrectionem ex Salvatoris beneficio ; et utroque metaphoricè significatur perditio et salus. Quo sensu dicit et Apostolus, 1 ad Corinth. 1, Christum crucifixum *Judæis esse scandalum, gentibus autem stultitiam,* itemque seipsum

justo suo judicio permisit exigentibus peccatis eorum.

Multorum ; id referendum est tam ad *ruinam*, quàm ad *resurrectionem*. Quia dixerat Simeon Christum à Deo paratum esse omnibus populis in salutare seu salutis auctorem, declarat, non omnibus tamen Israelitis fore auctorem salutis, imò contra, multis causam exitii ; et quasi dicit : Filius hic tuus, quamvis in hoc à Deo datus est, ut æternam salutem omnibus conferat, tamen quorumdam Israelitarum vitio fiet, ut æternum ipsis afferat exitium, eò quòd abs se exspectatum et Dei beneficientiâ exhibitum pervicaciter sint rejecturi. Et si quidem pauci forent hujusmodi, facilè foret omnem in ipsos culpam conjicere ; verùm multi adeò futuri sunt, ut videri possit, de industriâ Deus, Christum suum inter Israelitas, non minùs ad ruinam, quàm ad erectionem posuisse, et illorum vitium, in Deum quodam modo sit redundaturum.

In Israel. Hoc, vel referendum est ad *positus est*, cujus loco Isaias dicit, *in Sion,* vel conjungendum cum *multorum,* quod sit, multorum ex Israel seu Israelitarum. Erat hoc maximâ admiratione dignum, ut res inexpectata, Christum promissum ac destinatum Israelitis auctorem salutis, fieri plerisque eorum perditionis occasionem ansam ipsis ex eo arripientibus. Et quanquàm nec gentibus omnibus futurus esset salutis auctor, imò multis similiter causa majoris perditionis (perîssent enim utique, etiamsi Christus ipsis non fuisset oblatus), Apostolo testante : *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam,* 1 Cor. 1, v. 23 ; tamen non perinde mirum id esse poterat, Christum gentibus fieri causam perditionis, hospitibus testamentorum et à Deo alienis, ut Israelitis, quibus promissus, exspectatus et exhibitus fuerat ad salutem.

Et in signum, et ut sit signum, scilicet positus est. Simile legitur Job. 16, v, 13 : *Posuit me sibi quasi in signum*, et Threnorum 3, v. 12 : *Posuit me quasi signum ad sagittam.* Signum intelligitur, quale illud in quod solent sagittarii collimare, quod Græcè scopus dicitur.

Cui contradicetur, ἀντιλεγόμενον cui contradicitur. Latinus interpres rectè intellexit præsens positum esse pro futuro ; Syrus clarè, participio mutato cum nomine, dixit *velotho deherione,* et in signum contradictionis seu contentionis ; id est, contradictioni seu contentioni obnoxium. Hujusmodi signum est scopus quem sagittarii sibi præstituunt, in quem certatim omnes sagittas suas jaciunt, eumque configere, confodere, lacerare, ac destruere contendunt, certantque ut quàm proximè singuli cor centrumve trajiciant. Hinc sumptâ metaphorâ et similitudine, prædicit Simeon, quòd certatim Israelitæ plerique omnes, Christo, quando se ipsis manifestabit, contradicent, rebellabunt, odii sui sagittas in eum conjicient, Contradicent et verbis et rebus, verbis injuriosis ac blasphemis, rebus, id est, persecutionibus ac tormentis ; et quidem omnis generis et conditionis Israelitæ, magnates et plebei, seniores et juniores ; nec id semel tantùm, sed continuè ac certatim, donec deleverint quod in ipsis erit, quemadmodùm sagittarii non priùs cessant signum telis petere, quàm ita confoderint, ut nulli ampliùs sit usui. Prædicit ergo Simeon Virgini, persecutiones, passionem et crucem, quas filius ipsius à popularibus suis Israelitis sit toleraturus, ne speraret eum communi populi applausu, recipiendum pro Christo, sed præscia passurum hostes ac contradictores plurimos, invicto animi robore adversùs insultus omnes se muniret, denique intelligeret quomodò futurum esset id quod jam dixerat, positum Christum in multorum ex Israel ruinam, quòd nimirùm Christo contradicturi essent et rebellaturi Israelitarum plurimi. Has contradictiones ut sæpè ad memoriam revocemus, monet Apostolus Hebr. 12, v. 3 : *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris, deficientes.* Prædixerat has longè ante Simeonem David, Psalmo 17, v. 44 : *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium,* quod est, ereptum de contradictionibus seu persecutionibus populi Judaici (per resurrectionem scilicet) constitues caput gentilium. Hoc ergo modo fuit Christus Judæis signum contradictionis ; positus autem à Deo fuit ut esset signum hujusmodi, non quòd Dei mens fuerit ut Christo rebellarent Judæi, qui iniquissimè id sceleris tulit, et gravissimè vindicavit, populo illo eradicato ; sed quia, Deo Christum suum exhibente, et quam præsciverat rebellionem justo judicio permittente, tam multi Judæorum Christo pervicaciter rebellârunt et contradixerunt, ut ad hoc à Deo positus et ordinatus videri posset, ut esset ipsis communis contradictionis scopus.

Vers. 35. — Et tuam ipsius, quin et tuam ipsius, adeò ut etiam tuam ipsius. Feminini generis est *ipsius.* Eò perveniet contradictio, ut tuam ipsius, quin et ad te, ex eâ re, quòd illi ita contradicetur, justus dolor est perventurus, adeò ut tuam ipsius.

Animam. *Nec littera nec historia docet*, inquit Ambrosius, *ex hâc vitâ Mariam, corporalis necis passione*

aliis esse odorem mortis in mortem, aliis odorem vitæ in vitam. Et positus est etiam hìc in signum, in quod collimant sagittarii ; Græcè, *in scopum*, juxta illud Thren. 3, v. 12 : *Posuit me quasi signum ad sagittam.* Cui contradicetur, Syriacè : *In signum contradictionis*, seu *contentionis ;* in quod certatim omnes et passim jaciant sagittas contradictionis suæ, tam manu quàm linguâ, tam factis quàm verbis, donec blasphemiis confixum, et calumniis oppressum in crucem egerint. Quò respiciens Apostolus, ait, ad Hebr. 12 : *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem.* Et quia hoc toti corpori cum suo capite commune est, ideò Christus apud Isaiam dicit c. 8 : *Ecce ego et pueri mei in signum et in portentum Israel ;* cui scilicet portentosè contradicetur.

Vers. 35. — Et tuam ipsius animam. Nonnulli, *ipsius*, ad Christum retulerunt, hoc sensu, animam Christi, quæ tua est ; vel etiam animam tuam, quæ est ipsius Christi ; sed textus Græcus omnem tollit ambiguitatem, quia, *ipsius* est femininum. Itaque verus sensus est : Non solùm Christo velut scopo contradicetur, sed etiam tuam propriam *animam* pertransibit gladius : quem aliqui intelligunt verbum

migrâsse; non enim anima, sed corpus materiali gladio transverberatur.

Pertransibit, trajiciet, transfodiet, mediam penetrabit ac scindet.

Gladius. Tractatores plerique omnes, gladii nomine intelligunt *afflictionem animi, quam sacrosancta Virgo, dùm cruci assisteret, pertulit,* ut Titi verbis utar; sed, quò plenior sit sensus, præstat intelligere gladium quo filio ipsius contradicetur, gladium contradictionis. Duplici gladio petitus fuit Christus, gladio linguæ et gladio ferri; de illo Psalmus 56, v. 5 : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus;* et Psalm. 63, v. 4 : *Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram.* De hoc Psal. 21, v. 18 : *Foderunt manus meas et pedes meos.* Gladio linguæ petitus fuit, quando convicia innumera et opprobria ceciderunt super eum, id quod fore prædictum fuerat Psal. 68, v. 8, 10; accidisse autem narratur infra, cap. 23, v. 35, 36, 37, 39; nam tametsi et alibi convicia passus sit, in cruce tamen potissimùm. Gladio autem ferri trajectus fuit, quando cruce aliisque tormentis adhibitis fuit interfectus. Gladius linguæ confodit et filii et matris animam; gladius autem ferri, filii quidem et animam et corpus, matris autem animam confixit. Adstans enim juxta crucem et audiens vidensque quæ circa filium gerebantur (hoc enim præcipuum est, quod Simeon hìc vaticinatur) tantum animo dolorem passa est, quantum non sit facile exprimere, conjicere autem licet, primùm ex objecto, filio eoque unico et hujusmodi, deinde ex cruciatuum quos filius tolerabat acerbitate, tertiò ex diuturnitate, quartò ex solitudine, quòd non esset qui consolaretur, quintò ex indignitate et frequentiâ blasphemiarum, sextò ex amoris quo filium prosequebatur perfectione, postremò ex utriusque præsentiâ; quæ septem à cardinali Toleto latiùs explicantur. Hæc enim dolorem creârunt matri acutissimum, penetrantem animam ejus, et scindentem cor, nec minorem eo quem aliæ matres sentiunt ex partu. Nam, quod ait V. Beda, *etsi Christum, utpote Dei Filium, sponte propriâ mori, mortemque ipsam non dubitaret esse devicturum, ut suâ tamen carne procreatum, non sine doloris affectu potuit videre crucifigi.* Hæc igitur admonitio, ad confirmandum sanctæ Virginis animum valuit, ne mœrori succumberet, ubi ventum esset ad tam acres pugnas quàm ipsi fuerant subeundæ, ad acerbissimos, inquam, dolores, quibus filio in cruce sociæ animus esset transfigendus : prout certè illos constantissimè tulit, sensibus et ratione imperturbatis. Ambrosius lib. 10, in Lucam : *Maria, ut matrem Christi decebat, fugientibus apostolis ante crucem stabat, et piis spectabat oculis filii vulnera, quia exspectabat, non pignoris mortem, sed mundi salutem.* Stetit ergo, non genas vellens, non capillos spargens, non humi cadens, aut vacillans corpore, vel animo deficiens; stetit, non ejulans, clamans, aut querelas edens, ob indignam filii cædem; sed stetit taciturna, modesta, recta, et constans, prædita ardentissimo filii amore, pleno fide ac fortitudine. Quocirca non timuit ne Judæi manus in se injicerent, ut quæ mater ejus, qui crucifixus erat, seditiosi, impostoris, quem dicebant, agnosceretur; parata enim fuit non tantùm, sed et optavit, unà cum filio vitam fundere. Non curavit probra, quæ inimici tam multi tamque feri, possent objicere, ut filio ita matri præsenti; gavisa enim fuisset pro nomine filii contumelias pati. Et quis scit an non insultârint ei, et deriserint, ut seductoris illius, qui dignas meritis pœnas lueret, matrem? Certè Cyrillus existimat, milites cum risu atque triumpho, in matris præsentiâ, Jesu vestimenta partitos. Non puduit eam publicè adstare filio damnato ac de cruce suspenso, et coram omnibus pro matre ab eo agnosci; quia crucem filii, non ignominiæ, sed gloriæ sibi duxit; fide enim illustrata, noverat, eum, non sua, sed aliena luere peccata, et cruce *salvare populum suum à peccatis eorum,* quod angelus ab initio prædixerat, Matth. 1, v. 21. Denique non desperavit aut animum despondit, certa eum die tertiâ à morte resurrecturum. Stetit igitur magnanima et constans, quanquàm modestè lacrymans, ut perfossa quod ad animam doloris gladio. Jam enim implebatur prophetia illa à Simeone quadragesimo à partu die prædicta : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Gladium enim acutum, doloris magnitudinem appellavit,* inquit Cyrillus. Nam, quod Damascenus audet asserere libri 4 de Fide orthodoxâ cap. 15 : *Quos in partu dolores effugerat beata, eos passionis tempore sustinuit, ut quæ pro materno suo affectu viscera sibi lacerari senserit, et dùm eum quem Deum gignendo noverat, ut* talem filium, talia coram patientem, talis mater spectabat. Ut meritò S. Bernard., serm. 29, in Cant., dicat compassionis affectum in dolore exsuperâsse corporeæ passionis sensum ; UT REVELENTUR EX MULTIS, seu multorum, CORDIBUS COGITATIONES. Referenda sunt ista verba ad versum præcedentem, ut illa, *et tuam ipsius animam,* etc., quasi per parenthesin inserta legantur, et iste sensus sit : Positus est Christus in ruinam, et resurrectionem, et in signum, etc. Ut ita secreta cordium multorum, quæ ante latebant, in apertum præferantur; quo videlicet animo quisque sit erga Christum ac Deum, pio an impio, fideli an infideli. Nam, ut Beda notat, incertum erat antea, qui Judæorum Christum et gratiam ejus, quem venturum noverant, et crepabant ac desiderabant reciperent, qui respuerent, qui verâ, qui simulatâ pietate justitiam sectarentur. Adventu et

Dei; alii amorem, quo vulnerata fuit; alii etiam dubitationem in fide, tempore passionis; sed interpretationes istæ partim falsæ, partim à scopo alienæ sunt. Gladius igitur intelligitur tribulationis, quo materna anima vulnerata fuit doloris affectu, inquit Aug., epist. 59, quæst. ult. Quo sensu dicit psalmus 104, de Joseph, compedibus vincto : *Ferrum pertransiit animam ejus.* Tribulatio autem ac dolor intelligitur ille quem sensit ex illâ omnium contradictione, quæ præcidit tanquàm gladio, quo filius petebatur, et quo in cruce et filius et mater transverberati sunt; ille patiendo, hæc audiendo et spectando. Incredibili namque dolore transfixum esse matris affectum fateri cogit cruciatuum acerbitas, diuturnitas, et infamia, blasphemiarum indignitas ac multitudo, omnium in unum conspiratio, omnis consolationis defectus, amoris denique magnitudo, quo

sontem ac facinorosum morte affici conspiceret, intimis cogitationibus tanquàm gladio discerperetur. Sed quod diximus, ob hujusmodi luctum nihil præter decorum egit; imò spiritu gavisa est de mundi salute, quæ morte filii sui parabatur. Deo Patri unà cum filio pro tantâ miseratione gratias agens: ita consentiens divinæ voluntati, ut parata esset, si Deus jussisset, ipsa filium cum Abraham offerre. Quòd autem steterit juxta crucem, fuit, ut se filio probaret genuinam matrem, quòd maternæ pietatis viscera patefaciens, cùm aliud aut auxilii aut solatii filio ferre non posset, non desereret in summâ ignominiâ et extremo vitæ constitutum, denique ut ex filio audiret, si non aliud, extremum *Vale* hujus mortalis vitæ, quam ipsa filio dederat, si quidem ipsi dicere placeret.

Ut revelentur. Refertur id, non tam ad id quod proximè, quàm ad totum illud quod præcedit, significatque *ut*, non solùm eventum et consecutionem, sed etiam causam ac finem. Redditur enim causa, quare Deus, Christo exhibito, permiserit, ut multi adeò Judæorum ipsi contradicerent et caderent. Revelentur, manifestentur, in apertum proferantur.

Ex multis cordibus, multorum cordium seu animorum cogitationes, secreta, ut appareat quales fuerint singulorum cogitationes, probatæ Deo, an reprobæ, ut dignoscatur qui præditi fuerint animo benè erga Deum et Christum constituto, qui secùs. Non agitur hìc de singularibus aliquorum cogitationibus, sed de discernendis in populo Judaico probis et impiis, fidelibus ac perfidis. Antequàm exhiberetur Christus, videbantur omnes æquè propensi in Deum et Christum, æquè omnes Christum à se exspectari, adventumque ejus desiderari profitebantur; ast ubi venit, seque ipsum declaravit, tunc manifestum factum est, qui id verè ac piè desiderâssent, qui simulatè aut stolidè, qui religiosi, qui irreligiosi essent, erga Deum et Christum. *Incertum erat quondam*, ait Vener. Beda, *qui Judæorum, gratiam Christi, quam venturam utique noverant, recipere, qui autem respuere mallent.* Sed adventu ejus, *manifestæ factæ sunt omnes omnium cogitationes*, inquit Titus; adeòque de quibusdam, qui Messiam ac legem semper in ore habebant, et videbantur justitiæ arcem obtinere, innotuit quid de Christo cogitaverint, et quàm à verâ justitiâ et Christo cogitationes eorum fuerint alienæ, quòd, inquam, persuasi fuerint Christum mundani regis habitu venturum, et collatis in ipsos temporariis beneficiis, ambitioni ac cupiditatibus eorum serviturum. Quod cùm contra accideret, et ad mundi contemptum à Christo invitarentur, contradixerunt ei, rejecerunt eum, ac tandem occiderunt. Itaque Christo se exhibente, declaratum est mundo, quales fuissent atque essent singulorum Judæorum erga Christum animi; quæ causa fuit Deo permittendi ut pro libidine Christo abuterentur; quemadmodùm permittit hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant, 1 Cor. 11, v. 19.

Vers. 36. — Et erat, erat etiam, habitabat etiam id temporis Jerosolymis. Adducitur altera testis, quæ puerum Jesum in templo oblatum, declaraverit esse Christum lege promissum.

Anna, à gratiâ nomen est derivatum, quemadmodùm diximus supra, 1, v. 1, sub finem.

Prophetissa. Videtur hoc nominis publicè obtinuisse, ut vocaretur *Anna prophetissa*, quia ante genus cæterasque qualitates, hoc epitheton, nomini ejus proprio, tanquàm cognomen, adjungitur. Cæterùm non existimem, futurarum rerum prædictione fuisse celebrem, hujusmodi enim prophetis caruerunt Judæi hoc tempore; sed ut in Scripturis doctam et exercitatam, peritamque divinæ voluntatis, obivisse munus docendi juvenculas legem ac mandata Dei, et ad pietatem eas instituendi, anus cùm esset, non magis ætate quàm morum gravitate ac sanctitate veneranda, quæ in actionibus omnibus suis Spiritu sancto agi videretur; ut certè hìc, Spiritu sancto manifestè acta fuisse cernitur, ut advolaret Christi excipiendi gratiâ. Nam quanquàm propriè id accipi possit, pro futura prædicere, rectiùs tamen generaliter accipi videtur, ut significet etiam Dei verba nuntiare et docere, res sacras exponere, mysteria fidei edisserere; in summâ, docendi in Ecclesiâ fungi officio. Nam et Apostolus ferè sic explicat prophetiam, 1 Cor. 13, v. 2. *Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam.* Utitur maximè honorifico vocabulo, quo meliùs exprimat, nihil esse externam professionem; quocumque sit apud homines splendore. Falsi prophetæ sunt igitur præsertim hæretici, qui non à fide tantùm rectâ, verùm etiam à vitâ bonâ, quæ fide ut fundamento nititur, abducunt.

Phanuel. Hìc est nomen viri; at Genes. 32, v. 30, nomen est loci, sic appellati ab Israele, quòd illic vidisset Deum facie ad faciem; non enim Israel à videndo Deo est dictus, quod multi erroneè putant, sed Phanuel.

Aser. Quanquàm tribus Aser cum reliquis novem abducta à rege Assyriorum in captivitatem (4 Reg. 17, v. 6) nunquàm reversa fuerit: multi tamen earum tribuum, qui religionis causâ discesserant habitatum

prædicatione ipsius patefactum est quis esset singulorum erga Deum, Christum, et justitiam animus.

Vers. 36. — Et erat Anna prophetissa, hoc scilicet cognomine passim nota; quo quidam recentiores nihil aliud significari putant, quàm quòd esset in Scripturis exercitata, docens juvenculas legem Dei. Sed rectiùs August., lib. de Bono viduit. c. 7, veram prophetissam intelligit, quia, inquit, credendum est eo spiritu prævidisse Christum ex virgine proximè esse venturum, quo potuit agnoscere et parvulum. Filia Phanuel de tribu Aser. Nam ante adductam tribum Aser in captivitatem Babylonicam, multi de singulis tribubus transierant religionis causâ ad Judam et Benjamin, ut est 2 Paralip. 11, v. 16. Multi quoque captivitatem Assyriorum evaserant, etiam ex Aser, ut patet 2 Paral. 3, v. 6 et 11, ex quorum reliquiis potuit esse Anna ista. Hæc cùm esset provectæ ætatis, vixerat cum viro suo septem annis a virginitate sua, id est à die quo virgo nupserat. Quibus verbis tacitè indicat castitatem ejus et virginalem ante nuptias, et conjugalem post nuptias, vidualem verò versu sequenti.

in Judâ (2 Paral. 10, v. 17, et cap. 12, v. 12 et seq.) non fuerant in eam captivitatem abducti, ut potuerunt etiam singulares aliqui ex illâ rediisse.

PROCESSERAT, provectæ admodùm erat ætatis; vide supra, 1, v. 7.

VIRO, marito.

A VIRGINITATE SUA, id est, à tempore nuptiarum, quas virgo inierat. Significatur virginem fuisse cùm nuberet, castissimè ac religiosissimè educatam. Nihil omittit Evangelista, eorum quæ ad historiæ certitudinem, et ad fidem conciliandam, pertineant.

VERS. 37. — ET HÆC VIDUA. Quibus (annis septem) transactis, et marito mortuo, permansit vidua. Septem annis datis marito ac soboli, licèt viginti etiam nùm prædita ætate, non repetiit nuptias, sed marito mortuo, ipsa quoque velut mundo mortua, quod reliquum esset vitæ, uni castitati ac Deo consecravit.

USQUE AD ANNOS, circiter aut quasi annorum; sic est et Syriacè. Latinus interpres legisse videtur *usque*.

OCTOGINTA QUATUOR. Possent intelligi anni octuaginta quatuor viduitatis; nempe, tunc temporis, cùm Christus infans in templo offerretur, eam egisse annum octuagesimum quartum in viduitate, ac proinde habuisse annos ætatis circiter sex supra centum numeratis annis quindecim virginitatis: sed quia eo adhuc tempore, vacâsse nocte et die jejuniis atque orationibus dicitur, non fit verisimile adeò decrepitam fuisse, quòd ætas centenaria non videatur continuos hujusmodi labores ferre posse. Intellige igitur quòd à morte mariti, quem juvenis amiserat, remanserit vidua usque ad annum octuagesimum quartum ætatis, quem egerit hoc tempore aut proximè attigerit. Longo tempore probata castitas; et videri possit, hujus non minùs quàm Simeonis mortem, non in aliud fuisse dilatam, quàm ut id quod ardentissimis diù optârat votis anus videret.

QUÆ NON DISCEDEBAT, tam grandæva licèt esset, DE TEMPLO, commodè id intelligendum est; nam ob necessaria naturæ, cibum, potum, et cætera hujusmodi, relinquebat aliquando templum, haud dubiè. Prædicatur fuisse in templo frequentissima, ac penè assidua. Parùm laudabilis viduitas est, nisi conjunctam habeat religionem ac pietatem: *nam quæ in deliciis est vidua, vivens mortua est*, doctore Apostolo, 1 Timoth. 5, v. 6.

JEJUNIIS ET OBSECRATIONIBUS, seu precationibus, orationibus. Non sunt casus dativi recti à verbo *serviens*, quod sit operam dans, sed sunt ablativi modi, quasi dicas per jejunia et orationes. Jejuniis corpus immolabat Deo, orationibus animum; illis enim sanantur pestes corporis, his ægritudines animi. Cognatæ sunt hæ duæ virtutes, ut cognata quoque sunt corpus et anima, et utroque Deo servire oportet. Jejunium, quod est substractio cibi potûsve necessarii ad hoc ut corpus optimè valeat, subdit corpus spiritui; oratio autem elevat spiritum in Deum. Itaque cognata sunt et se mutuò fovent, dùm jejunium facit, ut non obstet corpus, quo minùs spiritus liberè tendat in Deum; oratio aufert desiderium curandi corporis, ita ut vix de eo cogitetur, nisi ubi necesse est; quam ob causam sæpè conjunguntur in sacris Litteris.

SERVIENS, scilicet, Deo, colens; vox Græca, ex sacrorum Scriptorum usu, significat servitutem seu cultum uni Deo debitum. Λατρεία ex vi significationis non denotat servitutem soli debitam Deo, sed ex sacrorum Scriptorum usu, Pauli præsertim et Septuaginta: alioqui idem est quod δουλεία; nam et Levitici 23, v. 7, opus servile, λάτρευτον Græcè dicitur. Hebræa vox *habad*, generalis omninò est. Sita est autem Deo singulariter debita servitus, cùm in sacrificio et adoratione, tùm in piâ erga Deum affectione mandatorumque illius observatione. Nulli serviendum est contra Deum, nec ulli nisi propter Deum. Unde et ipse Beza hìc vertit, *serviens Deo;* quare parùm favet præceptori suo Calvino, neganti jejunium esse cultum Dei, contra manifestissimam hujus aliorumque S. Scripturæ locorum doctrinam.

NOCTE AC DIE, id est, continuè et perseveranter, quanquàm noctis hìc mentio notanter urgenda est, quo tempore non solet vulgus hominum orare. Id fecit hæc vidua, præveniens præceptum Apostoli: *Quæ verè vidua est et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die.* 1 Tim. 5, v. 5. Ac verisimile omninò fit, viduam hanc, ab amisso marito, devovisse seipsam Deo ejusque ministerio, et in templo ipso habitâsse; non in atrio seu loco orationis, sed in exteriori templi parte, ubi exedras seu cellas ædificatas fuisse, quæ servirent etiam mulierum ac virginum, quæ se Dei ac templi ministerio consecrâssent (quibus pietatem docendis præfecta hæc fuerit) habitationi, clarum facit illustrissimus cardinalis Baronius, in apparatu ad Annales ecclesiasticos, ubi agit de præsentatione ac mansione B. Mariæ in templo.

VERS. 38. — ET HÆC, *et etiam hæc,* ita Syrus. *Hæc,* tam multis nominibus commendata anus, adeò vene-

VERS. 37. — ET HÆC VIDUA; quia noverat jam tempus esse, quo Christo non officio pariendi, sed studio continendi meliùs serviretur, inquit August. loco cit., USQUE AD ANNOS OCTOGINTA QUATUOR, non viduitatis sed ætatis. Meritum ergo Annæ eo maximè commendatur, inquit c. 13, quia cùm tam citò in juventute expulisset virum, per prolixam ætatem suam diù cum carne conflixit et vicit. Et quia parùm est esse viduam, nisi pietate commendetur, addit hyperbolicâ locutione: QUÆ NON DISCEDEBAT DE TEMPLO; non quòd in illo habitaret, sed in eo frequenter et penè assiduè studio religionis versaretur, JEJUNIIS ET OBSECRATIONIBUS SERVIENS, id est, per jejunia et orationes serviens Deo, Græcè λατρεύων, seu *latriam exhibens;* quod sacrorum scriptorum usu cultum Deo debitum significat, ex quo apertum relinquitur tam per jejunia secundùm se, quàm per orationem coli Deum, non verò tantùm, quatenùs carnem macerando jejunia serviunt orationi, ut vult Calvinus in Harmoniâ suâ evang. NOCTE AC DIE, id est, assiduè, præveniens jam tum præceptum Apostoli 1 ad Timoth., v. 5, ubi viduam jubet instare obsecrationibus et orationibus nocte ac die.

VERS. 38. — ET HÆC, tot videlicet nominibus commendata: nam, ut Ambr. notat, ideò Anna et stipendiis viduitatis et moribus talis inducitur, ut digna

randa ætate ac virtutibus matrona. Idcircò enim hactenùs ætas ejus et virtutes, notanter adeò descriptæ fuerunt, ut testimonio ejus de Christo pondus adderetur, et manifestum fieret, fuisse testem omni exceptione majorem, non humano sed divino spiritu locutam. Quare Ambrosius : *Ideò Anna et stipendiis viduitatis et moribus talis inducitur, ut digna planè fuisse credatur, quæ redemptorem venisse omnium nuntiaret.*

IPSA HORA, eodem momento, quo quæ dixi gerebantur, quo puer sistebatur Domino, et Simeon de illo prophetabat.

SUPERVENIENS, ἐπιστᾶσα adstans, assistens. Syrus *comath*, surrexit. Fieri facilè potest, quòd non ex loco habitationis suæ, sed ex loco orationis in templo, surgens, instinctu Spiritûs sancti venerit ad eum templi locum, ubi puer offerebatur.

CONFITEBATUR. Id multi interpretantur, *vicissim confitebatur*, laudabat et ipsa gratiasque agebat, ut Simeon scilicet, quasi dicatur quòd succinuerit Simeoni in laudando Deo et agnoscendo hoc puero pro Christo ; atque hanc vim esse putant particulæ ἀντί. Atqui interpretes Latinus et Syrus id non senserunt, qui simpliciter verterunt confiteri ; nec Theophylactus cum suis aliud annotat, quàm, *id est, gratias agebat ;* particula enim ἀντί, respicit ad beneficium acceptum. Celebre est autem, *confiteri*, quod Septuaginta verterunt ex Hebræo *iada*, pro laudare et gratias agere accipi, unde frequens illius usus est in psalmis : *Confitemini Domino, quoniam bonus.*

DOMINO, Deo. Gratias agebat eumque laudabat, quòd promissum Messiam misisset.

DE ILLO, scilicet puero, de quo hactenùs sermo, affirmans esse Messiam promissum patribus, quem (credibile est) et in ulnas accepit ut Simeon. Titus : *Quid loquebatur? Hic, inquiebat, est mundi redemptor, hic hominum est servator, hic ille est qui nostram mœstitiam animique dejectionem in gaudium et lætitiam convertet.*

OMNIBUS præsentibus et occurrentibus.

QUI EXSPECTABANT, tanquàm imminentem.

REDEMPTIONEM, liberationem, salutem futuram per Christum.

ISRAEL. Israelis, Israelitici populi. Hæc Latinorum codicum vulgaris est lectio ; cui Græcum Vaticanæ Bibliothecæ exemplar adstipulatur : habet enim, *redemptionem Israelis ;* acceditque quartum Parisiensium apographum, quod, *in Israel* scribit. Porrò, antiqui Epanorthotæ codices, *Jerusalem,* habent, non *Israel : Omnibus qui exspectabant redemptionem Jerusalem :* quibus consonant, antiqui Parisiensium, et antiqui nostri, Brug., Lob., Leod., Soc. al. *L, A, G, R,* ac decem Hentenii exemplaria, cum Moguntinâ typographorum primâ editione, et posterioribus quibusdam. His, Latini enarratores, Beda, Carensis, Albertus, Gorran, Richelius, volunt ; etiam Lyrani commentariis, quæ à M. N. Hunnæo manuscripta habemus, adscriptus textus, his et Græci plerique libri, ac Syriaca Evangelia, suffragantur ; sed, Græci quidem libri, consentientibus Græcorum, Theophylacti atque Euthymii textibus, *in Jerusalem,* legunt ; Syriaci verò *redemptionem ipsius Jerusalem.* Quare, si hos sequaris, Jerusalem Latinis à præcedenti nomine regitur, *redemptionem Jerusalem ;* si illos, genitivus est, *quietis*, omnibus qui erant Jerosolymæ exspectantes proximam Christi redemptionem. Reperitur hæc eadem lectio, apud Irenæum libri 3, cap. 11, et Augustinum libri de Consensu secundi capite 5 ; quanquàm apud Augustinum diversitas sit lectionis. Faciliùs porrò crediderim, cùm de redemptione Israel passim in Scripturis legatur, ex *Jerusalem,* factum *Israel,* quàm è converso, ex *Israel, Jerusalem ;* maximè cùm hoc obscurius sit. Minimè verò persuaderi possum, à B. Lucâ utrumque scriptum fuisse, sic, *redemptionem Israel* in *Jerusalem ;* id quod Nicolaus Zegerus suspicatur ; tametsi, unum ex manuscriptis nostris, *redemptionem Israel, Jerusalem* legat, ex infimis, id est, nec ullius insignis codicis aut tractatoris auctoritate fulcitum. Redemptio Israelis, redemptio futura erat Jerosolymorum, ut metropolis, eaque Jerosolymis etiam peragenda, ut in metropoli ; denique Anna de eâ loquebatur iis qui Jerosolymis erant ; non pauci Jerosolymis erant, qui brevi futuram per Christum redemptionem ardentissimis votis exspectabant : qui anum hanc, propter eximias virtutes et spirituales dotes, observantes, eique familiares et addicti, audierunt ab eâ, jam natum esse Christum, et in templo ipsi conspectum, id quod maximo, haud dubium, fuit eis solatio et gaudio.

VERS. 39. — ET UT, postquàm autem.

OMNIA. Nihil omiserunt religiosi conjuges.

SECUNDUM LEGEM, *quæ secundùm legem,* scilicet facienda erant, ad purgationem matris, et filii primogeniti oblationem ac redemptionem.

REVERSI SUNT, parentes unà cum Jesu filio.

GALILÆAM, ex quâ Christus minimè exspectabatur, verùm ex Judæâ ipsisque Jerosolymis regiis. *Scrutare* (aiebant Nicodemo Joan. 7, v. 52) *et vide quia à Ga-*

planè fuisse credatur, quæ Redemptorem omnium venisse nuntiaret. IPSA HORA, quâ Simeon de puero et matre prophetabat, opportunè et providentiâ Dei gubernante, SUPERVENIENS CONFITEBATUR DOMINO, id est, laudando gratias agebat pro accepto beneficio : illa quippè vis est verbi *confitendi*, in Scripturis frequentissima. ET LOQUEBATUR DE ILLO, scilicet Domino, ut præcessit. Cùm autem constet intelligi puerum, consequenter de illo Domino tanquàm omnium Domino loquebatur OMNIBUS QUI EXPECTABANT REDEMPTIONEM ISRAEL ; eum videlicet declarans esse Messiam et redemptorem illum quem Israel expectabat.

VERS. 39. — ET UT PERFECERUNT OMNIA SECUNDUM LEGEM, quæ de purificatione matris, de oblatione et redemptione primogeniti statuta sunt, REVERSI SUNT IN GALILÆAM ; non immediatè ex Jerosolymis vel Bethleem, sed post interpositam fugam in Ægyptum. Nam Joseph ex Ægypto in Judæam, non verò in Galilæam redire voluit, ut patet Matth. 2, v. 22, non aliâ sanè de causâ, ut videtur, nisi quia ex Judæâ fugerat. Itaque etiam hìc notanda est consuetudo Evangelistarum, ita connectentium gesta diversa, quasi nihil intercesserit, cùm tamen multa interposita fuerint.

lilæâ Propheta non surrexit. Galilæa regio erat populosa, fertilis, et dives, cui præerat, quod diximus, Herodes Antipas, frater Archelai, Tetrarchæ nomine, juxta testamentum patris et Cæsaris assensum. Hebraicè vocatur *galil*, Syriacè *galilo*, à *galal*, volvere, quòd maris littori adjaceat, propter sinuosos videlicet littorum recessus, vel quia fluctus illic ventis aut æstu reciprocantur volutatimque ludunt, vel denique propter congestos illic arenarum tumulos. Est autem duplex Galilæa, superior et inferior: superior in septentrionem recedit, Cæsaream Philippi et Libanum montem versùs, à meridie habens inferiorem, ab ortu Jordanem, ab occasu maritimas urbes, Sidonem, Tyrum, et Ptolemaida: inferior à septentrione habet superiorem, à meridie Samariam, ab ortu mare Tiberiadis, ab occasu mare magnum. Lege Josephum libro 3 de Bello Jud., cap. 2. In partes Galilææ inferioris secessit Josephus cum puero et matre: illius enim civitas est Nazareth.

In civitatem suam, habitationis suæ.

Nazareth. *Erat quidem et Bethlehem civitas ipsorum*, ait Theophylactus, *sed ut patria; Nazareth verò, ut habitationis locus*, similiter Titus. *Reversi sunt* autem, non mox et immediatè, sed post annos novem, nimirùm redeuntes ex Ægypto; doctore D. Augustino lib. 2, de Cons. Evang. cap. 5. Intercessit enim fuga in Ægyptum, quæ non ex Nazareth, fuit inita, sed vel ex Jerosolymis, vel ex Bethlehem, vel ex itinere Bethlehem versùs. Statuerat enim Joseph, perfectis iis quæ legis erant, reverti Bethlehemum, sive habitandi causâ, (quod ita Deo decretum esse arbitraretur) sive conficiendi negotiola, quæ poterant illic restare. Nam etiam ex Ægypto reversus, putavit sibi in Judæâ habitandum esse, (quod est argumentum, quòd ex Judæâ in Ægyptum recesserat), nec nisi divinitùs monitus secessit in Galilæam, repetitâ civitate suâ Nazareth. Mansit in Ægypto ferè novennio, rediitque in terram Israel natus annos novem et dies quatuordecim; quanquàm alii, qui anno regni Herodis 32, natum Christum autumant, annis duntaxat quinque aut sex censeant in Ægypto commoratum. Opportunè autem reversus est Herode defuncto, ut patrius Judæorum rex, extincto alienigenâ tyranno. Quare divinâ providentiâ agente factum est, ut post Herodem nullus à Romanis, Judæorum designatus sit rex proximo. Profectus, juxta quod divinum monuerat oraculum, in Galilæam, Nazareth delegit habitationi suæ: ea enim ipsius et conjugis Mariæ civitas erat, à quâ tot jam annis, à tempore descriptæ Cæsaris jussu Judææ, peregrinati fuerant. Civitas erat Galilææ inferioris, quod diximus, in tribu Zabulon sita, distans à monte Thabor circiter duarum horarum itinere, Occidentem versùs, ædificata in monte (Luc. 3, v. 29), oppidulum humile et obscurum, sed hoc magis opportuna puero Jesu latebra; interim nos reipsâ docente Deo, quàm nihili ea faciat, quæ mundus inprimis præclara ducit.

Vers. 40. — Puer autem, puerulus autem, ex quo fuerant omnia perfecta secundùm legem. Volens evangelista compendio narrare, quid circa puerum acciderit, inter diem quadragesimum et annum duodecimum ætatis, hoc solum memorat.

Crescebat staturâ et confortabatur, non addas, *spiritu*, ut codex unus aut alter. Fortior reddebatur robore corporis, staturâ procerior et membra robustiora efficiebantur, ut fit in puerulis bonâ valetudine præditis. *Sunt isthæc ad assumptam carnem referenda*, ait Titus, *secundùm corpus namque crescebat et confortabatur, membrorum nimirùm robore, unà cum ipsâ corporis mole, sensim gliscente et adolescente.* Quamvis enim potuisset, ex utero matris staturâ viri perfecti procedere, quod inquit Theophylactus, ne tamen phantasma esse videretur noluit. Porrò quod Græcè et Syriacè additur *spiritu*, verisimile est superfluere, acceptum ex simili de Joanne loco, supra 1, v. 80. Non magis enim lectum fuit Origeni et Tito Græcis enarratoribus, quàm veteri interpreti. De Tito jam vidimus, de Origene etiam clarum est ex homil. 18, et 19, in Lucam; ut præteream veteres Latinos. Cæterùm quia à plerisque omnibus Græcis libris nunc legitur, et ab Euthymio ac Theophylacto etiam explicatur, intellige crevisse puerulum corpore, et corroboratum spiritu, id esse, quantum cresceret corpore, tantum virtutem ac robur spiritualium donorum in ejus animo latentium foris se exeruisse; pro ratione, inquam, augmenti corporis, seu prout ejus ætatis insigni puero poterat congruere. Ita Theophylactus, cujus verba sunt: *Cùm cresceret, emicuit Dei Verbi sapientia; non enim sapiens fuit proficiendo (absit), sed paulatim declaravit insitum sapientiam, et juxta corporis staturam dicitur proficere et corroborari spiritu.*

Plenus, Græcum significat plenum esse ac redundare, significat et repleti. Latinus interpres, priori significatione acceptum participium, vertit *plenus*, scilicet existens, quemadmodùm dicitur Joan. 1, v. 14, *plenus gratiâ et veritate*, nam *sapientiâ* hìc idem ferè esse, quod apud Joannem *veritate*, annotat Beda. Veteris igitur Latinæ editionis sensus est puerum quod ad corpus paulatim auctum fuisse staturâ et robore, qui quod ad animum, ab initio creationis ita fuerit plenus omni sapientiâ, et gratiâ Dei adeò copiosè dotatus, nihil ut ipsi posset addi, quippe cui *non ad mensuram dederit Deus spiritum* (Joan. 3, v. 34), requiescentem super eum, Isaiæ 11, v. 2, cum omnibus donis suis. Discrimen datur inter corpus et animam

Vers. 40. — Puer autem crescebat corpore, et confortabatur, robore membrorum, ut pueri solent. Has enim vicissitudines ætatum subire voluit, ne, si plenâ staturâ prodiisset, phantasma fuisse videretur: Plenus sapientia, q. d.: Non tamen simpliciter crescebat sapientiâ, sed ab initio plenus erat; sicut et gratia Dei, stabilis scilicet sine incremento, erat in illo. Nam his verbis quodammodò præmunivit nos Lucas, ne perperàm intelligeremus id, quod infra v. 52, dicit, eum sapientiâ et gratiâ profecisse, nimirùm ita, ut profectus ille cum hâc stabili plenitudine consistere possit.

Christi pueri. At recentiorum plerique, juxta posteriorem significationem, vertunt *qui* vel *et replebatur sapientiâ ;* cui versioni, præter Syrum, etiam alii veteres suffragantur, Origenes, Theophylactus, Titus, et Euthymius, Græci ; inter Latinos Ambrosius, libri de Incarnationis Dominicæ sacramento capite 7. Hujus versionis sententia est, spiritales animi virtutes, cum ætate magis magisque in eo se exeruisse, nominatim verò sapientiam, quod est, scientiam seu rerum cognitionem cum modestiâ conjunctam. Non enim obnoxius fuit iis vitiis quibus puerilis ætas laborare solet, obtusitate, stultitiâ, ineptiâ, petulantiâ, inconstantiâ ; nihil hujusmodi vitiorum fuit in puero hoc, qui pro ætate sapientem, modestum ac gravem se semper præbuit, in vultu, gestibus, incessu, verbis, factis, ita ut diceres quotidiè magis magisque sapientiâ repleri, quâ ab exordio conceptionis plenissimus fuerat. *Sapientiam et gratiam quâ pollebat*, inquit Titus, *juxta corporis incrementum magis magisque subinde prodebat : non assumens sapientiam*, addit Theophylactus, (*quid enim perfectius eo qui ab initio fuit perfectus ?*) *verùm paulatim illam denudans. Si enim quamdiù brevis fuisset staturâ, ostendisset omnem sapientiam, visus fuisset prodigiosus.* Hæc ille. Jam quod sequitur :

Et gratia Dei erat in illo, prosequendo hanc posteriorem sententiam, intellige causaliter, *et* pro *nam*.

Gratia, favor, amor.

In illo, erga illum, complacebat sibi Deus in illo, amabat et ornabat illum, super illum fovebat ipsum, *moderabatur, regebat et componebat,* quod ait Euthymius. Intellige hæc, manifestè et evidenter, ita ut facilè à quovis observari posset. Simile ergo est hoc illi, quod supra, 1, v. 66, de Joanne scriptum est : *Etenim manus Domini erat cum illo.*

Vers. 41. — Ibant, proficiscebantur, è Nazareth. Incipit Lucas narrare historiam, quâ Jesus adhuc puer, duodennis, inquam, edidit specimen divinæ sapientiæ gratiæque in se latentis.

Parentes ejus, scilicet pueri, puerum secum adducentes.

Per omnes annos, secundùm annum, id est, annuè, quotannis.

In Jerusalem, locum quem elegerat sibi Dominus, 2 Paral. 7, v. 12 ; distantem itinere tridui, ut minimùm ; spatio viginti septem leucarum, ut loquitur Bocardus.

In die solemni, festo, instante die festo.

Paschæ, *Pascha* vox est Chaldaica *Pasha* seu *Pascha,* addito ad finem pro linguæ more *aleph* seu *a*, derivata ab Hebræâ, quam Latinus interpres *Phase*, Judæi hodiè *Pesah* pronuntiant. Significat *saltum* sive *transitum*, (nam *pasah* Hebræis *transire* seu *transilire* est) διάβασιν et παράβασιν Græcè reddiderunt veteres Judæi, eò quòd solemnitas hæc celebraretur in memoriam ejus, quòd Deus interficiens primogenita omnia in singulis Ægyptiorum domibus, Hebræorum domos sparsim sitas inter domos Ægyptiorum transilierit, nec cuiquam in eis nocuerit, eò quòd notatæ essent pro foribus, sanguine agni superliminaribus et postibus (considera figuram crucis) illito, cujus agni mactatione et esu solemnitas illa jussa fuerat celebrari. Hanc nominis rationem dat D. Hieronymus in commentario hujus loci : *Eò quòd*, inquiens, *exterminator videns sanguinem in foribus Israelitarum, pertransierit, nec excusserit eos.* Imò verò ipsamet Scriptura sacra dat hanc nominis rationem, Exodi 12, v. 27, ubi ait : *Victima transitûs Domini est; quando transivit* (quod κατὰ πόδα reddas ex Hebræo : *Sacrificium pesah est Domino, qui pasah,* id est, transivit) *super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios et domos nostras liberans.* Syri et ipsi utuntur nomine Paschæ, sed litteram *samech* mutant cum *sade Pasha*, ita ut non à transitu, sed à gaudio et hilaritate dent nomen, eò quòd solemnitas sit maximè festiva et læta, instituta ad repræsentandum potissimùm res duas, unam quam diximus, quòd sanguis agni postibus illitus saluti fuisset Israelitis omnibus qui se intra ædes continuerant ; alteram consequentem, quòd populus Israel hâc ratione ab Ægyptiacâ servitute fuisset liberatus. Accipitur porrò aliquando vox *Pascha* pro hostiâ seu sacrificio, hoc est, agno, qui in symbolum duplicis illius quam mox exposuimus rei, quotannis ab Israelitis immolabatur, aliquando verò pro solemnitate ipsâ, præsertim verò pro primo die (agebatur enim diebus septem, Exod. 12, v. 14, 15, 16), qui omnium celeberrimus ab agni esu et immolatione sumebat initium. Præceptum fuerat, Exodi 23, v. 14 ; Deut. 16, v. 16, ut ter anno viri omnes, è suis singuli habitationis locis, visitarent locum à Deo electum, reddendorum votorum suorum causâ ; festis videlicet diebus, Paschæ, Pentecostes, et Tabernaculorum ; promittente Deo securitatem ab hostibus, interea dùm abforent illi civitatibus atque oppidis suis, Exodi 34, v. 24. Præceptum id fuerat Israelitis, ut in Dei cultu continerentur ; nam ut unicum templum electum erat, ne pro numero templorum deos multiplicarent, more gentium : ita ut aliquoties anno illud templum ab omnibus visitaretur mandatum fuerat, ne à Dei cultu alienarentur. Hoc præceptum Joseph quâ erat religione, observavit ; quamvis enim nonnisi festi Paschæ hìc sit mentio, fit hoc, non quia reliquis festis non adiit

Vers. 41. — Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, videlicet ad templum Domini. Præceptum enim erat Deut. 16, v. 16, ut ter in anno appareret omne masculinum in conspectu Domini in solemnitate Hebdomadarum, id est, Pentecostes, et in solemnitate Tabernaculorum, et præcipuè in die solemni Paschæ, ut videlicet istâ frequentatione in Dei veri cultu continerentur. Et quamvis virgo istâ lege non teneretur, pro suâ tamen pietate virum comitata est. Sed cur non timuerunt Archelaum, qui, ut colligitur ex Josephi 17 Antiq., c. 15, tunc adhuc superstes regnabat in Judæâ ? Respondet August. 2 de Consensu c. 10, habitationem in Jerosolymis timuisse parentes propter Archelaum, non tamen brevem peregrinationem, cùm tantâ turbâ undique confluente facile esset latere. Unde et Christus ipse quasi in occulto dicitur ascendisse aliquando ad diem festum, Joan. 7, vers. 10.

templum Domini, sed quia festo Paschæ accidit, id quod narrare hìc statuit evangelista ; sicut etiam præcipuum è tribus erat festum Paschæ ; nec ita præcisè Israelitæ tenebantur tertiò proficisci quotannis. Quanquàm autem præceptum hoc feminas non tangeret, quibus pepercerat lex, propter teneritudinem et alia varia earum impedimenta ; non tamen prohibebantur viris suis congredi, quando possent et vellent. Quare Maria Virgo, pro suâ in Deum pietate, non omisit quin quotannis marito se comitem adjungeret, et filium quoque suum assumeret ; exemplo relicto parentibus, ut teneram ætatem mox ab initio assuefaciant exercitiis pietatis. Id autem observârunt Maria et Joseph à reditu suo ex Ægypto, ita ut prima eorum profectio hujus religionis ergo fuerit, Jesu decimum annum agente, tribus circiter mensibus postquàm rediissent. Nec timuerunt sibi ab Archelao, Herodis filio, tunc temporis regnante (regnavit enim annis circiter novem à reditu Christi ex Ægypto, quod colligere licet ex Josephi Antiquitatibus, lib. 17, cap. 15), tum quia non habitationis, sed duntaxat aliquot dierum peregrinationis causâ, cum ingenti turbâ undique confluente, in quâ latere facillimè possent, in Judæam concedebant, tum quia timorem hominum Dei timori postponebant. Sic ferè Augustinus, lib. 2 de Consens. Evang., cap. 10.

Vers. 42. — Et cum. Cùm igitur *factus esset*, scilicet puer, *annorum duodecim*. Syrus suâ phrasi, *filius annorum duodecim*. Hoc potissimùm tempore consuevit puerorum ingenium apparere.

Ascendentibus illis, parentibus cum filio, postquàm ascendissent illi. Syrus clariùs, mutato participio in verbum, *ascenderunt illi*. Quidam antiqui libri addunt, quidam auferunt præpositionem *in*.

Jerosolymam. Syrus omittit, ut quod satis clarum sit debere subaudiri.

Secundum consuetudinem diei festi, prout requirebat mos festi. Syrus, *sicut consueverant in festo*. Non voluptatis ergo aut curiositatis, sed religionis ac festi causâ, ad orandum et colendum Deum, profecti fuerant.

Vers. 43. — Consummatisque diebus, et postquàm perfecissent seu peregissent dies, scilicet ejus festi ; erant enim septem dies Paschæ seu azymorum, Exod. 23, v. 15 ; et quanquàm non omnibus illis septem diebus Jerosolymis manere tenerentur, videntur tamen ex pio erga Deum affectu, Joseph, Maria, aliique Galilæi plurimi, id fecisse.

Cum redirent, scilicet parentes ad propria. Græcè redeuntibus illis. Syrus : *Et cùm impleti essent dies, illi reversi sunt; Jesus verò*, etc.

Remansit, quod aliis annis non fecerat ; non inobedientiâ aut errore faciente, sed certo divinoque consilio.

Et non cognoverunt, insciis parentibus.

Parentes ejus. Græcè et Syriacè legitur *Joseph et mater ejus*. Quâ de causâ remanserit, et cur insciis parentibus, explicat ipse Jesus infra, v. 49. Quomodò autem remansisse potuerit insciis parentibus, qui tantâ eum curâ ac sollicitudine observabant, facilè est imaginari. Cùm tempus esset redeundi, conveniebant complures eorum qui ejusdem essent civitatis, ut simul proficiscerentur et hospitarentur in viâ ; et quidam quidem, qui citiùs essent parati, præcedebant ; alii, quos negotia paulò diutiùs retinerent (in quibus fuêre Joseph et Maria improvisâ aliquâ, sed Dei providentiâ obortâ occasione), subsequebantur, saltem inventuri omnes se mutuò vesperi in communi diversorio. Inter hæc Jesus opportunè se subduxit, ita ut existimari potuerit à parentibus subsequentibus, abiisse eum cum iis qui præcesserant, quod sequitur.

Vers. 44. — Existimantes, rati, persuasi probabilibus argumentis.

In comitatu, apud eos itineris socios qui antecesserant, quosque vesperi in communi hospitio inventuri erant. Non dubium est, quin turmatim iter facere soliti fuerint, qui diebus solemnibus Jerosolymam adorandi causâ venirent aut inde redirent, præsertim qui ejusdem essent civitatis aut territorii.

Venerunt, iverunt, progressi sunt, Galilæam versùs, iter diei unius (erat enim iter plurium dierum ex Jerosolymis Nazaretum), quousque vesperi assecuti essent societatem eorum qui præcesserant et ad hospitia priores diverterant.

Requirebant, quærebant.

Inter cognatos et notos, apud illos civium suorum (multi enim cives erant viæ comites, qui familiariter non noti) qui ipsis simul et puero aut cognati essent aut saltem noti. His enim libenter solet ætas puerilis adhærere, quibus et noverant pueri hujus aspectum esse jucundissimum.

Vers. 42. — Et cum factus esset annorum duodecim. Hoc unico actu Christi pueritiam et adolescentiam complexus est ; idque opportunè, ut, quia totum illud disciplinæ suscipiendæ tempus est, adolescentiæ præberet formulam discendi tractandique cum doctoribus, sicut postea vir viris exemplum fuit agendi cum discentibus.

Vers. 43. — Consummatisque diebus, Azymorum, qui septem erant, cum redirent in Galilæam, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes, id est, mansit insciis parentibus. Causa non fuit error, non casus, aut inobedientia, sed Dei consilium, ut ostenderet se in sui Patris cœlestis negotiis esse suæ libertatis et auctoritatis, independentem à parentibus carnis ; ut specimen aliquod suæ divinitatis in illâ ætate præberet ; ut modestiæ magnitudinem intelligeremus qui, cùm talia posset, et ante et postea tot annos in silentio privatus ignotusque latuit, nihil more vanorum hominum et fervidorum moliens ante tempus.

Vers. 44. — Existimantes autem illum esse in comitatu ; in quo negotiis aliquibus in urbe implicati eum verisimiliter reliquerant. Addit hoc, ut omnem incuriæ culpæque suspicionem à parentibus removeret, tacitèque insinuaret, puerum cum parentibus ascendere redireque solitum : nam illa consuetudo videtur eis fuisse causa talis probabilis existimationis. Venerunt, seu progressi sunt, iter diei, tanquàm securi quòd in communi diversorio sub vesperam eum invenirent ; distat enim Nazareth Jerosolymis itinere circiter triduo. Itaque requirebant eum inter cognatos et notos, civitatis Nazarenæ ; sive quòd

VERS. 45. — ET, pro *sed*. NON INVENIENTES, cùm non invenissent eum, scilicet apud cognatos et notos; vix enim apud hujusmodi invenitur Jesus. *Non inter cognatos et carnis propinquos invenitur Jesus*, ait Origenes, *non in eis qui corporaliter ei juncti sunt. In multorum comitatu Jesus meus non potest inveniri.* Non invenerunt apud cognatos et notos, inter quos speraverant inveniendum; sed nec apud ignotos; nullos enim prætererierunt, quos non rogârint de viso filio, ubi spei aliquid esse poterat.

REGRESSI, reversi, SUNT, idque diei proximi summo mane, credibile est; nam per noctis tenebras, lunâ non lucente, nisi sub auroram (erat enim luna circiter vicesima secunda), ut difficile fuisset iter facere, ita non facilè inveniri potuisset Jesus, si in viâ fuisset.

IN JERUSALEM. Certi erant quòd non præîsset Nazaretum versùs, iter ante alios prosecutus, tùm quia nemini visus fuerat, tùm quia tantùm itineris eo die confectum fuerat à comitatu, quantùm poterat ante noctem ingruentem. Reversi sunt ergo Jerosolymam, unde jam venerant, arbitrati, quod res erat, eum illic remansisse, præsertim cùm cognati et noti asseverarent non discessisse ex urbe cum ipsis. Ostendunt autem se, non neglectu aut incuriâ fuisse securos, quando non sine ingenti corporis molestiâ et cordis dolore viam quam fecerant remetiuntur.

REQUIRENTES, quærentes, EUM, tum in itinere, tum in civitate, in hospitio, in viciniâ, ubicumque, animo vehementer afflicti atque anxii. *Sed quare anxiè adeo quærebant? num suspicabantur perditum, aut quòd aberrâsset ut puer? Absit*, respondent Theophylactus et Titus Origenem imitati, *neque hoc sapientissimæ Mariæ fuerit*, etc. *Nunquàm fieri poterat, ut perditum putarent infantem, quem divinum esse cognoverant; verùm quærebant eum, ne quo pacto ab iis abiisset, ne fortè reliquisset eos.* Hoc quanquàm fortè dici possit, quòd metuerint ne desereret eos, nec cum ipsis ampliùs vellet habitare in Nazareth, qui comparare se vellet ut in Jerusalem Christi officium paulatim aggrederetur; solidiùs tamen respondetur, quòd metuerint, ne parentibus in turbâ amissis, à viâ aberrans, mala et incommoda plurima pateretur. Quamvis enim crederent esse Filium Dei, qui sciret possetque omnia; noverant tamen, quòd cæterorum more se gereret, quòd in iis quæ ad corpus spectant, nollet uti virtute divinâ, sed communem hominum servare consuetudinem; et quemadmodùm non mox ab infantiâ fuerat locutus, non mox ambulaverat, non mox cibum solus acceperat, non mox se ipse vestiverat parentum ad hæc usus auxilio; ita hactenùs cæterorum puerorum more se haberet, cibum, ducatum, tutelam, cæteraque necessaria, parentibus procurantibus acciperet; dùm non haberet, aut mali quid pateretur, fleret, doleret, non necessitate aut infirmitate, sed voluntate, ut nobis similis esset, quos salvare statuerat. Ad eumdem modum existimârunt fieri posse, ut à viâ aberraret, quam nullâ experientiâ didicerat, et plurima consequentia mala pateretur, sicut aliis pueris solet accidere; quamvis posset, si vellet uti scientiâ potestateque interiori, viam rectam tenere, et mala omnia evitare. Quæsiverunt ergo tanquàm errantem et perditum, rati, quòd hanc non minùs quàm cæteras infirmitates humanas, volens assumpserat: tametsi hâc quidem vice, non errore puerili à parentibus abfuerit, sed certo consilio.

VERS. 46. — POST TRIDUUM, id est, die tertio; talis enim est hæc phrasis, qualis illa de quâ supra, v. 21. Tertio autem die, ab amissione scilicet, ex quo Jesus relictis parentibus remanserat Jerosolymæ. Primus enim dies fuit quo parentes Jesu, confecto Jerosolymâ Galilæam versùs itinere unius diei, assecuti sunt comitatum; secundus, quo, non invento eo in comitatu, reversi sunt Jerosolymam, quærentes eum in itinere, et Jerosolymæ (quò sub noctem pervenerant), in hospitio pristino ac viciniâ; postridie mane, qui fuit dies tertius, invenerunt eum in templo. Sic rectè Euthymius distinguit dies. Noluit statim inveniri Jesus, quia, quod difficiliùs quæritur solet dulciùs inveniri; decretum autem erat ei, triduo inter doctores apparere; id enim fit verisimile.

INVENERUNT igitur, non in theatro aut in consortio ludentium puerorum, sed *in templo*, loco orationi et doctrinæ sacræ deputato. Crediderim, quòd mox ut licuit, summo mane, parentes Jesu templum adierint, persuasi illic fore potiùs quàm alibi si spontè Jerosolymis remanserit, ob singularem ejus quam perspectam habebant erga Deum pietatem. Et fieri potest (ut erat templum vastum, multisque stadiis longum ac latum), quod diù quæsierint in templo,

eum inter illos reliquerant, sive quòd gregatim oppidani ejusdem urbis maximèque consanguinei simul redire solerent.

VERS. 45. — ET NON INVENIENTES, REGRESSI SUNT IN JERUSALEM; eò quòd nec præcessisse comitatum nec eum cum aliis egressum satis intelligerent. In hoc iter secundus dies impensus est: REQUIRENTES EUM, tanquàm depositum curæ suæ charissimum illius ætatis. Sed cur tanta sollicitudo de illo quem Deum esse non ignorabant? nimirùm quòd, sicut cætera corporis incommoda, famem, sitim, imbecillitatem ambulandi, et similia patiebatur, instar puerorum cæterorum, nisi parentum curà arcerentur; ita meritò solliciti erant, ne istis itineris et errorum incommodis subjaceret, quibus cæteri pueri solent; nec enim divina potestas ejus parentes à sollicitudine et curâ daternâ eximebat.

VERS. 46. — ET FACTUM EST, POST TRIDUUM INVENERUNT ILLUM, id est, tertio die ab amissione. Phrasis est enim Scripturæ familiaris, ut id quod certo die futurum significare velit, dicat futurum post diem illum, scilicet inchoatum, ut supra v. 21 et 22. Itaque primo die amissus, secundo regrediendo quæsitus est, tertio invenerunt eum, IN TEMPLO, aliquo scilicet ejus loco, sive in atrio sive in exedrà, ad docendam legem ac disputandum deputato. Unde Paulus, Act. 24, v. 12: *Neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem;* et alibi dicit, se juxta pedes Gamalielis eruditum. SEDENTEM IN MEDIO DOCTORUM, non cum illis occupando locum doctoris, ut aliqui putaverunt, sed instar discipuli inter doctores hinc inde in subselliis considentes; non enim invenerunt eum docentem; sed, pro illius ætatis congruentiâ, AUDIENTEM ILLOS docentes, ET INTERROGANTEM, id est, quæstiones

antequàm invenerint, licèt ante ipsos illìc fuerit, orationi vacans, interea dùm exspectaret conventum doctorum; sed inveniri voluit inter doctores, in eo templi loco qui ad docendum legem erat deputatus, qui ad extimam portam Orientalem statuitur, ubi Paulus ad pedes Gamalielis legem se dedicisse gloriatur, Act. 22, v. 3; illìc, inquam, voluit à parentibus inveniri, ne lateret hoc ipsius in pueritiâ datum sapientiæ specimen, sed per matrem ad orbis et Ecclesiæ præsertim notitiam veniret.

Sedentem, non lusitantem aut otiosum, sed *sedentem* tanquàm omninò se addicentem audiendis rebus sacris; observa pueri gravitatem.

In medio, id est, inter, seu apud, phrasi Hebraicâ; qualis legitur infra 22, v. 27 : *Ego in medio vestrî sum, sicut qui ministrat.* Non sedit cum doctoribus, occupans locum doctoris, tanquàm unus doctorum, sed inter, seu apud Doctores, in subsellio, aut potiùs humi in pavimento mattâ strato (nam ut discipulum se gerebat); cùm Doctores sederent in cathedris, de quibus infra 11, v. 43 : *Diligitis primas cathedras in synagogis.* Hujusmodi enim fuisse Judæorum morem, tradit auctor Commentarii in Epistolas Pauli, exstans inter Ambrosii Opera, 1 Cor. 14, v. 31.

Doctorum, magistrorum, præceptorum, aliàs vertit interpres; evangelista iste sæpè vocat νομικοὺς legisperitos, cæteri scribas et rabbim.

Audientem illos; præponitur Græcè et Syriacè conjunctio *et*, faciens ad elegantiam sermonis non tantùm, sed et ad emphasim. Audientem illos docentes, explicantes res sacras. « Quia parvulus erat, « inquit Origenes, invenitur in medio, non eos docens, « sed audiens, et hoc pro ætatis officio; ut nos doce« ret quid pueris, quamvis sapientes et eruditi sint, « conveniret, ut audiant potiùs magistros, quàm « docere desiderent, et se vanâ ostentatione non jac« tent. »

Et interrogantem, quæstiones ex auditis excitantem, prout ex more illìc licebat discipulis seu auditoribus. Manuscriptorum quædam omittunt, alia addunt posteriùs *eos*, quod ad rem nihil facit. Si quid minùs rectè aut perfectè explicarent, interrogabat eos Jesus, propositis absurditatibus aut difficultatibus quæ ex hujusmodi ipsorum doctrinâ sequi viderentur, quasi discere et intelligere gestiens quæ docerent, reverà autem ut ipsos doceret. Cùm enim unâ ex parte, modestiam ætati convenientem servare, ex alterâ ipsos docere vellet, interrogatione utrique parti serviente est usus; qui enim sapienter interrogat, docet, cùm discere velle videatur. *Ex uno quippe doctrinæ fonte manat,* inquit Origenes hunc locum tractans, *et interrogare et respondere sapienter; et ejusdem scientiæ est, scire quid interroges, quidve respondeas.* Denique sapiens interrogatio, instructio est. Si quæras quid tractaverint doctores illi; non dubium quin de divinâ lege et Scripturis sacris disseruerint; sed utrùm de sanctionibus et ritibus legis, quod Titus et Euthymius, utrùm de Messiâ, de cujus vicino adventu id temporis frequens sermo erat, quod alii arbitrantur, utrùm postremò de rebus aliis, incertum est.

Vers. 47. — Stupebant, præ admiratione quasi apud se non erant.

Super, propter.

Prudentia, intelligentiâ. Syrus *sapientiâ*, quòd puer duodennis, tantâ rerum sacrarum intelligentiâ præditus esset, quantam declarabat. Monstrabat enim acutam ac singularem intelligentiam eorum quæ audiebat, texendo ex eis interrogationes aptissimas, et ad rem explicandam maximè opportunas.

Responsis. Quidam, nominatim Origenes homiliâ 18 in Lucam, intelligunt *sermonibus;* ut respondere frequenter pro loqui sumitur; ut diximus supra. Sed non est incredibile, quòd cùm audissent eum Doctores sapientissimè interrogantem, vicissim etiam interrogaverint eum, et quidem de majoribus mysteriis, ipseque supra ætatem et opinionem responderit, profunda atque occulta Scripturæ sensa reserans, quæ senes vix caperent; ita ut omnes in suî admirationem verterit, non intelligentes, quî fieri posset, ut tantillus puer, de tantis rebus, tam accuratè cogitaret, et plus quàm senilem sapientiam proderet, comitatam rarâ adeò vultûs, gestûs, linguæque modestiâ. Non dubium quin multò nunc magis quàm in adultâ Jesu ætate exclamârint : *Unde huic hæc omnia, et quæ est sapientia quæ data est illi?* Marci 6, v. 2. *Quomodò hic litteras scit, cùm non didicerit?* Joan. 7, v. 15. Quo tempore pueri sapientiæ capaces esse incipiunt, voluit admirandæ sapientiæ intùs in se latentis gustum dare, et futuri muneris sui, docendi prædicandique Evangelii, specimen edere, idque divino consilio, tum ut doctores excitaret ad cogitandum et inquirendum de Christi adventu, tum *ut cùm posteà doceret, faciliùs ab ipsis reciperetur,* quod ait Euthymius. Quanquàm enim brevi ex memoriâ plerorumque elapsum sit miraculum istud, verisimile est tamen, cùm Christus munus suum jam exerceret, superfuisse aliquos qui fuerint recordati et adjuti. Fuit ergo hoc quasi præludium vocationis et muneris Christi; cujus tempus maturum,

ex iis quæ tradiderant, excitantem, ut, cùm eos docere vellet servatâ decentiâ discere velle videretur. Nam, ut optimè Orig. in hunc locum, ex hoc uno doctrinæ fonte manat interrogare et respondere sapienter; et ejusdem scientiæ est, scire quid interroges, quidve respondeas. Itaque servavit hìc præceptum, quod per Ecclesiasticum adolescentulis dederat: *In multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quærens, et pro reverentiâ accedet tibi bona gratia.*

Vers. 47. — Stupebant autem omnes, id est, quasi extra se in extasin rapti mirabantur, ut sonat Græcum; super prudentia, seu intelligentiâ, quæ in interrogando, dubiisque proponendis, servato ubique decoro, elucebat; et responsis ejus, quæ ipse vicissim ad interrogata dabat, dùm admirabundi, quid de profundis mysteriis dicturus esset, explorare vellent. Itaque voluit hìc admirandæ suæ sapientiæ specimen dare Christus, ut ipsos doctores ad inquirendum de adventu Messiæ excitaret, et faciliùs post annos octodecim reciperetur.

ut scilicet publicum se populi doctorem profiteretur, nondùm advenerat.

Vers. 48. — Et videntes, et cùm vidissent, simul ac autem vidissent eum; id enim additur Græcè et Syriacè. Subaudi cum Euthymio, parentes ejus.

Admirati, attoniti sunt, simul et gavisi. *Admirati sunt* inprimis, quòd eo loco invenirent, inter doctores, inquam, ubi nunquàm hactenùs fuerat; deinde quòd cum doctoribus de rebus sacris disserentem audirent, quale nihil hactenùs fecerat; præterea quòd incolumem eum et sanum illic viderent, ignari ubi toto triduo egisset, quis eum hospitio excepisset, aluisset, etc. Postremò, quòd ipsis insciis voluisset remanere Jerosolymæ; animadverterunt enim, quòd consilio studioque remansisset, non ut qui à viâ aberrâsset. Hæ res novæ, insolitæ et inopinatæ, admirationem parentibus pepererunt. Porrò quod ad hospitium attinet, quidam volunt eum ostiatim mendicâsse; credibilius est, alicujus doctorum aut civium gratiam sibi conciliâsse, qui libenter hospitio exceperit; idque occultâ virtute suâ, quali infra 22, v. 10, conciliavit sibi gratiam hominis ignoti, ita ut cœnaculum suum ipsi ipsiusque discipulis commodaverit ad celebrandum pascha.

Et dixit, paulò pòst, cùm soluto conventu doctorum, seorsùm Jesus cum parentibus abiret.

Mater ejus. Tacet Joseph, ipse conscius sibi, nihil sibi juris in eum competere; mater loquitur, non tam pro imperio aut jure, quàm pro amore materno, minimè objurgans, expostulans, aut accusans, sed rem exponens, et causam fidenter ac modestè quærens.

Fili. Blandiori nomine nequeat compellare mater amore languens; quæ ne cogitare quidem durum quid adversùs filium potuisset.

Quid, cur. Interrogatio est, non reprehensionis, accusationis, aut querimoniæ, sed admirationis.

Fecisti, consultò ac studiosè; videmus enim non casu aut errore abs te factum esse.

Nobis, parentibus tuis, qui te summoperè diligimus. Nam si extraneis id fecisses, non erat cur admiraremur.

Sic? cur sic egisti nobiscum, ut scilicet nobis insciis in hâc urbe remaneres? non rogat quare in urbe remanserit; jam enim ejus rei causam coram viderat, quòd voluisset sacris doctorum lectionibus interesse, sed quare parentibus insciis? ac si dicat: Si indicare nobis placuisset, decretum tibi esse, aliquot adhuc diebus hìc remanere, et scholas legisperitorum adire, nequaquàm prohibuissemus, sed mansissemus hìc tecum, et necessaria tibi ministrassemus, id quod facilè poteras tibi de nostro erga te amore polliceri: mirum est igitur quòd remansionem tuam nos celare volueris. Causam quam ignorat, et propterea admiratur, ex filio quem, utpote irreprehensibilem, noverat nihil absque justâ causâ agere, intelligere desiderat.

Ecce, quod coram reipsâ vides, licèt antea noveris. Auget causam admirationis, quòd ex hoc tuo facto secutum sit, ut summo dolore affecti, anxiè te triduò quæsierimus, id quod scio te non ignorâsse, qui scis omnia; cur enim visum est tibi id permittere?

Pater tuus et ego. Nec in ordine nominis se Josepho præfert, sed honorans ut maritum, præponit sibi, quamvis naturâ non esset Jesu pater, sed solâ lege conjugii ac famâ.

Dolentes, tristes, anxii, adeòque quod amplius est, cruciati, ob metum scilicet, ne vel malè tecum ageretur, vel certè nos deseruisses, summâ, incerti quid ageretur, quòd à nobis abesses (quod hactenùs non accidit), summus nos animi dolor cruciatusque occupaverat. Affligebat etiam incertitudo temporis ac loci, quòd nescirent ubi et quando essent inventuri; tantòque acerbior erat dolor, quantò amor vehementior.

Quærebamus te; jam tertius agitur dies: nec enim ferre queamus, ut vel malè sit tibi, vel abs te deseramur. *Omnia*, ait Græcus ad Catenam citatus, *sicut mater, et fiducialiter, et humiliter, et affectuosè, exprimit;* et quasi addit: Cùm igitur tenerè adeò te à nobis diligi scias, quomodò tulit mutuus amor, ut clam te subducens, hanc nobis animi afflictionem creares? aut quæ ejus rei fuit causa? num culpa aliqua nostra? Non enim arguit eum, vel inobedientiæ, vel ingratitudinis, quem noverat inculpatum; multò minùs expostulat ac si injustè sit læsa (quod impiè Calvinus), sed admirans, causam quam ignorat quærit, ex materno ac tenerrimo erga filium animi affectu cum fiduciâ conjuncto, gaudens interim inexplicabiliter apud se de filio invento.

Vers. 49. — Illos. Utrumque parentem alloquitur, quia mater utrumque nominaverat, pro utroque locuta, ut causa utrique communis erat.

Vers. 48. — Et videntes parentes ejus, admirati sunt, actum illum pueri duodecennis tam insolitum; et dixit mater ejus ad illum, tanquàm potior jure geniti dolore amissi, amore et gaudio inventi filii: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Mirantis dolentisque, non reprehendentis verba sunt: nec rogat cur manserit, aut cur disputaverit cum doctoribus, quæ jure suo facere poterat, sed, *quid fecisti nobis sic?* ut scilicet nobis insciis remanseris, qui tuo amore et dolore torquebamur. Hanc enim causam istius interrogationis produnt verba sequentia: Ecce pater tuus et ego (maritum præponit sibi, ut ubique humilitate esset prima) dolentes, quia summoperè amantes, quærebamus te; quasi dicerent, cùm te hoc scire non ignoremus, miramur cur feceris nobis sic, si facere constitutum erat. Nam sicut mater non minùs affectuosè quàm humiliter et fiducialiter exprimit animum suum.

Vers. 49. — Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? ubi specie reprehendentis, non tam reprehendit curam eorum, quàm docet altiora de se esse cogitanda, ut notavit Beda: Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei, cœlestis, sunt, oportet me esse, seu occupari? Templum intelligunt quidam, quasi noluisset Jerosolymis, sed tantùm in templo quæri. Verùm non locum loco, sed negotia Patris negotiis humanis, societati videlicet parentum, opponit; quasi diceret eis: Cùm sciretis officium meum et causam

QUID EST QUOD, quare, ME QUÆREBATIS, dolentes? q. d. : Non erat opus ut id faceretis.

NESCIEBATIS, quia scire potueratis et cogitare. Non me quæsivissetis, si cogitâssetis, quod scire potueratis.

QUIA, quòd, IN HIS QUÆ PATRIS MEI SUNT, iis in negotiis quæ Pater meus Deus mihi injunxit, mandavit, ut Christo suo, ab ipso misso ad hominum redemptionem ac salutem procurandam, quod nôstis. Mater nominaverat Josephum patrem Jesu, Jesus respondens, dat intelligendum quòd non illum, sed alium præstantiorem ac sublimiorem, Deum, inquam, agnoscat Patrem; *corrigens quodammodò dictum matris*, quod ait Græcus catenatus, *et docens non per infima gradi, sed in altum extolli.* Opponit Patrem suum cœlestem ipsis, et negotia illius humanis omnibus, etiam parentûm societati, obedientiæ, consolationi.

OPORTET ME ESSE, versari, occupari. Joan. 9, v. 4 : *Me oportet operari opera ejus qui misit me,* et cap. 14, v. 31 : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Scire et cogitare potueratis, quòd cùm vobiscum non essem, in negotiis Patris essem; quod si cogitâssetis, non me anxiè quæsivissetis. Sciebant Joseph et præsertim Maria, Jesum esse naturâ Filium solius Dei ut Patris, esseque Christum à Deo missum ad salvandum populum; cùm igitur ab ipsis abesset, habebant unde cogitare potuissent, occupatum esse iis negotiis quæ Deus Pater ipsius ipsi demandâsset, pertinentibus ad publicam populi Israelitici salutem, ac proinde non anxiè quærere debebant tanquàm errantem et perditum, aut tanquàm à quo desererentur, ipsi sibi laborem ac dolorem accersentes. Cæterùm non eos reprehendit Jesus, quòd quæsivissent ipsum dolentes, quod fuerat summè amantium; nec reprehendit quòd non cogitaverint eum versari in negotiis æterni Patris; quia utrumque accidisse potuerat, nimirùm, quòd abesset ab eis, et quia spontè erraret atque incommoda complura pateretur, ut alii pueri ejus ætatis, et quia gereret negotia cœlestis Patris. Fuerat autem ratio magis probabilis, ut prius cogitarent parentes, quia hactenùs Jesus non se subtraxerat eis, ut spiritalis Patris obiret negotia, quæ nec pueritiâ constante putabant ab eo obeunda. Non ergo reprehenduntur, sive quòd quæsivissent, sive quòd cogitare omisissent quod res erat; sed reprehendentis specie docentur; loquitur enim quasi cum auctoritate et imperio; ut discant altiora de Filio cogitare, quòdque si scivissent quâ in re et quam ob causam esset occupatus, meritò venissent reprehendendi, si ut ipsos sequeretur, à Patris negotiis avocare eum voluissent. *Non quòd eum quasi filium quærant vituperat,* ait Beda, *sed quid ei potiùs, cui æternus est Filius, debeant, cogit oculos mentis attollere.* Nam et hoc eis dat intelligendum Jesus, in cœlestis Patris negotiis, non pendere se de ipsis, nec ea sibi gerenda esse ex ipsorum consilio, et ipsis consultis ac monitis, ita ut mirari non debeant, si ipsis insciis Jerosolymæ remanserit. Nihil enim sibi in iis negotiis commune esse cum ipsis, nec ipsis in his subjici, sed soli Deo; nam officium quod Deo Patri debet, omnibus humanis obsequiis longè esse præferendum; non illìc locum esse auctoritati humanæ. Hoc autem vult dicere Jesus : Ut Doctorum nunc consortio me insererem, et cum iis de rebus sacris ad veritatem Dei et populi salutem spectantibus dissererem, Pater mihi præceperat, ad hoc ut puer ederem specimen sapientiæ ac functionis, quâ ut Christus populum aliquando docturus et ad salutem adducturus essem. Ideò quamvis vos maximè diligerem, et scirem absentiâ meâ inopinatâ cruciandos, superare debuit divinum mandatum et Patris negotium. Deus primum gradum honoris et imperii tenet, ita ut si quò nos vocet, aliorum rationem habere non debeamus. Quamvis autem periculum non esset, ut sanctissimi parentes Jesu, rerum conscii, ab iis quæ Patris cœlestis essent eum abstrahere conarentur; quia tamen id solemne fore noverat in Ecclesiâ suâ Jesus, ut parentes carne ab iis quæ spiritûs sunt filios avocare tentarent, voluit hoc suo exemplo docere, non esse illos hujusmodi in negotiis facilè consulendos.

VERS. 50. — ET, pro *sed,* NON INTELLEXERUNT plenè VERBUM hoc, sermonem hunc : facilè intelligebant quòd Patrem suum diceret Deum; et si non Joseph, certè Maria noverat, Deum ipsi naturâ esse Patrem, naturâ, inquam, divinâ; credebant denique esse Christum à Deo missum ad salvandum populum; sed rationem quâ ille munus suum obiturus esset, ac populum salvaturus, et quomodò ad salutem populi spectaret illa cum doctoribus inita dissertatio, nondùm sciebant. Nesciebant enim, quòd docendo partim, partim sufferendo, populi salutem esset procuraturus. Neque verò repugnat perfectioni Virginis ea ignorantia; perfecta enim tunc temporis erat, charitate præcipuè; scientiâ verò eatenùs duntaxat, quòd nihil eorum ignoraret, quæ eo tempore eam scire oporteret. Nondùm autem aderat tempus, quo intelligere eam oporteret hoc Christi verbum, quia per multos consequentes annos, non erat Christus obiturus ampliùs hujusmodi Patris negotia; quare satis fuit nunc

adventûs mei in hunc mundum, cogitandum vobis erat officii illius mei causâ, in quo à vobis non dependeo, me mansisse Jerosolymis. Ita tacitè causam doloris eorum et culpam omnem à se removet; ipsosque docet, cujusmodi cogitationes de ipso habere deberent.

VERS. 50. — ET IPSI NON INTELLEXERUNT VERBUM QUOD LOCUTUS EST, etc. Non illud, quo satis clarè Patrem suum Deum esse, et se ejus negotiis occupandum indicaverat, sed quia non satis intelligebant, quænam essent illa negotia Patris, et quo pacto ista disputatio cum doctoribus ad ea negotia pertineret : utpote ante eventum rerum, non satis conscii, quo ordine salutem populi procuraturus esset, primùm scilicet docendo, deinde moriendo. Cùm autem etiam non intellecto sermone nihil ampliùs interrogant, sed obticescunt satis hinc elucet, quanta fuerit parentum erga Christum reverentia et veneratio, quo tamen non obstante,

insinuâsse, et quasi semen jactâsse, quod suo tempore fructum faceret, prout fecit in Virgine conservante omnia in corde suo. Porrò quamvis non intelligerent parentes sermonem Jesu, non tamen rogabant ut explicaret; tantâ enim puerum reverentiâ prosequebantur, quantâ reverentur sermonem ejus, etiam non intellectum, contenti interim puero invento. *Intellexerunt verbum.* Non est omittendum τὸ *verbum*.

VERS. 51. — ET DESCENDIT. Cæterùm non hæc facta et dicta fuêre abs Jesu, quòd vellet parentes carne deinde relinquere, et totum se dare negotio à Patre demandato; nondùm enim advenerat tempus definitum; sed neque parentes, si id agere, vel pluribus adhuc diebus Jerosolymis remanere voluisset, fuissent refragati; sed spontè cum eis descendit Jerosolymis Galilæam versùs, et venit cum eis Nazaretum, causâ habitandi illìc cum eis, ut priùs.

SUBDITUS, subjectus, obediens, obsecundans. Quamvis ad horam exemerit se à parentibus, ut præludium quoddam futurorum ostenderet; statim tamen reversus est ad solitam subjectionem, parentibus debitam à filiis illius ætatis. Hoc enim addit evangelista, ne quis ut filium immorigerum, rebellem deinde fuisse cogitaret parentibus, sine quorum consilio et scitu, domo se absentârit, quoties luberet, prætextu negotiorum Dei Patris; aut ut Dei Patris ageret negotia, parentûm dehinc obedientiam neglexisse.

SUBDITUS, inquit, ERAT ILLIS, id est, quietè, modestè, et amicè eis convivebat, et obediebat in iis omnibus, in quibus ingenui filii obedire atque obsequi parentibus solent ac debent, etiam quæ ad rem familiarem spectarent, adjuvans illos in negotiis exterioribus, ad victum comparandum et gerendam familiam, neque se ipsis subtrahens, nisi consciis quò iret et quando rediret. Basilius, libri de Constitutionibus exercitatoriis capite 4: « In primâ ætate, « inquit, subditus parentibus, omnem laborem cor« poralem mansuetè et obedienter sustinuit. Cùm « enim homines illi essent justi quidem ac pii, verùm « pauperes et rebus necessariis non abundantes, etc., « meritò laboribus corporis assiduis dediti erant, per « hos necessarias res sibi ipsis acquirentes. Jesus « autem his subditus, velut ait Scriptura, omninò « etiam simul perferendo labores, obedientiam decla« rabat. » Itaque « discamus filii subjecti esse paren« tibus, » monet Origenes, homil. 20 in Lucam. « Nam « quia majorem Joseph videbat ætate, propterea eum « parentis honore coluit, omnibus filiis exemplum tri« buens, ut subjiciantur parentibus. Quid enim ma« gister virtutis, quod ait Ambrosius, nisi officium « pietatis impleret? » Et quod Beda: « Quid inter nos « aliud, quàm quod à nobis agi vellet, ageret? » Cæterùm subditus Mariæ et Joseph fuit, secundùm humanam, non secundùm divinam naturam; nec secundùm humanam quidem tanquàm inferior ac minor, qui longè ipsis major ac superior, adeòque dominus ipsorum erat, etsi nondùm id manifestaret; nec vi legis, tanquàm lege de honorandis parentibus teneretur, qui etiam in pueritiâ, sufficiebat ipse sibi alendo et erudiendo; sed sponte propriâ, accedente voluntate Dei Patris, ut quemadmodùm exinaniens seipsum, hominis ac servi figuram induerat, ita quoque, ut probum filium et justum hominem eâ ætate deceret, se gereret. Ita enim ferebat consilium Dei et Christi, ut omnia dicta factaque sua sic temperaret Christus ut, quod Beda ait, *modò divinitatis suæ, modò humanitatis, his quos erudiret indicia daret,* et ad tempus tanquàm sub umbrâ lateret, sub nomine Joseph. *Non enim infirmitatis, sed pietatis, ista subjectio fuit,* inquit Ambrosius scribens in hunc locum. Quod non ignorans Joseph, *trepidus moderabatur imperium*, Origene in hunc locum annotante. Intelligendum est autem, Jesum subditum fuisse Joseph et Mariæ, usque ad tempus ostensionis suî ad Israel, id est, usque ad annum ætatis tricesimum et baptismum, de quo capite proximo.

ET MATER. Porrò mater EJUS CONSERVABAT magnâ curâ OMNIA VERBA HÆC, dicta et facta pueri Jesu omnia, quæ hactenùs narravimus (præsertim à versu 19, quo hoc idem dictum est); sic Titus, addens: « Nam etsi quæ ab illo depromebantur, plenè non « assequebatur, intelligebat nihilominùs divina huma« noque sensu sublimiora esse; neque enim audiebat « Jesum tanquàm duodecim annorum puerum, sed « excipiebat et observabat verba illius, tanquàm verba « viri modis omnibus perfecti, » seu, quod Euthymius ait, « tanquàm verba, non simpliciter pueri, sed « etiam Filii Dei. » Similia habent Origenes, Theophylactus et omnium elegantissimè Græcus Anonymus in Catenâ, addens: *Et hâc quidem tanquàm regulâ et lege per totam vitam utebatur.* Significatur igitur non solùm singularis Mariæ diligentia in observandis mysteriis Christi, sed etiam eximia cognitio ac fides, unde ea observatio proficiscebatur.

IN CORDE SUO, apud animum suum. Non præponas hìc participium *conferens,* quod quidam acceptum ex versu superiori 19. Una causa fuit, ut frequenti ru-

VERS. 51. — DESCENDIT CUM EIS, ut ostenderet se nondùm ab eorum potestate mancipandum esse, ET ERAT SUBDITUS ILLIS, declarans in perferendis unà cum ipsis laboribus, quibus quotidianum sibi victum quæritabant, morigeram obedientiam suam, ut Basil. in Constitutionibus monast., c. 4. Quo exemplo graviter monet Ambr. itemque Origenes, Hom. 20. in Luc., hoc officium et exemplum pietatis omnibus filiis imitandum, qui longè ampliùs quàm Christus carnalibus parentibus debent. ET MATER EJUS CONSERVABAT OMNIA VERBA HÆC, dicta scilicet et facta Jesu omnia, ea excipiendo, non tanquàm pueri, sed perfecti viri, non tanquàm hominis puri, sed filii Dei, et proinde mysteriis plena. Hanc diligentiam etiam supra, c. 19, commendaverat, ut videlicet hâc repetitione indicaret et fidei ejus et venerationis magnitudinem erga puerum, ex quâ talis cura nascebatur. IN CORDE SUO, ea ruminando, eorumque mysteria perscrutando, quibus intellectum pasceret, et aliis postea divulganda proferret. Quo insinuatur et modestia Virginis, et simul prudentia, quæ nihil de filio muliebri loquacitate jactitaret.

minatione, intelligentiam eorum quæ minùs clara essent, assequeretur, eorum verò quæ perspicua essent continuâ contemplatione frueretur. Quâ de re Beda : « Sive quæ intellexit, sive quæ necdùm intelligere potuit, omnia suo pariter in corde, quasi « ruminanda et diligentiùs scrutanda, recondebat. » Quibus adde ex Græco anonymo : « Et hoc quidem « jam secum in præsenti contemplabatur, hoc autem « exspectabat in futurum clariùs revelandum. » Altera causa fuit, ut tempore et loco ea aliis explicaret, et cum aliis thesauris proferret in communem piorum usum, quorum divulgandorum tempus nondùm advenerat, prout insinuat evangelista, quòd ab ipsâ hæc acceperit. Præclara laus Virginis.

Vers. 52. — Et, pro tunc, seu, quo tempore Jesus habitabat Nazareti subditus parentibus.

Proficiebat, augebatur in dies.

Sapientia, rerum divinarum humanarumque cognitione : *Iterùm hìc,* ait Titus, *evangelista progressum in sapientiâ et gratiâ; secundùm corporis incrementum assignat;* respicit enim Titus ad vers. 40 superiorem. Sed quemadmodùm illic sapientiam, non interiorem habitum sapientiæ, sed exteriorem demonstrationem sapientiæ intellexerat, ita et hìc intelligit, suffragantibus aliis enarratoribus Græcis, Origene ac Theophylacto scribentibus in hunc locum, et Gregorio Nazianzeno oratione in Basilii Magni vitam, ubi ait de Domino Jesu : « Sapientiâ apud Deum et homines pro- « ficiebat, non ut augmentum aliquod acciperet, cùm « ab initio gratiâ sapientiâque absolutus esset, sed « quòd hæc hominibus ignaris paulatim apparerent. » Quare Theophylactus : *Emicatio sapientiæ ejus, profectus ipse est*, inquit. Hanc interpretationem perficit ea quæ est D. Thomæ Aquinatis p. 3, q. 7, a. 12, ad 3, et aliorum posteriorum doctorum, profecisse sapientiâ, non quòd ad habitum sapientiæ interiorem, qui ab initio conceptionis ita fuit perfectus, ut nihil ampliùs ei potuerit addi; sed quòd ad effectus seu actus exteriores, ex interiori illo habitu elicitos; quotidiè enim sapientiora verba proferebat, et opera sapientiora edebat; ita proficiebat actibus sapientiæ, progrediendo de sapientibus actibus (sive verbis, sive factis) ad sapientiores. Ut autem, non tantùm habitus, sed et actus, verba, inquam, et opera, nomine sapientiæ appellentur, ubique obvium est, tam in vulgari sermone, quàm in sacris litteris, infra 11, v. 31 : *Regina Austri venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis ;* 1 Cor. in 2, v. 6 : *Sapientiam loquimur inter perfectos,* etc.; Coloss. 4, v. 5 : *In sapientiâ ambulate ad eos qui foris sunt.* Jac. 3, v. 13, 15 : *Quis sapiens et disciplinatus inter vos,* etc. *Non est ita sapientia desursùm descendens*, etc. Quemadmodùm ergo sol, ab ortu ad meridiem usque, claritate proficere dici possit, non quòd in se clarior evadat, sed quòd clarior videatur, paulatim majorem ac majorem claritatem in orbem nostrum effundens; ita et Jesus sapientiâ proficere, non quòd sapientior evaderet, sed quòd sapientior videretur, sapientiora semper verba atque opera proferens.

Ætate. Syriacè ætas præponitur sapientiæ, qui ordo congruentior videri possit, nisi quòd in Græcis et Latinis codicibus haud exstet. Pro *ætate*, alii vertunt *staturâ* ex ἡλικία, suffragante Syro; ut et ipse Latinus interpres infra 12, v. 25; utrumque enim vox significat; et videri quidem possit hoc illi præferendum, quòd satis per se intelligatur, illum ætate augeri, qui pergit vivere; sed propterea fortassis mediam collocavit evangelista ætatem inter sapientiam et gratiam, ut significaret Jesum, secundùm ætatis incrementum, sapientiâ et gratiâ profecisse, exteriùs nimirùm, quemadmodùm exposuimus.

Gratia. Ætas corporis est, sapientia autem et gratia sunt animi, cujus sapientia quidem intellectum, gratia autem affectum perficit. Gratia, quâ gratus fuit et acceptus, non tamen interiori, quâ ab initio incarnationis fuerat plenus et perfectus; sed externis gratiæ operibus, ex interioris gratiæ habitibus elicitis. Non enim per incrementa ætatis evasit aut sanctior aut melior, sed perfectioribus gratiæ sanctitatisque operibus incubuit, per quæ et majora merita sibi comparavit. Quamvis enim quodvis opus et verbum Christi ratione personæ operantis, Filii, inquam, Dei, esset æqualis sanctitatis ac meriti, non tamen ratione ipsius operis aut verbi : gratius enim fuit opus, jejunium quadraginta dierum, quàm fuisset jejunium trium dierum, et passio majoris meriti, fuit quàm circumcisio. Profecit ergo exteriùs verbis factisque eminentioris sanctitatis et amplioris meriti, nam et gratiæ nomen in Scripturis usurpari pro verbis factisque ex interiori gratiâ emanantibus, manifestum est, Psalmo 44, v. 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis,* 1 Pet. 2, v. 19 : *Hæc est gratia, si pro-*

Vers. 52. — Et Jesus proficiebat sapientia et gratia, id est, sapientiæ et gratiæ operibus, seu effectis et signis, quæ in Scripturis nomine *sapientiæ* et *gratiæ* significari solent, ut patet de *sapientiâ*, infra, c. 11, v. 31, et Jacobi 3, v. 13 et 14; de *gratiâ* verò Ps. 44, v. 3. Non enim profecit habitu sapientiæ vel gratiæ, quibus ab initio conceptionis plenus fuit, sed emicatio sapientiæ et gratiæ, ut loquitur Theophyl., profectus ejus fuit, quia hominibus ignaris secundùm proportionem singularum ætatum magis magisque paulatim emicando apparebant, ut Nazianz. Orat. in vitam Basilii, et Orig., Hom. 20. Ita ergo proficiebat, quemadmodùm sol ab ortu in meridiem progrediens claritate quoque dicitur proficere, non quòd illa in se crescat sed in effectu tantùm, quia majorem lucem apud nos paulatim diffundit. Et ætate; Græcum etiam *staturam* significat, sicut vertitur cap. 12, v. 25. Profecit ergo ætate, ut testaretur se veram humanitatem assumpsisse, inquit August., Epist. 3, et ut in profectu suo per singulas ætates quamlibet ætatem nostram consecraret accipiendæ gratiæ Dei, ut latiùs Iren. l. 2, c. 39. Apud Deum et homines, id est, non fictè, non simulatè, sed verè ac sincerè, Deo ac hominibus testibus ac judicibus; nam quemadmodùm lex naturalis est, ut homo non subitò, sed paulatim secundùm profectum corporis sapientiâ et virtute proficiat, ita Jesus isti legi sese accommodans, paulatim etiam juxta quamque ætatem opera sapientiora magisque grata et meritoria edebat, magis magisque revelans ac detegens sapientiam ac

pter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè. Sic Jac. 1, v. 27, opera religionis vocantur religio.

Apud Deum, Deo teste, judice, et approbatore. Refertur ad omnia tria præcedentia, quòd Jesus exteriùs profecerit, prout ætate, ita sapientiæ et gratiæ actionibus perfectioribus, non fictè et simulatè, sed Deo ipso judice, verè et sincerè, ita ut ex præclaris gestis cum ætate crescentibus, accreverint ei apud Deum ampliora merita et consequentia præmia.

Et homines, etiam hominum judicio, ita ut et hominum favorem ac laudem sibi conciliaret. *Primùm apud Deum, postea apud homines*, inquit Theophylactus; *primùm enim oportet Deo placere, et deinde hominibus.* Est autem apud homines, quod non est apud Deum, qualis est virtus ficta; est apud Deum, quod non est aut saltem non recipitur apud homines: Jesus utrumque consecutus est, ut vita et conversatio ipsius, et Deo et hominibus grata esset ac laudata, et omnium esset de eo opinio recta, præsertim quamdiù privatam vitam ageret, priusquàm in publicum prodeunti invidia assultaret. Loquitur enim hìc evangelista de privatâ Jesu vitâ, in domo parentûm; nam hoc solum narrat de Jesu ab anno ætatis duodecimo usque ad tricesimum, quòd quemadmodùm proficiebat corporis staturâ, viribus, et ætatis accessu; ita uberiùs semper in eo se promeret cœlestis sapientia reliquæque divinæ dotes, quibus et Deo et hominibus esset commendatissimus. Dixerat quidem quid simile supra v. 40; sed quia anno ætatis duodecimo usus rationis perfici suo modo consuevit, voluit hìc clariùs repetere. Si ergo quæras ex evangelistâ, quid egerit Jesus totis triginta annis antequàm baptismum (cujus historiam proximo capite narrat) susciperet, hoc solùm respondet, quòd parentibus convixerit, subditus illis, et profecerit, ut ætate, ita omni genere exteriorum actionum virtutis, quibus et Dei et hominum gratiam sibi conciliârit. Hoc ut sciamus sufficere judicat: cùm nec prædicationi operam dederit Jesus, nec miracula eo tempore ediderit.

gratiam animi, quâ semper plenus erat, nube quasi corporis et ætatis infirmitate tectam, ut explicat Cyril., lib. 10 Thesauri, c. 7. Si enim virilem sapientiam et gratiam edidisset ante ætatem, visus fuisset monstrum aut prodigium, ut Theophyl. supra, in vers. 40. His itaque paucis verbis complexus est Lucas totam Christi vitam, ab anno duodecimo usque ad baptismum, quòd videlicet parentibus obediverit, quòd in omnibus sapientiæ et virtutis operibus juxta incrementa ætatis profecerit, velut radios suæ divinitatis magis magisque semper denudando.

CAPUT III.

1. Anno autem quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarchâ autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysaniâ Abilinæ tetrarchâ,

2. Sub principibus sacerdotum Annâ et Caiphâ, factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.

3. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,

4. Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus:

5. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas:

6. Et videbit omnis caro salutare Dei.

7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à venturâ irâ?

8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

9. Jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?

11. Respondens autem dicebat illis: Qui habet

CHAPITRE III.

1. Or, l'an quinzième de l'empire de Tibère César, Ponce Pilate étant gouverneur de la Judée, Hérode tétrarque de la Galilée, Philippe son frère de l'Iturée et du pays de Trachonite, et Lysanias d'Abilène,

2. Anne et Caïphe étant grands-prêtres, le Seigneur fit entendre sa parole à Jean, fils de Zacharie, dans le désert.

3. Et il vint dans tout le pays qui est aux environs du Jourdain, prêchant un baptême de pénitence, pour la rémission des péchés,

4. Ainsi qu'il est écrit au livre des paroles du prophète Isaïe: Voix de celui qui crie dans le désert: Préparez la voie du Seigneur; rendez droits ses sentiers.

5. Toute vallée sera remplie, et toute montagne et toute colline seront abaissées; les chemins tortus deviendront droits, et les raboteux unis;

6. Et toute chair verra le Sauveur envoyé de Dieu.

7. Il disait donc à la multitude qui venait pour être baptisée par lui: Race de vipères, qui vous a avertis de fuir la colère à venir?

8. Faites donc de dignes fruits de pénitence; et n'allez pas dire: Nous avons Abraham pour père; car je vous déclare que Dieu peut faire naître de ces pierres mêmes des enfants à Abraham.

9. La cognée est déjà à la racine des arbres: tout arbre donc qui ne produit point de bons fruits, sera coupé et jeté au feu.

10. Et la multitude l'interrogeait, disant: Que devons-nous donc faire?

11. Et il leur répondit: Que celui qui a deux ha-

duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat.

12. Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus?

13. At ille dixit ad eos : Nihil ampliùs, quàm quod constitutum est vobis, faciatis.

14. Interrogabant autem eum et milites, dicentes : Quid faciemus et nos? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.

15. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne fortè ipse esset Christus :

16. Respondit Joannes, dicens omnibus : Ego quidem aquâ baptizo vos : veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus : ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.

17. Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

18. Multa quidem et alia exhortans, evangelizabat populo.

19. Herodes autem tetrarcha, cùm corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis quæ fecit Herodes,

20. Adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere.

21. Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est cœlum :

22. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum ; et vox de cœlo facta est : Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

23. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat,

24. Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph,

25. Qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,

26. Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda,

27. Qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

28. Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,

29. Qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathath, qui fuit Levi,

30. Qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim,

31. Qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David,

32. Qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson,

33. Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ,

34. Qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor.

bits en donne un à celui qui n'en a point ; et que celui qui a de quoi manger, en fasse de même.

12. Or les publicains vinrent aussi à lui pour être baptisés, et ils lui dirent : Maître, que faut-il que nous fassions?

13. Il leur dit : N'exigez rien au-delà de ce qui vous a été ordonné.

14. Les soldats aussi lui demandaient : Et nous, que devons-nous faire? Il leur répondit : N'usez point de violence ni de fraude envers personne, et contentez-vous de votre paye.

15. Cependant le peuple s'imaginant, et chacun ayant dans l'esprit que Jean pourrait bien être le Christ,

16. Jean dit devant tout le monde : Pour moi, je vous baptise dans l'eau ; mais il en vient un autre qui est plus puissant que moi, et à qui je ne suis pas digne de dénouer les cordons des souliers. C'est celui-là qui vous baptisera dans le Saint-Esprit et dans le feu.

17. Il a le van à la main, et il nettoiera son aire ; il amassera le blé dans son grenier, et il brûlera la paille dans un feu qui ne s'éteindra jamais.

18. Il disait encore beaucoup d'autres choses au peuple, dans les exhortations qu'il leur faisait.

19. Or Hérode le tétrarque ayant été repris par lui au sujet d'Hérodiade, femme de son frère, et de tous les autres maux qu'il faisait,

20. Hérode ajouta encore à tous ses crimes, celui de faire mettre Jean en prison.

21. Or, pendant que tout le peuple recevait le baptême, Jésus fut aussi baptisé : et comme il priait, le ciel s'ouvrit ;

22. Et le Saint-Esprit descendit sur lui sous une forme corporelle, semblable à une colombe ; et on entendit cette voix du ciel : Vous êtes mon Fils bien-aimé ; c'est en vous que j'ai mis toute mon affection.

23. Jésus avait alors environ trente ans commencés, étant (on le croyait, fils de Joseph) fils d'Héli, fils de Mathat,

24. Fils de Lévi, fils de Melchi, fils de Janné, fils de Joseph,

25. Fils de Mathathias, fils d'Amos, fils de Nahum, fils d'Hesli, fils de Naggé,

26. Fils de Mahath, fils de Mathathias, fils de Séméi, fils de Joseph, fils de Judas,

27. Fils de Joanna, fils de Résa, fils de Zorobabel, fils de Salathiel, fils de Néri,

28. Fils de Melchi, fils d'Addi, fils de Cosan, fils d'Elmadan, fils d'Her,

29. Fils de Jésus, fils d'Eliézer, fils de Jorim, fils de Mathath, fils de Lévi,

30. Fils de Siméon, fils de Juda, fils de Joseph, fils de Jona, fils d'Eliakim,

31. Fils de Méléa, fils de Menna, fils de Mathatha, fils de Nathan, fils de David,

32. Fils de Jessé, fils d'Obed, fils de Booz, fils de Salomon, fils de Naasson,

33. Fils d'Aminadab, fils d'Aram, fils d'Esron, fils de Pharès, fils de Juda,

34. Fils de Jacob, fils d'Isaac, fils d'Abraham, fils de Tharé, fils de Nachor,

35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

36. Qui fuit Caïnan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech,

37. Qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Caïnan,

38. Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

35. Fils de Sarug, fils de Ragaü, fils de Phaleg, fils d'Héber, fils de Salé,

36. Fils de Caïnan, fils d'Arphaxad, fils de Sem, fils de Noé, fils de Lamech,

37. Fils de Mathusalé, fils d'Hénoch, fils de Jared, fils de Malaléel, fils de Caïnan.

38. Fils d'Hénos, fils de Seth, fils d'Adam, fils de Dieu.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Anno, quem vocat *placabilem et acceptabilem* Isaias, cap. 61, v. 2. Ab infantiâ Jesu Salvatoris et Joannis præcursoris ipsius, progrediens Lucas ad munus et prædicationem utriusque, quod in virili ætate aggressi sunt, exactè describit tempus, ad historiæ cùm certitudinem, tùm claritatem.

Quinto decimo. Imperavit in universum annis viginti duobus et dimidio. Notat Romani Cæsaris annum, quòd illa ratio, omnibus apud omnes gentes chronicorum observatoribus, communis certaque futura erat.

Imperii, id est, summi imperii.

Tiberii. Neronis, privigni generi et successoris Octaviani Augusti, à quo fuerat adoptatus in filium et imperii hæredem.

Cæsaris, monarchæ mundi, cui et Judæa suberat eo tempore; vide supra.

Procurante, præsidem agente. Non fuit evangelista sollicitus, ut voce distingueret imperium Tiberii à Pilati præfecturâ. *Procurante*, dixit interpres, quia Cæsaris jussu ac nomine administrabat.

Pontio Pilato. Tiberius, anno imperii sui duodecimo, revocato Valerio Grato, misit Pontium Pilatum, ut Judææ præsidem ageret, Joseph. lib. 18 Antiq., cap. 3. Fuit autem *Pilatus* nomen ejus. *Pontius* verò prænomen, Romanorum more, quali *Marcus Antonius, Publius Scipio*, et plerique alii nominabantur.

Judæam, eam Chananææ partem quæ fuerat olim tribuum Judæ et Benjamini; strictè enim accipitur, ita ut distinguitur contra Galilæam, Peræam, etc. Judæa enim in Evangeliis, non pro universâ duodecim Israeliticarum tribuum terrâ, sed pro tribûs Judæ sorte, sub quâ sors tribûs Benjamin comprehenditur, ferè accipitur (ut Matth. 2, 22; 3, 1 et 5; Joannis 7, v. 1, item 11, v. 7, et alibi) distinguiturque à Samariâ, Peræâ, Trachonitide, et utrâque Galilæâ. Quin etiam Hebraicè ac Syriacè, Judas et Judæa, eodem efferuntur scribunturque modo, יהודה *Jehuda*. Herodes Magnus testamento reliquerat filio suo Archelao regnum, sub Cæsaris beneplacito; Archelaum post patris mortem ad Augustum Cæsarem profectum ut testamenti confirmationem obtineret, Cæsar, dimidiâ parte ditionis quæ patris fuerat ei concessâ, ethnarcam constituit, id est, gentis principem, regnum quoque pollicitus, quamprimùm ille se tali honore dignum redderet. Legatur Josephus lib. 17 Antiq., cap. 10, 11, 13. At post annos novem, accusantibus Judæorum legatis, tyrannidis damnatus, ab eodem Augusto Viennam Galliæ civitatem in exsilium missus est, et ad gubernandam ditionem ipsius in provinciam jam redactam, Coponius quidam, eques Romanus, est amandatus, cui Romam reverso successit M. Ambivius, huic Annius Rufus, quo præside Augustus mortuus est. Tiberius successor, in locum Annii Rufi mox surrogavit Valerium Gratum; cui, cùm annis undecim eum Judææ magistratum gessisset, suffecit Pontium Pilatum, qui eâdem in functione permansit annis decem, et quarto anno vidit prædicantes Joannem et Jesum. Hæc intelliguntur ex Josephi Antiquitatibus, lib. 18, cap. 1, 3, et Eusebii Historiâ ecclesiasticâ, lib. 1, cap. 11.

Tetrarcha. A morte Herodis Ascalonitæ, imperator Romanus, Augustus, divisit Judææ regnum (hoc enim pro more passim Romani habebant, regna findere, illorumque vires distrahere, ne facilè rebella-

Relictis igitur pueritiæ et adolescentiæ gestis tam Joannis quàm Christi, ad virilem ætatem utriusque transit, expressis omnibus temporis, loci, ac personarum circumstantiis, ad majorem historiæ claritatem ac certitudinem et fidem.

Vers. 1. — Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris; qui successit Augusto, adoptatus ab eo in filium et imperii hæredem, ex quo Lucæ loco manifesti erroris arguitur Tertull. qui, l. contra Judæos, c. 8, docet Christum anno isto decimo quinto Tiberii esse passum, cùm triennio circiter post contigerit. Procurante Pontio Pilato Judæam, strictè dictam, ut à Galilæâ cæterisque vicinis regionibus distinguitur. Hæc post mortem Herodis Magni erat Archelao filio ejus tetrarchæ nomine attributa; quo in exilium pulso, præfectura ejus in provinciam redacta est, et adjecta Syriæ, cui tamen proprius procurator seu præses datus est. *Pontius* autem prænomen est, *Pilatus* nomen ejus, quemadmodùm dicitur *Caius Antonius*; missus fuit hic à Tiberio Cæsare, anno duodecimo imperii ejus, in Judæam, revocato Valerio Grato. Præfuit Judææ annos decem, ipsoque anno mortis Tiberii, qui viginti duos annos imperavit, Romam à Vitellio Syriæ præside remissus est, ut criminibus objectis responderet, teste Josepho 18 Antiquit., c. 3 et 5. Ex quo colligitur, Joannem et Christum anno Pilati tertio prædicari cœpisse. Dicitur autem procurâsse Judæam, non solùm quia Cæsaris jussu ac nomine administrabat, sed etiam, quia subjacebat præsidi Syriæ, cui Judæa erat attributa. Unde quamvis Græcum subinde vertatur *præsidere*, ut sup. 2, v. 2, magis tamen propriè procurator quàm præses erat. Tetrarcha autem Galilææ Herode Antipâ, Herodis Magni seu Ascalonitæ filio. Nam Aug. Cæsar, juxta testamentum Herodis, assignaverat dimidium regni ejus, scilicet Judæam, Idumæam et Samariam, Archelao; reliquum dimidium partitus est inter duos Herodis filios, ita ut quisque haberet quartam partem; Herodes scilicet Antipas Galilæam et Peræam. Philippus verò Ituræam et Traconitidem, quæ hic

rent imperio) in Herodis filios, juxta patris testamentum, Archelao attribuens dimidiam paternæ ditionis partem sub ethnarchæ nomine, alterum dimidium partitus in Herodem, cujus hìc est mentio, et Philippum, sub *tetrarchæ,* Josepho teste, lib. 17 Antiq. cap. 10, et 13. Porrò *tetrarchæ* nomen à Romanis inventum, à Græcis autem petitum, à quartâ quidem regni parte dicitur (ut hic Herodes quartâ paterni regni parte fruebatur); usurpatur tamen pro omni eo qui parte aliquâ regni, Romani populi auctoritate dissecti, potitur: unde tetrarchia vocatur hujusmodi principatus: quo nomine et Syrus ipse utitur. Quinimò, etsi minus aliquid sit tetrarcha quàm rex, tamen et tetrarchæ ipsi reges vocantur, ut tetrarchiæ regna, apud Plinium aliosque auctores. Certè, si non titulo, potestate ac dominatu reges erant: nihil enim illis minùs licebat in tetrarchias quàm regibus in regna.

Herode Antipâ, altero filio Herodis magni; hic enim testamento patris et Cæsaris dono fuit tetrarcha Galilææ et Peræææ.

Philippo, tertio filio magni Herodis.

Fratre ejus, non tamen germano: Herodes enim matre Samaritide, Philippus Jerosolymitanâ natus est; Josephus Antiq. lib. 17, cap. 1.

Iturææ. Ituræa regio est à Jethur filio Ismaelis accepto nomine, Gen. 25, v. 15, 16, et 1 Paral. 5, v. 19; montosa ac nemorosa, juxta radices montis Libani in longum porrecta occidentem versùs ad montes usque Sydoniorum et Tyriorum, initio sumpto à finibus Paneadis sive Cæsaræææ, quæ et ipsa hujus Philippi fuit. Ituræam Judææ regno olim adjecerat rex Aristobulus. Joseph. lib. 13 Antiq., cap. 19.

Trachonitidis. Ituræa citra, Trachonitis sita fuit ultra Jordanem, quæ incipiens à monte Libano usque ad Tiberiadi proximum lacum panditur, Joseph., l. 3 de Bello, cap. 2. Appellata est autem Trachonitis quòd saxosa et aspera sit: τραχὼν enim Græcis locum saxosum significat. Hanc, cum vicinis, Auranitide, Paneade, et Ituræâ ab occasu, et Batanæâ ab ortu, Cæsar Augustus Herodis regno adjecerat, postquàm Cæsaræam Palæstinæ ille in Cæsaris honorem ædificâsset, teste Josepho, lib. 15 Antiq., cap. 13. Quare Philippo Herodis filio, hæreditatis loco assignata est ea portio quâ auctum fuerat patris regnum; non solius enim Trachonitidis et Iturææ tetrarcha fuit, sed et Batanææ et Auranitidis et Paneadis, quam ipse à se excultam appellavit Cæsaream Philippi, urbem antiquitùs, ante ingressum Israelitarum in terram promissam, vocatam *Lesem* seu *Lais,* deinde post ingressum, ubi à tribu Dan occupata esset, à nomine patris ejus tribûs nominatam *Dan* (Jos. 19, v. 47; Jud. 18, v. 29); rursùs ubi rerum apud Syros potiti sunt Græci, quibus notior erat Pan quàm Dan, appellatam *Paneas,* ædificiis instruxit, et in honorem regnantis Tiberii Cæsaris nominavit *Cæsaream* (Josephus, lib. 18 Ant. Jud., c. 3); imitatus Herodem Ascalonitam patrem suum, qui urbem, quam condiderat loco priùs dicto Turris Stratonis, in Cæsaris Augusti gratiam vocaverat Cæsaream, Josephus, lib. 15 Ant. Jud., cap. 13. Distinctionis porrò causâ, illa dicitur *Cæsarea Philippi,* tanquàm dicas, Cæsarea à Philippo condita, cùm altera ut nobilior simplici ferè Cæsareæ nomine celebretur, tum in Actis apostolorum, tum in Antiquitatibus et Bello Judaicis. Sita fuit Cæsarea Philippi ad radices montis Libani, in valle seu planitie eâ quæ Rehobæa dicitur, ubi præcipuus Jordanis fons est à quo flumini isti impositum esse nomen tradunt doctores Hebræi, urbs Phœniciæ, olim ditionis Sidoniorum priusquàm à Danitis capta esset, Jud. 18, v. 7, 28, quam Philippus suæ tetrarchiæ metropolim constituit. Quæ quia à tergo, id est, versùs septentrionem, habet montem Libanum, quo constat finitam fuisse Chananæam, ideò sæpè pro termino terræ sanctæ aquilonari ponitur, quemadmodùm Bersabee pro Australi. Unde genus illud loquendi in veteri Scripturâ, quoties universa Israelitarum terra designatur: *A Dan usque Bersabee,* q. d., quàm longa est terra Israel, 1 Reg. 3, v. 20, etc. Quia autem terminus seu extrema Israelitarum civitas fuit, verisimile fit Israelitas et Chananæos seu Phœnices mixtos illic habitâsse, ut in finibus solent finitimi pacis tempore. In huic civitati vicina loca eduxit discipulos suos Jesus, et quidem ex Herodis tetrarchiâ in tetrarchiam Philippi, tum ut quàm latissimè, intra fines tamen à Patre constitutos, regnum Dei propagaret, tum ut seorsùm et tutiùs de summis mysteriis, quæ nondùm promulgari oportebat, cum discipulis ageret. Vid. Josephi testimonium, lib. 17 Antiq., cap. 10, 13.

Lysania. Non hic Herodis filius fuit, sed nescio quis alius ex genere dynastarum Chalcidis, cujus meminit Josephus, lib. 15 Antiq., cap. 13, ubi ait: *Lysaniæ ditionem à Zenodoro conductam fuisse.*

Abilinæ regionis, sic dicta ab Abilâ civitate, sita inter Libanum et Antilibanum, Ptolomæo dicta *Lysanium:* de quâ Josephus, lib. 18 Antiq., cap. 8, loquens de Caio, successore Tiberii, honorante Agrip-

nominatur, unà cum Batanæâ, Auranitide, et parte domûs Zenodori, ut vocabatur, teste Josepho 17 Antiquit., c. 13. Et hinc patet quòd isti duo filii vocantur hic Tetrarchæ à quartâ regni parte; quanquàm latiùs postea hoc nomen usurpari à Romanis cœperit pro præfecturâ infra regiam. Romani regna armis parta in tetrarchias diviserunt. Herodes, cùm esset tetrarcha, Romam postea profectus est, ut regnum ambiret, teste Josepho, l. 18 Antiq., c. 9. Unde Plinius, l. 5, c. 18, ponit intra et circa Decapolim sex tetrarchias, et c. 23, multò plures in Cœlesyriâ.

Philippo autem fratre ejus, ex aliâ tamen matre Jerosolymitanâ, cùm Herodes esset ex Samaritide, ut Joseph. 17 Antiquit., c. 1; nam Herodes Magnus eodem tempore novem habebat uxores. Tetrarcha Ituræææ, quæ initium sumens à Jordane fluvio juxta Libanum versùs occidentem pertendit usque ad montes Tyri ac Sidonis, et traconitidis regionis, sic dictæ Græcè, quia aspera et saxosa est. Hæc itidem in fontibus Jordanis et monte Libano versùs orientem tendit ex opposito Ituræææ, in quâ dimidia tribus Manassæ olim ultra Jordanem collocata fuit. Et Lysania Abilinæ tetrarcha. Quis ille *Lysanias* fuerit non constat, nisi quòd non fuerit Herodis filius, ut

pam : *Tetrarchiæ*, inquit, *quæ fuerat Philippi, regem constituit, adjectâ Lysaniæ quoque tetrarchiâ* ; et lib. 19, cap. 4, de Claudio Caii successore : *Abilam*, ait, *et finitimam ejus ditionem in Libano, quæ Lysaniæ fuerat* (Agrippæ), *adjunxit de suo*. Notat itaque Evangelista nomina eorum per quos in illâ Syriæ provinciâ illo tempore publicæ res gerebantur, ut quos præconii ejus quod mox exponetur oporteat minimè inscios fuisse. In tantâ autem Judaici regni scissurâ, quanta hìc describitur, dominantibus ubique alienigenis, opportunus erat Christi nativi regis adventus.

Vers. 2. — Sub principibus sacerdotum, sub pontificibus, Anna et Caipha. *Anna* filio Sethi, et Josepho cognominato *Caipha*. A primâ Dei institutione hoc semper habuit Judæorum consuetudo, ut unus ipsis esset summus pontifex ; et quanquàm, ubi sub potestatem externorum regum sunt redacti Judæi, viventibus pontificibus alii aliis frequenter sunt subrogati, quod contra Dei institutionem erat (lege Josephum, lib. 15 Antiq., cap. 3) : nunquàm tamen pontifices bini simul rem sacram administrârunt : id quod, cùm ex aliis, tum ex Josepho est manifestum ; ex quo etiam illud discimus, unum solum Josephum Caipham, hoc anno et pluribus subsequentibus, pontificatu functum, dono Valerii Grati Judææ præsidis, lib. 18 Antiq., cap. 3. Pilatus enim pontificem, quem invenit, non mutavit. Quòd ergo evangelista cum Caiphâ etiam Annam nominat, non ita intelligendum est, quasi Annas et Caiphas simul pontificatum gesserint ; sed facit illud primùm, quòd Annas, pontifex aliquando cùm fuisset, pontificis retinuerit nomen, quemadmodùm apud nos episcopi reservat nomen qui episcopatum dimiserit : lege Josephi vigesimum de Antiquitatibus et quartum de bello, et videbis passim ab eo vocari ponfices eos qui pontifices, non quidem jam erant, sed aliquando fuerant, et nominatim Annam sive Annanum ; ut certè ea dignitas, ex primâ origine, debuerat ei qui semel electus esset, mansisse perpetua usque ad mortem. Deinde quòd Caiphas Annæ deferret plurimum, quippe socero (Joan. 18, v. 13) et in honore precessori ; ac proinde, absque illius consilio nihil gerens, videretur non tam solus quàm unà cum Annâ præesse. Demùm quòd Annas, cùm pluribus ipse annis pontificatum gessisset, paulò post filium suum Eleazarum, nunc etiam generum Caipham, successores sortitus, cùm ob hæc, tùm ob virtutem, consilium et eloquentiam, quæ in eo Josephus mirè laudat, lib. 4 de Bello, cap. ultimo, maximo in pretio apud Judæos fuerit, ita ut pluris etiam fieret quàm ipse pontifex ; quâ de causâ, et ante pontificem ipsum ab evangelistâ nominatur, cùm hìc, tum Act. 4, v. 6. Imò et quatuor alios filios suos ille postea summos pontifices vidit. Fuerat ipse primus, summus pontifex designatus à Quirino Syriæ proconsule, Antiq. lib. 18, c. 3 ; postea amotus à Valerio Grato Judææ præside, successorem habuit, intercedente Ismaele Fabi filio, Eleazarum filium suum, Antiq. ibidem ; deinde, alio quodam intercedente, Caipham generum suum (Antiq. ibidem) annis sedentem pluribus, saltem quamdiù Pilatus præfuit. Caiphæ Annæ genero, successit tandem Jonathas Annæ filius, et mox Theophilus alius ejusdem filius ; paulò post, intermedio Simone Boethi filio, Matthias, quartus filius ; denique aliis quinque mediis, Annas patri homonymus, interfector Jacobi fratris Domini, de quo sic Josephi Antiquitates lib. 20, cap. 8 : « Rex (Agrippa) Josepho (Cabo) jusso « vitam privatam agere, sacerdotium ejus dedit Anani « filio, et ipsi vocato Anano, eodem quo pater nomine. « Seniorem istum Ananum aiunt fuisse omnium feli« cissimum, ut qui filios habuerit quinque, omnes po« titos summo Dei pontificio, cùm priùs ipse ad satie« tatem hâc dignitate esset perfunctus : quod ad eam « ætatem nulli ante summorum pontificum contige« rat. » Hæc Josephus. Hinc igitur luce meridianâ clarius fit, cur Caiphæ pontifici adjungatur Annas tanquàm alter pontifex, adeòque præponatur.

Factum est verbum Domini, locutus est Dominus. Phrasis prophetis familiaris, quâ significant se missos à Deo ; quam imitatus evangelista, docet, non sponte suâ prosiliisse Joannem, sed jussum missumque à

---

aliqui perperàm putaverunt. Mentionem Lysaniæ cujusdam facit Josephus 15 Antiquit., c. 13, et tetrarcham nominat 19 Antiquit., c. 4, quem filium fuisse istius prioris non est incredibile. Regio autem Abilina ab Abilâ civitate dicta est, apud montem Libanum sitâ.

Vers. 2. — Sub principibus Sacerdotum Anna et Caipha. *Annas* iste vocatur passim *Annanus* à Josepho, qui in eo mirificè laudat eloquentiam, virtutem, consilium, gratiam, auctoritatemque apud populum, denique felicitatem præ omnibus Pontificibus, maximùm, eò quòd ad satietatem functus pontificatu quinque filios post se pontifices habuerit. Constitutus fuerat ipse pontifex à Quirino Syriæ præside statim post mortem Archelai, sed amotus à Valerio Grato, Judææ præside, successorem habuit post aliquot pontifices interpositos Josephum Caipham generum suum, paulò ante adventum Pilati in Judæam, qui Caiphas toto tempore Pilati videtur pontifex mansisse. Videndus Josephus, lib. 18 Antiquit., c. 3, et lib. 20, c. ult. Difficultas igitur est, quomodò vocentur hìc simul duo pontifices seu principes sacerdotum. Nonnulli hoc factum probabiliter volunt, non quòd essent simul duo pontifices, quod nunquàm in Josepho factum legitur, in quantâcumque perturbatione reipublicæ, sed quòd Annas nomen pontificis retinuerit, quod semel habuerat, et quod maximæ esset auctoritatis ; sicut episcopi vocantur etiam, qui episcopatum dimiserunt. Unde Josephus, 20 Antiquit. et lib. 4 de Bello Jud., passim pontifices vocat eos qui semel illâ dignitate functi fuerant. Alii hoc factum volunt, quòd cùm essent omnia venalia apud Romanos ita ut pontifices contra antiquam Dei institutionem creberrimè mutarentur, duo isti alternis annis fungerentur pontificatu ; favet Scriptura, Joan. 11, v. 49, ubi Caiphas vocatur pontifex anni illius.

Factum est verbum Domini super Joannem, etc., id est, facta est inspiratio, locutio, et jussio Domini cœlitùs ad Joannem. Phrasis est Scripturæ usitata, quâ significatur aliquis propheta non ex se prosilire, sed divinitùs vocari seu mitti ad prophetandum vel prædicandum. Ex quo rectè colligitur, nullos esse veros doctores, nisi qui speciali vocatione Dei, sive ordinariâ sive extraordinariâ, ad hoc munus vocantur, sicut victus veritate fatetur hìc in Harmoniâ suâ Evang. Calvinus, seipsum et omnes sectarios jugulans.

Deo. Locutus est autem Dominus, non tam externâ voce, quàm internâ inspiratione, verisimile est. Locutus verò est ea quæ ab eo agi, doceri, nuntiari, ac monstrari vellet, ea nimirùm quæ sequuntur, et alia eòdem pertinentia ab aliis evangelistis narrata.

Super, pro *ad*, ex phrasi Hebraicâ, quâ significatur verbum Domini cœlitùs delapsum Joannis menti insedisse, quemadmodùm imber graminibus.

Joannem, jam agentem annum ætatis tricesimum primum.

In deserto, in sylvestribus montosisque deserti, procul à contagioso hominum pollutorum consortio, agentem cœlestem potiùs quàm terrestrem vitam, ac proinde apprimè idoneum quicum loqueretur et negotium reparandæ salutis humani generis tractaret Deus.

Vers. 3. — Et venit. Juxta quod verbum Domini *venit*, seu prodiit ex locis illis desertis in quibus hactenùs latuerat, supra cap. 1, v. 80; describit evangelista, quomodò, Joannis prædicatione ac baptismo, Salvator hominibus declaratus fuerit.

In omnem, in totam, regionem Jordanis, seu circa Jordanem, circumcirca adjacentem, seu circumvicinam Jordani fluvio, quâ parte ille deserto ac Jerichunti vicinus est. Fluvius enim capitalis Jordanis qui Judæam disterminat, brachium suum ad Jerichuntem usque extendens, indeque circulatim reducens in proprium alveum, circumcingit bonam Judææ regionem; ita ut non opus sit intelligere Joannem ultra Jordanem extimum, extra Judæam, Peræam quoque obiisse (quanquàm ultra Jordanem, nempe in extimis Judææ finibus, etiam baptizâsse, negari haud possit, postquàm Bethaniam seu Bethabaram, ubi erat Joannes baptizans, Joannes evangelista trans Jordanem ponit, Joan. 1, v. 28). Regionem enim Jordanis seu circa Jordanem Lucas vocat eam quam Marcus, cap. 1, v. 4, desertum; Matthæus, cap. 3, v. 1, desertum Judææ; liber secundus Regum, campestria deserti. *Venit* igitur Joannes *in omnem regionem Jordanis,* id est, obiit seu circumiit campos illos vastissimos prope Jerichuntem, quos Jordanis excurrens circumlustrat. Non itaque hìc accipit Lucas *omnem regionem circa Jordanem*, quemadmodùm Matthæus cap. 3, v. 5, ubi dicit, *omnem regionem circa Jordanem ad Joannem egressam;* non enim Judæam, Peræam, et Galilæam peragravit Joannes, quemadmodùm Jesus, sed contentus Joannes obire campestria deserti Judææ, circumvicina Jordani, ubi parata erat aquæ copia, ad obeundum sibi divinitùs injunctum baptizandi officium; reliquit Judæam, Peræam, Galilæam, et cæteras regiones Jordani affines ad se egredi.

Prædicans, simul et administrans.

Pœnitentiæ, hominibus ineundæ et exercendæ, iis qui peccata sibi per Christum remitti cuperent.

Sicut scriptum est, juxta quod scriptum et prædictum invenitur. Marcus præponit prophetiam rei; Lucas rem prophetiæ, aut potiùs interponit Lucas rem mediam inter prophetias seu oracula duo, unum præsens Joanni, alterum vetus Isaiæ editum, quò res omni ex parte divina esse cognoscatur.

Sermonum, verborum, vaticiniorum, prophetiarum, in libro continente prophetias, quas postquàm populo Isaias nuntiâsset ore, scripto posteris prodidit.

Prophetæ, *dicentis* addunt Græca et Syra.

Prædicans; et prædicabat: baptismo et prædicatione viam Christo Domino præparabat, et legitimâ pœnitentiâ ab omnibus præparandam clamabat.

Baptismum pœnitentiæ, baptismum cum pœnitentiâ conjunctum et pœnitentiæ testimonium ac professionem; adhortatus enim est omnes ad pœnitentiam (*pœnitentiam agite,* fuit pars una prædicationis ipsius, Matth. 3, v. 2), et ad testandam profitendamque pœnitentiam suscepto à se baptismo. Hæc est ratio, cur *baptismus pœnitentiæ* vocetur, etiam Act. 19, v. 4.

Vox Græca dicta est à post considerando sive sapiendo (μετὰ post, νοεῖν considerare, sapere est), ubi quis lapsus, re peractâ, tum denique animadvertit doletque erratum suum, et sapere incipiens se corrigit; id quod Latinè dicas resipiscere, quasi post factum sapere, tandem mutatâ sententiâ ad mentem redire. Quare Tertullianus, libri 2 adversùs Marcionem cap. 24: *In Græco,* inquit, *sono, pœnitentiæ nomen, ex animi demutatione compositum est.* Cæterùm ut pœnitentiæ nomen Latinè, ex ecclesiasticorum scriptorum usu, complectitur animi demutationem in melius, ubi propriè significat, post rem aliquam factam, sive bona illa sive mala sit, velle infectam esse, eoque sollicitum atque anxium esse: ita vox μετανοίας Græcè, etiam ex auctorum sacræ Scripturæ usu, plus aliquid signat, quàm animi in melius mutationem, quàm agnoscere et dolere admissa peccata, atque eo esse animo ut vitare velis; nimirùm etiam, id quod comitari solet, certumque esse resipiscentiæ ac melioris mentis indicium, sollicitum esse, quî piis officiis deleas, et quodammodò penses, atque in teipso ulciscaris delicta. Hoc abundè docere D. Paulus potest septimo capite posterioris Epistolæ ad Corinthios, versibus 9, 10 et 11, necnon infra 11, v. 21, ipse Christus. Quare qui Joannis parebant monitis, non solo animo detestabantur anteactam vitam et in melius convertere statuebant, sed et agnoscebant publicè damnabantque commissa atque in detestationem, ac novæ vitæ professionem, baptizari se, et doceri à quo peccatorum expectanda remissio sinebant. Syrus habet *toubou,* id quod idem est quod Hebræum *soubou,* convertimini, quo modo et Apostolus Petrus explicat τὸ μετανοεῖν, Actorum 3, v. 16: *Pœnitemini et convertimini* (posterius enim prioris est explicatio), et Salvator ipse, Luc. 17, v. 4. Converti autem quid secum afferat, docet propheta Joel, cap. 2, v. 12. *Nunc er-*

Vers. 3. — Et venit in omnem regionem Jordanis, id est, circa Jordanem sitam. Matthæus dicit eum in deserto Judææ *prædicâsse*, quod procul, à Jordane collocant; sed non negat eum ad regiones Jordanis vicinas excurrisse, quod hic indicat Lucas, quanquàm circa Jordanem loca deserta fuisse notum sit.

go, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro : et quî id fiat declarans addit, *in jejunio, et in fletu et in planctu.* Tria enim desiderat vera sive μετάνοια, sive pœnitentia (id quod sacris ex Litteris clarissimè constat) : dolorem, novam vitam, et curam sive studium ulciscendi in seipso delicta, itàque placandi iratum Deum. Jam à pœnitentiâ et conversione cœpit evangelica prædicatio, tam Christo quàm Joanne prædicante, quia, quod Apostolus ait Rom. 3, v. 23 : *Omnes peccaverunt, et egent gloriâ Dei.*

In remissionem peccatorum, ad obtinendam remissionem peccatorum, ad quam disponeret pœnitentia, ipsam verò concessurum esset proximè instans *regnum cœlorum* (quod erat altera pars prædicationis ipsius ; cujus regni, inquam, cœlorum, initium primusque fructus est remissio peccatorum), concessurum autem esset per baptismum, quem Christus Rex cœlorum appropinquans daturus esset. Non enim prædicabat Joannes remissionem peccatorum obtinendam per baptismum suum, quem aquâ solâ nudâque constare ingenuè profitebatur : nec solùm baptismum suum, sed et baptismum Christi prædicabat, quem suadebat ut etiam susciperent, ad Christum ubi mox adforet fide accurrentes (Act. 19, v. 4), tanquàm perfectionem baptismi sui, ut qui non solâ aquâ, ut suus baptismus, sed et Spiritu sancto abundaturus esset (infra v. 8), à quo solo est remissio peccatorum, per Christum agnum Dei auferentem peccata mundi, Joan. 1, v. 29. Quare Apostolus Paulus baptizari jussit etiam baptismo Christi, eos qui à Joanne fuerant baptizati, Act. 19, v. 5.

Vers. 4. — Vox clamantis, scilicet erit vel audietur. Propheta docet, unde sciat, Deo esse satisfactum, iram ejus mitigatam, aliaque quæ apud eum præcedunt. Quia, inquit, audio è deserto vocem viri clamantis instare adventum Emmanuelis, etc. Hebraicum *koi kore* in Matth. 3, 3, verti potest, et *Vox clamans,* et *Vox clamantis ;* illud alii quidam ; hoc Septuaginta atque evangelistæ secuti sunt, quanquàm parva diversitas sit inter utrumque. *Vox clamantis* autem, subaudi, vel Dei, vel viri sive præconis. Juxta priorem sensum, Joannes vox Dei vocatur, ut Christus verbum Dei. *Benè,* inquit Ambrosius in Lucam, *vox dicitur Joannes, verbi prænuntius.* Nam, quod Epiphanius, hæresi 69, ait : « Vox est præparativa « auditûs hominum ; primùm enim inarticulatam vo« cem sonantem reddere solent clamantes, è longin« quo vocantes eos qui ab ipsis aliquid audire debent ; « et ubi illi vocem solam audierint, et mentem ad au« diendum converterint, auresque præparaverint, « tunc is qui sonantem vocem emisit, de cætero di« stinguit sermonem quem dicere voluit. Sic etiam « Joannes vox fuit, aures hominum præparans ; non « enim erat ipse verbum, sed post ipsum venit ver« bum, propter quod præparativa vox fuit. » Hæc Epiphanius. Juxta posteriorem sensum, quem disertè sequitur Euthymius, Joannes ipse clamare dicitur, quo modo de illo loquitur Joannes evangelista, cùm testimonia quædam ipsius de Christo adducturus esset, cap. 1, v. 15 : *Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens : Hic erat quem dixi,* etc., alludens, quod videtur, ad prophetiam. Porrò quod clamare dicitur sive Joannes, sive per Joannem Deus, significatur Joannem ea quæ à Deo jussus erat omnia, publicâ, clarâ, liberâ, sedulâ fervidâque vociferatione quibusvis inculcâsse ; minimè obscuram fuisse doctrinam ejus vel ambagibus implicitam ; nec susurratam inter paucos homines. Hic enim spiritu et virtute Eliæ præditus, fortissimè impietatem insectatus est, et liberrimè constantissimèque Christi præconem egit, cujus certè intererat, non occultè, non remissè, aut dubitanter, sed palàm, disertè, et asseveranter, de Christo ita testari, ut nemo esset qui se excusare posset quòd clamantem non audîsset.

In deserto, id et præcedentibus conjungi et sequentibus possit. Præcedentibus plerique omnes jungunt, ita ut significetur Joannis in deserto prædicatio, sive in deserto Judææ, sive in Judæâ desertâ, incultâ, asperâ et timoris Dei experte, quod per Judææ desertum figurabatur. Sequentibus jungunt Hebræi, in Matth.: *In deserto parate viam Domini ;* ita ut vox moneat, in invio deserto parare viam ; sicque respondet istud ei quod subsequitur : *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri :* nisi cum quibusdam intelligas sensum esse, quibusdam ex antecedentibus repetitis : Vox clamantis *in solitudine : Rectas facite,* etc. Prætermiserunt, post Septuaginta duos, evangelistæ, τὸ *in solitudine ;* non prætermissuri fortassis, nisi eumdem in sensum præcessisset, atque ex præcedentibus intelligendum relinqui potuisset.

Parate viam Domini. Hoc est illud quod clamatur. *Parate,* promptam, paratam, atque expeditam reddi-

Vers. 4. — Sicut scriptum est, ut significet initium Evangelii non fuisse fortuitum, vel humani consilii, sed sicut antea prophetis dictum fuerat, Deo fidem suam liberante. Vox clamantis, scilicet Dei, auditur, in deserto ; ita scilicet, ut Joannes sit ipsa vox clamantis Dei. Nam ipse, Joan. v. 23, dicit : *Ego vox clamantis,* etc. Et ita communiter observant antiqui, Joannem esse vocem Dei, Verbi scilicet prænuntiam, sicut ipse Christus est Verbum Dei, ut Epiphan., hæresi 69, et Ambros. in Lucam. Posset tamen intelligi *vox clamantis,* scilicet præconis, auditur, vel etiam, *vox clamans,* palàm scilicet et liberrimè auditur. Affert hoc Isaias velut probationem ac signum, quòd tempus consolationis Jerusalem jam advenisset, quia scilicet jam auditur vox præconis, qui regem consolatorem præcedit. Parate viam Domini, id est, expeditam reddite, omnia tollendo impedimenta, ne quid adventum ejus impediat. Rectas facite semitas ejus, viarum scilicet obliquitates et asperitates ad rectitudinem, æqualitatemque redigendo, ut regibus adventantibus fieri solet. Est enim continua metaphora, ab humano more sumpta, quo sicut paratur regibus via, auferendo saltus et impedimenta, et ornando tapetibus, ita Christo paranda dicitur, tollendo veteris vitæ peccata ac vitia, et novæ vitæ virtutibus absque hypocrisi animum imbuendo. Eò enim tendit tota prædicatio Joannis : Pœnitentiam agite, et facite fructus dignos pœnitentiæ, tanquàm quibus paretur via Christo venienti. Quod et non solùm voce, sed et factis, totâque vitæ compositione prædicaret, ut verum Christi præconem decet.

te. Alii : *Repurgate* ; alii : *Complanate*, omnia in eumdem sensum.

VERS. 5. — OMNIS VALLIS. Explicans vox *clamantis*, quî paranda et recta reddenda sit via adventanti Christo Domino, perseverat in similitudine, acceptâ ab eâ consuetudine, quâ regi urbem aliquam suam primùm ingressuro paratur à civibus via ; quod quidem fit vallibus collibusque reliquo solo æquatis, et viâ rectâ ac facili redditâ.

IMPLEBITUR, impleatur, futurum pro imperativo, quod Hebræis est familiare. *Impleatur*, scilicet terra, ita ut fiat reliquæ viæ æqualis. Nam vallibus repletis et collibus montibusque recisis, via ad æquabilitatem reducitur. Sensus est, peccatorum pondere depressi ac pusillanimes omnes accipiant animum, erecti fiduciâ relevationis accipiendæ.

HUMILIABITUR, humilietur, deprimatur, ita ut non excedat reliquam viam altitudine. Superbi ac tumidi, sapientiæ, justitiæ aut potentiæ opinione, ponant animos, demittant cervicem, nec se præferant cæteris, agnoscentes variis se peccatis obnoxios, ad quæ auferenda opus habeant non minùs quàm cæteri Redemptore.

ET ERUNT, id est, sint seu fiant.

PRAVA, distorta, τὰ κοῖλα, obliqua, curva, scilicet viarum.

IN DIRECTA, *in rectam*, scilicet, viam, id est, fiant via recta. Hebraismus, qualis ille : *Erunt duo in carne unâ*, Matth. 19, v. 5. Vivendi mores pravi mutentur in bonos et rectæ rationi legique Dei consentaneos.

ET ASPERA, *et asperæ*, scilicet viæ, id est, senticosæ aut petricosæ.

PLANAS, fiant viæ planæ, leves, faciles. Iracundi cæterique incommodis hactenùs præditi moribus, fiant tractabiles, faciles, æqui, mansueti. Quemadmodùm viæ propter res quatuor incommodæ sunt, propter, vel descensus, vel ascensus, vel obliquitates, vel asperitates : ita similem omnem vitiorum deformitatem auferendam, et contrarium virtutis studium amplectendum monet, quò et expeditus sit Domini adventus, et gratus acceptusque declaretur. Hoc autem totum comprehenditur illis verbis prædicantis Joannis : *Pœnitentiam agite*.

VERS. 6. — ET, pro, *enim*. Nam his verbis continetur ratio, quare præparandæ sint his modis viæ.

VIDEBIT MOX OMNIS CARO, omnis homo, ipsis suis oculis carneis, SALUTARE, salutem, DEI, Christum à Deo missum, salutis auctorem, salvatorem mundi, quem scilicet quicumque cum fructu salutis videre volet, et dignè excipere, ut debet, necessum est ut ejus viæ moresque sint hâc ratione præparati. Hujus loco propheta habet : *Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*, quod in eumdem sensum sic est intelligendum : mox enim aderit omnium oculis conspicuus Christus Dei gloria et hominum salus, nec erit homo mortalis qui eum videre nequeat, eò quòd os Domini, quod mentiri ac fallere nescit, id promiserit. Hoc est illud quod Joannes prædicat alterâ suæ concionis parte : *Appropinquavit enim regnum cœlorum*, sive Christus Rex auctorque regni cœlorum.

VERS. 7. — ERGO ; continuativum orationis est.

AD TURBAS, notans præcipuè turbis permixtos Pharisæos et Sadducæos, quos Matthæus nominat.

QUÆ EXIBANT, quæ è suis singulæ locis profectæ veniebant ad ipsum, Deo suggerente famâ victos accedere, magis ut populo suo suum pietatis studium venditarent, quàm ut se sincerâ pœnitentiâ Deo probarent, quâ non credebant sibi opus esse, inflati arroganter justitiæ quam præ se ferebant imagine.

UT BAPTIZARENTUR. Baptizare, seu βαπτίζειν, quod Græco sermone dicitur, pro eo quod Latino tingere seu immergere, Christiana schola appropriavit sacræ illi actioni lavandi, quam Joannes prior usurpavit, Christus à se perfectam in sacramentum regenerationis Ecclesiæ suæ reliquit. Syrus utitur voce *hamad*. Sic visum fuerat divinæ sapientiæ, ut Joannes veteris novique Testamenti sacratissimus limes, baptismi signo præluderet evangelicæ gratiæ jam adventanti ; primùm ut per hujusmodi pœnitentiæ professionem homines ad Christum excipiendum pararet. Indicabant enim exteriori illâ lotione quam subibant, se

VERS. 5. — OMNIS VALLIS IMPLEBITUR. Prophetia est ex Isaiâ sumpta, per quam metaphoricâ locutione à consuetudine regum derivatâ significat Christo, tanquàm regi venturo, omnia itinera esse paranda, et rectas faciendas vias, id est, æquandas seu complanandas, per quas transiturus est. Modus autem parandi regibus viam est ut vallibus et collibus complanatis tota via æqua et recta fiat. Hoc est ergo quod hic dicit, futuris utens pro imperativis, Hebraico more : *Omnis vallis implebitur*, id est impleatur, *et omnis mons et collis humiliabitur*, id est humilietur seu deprimatur : *Et erunt prava in directa*, id est, viæ distortæ seu curvæ sint ac fiant rectæ : *et aspera*, id est, asperæ viæ, propter sentes aut petras aut offendicula atque inæqualitatem, fiant *in vias planas*, quâ metaphorâ significatur, omnem pusillanimitatem ac desperationem animi in spem divinæ gratiæ et virtutis erigendam, omnem præsumptionem sapientiæ ac justitiæ suæ, omnemque superbiam esse deprimendam ; omnem pravitatem et asperitatem vitæ in mores rectos seu rationi consentaneos, tractabiles et mansuetos esse mutandam.

VERS. 6. — ET VIDEBIT, pro *quia videbit*, modo loquendi Hebræis satis familiari. Datur enim ratio parandi vias, quia scilicet VIDEBIT OMNIS CARO SALUTARE DEI, id est, omnis homo corporeis oculis conspiciet Christum salutis mundi auctorem à Deo missum ; quem quisquis cum fructu videre et excipere volet, ei via seu mores istâ ratione æquandi et parandi sunt. Itaque per versum 5 paulò latiùs declaratur prima pars prædicationis Joannis, quam alii evangelistæ ponunt, scilicet : *Pœnitentiam agite* ; versu verò 6, pars altera : *Appropinquavit regnum cœlorum*.

VERS. 7. — GENIMINA VIPERARUM. Vipera serpentum nocentissima est, ut ex Act. 28 liquet, de cujus naturâ multi multa philosophantur. Plinius, lib. 10, c. 62 ; Aristot., lib. 5, c. ult. Hist. animal., miscent et fabulosa quædam ; Ambros., l. 5 in Hexaem., c. 7, ex Basil., hom. 17 in Hexaem. Unde alii respici putant ad invidiam, et calliditatem, ut August. et Gregor. ; alii ad animum homicidam, eò quòd viperæ fœtus matres suas, uterum perrumpendo, occidant, ut faciunt mali doctores, maximè hæretici. Generaliter itaque *genimina viperarum* vocat Hieron. in c. 30

fidem habere Joannis præconio, et profitebantur vitæ expurgationem per pœnitentiam, quæ, ut aqua corporis sordes abluit, animi ipsa mores corrigit. Deinde ut hoc suo baptismo assuefaceret populum ad baptismum Christi, quanquàm non usque adeò difficile erat eò Judæos adducere, ut baptizari se sinerent, cùm, tum ex Legis præscripto, tum ex Pharisæorum instituto, frequentibus baptismatis et lotionibus essent assueti. Ad hæc ut Christus manifestaretur commodâ hujuscemodi baptismi occasione (Joan. 1, v. 13). Postremò ut à Joanne baptizatus inter cæteros Christus baptismum consecraret.

GENIMINA. Aliàs vertit, *progenies.*

VIPERARUM. Non patriarcharum, non prophetarum (excutit, illis primis verbis, vanam gloriationem de majoribus, quâ mirum in modum sibi placebant), sed viperarum; q. d.: Malorum parentûm deteriores filii, quibus veluti innata est tractaque à parentibus malitia. Vipera serpentis genus est nocentissimum, maximèque venenosum, mortem levi attactu incurabiliter inferens (Act. 28, v. 4), cui rectè conferuntur ii quorum unum studium est, optimos quosque perdere, calumniosis præsertim morsibus; quales fuerant istorum patres, qui ut prophetas occiderant, ita isti referebant patrum ingenium; infra 23, v. 31, 32, 33. Acrioribus verbis Joannes horum mordet conscientias, nihil flexus honore quo ab ipsis afficitur, quò magis ad pœnitentiam commoveantur libertate arguentis, homines superbi alioqui, qui fisi hypocrisi suæ, Deo et hominibus illudere volunt. Quâ re ostendit Baptista, se nemini blandiri, neminem palpare, sed omnium absque personarum acceptione, vitia paratum, pro eo quod erat ipsi injunctum officio, fortiter redarguere.

QUIS OSTENDIT. Præteritum est quod in Matth. vertit, *demonstravit.* Sensus est: Quis monstrâsse, quis persuasisse vobis potuit, ut fugeretis, ut hùc cum cæteris hominum ordinibus conflueretis, et accepto à me baptismo, veram sinceramque pœnitentiam, quâ Dei evitatur peccatis imminens ira, testaremini, cùm viperæ potiùs quàm homines sitis? Admirantis est, q. d.: Non facilè crediderim aliquem vos eò adduxisse potuisse. Sententia est: Persuadere mihi facilè non possum (quis enim eò vos adduxisset, qui neminem vobis ipsis præfertis, à quo salutis consilium vobis putetis accipiendum?) haud fictæ pœnitentiæ gratiâ hùc vos advenisse, quorum adeò est inveterata inolitaque malitia; neque in animum inducere, curæ vobis esse ut futuram Dei iram effugiatis. Cùm enim eam, vel non credatis, vel, præ eâ quâ vobis ipsi placetis, præsumptuosâ justitiæ persuasione, non timeatis (hoc enim Pharisæorum, illud Sadducæorum erat), quis illius vobis terrorem incussisset?

A VENTURA IRA, ab eâ quæ futura est irâ, à futuri seculi irâ, ab eâ, quæ certò brevique exspectanda est, æternâ Dei adversùs scelera ultione. Quis permovisse vos potuit ut rationem quæreretis pœnitentiâ placandi iratum Deum (nam illud est Dei iram fugere) meditantem vobis æternas pœnas? Ultio Dei, Dei ira vocatur, non quòd Deus irâ aut quibuscumque passionibus moveatur, sed appellatione à nobis sumptâ, qui ferè irascimur, dùm sumimus vindictam; quam Deus, eâ quâ semper fruitur animi constantiâ exercet. Intelligit autem Joannes, æternum gehennæ supplicium, quâ nulla est gravior Dei ultio. Joannes enim, ut regni cœlorum, ita et gehennæ, æternorum bonorum ac malorum, primus præco exstitit: quæ deinde per Christum longè latèque promulgata sunt. « Considera, « inquit Chrysostomus, quemadmodùm illos ab ipsis « omninò principiis attonitos reddiderit, de gehennâ « scilicet inferendo sermonem. Non enim aliquid usi- « tatum locutus est: Quis vobis demonstravit bella vi- « tare, et irruentes fugere impetus barbarorum, capti- « vitates, pestilentias, fames? Sed aliud quoddam « supplicium comminatur, quod nunquàm certè illis « fuerat ante manifestum. » Hæc Chrysostomus.

VERS. 8. — FACITE ERGO. Sensus est: Si quis tamen vobis persuasisse id potuit, et verâ anteactæ vitæ pœnitentiâ Dei iram effugere nitimini; ut qui cæteris similiter hùc advenitis et pœnitentiæ baptismum à me flagitatis: cùm hìc fucis non agatur, *facite,* etc. Quamvis novisset eorum hypocrisin, et pœnitentiam ab ipsis fingi, non agi, dissimulat tamen se eâ de re esse certum; et tanquàm aliquâ de ipsis spei scintillâ conceptâ, pergit eos adhortari ad meliorem frugem, si quid fortè proficiat, omnes interim alios præsentes docens.

DIGNOS PŒNITENTIÆ, phrasis Græca pro, *dignos pœnitentiâ,* quod est, qui deceat pœnitentiam, sive pœnitentes. Edite fructus, quos dignum est pœnitentiam producere, quique factis ipsis declarent verè vos ad-

Isaiæ pessimorum parentûm pessimos filios, homicidarum scilicet homicidas, invidorum invidos. Non enim est hæc laus à pœnitendi prudentiâ petita, ut putavit Ambros., lib. 2 in Lucam, sed gravissima est increpatio. QUIS OSTENDIT VOBIS, etc., id est: Quomodò fieri potest, cùm viperæ potiùs quàm homines sitis, justorumque persecutores, et justitiæ simulatores, ut aliquis vobis monstraverit, seu persuaserit, ad remedium à pœnis æternis, quas vel non creditis, vel justitiæ præsumptione non timetis, hùc esse vobis recurrendum? Admirantis enim verba sunt rei novitatem ac difficultatem. Sed si tamen vero pœnitentiæ dolore tacti sitis,

VERS. 8. — FACITE FRUCTUS DIGNOS PŒNITENTIÆ, seu *pœnitentiâ,* hoc est, qui decet veram pœnitentiam, seu animi resipiscentiam. Fructus illi sunt peccatorum detestatio, lacrymæ ex corde expressæ, affectuum malorum, morumque correctio, et inprimis virtutum studia peccatis contraria, ut Greg., Homil. 20 in Evang. ET NE CŒPERITIS DICERE, id est: Nolite cogitare et stultâ istâ cogitatione ac fiduciâ vos seducere: PATREM HABEMUS ABRAHAM; id est, ut Joan. 8, dicunt, v. 32: *Semen Abrahæ sumus;* et v. 39: *Pater noster Abraham est;* cui scilicet à Deo promissio facta est, et hæreditas salutis filiis danda; hoc enim affertur velut causa securitatis contra venturam iram, cùm Deus non frangat fidem suam. Errabant, eò quòd de carnalibus filiis hoc intelligerent, cùm filii Abrahæ fiant imitatione fidei; contra cujusmodi cogitationes etiam agit Apost. ad Rom. 9, v. 6 et sequentibus. DICO ENIM VOBIS QUIA POTENS EST DEUS DE LAPIDIBUS ISTIS, quos coram cernitis, SUSCITARE FILIOS; sicut olim Adamum ex terrâ, Evam ex ejus latere, Isaac ex emortuis corporibus Abrahæ et Saræ,

missorum peccatorum pœnitentià duci : ejusmodi fructus sunt, mores correcti, et ea opera omnia quæ ab animo verè pœnitenti proficiscuntur. Ita ferè D. Chrysostomus.

NE COEPERITIS, iterùm, DICERE; *apud vos ipsos* additur Græcè et Syriacè quemadmodùm secundùm Matthæum. Nolite apud vos ipsos sic cogitare et in hoc conquiescere; nolite inani hâc cogitatione, ita ut soletis, vobis ipsis imponere, illàque nixi resupini ac securi esse.

PATREM HABEMUS ABRAHAM. *Pater noster Abraham est* (sic loquuntur Joan. 8, v. 39), *semen Abrahæ sumus* (sic ibidem v. 33), cui à Deo benedictionis promissio facta est (Gen. 22, v. 17, 18, et 26, v. 5); quare, cum promissa nobis sit hæreditas salutis, malè perire aut à Deo deseri non possumus : non enim est injustus Deus, ut, deserens populum suum, fidem frangat; neque id amico Abrahæ possit. Mirum in modum placebat sibi hoc hominum genus, fidebatque in majorum suorum virtutibus; idque desides eos atque ignavos reddebat ne pœnitentiæ studium amplecterentur. Quâ quidem in re bis errabant, semel, quòd singulos omnes Abrahæ filios salvandos putarent, aut seipsos ut minimùm tanquàm præ vulgo eximios; semel, quòd Abrahæ cognationem ex carne magis quàm ex spiritu, ex genere magis quàm ex virtute æstimarent, salutem sibi promittentes, non tam ex imitatione operum Abrahæ, quàm ex eâ quam ab Abraham trahebant origine. Quocirca Joannes fiduciam hanc vanam inprimis reprimit; non quò prohibeat eos sese ex illis sanctis genitos confiteri; sed quò prohibeat, ne, eâ re freti, animæ suæ curam negligant.

DICO ENIM VOBIS. Nolite, inquam, hâc vanâ fiduciâ vos ipsos decipere; affirmo enim illud vobis,

QUONIAM POTENS EST DEUS, quòd possit Deus, quippe omnipotens.

DE LAPIDIBUS ISTIS, ex lapidibus istis materialibus, quos coram cernitis. Nihil ita distat à vitâ et ratione, ab humanâ naturâ, ac lapis. Usus est ergo in exemplum re omnium difficillimâ, ut doceret nihil Deo esse difficile.

SUSCITARE, excitare, producere.

ABRAHÆ, ipsi Abrahæ; dandi casus est. Potens est Deus vobis omnibus ad unum deletis, instaurare posteritatem ipsi Abrahæ ex lapidibus istis, quemadmodùm formavit Adam ex terrâ, Evam ex Adæ latere, Isaac ex mortuâ vulvâ Saræ. Potens est Deus, vobis perditis, mutare lapides istos in homines, simul et in filios Abrahæ, tales quales requirunt Abrahæ facta promissa; q. d. : Non existimetis, desideraturum Deum posteritatem Abrahæ, cui promissam benedictionem persolvat, si vos perieritis; imò illud habete certum, si vos degeneres ab Abrahæ moribus desciscatis, ac proinde malè pereatis, quemadmodùm rerum consequentia exigit, nec supersint homines alii, Deum, ut suam liberet fidem, vel lapides in homines transmutaturum, ejusmodi, qui Abrahæ opera secuti, itàque ad cognationem ejus adducti, promissionum benedictione fruantur. Non enim carni et sanguini alligatum est divinum promissum, sed fidei et obedientiæ; è fidei sinceritate, non è carnis affinitate, Abrahæ filii censentur. Nam et Isaac, non tam carnis quàm Dei virtute, Abrahæ filius fuit, ex Saræ utero, instar lapidis sterili, adversùs naturæ cursum modumque genitus. Sed cùm multi superfuturi sint homines, vobis Judæis ob impietatem perditis, si in eâ perseveratis, non ad corporeos lapides recurret Deus, sed ad eas quas Deo ut vobis abominationi esse putatis, gentes, lapidibus tamen ob cultum saxorum non absimiles, exque illis, magno vestro dedecore, Abrahæ assumet et efformabit filios. Ad hæc omnia respexisse Joannes videtur, cujus eadem est doctrina quæ Pauli ad Romanos, quòd non qui filii carnis, ii sunt promissionis hæredes, sed ii qui sectantur vestigia fidei et obedientiæ patris Abrahæ, etiamsi carne quàm maximè sint alieni. Tantò enim potior est Deo cognatio virtutis quàm carnis, quantò anima carne præstantior est. Disertè itaque monet Judæos, quòd, quicumque Deo non credunt aut non obediunt, à cognatione Abrahæ exciderunt, nec promissæ benedictionis hæreditate potientur, et, etiamsi carne quàm propinquissimi sint, pro alienigenis habebuntur. *Non enim* (Hilarii sunt verba) *successio carnis quæritur, sed fidei hæreditas; dignitasque originis in operum consistit exemplis, et prosapiæ gloria fidei imitatione retinetur.*

VERS. 9. — JAM ENIM SECURIS, jam autem et securis. Non sine epitasi legitur conjunctio *et;* porrò, sive *enim,* quod Latinè est, legas, sive *autem,* quod Græcè, parùm refert. Uno excluso, quod desides eos reddere poterat ne pœnitentiæ darent operam, vitamque

qui ratione sterilitatis, Isaiæ v. 1, comparantur petræ, unde Judæi excisi sint. *Abrahæ.* Dativus est, id est, quos Abrahæ promisit, ut iis conferendo promissam benedictionem, liberet fidem suam vobis pereuntibus. Verisimile tamen est alludi simul ad vocationem gentium, quæ duræ erant instar lapidum, et colendo lapides lapidibus factæ erant similes; sic enim intellexerunt magno consensu veteres, Hier.; Ambr.; Theoph., in hunc locum, post Iren., l. 4, c. 16; Clem. Alex., serm. ad Gentes; Orig., hom. 6 in Exod., et 4 in Jerem.

VERS. 9. — JAM ENIM SECURIS. Securim intelligit Hieron. prædicationem evangelicam, Gregor. Christum, qui constet ex humanitate, velut manubrio; divinitate, ut ferro. Sed cùm tota oratio sit tropica, totus potiùs contextus intuendus est, quàm singulæ partes. Itaque excludit alterum emendationis impedimentum, spem scilicet differendi supplicii. Jam enim securis posita est, non ad ramos, ut superflua decidendo leviùs castigentur, sed *ad* ipsam *radicem* arborum, ut funditùs excidantur et pereant. Significat enim jam imminere cervicibus extremum et irreparabile excidium, non solùm Judæis inferendum per Titum et Vespasianum, vel per translationem Evangelii ad gentes, ut quidam intelligunt, sed etiam singulis hominibus infligendum per æternam damnationem. Hoc enim est, quod sequitur. OMNIS ERGO ARBOR, seu homo, etiamsi nepos aut filius carnalis fuerit Abrahæ, si sterilis bonorum operum, EXCIDETUR, jamjam ex hâc vitâ, scilicet per mortem. ET IN IGNEM MITTETUR inexstinguibilem, seu supplicii æterni. Dicitur hoc jam post adventum Christi fieri magis, quàm ante;

emendarent, de majoribus nempe fiduciâ; excludit et alterum, spem differendæ in longum tempus iræ Dei. Est, inquit, et aliud quod urget. *Jam*, quod non hactenùs.

Radicem. Singulare pro plurali radices, nisi collectivè accipias *arborum*, pro uniuscujusque arboris. Redit ad prosequendam metaphoram ab arborum fructibus mox desumptam v. 8.

Arborum, singularum omnium, quarum multæ diù toleratæ fuêre, Deo fructum longanimiter exspectante. Exemplum Luc. 13, v. 7.

Posita est, *jacet*, admota est. Non admovenda, sed jam admota est, non ramis, non trunco (quo modo nonnunquàm, spe conceptâ, subvenitur arborum vitiis), sed radici, id quod periculi extremi imminentis excidii indicium est, ut radicitùs scilicet exscindantur. Hactenùs, ait, divitiæ bonitatis, patientiæ ac longanimitatis Dei in homines effusæ fuerunt, si fortè ad pœnitentiam adducerentur; nunc, cùm adest is quo major mitti non potest, et post quem non est alius exspectandus, rigor justitiæ Dei nihil ultra dilaturæ præstò est, vibratque expeditum gladium in hominum cervices, ut omnem qui non facit fructum bonum excidat, etc.

Omnis ergo arbor. Uno contextu dicere poterat: Ut omnem arborem, quæ non facit fructum bonum, excidat (sc. securis), eaque in ignem projiciatur. *Omnis ergo arbor.* Quocirca omnis arbor, id est, omnis homo, quivis sine discrimine. Neminem, neque sapientia, neque divitiæ, neque generis nobilitas, liberabunt: quisquis fuerit, etiamsi ipsius Abrahæ nepos, et mille, à quibus genus ducat, patriarchas enumeret. Frequenter homo arbori comparatur, cùm in Evangeliis, tùm in Psalmis, justus fertili, impius sterili aut agresti; sed in quâ ipsâ situm sit, sive fœcundam esse bonorum fructuum suo bono, sive sterilem aut putrium vel agrestium feracem suo malo; quanquàm ad hoc per se ipsa sufficiat, ad illud opus habeat gratiæ auxilio, quam Evangelium promittit.

Non faciens, non ferens. Non dicit: *Quæ non fecit;* non enim fecisse sufficit, continuè perseveranterque operandum est: nec ait: *Quæ non faciet*, sed urget præsens tempus: *Quæ non facit*, jam statim; mox enim necesse est faciat, nisi imminentis securis ictum subire libeat. Non enim hìc, ut in arbore naturali, longum tempus fructus desiderat quo provenire possit; solâ voluntate res peracta est; velle sufficit, statimque arbor erumpit in germina.

Fructum bonum. Fructum dignum pœnitentiâ, dignum regno cœlorum. Non dicit: *Quæ facit fructum malum;* nec enim satis est non facere fructum malum, si nullum facias. Satis est mali, nil fecisse boni.

Excidetur, suppl., *jamjam;* quare Græcè legitur præsenti tempore exciditur. Abusus enim temporis præsentis loco futuri, facit ad emphasim periculi proximè instantis, velut admotâ radicibus securi jamjam futurum sit ut funditùs excidatur arbor. Tum autem exciditur, dùm è terrâ per mortem, sine omni salutis reparationisque spe, tollitur. Porrò justus, dùm per mortem è terrâ aufertur, non exciditur utique, sed in uberius solum transfertur.

Et in ignem mittetur, et in ignem jacitur; mox à morte in ignem abjicitur gehennæ, eum quem vocat inexstinguibilem: ut solet excisa sterilis arbor in ignem injici, nulli alii apta usui quàm ut sit ignis nutrimentum. Jam nunc, inquit, urget extremum discrimen, in acie novaculæ res omnis sita est, nihil medium, nulla est mora. Mox, aut agenda est pœnitentia, aut occupante morte subeundum supplicium æternum. Adest præsens salus iis quos scelerum suorum pœnitet: adest pœna præsens et exitium inevitabile præfractis. Porrò et ante Christi adventum, manebat eos qui in peccatis perseveraturi erant certa mors: instabat etiam suo modo (nam quæ vita longa censenda sit, quam maneat tam dirus exitus?), sed à Christi adventu deinceps, prorsùs instat, quia, aut non differt vindictam offensus Deus, aut si differat, nullo certè id modo merentur præfracti animi eorum quos Evangelii prædicatio haud revocat. Antea plerùmque differebat vindictam Deus, et certè id merebatur hominum cùm ignorantia, tùm infirmitas; jam verò ubi evangelica et doctrina et gratia affulget, nulla excusatio est. Similiter et ante Christi adventum, detrudebantur impii mox à morte in gehennam: cæterùm à Christi adventu, cœpit ea res longè latèque prædicari, et publicitùs nota fieri, quæ priùs fuerat aut incognita aut dubiis duntaxat Pharisæorum Sadducæorumque sententiis ventilata (familiari autem Scripturæ tropo, res tunc fieri dicitur, quando innotescit) et gehennæ pœna, ob Evangelii contemptum, gravior infligi, quæ antè inflicta fuerat minùs gravis, cùm error et ignorantia nonnihil veniæ mererentur. Cœpit etiam à Christi adventu, cum quo unà orta est hora novissima, et œcumenici judicii dies appropinquare, quo omnes simul peccatores, nullo relicto, radicitùs exstirpabuntur, et cruciatibus mancipabuntur æternis.

Vers. 10. — Et, pro itaque.

Turbæ. Turbas increpaverat, supra v. 7; turbæ respondentes interrogant. Sed cùm in turbâ Pharisæos et Sadducæos præcipuè notâsset, solæ turbæ, id est, plebecula simplex, rude vulgus, commotum Joannis prædicatione, et sævâ minacique oratione perculsum, interrogat; nam illi, cùm per se sapere sibi viderentur, *spreverunt consilium Dei*, quod dicitur infra, 7, v. 30.

Quid ergo faciemus? Facere debemus, ut scilicet,

quia nunc palàm cœpit in toto mundo prædicari. Scripturæ autem phrasi res tunc fieri dicitur, cùm palàm innotescit. Hinc antea ignorantia et infirmitas magis veniam, suppliciique diminutionem ac dilationem merebantur.

Vers. 10. — Itaque cùm magnâ verborum acrimoniâ ex totâ turbâ præcipuè Pharisæos perstrinxisset, solæ turbæ, id est, plebs simplicior ejus oratione commota interrogavit:

Quid ergo faciemus, ad ferendos scilicet fructus dignos pœnitentiæ? Qui respondit:

quod mones, faciamus fructus dignos pœnitentiæ, et excidium evadamus? Promptos se exhibent ad exequendum quod oportet, si fuerit ignorantia eorum instructa.

Vers. 11. — Dicebat, dicit.

Det, tradat, impertiat, communicet, scilicet, alteram.

Non habenti, indigenti. Est autem species pro genere posita, cùm *tunicam* dicit pro vestimento; et numerus certus pro incerto, cùm *duas* dicit pro superfluas, seu plures quàm necesse sit; nam potest una tunica sufficere. Sensus est ut qui habet vestimenta superflua, plura quàm ipsi sit opus, partiatur ea cum illo cui desunt necessaria vestimenta.

Et qui habet escas, id est, cibum superfluum, similiter faciat. Det non habenti, esurienti seu indigenti. His porrò duobus corporalibus misericordiæ charitatisque operibus, quorum unum tangit victum, alterum vestitum (quæ prima ac præcipua, necessaria maximè et communia sunt, inter ea quibus juxta corpus indigemus hâc in mortali vitâ) intelligens Joannes omnia misericordiæ charitatisque opera, monet ut erga proximos benefici, succurramus eorum indigentiæ ubi possumus. *Turbis,* inquit Euthymius, *ut mutuâ benevolentiâ se invicem complectantur, mutuis operis se mutuò sublevent, injungit.* Duabus autem partibus obligationem eleemosynæ dandæ præfinit, abundantiâ divitis, si plus habeat quàm sit ipsi necesse, et inopiâ pauperis, si tuendæ vitæ necessaria ei desint. q. d. : Videte quibus vitæ subsidiis quæ vobis affluant indigeant proximi, ut vestra copia, eorum egestati succurrat; et quisquis sit, citra delectum, sive amicus, sive inimicus, sive referre gratiam possit, sive non possit, modò tuâ indigeat ope, subveni illi, pro modo facultatis tuæ. Vult Joannes, ut alibi Christus, ut erga quosvis benefici ac liberales simus, gaudeamus omnibus benefacere, benè de omnibus mereri, proximorum nobis benevolentiam officiis conciliare, nec sit quidquam nobis fraternâ charitate prius, præ quâ, et opes, et operam, quantùmvis molestam, nihili faciamus. Porrò, quando, pro fratrum necessitate, præcepti hæc habeant vim; quando, pro fratrum utilitate, consilii; denique quando nec locum quidem habeant, una virtutum magistra prudentia discernit. Nam, ut ait Ambrosius: *Misericordiæ tamen ipsius, pro possibilitate conditionis humanæ mensura servatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quod habet cum paupere partiatur.* Similis est admonitio Apostoli, 2 Cor. 8, v. 14. Memorat autem sola opera misericordiæ Joannes, non quòd sola censenda sint inter fructus pœnitentiâ dignos, aut sola ad excidium futuri seculi vitandum sufficiant; sed quòd, cùm nollet rudem turbam multis semel onerare præceptis, sufficeret autem præparare ad perfectam Christi doctrinam excipiendam, expresserit misericordiæ ac charitatis officia, quæ ut naturalia homini *(quæcumque enim vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis,* Matth. 7, v. 12) ita nota sunt, et penè à quolibet præstari queunt; quibus denique misericordia et gratia Dei facilè impetratur, ad remissionem peccatorum (*charitas enim operit multitudinem peccatorum,* 1 Petr. 4, v. 8) cæteraque, etiam regnum cœlorum, assequenda. Christus ipse latiùs declaravit quæ via ducit ad vitam æternam; præsertim in Matth. cap. 25, v. 35 et 37.

Vers. 12. — Venerunt autem alio tempore et publicani, etiam publicani; nam et turbæ venerant ut baptizarentur; sed publicani inter turbas non numerabantur, eò quòd infames haberentur, et quasi segregati à populo Dei, quod manifestum est vel ex illo Matth. 18, v. 17, ubi dicitur de excommunicato : *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Publicani dicti sunt à publico, quod bona publica significat, ut τελῶναι Græcè à τέλος vectigal : vectigalia enim aliosque populi Romani reditus, certo pretio redemptos, colligebant. Judæis genus hominum erat invidiosum, non quòd munus ipsum eorum per se damnabile esset (sicut enim non injustè principes vectigalia indicunt, ita non injustè ii qui principibus operam suam locant, à populo ea exigunt) sed, partim quòd avari essent, rapaces, et crudeles præter modum, blattæ, tineæ, excoriatores populi, nunc fraude, nunc vi, plus etiam extorquentes, quàm à principibus præscriptum esset, modisque omnibus suum commodum procurantes ex publicis incommodis; partim, quòd Judæi ferè cùm essent, nullâ religionis habitâ ratione, Romanis alienigenis adeò societate jungerentur, ut etiam operam suam illis locarent, idque ad fratrum tyrannicam oppressionem; quâ sine non, vectigalia à se exigi, contendebant Judæi, liberos se judicantes, si sacerdotibus duntaxat decimas penderent. Has itaque ob causas, infames habebantur publicani in otâ Judæâ (ut inter Christianos fœneratores) et nec honoratorum civium loco, arcebanturque à magistratibus, cùm apud Romanos equestris essent dignitatis. *Flos enim equitum Romanorum* (ait Cicero in Oratione pro Plancio) *ornamentum civitatis, firmamentum reipublicæ, publicanorum ordine continetur.* Romani isti,

Vers. 11. — Qui habet duas tunicas, id est vestimenta superflua, seu plura, quàm ipsi opus fuerit : ponitur enim numerus certus pro incerto, et species pro genere. Nam fieri potest, ut etiam pluribus quàm duobus vestimentis opus habeat, ad tutandam vitam, nec tamen juxta præceptum Joannis danda sit pauperi. In binario igitur superfluitas notatur. Det non habenti, id est, indigenti, sive unam habeat, sive non. Itaque obligationem dandæ eleemosynæ ex duabus præfinit partibus; ex superfluitate divitis, si plus habeat, quàm ipsi sit necessarium, et ex inopiâ pauperis, si vitæ tuendæ desint necessaria. Et qui habet escas, id est, superfluum cibum, similiter faciat, det scilicet esurienti seu indigenti. Itaque, ut notat Ambr., illa servatur misericordiæ mensura, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quod habet cum paupere partiatur. Sub duobus autem operibus misericordiæ, quorum unum tangit vestitum, alterum victum, tanquàm maximè necessariis et communibus omnia misericordiæ opera comprehendit, ut videlicet succurramus proximorum indigentiæ de superfluo. Et quidem in turbis dat præceptum omni-

conductis à fisco vectigalibus, abibant in provincias eas quarum vectigalia conduxerant; atque ex iis eligebant indigenas, quos eidem muneri ascriberent, vel locantes eis ulteriùs singulis vectigalium partem, vel solam eorum conducentes operam ad collectionem. Atque hujusmodi fuerunt publicani illi, quorum passim meminit Evangelium, Judæi, inquam, adsciti à nobilibus Romanis, illis qui Judææ vectigalia à fisco redemerant. Hi propriè domini seu principes publicanorum; illi socii aut famuli; omnes vulgò *publicani* vocabantur.

Ut baptizarentur à Joanne, prout baptizatos fuisse constat infra 7, v. 29.

Magister, magistrum agnoscentes, et illum honorant, et se offerunt discipulos.

Quid faciemus? Quid est nobis faciendum, ut doctrinæ tuæ satisfaciamus, ut pœnitentiam agamus, et fructus pœnitentiâ dignos edamus? Malè sibi conscii de illaudatâ vitæ institutione, doceri petunt quomodò vitam emendent. Pharisæi nihil sibi de vitæ integritate deesse putantes, nihil quærunt; quam ob causam summus magister de ipsis postea pronuntiat: *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei*. Matth. 21, v. 31.

Vers. 13. — Dixit ad illos. Non repellit eos à se, ut indignos quos alloquatur vir sanctus, rapinis infames: sic enim decebat præcursorem ejus, qui venerat peccatores salvos facere.

Nihil amplius. Exigit quæ vocationis ipsorum sunt propria. Nam *periti medici more, singulis opportuna præsidia salutariaque pharmaca præfinit*, ait Euthymius.

Quam quod constitutum est, scilicet ab imperatore aut magistratu, à regibus aut principibus qui populo præsunt.

Faciatis, in exactione vectigalium πράσσετε exigite. Πράσσειν et *facere* significat et *exigere;* huic loco convenit significatio exigendi; itaque *facere* quod Latinè legitur per *exigere* est exponendum. Prohibet ergo publicanis, ne in vectigalium collectione, amplius quid exigant, ab iis qui vectigalia debent, quàm præscriptum est à magistratu. Hinc colligimus, munus publicanorum non fuisse per se illicitum, tametsi Judæis exosum. *Non enim dixit, nihil exigatis,* ait auctor sermonis tertii in Appendice sermonum D. Augustini de Diversis; *sed nihil ampliùs exigatis; moderatè præcipit, ut et iniquitas locum non habeat, et constitutum habeat vectigal effectum.* Justum enim est habendum vectigal à legitimo principe indictum; nec peccant qui illud exigunt et colligunt, sed prædones sunt qui illud augent, qui ad suum lucrum extorquent ampliùs quàm princeps determinaverit. Id familiare est vitium publicanis: à quo Joannes eos absterret. Et quanquàm non satis id esset, si ab hujusmodi iniquâ exactione, quæ modum vectigalis excederet, sibi temperarent; hoc solùm tamen primò ipsis præscripsisse contentus est, ne plura requirens nihil obtineret, ratus si hoc obtineret, ut illud quo maximè laborabant vitii emendarent, facilè profecturos ad detestationem et solidam emendationem totius vitæ anteactæ, virtutumque ac signanter misericordiæ, quam turbis commendaverat, exercitationem: quæ omnia ad pœnitentiam à Joanne prædicatam requirebantur.

Vers. 14. — Et, pro, *etiam*.

Milites, *militantes*, participium loco nominis. Milites autem, Judæi haud dubium (nihil enim hæc ad ethnicos, à Dei cognitione alienos) qui et ipsi Romano imperatori militare potuerunt, multòque magis suæ gentis principibus, qualis fuit Herodes tetrarcha Galilææ, de cujus in Aretham Arabiæ regem bello circa hoc tempus gesto, legere licet Josephum, lib. 18 Antiq. capite 7. Publicanorum exemplo simul et Joannis concione excitati milites, durum quamvis hominum genus, et licentiâ ferox atque insolens, offerunt se Joanni baptizandos, et quærunt doceri etiam ipsi, quî vita ipsis sit instituenda et pœnitentia incunda, nihilò meliùs sibi de se conscii quàm publicani.

Neminem concutiatis, nemini vim faciatis, neminem malè tractetis, nemini per vim et metum extorqueatis pecuniam aliasve res; nemini, civium scilicet vel provincialium, aut eorum qui non sunt declarati hostes à principe cui militatis. Nam adversùs hostes vi agere possunt milites, idcircò enim gladius ipsis datus est; sed qui adversùs hostes datus est, non est adversùs cives et amicos exserendus. Cæterùm quia gladius armaque ipsis semper ad manum sunt, non se continent plerique, quin et adversùs amicos eis abutantur, et inermes agricolas, aliosque imbecilliores, suî regis subditos, vi opprimant et expilent, cùm possunt.

Neque calumniam faciatis, neque calumniemini, id est, falsis accusationibus ac delationibus circumveniatis: nam plerùmque συκοφαντεῖν est falsò deferre, et crimen datâ operâ impingere, quo nonnihil emolumenti extorqueatur à reo. Alterum vitium militibus familiare, ut falsò deferant et accusent hos illos, tanquàm fautores hostium, insidiatores, etc., quò ex innocentum reorum bonis munera referant. Prohibet ergo, *ne ab eis calumniando prædam requirant, quibus militando prodesse debuerant,* ait Beda.

Et, pro *sed*.

Stipendiis, obsoniis. Obsonia sunt condimenta ciborum; hìc pro stipendiis militaribus usurpatur, cò

bus commune benefaciendi: in publicanis verò et militibus propria ipsorum vitia prohibet. Publicanis enim dicebat:

Vers. 13.— Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, à principe vel magistratu, faciatis, id est, exigatis: hoc enim propriè significat verbum Græcum ut commentatores Græci exponunt. Itaque permittit exigi vectigalia, sed vetat excedi principis constitutionem. Militibus autem dixit, Judæis scilicet, sive Herodi sive Romano imperatori militantibus; nam et hoc Judæis licitum erat.

Vers. 14. — Neminem concutiatis, id est, neminem malè tractetis vi metuque aliquid extorquendo; neque calumniam faciatis, falsa crimina impingendo

quòd militibus, non pecunia solùm, verùm etiam cibaria pro militiæ pretio, aliquando solvantur, præsertim in castris agentibus. Gregorius Nazianzenus in Catenâ citatus : *Stipendium appellat*, inquit, *imperialem provisionem, et deputata per legem dignitatibus munera.*

Vestris, vobis à rege decretis pro labore militandi.

Contenti estote, ita scilicet ut aliena bona non invadatis neque concupiscatis. Quòd alios concutiant milites, alios calumnientur, ex eo fit quòd non sint contenti stipendiis suis; contenti si forent, nec vi nec fraude, aliorum bona insectarentur. *Ita singulis generibus hominum, conveniens tribuit Baptista responsum*, quod ait Ambrosius. Observandum autem, quòd non prohibeat Baptista bellum gerere (nam quibus *proprium stipendium sufficere debere præcipit, militare utique non prohibuit,* inquit D. Augustinus, epistolâ 5) nec prohibet inhiare prædæ ex hostibus reportandæ, si pugnent viriliter, denique fortiter res gerentes non vetat adspirare ad ampliora stipendia; sed ita jubet contentos esse stipendiis publicis, nihil ut per vim aut fraudem ab iis extorqueant, pro quibus bellum geritur. Jam memoriâ repetendum est, plura præcipi militibus potuisse, sed Joannem ante omnia dicere voluisse id quod ad ipsos peculiariter spectat, quodque proprium est vocationis eorum; confisus, hoc primum si ab ipsis impetret, nimirùm, ut ab isto, cui admodùm erant addicti, vitio abstineant, facilè reliquos pœnitentiæ fructus subsecuturos; ut è contra veritus, si semel omnia velit exigere, majora cum minoribus, nihil se obtenturum.

Vers. 15. — Existimante, exspectante, seu sperante, quo modo est et Syriacè : rei scilicet eventum; velut ex eventu judicaturus esset. Interpres legisse videtur δοκοῦντος.

In cordibus suis; nondùm id affirmabant, quòd nondùm vidisse se existimarent indubitata argumenta; sed ex rebus præsentibus præsagiebat ipsis animus hujusmodi aliquid. Tandem verò ita crevit opinio hæc et in ore versata est omnium, ut primores populi putârint legatis missis percontandum sibi ex Joanne esse, an Christum se ipse agnosceret. Joan. 1, v. 19.

Ne forte, num fortè, numnam, an vir ille virtutibus illis actionibusque insignis, esset Christus, Christus ille promissus. Hujusmodi opinione ducebatur populus, primùm ex eo, quòd omnes etiam legisperiti, ex plurium prophetiarum adimpletione, judicarent adesse tempus promissi Messiæ, deinde ex admirandâ ac celebri Joannis nativitate, insuper ex ejus vitâ sanctâ à communi hominum vitâ alienâ, denique ex eo quòd nova instituta proferret, nominatim quòd baptismum administraret. Intellexerunt enim ex Ezech. 36, v. 25, baptismi usum fore Messiæ tempore. Nam quòd Joannes erat ex tribu Levi, cogitabant eam tribum tribui Juda generique David permixtam. Jesum autem, vel nondùm noverant, vel non tanti quanti Joannem faciebant, ut cujus, et nativitas haberetur communis, et patria contemptibilis, et educatio vilis, et vita vulgaris, et baptismus ex Joannis imitatione institutus. Et in hâc quidem cæcitate permanserunt, ita ut id quod in Joanne spontè crediderunt, hoc nec tandem in Jesu, tantis signis ac virtutibus approbato, ipso etiam Joanne attestante, crederent.

Vers. 16. — Respondit, hâc occasione locutus est.

Joannes, certior factus opinionis istius popularis, vel à Spiritu sancto, vel à discipulis suis : nec enim sic corde rem versabat populus, quin ore aliquando proderet quid cor præsagiret. Non est gloriatus Joannes de eâ quam homines de ipso habebant opinione magnificâ, nec appetivit honorem sibi non debitum.

Dicens omnibus, constanter apud omnes prædicans, liberè et suam humilitatem agnoscens et Christi dignitatem profitens publicè. Absoluta sanctissimi viri modestia, qui adeò non sibi vindicavit alienæ laudis usuram, ut ultrò delatam fortiter rejecerit; in hoc proficiente errore multitudinis, ut Jesu paucis adhuc noti dignitas gravi publicoque testimonio comprobaretur, atque eò graviori, quò opportuniùs ab illo redditum est, qui ipse Christus habebatur vel haberi poterat.

Ego quidem, q. d. : Non est quòd Christum me esse existimetis, sive ex quâvis aliâ re, sive ex eo quòd baptismum vobis administrem : nam ego quidem aquâ baptizo vos. Non refert quòd ego prior vos baptizem; nam ego non nisi aquâ baptizo. Ne ex baptismi novitate Christus haberetur, vilem docet esse baptisma suum comparatum baptismo Christi. *Ego*, inquit, hujusmodi minoribus ad sublimiora præparans.

Aqua, solâ nudâque aquâ, quæ ad renovandos animos nullius est efficacitatis.

Vos, corpora vestra.

Venit, tempus præsens; significatur Christus in viâ esse, atque adeò proximus. Ille, inquit, ante quem missus sum, viam illi paraturus, ille qui me sequitur, ut post me mundo mox exoriatur et manifestetur, mihique in munus prædicandi Evangelium regni succedat. Christum manifestè signat : disertèque non Christum, sed Christi præcursorem se esse docet.

Fortior me, qui valentior, potentior me viribus est : longè plura, longè alia potest quàm ego : efficacitate cœlesti divinâque virtute præditus est quâ nequaquàm ego. Nolit ille merâ aquâ baptizare; nolit, id quod meum est, nudâ aquâ corpora tingere. Quid me admiramini ? Ille, ut tempore et prædicationis ordine

tanquàm insidiatoribus vel fautoribus hostium, etc. Et contenti estote stipendiis vestris; Græcè *obsoniis*, quia cibaria sæpè militibus in stipendii partem solvi solent. Hâc ultimâ præcepti parte præcidit radicem concussionis et calumniæ seu violentiæ et fraudis; nam ideò illis injuriarum generibus utuntur plerùmque milites, quia non sunt contenti stipendiis suis.

me est posterior, ita potentiâ est infinitis partibus prior : nec me tantùm, sed et universis quæ in cœlo et in terrâ sunt. Res meæ umbræ sunt et imago, præcessio ac præparatio ; ille veritatem , salutem , perfectionemque affert. Non ego collega illius sum , sed præcursor : præcedo eum ut Lucifer præcedit solem mox obscurandus majore lumine. *Illum enim oportet crescere, me autem minui,* Joan. 3, v. 30.

Cujus. Quantò ipsum magis populus extollebat Christum credendo, tantò magis se ipse deprimebat Christo collatum.

Dignus , *sufficiens*, ad verbum , id est, dignus cui id committatur. Non fuit Joannes dignus , ex ipsâ naturæ suæ conditione : hanc enim infinitis perfectionis partibus superat natura Christi. Siquidem universa mortalium natura , cum Dei majestate comparata , quasi stilla situlæ et quasi momentum stateræ reputatur (Isa. 40, v. 15), et sanctissimus quisque quasi pulvis et cinis, Gen. 18, v. 27.

Corrigiam , lingulam seu vinculum scorteum. *Solvere corrigiam calceamentorum ejus ;* id est, excalceare eum, à parte totum : solvenda enim sunt calceamenta antequàm extrahi possint. Sententia idem unum est hoc, cum eo quod Matthæus dicit *calceamenta portare :* nec dubium est quin Joannes, ut sæpiùs istud repetivit, nunc his nunc illis verbis fuerit usus. Ne putetis, inquit, quod dixi, *fortior me est,* comparationis me id more dixisse, quam nullam volo intelligi : tantò ille est me modis omnibus superior, ut ego, quem vos aliquid esse creditis, quem vos suspicitis, illi collatus, infirmus adeòque nihil sim , prorsùs indignus inter servos ejus numerari, etiam servos extremos. Cùm ad summam illam ejus dignitatem , summamque divinæ naturæ ipsius præstantiam, mentis oculos conjicio , indignum me planè sentio , qui vel infimi ministri locum apud illum obtineam, et vel vilissimam partem in illius mihi ministerio vindicem. Nulla enim ministerii pars vilior quàm à calceamentis alicui esse : calceorum alicujus curam gerere, dominum illos nunc induere, nunc exuere, illos mundare, reponere , reddere, mutare, pro domini libitu, eoque foràs prodeunte portare, si illos ponere aliquando loci sacri aliâve causâ, aut alios aliis mutare velit. Videri possit proverbiale fuisse hoc dicendi genus, ortum ex consuetudine Judæorum, qui sanctiorem aliquem locum ingressuri calceos ponere consueverant, advenientium etiam hospitum pedes lavare, regione nimirùm calidiore. Omninò autem hinc intelligitur, vulgarem inter Judæos tunc usum fuisse solearum ; quem Christus, haud dubium, ut cætera similia, est imitatus : vide Marc. 6. v. 9. Jam igitur quid humilius quàm solvere et portare soleas alicujus ? certè is, cui hoc ex conditione competit, infimo in ordine est, si cum illo comparetur cui solvit aut portat soleas. Atqui ille tantus est, inquit, ut ego non possim cum illo vel in hoc gradu comparari, sive naturam spectes , sive virtutem et fortitudinem. Magnus Joannes ad magnam provocat de Christo concipiendam opinionem , majoremque quàm de homine haberi possit : qui ipse celebratus inter natos mulierum maximus , Matth. 11 , v. 11, inferiorem se fatetur quàm qui apud Christum mancipium agat ; neque enim præter veritatem humilis aut fuit, aut esse potuit. Vehemens itaque *tapinosis,* quâ mirum in modum se abjecit, ob quam vicissim mirum in modum elevatus est, juxta maximam : *Qui se humiliat exaltabitur.* Quin et affert Joannes hujus ex ipsis evidentem rebus probationem : Vultis, ait, cognoscere rationem virtutis meæ cum illius virtute collatam ?

Ejus, Latinè superfluum. Ipse, vel per se solum, vel adhibito ministerio servorum suorum, vos, animas vestras,

Baptizabit, perfundet. *Ipsa metaphora dictionis* baptizabit inquit Chrysostomus, *gratiæ exprimit largitatem.*

In Spiritu sancto, id est, Spiritu sancto (præpositio *in* Latinis est superflua) ; Spiritu sancto in vos infuso. Per Spiritum sanctum autem intellige dona Spiritûs sancti. Vos, inquit, ex rebus visibilibus me æstimatis ; at longè nobiliora sunt quæ non videntur. Non ille uti ego corpora vestra solâ aquâ, sed animas vestras Spiritu sancto tinget, nec uti ego , ad pœnitentiam duntaxat provocabit peccatorem , sed et à peccatis mundabit, ac donis cœlestibus imbuet. Effundet in vos, in morem aquæ, largiter et copiosè, Spiritum sanctum, qui fons est donorum omnium , remissionis peccatorum , regenerationis , renovationis , justificationis , adoptionis, juris hæreditatis cœlestis (omnia hæc comprehendit). Quanta igitur differentia est inter corpus et animam, inter aquam et Spiritum sanctum, inter imaginem et veritatem, inter apparatum et rem ipsam ; tanta est differentia inter baptismum ipsius et baptismum meum, tantò est baptismus ipsius efficacior meo. Respicit autem hæc Baptistæ promissio : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto ,* primùm ad visibilem Spiritûs santi, in apostolos et eos qui cum eis erant ipso Pentecostes die, atque in plures deinde credentes, effusionem : ipse enim Salvator, dùm hanc promittit , alludens ad hæc ipsa Joannis verba, ait Act. 1, v. 5 : *Joannes quidem baptizavit vos aquâ ; vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Deinde verò respicit et ad invisibilem Spiritûs sancti largitionem, tum per baptismum, tum per baptismi τελείωσιν, impositionem manuum sive confirmationem. Idcircò enim visibiliter aliquando Spiritum sanctum Christus dedit ut de invisibili per sacramenta largitione redderet certos.

Et igni, qui est ignis seu igni similis , purgans et inflammans. *Ignis commemoratione adjunctâ ,* inquit Chrysostomus, *Spiritûs sancti efficacitatem signavit , gratiæ ipsius vehemens atque invictum ;* quasi diceret : Effundet in vos abundè, sive per se, sive per ea quæ instituet sacramenta, Spiritum sanctum : cujus non otiosa erit in vobis mansio , verùm adeò efficax , ut instar ignis, sordes vestrorum consumat peccatorum, animorum dispellat tenebras, charitate, quâ virtutem Deique gloriam prosequamini, eâ accendat, quam nulla afflictionum acerbitas superare queat, denique totos in

se transformet ac sursùm rapiat. Hujusmodi enim sunt ignis proprietates, consumere, illuminare, inflammare, omnia in se transformare ac sursùm rapere : propter quas ipso die Pentecostes, in specie ignis Spiritus datus est : ad quod et respexit Baptista prophetiæ dono auctus.

Vers. 17. — Cujus. Prædicavit Christum Salvatorem et Spiritûs sancti donatorem, quod ad primum ejus adventum pertinet; jam et judicem prædicat, quod ad secundum; ut, qui promissis non pelliciantur, terrore compellantur; nec torpeant, tanquàm omnibus salvis, qui semel Spiritu sancto baptizati fuerint. Et hæc fuit Judæis nova doctrina, de futuro Christi judicio; non minùs quàm illa de regno cœlorum et gehennâ ignis. Paulatim aperit Joannes mysteria omnia Evangelii, ut etiam mox Spiritûs sancti rationem : nam quamvis Spiritus sanctus notus esset Judæis eo tempore, cujus frequens est mentio in veteribus Scripturis, non tamen ut tertia in divinis persona, distincta à Patre et Filio.

Ventilabrum, πτύον, vannus, vel, uti legit B. Augustinus in Psalmum 92, *pala*, instrumentum est, quo frumenta, ad ventum ventilata quassataque, à paleis expurgantur, à πτύει dictum, quòd veluti exspuat ea quæ sunt inutilia. Eo significatur extremum Christi judicium, quod malos secernet à bonis, non tantùm meritis, uti in hâc vita secernuntur, sed manifestè et loco et præmio : quemadmodùm dùm frumenta vannis ventilantur, plena à vacuis, ab inanibus fructuosa, quodam auræ spirantis examine separantur.

In manu ejus. Sensus verborum est : Qui tenet ventilabrum suum manu suâ. Significatur autem hâc parte, Christum, vel judicandi potestatem, à Patre accepisse, (juxta illud Joan. 5, v. 22 et 27 : *Pater omne judicium dedit Filio, et potestatem dedit ei et judicium facere*) vel paratum ad dijudicandum peccataque ulciscendum esse; in propinquo esse ipsius judicium, uti propinqua est separatio palearum à tritico, ubi agricola ventilabrum in manus accepit; juxta illud quod mox antecessit : *Jam securis ad radicem arborum posita est.*

Purgabit, ad verbum, *perpurgabit*, seu *permundabit*, ut vertit apud Matth. : exactè mundabit. Frequenter, imò verò semper, aream suam Christus mundat, dùm nunc aufert ex areâ impios, nunc ad justitiam illos adducit, ac sensim justos ipsos perficit (*Omnem palmitem in me*, loquitur Joan. 15, v. 2, *non ferentem fructum, tollet eum* (Pater), *et omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus adferat*); at in seculi consummatione permundabit, dùm nullum relinquet inter bonos malum, nec aliquid in bonis mali, sed *exhibet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi*, ut Apostolus ait ad Ephes. 5, v. 27.

Aream suam. Area ea est in quam frumentum, ita ut demessum est, ex agro convenitur, quod deinde in areâ, ex aristis, plaustris aut flagellis excutitur; tandem verò ventilabris à paleis secernitur. Porrò quod ait, *permundabit aream suam*, synecdoche est, continentis pro contento : areæ pro eo quod in aream congestum est; *aream suam*, id est, cœtum in se credentium quem congregaverit, tum per se, tum per ministros suos; Ecclesiam, in quâ permixti sunt bonis mali. Utitur hoc loco contra Donatistas Augustinus, cap. 10 libri post Collationem.

Congregabit, coget, colliget, nihil sinet perire tritici.

Triticum suum, eos qui fuerint humilitate parvi, animi sinceritate candidi, freti virtutibus, solidi pietate, et constantiâ ac perseverantiâ graves; hujusmodi enim sunt triticum Christi, cibus sunt quo pascitur Christus. Quare martyr Ignatius de se, dùm ad bestias condemnatus esset : *Frumentum*, aiebat, *Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Hier. in Catal. script. eccles.

In horreum, in repositorium, in regnum cœlorum, in quo, à paleis separati tuti perpetuò et felices agent.

Suum, scilicet vel judicis vel tritici.

Paleas autem. Græcè *paleam autem* : singulare collectivè acceptum pro plurali, more Hebraico. Paleæ in Ecclesiâ ii sunt, qui specie religionis nitidi, inanes sunt virtutibus, steriles bonorum operum, et iniquitatum cupiditatumque malarum ventis facilè abripiuntur, qui ex eâ sunt radice oriundi ex quâ triticum, ejusdem Ecclesiæ communione gaudent, eamdem profitentur fidem, iisdem imbuuntur Sacramentis, sed carent medullâ justitiæ. Porrò autem (id quod hinc sequitur) si paleas igni adjudicabit, quantò magis zizania? si domesticos, quantò magis alienos? Sub paleis fortassè comprehendit, quidquid illud est, quod cum grano tritici natum, à grano secernitur atque abjicitur, ut culmos et spicas, quanquàm non ad hæc segreganda, opus sit ventilabris, sed ad hoc ut exactè mundetur area, à subtilioribus paleis.

Comburet, affliget. Is erat regionis illius mos, paleas in ignem abjicere et comburere.

Igni, vero eoque corporeo igni, id quod B. Augustinus docet libri 21 de Civitate Dei cap. 9 et 10.

Inexstinguibili, inexstincto, hoc est æterno : plus significatur quàm vox sonet; igni, qui non tantùm exstingui non potest, verùm nec exstinguat unquàm, sed perpetuò urat et affligat quos semel acceperit. Exstingui non potest quia fomentis opus non habet ut alatur, sed per se subsistit, æternùmque durat, Deo faciente; non exstinguit verò, Deo ita actionem illius temperante, ut quamvis acerrimè adurat, crucietque extremè, neque cesset unquàm in eos agere quos aliquando acceperit, nunquàm tamen absumat. « Nonne cernis solem istum, inquit Chrysostomus in « hunc locum, semper ardentem et nunquàm prorsùs extinctum? Non legisti incensum rubum, nec « tamen ipso incendio concrematum? » « Jam satis superiùs disputavi, ait Augustinus, posse animalia « etiam in ignibus vivere, in ustione sine consumptione, « in dolore sine morte, per miraculum omnipotentissimi « Creatoris, cui hoc possibile esse qui negat, à quo fit « quidquid in naturis omnibus miratur, ignorat. » Ita-

que inexstinguibilem intelligit ignem, non in se tantùm, sed et in iis qui illi adjudicantur, hoc est, æternò absque cessatione illos cruciantem; simili enim ferè modo dicimus ad perpetuos quempiam carceres esse damnatum. Quare hoc loco refellitur eorum hæresis, qui docuerunt reproborum pœnam non esse perpetuam. Videri autem potest allusisse Joannes, ad illud quod de prævaricatoribus Isaias ait, cap. 66, v. 24, citatque Servator Marc. 9, v. 44, 46, 48: *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur.*

Vers. 18. — Et alia, præter ea quæ hactenùs retuli.

Exhortans, inter exhortandum ad pœnitentiam vitæ prioris et ad fidem in Jesum, Act. 19, v. 4.

Evangelizabat, annuntiabat Evangelii mysteria. Quædam alia refert Joannes Evangelista, cap. 1 et 3. Pleraque Christiani Evangelii mysteria cœpit Joannes aperire, quæ Christus subsequens perfectè enarravit.

Vers. 19. — Tetrarcha, vide supra, v. 1.

Herodiade, illius adulteræ incestæque mulieris, cujus turpi amore tenebatur, tum causâ, tum impulsu. Herodias nomen est patronymicum, vel certè diminutivum, impositum ab Herode Ascalonitâ (verisimile est) huic nepti suæ ex filio Aristobulo, ut scribit Josephus, lib. Antiquitat. Jud. 18, cap. 7.

Fratris sui, Philippi additur Syriacè, et à quibusdam libris etiam Græcè, id quod apud Marcum constanter ab omnibus legitur. Nupserat illa Philippo tetrarchæ Iturææ et Trachonitidis, de quo supra, v. 1, cujus mansuetudine abusus Herodes (erat enim vir perpetuò modestus, et amator quietis ac otii, quod Josephus scribit ejus libri qui supra, cap. 6) ausus est apud illam de impetrando illius conjugio mentionem facere. Quâ assentiente, convenit inter eos, ut quamprimùm Herodes Româ reverteretur quò jam iter instituebat, illa migraret in ipsius domicilium, ipsique jungeretur incestis nuptiis, repudiatâ Arethæ Regis Petræ filiâ quam ipse antea duxerat. Ita Josephus, cap. 7, quanquàm loco Philippi Herodem alterum incognitum illum ponat, de quo vide Marc. 6, v. 17. *Fratris sui*, germani, non uterini; Herodes enim hic ex Malthace Samaritide; Philippus ex Cleopatrâ Jerosolymitide natus est, eodem iterùm teste Josepho. Josephus ait uxorem fuisse Herodis alterius, filii ejusdem patris Herodis Magni, ex Mariamne Simonis Pontificis filiâ; sed fallitur procul dubio. Nam et evangelistarum tempore non modò recens erat sceleris hujus memoria, verùm etiam ante omnium oculos versabatur.

Joannes qui nemini parcebat nec ipsis Pharisæis, Herodem corripiebat: Illa tui fratris adhuc etiam viventis (obiit enim demùm Philippus vigesimo anno Tiberii Cæsariis), uxor est, atque ex eo mater, illo adhæc invito tibi adhærens. Adulterio et incestui raptum jungis, legis Dei pluribus modis transgressor. Pudorem Baptista conabatur incutere ut ad pœnitentiam provocaret. Sed licèt facilè crederet meretricis illecebris irretitum à proposito non revocandum, tamen quia publicum erat scelus atque adeò turpe, non putavit sibi dissimulandum, quantùmvis molestus esset et ingratus monitor. Libera igitur cùm esset prophetæ objurgatio, et publica infamisque facti ipsius atrocitas, peccatum autem corrigere libido non sineret, non frustra timebat Herodes, ne qua repente populi seditio adversùs ipsum moveretur (accurrebant enim ad Joannem et Galilæi et Peræi), præter hoc quòd increpationem non ferret. Noverat Herodes Joannem apud populum esse vehementer gratiosum, quòd et complures haberet discipulos, et baptizâsset permultos, et à plerisque crederetur Messias; à nemine certè non haberetur vir sanctimoniæ singularis et propheta à Deo missus, cui contradicere non liceret. Quam ob causam vincit prophetam conjicitque in carcerem, ut dicitur versu sequenti, illo vincto tranquillam sibi licentiam promittens. Hæc prima ac præcipua Herodi causa fuit in carcerem mittendi Joannis; fuit et alia quam Pharisæi urgebant, à quibus Joannes Herodi traditus fuit, quæ non tam movit Herodem, quàm ipsi serviit velaminis loco, de quâ Matth. 4, v. 12. Hìc itaque clarè cernimus, quale fidos et cordatos veritatis prædicatores præmium in mundo maneat, præsertim ubi vitia coarguunt. Vix enim centesimus quisque hominum correptionem admittit, multòque minùs tyranni, quibus nihil acerbius est quàm in ordinem cogi.

At totius negotii architectrix, et mali artifex ac fons exultat Herodias voti sui compos facta, et linguam veriloquam discriminali acu confodit, denique crudelem triumphum de suo censore agit; sed postea, illa simul et Herodes, suis opibus exuti, nec regni tantùm honore, sed et natali solo ac subsidiis omnibus privati, perpetuo apud Lugdunum, Galliæ urbem, damnati exilio, suave bonis omnibus à justo Dei judicio profectum spectaculum præbuêre; narrat Josephus, lib. 18 Antiq. Judaic. c. 9.

Malis, sceleribus, flagitiis.

Quæ fecit, adversùs publicam justitiam et privatæ honestatis exemplum. Matthæus et Marcus non meminerunt, nisi de adulterio incestuoso, Herodem à Joanne correptum, ut cujus occasione Joanni Herodias machinata sit mortem, quam illi narrare instituerant; Lucas verò et de aliis pluribus criminibus reprehensum fuisse testatur; quæ etsi non perinde nota sint, fuisse tamen Herodem hunc, vafrum impiumque tyrannum, tum ex verbis Salvatoris infra 13, v. 32, tum ex eo quod à Caio imperatore tetrarchiâ privatus et perpetuo exilio mulctatus sit, satis evadit manifestum. Porrò in Joanne ad nullum Herodianorum vitiorum connivente, refulget insigne constantiæ exemplum, quâ præditos esse convenit doctores omnes, ne magnorum ac potentium vitia quæcumque aut palpent aut dissimulent, imò ne vereantur, quoties ita necessitas tulerit, illorum in se provocare ferociam.

Herodes. Antecedens loco relativi, Hebraico dicendi genere.

Vers. 20. — Adjecit, satis superque scelerum pondere prægravatus, ut nefandum hoc facinus non adjecisset.

Et, pro, *quòd*.

Inclusit, ita nimirùm, præter injuriam viro sancto illatam, impedivit cursum, quantùm in se fuit, prædicationis illius, et ministerii omni populo utilissimi; adhæc intercepit consilium et reprehensionem, quæ via ipsi esse poterat ad pœnitentiam. Significatur itaque, tunc desperatam esse malitiam et ad summum venisse cumulum, cùm remediis irascitur peccator; nec tantùm correptionem repudiat, sed et de monitore quoque suo hostilem vindictam sumit. Vide quæ diximus versu præcedenti.

Vers. 21. — Factum est. Accidit opportuno tempore ante Joannis carcerem.

Cum baptizaretur à Joanne.

Omnis populus, populus Judaicus magno numero se offerens.

Et Jesu baptizato, et Jesus baptizatus esset et oraret, ut *apertum* fuerit *cœlum;* sic poterat interpres commutare infinitivum et participia cum verbis finiti modi, sensu clariore, quemadmodùm cœperat in versiculi initio. Syrus, pro, *et Jesu baptizato,* reddit, orationem absolvens, *etiam Jesus baptizatus est,* inter reliquos, scilicet, offerens se tanquàm unum è plebe, inter peccatores, publicanos, meretrices, milites, etc., nihil fastidiens commune cum hominum vulgo lavacrum.

Et orante. Syrus: *Et dùm oraret, apertum est cœlum.* Baptizatus Jesus oravit in ripâ fluminis Patrem, compositis genibus et sublatis in cœlum oculis ac manibus, pro felici successu ardui illius negotii evangelici quod aggrediebatur, quod ut auspicatius foret, rogavit, verisimile est, ut fieret à Patre ea quæ hìc sequitur suî declaratio et commendatio. Quamvis enim sciret Patri statutum esse hanc edere, quia tamen agnoscebat sibi ut homini non esse debitam, sed gratiam esse, voluit eam et supplici oratione mereri, et humili reverentiâ excipere, docens interim, baptizatis non otiosè vivendum, sed instandum esse orationi, quia etsi peccata sunt omnia baptismo laxata, nondùm tamen est carnis fragilitas solidata.

Apertum est, ad verbum, *aperiri.* Apertum est non imaginariè, sed reverà, ut videret ipse Jesus è cœlis sibi afferri auctoritatis testimonium, et Evangelii prædicandi delegationem, simul ut manifestaretur Joanni, et honore ac gloriâ celebraretur, qui sese ipse eò dejecerat, ut non dedignaretur cum peccatoribus servi manibus baptizari; denique, ut ad aggrediendum Evangelii et redemptionis humanæ negotium, quod non absque difficultate et afflictione variâ perfecturus erat, animum acciperet, à Patre amari et honorari se animadvertens.

Cœlum, cœlis proxima aeris aut ignis regio (nam hæ cœli frequenter nomen accipiunt) non enim necesse est ipsos summos cœlos intelligere, quos, cùm corruptioni haud subjaceant, credibile non est Deum, contra eam quam illis indidit naturam, diffidisse; cùm elementi aeris aut ignis diffissio ad hoc sufficeret, ut intelligeretur è cœlis proficisci, eam quæ videbatur columbæ speciem, et quæ audiebatur vocem; idcircò enim hoc factum fuit. Formatus itaque, in supremâ aeris ignisvé regione, profundus hiatus fuit, prodigiosâ luce coruscus, Jesu et Joannis oculis conspicuus.

Vers. 22. — Descendit ex intimo apertorum cœlorum recessu. Non ipse Spiritus qui ubique est repletque orbem terrarum (Sap. 1, v. 7), sed columbæ species quæ apparuit, descendit, *ut,* inquit Augustinus, *exterioribus visis corda commota, à temporali manifestatione venientis, ad occultam æternitatem semper præsentis converterentur* (libri 2 de Trinit. cap. 5), et intelligerent singularem hìc ipsius præsentiam per gratiam, qui ubique est per naturam.

Spiritus sanctus, spiritus qui à Deo procedit vivificus, Spiritus sanctus qui à Deo emanat. Hìc oritur quæstio an Jesus aut Joannes vidit descendentem Spiritum; nam in Matthæo, cap. 3, v. 16, post verbum, *vidit,* quidam subaudiunt Jesus, quidam Joannes. Jesus enim potiùs ut subaudiatur, requirit verborum syntaxis; ut verò Joannes, obvia ratio, quippe cui declarandus fuerit Christus, non Christus ipse sibi. Ego ancipitem esse locum existimo, ut utrumvis vel etiam utrumque subaudias, quemadmodùm fecêre Glossæ interlinealis auctor et Richelius. Jesus enim vidisse refertur, ut certum eum prorsùs factum intelligas suî à Deo ad evangelizandi munus missionis et unctionis; ne temerè eum eò prosiliisse crederes, quò nemo nisi evidenti acceptâ delegatione audere debet prorumpere. *Nec quisquam* (inquit Apostolus Hebr. 5, v. 4, 5) *sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron. Sic et Christus non seipsum clarificavit,* etc. Joannes autem vidit, ut satisfieret divino promisso; hoc enim ei à Deo promissum fuerat visibile signum agnoscendi Christi, quod et à se testatur acceptum, Joan. 1, v. 32, 33: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Itaque et Jesus et Joannes ex apertis cœlis viderunt Spiritum sanctum columbæ specie, simul et audierunt Dei Patris vocem (hæc enim duo eòdem pertinuerunt); sed an cætera hominum præsentium multitudo hæc eadem viderit et audierit, res est incerta, nominatim auctori libri de duplici Martyrio, Cypriano adscripti. Scriptura nihil hâc de re dicit; si tamen diligenter expendatur, favet parti neganti, in quam propendent Dionysius Richelius et Thomas Cajetanus. Volens enim Joannes Baptista testimonium perhibere de Jesu: *Vidi,* inquit Joan. 1, v. 32, *Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum.* Quòd si præter ipsum viderant illud præsentes omnes, vel non erat ipsi apud eos qui et ipsi viderant res ista producenda, vel si erant alii, dicendum ipsi fuerat, non *vidi,* sed *vidimus* ego et populus omnis

præsens; fuisset enim testimonium multò irrefragabilius, quippe publicum. Deinde, si præsentes omnes viderunt columbam, et audierunt vocem cœlestem, credere par est inprimis Joannis discipulos, qui præceptori indivulsè adhærebant. Atqui, cùm laboraret Joannes in discipulis suis docendis incomparabilem Jesu præ se excellentiam, et à se ad Christum transferendis, inculcat eis constans testimonium suum (Joan. 3, v. 28), nequaquàm hanc visionem, quæ maximè fuisset inculcanda, ut clarissimum è cœlis Jesu allatum testimonium, si illius spectatores fuissent. Adhæc, non consuevit Deus mysteria illa summa et incomprehensibilia, quale est istud inprimis SS. Trinitatis, ab ipso mox initio, semel, integrè, nec paulatim, aperire promiscuo vulgo, imò ne discipulis quidem familiaribus; triennio enim propemodùm formaverat discipulos suos Jesus, cùm simile in monte spectaculum ipsis exhiberet, et nec ipsis omnibus, sed solis tribus ex ipsorum numero, additâ etiam prohibitione ne cui illud ipsi revelarent ante resurrectionem suam, infra 17, v. 1, 9. Cæterùm etsi solis Jesu et Joanni visio ista exhibita concedatur (certè vox Patris non hìc addit quod infra 17, v. 5, *ipsum audite,* quod nec addi permittit secunda persona quâ utuntur posteriores evangelistæ) non tamen ipsis solis servivit, sed servivit et aliis, quibus eam ipsi, et ex ipsis alii aliis, congruo tempore ac modo revelare debuerunt; quemadmodùm Baptista fecit, et ex eo evangelista, Joan. 1, v. 32 et 34 : *Et testimonium perhibuit Joannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo et mansit super eum. Et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.*

Sicut columba, non id est, descendit in morem columbæ, sed, *corporali specie sicut columba;* specie, similitudine, figurâ columbæ, ipsum repræsentantis, præsentemque ostendentis. Sic Actorum 2, v. 3, apparuerunt *dispertitæ linguæ tanquàm ignis,* id est, specie, figurâ linguarum ignearum Spiritus sanctus apparuit. Porrò, ut non verus illìc ignis, sed ignis similitudo, ita nec vera hìc columba, sed columbæ similitudo; id quod B. Ambrosius docet in præfatione tertii libri de Spiritu sancto; nec ab eâ sententiâ abhorret Augustinus, epistolâ 102, quanquàm alibi aliud sentiat. Corpus simile corpori columbæ, ex elementari materiâ repentè formatum fuit et motum, angelico ministerio aut divinâ alioqui virtute; quod, peractâ significatione præsentiæ Spiritûs sancti, in præjacentem materiam reversum, esse desiit. Propterea autem corporea species sive similitudo apparuit, ut eo signo, Spiritûs sancti naturâ invisibilis, præsentia, ipsis oculis Jesu et Joannis monstraretur; columbæ autem idcircò, ut, Spiritûs sancti, qui adesse signabatur, Christique, qui Spiritu sancto unctus docebatur, proprietates exprimerentur. Columba animal est fœcundum, homini amicum, mansuetum, gratiosum, et bono gaudens odore: et Spiritus sanctus delectatur mundis hominum mentibus, atque iis maximè quas commendet odoriferarum virtutum gratia; benignus, liberalis, munificus est, cœlestium charismatum dives elargitor. Columba candida est, mitis, innocens, simplex, salutaris, miro affectu prosequens pullos suos. Hæc in Christum dilucidè conveniunt, ut ne metuamus ad ipsum accedere, qui non formidabili Spiritûs potentiâ, sed amabili et placidâ gratiâ indutus nobis occurrit.

In ipsum, Jesum; insidens in sacro Jesu capite. Græcè est pronomen non reciprocum, αὐτόν, sed ut sæpè illud loco reciproci positum legitur, ita anceps esse malim intelligi, ut, et Christo et Joanni, quemadmodùm diximus, columbam visam queas exponere. Certè quod hìc vertit interpres *in ipsum,* secundùm Matthæum vertit *super se,* secundùm Marcum, *in ipso* seu *super ipsum,* Græco sermone utrobique dicente ἐπ' αὐτόν. Jam quod subsidit in Christo, columbæ Spiritum sanctum repræsentantis species, non fit virtute baptismi Joannis, tanquàm illo daretur Spiritus sanctus (nam ut id accidit post baptismum, Jesu ex aquis egresso, ita reliquis à Joanne baptizatis haud acciderat) nec ideò fit, ut monstretur impleri Jesum Spiritu sancto (cui à primo assumptæ hominum naturæ momento non ad mensuram Spiritum Pater dederat), sed ut ostendatur Spiritu sancto plenus esse. Cùm enim hactenùs se domi tanquàm privatus homo continuisset, nunc cùm producendus est à Patre ad præstandum Redemptoris munus, hujusmodi signo declarat eum Pater messiam illum esse, quem olim ipse promiserat, unctum affatim omnibus Spiritûs sancti dotibus, ad evangelizandum pauperibus, medendum contritis corde, prædicandum captivis indulgentiam, etc., Isa. 61, v.1, 2, 3. Nec solum ipsum esse Spiritu sancto plenum abundèque unctum, sed et de plenitudine suâ alios uncturum adeòque baptizaturum Spiritu sancto. Sic enim interpretatus est signum istud ipse Pater, qui Baptistæ illud promiserat: Joan. 1, v. 33 : *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Ut enim olim cùm universum aliquando orbem naufragium commune mersisset, et omne prorsùs hominum genus in periculum exterminii adductum esset, apparuit Noemo columba, finem tempestatis illius ostendens, atque, ore allato olivæ ramusculo, tranquillitatem mundo redditam nuntians (Gen. 8, v. 11), ita modò Spiritus sanctus Joanni apparuit columbæ specie, humani generis è malis omnibus liberatorem monstrans, et Dei per eum gratiam orbi oblatam annuntians. Denique subsidit in sacrum Jesu verticem Spiritus sanctus, ut tanquàm Dei digitus extensus (vocavit Christus Spiritum sanctum Dei digitum Matth. 12, v. 28) monstret certò, in quem proxima Dei è cœlis vox feratur.

Vers. 17.—Et vox. Ecce rem aliam non minùs stupendam. Interea dùm insideret Spiritus Dei columbæ specie in capite Jesu, magnifica *vox* lapsa est *de,* ex, apertis coruscisque *cœlis,* Deum Patrem repræsentans loquentem. Unde columba venerat oculis conspicua, inde venit et vox auribus insonans; neque enim, aut sine voce columba, aut sine columbâ vox, Christum

certò demonstrâsset; columba absque voce, non intellectum fuisset quid sibi vellet; vox absque columbâ, in incertum lata fuisset. Cæterùm cùm Pater nec audiri possit, nec conspici, aut ullo corporis sensu percipi, *vox hæc cœlitùs delata, non Patris propria exstitit,* sed, quod ait Victor Antiochenus, *in Patris personâ, per angelorum ministerium efformata fuit.* Aptè autem per vocem Pater innotuit: ipse enim ineffabilis Verbi, quod eum orbi notum reddidit, genitor est. Atque hunc oracula reddendi modum, voce è cœlis missâ, servavit Pater dùm ejus Filius in terrâ versaretur, Matth. 17, v. 5, Joan. 12, v. 28. Hìc jam cœptum est SS. Trinitatis mysterium clarè aperiri, quod Christi deinceps prædicatione divulgandum, *nulli unquàm patriarcharum aut prophetarum,* ait Richelius, *tam apertè ac distinctè revelatum fuerat, quàm hìc Joanni,* Patre apparente in voce, Filio in carne, Spiritu sancto in specie columbæ, quanquàm diversimodè: nec enim ita vox et columba unitæ fuerunt Patri et Spiritui sancto, quemadmodùm caro Filio. Fuit quidem totius Trinitatis effectus tam vox quàm columba; sed columba solùm repræsentavit Spiritum sanctum, vox solum Patrem, ut et solius Patris est dicere: *Tu es Filius meus.* Magnus itaque Joannes, cui se baptizandum credit Filius, se videndum invisibilis exhibet Spiritus, suum de cœlo Filium commendat Pater.

Tu, homo Jesus, quem emisso Spiritu meo demonstro: quem hactenùs promisi, jam præsentem exhibeo. Pater dùm à Filio honoratur oratione, Filium vicissim honorat responso è cœlis dato.

Filius meus, ille Filius meus, « non adoptivus sed « proprius, non aliunde creatus, sed ex me genitus, « nec de aliâ naturâ mihi factus comparabilis, sed de « meâ essentiâ mihi natus æqualis. Hìc est Filius « meus, quem à me non separat deitas, non dividit po- « testas, non discernit æternitas; qui eam quam me- « cum habet æqualitatem, non rapinâ appetiit nec « usurpatione præsumpsit, sed manens in formâ glo- « riæ meæ, ut ad reparandum genus humanum, exse- « queretur commune consilium, usque ad formam « servilem inclinavit incommutabilem deitatem. » Hæc ferè D. Leo, sermone de Transfiguratione. Tu es ille Filius meus, olim à me promissus, Rex, Sacerdos et Doctor, Psal. 2, v. 6, 7; Psal. 109, v. 3, 4.

Dilectus. Marc. 9, v. 7, vertit *charissimus;* non enim participium est, sed nomen, vox cujus usus est Græcè, ὁ ἀγαπητὸς, ille dilectus (repetitur articulus magnâ emphasi), multi dilecti, ille unicè dilectus tanquàm unigenitus. Cùm enim quis unum solum possidet filium, maximè eum diligit; si verò pater factus sit plurium, dispartitus affectus remittitur, ait veterum quidam. Alii ergo filii, solummodò quia dilecti; hic dilectus, quia filius.

In te, non in alio, quicumque ille sit, nisi per hunc.

Complacui mihi. Explicat dilecti rationem. Græcè non additur *mihi.* In te complacui, in te beneplacitum est mihi, in te acquievit animus meus. Phrasis est sacris litteris peculiaris, ex Hebræo orta. Græci enim interpretes, Hebræum *rasa* cum præpositione constructum, ad hunc verterunt modum, usi voce εὐδοκεῖν, quâ propensum animum ac præcipuum quemdam erga alium affectum, expressum voluerunt, Psal. 146, v. 10, 11; Psal. 149, v. 4. Sensus itaque est: Mihi solus et singulariter places (est enim præteritum pro præsenti) et in te nihil mihi displicet; ideòque me oblecto te unicè, et singulari te amoris affectu prosequor, in teque acquiesco, ita ut gratissimum mihi futurum sit quidquid per te agetur, per te denique ego erga alios placari, aliique mihi placere poterunt, per quem, inquam, ego mundo reconciliari decrevi. Innuit enim sic in Christo acquiescere Dei amorem, ut sese ab eo ad alios diffundat, eumque intuens iram omnem offensionemque erga alios ponat, illum aliis omnibus opponens, et non tantùm charissimum Filium suum esse, verùm etiam quorsùm eum mittat declarans. Patri Filius singulariter præ omnibus placet, quippe Patri per omnia similis, et secundùm divinam naturam, *quâ splendor gloriæ et figura substantiæ ejus est* (Hebr. 1, v. 3), et secundùm humanam, quâ ab omni peccati labe alienissimus, virtutum charismatumque splendore ornatissimus, denique Deo ita unitus est, ut non alius æquè aut sit aut esse possit. Quin et solus Patri Filius placet, ita ut nemo nisi per eum propterque eum placeat, in quo uno Pater constituit nostram omnium salutem. Quocirca Patres hanc Dei vocem opponunt veteri illi: *Pœnitet me fecisse hominem* (Gen. 6, v. 7), nam non ampliùs se pœnitere declarat creati hominis Deus, postquàm in homine Christo se usque adeò sibi complacere testatur; nec enim fieri potest, quin cùm illum intuetur, omnem adversùs homines conceptam indignationem deponat. Videri possit hâc Patris voce respectum fuisse ad Isaiæ locum cap. 42, v. 1: *Ecce servus meus, suscipiam eum,* etc., qui hùc apprimè spectat. Baptista denique ad hanc vocem auditam alludere videtur, dum ait Joan. 1, v. 34: *Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Porrò his omnibus exornatum et consecratum fuit baptisma Jesu, tanquàm exordium muneris ejus, ut jam in publicum prodeunti auctoritas apud populum per Joannem conciliaretur. *Incipiens enim Jesus à baptismate Joannis* (quod ait Petrus, Act. 1, v. 2), obivit illud ad quod à Patre missus fuerat negotium, sermone prædicandi et reipsâ exhibendi Evangelii. Quare significatum hìc est, mox aperienda Jesu doctrinâ secreta cœlestia, et, baptismi quem daturus esset virtute, adducendos eos qui in ipsum credituri essent in regnum cœlorum, adoptatos in filios et Spiritu sancto donatos. Omnia enim quæ Christo à Joanne baptizato acciderunt visibiliter, fidelibus baptismo Christi baptizatis contingunt invisibiliter. Verè enim ad invocationem sacræ Trinitatis (nam et complet Trinitatis sacramentum lavacrum Christi) adest ipsa Trinitas, aperit iis qui baptizantur cœlos, largitur Spiritum sanctum, formatque Dei filios, id est, ablatis peccatis, donat Spiritu adoptionis filiorum, pignore cœlestis hæreditatis; si tamen co-

lumbinam afferant, dolo ac fictione carentem, simplicitatem, *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*, Sapientiæ 1, v. 5.

VERS. 23. — ET, id est, tunc, eo tempore.

ERAT INCIPIENS, id est, incipiebat, scilicet esse, Syrus omittit τὸ *incipiens*.

QUASI, circiter, plùs minùs.

ANNORUM TRIGINTA; *filius* additur à Syro. *Christus*, inquit Titus episcopus in hunc locum, *triginta plùs minùs annos natus accedit ad baptisma*. Jam dies tredecim erant quòd absolverat annum ætatis tricesimum, quod habet sententia verisimilior, incipiebat itaque recenter tricesimus primus; quare rectè evangelista, incipiebat esse circiter seu plùs minùs triginta annorum; nam exactis triginta annis aut æquè aut paulò minùs aut paulò plùs, tum demùm verè incipiebat dici esse triginta annorum. Jesus quando primùm notus populo publico Joannis testimonio, et commendatus Patris cœlitùs delapsâ voce, ad docendum prædicandumque Evangelium et procurandam salutem nostram se accinxit, tunc absolverat annum tricesimum; hæc est enim ætas virilis perfectissima, ad quævis viro digna opera apta, nullum relinquens illi calumniæ locum, quæ adolescentiam facilè contemnat. Ante hanc ætatem nemini sacerdotis, doctoris aut prophetæ officio fungi licebat, ut et Hebræi tradunt, et ex. 1 Paral. 23, v. 3, colligitur. Quidam hoc modo distinguunt atque intelligunt hunc locum : *Et ipse Jesus erat quasi annorum triginta, incipiens*, seu cùm inciperet munus ad quod à Patre missus fuerat; nam Græcè postponitur vox, *incipiens*.

UT PUTABATUR FILIUS, Græcè *existens, ut putabatur, filius*, q. d., existens naturâ filius viri nomine Joseph, vulgi opinione et famâ publicâ, sed non reverà, eò quòd matris virginis naturâ filius esset, quod paulò ante docuimus. Alii illud, ὢν, *existens* præcedentibus jungunt, ita ut positum sit pro *esse;* interpres autem noster non expressit illud. Quia generis vitium apud vulgus multùm abrogat auctoritatis, curatum est ut Jesus tamdiù crederetur filius Joseph, donec miraculis ac prædicatione satis inclaruisset Evangelium; ne qua res interim imminueret auctoritatem prædicantis, si probabiliter dictus fuisset ex adulterio aut fornicatione natus, ut cujus ignotus esset pater.

QUI FUIT ELI, qui Joseph fuit filius Eli, uxoris scilicet ratione. Neque enim existimandus est evangelista, qui superioribus capitibus descripserat ortum Jesu ex Mariâ virgine, et genealogiam inchoaturus præfatus fuerat Jesum errore putatum fuisse Josephi filium, jam Josephi genealogiam condere, sed omninò Mariæ sub Josephi mariti nomine. Quidam vir doctus sic distinguit et interpretatur, *existens* (*quamvis putaretur filius Joseph*), *ipsius Eli*, scilicet, filius, matre scilicet mediâ. Hunc Eli, opinantur multi, fuisse patrem Mariæ, aliàs Eliacim, aliàs Joacim dictum : tria enim hæc idem unum esse nomen, unius ejusdemque etymologiæ, nisi quòd postremi compositionem ingrediatur pars nominis Dei tetragrammati; alterius verò nomen Dei vulgare *El;* primum autem à secundo compendii causâ decisum sit, *Eli,* inquam ab *Eliacim.* Ad quod probandum afferunt exempla duo, unum, quòd Pontifex maximus, qui Judith 4, v. 5, et 11, vocatur *Eliacim;* postea, cap. 15, v. 9, dicatur *Joacim,* juxta Latinam certè editionem, Græcè enim utrobique est *Joacim;* alterum quòd antepenultimus rex Juda, utrumque nomen habuerit : cùm enim *Eliacim* vocaretur, rex Ægypti vertit nomen ejus *Joacim,* quod legitur 4 Reg. 23, v. 34, et 2 Paral. 36, v. 4. Intelligunt igitur, Josephum dici filium Eli, pro eo quod est *generum,* quia maritus erat Mariæ, quæ, ut naturâ, filia, ita Joseph affinitate seu lege conjugii filius fuerit Eli; nam more loquendi recepto, soceri patres generorum, et generi filii dicuntur socerorum. Atqui propter ea, quæ alibi dicta sunt, præcipuè verò, quòd promissiones Davidi factas de gignendo ex se per Salomonem Christo, verisimile sit, impletas potiùs per lineam patris Mariæ, quàm per lineam matris; ego malim intelligere, hunc Eli avum fuisse B. Mariæ, patrem Annæ; et postquàm ab Evangelistâ Matthæo descripta esset genealogia Mariæ ex latere paterno, ex parte, inquam, patris Joacim; Lucam à B. Virgine admonitum, describere genealogiam ex materno latere, ex parte, inquam, matris Annæ; sed cùm Hebræis in usu non esset feminas in ordine generationis recensere, ac proinde non magis Anna hìc nominanda esset quàm Maria, primùm nominatum

VERS. 23. — ET IPSE JESUS ERAT INCIPIENS QUASI ANNORUM TRIGINTA. Omnes penè annalium scriptores locum istum velut anchoram sacram arripuerunt, quâ nixi verum Dominicæ nativitatis annum figerent. Itaque Baronius, Franciscus Lucas, Scaliger, et alii tanquàm certum putant significari, quòd Lucas hìc expresserit annum Christi trigesimum expletum, et trigesimum primum per paucos dies inchoatum, eò quòd tunc aliquis propriè dicatur esse triginta annorum, cùm eos expleverit; atque illud, *quasi,* volunt non dubitativè, sed assertivè sumi, sicut Joan. 1 : *Gloriam quasi unigeniti à Patre*. Pro quâ sententiâ citatur maximè S. Ignatius, epist. ad Trallianos, cùm reverà nihil stringat. Alii contrà putant significari quòd Christus inchoâsset tantùm trigesimum annum per tredecim dies, tum quia dicitur, *erat incipiens;* tum quia illud, *quasi*, diminutionem significat. Ita clarè tenet Irenæus l. 2, c. 39. Sed reverà videtur illud, *quasi,* dubitativè sumi, sicut sumitur c. 22, v. 41, ut aliqui legunt; et supra c. 1 v. 56, et passim usurpari solet; ut simplicissimus sensus sit quòd Christus esset circiter seu plùs minùs triginta annorum sicut apertè intellexit Justinus Dialogo cum Tryphone. Illud autem, *incipiens*, non significat quòd inciperet esse triginta annorum, cùm inciperet officium suum seu prædicationem suam, ut satis indicant alia Scripturæ loca, Act. 1, v. 22, et ibid., c. 10, v. 37. Ut proinde propter locum istum nemo cogatur recedere ab eâ sententiâ de anno natalis Domini, quam ei argumenta prægnantia sive historiæ sive matheseos certam demonstrare videantur. Permittere enim videtur libertatem aliquam, ut non præcisè anno trigesimo ætatis, sed circiter, hoc est, vel vigesimo nono inchoato vel trigesimo primo expleto baptizatus dici possit. Quo verò anno præcisè sit et consequenter natus et mortuus, lis chronologorum penè interminabilis est. Hoc ferè inter omnes recentiores chronologos constat, epocham illam seu computum communem, qui Dionysianus dicitur, juxta quem nos vulgò annos à Christo nato computamus, esse æquo

fuisse Annæ patrem, *Eli*. Itaque Joseph dicatur filius fuisse Eli, quia maritus Mariæ, quæ fuit neptis Eli, ac proinde ipse suo modo nepos Eli, affinitate scilicet; nec enim vel illud præter morem est, quòd nepotes dicantur filii et neptes filiæ avorum. Quòd ergo à Lucâ Josephi pater dicitur fuisse Eli, cùm Matthæus dixerit fuisse Jacob, nulla repugnantia est : Jacob enim naturâ Josephi pater fuit, Eli autem affinitate consuetudineque conjugii. Nam ut dicas quod plerique, Jacobum quidem fuisse patrem ipsius Josephi naturâ, Eli autem fuisse ejusdem patrem, aut adoptione, aut lege eâ quòd Jacobus ex viduâ genuerit Josephum Eli fratri suo uterino absque liberis mortuo : quid contulerit Eli, si hoc verum est, præsertim verò majores Eli, ad Mariæ Jesuque generationem, ita ut ex illis contexi potuerit genealogia quâ ostenderetur Jesus natus ex semine David secundùm carnem? Lucas itaque describit Mariæ genealogiam ex latere materno, quam Matthæus descripserat ex latere paterno; atque utraque ex David dicitur, sed hæc quidem per filium Salomonem, illa per Nathan, ita ut duplici nomine Jesus Davidis fuisse filius, et omni jure in regnum Davidis successisse ostendatur. Nathan enim, à Salomone proximus regno fuerat. Aptissimè igitur evangelista, postquàm Jesum, cœlitùs dato à Patre testimonio, verum Dei Filium esse docuit, eumdem verum esse hominis filium, humanæ successionis ordine comprobat, incipiens à Joseph, quem proximè nominaverat, ascendendo, quemadmodùm Matthæus ab Abraham descendendo : utroque enim modo, prout fert occasio, Hebræi genealogias recensent, quod vel ex capite quinto primi Paralipomenon manifestum fit.

Vers. 24. — Qui fuit Matthat, qui Eli fuit Matthat, scilicet filius, et sic deinceps ubique subaudienda est vox *filius*, propriè accepta; nam circumstantiæ coegerunt ut impropriè accipiatur, in eo quod præcedit *qui fuit Eli;* quemadmodùm etiam in ultimo, *qui fuit Dei.*

Janne; seu Janna. Hic est Jannæus secundus Hircanus, si Annio ejusque Philoni credimus, postremus Judæorum dux ex posteritate Davidis, et progenie Assamonæorum seu Machabæorum, de quo Josephus, libri 12 cap. 4 et 5, et Eusebius in Chronico.

Joseph, Joseph junior Arses vocatur Philoni Annii; qui ex fratris sui filiâ genuit Hircanum, et Ptolomæo regi charus præfuit Syriæ, quod habet Josephus, libri 12, cap. 4.

Vers. 25. — Mattathiæ. Josephi patri fuisse Tobiæ nomen tradunt quidam, astipulanti historiographo Josepho initio capitis 4, libri 12, interque Josephum et Mattathiam interjiciunt generationes duas, Tobiæ et Josephi alterius cujus respectu Arses dictus fuerit junior. Atqui Philo Annii, Judæorum duces è Davidis domo recensens, Josepho Arseti præcessorem proximum fuisse tradit Mattathiam Siloam, ut hìc apud evangelistam se mutuò sequuntur illi. Non est enim temerè dicendum, à B. Lucâ omissas generationes aliquas, sicut à B. Matthæo : ut non fuit eadem utrique ratio. Præter hoc quòd non ut rem omninò certam statuere audeam, eos quos evangelista hìc recenset esse duces illos Judæorum quorum Josephus in Antiquitatibus, et Eusebius in Chronico meminerunt : præsertim cùm de fide Philonis Anniani non perinde constet.

Amos, *Amos Syrach annis* 14 *præfuit,* ait Philo ille.

breviorem, hoc est, aliquot annos ei adjiciendos. Unde Baron. ei adjicit duos, quem multi alii secuti sunt, volentes Christum esse natum Lentulo et Messalino consulibus, anno scilicet Julianæ correctionis quadragesimo tertio. Quæ sententia gravibus difficultatibus non caret, maximè quia cogitur fidem abrogare Josepho et Dioni, magnæ auctoritatis scriptoribus, quorum primus de rebus recentissimis, quas penè viderat, scribebat. Unde alii nonnulli quatuor annis communem computum antevertunt, ita scilicet ut, quem vulgò dicimus annum à Christo nato millesimum sexcentesimum trigesimum tertium, sit reverà 1637, dicuntque Christum natum anno Julianæ correctionis 41, augusti 12, Cornelio et Sullâ consulibus. Favent ei admodùm testimonia vetustissimorum historicorum Josephi et Dionis, et quòd hoc ipso anno Janus clausus fuerit pace per totum orbem compositâ, itemque Judæi se sceptro Herodis alienigenæ suâ voluntate subjecerint, quæ Christi nascituri signa à veteribus traduntur. Nec ei quidquam difficultatem facit, nisi locus iste S. Lucæ. Cogitur enim hæc sententia ita exponere illud, *quasi*, ut Christus illo anno decimo quinto Tiberii, cùm baptizaretur, explevisset annum ætatis trigesimum primum, et inchoâsset trigesimum secundum per tredecim dies; ut sic mortuus consequenter dici debeat annis triginta quatuor expletis, et trigesimo quinto per tres circiter menses inchoato. Ex evangelistis enim constat, post baptismum per tres annos et totidem mensibus prædicâsse. Quæ difficultas non videtur esse tanta, ut dici possit illud, *quasi*, latitudinem illam admittere; maximè quia in ætatibus seu annis exprimendis rotundi numeri in Scripturâ sæpè assignantur, omissis minutiis.

De Ecclesiâ verò, quæ in libris suis computu Dionysiano utitur difficultas exigua est; nam illum computum usurpat quidem, sed non probat; sicut annos ante nativitatem Christi computat juxta editionem septuaginta Interpretum, et juxta computum eorum in quo multas centurias annorum redundare nemo paulò eruditior negat, et fateri coguntur quotquot voluerint auctoritatem editionis Hebraicæ et nostræ vulgatæ sequi. Et hæc de ætate Christi nascentis et baptizati satis.

Vers. 23. — Ut putabatur filius Joseph, Græcè additur, ὢν, id est, *existens*, seu cùm esset, ut putaretur filius Joseph, id est, vulgi opinione et famâ, non naturâ, filius Joseph. Qui fuit Heli. Difficultas hìc magna est, quomodò Joseph dicatur filius Heli, cùm Matth. 1, dicatur filius Jacobi. Recentior quidam, facilè rem expedit, dicendo illud, *qui,* referendum esse non ad Joseph, sed ad Jesum, ut sensus esset, qui Jesus erat filius Heli, matre scilicet Mariâ interpositâ, quia Heli iste pater erat beatæ Virginis, alio nomine dictus Eliachim et Joachim; nam ista nomina eadem sunt, ut patet ex nomine Pontificis, qui Judith 4, v. 5, et 11, vocatur Eliachim, et tamen c. 15, v. 9, dicitur Joachim : unde et 4 Reg. 23, vers. 34, nomen Eliachim vertitur à Pharaone, in Joachim. Alii quoque recentiores, qui putant ipsum Josephum vocari filium istius Heli, ita hoc explicant, ut fuerit gener ejus : nam generi socerorum filii vulgò dici solent, et soceri eorum patres. Utroque modo describeretur hìc genealogia beatæ Virginis ex parte patris. Sed utraque sententia difficultatem gravem patitur, eò quòd isto modo promissiones Davidi factæ de Christo nascituro non essent impletæ per Salomonem, sed per Nathan. Itaque longè satiùs diceretur istum Heli esse patrem, non Mariæ, sed Annæ matris

Naum. *Maslot Naum annis* 7.

Hesli, ita scribitur et Syriacè. At Philo : *Agai Helii*, inquit, *annis* 8, nisi sit mendum libri.

Nagge. Philo : *Nagid Artaxat.*

Vers. 26. — Mahath. Philo. *Asar Maath.*

Mattathiæ. Philo : *Eliib Matathias.*

Semei. Philo : *Abner Semei;* sic omnibus bina dat nomina.

Joseph. Philoni *Josephus primus* dicitur; aliis *Josephus priscus.*

Juda. Philoni, *Judas primus* cognomine *Hircanus.*

Vers. 27. — Joanna. Philo : *Joanna ben Resa.*

Resa. Philo : *Resa Misciollam ;* vult dicere, Resam aliàs vocatum Mysciollam seu (quod habet liber primus Paralip. cap. 3, v. 19) *Mosollam.* Nam *Mosollam* illìc recensetur ut filius primogenitus Zorobabelis. Atqui non texitur illìc genealogia nepotum David ex Nathan, quemadmodùm hìc secundùm Lucam, sed ex Salomone, quemadmodùm secundùm Matthæum; id quod locus ipse convincit; nam apud Matthæum clarum est Joam germanum Ochoziæ filium, et Salomonis, non Nathanis nepotem fuisse. Neque verò dici potest defecisse Salomonis stirpem, nec ex eâ Christum Regem prodiisse; Salomoni enim præ cæteris dilecto, cui ante nativitatem nomen hoc dulce pacis inditum fuit (1 Paral. 22, v. 9,) non tantùm promissum fuit divinitùs regnum patris, sed et thronus regni ejus stabiliendus in sempiternum, 2 Reg. 7, v. 13 : *Stabiliam,* inquit, *thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Quibus verbis quid velit, addens docet : *Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virgâ virorum, et in plagis filiorum hominum,* hoc est, corrigam eum pœnâ humanâ et clementi, quali homines patres solent castigare filios suos ad emendationem, non ut excludant jure filiorum. Sic ergo Salomonem ejusque posteros castigabo si peccent; at regnum, quod Davidi regi meo primogenito æternum fore promisi, non in perpetuum ipsis auferam; id quod eleganter Psal. 88, v. 21 et seqq. explicatur, et hìc paucis indicatur hisce verbis : *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saül, quem amovi à facie tuâ.* Quare 3 Reg. 11, v. 11, 12, 13, propter Salomonis peccata non planè auferendum regnum sed tantùm diminuendum prædicitur : additurque, v. 36, filio Salomonis unam tribum relinquendam esse, *ut remaneat* (inquit Dominus) *lucerna David servo meo, cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate, quam elegi ut esset nomen meum ibi.* Rursùs 3 Regum 15, v. 4, statuit Dominus Abiam, licèt cor ejus non esset perfectum cum Domino, lucernam in Jerusalem, propter David, ut suscitaret filium ejus post eum, et statueret Jerusalem. Ad hæc Joram filium Josaphat, tametsi ambularet in viis Achab, noluit disperdere Deus, ut maneret lucerna Davidi et filiis ejus cunctis diebus, 4 Reg. 8, v. 19; 2 Paral. 21, v. 7. Poterat utique Deus posteros Nathan in regnum surrogare, et remansisset lucerna ex familiâ Davidis, sed manifestè voluit eam per Salomonis lineam conservare; ut ergo Davidi, ita et Salomoni, promissum est regnum æternum, id quod etiam clariùs disertiùsque exprimitur, 1 Paral. 17, v. 12, et seqq. et 22, v. 10. Nec obstat quòd apostolus ut de Christo dictum laudet, illud quod nos ut de Salomone dictum mox attulimus : *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* (Hebr. 1, v. 5) imò plurimùm huc facit. Cùm enim negari non possit quin et de Salomone eò loci sermo sit, (Christo enim periculum non fuit ut iniquè aliquid gereret) intelligendum est Salomonem plùs aliquid quàm Christi typum fuisse, patrem nempe, de quo, filii personam figuramque gerente, hæc dicta et promissa sint à patre incœptura, in filio absolvenda. Quare et amplissimum, celeberrimum atque æternum Christi regnum Psalmus 71 sub Salomonis nomine describit, interprete inter alios D. Augustino, lib. 17 de Civitate Dei, cap. 8. Manifestum igitur evadit, æternitatem regni Davidici, per Salomonis progeniem, non obstante Salomonis peccato, confirmari : quod quidem constare non potest, si Salomonis posteritas Ochoziâ moriente defecit, nec ex eâ Rex Christus prodiit à quo regnum illud integritati suæ restituendum et æternum reddendum fuit.

Non est hic Resa qui in Paral. *Mosollam.* Mosollam primogenitus patri Zorobabeli successit in principatum, sed eum quem pater in Babyloniâ exercuit, non quidem in Judæâ. Rebus enim in Judæâ

ejus, avum scilicet maternum Mariæ; ut Joseph dicatur filius ejus, quia nepos ejus, non consanguinitate, sed affinitate, quia Maria, quam duxerat uxorem, erat neptis Heli; et sic describeretur hìc genealogia B. Mariæ ex parte matris, sicut apud Matthæum ex parte patris, ut ex utroque latere ipsa et Christus ex regali stirpe descenderint. Plerique tamen veteres duas alias solutiones amplexi sunt. Prima est, ut Joseph fuerit filius Jacob naturâ, filius Heli adoptione, sicut contigit Ephraim et Manasse, qui à Jacobo adoptati sunt, à Joseph geniti. Tradit hanc latè August., lib. 2 de Consensu, c. 3, et lib. 2 Quæst. Evang., q. 5. Secunda solutio est, quam plures probaverunt, Joseph fuisse filium Jacob naturalem, Heli verò legalem, eò quòd Jacob juxta legem Deut. 25, vers. 5, coactus fuerit ducere viduam Heli, fratris sui uterini, id est, ex eâdem matre, sed alio patre nati, et sine liberis defuncti, ex quâ genuerit Josephum. Hanc primus tradidit Julius Africanus in epist. ad Aristidem, tanquàm acceptam ab ipsis cognatis Christi post ascensionem, quam tota antiquitas postea maximè probavit, ut Euseb. lib. 1 Historiæ c. 7; Hieron., in Matth.; Amb., in Luc., et inprimis August. 2, Retract. c. 7, et alibi.

Sed objiciunt, quid ad rationem genealogiæ filiatio illa legalis, quâ filius naturalis secundò geniti dicebatur filius primò geniti, absque liberis defuncti? Respondetur, quia filiatio illa legalis in veteri Testamento tanti momenti erat, ut etiam familiæ perinde ut per filiationem naturalem propagarentur; deinde, quia lex illa Deut. in typum Christo erat lata, ut scilicet significaretur quòd Christo mortuo fratres ejus apostoli, non sibi, sed primogenito in multis fratribus Christo scilicet spirituales filios generare deberent. Cùm ergo lex illa in Christo debuerit impleri, operæ quoque pretium erat, ut in ipsius etiam genealogiâ ad litteram impleretur.

Vers. 27. — Qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel. Isti duo planè diversi sunt à Zorobabel et Salathiel, qui recensentur à Matth. c. 1, v. 12, sicut

constitutis, Zorobabelem in orientem remigrâsse, tradunt Hebræi, atque illic ipsum et ipsius filium Mosollam ac nepotes præfuisse Judæis, qui liberorum ac possessionum amore ibi remanserant, et reipublicæ formam à Persarum regibus redemerant, præfecto sibi è Davidicâ familiâ principe, quem *Res galouta* seu Aichmalotarcham, id est, caput exulum vocabant. Quare alios Zorobabelis et filios et successores Matthæus recenset, eos nempe qui statas sedes in Judæâ fixerant, futuros majores Christi. Quare ii quos hactenùs recensuit cum Lucâ evangelistâ Philo ille, à Jannæo Hircano usque ad Resam, aut certè aliqui eorum, Judaici populi duces fuisse potuerunt, sed aliâ occasione necessarium est fuerint quàm ut posteri Zorobabelis, Salathielis, et Jechoniæ, quos ex Paralipomenis Matthæus nominat.

Zorobabel, qui fuit Salathiel. Annius, cùm, suum secutus Philonem, existimet, Ochosiæ ex stirpe Salomonis, mortuo, successisse Joam et reliquos deinde ex genere Nathan, putat eos omnes qui à Matthæo enumerantur ab Oziâ ad Josephum usque virum Mariæ, ex genere Nathan similiter esse, ac proinde Zorobabelem et Salathielem quos memorat Lucas, eosdem esse quos Matthæus; sed fallitur secutus errorem, quem refellimus supra; continuam enim absque interruptione Salomonicæ stirpis seriem Matthæus ad Josephum usque Mariæ virum persequitur. Quod cùm ita sit, jam inde ab Eli patre Josephi usque ad Nathan filium Davidis, omnes à Lucâ enumeratos, alios esse oportet, ab enumeratis à Matthæo, à Jacobo usque ad Salomonem, ac proinde nec eosdem esse viros Zorobabelem et Salathielem quorum Matthæus, et eos quorum Lucas meminit: in quam sententiam et D. Augustinus propendet libri Quæst. in Deut. cap. 46. Illi quorum Matthæus meminit, in Paralipomenis, Esdrâ, et prophetis, celebres sunt, ut Salomonis stirps nobilior fuit quàm Nathanis; sed non est à ratione alienum, Nathanis posteros (præsertim ubi ad principatum fortè assumpti fuerunt) mutuatos fuisse nomina eorum qui è Salomonis familiâ principatu clari fuerant, Salathielis et Zorobabelis, laudatorum, atque insignium virorum.

Neri. Hoc nomine, ait Philo ille, à populo vocatum fuisse *Joachim*, quando Evilmerodach rex Babylonis, educto è carcere restituit honorem regium, 4 Reg. 25, v. 28, quasi *lucerna mea, ner* enim Hebræis lucerna est, quòd lucerna David, quæ timebatur exstincta, reluxisset. Quod verum sit necne, certum illud est, ex eodem fundamento quo superiora, non posse hunc Neri quem Lucas vocat, illum Joachim seu Jechoniam posteriorem secundùm Matthæum, esse.

Vers. 29. — Jesu. Græcè et Syriacè est *Jose*.

Vers. 30. — Jona. Græcè et Syriacè *Jonan*.

Vers. 31. — Qui fuit Melea. Sic cum Sixtinis Bibliis legunt unum Clarmariscensis et tria Ecclesiæ nostræ Audomaropolitanæ manuscripta *Melea*, ut est Græcè et Syriacè, non *Melpha*, mediâ vocali *e*, mutatâ cum mutâ adspiratâ *ph*, quod est in plerisque aliis.

Menna, *Mainan* aut Mænan : Syriacè *Mani*.

Mattatha seu *Mattath*. Hic natu minimus è filiis Nathan, 3 Reg. 4, v. 6; vocatur *Ahisar*, quod interpreteris fratrem principis; *Mattatha* autem donatum.

Nathan. Hic fuit frater Salomonis; ex eodem patre Davide et matre Bethsabee. Nam quatuor liberos David Jerosolymis ex Bethsabee uxore sustulit, Salomonem natu minimum, proximum Nathan, tum Sobab, primogenitum Simmaa, 1 Paral. 3, v. 5. Porrò Nathan à Salomone regno proximum fuisse, satis intelligitur ex honore in quo Salomon filios ejus habuit, unum præficiens duodecim præfectis qui præerant duodecim tribubus Israel; alio utens ut socio familiari; tertium vocatum Ahisar, fratrem principis, præponens domui regiæ, 3 Reg. 4, v. 5, 6.

Qui fuit David, natus Davidi Jerosolymis ex uxore Bethsabee, 2 Reg. 5, v. 14, et 1 Paral. 3, v. 5. Non fuit igitur adoptivus Davidis filius, sive is qui prophetam egit apud Davidem, sive filius aliquis Uriæ Hethæi; id enim impium sit asseverare, nam sic decipiat evangelista, ut qui non doceat, id quod præ se fert, semine David secundùm carnem esse Dominum Jesum, sed omninò ex alieno semine. David volens testatum facere mundo, charum gratumque sibi esse correptorem atque animadversorem suum, Nathan, inquam, prophetam, uni ex filiis suis, nomen illius dedit.

Vers. 32. — Jesse. Cujus nomen non tacet Isaiæ de Christo vaticinium : *Egredietur virga de radice Jesse*; alioqui enim obscurus fuit; unde David per contemptum *filius Isai* vocabatur, 1 Reg. 20, v. 27, 3 Reg. 12, v. 16. *Jesse* enim et *Isai* idem unum sunt nomen eisdem litteris Hebraicis ישי aliis atque aliis vocalibus, à septuaginta Græcis et Latino interprete, lectis. Naasson, princeps tribûs Juda in deserto, Num. 1, 7, 2, 3, 7, 12.

Vers. 33. — Aminadab. Hic princeps fuit tribûs Juda in exitu Israel de Ægypto, id quod ex Hebræorum sententiâ refert Lyranus. Aram hunc Græci interpretes *Aram*, Hebraicus sermo contractiùs *Ram* vocat. Esron. Græci codices *Esrom*, Latini *Esron*, juxta Syros et fontem Hebræum.

Vers. 34. — Jacob. Esaü à Deo odio habitus et reprobatus, Jacob verò dilectus, Mal. 1, 3, Christo filio auctus est. Isaac. Non ex Ismaele, sed ex Isaac promissionis magis quàm carnis filio, ortus est Christus, sancti Spiritûs magis quàm naturæ operatione natus; nam, *in Isaac vocabitur tibi semen*, Deus dixerat, Gen. 21, v. 12.

Abrahæ. Ab Abrahamo genealogiam exorsus est Matthæus, ita ut consueverant Hebræi, qui eo parente gentisque suæ auctore gloriabantur, quippe qui è

et omnes quos Lucas posuit ab Heli patre Joseph usque ad Nathan filium Davidis, alii sunt ab iis, quos Matth. enumeravit à Jacob patre Joseph usque ad Salomonem. Per diversos enim filios Davidis, Lucas ascendendo et Matth. descendendo pertexit genealogiam.

terrâ et cognatione idololatrâ à Deo evocatus, multiplicandæ posteritatis, quæ à reliquis gentibus separata in populum Dei cooptanda esset, et perpetuâ hæreditate possidendæ Chananææ, denique progignendi ex se seminis, in quo benedicendæ omnes gentes terræ, promissionem primus accepit, Gen. 12, 1, 2, 3; 17, 6, 7, 8, patris multarum gentium nomine et Dei familiaritate à Deo honoratus, Gen. 17, 5; Jac. 2, 23. Itaque et declaravit Matthæus ab Abrahamo incipiens, illud quod Apostolus dicit Rom. 15, 8: *Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.*

Vers. 35. — Ragau. Hebraicè est רְעוּ quod Latinus interpres cum Hebræis *Rehu*, Septuaginta *Ragau* expresserunt.

Vers. 36. — Cainan. Hic à Mose omissus, à solis agnoscitur Interpretibus septuaginta. Moses enim ait, ab Arphaxad genitum Sale; Septuaginta verò ab Arphaxad genitum Caïnan, à Caïnan Sale, Gen. 11, v. 12. Viros septuaginta cùm secutus sit Lucas evangelista; quippe qui Græcis scripsit, quibus una septuaginta duorum editio familiaris erat; nefas sit illos mendacii aut erroris arguere: dicendum potiùs videtur, illos quidem, vel ex veterum Hebræorum historiis, vel ex Spiritûs sancti afflatu, cognitam Caïnæ generationem addidisse; Mosen verò, eodem Spiritu sancto afflante, certis ex causis omisisse, intellexisseque ab Arphaxad genitum Sale nepotem intercedente filio Caïnâ, ab Arphaxad genitum eum à quo genitus est Sale; qui modus loquendi occurrit, Matth. 1, v. 8. Nisi ostendere quis possit, generationem illam Caïnan superfluam esse, temerè, inquam, additam ab aliquibus fuisse tam Evangelio Lucæ quàm interpretationi septuaginta duorum.

Vers. 38. — Adam. Lucas, cùm gentibus scriberet Evangelium, genealogiam Christi protraxit ad Adam usque protoplastum, et ab ipsâ mundi origine, Christi originem magnâ diligentiâ fideque deduxit, ut intelligendum daret, Christum, non Judæorum tantùm salvatorem esse, sed et omnium hominum ex primo Adam oriundorum, quin et ipsius Adæ, cui jam tum promissus etiam fuerat, vel illis Dei ad serpentem verbis: *Inimicitias ponam*, etc. Gen. 3, v. 15. A primâ enim Adæ defectione, ut necessarius fuit omnibus Christus, ita et toti mundo fuit destinatus. Cæterùm Matthæus qui Hebræis scripsit, considerans Dei fœdus cum Abrahamo, quo illius semini, à reliquis gentibus quasi interpositâ maceriâ distincto, peculiariter promissus fuerat redemptor, non ultra Abrahamum progressus, demonstrare voluit, Jesu exhibito, fœderi illi sancto satisfactum fuisse.

Qui fuit Dei, scilicet filius, ut in præcedentibus omnibus; non quòd Adam ex Deo vel à Deo sit genitus, quemadmodùm præcedentes filii ex patribus, sed quia à Deo factus est (nam et hâc ratione quandoque Deus pater et creaturæ filii dicuntur, Job 38, v. 7, 28; Jer. 3, v. 4), et quidem modo supernaturali, nullius hominis operâ adhibitâ, ex pulvere terræ formatus et spiraculo vitæ auctus. Adami autem generationem dùm evangelista in Deum refert, refert et Jesu, tacitèque docet illud inprimis non mirum, si secundi Adami Jesu generationem ex virgine, absque viri operâ, Spiritûs sancti virtute, accidisse narrârit; cùm primi Adami generatio, exclusâ omni prorsùs viri mulierisque operâ, solum Deum habuerit auctorem. Deinde et illud, adventum Christi non in causas naturales, sed in æternam Dei prædestinationem referendum; denique et illud, per Jesum homines sursùm reduci ad Deum, qui per Adam deorsùm abducti fuerant à Deo.

Vers. 36. — Qui fuit Cainan, Genes. 11, v. 12. Cainan iste à Moyse prætermittitur, secundùm textum Hebraicum et vulgatum: sed insertus fuit septuaginta Interpretibus, quos Lucas hìc sequitur. Discordiam istam conciliavimus in illum locum Genesis, eo sensu, ut Cainan à Septuaginta prophetico spiritu adjectus sit, et certi mysterii causâ à Moyse prætermissus salvâ veritate. Sunt tamen, qui putant Cainan à Septuaginta malè fuisse interpositum; Lucam verò non ex opinione suâ, sed juxta librorum censualium tabulas loqui, in quibus Cainan insertus reperiebatur; et hoc satis significari illâ voce maximè Græcâ quæ habetur v. 23, *ut putabatur*, quam ad omnia sequentia referri volunt, ut scilicet Lucas significet se de Christi parentibus loqui, quemadmodùm in tabulas relati erant. Neque mirum hoc esse, cùm simile quid reperiatur 2 Esdræ 7, v. 5 et seqq., ubi recensentur nomina eorum qui ascenderant ex Babylone juxta tabulas publicas; quæ tamen recensentur in multis longè aliter ab Esdrâ juxta propriam scientiam lib. 1 Esdræ c. 2.

Vers. 38. — Qui fuit Adam. A Christo ad Adam usque Lucas progressus est, ut ostenderet primum et secundum Adamum ejusdem esse naturæ, Christumque venisse, ut etiam ipsi Adæ, et omnibus ab eo oriundis gentibus salutem afferret. Matthæus autem quia Judæis scripsit, ab Abraham Judæorum et fidei parente, genealogiam suam incœpit: idque descendendo, Lucas verò ascendendo, quia ab illo significatur nostrorum susceptio peccatorum, ab hoc eorum abolitio; quam quia consequimur per baptismum Christi, ideò Lucas baptizato tandem Domino seriem generationis ejus exorsus est, eamque perduxit usque ad Deum, quia per peccati remissionem Deo reconciliati reddimur filii ejus, non naturales, sed adoptivi; quâ de causâ filios etiam adoptivos catalogo suo intexuit. Vide plures consonantias et dissonantias utriusque scalæ genealogiæ apud Aug. 2, de Consensu Evang., c. 4. Qui fuit Dei, scilicet filius, quod supplendum in omnibus præcedentibus, non quòd Adam à Deo generatus sit, sed factus, et eâ locutione filius, quâ dicitur Job 38, v. 28: *Quis est pluviæ pater?* Benè autem respondet finis hujusce scalæ principio, ut et Adam dicatur filius Dei, et Joseph filius Heli, neuter propriè scilicet generatione naturali; itemque ut credibiliùs fiat Christum, novum Adam, sine semine et terreno patre esse natum, quàm credibile est veterem Adam sine semine et matre terrenâ prodiisse.

CAPUT IV.

1. Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Jordane, et agebatur à Spiritu in desertum,

2. Diebus quadraginta, et tentabatur à diabolo. Et

CHAPITRE IV.

1. Or, Jésus plein du Saint-Esprit, revint des bords du Jourdain, et fut repoussé par cet Esprit dans le désert,

2. Où il demeura quarante jours: et il y fut tenté

nihil manducavit in diebus illis : et consummatis illis, esuriit.

3. Dixit autem illi diabolus : Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.

4. Et respondit ad illum Jesus : Scriptum est : Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.

5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis ;

6. Et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum : quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa.

7. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia.

8. Et respondens Jesus, dixit illi : Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

9. Et duxit illum in Jerusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi : Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsùm.

10. Scriptum est enim, quòd angelis suis mandavit de te, ut conservent te,

11. Et quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

12. Et respondens Jesus, ait illi : Dictum est : Non tentabis Dominum Deum tuum.

13. Et consummatâ omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.

14. Et regressus est Jesus in virtute Spiritûs in Galilæam, et fama exiit per universam regionem de illo.

15. Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus.

16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere.

17. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat :

18. Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde,

19. Prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis.

20. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagogâ oculi erant intendentes in eum.

21. Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodiè impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.

22. Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant : Nonne hic est filius Joseph?

23. Et ait illis : Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hìc in patriâ tuâ.

24. Ait autem : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patriâ suâ.

25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum

par le diable. Il ne mangea rien de tout ce temps-là ; et lorsque ces jours furent passés, il eut faim.

3. Alors le diable lui dit : Si vous êtes le Fils de Dieu, commandez à cette pierre qu'elle devienne du pain.

4. Et Jésus lui répondit : Il est écrit que l'homme ne vit pas seulement de pain, mais de toute parole de Dieu.

5. Alors le diable le transporta sur une haute montagne, d'où lui ayant fait voir en un moment tous les royaumes du monde,

6. Il lui dit : Je vous donnerai toute cette puissance, et la gloire de ces royaumes ; car ils m'ont été donnés, et je les donne à qui il me plaît.

7. Si donc vous voulez m'adorer, toutes ces choses seront à vous.

8. Et Jésus répondant, lui dit : Il est écrit : Vous adorerez le Seigneur votre Dieu, et vous ne servirez que lui seul.

9. Le diable le transporta encore à Jérusalem ; et l'ayant mis sur le haut du temple, il lui dit : Si vous êtes le Fils de Dieu, jetez-vous d'ici en bas :

10. Car il est écrit qu'il a ordonné à ses anges d'avoir soin de vous et de vous garder ;

11. Et qu'ils vous soutiendront de leurs mains, de peur que vous ne vous heurtiez le pied contre quelque pierre.

12. Et Jésus répondant, lui dit : Il est écrit : Vous ne tenterez point le Seigneur votre Dieu.

13. Le diable ayant achevé toutes ces tentations, se retira de lui pour un temps.

14. Alors Jésus, par la vertu de l'Esprit, s'en retourna en Galilée ; et sa réputation se répandit dans tout le pays d'alentour.

15. Il enseignait dans leurs synagogues ; et tout le monde célébrait ses louanges.

16. Étant venu ensuite à Nazareth où il avait été élevé, il entra, selon sa coutume, le jour du sabbat dans la synagogue, et il se leva pour lire.

17. On lui présenta le livre du prophète Isaïe ; et l'ayant ouvert, il trouva l'endroit où ces paroles étaient écrites :

18. L'esprit du Seigneur est sur moi ; c'est pourquoi il m'a consacré par son onction ; il m'a envoyé pour prêcher l'Evangile aux pauvres ; pour guérir ceux qui ont le cœur brisé ;

19. Pour annoncer aux captifs qu'ils vont être délivrés, et aux aveugles qu'ils vont recouvrer la vue ; pour mettre en liberté ceux qui sont accablés sous les fers ; pour publier l'année des miséricordes du Seigneur, et le jour de la justice.

20. Ayant fermé le livre, il le rendit au ministre, et il s'assit. Et tous dans la synagogue avaient les yeux arrêtés sur lui.

21. Et il commença à leur dire : Ce que vous entendez aujourd'hui de vos oreilles, est l'accomplissement de cette parole de l'Ecriture.

22. Et tous lui rendaient témoignage ; et dans l'étonnement où ils étaient des paroles pleines de grâce qui sortaient de sa bouche, ils disaient : N'est-ce pas là le fils de Joseph?

23. Sur quoi il leur dit : Sans doute que vous m'appliquerez ce proverbe : Médecin, guérissez-vous vous-même ; faites ici en votre pays d'aussi grandes choses que nous avons entendu dire que vous en avez fait à Capharnaüm.

24. Mais je vous assure, ajouta-t-il, qu'aucun prophète n'est bien reçu en son pays.

25. Je vous le dis en vérité, il y avait plusieurs veuves en Israël au temps d'Elie, lorsque le ciel fut

annis tribus et mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terrâ :

26. Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.

27. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo prophetâ : et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

28. Et repleti sunt omnes in synagogâ irâ, hæc audientes.

29. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

31. Et descendit in Capharnaum, civitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis.

32. Et stupebant in doctrinâ ejus, quia in potestate erat sermo ipsius.

33. Et in synagogâ erat homo habens dæmonium immundum, et exclamavit voce magnâ.

34. Dicens : Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei.

35. Et increpavit illum Jesus, dicens : Obmutesce, et exi ab eo. Et cùm projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

36. Et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes : Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt?

37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

38. Surgens autem Jesus de synagogâ, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro eâ.

39. Et stans super illam, imperavit febri, et dimisit illam. Et surgens continuò, ministrabat illis.

40. Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

41. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei ; et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

42. Factâ autem die, egressus ibat in desertum locum, et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum ; et detinebant illum, ne discederet ab eis.

43. Quibus ille ait : Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideò missus sum.

44. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

fermé durant trois ans et demi, et qu'il y eut une grande famine dans toute la terre :

26. Et néanmoins Élie ne fut envoyé chez aucune d'elles, mais chez une femme veuve de Sarepta dans le pays des Sidoniens.

27. Il y avait aussi plusieurs lépreux en Israël au temps du prophète Elisée ; et néanmoins aucun d'eux ne fut guéri, mais seulement Naaman, qui était de Syrie.

28. Tous dans la synagogue l'entendant parler de la sorte, furent remplis de colère.

29. Et se levant, ils le chassèrent hors de leur ville, et le menèrent jusqu'au sommet de la montagne sur laquelle elle était bâtie, pour le précipiter.

30. Mais il passa au milieu d'eux, et se retira.

31. Il vint de là à Capharnaüm, ville de Galilée, et il y enseignait le peuple les jours de sabbat.

32. Et ils s'étonnaient de sa doctrine, parce qu'il parlait avec autorité.

33. Et il y avait dans la synagogue un homme possédé d'un esprit immonde, qui jeta un grand cri.

34. En disant : Laissez-nous. Qu'y a-t-il entre vous et nous, Jésus de Nazareth? êtes-vous venu pour nous perdre? je sais qui vous êtes, le Saint de Dieu.

35. Mais Jésus lui parlant avec menaces, lui dit : Tais-toi, et sors de cet homme. Et le diable ayant jeté l'homme au milieu de l'assemblée, sortit de lui sans lui faire aucun mal.

36. Et tous en furent épouvantés ; et ils se disaient les uns aux autres : Qu'est-ce que ceci ? Il commande avec autorité et avec puissance aux esprits immondes ; et ils sortent.

37. Et sa réputation se répandit de tous côtés dans le pays d'alentour.

38. Jésus étant sorti de la synagogue, entra dans la maison de Simon, dont la belle-mère avait une grosse fièvre ; et ils le prièrent de la guérir.

39. Et se tenant auprès d'elle, il commanda à la fièvre, et la fièvre la quitta. Et s'étant levée aussitôt, elle se mit à les servir.

40. Et le soleil étant couché, tous ceux qui avaient des personnes affligées de diverses maladies, les lui amenèrent, et imposant les mains sur chacun des malades, il les guérit.

41. Les démons sortaient aussi de plusieurs, criant et disant : Vous êtes le Fils de Dieu. Mais il les menaçait, et les empêchait de dire qu'ils sussent qu'il était le Christ.

42. Lorsqu'il fut jour, il se retira, et s'en alla en un lieu désert ; et tout le peuple vint le chercher jusqu'où il était ; et comme ils le retenaient, de peur qu'il ne les quittât,

43. Il leur dit : Il faut aussi que j'annonce aux autres villes l'Evangile du royaume de Dieu, car c'est pour cela que j'ai été envoyé.

44. Et il prêchait dans les synagogues de la Galilée.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — PLENUS SPIRITU SANCTO, id est, jam se plenum Spiritu sancto ad commissa sibi ministeria ac negotia peragenda ostendens. Semper Jesus plenus fuit Spiritu sancto, sed non fuit hoc ab ipso revelatum à puero usque ad hoc tempus, quo descendit in ipsum jam baptizatum Spiritus sanctus : quando

VERS. 1. — A SPIRITU, sancto scilicet, quia ille præcesserat, et quia cum articulo et absolutè Spiritus dicitur. IN DESERTUM, tanquàm locum tentationi commodissimum ad destitutum humano subsidio, quò machinæ tentationum dissipentur. Fuit autem desertum Judææ, quod postea hinc *Quarentana* dictum est à Christianis.

plenum Spiritu sancto se esse reipsà monstravit, et tanquàm mutatum in virum alterum, exque homine plebeio consecratum Evangelio promulgando, et Messiæ officio obeundo, se deinde gessit, tanto spiritûs fervore, quanto nihil aliud cogitaret ac spiraret, nihil aliud meditaretur ac conaretur, quàm Messiæ officium publicè præstare et absolvere. Fuit autem Jesus plenus Spiritu sancto secundùm quòd homo (nam secundùm quòd Deus, unum sunt Jesus et Spiritus sanctus) quia plenus Spiritûs sancti donis, quia nullum sit donum, Spiritûs sancti largitioni appropriatum, quo non cumulatissimè excellentissimèque fuerit imbutus, Isa., 11, v. 2, 3, et nihil in ipso fuerit, quod non impleverit, occupaverit, suumque agnoverit Spiritus sanctus. Habent autem hoc proprium dona Spiritûs sancti, ut reddant hominis animum facilè mobilem à Spiritu sancto, ut Spiritûs sancti sequatur instinctum in quovis genere rerum agendarum. Adeò verò plenus fuit Jesus, *ut de plenitudine ejus nos omnes acceperimus,* Joan. 1, v. 16. Filio enim *non ad mensuram dedit Deus Spiritum*, Joan. 3, v. 34. Nomen *Spiritus*, ut opponitur corpori, tribus SS. Trinitatis personis commune est (Joan. 4, v. 24), sed tertiæ proprium, quâ ratione à Patre et Filio in modum amoris spiratur. Quod quidem nomen, cùm Latinè genere masculino *Spiritus,* Hebraicè feminino *ruah,* Græcè neutro Πνεῦμα exprimatur, commodè servit personæ divinæ, cui nulla sexûs generisve diversitas tribuenda est, quod notat Hieronymus cùm alibi, tum enarrans caput 40 Isaiæ. *Sanctus* verò quod additur, non à Patre et Filio distinguit tertiam personam, sed à solis spiritibus creatis, qui vel non sunt sancti, id est, ab omni sorde liberi ac puri (sunt enim quidam spiritus immundi) vel non sunt, ut persona isthæc divina, fons sanctitatis, id est, ita sancti ut sanctificent cætera omnia quæ sancta sunt.

Regressus est, reversus est.

A Jordane, reliquit Jordanem in quo fuerat baptizatus, mox ut cœlestis illa visio disparuerat.

Agebatur. Significatur efficacia Spiritûs, non tantùm ducentis ostendendo aut suadendo, sed et facientis ut faciant sancti, et inter cæteros Jesus ut homo, id quod ipse suggerit; non inviti, sed hilares et alacres. Non est enim intelligendum fuisse illum quasi invitum aut reluctantem extrusum, sed divinæ virtutis motu atque impulsu ad tempus ex hominum conspectu abreptum. Spiritus sanctus subitò quocumque vult hominem rapit, non quòd vim faciat hominis voluntati, sed quòd hominem mox volentem reddat. Nec quidem Joannis præconio commendatus adeòque cœlitùs auctoritate acceptâ statim ad prædicandum prorumpit Jesus, verùm à turbarum oculis aliquantisper adhuc subducit sese, tum ne videretur eo quod acceperat testimonio subitò elatus, tum ut hoc secessu auctoritatem sibi apud populum augeret, cum quo hactenùs tanquàm unus è vulgo fuerat conversatus.

A Spiritu, Græcè, *in Spiritu,* id est, à, vel, vi Spiritûs, ejusdem qui mox ipsius vertici insederat non inane signum, et quo mox plenus fuerat declaratus; à *Spiritu sancto*, id quod expressit Syrus: nam et articulus Græcè cùm additur, ferè de Spiritu sancto sentiendum esse, Didymi regula est, libro primo de Spiritu sancto. Jam quòd ductus Jesus dicitur à Spiritu sancto, non ita intelligendum est, quasi non spontè secesserit, sed quòd spiritus humanus Jesu secutus sit ducem Spiritum divinum Jesu, qui naturâ idem unus est cum Spiritu sancto. Spiritus Jesu, ut hominis, nullâ in re discors unquàm fuit à Spiritu sancto; ut Dei verò, unum est quòd Spiritus sanctus. Dicat aliquis : Si Spiritus divinus Jesu et Spiritus sanctus sunt unum, sufficiebat Jesu spiritus suus, divinitas, inquam, humanitati unita, nec opus erat dicere ductum à Spiritu sancto, aut certè similiter dici poterat à patre ductus. Respondeo quòd Jesus ductus à Spiritu sancto dicatur ut homo, non quòd opus haberet Spiritu sancto, tanquàm oportuerit eum aliunde juvari, nec sufficeret ipsi divinitas sua, vel non cooperaretur divinitas Patris (ut enim una est Trinitatis natura et opus omne indivisum, ita cooperata est Trinitas toti curriculo vitæ Jesu), sed quòd arcanæ Litteræ Spiritui sancto, qui est Patris et Filii amor, adscribant dona cœlestia, et inter cætera, illud eximium, quo homo, in iis quæ agit omnibus, sequitur non proprium sed divinum instinctum; id quod fit septem illis donis quæ super Christum requievisse memorat Isaias, cap. 11, v. 2. Quare significat hìc evangelista, Jesum, in eo quòd à Baptismo secedit in desertum, et in omnibus quæ deinde acturus est, sequi instinctum Spiritûs divini, non humani alicujus, qui à divino vel tantillùm discrepet. An igitur à puero hactenùs caruit Jesus ductu Spiritûs? non, sed idcircò jam potiùs illud Jesu attribuitur quàm hactenùs, quod jam ab apparitione ipsius Spiritûs, quâ declaratus fuerat plenus Spiritu sancto, tanquàm novâ indutus personâ, repentèque mutatus in virum alium, argumenta ediderit manifesta agentis Spiritûs sancti ad aggrediendum sublimissima Evangelii ac regni Dei negotia, qualia nunquàm hactenùs ediderat. Non enim, inquit evangelista, reversus est in Galilæam, in domum maternam ex quâ venerat, nec tanquàm plebeius ampliùs inter homines versatus est, sed divini Spiritûs instinctu in desertum actus est, et totus deinde muneri Christi peragendo inauguratus. Docemur hìc qui baptismatis gratiam consecuti sumus, sequi ductum Spiritûs (nec enim *alii sunt filii Dei quàm qui aguntur Spiritu Dei,* Rom. 8, 14); ducere autem Spiritum eos quos replet ad pugnam, nec sinere eos esse otiosos; nam sine hoc Spiritu qui ad pugnam vadit citò victus cadit.

In desertum, Judææ proximum, in interiora deserti proximi, ex quibus prodierat Joannes Baptista. Hoc Christiani postea desertum Quarentanæ vocârunt ab hâc historiâ. Solitudo assentatorum sodalitio vacua, et eremus carens arbitris, accommodata est iis qui, repudiatis mundi cupiditatibus, novam ac cœlestem vitam meditantur, ut facilè inquinantem

hominum convictum evitent, ut abstinentiâ carnem edoment, ut orationi divinarumque rerum contemplationi assiduam operam dent : quæ baptizatos omnes decere, maximè verò eos qui aliorum doctores futuri sint, suo hoc Salvator exemplo testatum reliquit. Singulariter enim Deum solum inspectorem adjutoremque volunt hæc habere certamina, ne sanctis servorum Dei sudoribus laus importuna se ingerat.

VERS. 2. — DIEBUS QUADRAGINTA. Hoc interpres præcedentibus junxit, in hunc sensum : Agebatur in desertum à Spiritu, ut illìc esset diebus quadraginta : ad quem modum etiam Syrus vertit : *Et duxit eum Spiritus in desertum diebus quadraginta, ut tentaretur*, etc. Græci libri, quibus nulla est conjunctio media, ferè jungunt istud sequentibus : *Dies quadraginta tentatus à diabolo*, ut est ea mollior constructio.

TENTABATUR A DIABOLO. Græcè participium est quod, cùm simile interpreti non suppeteret, periphrasi usus dixit, *et tentabatur*, quemadmodùm secundùm Matthæum. Tentare est rei incertæ experimentum capere, quod quidem facit diabolus, dùm suggestionibus perversis atque oppugnationibus variis fortitudinem constantiamque hominum experiri desiderat; sed quia illud facit, non tam ut noverit eam quàm ut labefactet, homine ad iniquitatem pertracto, hinc tentare, diabolo, similiter mundo et carni, hominis inimicis, attributum ponitur in vitio, pro eo quod est ad peccatum sollicitare; hanc porrò assignat Matthæus 4, 1, secessûs Christi in desertum causam, ut *tentaretur à diabolo*, non quòd sola fuerit, sed quòd inter multas, quas jam ferè intelligendas dedimus, præcipua. Quoniam enim Christus venerat in hunc mundum ad expugnandum Satanæ tyrannidem, primùm omnium post baptismum tentationibus Satanæ objicitur, et monomachiâ quâdam cum ipso committitur, ut hâc pugnâ viam sibi aperiat ad invadendum ministerio suo regnum Satanæ, nec nisi tentationibus probatus, quasi posito tyrocinio, ad tam arduum et præclarum opus se accinxisse videatur. In hunc finem in desertum ductus est, non quòd extra desertum diabolus Jesum tentare non posset, aut non vellet, sed quòd in deserto commodissimè et expeditissimè id sibi facere videatur, ubi nullum adest sodalitium humanum, quod tentatum soletur, aut terriculamenta machinamentave ipsius turbet, dissipet, vel impediat. Sic enim intelligimus ex S. Antonii et aliorum eremicolarum vitâ, eos à diabolo gravissimè infestari, qui carne ac mundo subactis, solitarii angelicam vitam moliuntur. Voluit autem Spiritus sanctus Jesum, non quaslibet subire tentationes, sed acerrimas atque gravissimas; verùm id voluit, non in eum solum finem ut tentaretur, sed ut tentationes vinceret viriliter et gloriosè superaret; nec id causâ Jesu, quem certum erat victorem fore, sed nostrâ potissimùm. Cùm enim nobis expediat, adeòque necessarium sit hâc in vitâ, ut permittat nos Deus tentari, seu ad malum sollicitari, et quidem pluribus de causis, ut nobis ipsi innotescamus, ne nos ipsos extollamus, ne torpeamus, sed vigilemus et variis tentationibus exercitati fortiores reddamur, denique ut virtus virtutisque præmium frequenti tentatione nobis augeatur; voluit Spiritus sanctus Jesum nobis et hâc in parte esse similem, ut pusillanimitatem adimeret tentatis, monstrans se eum esse qui diabolum, vincentem hactenùs humanum genus, vincere posset, victurusque omninò esset, cujus auxilio et nos homines eum vincere possemus; et docens nos modum diabolicas tentationes superandi, jejunio, vigiliâ, oratione, ac verbi Dei Scripturarumque meditatione; itàque mediatorem se nobis ad superandas tentationes proponeret, tum per adjutorium, tum per exemplum. *In eo enim in quo passus est ipse et tentatus* (ait Apostolus Hebr., 2, v. 18), *potens est et eis qui tentantur auxiliari.* Ostendere denique voluit ab eo optimè evangelizandi munus obiri posse, qui postquàm castigatum corpus in servitutem redegerit, et variis tentationibus probatus, omni luxuriæ, ambitionis atque avaritiæ desiderio superior factus fuerit, non est in periculo *ne, cùm aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur,* 1 Cor. 9, 27. Mox autem à baptismo tentatus docuit tum maximè urgere cum dæmone pugnam cùm baptizatus es aut novam vitam meditaris, quippe qui tunc nomine dato Deo, diabolo hostilitatem indixeris. Cùm enim diabolus ad meliora tendentibus semper invideat, tunc magis cavendum est ne mysterii gratiam deserat mentis infirmitas, inquit Ambrosius. Cæterùm ne tu te in tentationum laqueos temerarius injicias, non Christus ipse

VERS. 2. — TENTABATUR A DIABOLO. *Tentare* propriè est experiendi causâ explorare, ut sciat vel ipse qui tentat, vel qui tentatur, vel alii. Ita tentare solet Deus, ut aliquoties ex August. diximus. Diabolus ulteriùs habet scopum inducendi ad peccatum; unde ipsius tentatio est sollicitatio ad peccandum. Utroque modo Christus tentari voluit; qui sciebat se superari non posse. Causæ non ipsum, sed nos spectabant. Primò, ut nobis diabolum vinceret, et discipulis conculcandum traderet, inquit Hieron., Epist. 8 ad Demetriadem. Unde August. in Psal. 90, p. 2 : Ideò tentatus est Christus ne vincatur à tentatore Christianus; et Christus ipse hâc de causâ dicit : *Confidite, ego vici mundum.* Secundò, ut modum vincendi traderet jejunio, oratione, Scripturarum meditatione. Tertiò, ut ostenderet, inquit Ambr., 4 in Lucam, diabolum ad meliora tendentibus invidere; et tunc magis est cavendum, ne mysterii gratiam deserat mentis infirmitas. Quartò, ut doceret, eos qui alios debent instituere, sibi à tumultu conversationis carnalis esse recedendum, et precibus vitæque puritati insistendum.

QUADRAGINTA DIEBUS. *Quadraginta*, ne novi Testamenti legislator Moyse, et reipublicæ collapsæ renovator Eliâ esset inferior, quorum uterque quadraginta dies jejunaverat. Non excessit quadragenarium numerum, eò quòd numerus ille serviat pœnitentiæ et afflictioni præsentis vitæ, ut declarat August., lib. 2, de Consensu evang., c. 4, et mysticum aliquid continere tradit Ambros., lib. 4 in Luc. Unde et quadraginta dies pluit sub Noe, quadraginta annos Israelitæ pœnas luerunt in deserto, quadraginta dies explora-

tentationes expetivisse dicitur, sed ad tentationis locum à Spiritu ductus; quanquàm ipse, ut noverat se ab hoste superari non posse, ita poterat velle, volebatque ad nostram doctrinam tentari. *A diabolo*, spiritu immundo. Diabolus nomen habet à deferendo, traducendo, calumniando, accusando (hæc enim Græcis sonat verbum διαβάλλειν), quasi delator, calumniator, et ut Apocalypsis ait cap. 12, 10, fratrum accusator (eò enim refert studia sua omnia ut homines vituperabiles reddat et invisos Deo; ad peccatum sollicitet, et sollicitatos calumnietur, capitisque accuset, jure, injuriâ) quod nominis ferè Septuaginta dederunt pro Hebræo *Satan*. Porrò hìc antonomasticè pro principe diabolorum Lucifero positum videtur, ut Matth. 25, v. 41: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Et Apoc. 12, v. 9: *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram, et angeli ejus cum eo missi sunt*. Verisimile est enim ipsum dæmonum principem, qui primum hominem fuerat aggressus, secundum quoque aggressum fuisse, eo quidem consilio suo, ut princeps ipse certiorem victoriam de ipso reportaret, sed eâ Dei ordinatione, ut in principe dæmone cæteri quoque omnes à Christo superarentur confusi. Cæterùm non fuit Spiritus sanctus diabolo auctor ut Christum tentaret, sed cùm semper ille (quâ laborat invidiâ) hominem vexare, tentare, et ad peccatum sollicitare paratus sit, nec aliud quærat, quàm circumiens tanquàm leo rugiens, occasiones opportunissimas secum à Deo abducendi, perdendi ac devorandi (est enim humanæ salutis hostis juratus), singulariter autem hìc cùm princeps ipse dæmonum miris modis expeteret commoditatem acerrimè oppugnandi Jesum sanctissimum, quem, multis jam modis declaratum Dei Filium, metuebat regno suo plurimùm nociturum, nisi ipse illum ad peccatum pertractum Deo redderet inimicum; objecit Spiritus sanctus ipsi Jesum antagonistam, protrusum in desertum, tanquàm in locum certaminis; nam cùm tres sunt humanæ salutis inimici, qui hominem tentent, caro, mundus, diabolus, à diabolo aut à mundo tentari Jesus debuit, quando tentari debuit, quia carne sive concupiscentiâ suâ spiritui perfectè subjectâ, ad peccatum sollicitari non potuit. Hìc igitur describitur quî diabolus per se tentârit Christum; postea verò multæ mundi, hoc est, hominum mundanorum, tentationes narrantur quibus Christum impetiverunt, nunc suâ malâ sponte, nunc à diabolo instigati, qui carne et mundo plerùmque utitur ut ministris.

Nihil manducavit aut bibit in illis diebus. Per illos dies noctesque quadraginta.

Et consummatis, consummatis autem, finitis, exactis.

Esuriit. Græcè et Syriacè præponitur *postea*, quod superfluum est, cùm sufficiat dixisse *consummatis illis*. Videri possit ex Matthæo hùc esse adjectum. Insontem suam carnem jejuniis afflixit, ut nos doceret sontem nostram affligere. Jejunio se munivit ut nos doceret jejunium optimum esse adversùs tentationes munimentum, et jejuniis vacandum inter tentationes, non deliciis. Adam in paradiso à Diabolo victus est oblectamento cibi, Christus in deserto diabolum vicit asperitate jejunii. Promulgaturus orbi legem novam, cunctaque innovaturus, secessit, et ad quadragesimum usque diem jejunium produxit, ut tanquàm novus imò cœlestis homo prodiret ad exequendum munus suum; quemadmodùm Moses fecerat accepturus et populo traditurus veterem legem (Exodi 24, v. 18, et 34, v. 28), itàque ut Elias, novis principibus rempublicam innovaturus (3 Reg. 19, v. 8), ut Evangelium legi et prophetis ostenderet consentaneum. Dies noctesque quadraginta continuas, uno jejunio universam Joannis Baptistæ abstinentiam superans inediam Jesus toleravit, divinitate humanitatem fulciente, non ut omninò non affligeretur, sed ut non tantùm affligeretur, quantùm eâ jejunandi ratione affligi nata erat, quæ nata erat etiam extingui: id quod tamen supra humanas vires sic erat, ut ab hominibus aliquando factum divinæ litteræ prodiderint, à Mose, inquam, et Eliâ; quorum ille fecit, confortatus præsentiâ et alloquio Domini (Exodi 34, v. 28), hic fortitudine cibi ab angelo subministrati (3 Reg. 19, v. 8), Jesus propriâ suæ divinitatis virtute. Quare non excessit Jesus eum numerum, ne humanæ naturæ suæ veritatem in dubium verteret; tum etiam quòd quadragenarius numerus pœnitentiæ serviat et afflictioni; quem in jejuniorum, pro modulo nostro, observantiâ, voluisse Salvatorem exemplo suo nobis esse commendatum, sancti apostoli intellexerunt, auctore beato Hieronymo epistolâ 54, ad Marcellam, adversùs Montanum. Has porrò quadraginta dies noctesque, quas Christus jejunavit, non in otio duxit, imò in otio duxit sancto, perseverans in oratione, incumbens divinis laudibus et gratiarum actionibus, intentus contemplationi et alloquio Dei (cujus suavitas vel sola suffecit sustinendæ et à morte servandæ naturæ infirmæ), cum Deo agens, atque ab eo accipiens mandata quæ hominibus deferret,

tur terra promissionis, Num. 13; quadraginta dies à resurrectione Christus in terrâ manet. Plura vide apud Ambrosium. Hinc est quòd ex Apostolicâ traditione, Ecclesia etiam hunc numerum jejunio consecravit, non quidem, ut totos quadraginta dies omni cibo abstineamus, sed juxta Nazianz., orat. in sanctum Lavacrum, ad virtutum nostrarum modulum jejunium attemperando.

Esuriit. Non igitur antea, divinitate naturæ humanæ infirmitatem sustentante. Postea verò esuriit, non necessitate, sed voluntate eâdem quâ et passus est; idque ut hominem verum et infirmum intelligamus, inquit Iren., lib. 5, cap. 21. Deinde, inquit, esuriit ut haberet diabolus ubi congrederetur objectâ infirmitate naturæ. Sic enim et nos non solùm per concupiscentias, sed et per naturales necessitates tentare solet. Fames itaque Domini pia fraus fuit, ut in quo diabolus majora metuens jam cavebat, famis specie lactatus tentaret ut hominem, inquit Ambr., lib. 4 in Lucam.

secum et cum Deo statuens quibus rationibus ac modis jam executurus esset munus ad quod erat missus Evangelium promulgandi et salutem hominum procurandi, quid priùs, quid posteriùs docturus, operaturus, toleraturus esset, felicem omnium successum Patri instantibus precibus commendans, et cætera hujusmodi. Peractis illis diebus quadraginta et totidem noctibus, esuriit. Sicut virtute divinitatis servatum fuit corpus à morte in tanto jejunio, ita retentus fuit appetitus animalis ab actu esuriendi; non quòd nullam prorsùs esuriem inediamve sit passus, sed quòd non tantam quantam post quadragesimum diem quando et esurientis modo cœpit se habere. Verùm nec tunc quidem necessitate coactus esuriit, qui præest naturæ, sed voluntate, usque adeò ut D. Augustinus scribat, mirabilius in Christo fuisse quòd exactis quadraginta diebus esuriit, quàm quòd labentibus illis nil comedit. Aderat enim Christo facultas seipsum absque cibo servandi : sed concessit quando voluit humanæ naturæ quæ sua sunt pati et agere. Igitur post quadragesimum diem, divinitate humanitatem suæ ipsius infirmitati relinquente, cœpit vacillare humana natura, et manifesta molestæ famis argumenta edere, sive stomachi murmur, sive alia similia, cibum etiam fortassè quærere; unde diabolus tentandi occasionem accepit. Idcircò enim reliquit Dominus humanam naturam ipsam sibi, ut et se verum hominem monstraret (*esuriit*, ait sanctus quidam, *humilis homo Deus, ne inimico innotesceret sublimis Deus homo*) et diabolo piâ fraude circumvento tentandi occasionem præberet, quasique ad duellum provocaret; objecta est illi velut esca, humani corporis infirmitas; sed impegit ipse in uncum divinæ virtutis.

Vers. 3. — Dixit autem. Apparuit, visibili formâ, et, quod non dubium est, humanâ, quâ cognosci non posset diabolus, imò putari posset pius aliquis eremi cultor, quò faciliùs falleret. Observaverat Salvatorem cautè diabolus, totis superioribus quadraginta diebus, varièque tentaverat, sed cùm nihil profecisset, ubi tandem animadvertit esurie laborantem, sciens ubi fames est ibi et imbecillitatem esse, existimavit illum sibi ex eâ parte aggrediendum, quæ infirma ostendebatur.

Si filius Dei es. Si tu es Christus Filius Dei quem promiserunt prophetæ, qui esse videris; jam ostende urgente te necessitate. Dicas diabolum alludere ad vocem eam, quæ pridem cœlitùs ipsi audita fuerit et intellecta : *Tu es Filius meus dilectus*, etc., id quod dicit cum suâ scholâ Chrysostomus : Latini tamen plerique intelligunt, diabolo aliunde cognitum fuisse, ex prophetis, inquam, tam Christum fore Deum et hominem, quàm adesse tempus adventûs ejus; itaque, cùm observâsset, et ea quæ nato Jesu acciderant, et immaculatam vitam Jesu, et jam tandem Joannis de Jesu testimonia non obscura, hæcque inter se contulisset, suspicatum fuisse quod res erat, Jesum esse Christum Filium Dei, sed cùm nondùm animo ipsius factum esset satis, voluisse illud experimentis, qualia hìc describuntur, discere. Cùm enim fame confectum cerneret, *et mortalia perpeti humanitatis videret, omne quod de ejus divinitate opinatus fuerat, ipsi fastu suæ superbiæ in dubium venit*, ait Beda in Lucam : *nihil quippe nisi superbum sapiens, dùm Jesum hominem esse passibilem et humilem conspexit, Deus an esset dubitavit, ac proinde ad tentationum argumenta se convertit.* Hoc itaque quod timet explorat hìc, an Jesus sit Christus Filius Dei, ita ut Deo se profiteatur credere, et homini conetur illudere, adulans ut decipiat. Cæterùm non necesse est intelligas, dæmonem ex abrupto in hæc verba prosiliisse; *Si Filius Dei es*, sed verisimile est, multis iisque compositis verbis, conatum fuisse Jesu persuadere necessitatem cibi miraculo evocandi, quia id posset ut Filius Dei, opusque haberet ut homo, etc.; nam Evangelista sententiam duntaxat retulit.

Dic, id est, jube (ex phrasi Hebraicâ), facilè enim id ipse potes si Filius Dei es, nec opus habes ut à Deo Patre expectes cibum, à quo te vides derelinqui fame periclitantem, qui nihil minùs potes quàm ipse tuus Pater. Non ignoravit dæmon Dei Filium ejusdem esse cum Deo potentiæ, qui et ipse id possit, quod solus Deus potest, rerum substantias imperii sui nutu transmutare. Quare non vult ut precibus à Deo impetret; nec enim inde intelligere potuisset an Dei Filius esset.

Lapidi huic; dic ut lapis iste, quo modo Matthæus explicat : non enim lapidis est seipsum in panem convertere : Matthæus utitur numero plurari, Lucas singulari, tanquàm si manibus diabolus lapidem unum Jesu obtulisset. Fieri potest ut et manibus tenuerit lapidem unum, et alios lapides humi jacentes monstraverit; cæteroqui, parùm refert, sive Matthæus plurali usus fuerit loco singularis, sive Lucas singulari loco pluralis. Sensus est : Converte lapides istos in panes, quibus famem sedes; præsentes lapides in panis muta substantiam; sic enim fiet, ut et evadas mortis periculum ex fame imminentis, et probes te Deum. Postquàm, inquit, vides te à Deo Patre deseri, necessitas cogit ut tibi ipse de victu prospicias : hoc autem loco procul abes ab omni commeatûs copiâ, ubi nihil præter lapides suppetit. Succurre igitur necessitati tuæ, si potes, ne deficias : et victum, quem Deus tibi non suppeditat, confice ipse tibi ex lapidibus, transmutatis, non in delicias, sed in panem, [in cibarium ac necessarium commeatum; sic enim lo-

Vers. 3. — Diabolus, cujus officium est tentare. Accessisse autem corporeâ formâ, eâque humanâ, suadent illa cum Christo colloquia. Indicatur consequenter, foris non intùs illas fuisse Christi tentationes sicut et primi hominis. Si Filius Dei es. Notant communiter antiqui dubitâsse diabolum, utrùm iste esset Christus filius Dei. Chrysost. cum suis putat allusisse ad vocem, quam audisset supra in baptismo : *Hic est filius meus*, etc. Alii aliunde suspicatum hoc esse, ut ex vitæ sanctitate, ex prodigioso jejunio, Joannis testimonio, vocibus prophetarum; sed quia superbissimus erat, quidquid de ejus divinitate opinatus fuerat ipso fastu superbiæ, in dubium venit ex tantâ naturæ infirmitate. Itaque quasi consulens ejus necessitati, et

quitur, quò faciliùs impetret id quod petit. Hortatur itaque Jesum Satanas ut subveniat periclitanti naturæ, quasi compatiens et curam salutis ejus gerens, reverà autem decipere studens, et inprimis explorans an Jesus sit Christus verus atque ὁμοούσιος Filius Dei ut re compertâ, omnes in id nervos intendat, quo salutem hominum, quam Dei Filius moliatur, ipse præpediat. Agit verò id hunc in modum : Si in panem lapidem vertat, proculdubiò, cùm id non nisi divinâ virtute fieri possit, Dei Filius est ; quòd si non vertat, liquet non esse : nec enim non velle potest, qui fame perit ; volet autem etiam vel ut suo consulat honori. Ita autem explorat an sit Dei Filius, ut simul ad varia peccata conetur pertrahere ; et quidem ad gulam, ut ad cæterorum radicem. Nam fame afflictum ad famis impatientiam sollicitat, ejusmodi, quâ diffisus se Deo esse curæ, ipse sibi illicitis modis victum paret ; diaboli consilio morem gerens, et potentiam intempestivè exertans rerum naturas, ut ventris necessitati satisfaciat, miraculo transmutet si possit, et acceptum panem avidiùs quàm par sit famelicus voret (nam et hùc fortè spectat, quòd non unicum, sed plures lapides jusserit transmutari) si non possit, desperet sibi. Inde igitur cœpit Satanas, unde jam vicerat. Admovit primum illud et efficax gulæ telum, quo principes humani generis dejecerat : quanquàm illos tantùm sollicitaverat illecebrâ pomi blandientis; hìc fames, intolerabile malum, adjuvabat tentatoris conatum. His refutata sit impudentia Calvini, qui novus doctor veteres parùm firmis argutiis lusisse hìc ait, dùm primam tentationem dixerunt esse gulæ. Non solùm enim est gula in lautitiis ciborumque deliciis, sed et qui fame stimulante panem hordeaceum illicito modo sibi comparet, is gulæ peccato vincatur ; quemadmodùm ambitionis est reus, non solùm qui honores magnos venatur, sed et qui ignominiam illatam non ferens seipsum interficiat. Calvino gula non fuit pane aromatico quotidiè vesci ; veteribus gula fuit, panem cibarium majori aut quantitate aut voluptate, quàm naturæ requireret necessitas, sumere.

Vers. 4. — Scriptum est in divinis libris. Rationibus humanis tentator egerat : Jesus propugnat Scripturâ sacrâ armatus, quâ, nulla sunt adversùs tentatorem validiora arma ; ut quæ firmet hominem in veritate Dei (à quo profecta est ipsa Scriptura) ita ut nullo diaboli insultu queat dejici. Propositum enim Christo erat, ad nostram doctrinam, ut nobis vinceret, prudentiâ, humilitate virtutisque constantiâ vincere, quem potentiâ alioqui ac viribus facilè prostravisset aut in fugam vertisset, improbum insultorem. Ita autem respondet, ut neque prodat neque neget, se Dei Filium, verè mitis et humilis corde ; sed refutet absurdum quod tentator suggesserat consilium ; declarans interim non se latere quis esset, dæmon personatus. Sic autem habebat usus eo tempore doctorum Judæorum, ut quid citaturi è divinis libris, *Scriptum est* dicerent, intelligentes κατ' ἐξοχὴν sacrosanctam illam ac divinitùs inspiratam Scripturam.

Non in solo pane. Hebraismus, pro : Non solo pane.

Vivit, *vivet* (futurum pro modo potentiali, secundùm Hebræos), vivere potest.

Homo. Non est homini semper ut vivat, necessarius panis aut cibus alius hujusmodi qui in hominum usu est ; multòque minùs Filio Dei. A jactantiâ alienum se monstrat, hominem regerens, vocatus à diabolo *Filius Dei*.

Sed in omni verbo, sed omni re, omni modo, sive ratione aliâ. Dei, omni eo quo Deus jusserit aut voluerit ; ali vita hominis potest quâcumque re et quocumque modo Deo placuerit. Nam et panis quòd pascit, non aliunde habet quàm ex divinæ Providentiæ constitutione ; quare aluit quosdam Deus suo solo nutu, nullâ re corporali in panis locum substitutâ, ut Mosen quadraginta diebus secum colloquentem. Sunt autem illa verba Mosis ad Israelitas, ignoto homini cibo è cœlis altos, manna, inquam ; quæ Salvator antagonistæ suo clypeum objecit, in hanc ferè sententiam : Tu me, quia fame laborem, nec ulla suppetat cibi copia, eò te putas posse adducere, ut tanquàm derelictus à Deo, ipse mihi cibum miraculo procurem, si quidem possim, lapide in panem converso avidèque vorato, temerè juxta consilium tuum ; si non possim, de salute desperem. Atqui sacra doctrina illud vere accepimus promissi, eos qui Deo credentes obediunt, non oportere dubitare aut sollicitos esse in ullis rerum difficultatibus, quæcumque in obedientiæ fideique exercitatione se offerant ; sed credere certissimam esse Dei providentiam, eamdemque locupletissimam, quæ non unam tantùm vitæ humanæ alendæ materiem habeat, ut panem solum, aut eos cibos qui vulgò in usu esse soleant, sed plurimas, hominibus incognitas. Tu Satan ejus gra-

simul adulando pungens : Si filius Dei es, cur sic tamen affligeris, cùm sit remedium ad manum? Dic, id est, jube solo imperio tuo omnipotenti, non precibus, lapidi huic, ut panis fiat ; convertendo eum scilicet non in cibum delicatum, sed in panes, ut necessitati succurras. Quod si fecisset, certum putabat indicium, eum esse Deum : si in tantâ necessitate non fecisset, sive nolendo, sive quia non posset, non esse Deum. Ubi pulchrè Ambros. : artificem diaboli disce astutiam ; sic tentat, ut exploret ; sic explorat ut tentet. E contra Dominus sic fallit ut vincat ; sic vincit ut fallat. Nam si convertisset creaturam, proderet creatorem et simul in varia peccata laberetur. Nam propter famem diffidere divinæ providentiæ, et ita morem gerere diabolo, ut potentiam suam intempestivè ostentet, nullâ Dei gloriâ vel proximi utilitate id postulante, gulæ simul et vanitatis vitium est. Nihil enim, inquit Ambros., pro diaboli arbitrio nec contemplatione panis faciendum est. Quod Christus significatè volens respondit :

Vers. 4. — Scriptum est, nempe in Scripturâ illâ divinitùs inspiratâ, quæ per excellentiam intelligitur in similibus locutionibus. Non in solo pane vivit homo, id est, non solo pane vitam sustinere potest homo quilibet, multoque magis Filius Dei. Sed in omni verbo Dei ; id est, sed quâcumque tandem re Deus eum voluerit ac jusserit sustentari, utpote cujus voluntate et jussu etiam ipse panis alit. Alii enim

tiam pani alligas : ipse per Scripturam testatur, ut desint omnes cibi solam suam benedictionem ad nos alendos sufficere. Cùm igitur ego hùc venerim, non meo privato consilio, aut libidine, aut hypocrisi, aut alio animi temerario impulsu, sed Spiritûs sancti ductu, non debeo ego diffisus Deo, mihi ipse edito miraculo velle providere de cibo, itàque derogare gloriæ Dei, tanquàm non gerentis curam meî (nihil autem facere debeo ex consilio tuo), sed permittere eam curam Deo, cujus præceptum secutus hùc veni, exemplo eorum qui secuti mandatum Dei, et defecti cibis consuetis, in deserto per quadraginta annos alti sunt cibis cœlestibus, nunquàm antea visis in terrâ. Hunc in modum Jesus primam gulæ tentationem vicit, dùm esurientem cibi non superavit appetitus, ita ut intemperanter ad cibum properans, obediret seductoris consilio, aut seipsum proderet miraculo; sed famen vertit in virtutis temperantiæ materiam, confisus Deum sibi fore nutritium, tametsi procul abesset omnis cibus humanus, fiduciâ ex sacrâ Scripturâ acceptâ. Docet hìc inter cætera Salvator nihil agendum esse ex diaboli consilio, quantùmvis videatur rationi consentaneum (hic enim declaratus et arcanarum litterarum præconio proclamatus est, Dei et hominum hostis, cum quo nullum liceat inire commercium), nec quibus suppetit donum miraculorum, edere debere miraculum ullum ad propriam sive necessitatem sive utilitatem, nisi accedente peculiari aut præcepto aut instinctu Dei. *Nam cui facile fuisset,* ait Ambrosius in Lucam, *lapides in panem, naturæ alterius transfusione, convertere, docet nihil tibi pro diaboli arbitrio, aut declarandæ virtutis tuæ contemplatione faciendum.* Magorum ac præstigiatorum est, ad inanem ostentationem, ad suam ipsorum utilitatem et spectatorum curiosam voluptatem, vel edere vel fingere prodigia; servo Dei non sunt edenda miracula, nisi ut illustretur gloria Dei.

Vers. 5. — Et duxit. Illum tentationum Christi à diabolo ordinem, quo prima narratur ea quæ in deserto, secunda quæ in monte, tertia quæ in templi summitate accidit, quem in Lucâ nostrorum Bibliorum habet textus, habent in Lucâ similiter, Græci omnes, Syrici, Latinique libri, quos videre potuimus, suffragantibus, Origene, homiliâ 29, 30 et 31 in Lucam, Augustino decimo sexto capite secundi de Consensu, Bedâ, Theophylacto, Euthymio et posterioribus Latinis enarratoribus. Cæterùm, testatur quidam, quod Jansenius refert, antiquos quosdam codices, habere in Lucâ ordinem eumdem quem Matthæus habet, secundam quæ in templi summitate, tertiam quæ in monte; quem sanè et B. Ambrosius, Lucam explanans, tum in textu, tum in commentariis, servat. *Tria*, inquit, *præcipuè docemur tela diaboli,* etc., *gulæ unum, aliud jactantiæ, ambitionis tertium,* ac, primâ gulæ tentatione expositâ, ait : *Sequitur jactantiæ telum, quo proclive delinquitur, quia dùm homines gloriam virtutis suæ jactare desiderant, de loco meritorum suorum et statione decidunt. Et duxit illum,* inquit, *in Jerusalem,* etc. Tertiò demùm de ambitionis telo latè disserit : *Et duxit illum diabolus iterùm in montem altissimum,* etc., et in fine : *Cæterùm,* habet, *quod ad mysticum ordinem spectat, cernis vetusti erroris vincula suis resoluta vestigiis, ut primò gulæ, secundò facilitatis, tertiò ambitionis laqueus solveretur,* etc. Quare, ordinis mutationem, quæ in Evangelio Lucæ reperitur, ex scriptoris vitio accidisse, videri fortassè possit, qui verborum falsus similitudine, tertiam tentationem secundæ præmiserit; incipit enim utraque ad eumdem modum : *Et duxit illum ;* Græcè quoque simile est ; ac postea errore deprehenso, tertiæ secundam subjecerit, cùm etiam plerique codices Græci, Theophylacto, atque apertissimè Euthymio, astipulantibus, in eâ quæ secundo loco ponitur, addant : *Vade post me, Satana.* Non est enim vero simile B. Lucam, aliam subjecturum fuisse Satanæ tentationem, postquàm narrâsset eum à Domino repulsum. Hoc est enim, *Vade post me, Satana,* ut exponit Euthymius, è conspectu meo te aufer, desine me tentare. Verumenimverò pars ista nec in Latinis libris habetur; nec in Syricis additur; nec in Græcis quibusdam nominatim, Vaticani et Parisiensium, secundo, septimo atque octavo, invenitur; nec denique, ab Origene, Ambrosio, Bedâ, posterioribusque Latinis, legitur. Probabile est, quod sentiunt quidam, huc, ex Matthæo, cap. 4, vers. 10 à Græculis fuisse adscriptam.

Tentator, ubi primæ non successit, alterâ mox tentavit viâ (clarum est enim tres istas tentationes fuisse continuas), quo docemur, ne unquàm securitati nos tradamus, sed novos semper parati exspectemus insultus. Assumit, inde acceptum transfert, secum abducit patientem, verè et corporaliter ad

sine pane, ut Moyses et Elias; alii novo cibo, ut manna, alii aliter à Deo sustentati sunt. Itaque his verbis Christus eludit dæmonem, neque asserens neque negans se Filium Dei, vincitque eum non potentiâ, sed prudentiâ; non ut Filius Dei sibi succurrendo, sed ut homo infirmus, fiduciam in Deo collocando; tentationi non cedens, sed ei velut clypeum Scripturas objiciens. Simulque docet ita domitam esse oportere cupiditatem voluptatis, ut nec fami cedendum sit, inquit August., lib. de verâ Religione cap. 38.

Vers. 5. — In montem excelsum. Montem Quarentanæ, non multùm à Jerosolymis dissitum, nonnulli fuisse asserunt, qui inde *Mons diaboli* dictus sit. Porrò auctor serm. de Tentationibus Christi et Jejunio apud Cyprian., putat hanc assumptionem contigisse in spiritu, sicut Ezechiel fuit in Jerusalem; sed veriùs alii communiter volunt corporaliter contigisse, non quasi pedibus Christus iverit, ut nonnulli sentiunt, sed quòd verè corporaliter translatus fuerit, ad eum modum quo Habacuc in Chaldæam, Philippus in Azorum. Qui enim se crucifigi voluit à membris diaboli, non est mirum, si se ab ipso diabolo permisit transferri, ut Greg., Hom. 16 in Evang. Et ostendit illi omnia regna : non in imaginariâ visione, indignum enim videtur, quòd diabolus sensus internos Christi commoverit, sed visione corporali, ad hoc enim delectus fuit mons excelsus valdè, ut latissimè pateret prospectus. Ostendit ergo digito demonstrando pleraque regna et singulas mundi plagas, ut auctor Operis Imperfecti. Et quia Lucas addit : In momento tem-

eum modum quo maleficos nonnunquàm in alia loca per aerem defert, et quo angelus Domini translulit Abacuc è Judæâ Babylonem (Dan. 14, v. 35); nam spirituum virtus dominatur materiæ corporali. Nec indignum fuit Christo id permittere ut à dæmone ferretur, qui id permisit ut crucifigeretur, Gregorius ait. Non enim fuit Christi imbecillitas quòd se permisit à diabolo sive assumi sive crucifigi, sed patientia; nec diaboli fortitudo, sed superbia, qui voluntatem Jesu, necessitatem putavit. Cæterùm quod Imperfecti Operis auctor conjicit quanquàm sic Christum diabolus assumpserit ut ab omnibus videri posset; Christus diabolo inscio, id egit, quòd aliàs (Luc. 4, v. 30; Joan. 8, v. 59) ut à nemine videretur. Quidam ægrè admittentes Christum permisisse ut à diabolo per aera veheretur, docent Christum à diabolo fuisse assumptum eo modo quo Matth. 17, v. 1, apostoli referuntur à Christo fuisse assumpti, quod est, ducti, quo certè verbo Lucas hoc loco utitur. Atqui, si pedes Christum diabolus ex hoc deserto Jerichunti vicino in montem, nescio quem, omnium altissimum, duxit, non fuit hoc iter unius duntaxat diei. Jejunaverit igitur Christus plus quàm quadraginta diebus, qui non ante comedit quàm his tribus tentationibus peractis, cibum angelorum ministerio acceperit. Quid autem dici possit ad id quod mox sequitur, quòd diabolus Jesum ipse statuerit super pinnaculum templi? Nec timendum erat Jesu à diabolo præcipitium, qui noverat non plus posse diabolum, quàm ipse cum Patre Deo permitteret : non enim ipse diaboli operâ utebatur ut traheretur, quod vitium sit præcipitio dignum, sed diaboli ultrò id tentantis (quod et aliàs viris sanctis accidit) se permisit arbitrio. Diabolus igitur, cùm ex responso accepto intelligeret non ignotum se esse Jesu, quidquid simularet, nihil dubitans prodere se, qualis erat, spiritum nequam, rapuit Jesum per aera.

In montem excelsum, ex quo liber undique et latè patens prospectus. Quidam dicunt fuisse montem totius mundi altissimum; quidam fuisse montem deserti Quarentanæ, vocantque diaboli montem, distantem ab eo monte in quo jejunàrit et primùm tentatus fuit Dominus, quem montem Quarentanæ nominant, milliaribus duobus, Jerosolymam versùs. Mutavit locum Satanas, si fortè loci mutatio mutaret affectum, et impetraret consensum, quod fit nonnunquàm.

Omnia regna orbis terræ, quâ parte quodque situm erat per quatuor mundi plagas. Matthæus addit, *et gloriam eorum,* quod dixit Lucas vers. sequenti. Ostendit gloriam eam quæ administrationem illorum consequitur, brevibus describens, simul et ante oculos apparere faciens, singulorum gloriam, illud opibus clarum, hoc viribus; aliud frequentiâ populorum, aliud alio conspicuum et gloriosum; denique quidquid in orbe magnificum habet magnorum regum strepitus, opes, famulitium, palatia, copias, adorantium turbas, obsequia, pompas, triumphos, legationes, nutum omnipotentem, aliaque permulta; harum rerum omnium mirum quoddam theatrum repentè objecit oculis Jesu. Potuit autem hoc efficere, partim prospectivæ sive opticæ artis vi, quam non ignorat (quâ arte ab hominibus conficiuntur inspicilla, quæ longissimè distantes res oculis exactissimè subjiciunt) partim præstigio, perstringens oculos Jesu permittentis. Conatus est porrò hâc ostensione, terrenorum amorem dominandique libidinem in Jesu excitare; sed nulla intùs cupiditas animum Jesu pupugit, qui sensum nobiscum communem habuit, non appetitus incompositos.

Antiquissimi et lectissimi codices, nominatim Brug., Lob., Leod., Clarmar., et tres Ecclesiæ S. Audomari, omittunt hæc verba, *in montem excelsum :* quæ alii addunt, non absque varietate tamen, cùm quidam *excelsum,* quidam *altissimum* scribant. Videri possint ea ex Evangelio secundùm Matthæum huic fuisse adscripta, nec interpreti fuisse Græcè lecta : quanquàm nunc exstent et Græcè et Syriacè. Jam exemplar illud vetustum cœnobii D. Germani Pratensis, ad muros Parisienses siti, quod Jacobus Faber testatur servare, eumdem tentationum Jesu à diabolo ordinem, in hoc Evangelio, quem habet Matthæi Evangelium, nihil moror, cùm sit singulare. Nam quod D. Ambrosius in Lucam scribens, eo ordine explanat quo narrat Matthæus, non rarò Ambrosius, in Lucam licet scribat, Matthæi textum edisserit.

In momento seu puncto temporis, brevissimo temporis spatio. Hinc intelligo diabolum, plus aliquid quàm paucis verbis descripsisse situm et gloriam regnorum singulorum (nec enim mirum id fieri posse brevissimo tempore ut opus fuerit annotare), nimirùm etiam oculis objecisse.

Vers. 6. — Ait illi. *Diabolus* hìc repetitur Græcè et Syriacè.

Tibi, quem dignum hoc honore judico, et idoneum qui sub me hæc administres : non enim dignor per meipsum hæc administrare, ut nec te decet ignobili et contemptibili schemate obumbrari. Quem concupiscentia carnis et superbia vitæ superare non potuerat, jam concupiscentia oculorum, id est, avaritia, superbiæ interim juncta impetit, in quibus tribus omne id consistere, Apostolus ait (1 Joan. 2, v. 16), quod in mundo est. Non enim aliquod inusitatum

poris, videtur indicari simul fuisse modum ostendendi diabolo proprium, ut scilicet arte quâdam species distantissimarum rerum apparere fecerit, quod et homines instrumentis quibusdam faciunt, vel præstigio oculis repræsentaverit. Nam simul etiam ostendit *gloriam eorum ;* id est, quâ re unumquodque regnum excelleret, objiciendo scilicet quasi in theatro opes et magnificentiam uniuscujusque, vires, populorum frequentiam, regum pompas et fastum, adorantium obsequia et similia.

Vers. 6. — Quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa. Qui enim extorquere non poterat, an esset Filius Dei, seipsum fingit Filium Dei, ideòque tanquàm hominem jam utcumque deprehensum impudentiùs tentat. Unde nec addit apertè, *si Filius Dei es,* tametsi occultè eòdem tendat, nempe ut, si fortè

certamen subire voluit Dei Filius, sed communes habere nobiscum pugnas, ut iisdem armis muniti, non dubitemus victoriam nobis esse in manu. Avaritia et ambitio magnos animos corrumpere valent, ex appetitu hominibus insito, *eritis similes diis.* Malum hoc Adam in Paradiso pulsavit et stravit, cùm subjectionem, quam Deo debebat, fastidiens, appetiit dominatum, et cùm vellet esse sicut Deus, sine Deo se vidit et novit. Jam verò reipsâ expertus erat inimicus, nihil esse tam impium ac nefarium, quod imperii causâ homines non auderent.

Potestatem hanc universam, id est, regna hæc universa, seu jus et imperium in regna hæc universa.

Illorum regnorum.

Tradita sunt, universi orbis terrarum regna. Græcè legitur, *tradita est,* scilicet potestas hæc universa et gloria. Mentitur mendacii pater, non enim ipsi traditum est imperium orbis terrarum, sed homini traditum fuit : ipse autem, homine injusto bello victo, usurpavit et etiamnùm usurpat illud, potestate, non absolutâ, sed definitâ à Deo: nihil enim ampliùs potest, quàm Deus hominum peccatis offensus ipsi permittit.

Cui volo. Sum enim princeps ac Deus hujus mundi. Multùm diabolus artibus suis potest in evehendis ad summum imperii fastigium his illisve quos vult; sed non ampliùs, etiam cùm per universum orbem coleretur ut Deus, quàm decreverit ipsi permittere Deus, cujus providentia constituit imperatores ac magistratus, non semper quales diabolus desiderat, sed quales ipsi placet, nunc bonos, cùm hominibus est propitius, nunc malos, quales diabolus studet promovere, cùm iratus; cujus proinde solius est dicere: *Cui volo do illa*, Dan. 4, v. 22. Arrogat hìc itaque diabolus sibi quod Dei est; quare etiam exhiberi sibi postulat divinum honorem.

Do illa. Græcè est, *do illam,* scilicet potestatem et gloriam universam. Latinus interpres legit αὐτά: hinc duo hæc postrema versiculi membra vertit pluraliter.

Vers. 7. — Tu ergo. Si ergo hæc te delectant, si amas regnare, si cupis ditescere, facillimum tibi fuerit hæc omnia tui juris facere.

Adoraveris me, ut regnorum omnium mundi dominum et largitorem; si agnoveris me tanti culminis largitorem, et ut hujuscemodi supplex honoraveris me. Rem peto tam facilem quàm exiguam pro munere tanto. Divinum sibi honorem postulat exhiberi : nam ab initio ipso cùm voluerit Deo similis esse, ideòque de cœlo dejectus sit; nihilo tamen minùs permanet in superbiâ illâ eâdem et quod in cœlo obtinere non potuit, à mortalibus poscit in terrâ. Sed cùm id à Filio Dei expetere Dæmonem omnium absurdissimum improbissimumque sit, non addit id quod aliàs : *Si Filius Dei es*, sed exspectat, siquidem Dei Filius sit, offensus, sibi eum à dæmone deberi honorem, suaque non illius esse, ea omnia quæ ille pollicetur, ut respondeat; si verò non sit, promissorum amplitudine magnificentiâque capiendum sperat. Itaque, superioribus tentationibus disertis verbis explorat an Dei Filius sit, clàm autem ad peccatum sollicitat : hâc porrò disertè ad peccatum, idque gravissimum, tanquàm hominem merum sollicitat; clam autem an Dei sit Filius explorat.

Coram me, id est, *me;* superest *coram* ex Hebraicâ phrasi, simile, 1 Reg. 1, v. 19, vox Hebraica *histahava*, quæ nobis vertitur *adorare*, ex vi vocis nihil ampliùs significat quàm incurvare sive prosternere se : unde fit ut ferè addatur illi *liphne* coram, vel littera *lamed* serviens dandi casui.

Erunt tua omnia; tu unus obtinebis hæc omnia totius orbis terrarum regna. Monarcha eris totius mundi, et in terris pro Deo coleris, modò me tantæ felicitatis auctorem agnoveris. Græci libri meliores, pro *omnia,* quod habuit interpres, legunt *omnis* vel *tota : Erit tua omnis* vel *tota*, hæc potestas et gloria.

Vers. 8. — Dixit illi : Quod Græcè sequitur : *Vade retrò, Satanas,* non est hujus loci.

Scriptum est. Sacræ Scripturæ voci obtemperandum est, non tuæ. Prudenter iterùm se Filium Dei dissimulans, id è Scripturis respondet, quod quivis homo justus respondeat.

Dominum. *Domini* voce utuntur novi Testamenti scriptores, et veteris interpretes, ut proprio Dei nomine loco nominis tetragrammati יהוה, ab *hava*, quod Hebraicè et Chaldaicè *esse* significat, derivati, quod adeò proprium est Dei nomen, quòd sibi ipse indidit, ut illius hominis Jacob, hujus Joseph, ut gerat etiam in capite *iod* litteram, propriorum nominum formativam. Illud efferre volentes neotericorum plerique dicunt, Jehova; sed Judæi asserunt majores suos ab ipso usque Mose, cui primò revelatum et traditum est hoc nomen, ejus loco semper pronuntiare solitos, *Adonai;* id quod certè secuti sunt veteres, Septuaginta Interpretes, apostoli, evangelistæ, Origenes, Hieronymus aliique, persuasi, verisimile est, illud efferri non posse, non quia non liceret, sed quia ejus sonus ignoraretur, Deo providente reverentiæ nominis essentiæ suæ proprii; unde ἀνεκφώνητον, id est, *ineffabile,* dictum est. Quocirca Judæi postea, quando Biblia sacra punctis vocalibus insigniverunt, puncta nominis *Adonai* huic nomini adpinxerunt. Quòd autem veteres, adeòque apostoli, loco nominis

Filius Dei sit, rei absurditate percussus se prodat; sin autem non sit, gravissimâ omnium tentatione superbiæ ad peccatum gravissimum idololatriæ perducatur.

Vers. 7. — Si adoraveris coram me, veluti tantorum regnorum et gloriæ largitorem.

Vers. 8. — Dominum Deum tuum adorabis, nempe curvatione vel casu corporis, sicuti petis. Hoc enim sibi propriè vult hæc adoratio verbo Hebraico; sed quando Deo tribuitur, involvit simul interiorem adorationem Deo dignam. In Deuteron. c. 6, v. 3, est *tira, timebis*; unde sensum, non verba citat, quia sic postulabat Satanæ petitio. Adde quòd timoris et reverentiæ pars magna sit adoratio : et in Scripturis sub timore Dei omnis ejus cultus comprehenditur.

hujus ineffabilis sonuerint, *Adonai*, patet, tum aliundè, tum ex eo quòd constanter reddiderint, Κύριον, sive *Dominum*, quæ est propria significatio nominis *Adonai*. Nam ineffabile, si interpretandum esset juxta etymologiam, transferendum esset, *qui est*, vel ut, Platonicè loquamur, ὁ ὢν, sive, τὸ ὢν, *Ens*. Itaque in sacris novi Testamenti litteris et veteris versionibus, vox *Domini* plerùmque subit locum proprii nominis Dei, usque adeò ut et enuntiatione singulari, quemadmodùm dicis : *Petrus est homo*, ita legas : *Dominus ipse est Deus*, Deut. 4, 35; *Dominus est magnus Deus*, Ps. 94, 3.

Deum tuum. Qui solus est Deus tuus, creator, conservator, rector, et consummator tuus.

Adorabis. O homo, solus ipse est omnium Dominus. In Deuteronomio, tam decimo quàm sexto capite, est *timebis*, non solùm juxta Latina, verùm etiam juxta Hebræa et Græca : quod Salvator mutavit cum *adorabis*, quòd hoc responsio postularet, comprehensum aliqqui verbo *timebis* : nam timoris reverentiæque pars non minima, adoratio est. Porrò adorandi vox, et quæ huic Græcè respondet προσκυνεῖν, quæque Hebraicè *histahava*, nihil ex se ampliùs significant, quàm exteriorem venerationem cum corporis prostratione aut incurvatione : quare frequenter in sacris Litteris, honor illis significatus, etiam hominibus, maximè principibus magnisque viris, tributus cum laude refertur, 3 Reg. 1, v. 16, 23, 31. Cæterùm, quando Deo uni tribuendus præcipitur, plus voces ex usu quàm ex vi suâ significant, hujusmodi nimirùm exteriorem venerationem, quæ ex interiori proficiscatur (præcipuèque interiorem ipsam) quâ colatur Deus ut rerum omnium auctor et dominus, ex quo profluxerint omnia, in quo subsistant, cuique subjaceant omnia, summa, suprema unicaque majestas.

Et illi soli. Τὸ *soli* Deuteronomium non addit, præsertim Hebraicè, sed intelligitur in pronomine, *illi* quod emphasim affert, cumque exclusione intelligi postulat, illi, non alteri, quemadmodùm id quod præcessit; *Dominum Deum tuum*, non alium aut aliud *adorabis*.

Servies, *coles*; cultu ac servitute ei singulariter debitâ quam diabolus ipse sibi poscebat. Domino Deo suo servire, vera est regnandi ratio. Λατρεία ex vi significationis non denotat servitutem soli debitam Deo, sed ex sacrorum scriptorum usu, Pauli præsertim et Septuaginta duorum Senum; alioquin idem est quod δουλεία : nam et Levitici 33, 7, opus servile λάτρευτον Græcè dicitur. Hebræa vox *habad* generalis omninò est. Ista est autem Deo singulariter debita servitus cùm in sacrificio et adoratione, tum in piâ erga Deum affectione mandatorumque illius observatione. Nulli serviendum est contra Deum, nec ulli nisi propter Deum.

Vers. 9. — Et duxit. Duxit etiam, per aera transvectum non renitentem. Quidam vertunt : Jam autem duxerat illum Jerosolymam, statueratque, etc., ita ut significetur non servari hìc ordinem rerum gestarum.

Super pinnam templi, in summo templi fastigio, in cacumine turris templi, ut more nostro loquamur. Erat in anteriori facie templi interioris, complectentis Sanctum et Sanctum sanctorum, quod solum tecto opertum domûs formam referebat (nam exterius, id est, reliqua pars templi, sub dio erat), *oulam* vestibulum, quod Scriptura vocat, in turris formam ædificatum, centum viginti cubitis altum, videlicet duplum longitudinis interioris illius templi, longi cubitis sexaginta. In hujus, verisimile est, vestibuli cacumine, statuit diabolus Jesum; unde si desiliisset Jesus, delapsus fuisset in atrium sacerdotum, inter templum et altare, quo modo is locus vocatur Matth. 23, v. 35, seu, quo modo Joelis 2, v. 17, inter vestibulum et altare; cernentibus sacerdotibus et populis universis qui ad rem divinam convenerant. Hùc enim versis faciebus, orabatur ab omnibus. Hunc itaque locum elegit Satan, ut, tanquàm congruum, Jesu persuaderet; ubi Deus colebatur, illic se Dei Filium, coram Dei cultoribus congregatis, ostendere.

Si Filius Dei es. Invidet Jesu honorem Filii Dei, nititurque eum, si quidem sit, ab eo honore, honoris ambitione dejicere (sæpè enim quos gula non vincit superat ambitio); verùm id dissimulans, simulans autem se desiderare, ut cùm sibi tùm aliis qui infra aderant in templo, monstret se Filium Dei, quia ipsi, soli sibi quærenti, nihil dederat responsi.

Mitte te, projice teipsum. Si tu es Christus Filius Dei Israeli promissus, monstra illud in templo Dei, non mihi, sed Israelitis quibus promissus es, qui hùc ad colendum Deum frequenti numero convenerunt. Ecce nunc eo loco te constitui ubi non frustra miraculum edes; conspicietur enim ab omnibus in templo præsentibus, moxque toti civitati, indeque universo Israeli innotescet. Dede igitur te hinc è sublimi præcipitem, ut homines videntes te volare sine casu, et cadere sine læsione, credant te esse Filium Dei, et agnoscant Christum esse diù ipsis ex Dei promissione exspectatum, itaque recipiat te Israel,

Et illi soli servies; Græcè, λατρεύσεις, servitute scilicet, quâ Deus solus colitur, et quam tu flagitas : hoc enim significat Græca vox, si non significatione saltem usu Scripturæ, ut notavit August. 15 contra Faustum, c. 9, et l. 10 de Civitate, c. 1.

Vers. 9. — Super pinnam templi, id est super fastigium; quòd erat peribolus quidam seu loricâ circumdans tectum superiùs planum, ne quis decideret, quemadmodùm de omnibus tectis præscribitur Deuter. 22, v. 8. Græcè dicitur πτερύγιον, id est, pinna seu ala, quia ab ædificiis exstabat instar alæ. Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsum, ut scilicet non solùm sic pateat te esse Filium Dei, sed etiam in populosâ civitate homines, te videntes sine casu volare, credant esse Filium Dei sibi promissum. Ubi observant Hieron. et Ambros. semper diaboli voces eò tandem tendere, ut sicut ipse superbiâ cecidit, etiam homo deorsum præcipitetur. Scriptum est enim. Quia Scripturis et fiduciâ in Deum se Christus defenderat, ex utroque capite laqueum ei struit : q. d. : Quia ita

et ut Messiæ suo adhæreat, cùm palàm feceris omnibus te esse Filium Dei. Hortatur ut in urbe sanctâ et frequentiâ populorum, quasi novus funambulus in excelso pendulus, se deorsùm ad spectaculum vulgi jactet intrepidus. Verè diaboli vox : *Mitte te hinc deorsùm,* quæ mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare contendit, sicut ipse præcipitatus fuit. Sed suadere præcipitium diabolus potest ; id quod ei familare est ; præcipitare nisi volentem non potest.

VERS. 10. — SCRIPTUM EST ENIM. Primùm superatus ipse ab Jesu per confidentiam è Dei verbo acceptam jam conatur Jesum per verbum Dei in vanam ac ventosam confidentiam adducere, ut extra metas se efferat et exsultet. Quandoquidem ita pendes à providentiâ Dei, ut, ne esuriens quidem, in summâ rerum penuriâ, dubites te ab illo, etiam sine pane, sustentari posse ; benè est : teipsum jam deorsùm præcipita, ut magis etiam ostendas te ab ejus providentiâ pendere. Impunè enim et sine periculo id potes ; promittit enim Scriptura homini justo, multòque magis Filio Dei. De Scripturis ipsis divinis laqueum Jesu parat : *Quid hic faciet misellis hominibus,* ait Lirinensis, *qui ipsum Dominum majestatis Scripturarum testimoniis appetivit ?*

ANGELIS SUIS. Homo, cujus spes timorque est Dominus, multos habet ad suî custodiam vigiles Angelos : exemplum, 3 Reg. 6, v. 17.

MANDAVIT. Mandaturus est, imò jam mandavit Deus tuî curam in quamcumque veneris angustiam aut necessitatem. Id quod sequitur : *Ut custodiant te in omnibus viis tuis,* quoad posteriorem partem *in omnibus viis tuis*, omisit Matthæus (priorem enim partem : *Ut custodiant te* Lucas retulit) vel quòd minùs serviret, vel quòd contrarium esset, proposito ipsius : neque enim hæc erat è viis hominis justi, temerè se dare præcipitem.

VERS. 11. — TOLLENT TE, ferent te, gestabunt te manibus suis : non enim αἴρειν hìc declarat jacentem sublevare, sed aliquem ferre et gestare, ductâ significationis origine ab iis qui onus aliquod gestaturi attollunt illud.

NE FORTÈ, ne quando, ne unquàm, ne fortè occurrat lapis in quem impingas.

OFFENDAS. Ruentem te excipient et conservabunt illæsum. Callidè hùc hunc Scripturæ locum accommodat : videtur enim, si verba spectes, ei qui confidat in Deo, præcipitium impunè promittere. Hâc igitur alterâ explorare studet viâ an sit Dei Filius, si è sublimi, nimirùm, in terram illæsus subsidat : nec enim id poterat nisi Dei Filius : homo enim, ut ipse id non possit, ita non accipiat Angelorum subsidium, dùm temerè id tentet : dæmonis autem opera an uteretur Jesus, ignorare non potuisset dæmon ipse. Verisimile est porrò, non facilem ex eo loco, quo Jesum statuerat, patuisse descensum, ita ut in quamdam necessitatem se præcipitandi adducere voluerit, quò faciliùs persuaderet. Simul autem, dùm explorat an sit Dei Filius, sollicitat ad inanis gloriæ studium, quam ab iis aucupetur, qui infrà loco omnium celeberrimo, frequentes ad rem sacram convenerant ; et hoc, sive Dei Filius sit, sive non sit. Nam qui arrogantes sunt et gloriæ cupidi, ne quam opinionis suæ jacturam faciant, plerùmque conantur ea quæ supra vires ipsorum sunt, ac per fucum sibi vindicant quod non habent, gloriam venantes apud homines. Deinde verò ad vanam confidentiam, temerariumque ausum, et interitum certum, pertrahere conatur, si quidem merus homo sit ; porrò ad intempestivam potentiæ exertationem, et jurati hostis Dei obsecundationem, si ut Filius Dei id impunè faciat.

VERS. 12. — DICTUM EST. Opponit Scripturam Scripturæ, quasi dicat : È diverso scriptum est. Porrò ostendit Salvator, dùm Scripturam afferenti diabolo Scripturam opponit, ceu clavum clavo retundens, malè ab eo Scripturam citatam, in sensum perversum ; non enim verborum unius loci sectandos apices, sed loca locis conferenda si rectè Scripturas interpretari velimus. Falsas igitur de Scripturis diaboli sagittas veris Scripturarum frangit clypeis.

NON TENTABIS. Non tentes, futurum loco imperativi : illum enim Hebræis esse loquendi morem, vel ex Decalogo liquet. *Non tentes*, quicumque es, ô homo : non enim diabolo præceptum hoc datur ; q. d. : Tentarem ego Deum si istud facerem. Est autem Scripturæ locus, Deut. 6, v. 16 ; etsi enim Hebræis illìc plurali numero legatur, *tentabitis,* tamen in plurali singularis includitur ; dùmque ad populum fit sermo, sive plurali utaris, sive singulari, idem unum est : quare et confunditur eo capite numerus, et Septuaginta atque Hieronymus interpretes singularem hìc dederunt. Porrò tentat Deum, qui experimentum ipse vult sumere potentiæ Dei, sapientiæ, bonitatis, aut fidelitatis in servandis promissis ; ubi necesse non est, promissiones ejus subjiciens injusto examini ; sive id ex præsumptuosâ agat confidentiâ, à Deo exspectans id quod humanâ ratione potest assequi, aut expetens id quod præter omnem est necessitatem ; sive ex incredulitate vel diffidentiâ, Deo non relinquens necessariorum, uti consultum fuerit, providentiam ; nam ubi deficit humana ratio, commendare se debet homo Deo, ejusque subjicere

pendes à Dei providentiâ, ex Scripturis conceptâ, ut ne fame quidem urgente te adjuvandum dubites sine pane, ecce præcipita te hinc, ut ostendas te Dei providentiæ et verbis fidere. Ipse enim dixit : *Quia angelis suis mandavit de te*, id est, præcepit custodiam tuî. *Et in manibus tollent te :* quasi gestando manibus, quemadmodùm res charas solemus, ne fortè impingas in aliquem lapidem et cadas. Abutitur Scripturâ : promittit enim Spiritus sanctus securitatem et custodiam à malo justis, hoc est, in justitiâ ambulantibus, non autem tentantibus Deum, et ipsa mala sibi accersentibus. Itaque rursùm Christus, dissimulans se esse Filium Dei, perversamque Scripturæ interpretationem (quam, ut Ambros., lib. 4 in Lucam, August. et alii Patres passim notant, hæretici à diabolo didicerunt) verâ redarguens, ait :

VERS. 12. — NON TENTABIS DOMINUM DEUM TUUM : Experimentum volendo capere potentiæ, bonitatis,

se voluntati, et paratus in omne quod ipsi placuerit sperare auxilium ipsius. Posterioris generis tentatio fuit, eâ quâ Israelitæ, aquæ cibique penuriâ in deserto laborantes, Deum tentaverunt, Exodi 17, v. 7; Psal. 77, v. 18, 19, 20; quam Moses addidit exempli gratiâ superiori Deuteronomii loco; prioris autem generis fuisset, si, ubi humano consilio, Christum non dedecenti, patebat descensus è pinnaculo, dedisset se Christus præcipitem; alioqui verò posterioris. Non debeo ego, ait, hinc in terram desilire, et certo mortis periculo me ipse exponere, confisus Deo quòd Angelorum ministerio servaturus me sit: id enim foret tentare Deum, et humanâ curiositate experiri velle quid facturus sit, quod divinis Scripturis prohibetur. Nam si hinc, ubi me nequam collocâsti, descenditur gradibus, illis mihi utendum est; si non est ratio quâ descendatur, non utar præcipitio, sed Dei hìc exspectabo misericordiam, quâ me hinc aut tutò in terram deponat, aut ad se per mortem accipiat. Roget aliquis an hæc Christi responsio non contineat falsum: videri enim possit implicitè respondere se non esse filium Dei, quia Filius Dei non tentet Deum si è sublimi in terram desiliat, qui, non de angelorum tantùm custodiâ, sed et de virtute propriâ certus est ac securus. Respondetur quòd Christus non neget se Filium Dei, sed dissimulet, quòd diximus: posito enim non esse sibi ut Filio Dei faciendum id quod diabolus suadebat, tametsi facilè id posset, aut saltem non esse suæ divinitati quid factura esset revelandum humanitati, respondet, se, ut hominem, tentaturum Deum si id faciat. Quare hìc docet, psalmi locum, quem diabolus attulerat, ad eos minimè pertinere, qui se ipsi temerè in discrimina conjiciunt.

Dominum, etc. Vide paulò superiùs.

Vers. 13. — Consummata, finitâ. Cùm consummâsset, cùm finivisset omnem tentationem *diabolus*.

Omni tentatione, omni ad peccatum sollicitatione. Non dicit hâc tentatione (hæc enim non fuit ultima, quod vidimus) sed omni, quam scilicet hoc tempore permissus est tum à Spiritu sancto tum à Jesu exercere; neque enim ultrò cessavit, quanquàm semper victus.

Recessit, jussus, coactus, abactusque imperio Jesu, quod patet ex Matthæo. Reliquit autem eum bis suâ spe frustratus: primùm quod sensisset insuperabilem invictumque adversùs omnes machinas; deinde quòd, cùm expiscari voluisset num esset Filius Dei, aliquantò incertior abierit quàm venerat. Sic enim temperaverat Christus responsum suum ut ambiguum relinqueret.

Ab illo. In quo nulla invenit antiqui seminis sui vestigia.

Usque ad tempus, opportunum; id enim significat καιρός. Non ita recessit ut vellet Jesum reliquo vitæ suæ tempore quietum absque molestiâ relinquere, sed ad tempus duntaxat, datâ opportunitate aliâve captâ occasione rediturus ad tentandum. Rediit autem sub passionem præsertim, quando dixit Jesus Judæis à quibus apprehendebatur: *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum,* infra 22, v. 53. Tunc enim diabolus, non dolis tentans, sed apertè oppugnans, et per seipsum, et per ministros suos, extremam adhibuit vim ad superandum et à Deo abstrahendum Jesum, vel certè perdendum et exstinguendum, quem nullâ rerum objectâ specie corrumpere potuerat. Quamdiù hoc in mundo sumus, nunquàm tuti sumus à tentationibus Satanæ; tametsi enim aliquando desistat, quia frequentiùs refugit triumphari, non ideò tamen à certamine recedit, ut malitiæ finem faciat, sed ut corda quæ per quietem secura reddiderit, repentè rediens faciliùs occupet inopinatò. Non deerit interim suâ consolatione Deus totius consolationis: dabitque subinde, submotis dæmonibus, angelos qui nos erigant, quod ex Matthæo et Marco discimus.

Vers. 14.—Et, posthæc, regressus, reversus, est.

In virtute Spiritus. Virtute Spiritûs; superest *in.* Venerat ex Galilæâ ad baptismum Joannis in infirmitate carnis, tanquàm quivis alius homo peccator; sed regressus est *in virtute Spiritûs,* agente manifestè Spiritu sancto quo plenus fuerat declaratus; non humano aut terreno aliquo affectu ductus, quòd liberet versari aut mallet agere in eâ regione in quâ fuerat educatus, sed vi et consilio actus Spiritûs sancti, quo se promente atque exserente, palàm magno animo illìc prædicandi Evangelii negotium aggressus est, et signa patravit admiranda. Quò in omnibus dictis factisque Jesu quæ deinde referentur, semper nobis cœlestis divinaque virtus faciliùs occurrat, repetit Evangelista, Jesum sancti Spiritûs virtute in Galilæam reversum, ut supra vidimus.

In Galilæam, ex quâ venerat ad baptismum Joannis. Loquitur Lucas de secundo Jesu à baptismo in Galilæam reditu, ut Matthæus et Marcus; eo nimirùm, quo diù manens in Galilæâ, famam sibi celeberrimam comparavit. Secessit è Judæâ, declinandæ scribarum et Pharisæorum malitiæ gratiâ, qui ipsius non minùs quàm Joannis captivitatem cædemque meditabantur. Cùm enim ab ipso mox initio quo se prodebat Jesus, plurimùm scribas et Pharisæos offendisset, ejectione illâ mercatorum et nummulariorum è templo,

fidelitatis, sapientiæ, aut alterius attributi divini, non ut in necessitate prosis alicui, sed inde ut scias. Contingit hoc, cùm quis sine necessitate, præsumendo de Dei auxilio, se periculo exponit, vel ex periculo per miraculum educi cupit, quando aliter potest. Oritur hoc peccatum ex radice curiositatis; tentare enim est velle experiri seu cognoscere quamvis simul possit adesse affectus vanæ gloriæ vel alius malus finis. Unde hæc tentatio Christi non fuit propriæ vanitatis, aut ostentationis, aut ambitionis, tametsi multi recentiores hoc velint, sed curiositatis, ut August. lib de verâ Relig., c. 38. Non enim inquit, ut se de fastigio templi præcipitaret, urgebat, nisi causâ tantùm aliquid experiendi, scilicet an Deus esset habiturus curam ejus.

Vers. 13. — Recessit. Repulsus illo imperio, et detectis insidiis cognitus tanquàm Satan. Recessit autem magis ambiguus ex illâ responsionum moderatione quàm ante.

de quâ Joan. 2, v. 15, ob quam vel solam ut hostem oderant; jam cùm intelligerent etiam plures ab ipso discipulos congregari baptizarique quàm à Joanne unquàm fuerant (Joan. 4, v. 1) famamque Jesu et auctoritatem in populo majorem quotidiè accrescere, metuentes sibi plus etiam à Jesu quàm unquàm à Joanne, nihil minùs mali parabant Jesu quàm procuraverant Joanni, adeòque ipsius è medio tollendi consilia animis volvebant. Secessit igitur Jesus, quò illorum perversitati locum daret, seseque præstando muneri suo integrum asservaret, non omninò fugiens persecutionis procellam, sed in aliud eam tempus rejiciens, et suæ se horæ servans; *quia nondùm venerat hora ejus,* sive ut caperetur, sive ut moreretur, hominem se verum secedendo comprobans, cujus non est temerè se periculis objicere, nec enim, si semper miraculo se servâsset, verus homo creditus fuisset. *In Galilæam,* ut jam functo suo munere præcursore Joanne, illìc Evangelii negotium palàm aggrederetur, uti per prophetas Deus prædixerat, apud quem humilia ferè primo sunt loco, alta à longè cognoscuntur. Ne quid enim successus Evangelii, hujus mundi præsidiis ascriberetur, ut si, exempli gratiâ, à celebri regione fuisset exortum, delegit Deus omnia contemptâ juxta mundum, ut tota gloria rei tam mirificæ rediret ad ipsum. Roget aliquis, quomodò Jesus fugiens persecutionem, ne tale quid ipsi ante tempus accideret, quale Joanni, secesserit in Galilæam ditionem Herodis (tetrarcha enim erat totius Galilææ tam superioris quàm inferioris Herodes ex testamento patris) à quo Joannes in carcerem jam conjectus erat? Respondendum quòd Jesus non fugerit Herodem, sed scribas et Pharisæos; illis autem opportunum non fuerit uti operâ Herodis ad capiendum Jesum quemadmodùm Joannem, cùm Jesus Herodem non offendisset quemadmodùm Joannes. Porrò non in Galilæâ, si Josepho creditur, Joannes detentus fuit captivus, sed in Machærunte, castro sito in confiniis regionis Aretæ subditæ, id est, Arabiæ Petrææ : fuit igitur captivus in finibus Perææ australibus vergentibus in Arabiam Petræam, longè à Galilæâ distantibus, propinquioribus autem Judææ. Fuit verò hic Jesu è Judæâ in Galilæam reditus secundus à baptismo ac jejunio. Joannes enim et primum et secundum utrumque descripsit (Joan. 1, v. 43; 4, v. 3); cæteri evangelistæ solius hujus secundi meminerunt. Nam primo reditu non hæsit Jesus in Galilæâ, nec describunt isti evangelistæ anniversarias Jesu in Judæam ad solemnia festa profectiones, ut Joannes : solius postremi mentionem faciunt reditûs in Judæam, ut hujus solius in Galilæam, quo diù mansit in Galilæâ. Hìc notanda sedulitas, diligentia, et studium Jesu erga publicam salutem. Non uno aut altero in loco hæret, uti Joannes Baptista, exspectans, ut famâ nominis ipsius exciti conveniant eò quotquot salutis sint avidi; sed ipse ægros pius medicus adit, et, qui venerat quærere et salvum facere quod perierat, circumit. Galilæam, oppidis vicisque populosis abundantem (quanquàm Capharnaum præcipuè suæ habitationi delegerit) quâ de re Josephus lib. 3 de Bello cap. 2 : *Civitates,* inquit, *in Galilæâ crebræ sunt, et ubique multitudo vicorum propter opulentiam populosa, ut, qui sit minimus, supra quindecim millia colonorum habeat.*

Et fama, ita ut fama quæ primo reditu de illo volitârat in Galilæâ.

Exiit, divulgata sparsaque sit.

Universam regionem, totam circumjacentem regionem; non tantùm Galilæam, sed et Samariam, Phœniciam, Syriam, et regiones trans amnem. Vide supra.

Vers. 15. — Et ipse. Nam *ipse.* Redditur ratio, quî factum sit, ut eam famæ celebritatem acquisierit.

Docebat, ex sacrorum Librorum lectionibus, temporis et salutis publicæ rationem exponens; divinæ legis et sacrorum oraculorum sensa ac benè vivendi normam, ita ut enascentis Evangelii infantiæ congruebat, edisserens. Nam quamvis docendi auctoritas, ex lege penes sacerdotes et Levitas, ex usu verò penes scribas esset, ex quorum numero Jesus non erat, fiebat tamen, ut, cùm sacerdotes et Levitæ docendi officium ferè negligerent; scribæ verò, populi et Synagogarum multitudini non sufficerent, quivis, qui modò egregiâ polleret doctrinâ, populum in synagogas convenientem docere permitteretur, id clarum fieri videtur vel ex Act. 13, v. 15. Quare non mirum quòd mox ab initio Jesus permissus fuerit docere : nam postea, ubi eam quam à Deo Patre acceperat docendi auctoritatem miraculis variis testatam fecisset, non potuerunt sacerdotes et scribæ ne doceret impedire, quamvis summoperè conarentur. Hinc enim illa quæstio Matth. 21, v. 23, et Luc. 20, v. 1 : *Dic nobis in quâ potestate hæc facis,* etc.

In synagogis, ubi quidquid dicebatur aut gerebatur, non poterat esse clam, quòd eò promiscua populi multitudo conflueret. Profecta est vox *synagoga* ab Interpretibus septuaginta qui ubi mentio est cœtûs filiorum Israel, in libris Mosis, ferè synagogam interpretando dixerunt (Exodi 12, v. 3, 19, 47; Num. 16, v. 2), id quod et Latinus interpres quandoque secutus est. Derivata vox est à συνάγειν, cogere, congregare; id quod Judæis congruit legis terrore in unam Remp. coactis. Duplici autem ferè modo in usu est vox *synagoga :* Uno, pro cœtu sive collectione Israelitarum, Dei cultum juxta legis Mosaicæ præscriptum profitentium. Altero, pro loco quò ad sacra illi convenire solent; non tamen quovis; distinguitur enim à templo synagoga. Templum, hoc est, sacrificii locus, Judæis, Dei mandato, unicum erat (Deuteron. 12, v. 13, 14) idque tantùm Jerosolymis : synagogæ verò erant Christi tempore per singulas civitates et vicos frequentiores, et quidem plures sæpè unâ in civitate (Jerosolymis, quò ex provinciis et regionibus omnibus confluebant quotidiè, octoginta et quadringentæ fuisse narrantur; lege Act. 6, v. 9), in quibus, non quidem ad sacrificium, sed ad infantulorum circumcisionem, legis prophetarumque lectionem atque explanationem,

sacram concionem, denique ad orationem, sabbatis maximè, conveniebatur. Unde Jacobus Act. 15, v. 21 : *Moses, inquit, à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Quare nostræ tempestatis hæretici, qui sacrificium non offerunt, synagogas, non templa habent. Putatur synagogarum usus ortus in Babyloniâ fuisse, cùm illìc exsularent Judæi, procul à templo, eoque exusto : ex eo tempore retentus est, à reversis è captivitate, et in captivitatem rursùs ejectis. Vides in Actis Apostolorum, quî Paulo orbem peragranti ubique synagogæ occurrant Judæorum ; nec aliter res perseverat in hodiernum usque diem. Docuit itaque Christus, non in angulis, non in occulto, ne doctrina calumniam pateretur ; non in deserto, ne paucioribus esset adeundi atque audiendi facultas, sed in synagogis, in locis publicè ad docendum destinatis, ut loco commendatâ doctrinâ tanquàm bonâ, salutiferâ, legique ac prophetis qui illìc populo prælegebantur consentaneâ, omnes confluerent, omnes Deo lucrifierent. Docuit quidem Jesus etiam extra synagogas, et id quocumque loco res ferebat cùm populus sponte ad ipsum accurreret, quem non erat æquum absque doctrinâ dimitti ; sed ne captare ipse videretur loca secretiora aut accessu difficiliora, tanquàm non sibi conscius recti, ultrò adiit synagogas in quas pro more docti indoctique conveniebant, audiendi discendique gratiâ, idque sabbatis præsertim.

Eorum. Galilæorum.

Et magnificabatur. Participium est passivum præsens, quale cùm Latinè non exstet, usus est interpres periphrasi hujusmodi, *et magnificabatur;* alii clariore, *glorificantibus eum omnibus.* Vide supra v. 2 : *Et tentabatur.* Frequens est interpreti ut dicat *magnificare,* pro glorificare, laudare, gloriâque efficere ; est enim gloria, clara cum laude notitia. Glorificabatur autem, tum ob ea quæ docebat, cœlestia planèque divina, et ipsum docendi modum, tum ob miracula, quibus et doctrinam confirmabat et omnibus benefaciebat.

Ab omnibus, invidiæ expertibus, nec infectis maligno contradicendi studio. A præsentibus laudabatur, per absentes fama vagabatur.

Non enim tanquàm ex alterius præscripto præcepta ponebat ; sed ut αὐτοκράτωρ, ejusmodi se præstabat, cui merum esset imperium, dicendi, præcipiendi, de vitâ et morte, præmiis et suppliciis, suo pro jure disserendi ac decernendi, ita ut, non expositor aliquis legis, sed Deus omninò legislator ; quomodò reverà se res habebat ; loqui et docere videretur. Docebat deinde apertissimè doctrinam solidam, quâ continebatur summa expetendarum rerum et agendarum ratio, quid homines facere, quid à Deo exspectare deberent, nec externa duntaxat opera, verùm etiam sanctissimi et incorruptissimi cordis motus præscribebantur, tantâ dicendi majestate et perspicuitate, tantâ verborum simplicitate et gravitate, tantâ rerum exponendarum dignitate, tantâ denique ad movendum auctoritate et spiritûs efficacitate, ut non dicere tantùm aut fidem conciliare, sed imprimere dicta in hominum pectoribus videretur efficientissimè, aliis amorem, aliis timorem incutiens. Adhæc docebat intrepidè, non loquebatur ad gratiam, neque ulli prorsùs adulabatur, sed constanter vitia reprehendebat absque personarum acceptione. Commendabat præterea doctrinam, singularis vitæ integritas doctrinæ consentanea. Postremò quod docebat, stupendis signis et miraculis confirmabat, quæ hanc quidem concionem magno numero mox et antecesserunt et consecuta sunt. His modis Salvator docens suam, quâ pollebat, declarabat persuadebatque auctoritatem.

Vers. 16. — Nazareth, inter cætera Galilææ loca.

Nutritus, educatus et antè conceptus ; in quâ à puero hactenùs habitârat, partim cum utroque parente, partim Josepho mortuo cum matre viduâ.

Secundum consuetudinem suam. Sancta erat Judæorum consuetudo, in synagogam convenire, ad audiendum Dei verbum, ad publicas preces, et ad reliqua pietatis exercitia. Sabbatis singulis, quotiescumque recurreret sabbatum, dies hebdomadæ septimus vel quilibet alius dies festus, quo otiosus ab operibus servilibus divinisque rebus vacans populus, convenire solebat ad lectionem et exhortationes sacras. Aliis diebus docebat Jesus eos qui ad se ultrò confluebant, aut quos erat docendi occasio, quocumque loco id foret : *sabbatis* ipse synagogas, quò noverat populum universum tunc convenire discendi gratiâ, adibat, ne fugere videretur loca aut horas docendi opportunas, et seorsùm atque intempestivè iis solis doctrinam proponere suam qui ad se accurrerent. Potest igitur locus intelligi de consuetudine quam Christus à puero observaverat (nam, ante manifestationem suî, Nazarethi agens, religionis omnia exercuerat munia, quæ puerum, juvenem, virumque modestum et optimâ

Vers. 16. — Et venit Nazareth ; non primùm statim à tentatione, sed cùm jam alia Galilææ loca peragrâsset, ut satis patet, et hìc v. 14 et 15, et Matth. v. 13, et seqq. Nam quod ibi dicitur *relictâ Nazareth,* intelligitur prætermissâ et neglectâ Nazareth oppido educationis suæ. Intravit secundum consuetudinem suam, quam scilicet jam ab initio prædicationis observabat, ut diebus sabbatinis synagogas officii sui causâ ingrederetur, de quo Marci 1, v. 21, et surrexit, honoris et venerationis causâ, legere, scilicet Scripturam sacram. Moris enim erat tunc in synagogis aliquid de lege et prophetis legere, ut patet, Act. 13, v. 15, et clarissimè ibid. c. 15, v. 21, quibus etiam indicatur lectioni prædicationem subjungi solitam ; nam lectio Scripturæ prætermittebatur, ut inde materia prædicandi sumeretur. Quem morem postea Ecclesia videtur imitata, dùm concionibus episcoporum Scripturæ lectionem per lectores præmittebat, ut videlicet, quemadmodùm ait Cypr., initio libri de Mortalitate, vigore pleno, et sermone de Dominicâ lectione concepto, ad populum cum fructu diceretur.

indole moribusque præditum, privatum tamen, decebant, inter quæ erat synagogæ frequentatio diebus sabbati) potest et de consuetudine quàm à suî manifestatione cœperat observare, ut diebus sabbati synagogas frequentaret, gratiâ docendi populum congregatum. Nec enim statim in initio historiam hanc accidisse, manifestum mox fit ex v. 23 subsequente. Utrovis modo intelligas, videmus Christum Dominum serviisse consuetudini bonæ, exemplo et præsentiâ suâ.

Die sabbati, in die sabbatorum; vel refertur ad verbum, *intravit,* et est enallage numeri (pro, quodam die sabbati) prout intellexit interpres ex Marco, qui habet, *et facto sabbato,* cap. 6, v. 2, vel refertur ad illud, *secundùm consuetudinem suam,* sumptum pro, *diebus sabbatinis.*

In synagogam, ejus oppidi. Eadem est hæc historia cum eâ quæ narratur Matth. 13, v. 54, et Marci 6, v. 1.

Surrexit legere, surrexit ad legendum, scilicet, Scripturam sacram. Id hactenùs non consueverat Jesus ut Nazareth. In more positum erat et receptum, ut aliquæ legis et prophetarum partes per singula sabbata in synagogis legerentur, aut etiam exponerentur, Act. 13, v. 15, et cap. 15, v. 21. Id pro arbitrio ejus fiebat cui liber tradebatur, aut etiam pro ingenio; indocti legebant tantùm partes sibi decretas, docti exponebant etiam, sive eas quas ipsi, sive eas quas alii legerant; præcedebat enim lectio, unde sumi posset docendi et exhortandi materia. Surrexit autem Jesus, ut offerens se ad legendum, et audientiam sibi dari postulans. Porrò stans legit Scripturam sacram, non solùm ut vox ejus meliùs exaudiretur, sed multò magis in signum reverentiæ erga Dei verba, quibus æquum est omnem humanam dignitatem assurgere, et interpretes profiteri, se modestè et reverenter ad eam tractandam accedere.

Vers. 17. — Et, pro tunc. Traditus est illi, offerenti se ad legendum, *traditus est* à ministro, de quo infra v. 20.

Liber Isaiæ prophetæ, volumen continens prophetias Isaiæ : ex quo ut legeretur post lectionem legis, poscebat fortassis ordo in eâ synagogâ observatus; quanquàm divinâ providentiâ faciente, ut is offerretur Jesu, qui de Christo omnium et gravissimè et clarissimè prophetâsset.

Et revolvit librum, et cùm explicuisset librum; nam et sic interpres infra, v. 20, ex simplici πτύξας reddit *plicuisset.* Syrus *et aperuit Jesus librum.* Intelligendum hoc est pro ejus temporis more, quo non erant libri ita distinctis foliis compacti ut nunc sunt, sed circumvoluti teretre baculo. Explicuit igitur Jesus et expandit membranam.

Invenit, tanquàm casu in eum locum incidisset, ne quid affectatum aut de industriâ quæsitum videretur : consultò interim delegit et fecit ut occurreret, annotante Theophylacto.

Locum, ubi de ipso et auctoritate legationis ipsius agebatur; quo Nazarenis, inter quos diù privatam et cæteris similem vitam egerat, probaret legationem suam, et quodammodò Dei Patris litteras ostenderet, quibus concessa ipsi esset auctoritas prædicandi Evangelii, et Messiæ munera exercendi.

Vers. 18. — Spiritus, ratione donorum datorum non ad mensuram, Joan. 3, v. 34.

Domini Hebraicè est duplex nomen אדני יהוה quorum prius est appellativum, posterius proprium tanquàm dicas : *Domini Entis.* Solent Hebræi et septuaginta Interpretes, illius proprii ac tetragrammati nominis loco, legere nomen *Adonai,* quod Dominum significat, ut diximus paulò superiùs, v. 8; hoc autem loco, ubi præcedit nomen *Adonai,* Septuaginta quidem nihil dederunt illius loco, Hebræi autem illius loco legunt *Elohim,* quod significat Deum, tanquàm dicatur *Domini Dei,* quo modo legit D. Hieronymi commentarius. Vocat autem Deum, Dominum suum, quod, ut Hieronymus ait, *juxta dispensationem carnis assumptæ, dicat ea quæ humilia sunt.* Spiritus ergo Domini Dei, id est, spiritus procedens à Deo Domino meo. Chaldæus Paraphrastes : Spiritus qui à facie Domini Dei.

Vers. 17. — Et traditus est illi liber Isaiæ, divinâ scilicet providentiâ procurante ut ille traderetur, ubi clarissimè de Christo prophetarum erat. Ex quâ etiam factum est, ut libro revoluto quasi casu inveniret locum, per quem Nazarenis, inter quos diù privatus vixerat, auctoritatem prædicandi, et munus publicum legati agendi velut per litteras patris sui probaret.

Vers. 18. — Spiritus Domini super me, supple, *est* vel *requiescit;* quibus paucis verbis mysterium Trinitatis exprimitur. *Spiritus* enim Spiritum sanctum, *Dominus* Patrem, *me* Christum ipsum, juxta dispensationem tamen carnis assumptæ significat; q. d. : Nihil humano spiritu aut consilio mihi præsumo, sed ipse Spiritus Dei Patris super me requievit, qui me agit et regit.

Propter quod unxit me, supple, *Dominus*, ut additur Hebraicè Isaiæ 61, v. 1, hoc est, quia spiritus mihi datus est à Patre, non secundùm mensuram, ideò per spiritum illum omne genus gratiarum in me diffudit, velut unguentum, quo me tanquàm unctum suum et Messiam consecravit ad officium prædicationis. Primum enim est causa posterioris, ut significavit et Apostolus ad Rom. 5, v. 5 : *Charitas diffusa est per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Alludit autem ad unctiones antiquas, quibus ad certa numera consecrabantur Deo. Hæc unctio obtigit Christo ab initio conceptionis; designatio autem publica ad officium prædicandi in baptismo, ubi Spiritus sanctus super eum descendit visibiliter non ut ungeret propriè, sed ut unctum et plenum Spiritûs sancti donis esse demonstraret. Explicans autem finem istius unctionis seu consecrationis.

Evangelizare, inquit, pauperibus misit me; pauperibus, inquam, secundùm seculum. Unde et alibi hoc dat signum sui adventûs : *Pauperes evangelizantur,* qui sicut à fastu solent esse remotiores, ita Evangelio recipiendo propinquiores. Nam quod Beda et alii intelligunt pauperes spiritu, difficilè reperias tales, quibus Christus passim evangelizaverit, quamvis per ejus prædicationem tales facti sint. Sanare, seu ad sanandum, contritos corde; per pœnitentiam, inquiunt quidam; sed longè rectiùs intelligas non bonum, sed miserabilem animæ statum describi, sicut circum-

Super me, scilicet, est, seu, ut capite 11, v. 2, ipse Isaias loquitur, *requiescit*. Inducit propheta Messiam de seipso loquentem, et explicantem, qui à Deo instructus sit, ad prædicandum simul et præstandum eximia illa bona, quæ Dominus Deus in fine capitis superioris promiserat; quæ cùm omninò per Christum præstanda essent, eum ipsum mox loquentem facit, quasi jam operi accinctum. Testatur igitur is inprimis, se non privatum agere negotium; nihil enim se humano spiritu aut instinctu vel consilio facere; sed *spiritus*, inquit, *Domini super me est*, ex ipsâ scilicet nativitate, adeòque conceptione, fovet me, replet, instruit omnis generis donis, totum occupat me, gubernat, agit et regit. Hoc jam explicuerat Isaias, capite 11, v. 2: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii*, etc.; effusa enim in Christum fuêre omnia dona spiritûs. Hoc idem significatum est supra 3, v. 22, Spiritûs sancti in baptizatum descensu specie columbæ. Loquitur autem de se Christus ut homine; nam ut Deus æqualis est Spiritui sanctô, et à seipso accipit non minùs quàm à Spiritu sancto, nisi quòd donorum largitio attribui Spiritui sancto soleat.

Propter quod. Hebraicè est vox *jahan*, quam Hieronymus, aliique vertunt, *eò quòd, propterea quòd*. Sed evangelista post Septuaginta vertit, cujus gratiâ, cujus causâ, *ob* seu *propter quod;* quem et certiùs esse assecutum ipsius Christi loquentis mentem, haud dubium est.

Unxit me. Repetitur Hebraicè nomen Dei tetragrammaton, quare et Hieronymi versio addit *Dominus. Dominus*, non homo scilicet aliquis, *unxit me*, id est, sanctificavit, consecravit, designavit tanquàm unctum, Christum, seu Messiam suum, alludit enim ad Messiæ nomen, quod à verbo ungendi derivatur. Solebant sub veteri lege ungi oleo, tam res quæ Deo consecrabantur, Exodi 30, v. 26, quàm personæ quæ ad ministrandum Deo, aut populum gubernandum divinitùs delegabantur, Exodi 29, v. 7; 1 Reg. 10, v. 1; hinc ungi ponitur, pro eo quod est à Deo eligi, ac ad officium aliquod sacrum aut eximium aliquid agendum destinari. Unde hìc subjicit propheta: *Unxit me evangelizare*, seu ad evangelizandum *pauperibus;* quod etiam ferè idem est cum eo quod subsequitur: *Misit me sanare contritos corde*, nisi quòd vox *unxit* significantior sit voce *misit*. Dicit ergo propheta in personâ Christi, propterea se unctum; id est, consecratum ac divinitùs destinatum esse ad evangelizandum, et missum ad sanandum, cæteraque consequentia munia obeundum, quia Spiritus sanctus in ipso sit ac fuerit jam inde ab initio vitæ, quia Spiritu sancto plenus, et omnimodâ ejus gratiâ affluens, eo totus agatur ac regatur, ita ut in gerendo officio errare non possit. Quia spiritûs plenitudo super me, inquit, ideò designavit me ad evangelizandum pauperibus, et cætera quæ sequuntur agenda, tanquàm egregiè unctum, idoneum et instructum, unctum, inquam, Spiritu sancto et virtute, ad hæc quæ propriè sunt Christi obeunda, Act. 10, v. 38. Ad hunc modum distinguit et explicat hunc locum interpres Syrus, cujus versio est: *Spiritus Domini super me, et propter hoc unxit me ad evangelizandum egenis, et misit me ad sanandum*, etc. Favet Hieronymus scribens in hunc Isaiæ locum his verbis: «Unctus est igitur Spiritu sancto, ut annuntiaret pauperibus sive mansuetis, dicens eis in Evangelio: «Beati pauperes spiritu, quoniam eorum est regnum «cœlorum; et: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt «terram.» Adstipulatur Beda dùm ait: *Ad cuncta hæc evangelizanda vel agenda, ideò se dicit missum, quia spiritus Domini est super eum.* Denique inter Græcos Theophylactus: *Unxit me*, inquit, *hoc est, consecravit me, constituit me ut evangelizarem pauperibus*, etc. Cùm enim duo sint in perfectâ unctione consideranda, unum quòd imbuatur donis Spiritûs sancti, quibus consecretur Deo, alterum quòd ita imbutus et idoneus redditus, emittatur ad eas functiones, ad quas eum sibi consecraverat Deus, utrumque unctio vocatur, et utrumque hoc prophetæ loco exprimitur, prius quidem quando dicitur: *Spiritus Domini super me*, quanquàm tacito nomine unctionis, posterius eo expresso, *propter quod unxit me evangelizare.* Prius obtigit Christo ab exordio incarnationis: simul atque enim natura divina humanæ unita est, effusa est in humanam tota donorum Spiritûs sancti plenitudo, quibus Deo est consecrata, et idonea reddita ad obeunda suo tempore munia Christi; posterius obtigit, quando in Christum baptizatum descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba, tunc enim delegatus et missus est ad Evangelii prædicationem. Descendit enim Spiritus sanctus super eum, non ut donis suis impleret eum, sed ut plenum esse significans, ut hujusmodi emitteret eum ad præstandum officium Christi, et ad exerenda dona quæ in ipsius animo hactenùs latuerant. Quare rectè propheta sub personâ Christi, prius seu priorem unctionem testatur esse causam posterioris, quia spiritus Domini in me jam inde à principio, ideò tanquàm unctum suum et apprimè instructum legavit me ad evangelizandum. In hanc sententiam doctè scribit Hieronymus Isaiam explicans, ubi ait: «Cujus unctio, illo ex«pleta est tempore (nota verbum, expleta), quando «baptizatus est in Jordane, et Spiritus sanctus in spe«cie colombæ descendit super eum et mansit in illo.»

Evangelizare, lætum nuntium prædicare. Vide titulum Evangelii secundùm Lucam.

Pauperibus, pro eo quod Latinus interpres transtulit: *Eò quòd unxerit Dominus me ad annuntiandum mansuetis*, Septuaginta vertêre: *Propter quod unxit me evangelizare pauperibus;* quo modo et Matthæus et Lucas citant (erat enim, Christi Domini ætate, Judæis ipsis, ferè Græca Septuaginta translatio in usu), nam quod Latinus legit *hanavim*, uti etiam modò

stantia loci clamat, ut contriti corde sint fracti ac desperabundi animo propter peccatorum multitudinem; nam ut Basil. in Catenâ, peccatum cor humanum præ cæteris prosternit; unde et Scriptura: *Qui alligat contritiones eorum*, est enim metaphora ab iis qui vulneribus contusi et contriti sunt.

est Hebraicè, et significat mansuetos : Græci legerunt *haniim*, quod declarat pauperes; quod tamen tenue est discrimen, ut vocum, quæ ab eodem etiam themathe derivantur, ita et rerum; nam ut divites ferè esse assolent superbi, elati, ac feroces, ita contra pauperes, humiles ac mansueti. Posterior igitur hic prophetæ locus, in hoc priori est similis, quòd in Christo thesauros gratiæ Dei mundo expositos fore docens, peculiariter exprimit Christum atque Evangelium destinari pauperibus. Nam *pauperes evangelizantur*, non activè accipiendum est, sed passivè, phrasi Græcâ pro eo, quod est, pauperibus Evangelium annuntiatur, pauperes docentur et accipiunt Evangelium, pauperibus promittitur regnum cœlorum; quid admirabilius quàm pauperem regem fieri? Pauperes autem intelliguntur spiritu pauperes, qui, si opes habent aut honores, non illis cor apponunt, non ideò se pluris faciunt; si non habent, non supra modum desiderant, id est, qui se pauperes, miseros, viles, atque abjectos esse agnoscunt; quales faciliùs sunt ii qui nullâ aut tenui fortunâ sunt, quàm qui splendidâ; et qui afflicti sunt, quàm qui prosperè agunt; denique quorum misera est vilisque conditio, ut tum erat plerorumque discipulorum Jesu, quàm qui magnâ præditi sunt dignitate. Consultò igitur vaticinium hoc adducit Christus, partim ut offensionem tollat quam posset concipere carnis sensus ex contemptibili ipsius grege (nam superbi naturâ sumus, nihil ferè nobis in pretio est, nisi multo splendore ornatum sit; cùm tamen Evangelium, juxta prophetam, pauperibus et abjectis destinatum sit), partim ut admoneat quinam idonei sint ad accipiendum Evangelium, et percipiendum quæ illic offertur salutis et regni cœlorum gratiam, pauperes scilicet, id est, humiles, mansueti, afflicti, quales ferè magis sunt pauperes quàm divites. Superbi enim ut sunt plerique divites, cùm inflati sint, nullum relinquunt locum gratiæ Dei, cùmque contentiosi sint, sunt et indociles, nolunt doceri; denique cùm habeant hìc consolationem suam (Luc. 6, v. 24), non quærunt Evangelii consolationem. Porrò *super humilem requiescit Domini spiritus* (Isa. 56, v. 2), *et in mansuetudine suscipitur insitum verbum* (Jac. 1, v. 21), denique afflictos Evangelii lætum nuntium solatur, Isa. 61, v. 1. *Ut mederer*, inquit, *contritis corde*, id est consolarer et confirmarem eos. Cæterùm non videntur intelligi, qui virtute mansuetudinis aut voluntariæ paupertatis sunt præditi (non enim facilè fuêre etiam inter Judæos hujusmodi, quibus Evangelium non esset annuntiatum), sed qualis sit extra Christum nostra omnium conditio declaratur his nominibus: nam pauperes, contritos, captivos, cæcos et confractos vocat quibus Deus restaurationem promittit, malum utique et miserabilem eorum statum conditionemque declarans. Pauperes ergo sunt qui destituti sunt iis opibus, divitiis et honoribus, quæ verè divites, honoratos ac beatos faciunt; quales sunt omnes homines extra Christum, non tantùm pauperes quos vulgò vocamus, verùm etiam divites. Sed quia pauperes faciliùs persuadentur se pauperes esse, id est, destitutos spiritalibus et æternis non minùs quàm temporalibus honoribus ac divitiis, idcircò faciliùs et citiùs operatur in eis Evangelium, et recipiunt ipsi per fidem nuntium illud lætissimum: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, quàm alii. Divites enim, secularibus divitiis suis, abundè beatos se esse et honoratos, plerùmque credunt, et difficulter adducuntur ad hoc ut paupertatem et inopiam suam agnoscant; quo modo ille de quo Apocalypsis, cap. 3, v. 17: *Dicis: Dives sum et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Et hi tamen dùm operante Evangelio persuadentur, alias divitias quærendas sibi esse ut beati sint, fiunt ex falsò divitibus et miserè pauperibus, spiritu pauperes et verè ac feliciter divites, ita ut et ipsis sonet lætum illud nuntium: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Christum ergo pauperibus evangelizare, est denudare hominibus paupertatem et ignominiam ipsorum, declarare quàm viles sint, et pauperes, ac veris opibus vacui, promittere autem id agnoscentibus regnum cœlorum, id est, opes honoresque beatificantes; nec promittere tantùm, sed et præstare. Simili modo, si legas *mansuetis*, videri possit accipiendum pro afflictis et oppressis, quibus, quæ ipsorum sunt, à potentioribus auferuntur; quibus imbellibus per peccatum redditis, et cœlesti hæreditate spoliatis, evangelizat Christus, si veram mansuetudinis virtutem amplecti velint: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, Matth. 5, v. 4.

Misit me sanare. Verbo *misit* explicatur illud quod præcedit verbum, *unxit*, ut diximus. *Misit me*, scilicet Dominus.

Sanare contritos corde. Hæc verba, ut à Sixtino et plerisque aliis libris, ita et à Græcis ac Syriacis nostris, Euthymio exponente, leguntur. Verùm manuscripta quædam Latina, nominatim D. Donatiani unum, S. Bernardi ad Clarummariscum unum, et D. Audomari tria, omittunt ea, quemadmodùm omittuntur ab Origene, homiliâ 32 in Lucam, hunc locum enarrante, et ab Eusebio, lib. 9 Demonstr. Evang., cap. 10, atque Augustino, lib. 2 de Cons. evang., cap. 42, locum citantibus. V. Beda, ut primum adducit hujus loci textum, non legit ea; tamen an non explicet posteà, fit dubium. Explicat enim, sed ita ut pro eisdem habere videatur, cum iis verbis quæ sequuntur: *Dimittere confractos in remissionem.* Fortassis existimavit, duplicem esse versionem rei ejusdem, ad quam sententiam accedit Forerius scribens in Isaiam. Editio septuaginta Interpretum, quo modo recitatur à D. Hieronymo ad prophetam, utrumque habet, quemadmodùm legitur hoc Evangelii loco: eadem ut seorsùm Græcè exstat impressa, Eusebio jam laudato adstipulante, habet solùm illud, *sanare contritos corde*, omisso altero, *dimittere fractos in libertatem;* quod quidem Hebræo fonti similius est. Theophylactus in hoc Evangelium scribens, prius enarrat, posterioris non meminit: Ambrosius neutrum attingit, etsi reliqua non prætereat.

Sanare, ad sanandum. Ita Septuaginta verterunt Hebræum *lahabos, sanare;* Hieronymus, *ut mederer;* alii, *ad ligandum,* nam et sic vertitur Psalmo 146, v. 3, ubi legimus : *Et alligat contritiones eorum;* rursùs Ezech. 34, v. 4 : *Quod confractum est non alligâstis.* Metaphora est enim à chirurgis sumpta, qui membra fracta, contusa aut vulnerata, fasciolis ligant, sanitatis celeriùs restituendæ causâ.

Contritos corde, fractos animo, desperabundos, ob varia nimirùm graviaque accepta vulnera. Hieronymus : *Missus,* inquit, *est ad sanandos eos qui corde contriti sunt,* etc., *sive juxta Symmachum et Theodotionem, ad alliganda vulnera peccatorum.* Quibus cor fractum erat desperatione sanitatis ac vitæ, considerantibus gravitatem multitudinemque vulnerum suorum peccatis effectorum (*præ cæteris enim,* inquit Basilius in Catenâ, *peccatum cor humanum prosternit*), iis ut mederetur missus est Christus; non tantùm ut medelam sanitatemque promitteret, verùm etiam ut offerret et afferret. Fecit id, *alligavit vulnera eorum infundens oleum et vinum;* infra 10, v. 34; bono animo esse jussit, peccataque remisit, dicens : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua,* Matth. 9, v. 2; denique : *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra,* etc., *et livore ejus sanati sumus.* Vulneribus, attritionibus et livoribus ejus, vulnera nostra, attritiones et livores, sanata sunt. Hoc secundum recenset propheta inter functiones Christi; quanquàm non sic distincti sint hi tituli, quin singulis omnes conveniant; ea est hominum extra Christum miseria.

Vers. 19. — Prædicare, ad prædicandum, scilicet misit me Dominus.

Captivis, peccati ac Satanæ; αἰχμαλώτοις, *lisbouim;* significantur bello capti et in exteras regiones abducti. *Captivi nos fuimus,* inquit Origenes, *quos tantis annis vinxerat Satanas, habens captivos sibique subjectos.* Peccati illecebris victi, subtraxeramus nos Deo, et diaboli potestati subjeceramus; qui captivos nos è paradiso abducens, et laqueis suis irretitos tenens ad suam ipsius voluntatem, 2 Tim. 2, v. 29, in varia peccatorum genera, tanquàm in varias regiones, seduxerat.

Remissionem, dimissionem, libertatem; *indulgentiam* vertit Hieronymus, à servitute scilicet Satanæ ac peccati. Prædicat Christus libertatem à Satanâ, ut restituat nos pristino Domino, qui est Deus, libertatem, inquam, quâ liberati à peccato peccandique consuetudine et diaboli laqueis, reductique ad regionem viventium, servi fiamus justitiæ ac Deo, Rom. 6, v. 18, 22. Prædicat autem hanc libertatem, tanquàm paratam, si velimus amplecti, adeòque offert et præstat : *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion,* Isaiæ 52, v. 2. *Ipse,* inquit Titus, *tyranno apostatâ, hoc est, Satanâ, subverso, eos qui captivi tenebantur, in libertatem vindicavit.* Hoc tertium numerat propheta inter futura Christi munia. Sequitur quartum.

Cæcis visum, cæcis restitutionem seu recuperationem visûs, scilicet misit me prædicare, offerre atque exhibere. Id fecit Christus, et juxta corpus, visu cæcis multis restituto, et juxta animum, docens ignorantes, erroris atque ignorantiæ tenebris oppressos, qui viam salutis non viderent. *Sermone,* inquit Origenes, *et prædicatione doctrinæ ejus, cæci vident.* Pro hoc porrò *cæci vident,* quæ est interpretatio Septuaginta senum, Hieronymus vertit, *clausis apertionem,* Chaldæus aliique, *vinctis apertionem,* referuntque ad carcerem, et ad solutionem à pœnâ peccatis debitâ, cui peccator est obligatus, de quo Hieronymus in Commentario : « Cæcis ut videant, vel clausis « apertionem, quod manifestiùs interpretatus est Symmachus, vinctis solutionem; de quo, imò ad quem « supra dicitur : Ecce posui te in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, educere de vinculis alligatos, « et de domo carceris sedentes in tenebris, Isaiæ 42, « v. 7. » Cæterùm quia et cæcorum oculi clausi ligatique censentur; clausi, quia aperiri dicuntur si sanentur, Joan. 9; ligati, quia non valent operari, proprium opus suum exercere : rursùs quia verbum Hebraicum *pakah,* quod significat aperire, propriè dicitur de oculis; idcircò Septuaginta transtulerunt, *cæcis visum.*

Dimittere, misit me Dominus ut dimittam, *ablegem.*

Confractos animo, ob varia vulnera peccatorum.

In remissionem, in demissione, in libertate, per remissionem, id est, sanitati restituam. Sic enim interpretor, secutus Origenem, cujus verba sunt : « Emittere confractos in libertatem; quid ita fractum atque « collisum fuit, ut homo qui à Jesu dimissus est et « sanatus? » Cujus commentarium si quis pressè consideret, videbit eum, vel omninò non legisse id quod præcessit : *Sanare contritos corde;* vel hæc duo pro eisdem habuisse, *sanare contritos corde, et dimittere confractos in libertatem.* Et quidem verisimile est, alterum redundare, tam apud evangelistam, quàm apud prophetam Græcum, quemadmodùm docere possint quæ dicimus supra; et esse, si non duplicem ejusdem Hebraicæ pericopes versionem, certè alterum aliunde

Vers. 19. — Prædicare captivis remissionem, seu dimissionem, id est, ad proclamandam omnibus captivis libertatem redeundi ad patriam ex captivitate. Quâ metaphorâ significatur Christum prædicaturum et allaturum libertatem ex captivitate Satanæ et peccatorum vinculis; ut Deo vero Domino nostro restituamur et justitiæ serviamus. Et cæcis visum; nam unum ex præcipuis beneficiis Christi est, quod genus humanum ex horrendis ignorantiæ et peccatorum tenebris vocavit in admirabile lumen suum, de quo etiam, c. 1, v. 79, prophetavit Zacharias, et, c. 2, v. 32, Simeon. Dimittere confractos in remissionem, id est, ad dimittendos liberos eos qui peccatorum jugo obtriti et fracti sunt animo, vel etiam eos qui omnibus facultatibus exuti, pro gravissimis tamen peccatorum debitis tenentur in vinculis; ad hos, inquam, dimittendos liberos, juxta illud Isaiæ 58, ad quod per hanc metaphoram alluditur : *Dimitte eos qui confracti sunt liberos.* Prædicare annum Domini acceptum, id est, tempus divini beneplaciti, quo scilicet Deo placuit benevolentiam ac beneficentiam suam hominibus declarare. Ubi certum est allusionem fieri ad annum jubilæi, in quo similis proclamatio libertatis et remissionis debitorum fiebat, ut patet Levit.

acceptum, huic loco, ut prophetæ Græci, ita Evangelii, fuisse accommodatum. Quòd si roges utrùm potiùs redundet : *Sanare contritos corde*, an : *Dimittere confractos in remissionem* ; hæreo incertus, præsertim quod ad Evangelium, ob varietatem exemplarium simul et interpretum. Cæterùm illud : *Dimittere confractos in remissionem*, minùs probabile fit, partim quia neque Hebraicè neque Chaldaicè neque Latinè exstat apud prophetam, et vix etiam Græcè; certè nec D. Hieronymi commentarius, tametsi diligens, attingit, partim quia videri possit acceptum est Isaiâ 58, v. 6, ubi legitur Hebraicè et Latinè : *Dimitte eos qui confracti sunt liberos,* Græcè eodem planè modo, nisi quòd verbum illìc sit imperativi, quod hìc infinitivi modi.

Prædicare, ad prædicandum, scilicet, misit me Dominus. Alluditur ad denuntiationem instantis jubilæi, buccinis fieri solitam, die decimo mensis septimi, Levit. 25, v. 9.

Annum. Ponitur annus pro tempore, sed allusio est ad annum jubilæi, qui quinquagesimo quoque anno celeberrimus erat, quo servi fiebant liberi, et possessiones divenditæ redibant ad pristinos dominos eorumve hæredes, Levit. 25.

Domini. Alii vertunt dandi casu, *Domino*, sed eodem sensu ; non enim verbo prædicare jungendus est dativus, sed intelligendum, *qui est Domino.*

Acceptum, jucundum. Hebraicè legitur nomen substantivum *rason* voluntatis, quod Septuaginta transferunt *beneplaciti ;* Latinus interpres sæpè *bonæ voluntatis;* vide supra 2, v. 14. Est igitur annus bonæ voluntatis seu beneplaciti, idem quod *heth rason, tempus beneplaciti*, Psalmo 68, v. 14, et Isaiæ 49, v. 8, quo Deus vult uti beneplacito suo erga homines, quo Deo placet suam erga homines benevolentiam ac favorem singulariter declarare, suaque hominibus beneficia liberaliter largiri, tempus benevolentiæ, beneficentiæ, ac liberalitatis, non ob hominum merita, sed ob propitium ac benevolum Dei erga homines animum. Hoc tempus jussus est Christus prædicare, non tanquàm olim futurum, sed tanquàm quod jam præsens fieret (*Appropinquavit,* inquit, *regnum cœlorum,* Matth. 4, v. 17), quo paratus sit Deus homines omnes, et inprimis Israelitas, per Christum suum in gratiam accipere, eis reconciliari, et placatum se præstare (hinc Hieronymus transtulit, *annum placabilem*), conferre dona ac beneficia sua, admittere denique ad regnum cœlorum. Hoc enim tempus cœpit cum Christi adventu, durabitque ad finem usque seculi, interprete Apostolo Paulo, 2 Cor. 6, v. 2, ubi postquàm citâsset alium similem Isaiæ locum ex cap. 49, v. 8 : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te;* subjungit : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, loquens de tempore consequente absolutam per Christum humani generis redemptionem. Hic annus est jubilæus, perpetuis diffusus temporibus, qui in orbem nesciat redire laboris, quo homines, facti per peccatum mancipia diaboli, et privati possessione paradisi atque hæreditate bonorum cœlestium, Christi merito eximuntur potestate Satanæ, et restituuntur libertati jurique hæreditatis cœlestis. Hic annus acceptus gratusque Domino est, quo homines sibi acceptos faciens, lætatur cum universâ cœlesti curiâ, non minùs quàm si sibi ea bona accederent, quæ in homines confert. Nam si *super uno peccatore pœnitentiam agente, gaudium est angelis Dei in cœlo* (infra, c. 15, v. 7), quantò magis super reconciliatione totius mundi? Denique hoc tempus gratiæ est, quo Dominus Deus Christo misso operatus nostrî redemptionem, se nobis propitium, nosque sibi acceptos reddit, ex bonâ voluntate et mero beneplacito, misericordiâ, ac gratiâ suâ.

Diem retributionis. Hoc sequitur apud prophetam tam Hebraicè quàm Græcè et Latinè ; sed apud evangelistam non legitur sive Græcè sive Syriacè, solummodò Latinè ; unde tamen intelligitur à vetere interprete Græcè etiam apud evangelistam lectum fuisse *diem compensationis ;* Hieronymus aliique vertunt, *diem ultionis.* Dies similiter pro tempore sumitur. Et quidem non malè id exponatur de terribili extremi judicii tempore seu die, quem Christus passim prædicavit imminentem, non minùs quàm diem regni, nisi etiam ea omnia quæ apud prophetam proximè sequuntur in eamdem sententiam læta essent ; inter quæ læta, non sit verisimile, unum istud triste interjectum fuisse. Quare intelligendum videtur de retributione ultionis, quâ Deus per Filium suum nos ultus est de inimicis nostris dæmonibus ; de quali retributione Moses loquitur Deut. 32, v. 43 : *Vindictam retribuet in hostes eorum.* Ergo cum anno accepto prædicavit Christus etiam diem retributionis seu ultionis, quando dixit Judæis : *Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras ;* Joan. 12, v. 31 ; rursùs discipulis : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam,* Joan. 14, v. 30. *Princeps hujus mundi jam judicatus est,* Joan. 16, v. 11. Ut autem prædicavit, sic et exhibuit, quando *exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso*, Co-

15, vers. 10, et Deuter. 13. Hoc autem tempus non fuit solus primus annus prædicationis Christi, ut putavit Epiphan., hæresi 51, existimans neminem tunc contradixisse Christo neque Judæos, neque Samaritanos, neque gentes, cùm contrarium satis pateat hìc v. 19, sed est totum tempus ab adventu Christi, usque ad seculi consummationem in quo vocantur hi qui accepti fiunt à Deo, ut Iren., libro 2, cap. 38, et sic perspicuè exponit ipse apostolus, 2 ad Corinth. 2. Et diem retributionis. Hieron. vertit, *ultionis*, nempe extremi judicii, quam Christus passim prædicavit ; vel potiùs quia tota hæc prædicatio læta est, intelligitur ultio de inimicis generis humani, diabolo et angelis ejus. Unde idem tempus est salutis seu acceptabile, et retributionis seu ultionis, sicut utrumque etiam conjungit Isaias, cap. 35, v. 4 : *Dicite pusillanimis : Confortamini, ecce Deus vester ultionem adducet retributionis*, scilicet in hostes, *Deus ipse veniet, et salvabit vos.*

loss. 2, v. 15. Pertinet itaque etiam dies iste ultionis ad salutem hominum : sic enim Isaias promittit jungitque ultionem cum salute, cap. 35, v. 4 : *Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere : ecce Deus vester ultionem adducet retributionis : Deus ipse veniet et salvabit vos;* sed retributionis quidem et ultionis est dies, respectu hostium; acceptus seu bonæ voluntatis ac salutis dies, respectu populi Dei. Ergo quia spiritus Domini super se sit, testatur Christus per os prophetæ, functiones has omnes hactenùs expositas, sibi à Deo esse commissas : quæ quidem cùm spiritales magis sint quàm corporales, et circa pauperes tristes atque afflictos versentur, non circa nobiles, divites, ac validos. Potuerant hinc intelligere Judæi, Christum sibi promissum, non fore regem, quales sunt reges hujus mundi, qui orbem bello subjugaret, et Judæos rerum dominos faceret; sed conditione humilem, doctorem populi, et salvatorem eorum quos reges despiciunt aut certè non per se curant.

Vers. 20. — Et cum plicuisset librum, lecto scilicet hoc loco.

Ministro, synagogæ, à quo acceperat. Nam ut erant præfecti synagogæ, dicti archisynagogi, ita erant et ministri synagogæ.

Et deinde sedit, tanquàm docturus et interpretaturus locum illum Isaiæ quem legerat. Sedere, habitus doctoris est attentè ac maturè disserentis, Act. 13, v. 16. Paulus stetisse legitur; situm id erat in arbitrio docentis, ut vel staret vel sederet.

Et omnium. Omnium autem qui erant in synagoga oculi, erant intendentes, intenti, defixi in eum. *Ut audirent*, inquit Euthymius, *quo modo interpretaretur ea quæ legerat.* Contentis oculis et auribus in eum ferebantur, tum propter celebrem jam illius famam, tum ob aviditatem illum audiendi, qui sic repentè doctor prodire videretur, cùm litteras nunquàm didicisset, Joan. 7, v. 15.

Vers. 21. — Cœpit. Hoc fuit sermonis ejus exordium. Sermonis initio ab his verbis sumpto, locum doctè explicuit.

Illos, qui in synagogâ erant, Nazarenos.

Quia, redundat quod ad sensum.

Hodie, hoc jam tempore.

Impleta est. Præteritum pro præsenti impletur. Nondùm enim absolverat functiones hâc prophetiâ contentas Christus, sed tamen jam obibat; cùmque à Capharnaum aliisque Galilææ oppidis cœpisset, venit tandem hùc Nazaretum, ut et hìc eas exerceret.

Hæc Scriptura, quod prædictum est hâc Scripturâ Isaiæ.

In auribus vestris. Syrus præponit relativum, ita ut sensus sit, *quæ est in auribus vestris.* Euthymius subaudit *quæ sonuit in auribus vestris.* Vult dicere : Hic Scripturæ locus, quem me legentem audìstis, seu qui à me lectus est in auribus vestris, olim scriptus ab Isaiâ, hoc jam tempore impletur, et opere perficitur, quando ego vobis cæterisque Galilæis Evangelium regni cœlorum annuntio. Tacitè indicat se eum esse, sub cujus personâ propheta hæc fuerat locutus (annotant hoc Græci), id est, Messiam; neque privato consilio aut proprii spiritûs ductu se agere ea quæ agit, sed actum spiritu Dei, et, auctoritate à Deo acceptâ, facere quæ propheta quondam prædixerat facturum Messiam. Id ergo postquàm exordio sermonis sui subindicâsset, exposuit deinde functiones illas, quas propheta hìc commemorat, et quì cum præsenti tempore iisque quæ à se gerebantur convenirent, clarum fecit.

Vers. 22. — Et omnes, præsentes, id est, plerique præsentium; *multi*, interprete Marco, cap. 6, vers. 2.

Testimonium illi dabant, scilicet, postquàm audìssent enarrantem illum Isaiæ locum. Dabant autem illi testimonium, non quòd Messias esset, aut quòd propheta de ipso fuisset vaticinatus, sed *dabant illi testimonium* sapientiæ, eruditionis et doctrinæ, agnoscebant eum præditum insigni eruditione, eruditè sapienterque explicare Scripturas ac res divinas. Hoc est enim quod Marc. 6, v. 2, dicitur : « Et multi audientes admirabantur in doctrinâ ejus, « dicentes : Unde huic hæc omnia, et quæ est sapien« tia quæ data est illi, et virtutes tales quæ per manus « ejus efficiuntur? »

Mirabantur, adeò ut obstupescerent; scilicet rei novitate perculsi. Docebat et explicabat res divinas, ut jam dictum est, non vulgariter, sed sapientissimè, conjunctis veteribus rebus cum novis mysteriis, disserebat de regno Dei, suamque doctrinam dicendi auctoritate, Scripturæ testimonio et miraculorum exhibitione, ornabat et confirmabat. Hinc admiratio et stupor, simul et ex eo quod dicerent; *nonne*, etc.

In, *super*, *de*, verbis gratiæ, plenis gratiâ, gratiosis. Quidam per *verba gratiæ* intelligunt gratiam verborum, ita ut sit hypallage, eodem sensu. Gratia hìc

Vers. 20. — Et cum plicuisset librum, reddidit ministro Synagogæ, et sedit, more doctoris, et omnium in synagoga oculi erant intendentes, id est, defixi, in eum, curiositate potiùs quàm docilitate audiendi quid dicturus esset, qui cum tantâ famâ repentè prodiisset, cùm nunquàm litteras didicisset, ut est Joan. 5. Dixit autem

Vers. 21. — Quia, quod redundat hìc, sicut alibi sæpissimè in Scripturis, hodie impleta est hæc : Scriptura in auribus vestris, id est, impletur, vobis audientibus, quando vobis Evangelium prædicantem auditis. Quo tacitè significat se esse illum de quo propheta loquebatur, hoc est, Messiam, divinoque actum spiritu et auctoritate se facere, quæ faceret.

Vers. 22. — Et omnes testimonium ei dabant, sapientiæ, doctrinæque singularis, ut satis colligitur ex Marci 6, v. 2. Et mirabantur in verbis gratiæ; id est, propter verba ejus, gratiæ decorisque plena; quod alii eodem sensu exprimunt per hypallagen, propter gratiam verborum, juxta illud jam olim de eo vaticinatum : *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Si-

significat vim illam planè divinam, quæ in Christi verbis totoque habitu inerat, quâ fiebat ut auditores, nisi datâ operâ obsisterent, non possent non ipsum et quas docebat res amare atque amplecti. Mirabantur ergo verba plena gratiâ, quibus non sapienter tantùm disserebat de rebus divinis, verùm etiam ita eloquenter, propriè, clarè, placidè, comiter, suaviter atque efficaciter, ut non posset non auditoribus omnibus gratus esse, illorumque animos accendere, et in rerum cœlestium quas tractabat amorem rapere. Exstat exemplum manifestum, Joan. 7, v. 46, in ministris illis, qui missi ad comprehendendum Jesum, retulerunt dominis suis : *Nunquàm sic locutus est homo, sicut hic homo.* Rursùs alterum infra, c. 24, v. 32, in duobus discipulis Emmauntinis, inter se mutuò colloquentibus : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur in viâ, et aperiret nobis Scripturas?* De Jesu enim futurâ facundiâ suaviloquentiâque fuerat multò ante scriptum psalmo 44, v. 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis;* nec mirum, cùm plenitudo divinitatis corporaliter inhabitaret, Coloss. 2, v. 9.

Quæ procedebant de ore ipsius, quæ egrediebantur, quæ fluebant, ex ore ejus.

Et dicebant, et tamen dicebant, vel, sed dicebant, sed in hoc *scandalizabantur,* ut aiunt priores evangelistæ. Cùm agnoscere agerentur ejus sapientiam et eloquentiam admirari, studiosè quærebant occasionem illius extenuandi, et præclaram opinionem de illo suis animis excludendi, contemptibili hâc voce : *Nonne,* etc.

Nonne hic filius Joseph *fabri*, civis nostri pauperis? Ut alii evangelistæ referunt, *fabri* nominant filium, non *Joseph,* quòd Joseph tunc temporis esset mortuus; sed Lucas sententiam verborum refert, quòd quia pridem noverant tenuem conditionem vitæ ejus, quem habuerant pro ipsius patre, et genus ipsius obscurum atque incultum, adhibito hoc specioso colore, contempserint eum, et invidiâ adusti, cogitationem de manifestâ ac patente in eo Dei gratiâ, datâ operâ transtulerint ad considerandum plebeium ipsius ex parentibus statum. Nullum hactenùs civibus suis Jesus ediderat suæ auctoritatis argumentum; sed eamdem artem exercuerat quàm Joseph pater suus putativus, domesticâ, inquam, arte occupatus, cibum sibi suisque paraverat, *usque ad ostensionem suam ad Israel;* partim ne otiositatis exemplum alicui præberet, partim ne curiosis artibus in adolescentiâ clam deditus fuisse dici posset. Sic enim habuit Dei consilium, ut eo tempore in vitâ privatâ se Dei Filius contineret, et quidem ejusmodi quâ litteras non disceret, ne in divino negotio humanæ quidquam industriæ attribueretur. Porrò, reclè fabrilem artem cum patre putativo exercet, qui mundi est cum naturali Patre fabricator. Per fabrum conditum est genus humanum, per fabrum decuit et restitui. *Faber* Latinè et τέκτων Græcè, voces sunt significationis amplæ ad omnes artifices, qui, corporis labore adhibito, è quâvis duriore materiâ, aliquid struunt se extendentis. Unde fit ut varient opiniones, cujus generis faber Joseph fuerit, aliis existimantibus fuisse fabrum ferrarium, D. Hilario in hunc locum, Beda in cap. 4 Lucæ; aliis lignarium, auctore Operis imperfecti, Hom. 1, et 32 in Matthæum, B. Augustino, cujus verba à plerisque citantur ex sermone quodam de Nativitate Domini. D. Ambrosius initio libri tertii in Lucam ad utriusque et ferrarii et lignarii fabri artem alludit. Sed et vox Syriaca *nagro* ambigua est ad lignarium et ferrarium fabrum. Utut sit, cùm statutum esset Filio Dei, eum qui pater ipsius putaretur esse humilis conditionis virum, consultò fabrum elegit, qui opificio ipso suo repræsentaret imaginem veri Patris ipsius opificis rerum omnium.

Humilis ipsius progenies atque educatio, quæ cùm jam inde ab Jesu pueritiâ illis fuisset nota et ob oculos posita, tantum in illorum animis ipsius contemptum genuit, quantus non permitteret, ut agnoscerent divinitùs acceptam, quam sciebant non esse humano studio acquisitam sapientiam, quam suis auribus hauriebant et facultatem edendi miracula, quæ suis oculis videbant et sentiebant, adeò manifestè, ut mentis stupore corriperentur. A Deo enim in Christo operante, datâ operâ oculos convertunt ad Joseph, et Mariam et cognatos, quorum obscura erat apud eos conditio, ut velum manifestæ luci opponant. Hinc ergo perperàm et injustè concepta fuit à Nazarenis offensio, cùm potiùs amplecti eum reverenter debuerint, quasi repentè è cœlo delapsum. Propriâ enim confessione se jugulant, cùm tam insigne testimonium reddunt doctrinæ Christi, quæ tamen locum apud eos non invenit, quia usitatam non habet originem è terrâ : nam quid hoc aliud est, quàm prophetam divinitùs edoctum rejicere, quia ex hominum scholâ non prodeat? Videmus ergo, non simplicem ignorantiam hominibus obesse; sed spontè sibi tenebras obducere, et accersere scandala, ut Christi doctrinæ obstrepant.

Vers. 23. — Et ait. Syrus addit : *Jesus.*

Utique, omninò, haud dubiè; affirmantis est.

Dicetis, objicietis mihi, video vos mihi objecturos.

Hanc similitudinem, hanc parabolam, id est, hoc proverbium, hoc vulgare dictum. Nam Hebræum *masal,* quod Græci parabolam, Latini similitudinem et proverbium vertunt (hinc parabolæ seu proverbia

gnificat autem *gratia* non compositionem verborum, sed vim divinam, quâ ejus oratio in animos auditorum decorè, suaviter, et efficaciter influebat. Et dicebant, non causam admirationis proferendo, sed auctoritati verborum gratiæ derogando : nam Matth., in fine, c. 13, dicit quòd scandalizabantur in eo, in carnalis scilicet originis abjectione. Nonne hic est filius Joseph, plebei scilicet et fabri?

Vers. 23. — Hanc similitudinem, id est, hanc parabolam, ut Græcè, seu hoc proverbium vulgare, quod in medicos cum convicio jaci solet, si artem medendi aliis profitendo, se suosque juvare nequeant.

Salomonis), quia in plerisque proverbiis, locus similitudini, comparationi et allegoriæ est.

Medice, cura teipsum. Proverbium in eos jactari solitum, qui cùm profiteantur scientiam artemque alios sanandi aut juvandi, se suosve non juvant, ut qui medicinam professus, suos suorumve morbos non sanat. « Protritum usitatumque apud Judæos erat, « inquit Titus, ut medicos in morbum prolapsos, fa- « cto hoc urbanoque dicto exciperent. » Convicium erat, tendens etiam ad artis reprobationem; quasi diceretur: Medice, si quid ars tua valeret, in te primò ostenderes; quod cùm non facias, non est quòd credaris alios sanare posse.

Quanta, *quæ*, seu *quæcumque*. Interpres retulit ad quantitatem; potest et ad qualitatem referri; quàm multa et mirifica, ut Marci 5, v. 19, scilicet miracula, præsertim sanitatum ex variis morbis et dæmonum oppressionibus. Accommodat proverbium proposito.

Audivimus, famâ referente.

Facta, abs te.

In Capharnaum, civitate quæ te non contingit. Dat intelligendum evangelista, quòd adventus hìc Jesu in Nazareth, non narretur à se secundùm ordinem temporis, tanquàm initio prædicantis Jesu acciderit, sed quòd antecesserint alia multa alibi gesta, et signanter Capharnai. Id annotat D. Augustinus, lib. 2 de Consensu, cap. 42.

Fac et hic, tanta fac et hìc; vel quæcumque audivimus facta in Capharnaum, fac et hìc.

In patria tua, quæ te nutrivit, educavit, et in virum evexit; ubi parentes, fratres, sorores, cognati, familiares, cives denique, et omnes qui ad te aliquo modo pertinent, habitant. Nam si in alienâ facias civitate, quantò magis debes in tuâ? congruit te in tuos potissimùm esse beneficum; quod enim tuis præstas, hoc tibi ipsi præstas. Quòd si tuos posthabeas aliis, jactabitur in te illud vulgaris dicti: Medice, cura priùs teipsum ac tuos; et notaberis, non solùm ingratitudinis, verùm etiam infirmitatis ac deceptionis, in dubium versis miraculis alibi abs te factis: « Quasi dicant, ait Glos- « sa, non credimus quod incerta fama vulgavit, cùm « apud nos nihil tale feceris, quibus convenientiùs « talia impendenda erant beneficia. » Profert Jesus in medium, quæ sciebat illos animis agitare, et occurrit objectioni quam meditabantur, quam et verbis certè prodidissent, nisi prævenisset Jesus. Offensi enim vilitate personæ (quod vidimus, versu superiore), proximum fuit ut de doctrinæ veritate addubitarent, et ad illius confirmationem externa signa postularent, præsertim cùm intellexissent rumore alibi ea fuisse edita. Dicit ergo Jesus: Quando nunc offensi estis vilitate personæ meæ, video vos mihi objecturos hanc similitudinem: *Medice*, etc. Atque hæc ipsis honesta videbatur illius rejiciendi occasio, quòd præter vile genus, quo noverant ipsum ortum, alias potiùs Galilææ urbes (quæ fama erat), quàm patriam suam miraculis nobilitaret.

Vers. 24. — Ait autem. Respondet sibi ipse, et diluit objectionem simul utramque, et eam quæ generis, et eam quæ paucitatis miraculorum, retorquens in ipsos rationem ipsorum, ac docens, altero proverbio in medium allato, nusquàm se minùs quàm in patriâ miracula facere debere; non quòd minor cuiquam suorum cura habenda sit quàm alienorum, aut quòd patriam odisse oporteat (aliud enim præcipit ordo naturæ à Deo institutus), sed quòd minoris Prophetæ fieri consueverint à suis quàm ab alienis.

Nemo, pro nullus.

Propheta, divinæ doctor veritatis, quales Dei virtute miracula operari solent.

Acceptus, gratus, est, in honore, in pretio est, magni fit, id est, contemnitur plerùmque (plus enim intelligere oportet quàm dicatur), quo modo et ego contemnor à vobis, ac proinde non mirum, si prophetarum more, pauciora miracula edam apud vos cives meos quàm apud alios. Eorum culpâ fieri exprobrat, quòd apud ipsos non ita exerat virtutem suam in edendis miraculis, ut apud alios, q. d.: Vobis imputanda est causa, eò quòd me contemnatis, ac proinde nec mihi credatis prophetæ munus obeunti. Habetis ergo justam contemptûs et incredulitatis vestræ mercedem, quòd vobis præteritis, alios potiùs miraculis honorem. Cùm propheta miracula edat in eum finem, ut dùm prophetia seu docendi munus, quod à Deo accepit, honoratur ac magni fit ab hominibus, homines ipsi credant, ac per eum Deo lucrifiant, cessat ratio edendorum miraculorum, ubi homines, datâ operâ, scientes, volentes, contemnunt prophetam, et quamvis videant singularia dona quibus ille à Deo instructus est, illius tamen à Deo missionem præ invidiâ recusant agnoscere. Nulla enim spes est, etiam miraculis editis, homines hujusmodi eò adducendi, ut prophetæ credant, et cum fructu ab eo doceantur. Et certè qui invidiâ cæci, manifestam veritatis auctoritatem elevare conantur, multis divinis beneficiis meritò privantur, quæ Deus in eos confert, qui semotâ acceptione personarum, de rebus ipsis simplicissimè judicant, atque ex actione personam, non autem ex personâ actionem metiuntur.

In patria sua; q. d.: Alia vestra, alia Capharnaitarum est ratio: illi me honorant, Joan. 4, v. 45, tanquàm doctorem ipsis à Deo datum; vos ut civem familiarem contemnitis. Longè enim plures Capharnai inventi sunt qui crederent Christo quàm Nazareti;

Medice, cura teipsum; q. d.: Si ars sua valeret aliquid, primò sibi ferret opem. Applicat autem proverbium Christus: Quanta audivimus facta in Capharnaum, civitate scilicet tibi exterâ, fac et hic in patria tua, cui tanquàm propinquiori magis obstrictus es; quasi dicerent: Non credimus illa esse facta, quæ fama vulgavit, cùm nihil hìc talis beneficii præstes nobis. Idem omninò proverbium aliis verbis Christo in ipsâ cruce objectum fuit, Matth. 27, v. 42. Respondet autem hìc Christus, retorquendo, proverbium simile, quo docet nullibi minùs miracula debere se facere, quàm ubi ipsi maximè putabant.

Vers. 24. — Quia nemo propheta acceptus est, id est, in honore et pretio est, in patria sua; unde apud Matth.: *Non est propheta sine honore, nisi in patriâ.* Causam dat Cyrillus, lib. 2 in Joan., cap. 113, quia

quanquàm et Capharnaitarum major pars obduruerit, quod patet infra, cap. 10, v. 15. Objicit itaque civibus suis Salvator vulgare proverbium ab hominum ingenio sumptum, non novum dicens hoc esse quod sibi accidit; hoc idem enim prophetis ac doctoribus cæteris accidere solere. Cæterùm non exigendum est proverbium hoc ad perpetuam veritatis regulam, quod ad Joannem notat Chrysostomus, cùm illo, ut proverbiis ferè solet, celebratur id quod sæpiùs et ut plurimùm usu venit; certum est enim alibi potiùs prophetas magni fieri quàm in patriâ, *et domi alienæ magis honorari quàm suæ*, quod ait Chrystomus: cujus rei prodebat se hìc in Christo Domino manifestum exemplum. Illius porrò rei duplex causa esse videtur; una familiaritas, quæ contemptum, ut dici solet, parit; tum quia eo ingenio ferè sunt homines, ut pluris faciant et majori in æstimatione habeant peregrina et adventitia quàm domestica, tum quia familiaribus, ipsâ experientiâ innotescunt, si non vitia, at saltem infirma naturæ. Altera causa est invidia, malum inter notos eosque qui communione sanguinis, civitatis aut alterius societatis, sibi mutuò junguntur, commune, quâ fit ut non facilè senior juniorem, superior nuper inferiorem, per parem, sibi præferri permittat, *suam confusionem existimans gloriam contributis*, quod scribit Theophylactus in Joannem. Non est quidem prophetæ ambiendus honor, sed ubi non honoratur docendi munus, quod à Deo accepit, at invidiâ contemptuque excipitur, nihil illic potest boni præstare, hominibus datâ operâ occludentibus animos doctrinæ ejus.

Vers. 25. — In veritate, verè; idem est quod *Amen*, quod dicit superiori versu. Postquàm in eos culpam rejecit quòd destituerentur miraculis, jam duobus exemplis ostendit, non debere videri absurdum, si ipse Dei jussu alienos domesticis præferat; obliquè vanam eorum confidentiam perstringens, quòd ipsum sibi habere obnoxium vellent, quia fuerat apud eos educatus.

Viduæ, egenæ, fame inediâque laborantes.

In diebus, ætate quâ vixit.

Eliæ (*Prophetæ* addit Syrus), miraculis clarissimi.

In Israel, populo Eliæ.

Clausum est coelum, id est, non pluit. Nam quia evidens est pluviam descendere de cœlo, ideò si opportuno tempore non descendat, censetur cœlum clausum, et ex clausurâ cœli pluviæ descensus impediri. Similis phrasis exstat Deut. 11, v. 17: *Iratusque Dominus claudat cœlum, et pluviæ non descendant, nec terra det germen suum.* Contra, Genes. 7, v. 11: *Cataractæ cœli apertæ* fuisse dicuntur, quando ingruente diluvio pluvia copiosa descendit.

Annis tribus et mensibus sex. Hoc Jesus dicit ex propriâ scientiâ; idem Jacobus apostolus, epistolæ suæ cap. 5, v. 17, vel ex doctrinâ Jesu, vel ex traditione, vel ex utrâque. Nam vetus Scriptura hoc non memorat; nec tamen huic adversatur, quando 3 Reg. 18, v. 1, ait anno tertio factum esse verbum Domini ad Eliam, ut daretur pluvia super faciem terræ: nam annum tertium dicit, habitationis Eliæ in Sarepta.

Cum facta esset, ac proinde facta esset. Alii vertunt, *ita ut facta sit*, seu *orta*,

Fames, annonæ defectus, ex terræ sterilitate.

In omni terra, per omnem terram, id est, regionem, scilicet, Israel ac vicinam; nam et Sareptam fames invaserat, quæ non erat regionis Israeliticæ, sed Sidoniæ, quod sequitur.

Vers. 26. — Et, pro, *sed.*

Illarum, viduarum Israeliticarum.

Missus est à Deo; nec enim propriâ auctoritate id fecit; ut scilicet, edito miraculo farinæ oleique non deficientis, sublevaret inopiam ejus ac famem.

Nisi, pro *tantùm;* non enim exceptivè accipiendum est.

Sidoniæ, scilicet, urbem, videlicet sitam in agro, regione, vel ditione Sidoniorum, seu ad Sidona spectantem. Distabat Sarepta duobus à Sidone milliaribus, quod scribunt topographi, sita inter Tyrum et Sidonem quasi media. Ejus incolæ gentiles erant, non Israelitæ; nam quanquàm regio illa Tyri ac Sidonis, comprehensa fortassè fuerit sorte duodecim tribuum, nunquàm tamen ab Israelitis subjugata aut occupata fuit.

Ad mulierem viduam, pleonasmus, redundat enim *mulierem.* Simile, supra 2, v. 15. Est autem hyperbaton sic ordinandum: *Nisi ad mulierem viduam in Sarepta Sidoniæ.* Hanc prætulit Deus omnibus viduis Israeliticis, ad hanc potiùs quàm ad ullam illarum misso Eliâ, ut edito miraculo juvaret illam atque honoraret. Quare? quia noverat Deus quòd nulla Israeliticarum viduarum tanti factura esset prophetam, quanti hæc Sidonia. Ac certè magni prophetam fecit, quæ, mox ut ille petivit, expendit in ejus cibum ac potum, quidquid reliqui habebat aquæ, olei, farinæ, mortis periculo se suumque filium de cætero exponens, nisi quòd verbo prophetæ crediderit, farinam oleumque non defectura; id quod tamen ut erat per se creditu difficile, quippe excedens omnem naturæ rationem, ita evadebat difficiliùs, quòd posset illa apud se cogitare: Quomodò prospiciet ille mihi de victu, qui sibi ipsi non prospicit? Tantam ergo fidem con-

solemus id quod tritum est atque quotidianum, etiamsi magnum sit, parvi pendere; imò et in iis quæ ejusdem sortis nobiscum sunt, si in aliquâ re excelluerint, invidere. Causam ergò tacitè in ipsos retorquet; cùm enim miracula in eum fiant finem, ut credantur, minimè autem credantur ubi propheta sine honore est, et contemnitur, minimè in patriâ fieri debent. Quod declarat ex factis aliorum prophetarum Eliæ et Elizæi. Nam

Vers. 25. — Multæ viduæ, egenæ scilicet laborantes inediâ, erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum, id est, non pluit, annis tribus et mensibus sex; quod tempus non exprimitur in Scripturâ veteris Testamenti, sed ex propriâ scientiâ Christus tradit, et ex Christo Jacobus, c. 5, v. 17.

Vers. 26.— Et ad nullam illarum missus est Elias nisi, quod non exceptivè intelligendum est, quia non erat vidua Israelitis, verùm adversativè pro, *sed*, q. d.: sed, in Sarepta Sidonia, Græcè Σιδῶνος, id

junctam cum singulari charitate, cùm non inveniret Deus in Israel, posthabitis Israelitis, misit prophetam ad Sidoniam viduam, adeò apud Deum plus habet momenti animus quàm genus; nec genti largitur sua munera Deus, sed fidei; non carnis propinquitati, sed promptitudini spiritûs.

Vers. 27. — In Israel, inter Israelitas, populares Elisæi. *Siquidem*, ait Ambrosius, *etiam quatuor illos qui cogente fame primi in castra regis Syriæ tetenderunt, tradit historia fuisse leprosos*, 4 Reg. 7, v. 3.

Sub Elisæo, quo tempore Elisæus functus est munere Prophetæ.

Et nemo, sed nemo mundatus est, à leprâ.

Nisi, pro, *solùm.*

Syrus, *qui utique non erat ex Israel*, ait Origenes. Causa, quia nullus leprosorum Israelitarum, tanti Elisæum fecit, quanti hic alienigena, qui solus *religioso officio studuit sanitati*, ut scribit Ambrosius. Fide ductus, quâ credebat Deum Israel, per prophetam suum, sanitatem à leprâ dare posse, longum ac difficile iter, à Syriâ usque, confecit, ut sanitatem impetraret, allatis etiam maximis donis, quibus animi gratitudinem testaretur, prout testatus est, et rejecto dæmonum cultu, Deo Israel, ut soli vero Deo, deinde adhæsit. Inter leprosos Israelitas, nullus erat qui vel pedem moveret ut prophetam, sanitatis obtinendæ causâ, adiret. « Cur non curabat fratres, » rogat Ambrosius, « non curabat cives, non sanabat propheta consortes, cùm sanaret alienos, sanaret eos qui observantiam legis et religionis consortium non habebant? Nisi quia voluntatis est medicina, non gentis; et divinum munus votis eligitur, non naturæ jure defertur. » His igitur duobus exemplis, Naaman Syri et viduæ Sidoniæ, declarat Jesus, non mirum esse si non tam multa ipse nec eadem miracula edat in patriâ, quæ alibi, cùm idem usu venerit veteribus prophetis: vult autem patere ejus rei causam, quia cùm veteres prophetæ tum ipse, pluris alibi fiant, quàm in patriâ, ab extraneis pluris quàm à civibus, ipse à Capharnaitis pluris quàm à Nazarenis; itaque accidere ut Deus virtutem suam ad alienos transmittat, quando à domesticis repellitur. Quanquàm autem particulariter Nazarenos his exemplis vulneret, simul tamen totius gentis ingratitudinem carpit, quòd jampridem soliti sint Dei virtutem per prophetas populares ipsorum se exerentem parvi facere. Interea significat, nihil gloriæ suæ detrahi, quòd à conterraneis vilipendatur, quia Deus, non sine eorum ignominiâ ac pudore, alibi ipsum ornare et extollere possit; sicut olim prophetis suis honorem dedit in mediis gentibus.

Vers. 28. — Et repleti sunt. Syrus mutato verborum ordine clariùs effert: *Et cùm audissent hæc ii qui erant in synagogâ, repleti sunt furore omnes ipsi.*

Ira. Excandescentiâ, appetitu vindictæ.

Hæc audientes, cùm hæc audirent. Non sunt emendati, sed irati. Causa, quòd correptionem non ferrent (ut *non amat pestilens eum qui se corripit*, Proverb. 15, v. 127), præsertim verò si etiam gloriæ ejus à quo corripitur invideat. Graviter offensi sunt hujusmodi objurgatione, tametsi ad doctrinam ac salutem eorum depromptâ. Senserunt enim quorsùm tenderent illa duo veteris historiæ exempla, nempe: Dei gratiam per miracula Jesu relucentem, ab ipsis tanquàm indignis, Dei ordinatione ad alios transferri; itaque id in suam ipsorum contumeliam atque injuriam accipientes, in iram sunt versi, eò magis, quòd quem vilem atque abjectum civem se novisse credebant, ipse se veteribus prophetis compararet.

Vers. 29. — Et surrexerunt et ejecerunt, et postquàm surrexissent, ejecerunt. Tumultu excitato, irâ perciti, solverunt conventum, et ejecerunt illum, impetu in eum unanimiter facto, non solùm extra synagogam, verùm etiam *extra civitatem*, tanquàm civitate indignum quam dehonestâsset, et reum mortis; ut consueverant extra civitatem punire morte qui eam meruisset. Hoc idem Jerosolymis Stephano factum legitur, Act. 7, v. 56, 57.

Duxerunt, apprehensum; vi, quod putabant, reverà autem, non nisi ipso permittente, ut potentiam suam mox declararet.

Supercilium, verticem. Metaphoricè enim pro parte montis editiore accipitur.

Super quem montem. Intelligitur civitas, non in vertice montis fuisse ædificata, sed in declivi: vertex enim extra civitatem fuisse hìc dicitur. Quare non rectè Adrichomius scribit ædificatam fuisse super montem quem coronæ instar ambit.

Ut præcipitarent eum, ut inde præcipitem darent,

est, urbem illam spectantem ad ditionem Sidonis seu Sidoniorum: duobus enim milliaribus ab illâ distabat, et ejus incolæ Gentiles erant. Ad mulierem viduam; cujus præ omnibus viduis Israel tantopere excelluit fides, et charitas, et veneratio erga prophetam, ut unius diei cibum, quem solum habebat, apposuerit, et prophetæ esuriem necessitati suæ et filii prætulerit, inquit Leo, serm. 4 de Quadrages. Maximæ enim fidei fuit, quòd verbis simplicibus hominis esurientis, et tamen ei victum promittentis, crederet, maximæ charitatis et honorificentiæ, quòd satiùs judicaret ipsum, quàm se vel filium, vivere.

Vers. 27.— Et multi leprosi erant in Israel, etc., et nemo mundatus est nisi Naaman Syrus, id est, extraneus Israelitis. Causa erat etiam hìc, fides in Deum Israel, et prophetas ejus, ex quâ tantùm laborem itineris susceperat; et gratitudo in benefactorem prophetam. Unde Ambr.: Cur non curabat fratres Elisæus, cùm sanaret alienos; nisi quia voluntatis est medicina, non gentis; et divinum munus votis elicitur, non naturæ jure defertur; fastidiosos viros cœlestium profectus numerum non sequuntur. Hæc Ambrosius. Itaque Christus tacitè et verecundè significat etiam gestis antiquorum congruere, quòd nulla ibi faceret miracula, culpam in ipsis esse, non in se, videlicet contemptum suî, ingratitudinem, et ut Matth., incredulitatem eorum. Hunc verborum Christi sensum, cùm ipsi satis intelligerent.

Vers. 28. — Repleti sunt omnes in synagoga ira: partim quòd suî taxationem non ferrent, ut pestilentes homines solent; partim quòd ipse se prophetis antiquis compareret; ac denique quòd ab eis Dei beneficia auferenda, et in alienigenas transferenda insinuaret.

Vers. 29. — Et surrexerunt, abruptâ scilicet Christi concione, et ejecerunt illum extra civita-

et fractâ cervice occiderent, prout præcipitârunt, quantùm in ipsis fuit; judicabant enim, acti furore populari, dignum morte, tanquàm contumeliosum in suos. Atrox injuria, qualem non facilè alii præter cives, Jesu ante mortem irrogârunt, ipso suo facto confirmantes sermonem Jesu, quod notat Euthymius, et miraculis se indignos evidenter declarantes.

Vers. 30. — Ipse autem, etc., ubi ad supercilium ventum esset. Occulta antithesis est: Nazareni tenebant eum captum, et ad præcipitium ductum conabantur interficere: ipse autem *transiens per medium illorum*, illæsus, securus, intrepidus, sine vi, sine fugâ, sine festinatione, servatâ gressûs gravitate, quasi non inter medios hostes constitutus (hæc enim vis verborum est), evasit ab eis, ita liberè, ut ipsimet nescirent, quo pacto è manibus eorum elaberetur, an constringeret ipsorum manus, an oculos, ἀορασίᾳ percuteret, an stupefaceret mentes et corda; varii enim ei suppetebant modi, quibus se ab hostibus liberaret; quod postremum secutus Ambrosius: *Ecce per medium illorum*, inquit, *mutatâ subitò vel obstupefactâ furentium mente, descendit*. Ut voluit transiit per medium illorum; jungendum enim est τὸ *per medium illorum*, participio *transiens*, non verbo *ibat;* ipsis quanquàm implendi malè concepti voti desiderio flagrarent, tanquàm statuis, sine sensu ac motu utrinque relictis.

Ibat, abibat, proficiscebatur quò volebat, omninò liberè, ita ut etiamsi circumseptus et vallatus ab hostibus, tamen à nemine eorum retineri aut impediri posset quominùs abiret quò vellet. Potuisset eos ipse in præcipitium impellere, sed hàc vindictâ contentus fuit, ut ipsos relinqueret, *malens adhuc sanare quàm perdere*, quod ait Ambrosius, *ut inefficaci furoris exitu, desinerent velle, quod implere non possent*. Et potuissent sanè vel hoc solo miraculo commoveri ad ipsum suspiciendum, nisi saxis duriores se præbuissent; palam enim declarabat nihil in se posse hominum malitiam, nisi suâpte sponte se traderet capiendum et occidendum. *Etenim*, quod Ambrosius inquit, *quando vult capitur, quando vult elabitur, quando vult occiditur*. Nolebat autem occidi impræsentiarum, *quia nondùm venerat hora ejus*, Joan. 7, v. 30; ut nec hoc loco, nec hujusmodi mortem mori volebat.

Vers. 31. — Et. Quare cùm præsciret quo loco habendus esset ipse à civibus suis, id quod postea, exemplo jam narrato, res docuit.

Descendit, seu descenderat, habitationis transferendæ gratiâ, in principio sui in Galilæam reditûs, de quo supra, v. 14.

In Capharnaum, è Nazareth, q. d. evangelista. Hinc intelligere licet cur ab initio è Nazareth Capharnaum, transtulerit habitationem. Clarum est enim, hunc descensum è Nazareth in Capharnaum, non accidisse post ea quæ proximè antecedunt Nazarethi acta, cùm illic, v. 23, mentio sit frequentium miraculorum Capharnai editorum. Sed nec videtur idem ille ingressus esse qui, Marci 1, v. 21, describitur; quanquàm eadem hìc quæ illic consequantur; hìc enim descensus narratur è civitate ac viâ montosâ atque altâ, qualis erat Nazarethana; illic ingressus è locis maritimis humilitate æqualibus ipsi Capharnao ejusque agro. Sed quare præposuerit evangelista id quod postea contigit, intelligitur ex jam dictis.

Ibique docebat, *et erat docens*.

Illos. Capharnaitas.

Sabbatis maximè, idque in synagogis eorum. Non quòd continuè hæserit Capharnai, sed quòd frequentiùs eò recurrerit. Circa hæc omnia, vide quæ diximus ad versiculos superiores hujusce capitis.

Vers. 32. — In doctrina, super doctrinâ vertit secundùm Matthæum et Marcum.

In, cum potestate, auctoritate conjunctus, dignitate plenus, erat sermo ipsius, dic is aderat auctoritas. Hæc quoque superiùs explanata.

Vers. 33. — Et, tunc temporis:

In synagoga Capharnai. Loci annotatio facit ad historiæ certitudinem, ut semper, ita hìc maximè, ubi celeberrimus designatur locus, innumerabili testium multitudine refertus; synagoga, inquam, *quò omnes Judæi conveniebant*, Christo ipso teste, Joan. 18, v. 20. Dæmon nec à locis sacris abest, ubi Dei verbum tractatur, si quid ibi quoque nocere queat, *tollens verbum de cordibus plurimorum, ne credentes salvi fiant*, quod ipsius esse opus docetur, Luc. 8, v. 12.

Erat. Aderat, cæterorum more; ut enim non semper infestabatur ab immundo spiritu, sed lucidis intervallis utebatur, ita docentibus scribis nihil tale pati solitus fuerat, quale docente Jesu et regnum Dei evangelizante.

Habens in se, patiens.

Dæmonium immundum, spiritum dæmonii immundi, quo modo etiam Syriacè legitur; id est, spiritum qui erat dæmonium immundum. Interpres omisit vocem *spiritûs*, ut quæ contineatur voce, *dæmonii*, sensu rectè expresso. Evangelista sciens, utpote

tem, tanquàm reum mortis, quia extra civitatem sontes plectere solebant, ut colligitur ex morte Christi, et Stephani, Act. 7, v. 57; et duxerunt eum, protrahendo, inquit Tertull. 4 contra Marcionem, c. 8, usque ad supercilium, seu verticem et eminentissimum aliquod jugum, montis, super quem civitas illorum erat ædificata, in aliqua ejus planitie declivi ori.

Vers. 30. — Ipse autem transiens per medium illorum, ita ut eum videntes tenere non possent, inquit Ambrosius, Orat. contra Auxent., nec enim se invisibilem hic Christus reddidit, sicut putatur fecisse apud Joan., quando abscondit se, et exivit de templo. Variis autem id modis fieri potuit, sive resolvendo manus eorum, quibus tenebatur, sive mutatâ subitò, sive obstupefactâ furentium mente, ut sentit Ambr. Ibat, id est, intrepidus sine festinatione abibat, non ut fugientes solent occultè, sed libero gradu ambulans, ut solebat, inquit Cyril., 12 in Joan., cap. 22. Nullam autem aliam furentibus influxit pœnam, tanquàm qui sanare adhuc mallet quàm perdere, ut inefficaci furoris exitu desinerent velle, quod implere non possent, ut idem Ambrosius ait.

Græcè peritus, *dæmonium*, ex vi vocis, non esse nomen spiritûs mali, addidit epitheton immundi, quanquàm usus malis spiritibus appropriet.

Qui à dæmoniis agebantur, qui à malis spiritibus vexabantur, *dæmoniaci*, à participio Græco ficto à nomine δαίμων, sive δαιμόνιον, quo nomine Græci olim appellàrunt deos suos, à scientiâ. Sacræ deinde litteræ, tum veteris Instrumenti secundùm Septuaginta, tum novi ex illorum imitatione, eo nomine vocant spiritus sive angelos illos qui à Deo creatore suo desciverunt (hi enim erant dii gentium), dæmonii nomen divinis nominibus opponentes, Deut. 32, v. 17; ps. 95, v. 5. Hebraicè *sed* dicitur, tanquàm solus et in universum vastator; syriacè, *daivo* et *daivono*. Porrò cùm omnes qui naturâ filii sunt iræ (ut sumus homines omnes) dæmonibus subditi quod ad animam sint, et captivi ab eis detineantur, nisi per Christum fuerint liberati; ii tamen propriè dæmoniaci dicuntur quorum dæmon non tam animas quàm corpora occupat, perturbans sensus et ad furorem atque insaniam adigens. Illos cùm sanaret Jesus, probabat cœlestem in se efficaciam, omninò contrariam diaboli regno, quâ ut corpora, ita et animas à tyrannicâ dæmonum servitute valeret liberare. Ideò in spiritu esse dicuntur hujusmodi, quòd eos spiritus quasi inclusos teneat et devinctos, ita ut aliud agere non queant, quàm quod spiritui placet, qui pro suo arbitrio ad loquendum et ad omnes motus impellit eos. Sic vernacula lingua in febri nobis esse dicuntur, quos febris totos occupat. Quidam accipiunt *in* pro *cum*, homo cum spiritu immundo, pro, obnoxius spiritui immundo.

Cacodæmones ex substantiâ suâ appellantur *spiritus*, ex ingenio ac moribus impuris, *immundi*, quia gaudent rebus immundis, malis hominum, peccatis et suis et hominum; suâ culpâ divinam puritatem amiserunt, et immunditiâ delectantur, sanctimoniam omnem insectantes. Vide, si placet, Hieronymum de filio prodigo ad Damasum, Augustinum, libro de Vitâ beatâ, disputatione secundæ diei, Victorem Antiochenum in Marcum, cap. 1, v. 23. Denique B. Ariam Montanum, inter neotericos, libri Joseph cap. 5. Contrariâ ratione alii vocantur angeli sancti.

Ex multis variisque miraculis quibus confirmatam à Jesu, in Galilææ prædicante, fuisse doctrinam auctoritatemque suam, Matthæus testatus fuerat, cap. 4, v. 24, Marcus et Lucas unum singulare dæmoniaci in synagogâ sanati recitant.

Et, pro *quod* : supple autem *spiritus* potiùs quàm *homo* : spiritus enim per hominem tanquàm per organum.

Exclamavit, *quasi tormenta sustinens*, inquit Commentarius Chrysostomo ascriptus, *quasi in dolore positus, quasi flagella ferre non valens*. Duplicem autem ob causam torquebatur; unam, quòd doleret de præsentiâ ac doctrinâ Jesu sanctissimi, ad pœnitentiam omnes adhortantis, et ab immunditiis ad sanctitatem vocantis, promisso regno cœlorum, ob quam valdè timere cœpit ne ipse immundissimus pelleretur, ut contraria à contrariis pelli consuevêre, à luce tenebræ, à calore frigus. *Præsentia Salvatoris*, inquit V. Beda, *tormenta sunt dæmonum* : nec fert cœlestem spiritum in Christo loquentem spiritus impius. Alteram, quòd etiam à Jesu, quamvis voce nihil ipsi dicente, clàm ad exeundum lacesseretur, ita ut dolore motus, quòd sibi discedendum esse videret, in querulos clamores eruperit. Annotavit et idcircò evangelista hanc exclamationem, ut dæmonis de Jesu testimonium, non obscurum, sed adeò clarum fuisse ostenderet, ut neminem præsentium in synagogâ latere potuerit. Quamvis enim silentium dæmoni imperàrit Jesus mox ut fuerat locutus; permiserat tamen loqui, ut monstraretur vim ipsius, dæmonibus quantùmvis potentibus, esse intolerandam.

Vers. 34. — Dicens. Græcè subjungitur ἔα, quod vel est verbum *sine*, quo modo interpres noster vertit, vel adverbium sive interjectio, ut multa verba in adverbia degenerant, tam Græcis quàm Latinis, ἄγε, ἄπαγε, obsecro, et pleraque hujusmodi. Tanquàm sit verbum in Marco, exponit Euthymius, *dimitte nos*; desine mihi molestus esse; cessa me affligere; clàm enim Jesus urgebat eum ut exiret. Alii tanquàm sit adverbium, *ah* vel *hem*, quæ particulæ conveniunt exclamanti, partim præ dolore, partim præ rei novitate. Latinus interpres non legit voculam hanc secundùm Marcum, nec Syricus.

Quid nobis. Non erat in hoc energumeno nisi unus dæmon, quod tota historia testatur : plurium tamen nomine loquitur, sciens eamdem suî et sociorum esse rationem, nempe, Jesum dæmonibus omnibus æquale bellum indixisse.

Et tibi, id est, quid tibi nobiscum, scilicet rei aut causæ est, quòd nos torqueas et ex hominibus ejectos ac perditos velis (sentimus enim nos abs te torqueri et urgeri ad exitum), nos te non lædimus, quem confitemur sanctum esse Dei, sed peccatores nobis similiter immundos. Frequens est Hebræis hujusmodi loquendi modus, exponendus pro ratione subjectæ materiæ. Mat. 27, v. 19 : *Nihil tibi et justo illi*, scilicet commune sit, non te immisceas rebus illius, 4 Reg. 9, v. 18 : *Quid tibi et paci*, scilicet commune est, aut quid tibi rei cum pace, quid tu curas pacem? Ac ferè præponitur primæ personæ pronomen, etiam ubi juxta nostrum loquendi modum postponendum sit, 2 Reg. 16, v. 10 : *Quid mihi et vobis est, filii Sarviæ?* inquit David, pro : Quid vobis mecum est rei aut negotii (molesti enim erant filii Sarviæ Davidi, non David filiis Sarviæ)? Cur rebus meis vos immiscetis non requisiti? quid causæ est vobis ut mea semper consilia turbetis? 2 Paral. 35, v. 21. Rex Ægypti prior bello impetitus à rege Juda, cùm non adversùs Judam, sed adversùs Charcamos educeret copias, ait : *Quid mihi et tibi est, rex Juda?* id est, quid tibi negotii, quid dissidii est mecum, quid causæ quòd me bello adoriaris? *Non adversùm te hodiè venio, sed contra aliam pugno domum.* Sic hoc loco dæmon dicit Jesu : *Quid nobis et tibi*, id est, quid tibi nobiscum (oppugnabat enim Jesus dæmonem.

non dæmon Jesum, quod sibi persuadebat), scilicet rei est, ob quod nos ejicias? quid causæ est tibi quòd nos velis ejectos? quid nos mali tibi facimus? Nos te non oppugnamus, neque tibi molesti sumus, quem agnoscimus esse Filium Dei; sed peccatores solummodò vexamus, eosque qui nostri juris sunt ad interitum trahere conamur. Te, quem scimus esse Filium Dei, et à peccatorum conditione longè alienum, cavemus offendere. Nulla ergo inter nos et te lis cùm sit aut controversia, quid nos infestas? sine tu nos quietos agere, quemadmodùm nos te. Possit etiam exponi : *Quid nobis et tibi* commune est? omninò aliena est tua ratio à nobis : tu es Filius Dei, nos dæmones à Deo prorsùs alieni; tu Christus sanctus Dei, nos spiritus immundi; nihil autem commercii est illi cum his, Filio Dei cum dæmonibus, nihil commune *Christo cum Belial* (2 Corinth. 6, v. 14, 15), *luci cum tenebris, justitiæ cum iniquitate.* Quid ergo nostra curas? Relinque nos ut longè à te alienos et nihil ad te pertinentes : nam si auctoritate et viribus agatur, scimus actum esse de nobis. Utrovis modo exponas, non accipienda sunt tanquàm rejicientium Jesum aut ei rebellantium verba, sed tanquàm expostulantium, conquerentium, et ne ejiciantur deprecantium. Atqui venerat Jesus Filius Dei, homines liberatum à miserabili diaboli servitute.

Jesu. Proprio nomine appellat, ut probet quod statim addit se eum probè nosse.

Nazarene. Utitur cognomine quo Jesus tunc vulgò vocabatur, à loco educationis, quamvis sciret natum esse in Bethlehem, eò libentiùs (ut est fraudulentus), ne Jesus, Messias, qui exspectabatur ex Bethlehem (Joan. 7, v. 42) habeatur, etsi ipse clamaret Messiam sanctumque illum Dei esse : neque fefellit eum hæc expectatio, quod ex illo Joannis loco intelligi potest.

Venisti perdere nos? an ad hoc venisti ut perderes nos? Sciunt Dæmones se jam perditos esse, ut verè sunt; sed tunc demùm planè perditos se esse persuasi sunt, si non ampliùs sinantur nocere dominarive mortalibus : id fit quando in abyssum relegantur, id quod deprecantur, Luc. 8, v. 31. Quærit ergo hic dæmon : Ideòne in mundum à Deo missus venisti, ut nos ex hominum animis, corporibus et societate ejectos, in abyssum detrudas? nullum enim nobis inter homines locum reliquum facis : doctrinâ tuâ nos eorum animis excludis, dùm impietatem è medio tollis, et Dei notitiam pectoribus inseris; potestate tuâ nos eorum corporibus ejicis; veremur, ne tandem planè hominum consuetudine prohibitos, in abyssum detrudas, quæ nostra extrema pernicies sit. Perditionem suam vocat hic dæmon, si non ampliùs permittatur nocere mortalibus (nec enim aliud discriminis est, inter pœnam eorum dæmonum qui in abysso agunt, et eorum qui in hoc aere) usque adeò illi oderunt homines, et salutis eorum torquentur invidiâ; quam certè maximum esse tormentum, vel ille testatur, qui scripsit : *Invidiâ Siculi non invenêre tyranni majus tormentum.* Ut diabolo, quà est malitia, est volupe affligere homines; itaque est superbia, ægrè cedit alterius imperio. Tormentum itaque erat illi cogi relinquere eos quos jam obsederat, eòque majus, quòd metueret ne expulsus *in abyssum* ablegaretur, quod Lucas refert (mox enim ut ad judicem ventum est, scelerati supplicium ipsi concipiunt suum) qui persuasum habebat permittendum sibi, ante extremi judicii diem, impunè ut in homines grassari posset. Venerat profectò Jesus, ut dæmones perderet, et eorum in homines, præsertim electos, imperium aboleret, quanquàm non statim (quod dæmon iste verebatur), sed paulatim id effecturus esset, nec nisi tandem, extremi judicii tempore, electorum societate ejectos omnes in abyssum detracturus.

Scio qui sis, novi te quis es, phrasis Græca, pro, *novi quis tu sis,* scio quisnam tu sis. Quidam libri scribunt conjunctionem *quia*, hoc sensu : *Scio te quòd sis sanctus Dei;* sed interpres dedit pronomen *quis,* aut certè *qui,* positum pro *quis,* quo modo est Græcè. Mirâ intelligendi facultate præditi sunt dæmones, à quâ et dæmonum nomen habent; quare nihil mirum, quòd noverint quisnam esset Jesus : id quod eos verè novisse, ipse evangelista testatur infra, v. 41.

Sanctus Dei, ille sanctus Dei. Articulum urgent omnes Græci tractatores, Euthymius, Theophylactus, Victor Antiochenus, Athanasius in Catenam Lucæ adductus : quo significetur, non quivis sanctus quales prophetæ plerique fuerant, sed emphaticè *ille unicus et præfinitus,* inquit Theophylactus, ille *sanctus sanctorum,* id est, sanctissimus omnium, quem Daniel cap. 9, v. 24, suo tempore ungendum prædixerat. Ille *sanctus Dei,* à Deo olim promissus, et hactenùs exspectatus, *quem Pater sanctificavit et misit in mundum*, ut Jesus ipse explicat, Joan. 10, v. 36, *sanctificavit*, ornans non solùm omnis generis virtutibus ac donis, præ reliquis filiis hominum, et separans ab omni aliorum comparatione, omnium hominum optimum, potentissimum, efficientissimum, verùm etiam comparans et delegans ad maxima sibique gratissima agenda gerendaque, nominatim ad opus illud excellentissimum redimendi humanum genus. *Sanctum* ergo *Dei* vocat dæmon Jesum, vel ex sacris Scripturis, qualis etiam illa Psal. 15, v. 10 : *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem;* vel ex illius temporis consuetudine, quæ Messiam potuit hâc periphrasi celebrâsse : estque idem *sanctus Dei,* quod Matth. 8, v. 29 et Marci 3, v. 11, dæmones dicunt : *Filius Dei;* denique idem quod Messias, seu *Christus,* de quo Luc. 4, v. 41, dicitur quòd dæmonia *sciebant ipsum esse Christum.* Cæterùm non sincera hæc veritatis confessio est, sed fraudulenta tartarei canis adulatio, ut pœnam evadat, et remanere in miseri hominis corpore sinatur : quod annotant Euthymius et Theophylactus. Nam quia virtutem, quam sibi exitialem esse sentit, ferre non potest, Jesum inani titulo contentum quiescere cuperet. *Fore enim sperabat* (quod scribit Titus Bostrorum Episcopus in Lucam, quanquàm Catena verba hæc Cyrillo ascribat) *ut per istiusmodi adulatoria blandimenta, aliquod*

inanis gloriæ desiderium in ejus pectore excitaret, eâque ratione efficeret, ne vel se vel sui ordinis alios increparet, hanc nimirùm gratiam pro impensâ gratiâ rependens. Dicit ergo : Rogo te ne perdas aut vexes nos, sed relinquas quietos; tantùm enim abest ut aliquid contra te moliri, aut tibi nocere, vel me tibi opponere velim, ut agnoscam quis sis, et te confitear Christum sanctum Dei, in quem nihil mihi est juris, ut in cæteros homines peccatores, adeòque meum et omnium dominum. Atqui quorsùm erat Jesus sanctus Dei et sanctificatus à Patre, nisi ut homines à diaboli servitute liberans, ejus regnum everteret? ita adversùs seipsum dæmon pronuntiabat sententiam. Qui, quanquàm vexatus et tortus vi præsentiæ et doctrinæ Jesu veritatem fateretur, non cupiebat tamen ab astantibus sibi credi, imò hoc agebat ut auctoritatem Jesu suo testimonio elevaret. Nam ut malorum testimonium parùm decoris affert bonis, ita ingerere ille studebat suspicionem hominibus, aliquid sibi esse cum Jesu necessitudinis.

Vers. 35. — Increpavit illum, objurgavit quòd ipsum diceret esse illum sanctum Dei, et præcepit severè minisque additis,

Dicens, magnâ cum majestate.

Obmutesce, tanquàm freno ori injecto : id enim significat vox Græca. *Obmutesce*, ait auctor homiliarum apud Chrysostomum, *laus mea sit silentium tuum. Nolo me laudet vox tua, sed tormenta tua : pœna tua laus mea est. Non quia laudas gratulor, sed quia exis gratulor.* Compescit Jesus dæmonium, sibique testimonium ferre prohibet, tametsi verum, primò, quia non decet immundum de mundo pronuntiare, et à Deo refugum de sancto Dei, ut non est impurissimi scorti de virginitate disserere. Secundò, quia nondùm venerat tempus, ut Jesus palàm profiteretur quis esset, quod non mox ab initio, temerè et intempestivè prædicari, sed paulatim voluit intelligi et sciri, prout hominum ingenium ferre posset; quare et apostolis suis, Marci 8, v. 30, prohibet ne cui dicant ipsum esse Christum. Tertiò, ne existimaretur commune aliquid habere cum dæmone ; si laudem ab illo profectam ferret : imò contra testatum voluit, hostile dissidium, quod habebat ipse æternæ salutis et vitæ auctor, cum mortis principe ejusque ministris. Quartò, quia non est statuenda veritas per dæmonem, qui cùm sit mendax et mendacii pater (Joan. 8, v. 44), mentitur plerùmque, imò nihil aliud cogitat quàm mentiri et fallere, nec alio fine quàm ut decipiat, dicit facitque omnia. Quamobrem rectè Euthymius. *Docuit,* inquit, *nos, ne dæmonibus unquàm credamus etiam vera dicentibus : cùm enim ament mendacium, sintque nobis inimicissimi, nunquàm vera loquuntur, nisi ut ad fallendum, veritate, quasi escâ quâdam utantur.* Quamobrem et Paulus Pythonis testimonium ægrè fert, Act. 16, v. 18.

Ab eo. Secundùm Marcum interpres vertit : *De homine,* quo modo est etiam Syriacè. Claritatis ergo, antecedens dedit loco relativi. Solo jussu ejicit immundum spiritum Jesus, occasione ex eo acceptâ quòd ab ipso prædicaretur : malens ostendere se esse illum sanctum Dei, dæmonis ejectione, quàm prædicatione; q. d. : Non quæro abs te gloriam hanc quam mihi tribuis, sed hoc quæro ut ab homine exeas, idque facias mando : sic enim meliùs prædicabis quis sim. Non vult Jesus probari testimonio dæmoniorum, sed Dei Patris, et suâ virtute atque efficacitate, quæ tanta erat ut etiam invitum dæmonem uno verbo expelleret : atque hoc majus certiusque testimonium erat, quòd Jesus esset sanctus ille Dei, quàm ipsa affirmatio dæmonis.

Et cum projecisset. Itaque cùm dejecisset seu fudisset in terram hominem illum, dæmonium furens. Augustinus, lib. 4 de cons. Evang., cap. 2, annotat in hæc verba : *Quod Marcus dixit convexans seu discerpens eum, Lucas cùm projecisset eum in medium* ; hoc idem annotat Euthymius Græcus. Nam cùm videret dæmon sibi exeundum esse, dolore, indignatione, rabie percitus, torsit cruciavitque hominem longè quàm antea vehementiùs, ut quantùm et quamdiù posset noceret. Permisit autem hoc Jesus ut vis malitiaque dæmonis manifestaretur, qui jussus exire, noceat adhuc quantùm potest, denique intelligeretur quanto iste malo liberatus esset.

In medium, coram omnibus præsentibus, *ut virtus patefacta Salvatoris, plures ad fidem viamque salutis invitet,* inquit Beda.

Nihilque illum nocuit. Et quamvis vi magnâ eum prostrâsset in terram, et miserè jactâsset atque afflixisset, adeòque discerpsisset, quod ait Marcus, nihil tamen illi nocuit, quippe ligatus expellentis potentiâ. Non quòd impetus ille, prorsùs absque omni læsione et sensu doloris fuerit ; sed quòd *ægrum hominem consauciari, aut graviter eâ jactatione lædi, non est passus Jesus,* quod ait Victor Antiochenus in Marcum scribens. *Illa jactatio membrorum atque vexatio,* inquit Augustinus, *non eum debilitavit, sicut solent exire dæmonia, etiam quibusdam membris amotâ vexatione elisis*, vel, quod addit Beda, *relicto morbo incurabili.*

Exiit, non absque afflictione hominis, sed absque membri mutilatione, partis alicujus vulneratione, aut relictis aliis suæ pravitatis vestigiis, id enim non permisit dæmonio Jesus, quantùmvis ille conaretur. *Ei permisit Dominus ut hominem projiceret*, inquit Euthymius, *quò demonstraretur projicientis malitia; nocere autem non permisit, ut appareret expellentis potentia.* Ab egressu igitur dæmonis homo integer apparuit, et Jesu confortante, sensibus ac viribus suis restitutus est.

Vers. 36. —Pavor, stupor, pavor ex stupore natus cum eoque conjunctus.

In omnibus, super omnes, scilicet præsentes, omnes invasit pavidus stupor, ob rei novitatem admiratione dignissimam; nunquàm enim hujusmodi quid viderant.

Quod est hoc verbum, id est, quid hoc rei est, phrasi Hebraicâ. Marcus, Latinâ phrasi : *Quidnam est hoc?* q. d. : Nihil hujusmodi unquàm visum est à

nobis aut patribus nostris. Quis est hic novus docendi modus, doctrinam stupendis hujusmodi miraculis stabiliendi? Novam vocant doctrinam Jesu, non tam quòd novi aliquid doceat, quod aliàs non audissent (quanquàm regnum cœlorum ante Jesum non fuerat ab aliis ita nominatim et clarè prædicatum), quàm quòd eo modo doceat, quo neminem hactenùs docere viderant aut audierant, docuisse: præcipuè quòd doctrinam signis confirmet. Non ergo novam vocant, reprobandi, dubitandi, aut exprobrandi causâ, sed admirandi et collaudandi, neque novitatis eam insimulant, ut fidem ei derogent, sed contrà, ut divinam et nequaquàm vulgarem esse affirment, idque ex eo quod consequenter addunt, *quia in potestate,* etc. Audierant sæpè docentes Scribas, audierant non ita pridem et Joannem Baptistam: verùm illi docuerant duntaxat, minimè verò junxerant doctrinæ talem signorum efficacitatem (Joan. 10, v. 41), qualem Jesus novâ ratione jungebat: quæ cùm non possit non esse divina, clarè intelligunt divinam quoque esse debere ejus doctrinam.

Quia. Id est, quòd.

In potestate et virtute. *In,* id est, *cum*, auctoritate et potentiâ; auctoritate potenti, imperio efficaci. Euthymius: *Cum auctoritate quidem, eò quòd juberet: cum potestate verò, eò quòd efficeret quod vellet.* Alii multa adhibere solent ad ejiciendos dæmones, nec tamen semper voti sunt compotes. Exorcistæ prolixâ oratione, contentâ imprecatione, invocatis arcanis nominibus Dei, herbis additis, variisque aliis cæremoniis utuntur, et omninò magno negotio impios spiritus aliquando profligant; iste verò ceu Dominus illorum, nudo verbo.

Imperat, illis, auctoritate suâ jubens, et efficacitate ipsâ verbi sui mox compellens exire. *Non alium nominat,* inquit auctor ille apud Chrysostomum, *sed ipse præcipit; non in alterius nomine dicit, sed in suâ potestate.*

Immundis spiritibus, qui hominibus parere non solent. Job. 41, v. 24: *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Conjunctio epitasin addit: Non solùm morbos sanat, verùm etiam dæmoniis, indomabilibus alioqui, imperat, tanquàm dominus servis captis ac mancipiis. Quòd utuntur plurali numero, licèt unicum spiritum hìc ejectum viderint, est, vel quia antea viderant alios spiritus similiter Jesu auctoritate expulsos, vel quia credebant, eâ ratione quâ imperabat uni, posse imperare et aliis, id quod mox reipsâ ostendit.

Et exeunt; nolentes, volentes, obedire coguntur imperio ejus, vel inviti ac trementes, acti et expulsi vi solâ verbi, sine ullo ipsius labore; et illi tamen laborant, ac si maximis alterius potentissimi viribus urgerentur: tanta illi vel in verbo ac nutu vis atque efficientia est. Hic fuit fructus hujus miraculi, quòd Jesu doctrina illo confirmari cœpit, et populus aliquid plus quàm humanum in Jesu agnoscere, sanctum, inquam, Dei esse, cui in Satanam potestas data sit.

Vers. 37. — Divulgabatur. Egrediebatur, evulgabatur.

Fama, rumor iste.

De illo. Jesu, quo modo scilicet dæmonium nudo verbo ac solo jussu ejecisset, prædicatus ab eo sanctus Dei. Promptè divulgant homines ea quæ multùm mirantur, videtur hoc inter prima fuisse miracula, quæ Jesus, instituens Galilæam docendo peragrare, ediderit.

Regionis, id est, in circumjacentem regionem. Editum est miraculum hoc inter prima, in unâ Galilææ civitate, Capharnao; ex eâ igitur sparsa est hujus miraculi fama, in universam Galilæam circumjacentem, quàm latè et quaquà versùs pateret. Sic intellexerunt hunc locum interpretes Latinus et Syrus. Alii intelligunt famam Jesu sparsam fuisse, non solùm in Galilæam, sed et in omnes vicinas regiones. Atqui priori sensui favet etiam hic locus quanquàm brevi post acciderit, ut etiam in omnes Galilææ finitimas regiones, adeòque in universam Syriam, fama Jesu fuerit divulgata, succedentibus nimirùm pluribus aliis, dæmoniacorum et aliorum ægrorum, tam alibi in Galilæâ quàm Capharnai, curatorum, miraculis.

Vers. 38. — In domum Simonis, in domum socrûs Petri; idcircò Petri dictam, quòd quoties Capharnaum veniret Petrus, ibi, ut par erat, hospitaretur, cujus patria Bethsaida propè à Capharnao distabat, sesquihoræ itinere. Non in alicujus clarorum aut divitum, quorum sibi facilè favorem conciliare potuisset; plus namque amat pauperes, ægrótos, lugentes.

Magnis febribus, febri magnâ, hoc ad miraculi amplificationem.

Et rogaverunt, itaque rogaverunt, scilicet discipuli aut affines. Græcum, inquit Euthymius, *non est hìc interrogaverunt, sed rogaverunt.* Pietas familiæ hujus nobis imitanda proponitur, observantis socrum et annis et febribus gravem, illiusque malo indolescentis, ac rogantis Jesum pro illâ ut eam sanet.

Vers. 39. — Et, pro *quocirca.*

Stans super illam, adstans super illam, adstans illi atque imminens. Exprimitur gestus atque habitus Christi, ad lecti fulcrum inclinantis se, ut increparet febrem et febricitantem allevaret. Primùm enim imminuit institque mulieri, et jussit febrim discedere: jubens verò apprehendit manum illius et elevavit eam; atque ita elevata illa continuò surrexit, adeò sana et confirmata, ut ministrare valeret statim illis cibum.

Imperavit, increpavit, validâ auctoritate præcepit celerem abitum. Græcum, inquit Euthymius, *non est hìc propriè increpavit, sed præcepit.* Græcè est vox quæ propriè significat increpare, sive objurgare, aut duriùs alloqui, cui respondet Hebraicè vox *gahar*, cujus frequens est usus, cùm de Dei in vastum ac furiosum mare imperio agitur (ut Psalm. 103, v. 7, 105, v. 9; Nahum 1, v. 4), quòd vis vi illic opponi videatur, aut tanquàm quòd mare, præ eâ quâ præditum est tum corporis immensitate, tum agendi insaniâ nulli cedere velit, Dei autem nutui velociùs cedat, quàm objurgatus insigniter minisque additis increpitus servus Domino suo. Eâ ratione et de Satanâ dicitur, cùm in

Evangeliis tum Zachariæ 3, v. 2, et Judæ v. 9, quanquàm in eo locum habeat propriè dicta objurgatio. Interpres *increpavit* vertit, maximè ubi de creaturis ratione præditis agitur; ubi autem de creaturis, inanimatis *imperavit;* nam, his locis, est imperare, præcipere, sed cum emphasi, nimirùm, minis additis, vel, magno cum imperio, validâ auctoritate. Variam hujus verbi significationem tractat Euthymius, Matth. 16, v. 22. Porrò imperat creaturis inanimatis Salvator, non quòd sensu illæ præditæ sint, sed uti Deus, uti illarum auctor et absolutè Dominus, cujus vox in omnia est efficax, cujus voluntas, ut est rebus causa existendi, ita est et causa ut existant mutenturque quo modo illi placuerit.

Febri. Ex hujusce generis miraculis nata est fides centurionis, jussui Christi morborum creaturarumque obsecundationem tribuentis: *Et dico huic: Vade, et vadit,* etc., infra, cap. 7, v. 8.

Dimisit, reliquit febris *illam.* Continuò: contactu enim vivificæ carnis suæ mox febris ardores extinxit, neque id tantùm, sèd et pristinas ei corporis vires illicò restituit; ubi, eis qui naturâ duce aut arte febribus liberantur, multo opus est à morbo tempore ad robur recuperandum: sequitur enim.

Surgens. Tres simul Evangelistæ narrant istud miraculum, non quòd per se aliis sit nobilius, vel memoratu magis dignum, sed quia in eo Christus domesticum et interius gratiæ suæ specimen exhibuit discipulis: deinde, quòd unius mulieris sanatio pluribus occasionem dederit, ut undique ad ipsum confluerent opis petendæ causâ.

Ministrabat illis, scilicet, Jesu ejusque discipulis. Alii legunt *ei,* scilicet, Jesu, cujus solius præcessit mentio. Ita restituta erat, ut parare et ministrare Jesu valeret prandium: venerat enim, horâ prandii vocante, è synagogâ eò ut cibum caperet; nec ei tantùm prandium ministravit, sed et cæteris discipulis qui aderant, id quod citra varietatem habent alii evangelistæ; verùm, Domino nominato, sodalitium Matthæus reliquit intelligendum, si numero usus est singulari. Disce autem sanitate cæterisque à Deo acceptis donis, ad Dei servitium uti.

Vers. 40. — Cum autem sol occidisset. Græcè, *occidente autem sole.*

Infirmos, ἀσθενοῦντας, ægrotantes.

Languoribus, morbis. Morbi et languores cùm corpus debilitent malèque afficiant, contactu vivifici corporis Christi sanantur. Nullum autem fuit ægritudinis genus, quod Christo Domino non cederet, quippe potentissimo; nullum quantùmvis fœdum quod contingere horreret, quippe purissimus; admisit juvitque gratis sine delectu omnes qui adducebantur, nec excusavit serum diei noctemque gerendis rebus intempestivam, quippe optimus ac benignissimus.

Manus imponens. Manuum impositione istos sanavit, non tantùm ut se suæ voluntatis affectione virtuteque in se sitâ sanare ostenderit; id enim vel solo attactu manûs ostendere poterat: verùm etiam, id quod fit verisimile, alias ob causas. Manuum impositio videtur ad duo servire: Inprimis ad restitutionem in pristinum statum; sic apud gentiles olim servo manus imponebat Dominus, quem suæ restituebat libertati, et deinceps è manu potestateque suâ emittebat atque absolvebat; unde manumissio. Eâ ratione manus imponuntur peccatoribus, cùm Dei nomine in gratiam recipiuntur, ut qui à peccatis suis absolvantur, et in statum filiorum restituantur. Eâ ratione potuit et Christus his manus imposuisse, ut quos potentiâ auctoritateque suâ à morbis quibus laborabant absolveret, et pristinæ restitueret sanitati. Secundò, servit manuum impositio, ad commendationem traditionemque in alterius potestatem. Ita enim in lege veteri, Levit., capitibus 1, 3, 4, mactandæ victimæ offerens imponit manus, ut quam Deo tradat; testes manus imponunt super caput blasphemi, Levit. 24, v. 14; ut quem sceleri suo et promeritæ per illud pœnæ tradant. Levitis Deo sacrandis filii Israel manus imponunt, Num. 8, v. 10; ut quos Deo offerunt. Josuæ Moses manus imponit, Num. 27, v. 18; Deut. 34, v. 9; Deo eum commendans, ut sapientiæ spiritu repleatur. Sic fortassis et apostoli (Act. 8, v. 17), ad confirmationis sacramentum, manuum impositione sunt usi, tanquàm commendantes fideles Deo ut replerentur Spiritu sancto. Ita fortè hoc loco et Christus, manuum impositione ægros sanat, tanquàm Deo Patri suo eos commendans, non solùm ut à suis jam morbis liberarentur, sed et ut ad fidem animæque salutem adducerentur. Porrò hinc ortum habere videntur istæ manuum impositarum significationes, quia, quod restituimus, commendamus, aut tradimus alteri, id manu damus: et quod omninò volumus alterius potestati traditum, in ambabus manibus porrigimus.

Vers. 41. — Exibant autem, jussu atque imperio ipsius.

Dæmonia. Græcè additur et sive *etiam dæmonia.* Multi eo tempore dæmoniaci inter Judæos fuêre, partim Satanâ magis insaniente, quòd præsensisset adventum Christi, partim Deo permittente, ut ostenderet tunc à se Filium missum, qui dissolveret opera diaboli, 1 Joan. 3, v. 8, cùm diabolus regnaret maximè, ut corporibus multorum, ita cordibus plerorumque omnium.

Clamantia, vi tormentorum quæ ipsis afferebat præsentiâ Christi cogens exire.

Tu es. Græcè et Syriacè additur, *Christus.*

Filius Dei. Non quòd veritatem prædicare aut Christum honorare gaudeant, ita clamant, sed ut desinat illis molestus esse, q. d.: ut supra, et apud Matth., cap. 8, v. 29: *Quid nobis et tibi?* quid tua nobiscum? tuus tibi honos manet: tu es Christus Filius Dei: nos te non oppugamus, neque tibi molesti sumus. Quid tu nos infestas? sine nos quietos agere uti hactenùs. Porrò, *non voluntatis fuit ista confessio, sed necessitatis extorsio,* timore pœnarum, *sicuti servi fugitivi,* quod Hieronymus habet, *post multum temporis Domino suo fortè præsentes facti, nihil aliud nisi verbera deprecentur. Tantùm autem* et tamdiù *innotuit eis* Christus, Augustinus ait, *quantùm* et quamdiù *voluit;*

tantùm autem et tamdiù *voluit*, *quantùm* et quamdiù *oportuit. Sed sic innotuit, non sicut angelis sanctis, qui ejus participatâ æternitate perfruuntur, sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum tyrannicâ potestate venerat liberaturus prædestinatos. Innotuit ergo dæmonibus, non per id quod est vita æterna, aut lumen incommutabile quod illuminat pios; sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, et occultissimæ signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus, etiam malignorum spirituum, potiùs quàm infirmitati hominum, possent esse conspicua; quæ, quando paululùm supprimenda judicavit, et aliquantò altiùs latuit, dubitavit de illo dæmonum princeps*, ita ferè B. Augustinus, libri 9 de Civit. Dei, cap. 21. Nam *si certò cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent*, Apostolus ait, 1 Corinth. 2, v. 8.

Increpans, objurgans, durè alloquens.

Quia sciebant. Sensus ambiguus est, uti Marc. 1, v. 34. Potes hoc ita explicare ut dicas non passum eos id proloqui quòd agnoscerent ipsum; vel ita non passum omninò eos loqui, idque propterea quòd ipsum nôssent (quem sensum Syrus, apud Marcum expressit), nec tacere scilicet possent id quod nôssent, sine vi tormentorum quæ illis afferret præsentia Christi compellens ea exire, sive metu majorum malorum quæ veritatis confessione sperarent evadere, sive aliis etiam de causis, ut alias fallerent, etc. Nolebat unctionis suæ testimonium dæmoniorum voce reddi, sed virtute potiùs suâ, et oraculorum antiquorum observatione comparationeque cum rebus quæ à se gerebantur. Non egebat laude dæmonum, quos ipse victurus et domiturus erat, non præcones habiturus : nihil ipsi cum illis commune erat. Nullam auctoritatem dæmonibus apud Christianos esse oportere, docuit manifestè Christus.

Vers. 42. — Facta die, primo crepusculo, primâ luce adventante; ea est enim diei principium. *Sub diluculo diei*, habet Syrus; nam *diluculo valdè* ait Marcus.

Egressus, de domo illâ in quâ pernoctaverat, et civitate.

In desertum locum, orandi causâ; simul et fugiendi turbam.

Requirebant, quærebant; mox redierant manè ad januam domûs Petri : ubi autem intellexerunt egressum domo, consecutæ sunt apostolos, ut et ipsæ quærerent eum. Et apostoli quidem priores invenerunt, audieruntque responsi id quod Marcus narrat; postea autem et turbæ eum invenerunt, habueruntque responsi id quod hoc sequitur.

Detinebant illum, conabantur eum detinere, ne relinqueret ipsorum civitatem; propter privatam ipsorum utilitatem ex beneficiorum acceptorum exemplis. Jesus autem beneficia illa exhibebat in testimonium Evangelii sui, quod omni Israeli erat communicandum.

Vers. 43. — Quia. Iterùm redundat, atque ita frequenter occurrit.

Evangelizare, annuntiare, prædicare; vide Lucæ titulum.

Regnum Dei, id est, regnum cœleste, quod omnibus retrò seculis prophetæ aliquando futurum cecinêre, felicissimum illud et votis omnibus exoptandum. Præcursor Christi hoc privilegio honoratus est, ut ea quæ Judæi nusquàm vel à prophetis, vel à quibuscumque aliis audierant, terrenis hactenùs spebus adducti, primus ipse voce clarissimâ prædicaret, cœlos et cœlorum regnum. Regnum cœlorum intelligit regnum Christi. Hactenùs servitus, inquit, nunc instat regnum, nec terrenum regnum, sed cœleste et æternum. Quare B. Hieronymus, epist. 129, ad Dardanum : *Et mihi*, inquit, *in Evangelio promittuntur regna cœlorum quæ Instrumentum vetus omninò non nominat.* Et D. Chrysostomus : *Tunc primùm incœpit beatus Joannes ea quæ Judæi nusquàm vel à prophetis, vel à quibuscumque aliis audierant, voce clarissimâ prædicare.* Hoc igitur initium fuit evangelicæ prædicationis, rei optatissimæ promissione, ad pœnitentiam vitæque sinceritatem allicientis, longè diversum à veteris Legis exordio, quæ nil nisi minas, cùm daretur, terroresque edebat, Exodi 19. Porrò regnum propriè dicitur dominatus regis in populum subjectum: non enim est regnum in populum rebellantem; imò verò quò obedientior et regis amantior populus, eò regnum perfectius. Regnum autem cœlorum dicitur pro eo quod est regnum cœleste, quòd cœlesti in terris ratione ineatur, in cœlis autem omni ex parte perficiatur : *Itaque regnum cœlorum vocatur dominatus Christi, ut in angelos sanctos, ita et in societatem hominum eorum quorum rectè composita vita, in terris regentem è cœlis Deum sequitur, in cœlis totam ipsam possidente Deo æternùm fruitur.* Hoc regnum cœleste dicitur, quò distinguatur à terreno et corporeo, quod eatenùs viguerat. Aliàs regnum Dei et regnum Christi vocatur, quòd eo in nobis propriè Deus et Christus regnent. Sæpè regnum absolutè dicitur, quòd solum verè sit regnum : reliqua sint potiùs inanes species, infirmæ et caducæ. Hoc appropinquaverat prædicante Joanne, quia jamjam aderat Christus, qui, fractâ diaboli potestate, collecturus erat ex hominibus populum, eumque è servitute peccati asserturus in libertatem spectatæ virtutibus vitæ, et perpetuam mox à morte cœlestis gloriæ felicitatem : eâque ratione, in illo, cœlesti modo regnaturus, quo modo in Apostolo Paulo de se dicente : *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus*, Gal. 2, v. 20. Hoc regnum à Christo, hominum operante salutem, cœpit : nam ante Chri-

Vers. 42. — Facta autem die, id est, primo crepusculo, seu, ut Marcus, *diluculo valdè ;* insinuatur autem Christus totâ nocte curandis ægris operam dedisse. Ibat ad desertum locum, non tantùm orandi causâ, vel fugiendi turbam, sed inprimis vitandi jactantiam, ut Ambr. Ita nos docens exemplo suo à perfectis viris omnem vanitatis cupiditatem ex præstitis beneficiis vel magnalibus abesse debere. Et turbæ requirebant, seu quærebant eum nocturnis illectæ beneficiis. Ad quem modum pulchrè Amb. docet Christum spiritualiter quærendum, non nocte sed die, non in foro, sed in deserto.

stum, tametsi erant in quibus liberali animo præditis Deus excellenter regnaret, quosque inter primos cœlestis beatitudo maneret; inter alios, Abraham, Isaac et Jacob, tamen quia pauci et rari erant, nec perinde manifesti, institutumque ejus regni, sub quo degebant, terrenum, corporeum et servile erat, nec patebat à morte cœlestis beatitudo, ideò non ante Christum regnum cœlorum cœpit. Nam à Christo cœpit populus immensus, Ecclesia, inquam, catholica, amore ac liberali animo ductus Deo servire in spiritu et veritate, sincero omnibusque conspicuo virtutum studio, humilitatis, castitatis, fortitudinis, et cæterarum, erectus spe præmiorum cœlestium, quibus et à morte mox donatur. Hoc regnum cœlorum est, quod perfectum demùm à novissimo judicii die erit: quando collectis omnibus electis Dei, funditùsque peccato ac morte deletis, *erit*, quod Apostolus ait, 1 Cor. 15, v. 28, *Deus omnia in omnibus*. Observa quàm mox à principio evangelicæ prædicationis convulsa sit Judæorum opinio terrenum à Christo regnum expectantium. Porrò, cùm frequens in sacris novi Testamenti libris regni cœlorum mentio fiat, observandum regni cœlorum illam plenam esse descriptionem quam modò diximus huic loco convenire : *Dominatus Christi ut in angelos sanctos ita et in societatem hominum eorum*, etc.; cæterùm frequenter accipi pro solâ aliquâ parte ejus descriptionis, sæpè pro dominatu Dei in solos angelos et homines cœlo donatos accipitur; quandoque pro dominatu in solos homines agentes in terrâ; aliàs pro ipsis angelis et hominibus quibus Deus dominatur, quæ est Ecclesia; quod quidem subdividitur, ita ut aliquando pro hominibus adhuc in terrâ agentibus, id est, Ecclesiâ militante accipiatur, aliquando pro angelis et hominibus cœlo donatis, hoc est, Ecclesiâ triumphante, aliquando Ecclesiam utramque complectatur. Accipitur ad hæc pro bonis illis ratione quorum fit ut Deus dominetur aliquibus, sive in terrâ, sive in cœlo, ut Rom. 14, v. 17. Non rarò pro his bonis sumitur quæ ex illis proximis bonis et ipso Dei dominatu seu regno consequuntur in eos quibus Deus regnat (quæ quidem ferè latent in cœlis), pro vitâ, gloriâ æternâ; postremò accipitur et pro loco in quo regnum suum Deus maximè manifestat, id est, cœlis ipsis. Adde frequenter accipi posse indifferenter, sive pro cœlis ipsis, sive pro bonis illis cœlestibus et æternis, sive pro Ecclesiâ triumphante, aut etiam pro his simul tribus. Porrò singula eorum quæ jam recensuimus aliquid sunt superioris descriptionis quæ est hujus loci; et vocantur singula regni nomine etiam in vulgari sermone, nam et ipse populus dicitur regnum, et ipsa regni felicitas sic vocatur, denique et regio ipsa quæ à populo regnato incolitur. Hæc igitur ob oculos habenda sunt quoties regni Dei, aut regni cœlorum occurret mentio, ut dispiciatur quo modo accipi et intelligi locis singulis debeat.

Ideò. Ut omni Israeli evangelizem, non enim illud est officii caput mei, ut sanitates operer; sed, ut evangelizem regnum Dei : porrò in confirmationem Evangelii sanitates operor. Ut omnes Israelitas quæram, omnibusque Evangelium ac salutem prædicem, non uni tantùm civitati.

Missus sum, à Patre. Submissiùs de se apud turbas loquitur, quàm apud discipulos, quibus dixerat *veni*, sive *egressus sum*, tanquàm suâ ipsius auctoritate : ut enim minùs Christo addictæ, ita minùs erant turbæ sublimioris doctrinæ capaces.

Vers. 44. — Erat prædicans, id est, *prædicabat;* sed ista circumlocutio moram, continuationem et consuetudinem significat. Ubi præcursor suo perfunctus erat munere testimonii reddendi de luce et præparandi viam ante faciem Christi, tum Christus necesse erat ut subsequeretur. Publicè, continuè, assiduè, et ubique, prædicandi divulgandique Evangelii gratiâ per loca omnia discurrit. Prædicaverat antè, sed parciùs, quamdiù Joannes præcursor indexque ipsius suo adhuc fungebatur officio; quanquàm non tam prædicatoris discurrentis ultròque annuntiantis omnibus, quàm doctoris, datis occasionibus instruentis, partes obierat brevi temporis spatio: nec docuisse, sed baptizâsse in Judæâ scribatur prope Joannem indicem suum, Joan. 3, v. 22, 23. Nam quia nondùm finitus erat Joannis cursus, hoc est, ad recipiendum Christum præparatio, idcircò abstinuit Christus à publico prædicandi munere, quamvis sensim etiam ipse se, non solus Joannes ipsum, manifestaret. At simul atque Joannes traditus et carcere conditus fuit, tunc Christus, cui succedendum erat Joanni, palàm, assiduè et ubique, in Galilæâ primùm; tum et in Judæâ, prædicavit, nullum relinquens locum quem prædicatione non repleret. Unde postea apud Pilatum accusatur : *Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens à Galilæâ usque hùc*, Luc. 23, v. 5. Quemadmodùm sol, non semel, subitò, unoque impetu exoritur, sed paulatim emergit, lucemque sensim majorem spargit, lucifero præeunte, donec tandem lucifero occidente totum se monstret, et universa suo lumine collustret, ita ut non sit qui se abscondat à lumine aut calore ejus. Idem Jesu prædicandi initium fuit et Joanni : uterque enim rem unam docturus venerat, tempus gratiæ, salutis, ac regni advenisse; sed Joannes ut propheta et index; Jesus, ut propheta, procurator, auctorque salutis. Porrò hoc idem ut prædicarent, præcepit postea Jesus discipulis suis, Matth. 10, v. 7; Luc. 9, v. 2, et 10, v. 9.

CAPUT V.

1. Factum est autem, cùm turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secùs stagnum Genesareth.

2. Et vidit duas naves stantes secùs stagnum; piscatores autem descenderant, et lavabant retia.

CHAPITRE V.

1. Or, il arriva que Jésus étant sur le bord du lac de Génésareth, et se trouvant accablé par la foule du peuple qui se pressait pour entendre la parole de Dieu,

2. Il vit deux barques arrêtées sur le bord du lac, dont les pêcheurs étaient descendus, et lavaient leurs filets.

3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terrâ reducere pusillùm; et sedens docebat de naviculâ turbas.

4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.

5. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum.

7. Et annuerunt sociis, qui erant in aliâ navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur.

8. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.

9. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in capturâ piscium, quam ceperant:

10. Similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.

11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

12. Et factum est cùm esset in unâ civitatum, et ecce vir plenus leprâ, et videns Jesum, et procidens in faciem, rogavit eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

13. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.

14. Et ipse præcepit illi ut nemini diceret, sed: Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tuâ, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis.

15. Perambulabat autem magis sermo de illo: et conveniebant turbæ multæ ut audirent, et curarentur ab infirmitatibus suis.

16. Ipse autem secedebat in desertum, et orabat.

17. Et factum est in unâ dierum, et ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Jerusalem; et virtus Domini erat ad sanandum eos.

18. Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus; et quærebant eum inferre, et ponere ante eum.

19. Et non invenientes quâ parte illum inferrent præ turbâ, ascenderunt supra tectum, et per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum.

20. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.

21. Et cœperunt cogitare scribæ et Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

22. Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris?

23. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, et ambula?

24. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet po-

3. Il entra donc dans l'une de ces barques, qui était celle de Simon, et le pria de s'éloigner un peu de la terre: et s'étant assis, il enseignait le peuple de dessus la barque.

4. Lorsqu'il eut cessé de parler, il dit à Simon: Avancez en pleine mer, et jetez vos filets pour pêcher.

5. Simon lui répondit: Maître, nous avons travaillé toute la nuit, sans rien prendre; mais sur votre parole je jetterai le filet.

6. L'ayant donc jeté, ils prirent une si grande quantité de poissons, que leur filet se rompait.

7. Et ils firent signe à leurs compagnons, qui étaient dans une autre barque, de venir les aider. Ils y vinrent, et ils remplirent tellement les deux barques, qu'il s'en fallait peu qu'elles ne coulâssent à fond.

8. Ce que Simon Pierre ayant vu, il se jeta aux pieds de Jésus, en disant: Seigneur, retirez-vous de moi, parce que je suis un homme pécheur.

9. Car il était tout épouvanté, aussi bien que ceux qui étaient avec lui, de la pêche des poissons qu'ils avaient faite.

10. Jacques et Jean fils de Zébédée, et compagnons de Simon, étaient dans le même étonnement. Mais Jésus dit à Simon: Ne craignez point; votre emploi sera désormais de prendre des hommes.

11. Et ayant ramené leurs barques à bord, ils quittèrent tout, et le suivirent.

12. Lorsque Jésus était dans une des villes, un homme tout couvert de lèpre l'ayant aperçu, se prosterna le visage contre terre, et le priait, en lui disant: Seigneur, si vous le voulez, vous pouvez me guérir.

13. Jésus étendant la main, le toucha, et lui dit: Je le veux, soyez guéri. Et au même instant sa lèpre disparut.

14. Jésus lui défendit d'en parler à personne: Mais allez, lui dit-il, vous montrer au prêtre, et offrez pour votre guérison ce que Moïse a ordonné, afin que cela leur serve de témoignage.

15. Cependant comme sa réputation se répandait de plus en plus, les peuples vinrent en foule pour l'entendre, et pour être guéris de leurs maladies.

16. Mais pour lui il se retirait dans le désert, et il y priait.

17. Un jour, comme il était assis et qu'il enseignait, des Pharisiens et des docteurs de la loi, qui étaient venus de tous les villages de la Galilée, de la Judée et de Jérusalem, étaient assis aussi, et la vertu du Seigneur agissait pour la guérison des malades.

18. Et voilà que des hommes portant sur un lit quelqu'un qui était paralytique, cherchaient à le faire entrer et à le présenter devant lui.

19. Mais ne trouvant point par où le faire entrer, à cause de la foule du peuple, ils montèrent sur le toit, et le descendirent par les tuiles avec son lit, au milieu de l'assemblée, devant Jésus,

20. Lequel voyant leur foi, dit: Mon ami, vos péchés vous sont remis.

21. Alors les scribes et les Pharisiens se mirent à raisonner en eux-mêmes, et à dire: Qui est celui-ci, qui blasphême de la sorte? qui peut remettre les péchés, que Dieu seul?

22. Mais Jésus connaissant leurs pensées, leur dit: A quoi pensez-vous dans vos cœurs?

23. Lequel est le plus aisé, de dire: Vos péchés vous sont remis, ou de dire: Levez-vous, et marchez?

24. Or, afin que vous sachiez que le Fils de

testatem in terrâ dimittendi peccata (ait paralytico) : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat, et abiit in domum suam, magnificans Deum.

26. Et stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodiè.

27. Et post hæc exiit, et vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, et ait illi: Sequere me.

28. Et relictis omnibus, surgens, secutus est eum.

29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo suâ ; et erat turba multa publicanorum, et aliorum, qui cum illis erant discumbentes.

30. Et murmurabant Pharisæi et scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis ?

31. Et respondens Jesus, dixit ad illos : Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent.

32. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

33. At illi dixerunt ad eum : Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, et obsecrationes faciunt, similiter et Pharisæorum : tui autem edunt et bibunt ?

34. Quibus ipse ait : Numquid potestis filios sponsi, dùm cum illis est sponsus, facere jejunare ?

35. Venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab illis sponsus ; tunc jejunabunt in illis diebus.

36. Dicebat autem et similitudinem ad illos : Quia nemo commissuram à novo vestimento immittit in vestimentum vetus : alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura à novo.

37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres ; alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt.

38. Sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur.

39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim : Vetus melius est.

l'homme a sur la terre le pouvoir de remettre les péchés : Je vous le commande, dit-il au paralytique ; levez-vous ; emportez votre lit, et vous en allez en votre maison.

25. Il se leva aussitôt en leur présence ; et, remportant le lit où il était couché, il s'en retourna en sa maison rendant gloire à Dieu.

26. Et ils furent tous remplis d'un extrême étonnement, ils rendaient gloire à Dieu, et dans la frayeur dont ils étaient saisis, ils disaient : Nous avons vu aujourd'hui des choses merveilleuses.

27. Après cela, Jésus sortit, et ayant vu un publicain nommé Lévi, assis au bureau des impôts, il lui dit : Suivez-moi.

28. Lévi se leva aussitôt, quitta tout, et le suivit.

29. Et Lévi lui fit un grand festin dans sa maison, où il se trouva un grand nombre de publicains, et d'autres gens qui étaient à table avec eux.

30. Or, les Pharisiens et les scribes du lieu en murmuraient ; et ils disaient aux disciples de Jésus : D'où vient que vous mangez et buvez avec des publicains et des gens de mauvaise vie ?

31. Et Jésus prenant la parole, leur dit : Ce ne sont pas les sains, mais les malades qui ont besoin de médecin ;

32. Ce ne sont pas les justes, mais les pécheurs, que je suis venu appeler à la pénitence.

33. Alors ils lui dirent : D'où vient que les disciples de Jean, aussi bien que ceux des Pharisiens, jeûnent souvent et font de longues prières ; au lieu que les vôtres boivent et mangent ?

34. Il leur répondit : Pouvez-vous faire jeûner les amis de l'époux, tandis que l'époux est avec eux ?

35. Mais il viendra un temps où l'époux leur sera ôté ; et alors ils jeûneront.

36. Il leur proposa aussi cette comparaison : Personne ne met à un vieil habit une pièce prise d'un habit neuf ; autrement on rompt l'habit neuf, et la pièce qu'on en prend ne convient pas au vieil habit.

37. Et l'on ne met point le vin nouveau dans de vieux vaisseaux ; autrement le vin nouveau rompra les vaisseaux ; et il se répandra, et les vaisseaux se perdront.

38. Mais il faut mettre le vin nouveau dans des vaisseaux neufs ; et on conserve l'un et l'autre.

39. Et il n'y a personne qui, buvant du vin vieux, veuille aussitôt du nouveau, parce qu'il dit : Le vieux est meilleur.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — FACTUM EST, sive *fuerat*, ut initio *cùm* prædicare cœpisset in Galilæâ, *turbæ* aliquando *irruerent in eum*. Rem jam præteritam Lucas loco sibi opportuno inserit : nam accidit subsequens apostolorum vocatio, cum miraculo captorum piscium conjuncta, ante curationem dæmoniaci, ingressum in domum Simonis, sanationem socrûs Simonis et aliorum, de quibus superiori capite à v. 33 deinceps. Neque enim certâ distinctâque temporum serie annales componere propositum fuit evangelistis ; sed neglecto dierum ordine, quæ in idem ferè tempus inciderunt liberè permiscent, res Christi gestas præcipuas summatim proposuisse sat habentes.

TURBÆ. Turba. IRRUERENT, *incumberet*, ad verbum, id est, immineret ei. Non satis erat Dominum suî copiam facere in synagogis, in oppidis, in vicis, verùm quòcumque se subduceret, eò simul accurrebat promiscua multitudo virorum ac mulierum.

UT AUDIRENT, præ studio et aviditate audiendi VERBUM DEI, quod non temerè credebant ab ipso prædicari.

ET IPSE ; superest *et* ex phrasi Hebraicâ Lucæ

VERS. 1. — FACTUM EST AUTEM, etc. Utrùm hæc historia sit eadem cum eâ quam narrat Matth., c. 4, v. 18, non ita constat. Multa suadent esse diversam, et quidem tempore priorem, sicut tenet August., lib. 2 de Consensu, cap. 17 ; nam ibi Christus dicitur juxta mare ambulâsse, hìc stetisse ; ibi nulla turbæ mentio, hìc plurimæ ; ibi Christus in littore dixit : *Faciam vos fieri piscatores hominum,* hic in navi ait : *Eris homines capiens ;* ibi Petrus et Andræas mittebant rete in mare. Joannes verò et Jacobus reficiebant, hìc omnes lavant retia sua. Sunt tamen quædam aliæ circumstantiæ ita similes, ut non videatur diversa esse historia. Itaque verum videtur esse id quod August. ait præcessisse quidem hanc historiam ante

familiari, vel accipitur pro *tum*, aut *ut*; *ut ipse staret.*

Secus stagnum. Juxta, ad stagnum. Syrus *juxta* *'tus maris.*

Genesareth. Qui lacus erat propriè, et quidem aquæ dulcis atque potabilis, Josepho teste oculato, mare vocatur, eo modo quo Hebræis magnæ aquarum, non tantùm salsarum, collectiones, quæ magno spatio porriguntur in longum et in latum, et crebris undarum motibus agitantur, maria dicuntur. Galilææ autem mare vocatur, à regione juxta quam situm est, cujus est terminus orientalis, separans eam à regione Gerasenorum et Galaaditide. Habet lacus iste longitudinem centum stadiorum; latitudinem quadraginta, undique in littora et arenas desinens, mediusque fluvio Jordane secatur; ex Josepho, lib. 3 de Bello Jud., cap. 18, ubi describit hunc lacum. Porrò octo stadia conficiunt milliare unum Italicum, tria autem milliaria Italica, iter sunt unius horæ et si quid ampliùs. Juxta hoc mare seu stagnum Jesus plerùmque versabatur, docebat, miracula edebat, quamdiù in Galilæâ agebat, id quod ex progressu Evangelii manifestum fiet: in Matthæo, 14, 34, mentio fit de *terrâ Genesar,* quæ non procul à Capharnao id quod ex Joannis 6, 17, intelligitur. *Genesar* habet et Syrus, licèt Græcè ferè sit *Genesaret*: id quod tamen idem unum est unius regiunculæ nomen de quâ scribit Josephus, lib. 3 de Bello Judaico, cap. 18: « Ad Genesar lacum, ejusdem nomi« nis terra protenditur, naturâ simul et pulchritudine « admirabilis, etc. Nam præter aeris lenitatem, et « fonte quoque irrigatur uberrimo, qui Capernaum « ab indigenis appellatur, etc. Longitudo autem re« gionis, secundùm littora cognominis lacûs, triginta « stadiis extenditur, et latitudo viginti. » Ex quibus Josephi verbis intelligitur, Capharnaum ejus regionis civitatem esse, quòd fons Capharnaum, cujus situs intra lacum erat, illius regionis esse dicatur; id quod et ex eo qui mox dictus est Evangelii secundùm Joannem loco, cum hoc collato, intelligitur. Ex eo autem quòd Capharnaum sit, sequitur non esse Bethsaidam, multòque minùs Tiberiadem, ejus regionis civitates, quòd ampliùs quàm triginta stadiis à Capharnao civitate distent: præter alia enim (quod Joannes intelligendum dat cap. 6, v. 19, 21), à deserto Bethsaidæ, viginti quinque aut triginta circiter stadiis, marino itinere eoque compendiosiore emensis, procul adhuc aberant apostoli ab eo ad quem pergebant loco. Ab hâc porrò terrâ continente, lacus nomen accepit, quod Josephus ibidem ait, Deut. 3, v. 17, Jos. 11, v. 2, omniumque clarissimè 3 Reg. 15, v. 20, regio vocatur *Cenereth*, seu plurali numero *Cenneroth*, Jos. 19, v. 35, est civitas eo nomine. Num. 34, v. 11; Jos. 12, v. 3, et 13, v. 27, *mare Cenereth* legimus. Quibus omnibus locis (præterquàm Jos. 19, ubi retinet Hebraicum nomen pro civitate) Chaldæus paraphrastes vertit *Ginosar,* quod est, *Genesar* sive *Genesareth,* quem et posteriores interpretes sequuntur. Unde facilè intelligitur, verum esse, quod And. Masius in Josue notavit, *Cenereth* à posteritate molliùs flexum in *Genesar*, *Genesara*, et *Genesareth*: id quod et probat locus 1 Machab. 11, v. 67. Cæterùm, urbem quæ dicitur *Cenereth,* eam esse quæ postea Tiberias dicta est, non facilè adducor ut credam: nam præter hoc quòd alterius sententiæ Chaldæus interpres fuisse videatur, Josephus narrans quî condita sit ab Herode Tiberias, ita describit rem, ut non vetus civitas restaurata, sed omninò nova exstructa sit, electo ad hoc optimo agro Galilææ, in orâ lacûs Genesarethici, multis sepulcris referto, lib. 18 Antiq. Judaic., cap. 3. D. Hieronymus nihil ampliùs dicit, quàm ita ferri à quibusdam, Tiberiadem antiquitùs Cenereth dictam fuisse.

Vers. 2. — Naves, piscatorias.

Secus stagnum. Juxta, sive ad stagnum, ad littus stagni interius. Syrus *super crepidinem maris.*

Descenderant; *ex eis* additur Græcè et Syriacè.

Lavabant, abluebant retia, à limo et cæteris sordibus quas nocturno usu contraxerant, ut mundata complicarent ac reponerent in aliud tempus, nulla jam cùm esset prædæ capiendæ spes.

Vers. 3. — Ascendens. Ingressus, cùm ascendisset.

Navem, istarum navium, ne à turbâ opprimeretur, aut etiam in lacum proturbaretur, vel certè docens quietus esse non sineretur.

Quæ erat Simonis, Petri. Non minùs Andreæ navis erat, verisimile est, quàm Simonis; sed Simoni adscribitur, partim quòd actione exercitatior magisque industrius cùm esset quàm Andreas, potiùs haberetur vulgò dominus ac gubernator navis, quàm senior frater Andreas, ob quam causam et deinde Simonis potiùs est mentio quàm Andreæ, tametsi

vocationem, quam Matthæus narrat, sed sic tamen, ut illa vocatio ei prorsùs conjuncta fuerit.

Vers. 2. — Et vidit duas naves stantes secus, id est, juxta *stagnum,* et proinde in ipso littore: Piscatores autem descenderant et lavabant retia. Quo pulchrè significatur eos qui piscantur homines, debere statutis temporibus à piscatione feriari, ut sordes adhærentes verbis et officiis, quibus homines quasi retibus ad Christum trahunt, per pœnitentiam abluant et corrigant, ut in posterum mundiora et expeditiora sint retia.

Vers. 3. — Et ascendens in navem, ut quietiùs et minùs à turbâ pressus doceret, quæ erat Simonis; ut mysterium adumbraretur, quòd ipse præficiendus esset Ecclesiæ, in quâ doceret Christus; rogavit eum, ne in hominem sibi necdùm adhærentem imperium usurpare videretur, a terra reducere pusillum, quantùm sufficeret ut vox quidem ejus audiri posset à turbâ, non tamen ipse comprimi. Quo significatum vult Gregorius 17 Moral., c. 12, eos qui erudiunt turbam, nec in profundum mysteriorum se abripere debere, nec etiam in terrâ quasi terrenâ prædicare, sed pro captu turbæ medium tenere. Cùm ergo finitâ concione Petrus, *in verbo Dei*, id est, juxta jussum Christi, projiciendo laxâsset rete suum captâ multitudine piscium copiosâ,

Andreas quoque adesset; partim ob mysterium, eò quòd ipse præficiendus esset Ecclesiæ Christi hâc navi adumbratæ.

Rogavit, non vi coegit aut jussit imperiosè, verùm placidè rogavit.

A terra, à littore in aquas.

Reducere pusillum, provehere, abducere paululùm, ut commodiùs audiri posset concio à turbâ.

Sedens, cùm sedisset. Hoc postquàm Simon libenter fecisset, sedit Jesus et docuit.

De navicula, e navi velut è suggesto seu cathedrâ docebat, ubi nemo ipsum premere, videre autem et audire omnes commodè possent.

Turbas, in littore velut in amphitheatro condensatas. Indicatur Salvatorem ita appositè accuratèque theatrum instituisse, ut nulli omninò dorsum obverteret, verùm omnes ex adverso positos haberet. Contrario igitur more quàm fieri soleat, è mari Jesus jecit rete in terram piscandi gratiâ. Nullus Jesu ineptus ad docendum locus, nulla importuna hora. Petri et sociorum ad individuam sequelam à Jesu vocationem accuratè describens Lucas, omnem narrat ex ordine opportunitatem reique gestæ seriem, quam Matthæus et Marcus breviter exposuerunt.

Vers. 4. — Cessavit. Quid locutus fuerit aut docuerit turbam, non explicat evangelista; sed prima Christi concio : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, Matth. 4, v. 17, diligentissimè observanda est. Hæc enim est compendium et summa omnium Christi concionum. Quare cùm de doctrinâ Christi fit mentio, ad hanc concionem tanquàm ad statum totius doctrinæ Christi respiciendum est.

Loqui, verbum Dei.

Duc, provehe, scilicet navim. Syrus, ducite seu provehite.

In altum, in profundum maris, longiùs à terrâ. illìc enim, non ad littus, manere consuevit piscium turba.

Laxate. Expansa ejicite, demittite, projicite, scilicet tu et socii tui, Andreas scilicet frater tuus et famuli mercede conducti.

In capturam, ad capturam, ad capiendum pisces, ad piscandum.

Vers. 5. — Præceptor. *Rabbi* habet Syrus. Ἐπιστάτης propriè dicitur, qui rei cuipiam est præfectus. Quem igitur cæteri evangelistæ Hebraicâ voce servatâ vocant Rabbi, Lucas interpretatur ἐπιστάτην (nam et *rab* Hebræis Chaldæisque principem sive præfectum rebus personisve generaliter significat), tanquàm præfectum ad docendum, quod rectè interpres vertit *præceptor*. Sic enim Jesum nominat Petrus, quòd sciret eum solitum fungi doctoris officio.

Per totam noctem, quæ ad capturam opportunior est quàm dies.

Laborantes, fatigati, cùm laboraverimus in piscando. Hinc manifestum evadit, Petrum cum suis nondùm assiduum comitem aut adscitum fuisse in familiam Jesu : ut qui, ad victum lucrifaciendum, artem quam diù professus fuerat, separatus ab Jesu pro more exercuerit; nec proinde accidisse hanc historiam post eam quam narrant Matthæus et Marcus.

Nihil cepimus, quia tempestas piscationi et industriæ nostræ omninò adversatur; et neque arte neque horâ adjuvamur.

In verbo autem tuo, ex jussu tamen tuo, juxta mandatum tuum. Hebraica phrasi *in* pro ex aut juxta; et *verbum* pro jussu sive mandato. Tuo tantùm jussu fretus, quem scio plurimùm posse, nec frustra revereor.

Laxabo, demittam, ejiciam expansum *rete*, navi in profundius mare abductâ. Insignis Simonis cùm fides tum obedientia nomini respondens, quâ quantùm Christo deferat ostendit, cùm inani labore fatigatus, quod frustra tentaverat, de integro aggreditur.

Vers. 6. — Cum hoc, simul atque hoc fecissent quod Jesus jusserat.

Concluserunt, involverunt rete, id est, ceperunt. Benedictio laboris à Domino.

Copiosam, *multam*, id est, magnam, supra modum naturali ordine possibilem.

Rumpebatur autem. Ita ut disrumperetur *rete*, nec tamen elaberentur pisces, quod alterum fuisse miraculum annotant quidam. Pisces qui ab hoc loco longè aberant (nulli enim hìc retibus per totam noctem fuerant comprehensi) imperio Jesu subitò adnatârunt et in rete coacti sunt, tantâ copiâ, quanta retis spatium superaret, et impar ponderi rete rumperet, ultra omne exemplum piscatoribus antea spectatum. Testimonium manifestum obedientiæ quam rerum natura Jesu exhiberet.

Vers. 7. — Annuerunt, non advocârunt voce (quia vocem interceperat stupor et timor), sed signis indicârunt.

Sociis, collegis piscatoribus; qui fuerint isti exprimitur infra, v. 9. Nautæ navis unius libenter socios habent nautas alterius, ut, simul enavigantes, in periculis sibi mutuò succurrant.

Adjuvarent eos, id est, ipsos; opitularentur ipsis, manus cum ipsis reti extrahendo admoverent.

Et venerunt. Qui venerunt seu adnavigârunt. Ita factum est, ut miraculum, plurium illius artis peritorum testimoniis, innotesceret, et Jesu virtus fieret testatissima.

Et impleverunt ambas naviculas, id est, et impletæ sunt piscibus, unius retis proventu, ambæ naves; non enim legitur Græcè diminutivum, extracto simul ab omnibus è mari reti.

Penè mergerentur, proximæ essent submersioni,

Vers. 7. — Annuerunt socius, id est, signis, non voce advocârunt ad adjuvandum. Quod factum fuit non tam ex stupore et timore quo loqui non possent, ut quidam putant (statim enim loquebatur Petrus Christo), quàm propter nimiam distantiam.

in periculum venirent submersionis, parùm abesset quin onere depressæ mergerentur. Significat tantam fuisse piscium copiam, quanta retia rumpendo et naves mergendo, animos spectantium in admirationem attolleret.

Vers. 8. — Quod cum vidisset, scilicet rem istam, intelligens præceptum Jesu admirando modo esse operatum, remque non agi casu aut humanis viribus, sed virtute divinâ, quod nulli perspectius esse potuit quàm ipsi piscatori exercitatissimo.

Simon Petrus. Nondùm aliter quàm Simon vocabatur, quare nec alio eum nomine hactenùs evangelista vocavit, sed hìc addit *Petrus*, ut observes eum, ab ipso mox initio, virtutibus, respondere cœpisse imponendo sibi nomini Petri.

Procidit. Græcè accidit. Jesu excellentiam, hinc perspectam, quòd natura ipsa inanimatorum et animantium ipsum veneretur atque observet, cum suâ vilitate componens.

Ad genua. — Gestus fidei et animi grati.

Exi a me, discede à me, quod tu facilè potes; nam ego mari impeditus non possum discedere à te.

Peccator sum, peccatis multis obnoxius, tu verò vir sanctus Deoque acceptus, qualis non facilè alius. Confitetur se esse peccatorem, et, ex argumento ab oppositis, Jesum esse sanctissimum, q. d.: Jam primùm meam agnosco vilitatem, cùm tua se mihi manifestat celsitudo. Indignus proinde cùm sim consortio tuo teque hospite (quemadmodùm enim ille: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum;* sic Petrus: Domine, non sum dignus ut maneas in navi meâ), discede, obsecro, à me, ne, ob tuam præsentiam pronior ad ulciscenda peccata mea, perire me jubeat Deus. Petrus sic reveretur Jesum in miraculo, ut majestate ejus exterritus fugere optet. Quamvis enim Dei præsentiam assiduis votis expetant homines, quòd eo absente miseros se esse sentire cogantur; necesse est tamen, simul atque apparet Deus, eos formidine percelli, imò exanimari metu et pavore, donec solatium adhibeat; quia tunc sentire incipiunt quàm nihil sint, quàm viles et peccatis à Deo alieni, ac metuere proinde, ne ipsius sanctitas præsens consumat pravitatem ipsorum. Sic Petrus, quamvis nondùm apertè crederet Deum esse Jesum, Dei tamen præsentiam, et eam quæ Jesu cum Deo intercederet propinquitatem ex re gestâ considerans, contremiscit, pavidusque abesse desiderat, veritus ne Deus, Jesu causâ præsens, Jesum cum ipso conferens, et sese in sanctitatis Jesu contemplatione oblectans, ipsius è diverso abominetur peccatis fœdatam vitam, subitòque disperdat. Ad hunc modum mulier Sareptana, verita ne mortuus esset filius suus, eò quòd ipsa hospitio excepisset Eliam, id est, peccatrix virum sanctum, clamabat, 3 Reg. 17, v. 18: *Quid mihi et tibi, vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ et interficeres filium meum?* Existimant enim peccatores homines, viros sanctos sibi damnosos aut incommodos esse, eò quòd non possit vitium cum virtute unà commorari. Namque virtus suo splendore vitium perstringit, calore urit, maximè si sit divina virtus, ut Dei ipsius, aut angeli à Deo missi: et ex collatione illius cum suâ vitiositate, metuunt sibi periculum: Geraseni, Matth. 8, eò profecerant, ut timere, suspicere, et revereri inciperent in Christo refulgentem Dei majestatem ac potentiam; sed nondùm eò ut amarent et susciperent beneficentissimum salvatorem hominum, assertoremque è dæmonum tyrannide, pluris suas facientes facultates, quàm veritatis cognitionem et suarum salutem animarum; adeò verum est quod alibi Salvator docuit: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, Luc. 14, v. 33.

Domine. Supra, v. 5, vocaverat præceptorem, jam majore de ipso opinione conceptâ, vocat Dominum. Magna Petri modestia atque humilitas, solam suam vilitatem considerantis, neque quidquam ex felici piscationis successu laudis sibi arrogantis, tametsi et navis et rete et opera fuisset ipsius, sed proventum omnem adscribentis ei qui jusserat.

Vers. 9. — Stupor, pavor, terror; hæc enim omnia notat Græcum. Fuit metus religiosus is quo correptus fuit Petrus, pertinens ad pietatem: non absimilis eorum qui, cæcutienti et obtusâ oculorum acie cùm sint, solem perfectissimè lucidum et splendentem formidant, agnoscentes sese impares tantæ virtuti spectandæ.

Circumdederat, undique occupaverat et quasi conclusum tenebat.

Qui cum illo erant, Andream fratrem scilicet, atque mercenarios. *Andream non nominat*, inquit Augustinus, lib. 2 de Cons., cap. 17: *qui tamen intelligitur in eâ navi fuisse secundùm Matthæi et Marci narrationem*.

In captura. Super illâ capturâ; ortus ex illâ capturâ, ortus ex consideratione illius capturæ, aut potiùs potentiæ quâ tam admirabilis piscium captura procurata erat: q. d.: Non ita locutus est Petrus, quòd Jesu præsentiam fastidiret, aut à Jesu vellet separari, quem diligebat unicè, sed quòd contemplatio excellentiæ Jesu, illâ piscium capturâ testatæ, perter-

Vers. 8. — Quod cum videret Petrus, procidit ad genua Jesu, adorabundus; mirabatur enim Dominici præcepti virtutem et tanquàm in arte piscandi exercitatissimus, satis cernebat non nisi divinâ virtute rem esse gestam: Dicens: Exi a me, id est, discede à me. Causam adjicit: Quia homo peccator sum, id est, multis peccatis obnoxius, tu verò sanctissimus, ut proinde consortio tuo indignus sim. Itaque verba ista videntur profecta ex duplici affectu: primò ex humilitatis magnitudine, ut fuerint similia verbis Centurionis: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum;* quasi diceret Petrus: Non sum dignus, ut sis in navi meâ. Secundò ex timore; unde Cyril. in cap. 6 Isaiæ dicit Petrum ex reverentiâ horruisse esse cum Christo, velut peccatorem cum sancto. Timor ergo iste fuit, sive carnalis, ut aliqui putant, quasi timuisset, ne fortè illâ occasione vindicta iniquitatum ejus sumeretur, quo sensu mulier Sareptana, 3 Reg. 17, v. 18, ingressui Eliæ imputabat mortem filii sui; sive potiùs timor religiosus ac pavor ex admiratione di-

refaceret eum et pavidum stupidumque redderet.

QUAM CEPERANT, comprehenderant.

JACOBUM, *et*, seu *etiam Jacobum*, scilicet, circumdederat stupor. Cunctorum qui aderant animos occupaverat incredibilis quædam hujus facti admiratio, ut sensus hic ingenitus est omnibus, ut ad Dei præsentiam expavescant.

VERS. 10. — AD SIMONEM, qui locutus fuerat.

NOLI TIMERE, ne timeas; pone inanem hunc metum, scilicet ne quid mali tibi eveniat ex præsentiâ meâ. Non enim ut te à me absterrerem, exerui virtutem meam, sed contra, ut te ad me sequendum invitarem, et quid postea per te ubi mihi adhæseris præstandum sit significarem.

EX HOC JAM, ab hoc nunc, ab hoc tempore, posthàc.

HOMINES, non pisces; opponuntur enim homines piscibus. Non igitur posthæc rediit ad piscandi opificium Petrus, nec proinde historia ista accidit ante eam quam narrant Matthæus et Marcus.

ERIS CAPIENS, id est, capies, meo beneficio. Q. d.: Non est quod attonitum adeò te reddat copia ista piscium à te meo jussui obsequente præter omne naturæ exemplum captorum; leve est pisces cepisse, posthàc aliud, et quidem longè sublimius, erit opus tuum; non prorsùs tamen aliud, homines enim deinde capies, qui pisces hactenùs cepisti; et quidem, me duce, eâ copiâ homines capies, quâ jam cepisti pisces; sed hoc erit discrimen, ut ad vitam homines capias, qui pisces ad mortem capere solitus fueras. Hæc enim est arcana significatio verbi ζωγρεῖν, quo evangelista utitur; quam Syrus exprimens vertit: *Posthàc piscaturus es homines ad vitam*, nam propriè declarat vivum capere, compositum ex ζῶ, *vivo*, et ἀγρεύω; *venor*, seu venatu capio. Cæterùm non dicit Salvator: *Ex hoc jam homines eris capiens*, quòd mox ut cum ipso abiisset id facturus esset Petrus, sed quòd mox ab ipso formandus esset, ut idoneus redditus id præstaret; significat Christus se adaptaturum formaturumque eum, ut idoneus sit piscandis hominibus. Rudes enim elegit, sed rudes non reliquit: nam idcircò ab initio statim illos sibi adjunxit, ut per tempus fingeret formaretque ad munus hocce eximium. Rudes et incompositas gemmas non contemnit artifex, quas novit polire.

Plerùmque Salvator à rebus corporalibus, quas tempus et locus exhibebant, sermonem transtulit ad spiritales, à terrenis ad cœlestia mentem homines attollere docens. Efficiam, inquit, ut fiatis hominum piscatores longè feliciores, ut, qui nunc pisciculis insidiamini in eorum perniciem, homines capiatis in æternam salutem. Hoc enim ut infinitis partibus sublimius, ita magis necessarium est opus, hominum plerisque immersis ignorantiæ tenebris ac sordidis hujus mundi curis: ad quos et ego veni extrahendos ad lucem veritatis et cœlestium rerum amorem: eritis vos igitur mihi cooperatores in hoc piscandi genere. Ad idem artis genus, sed excellentius, invitantur. Mutantur retia in doctrinam, lucri cupiditas in amorem salutis animarum: fit mare terra, navis Ecclesia; pisces, boni malique homines, vagi palantesque in terrâ, ut in vasto et confuso mari pisces. De hujusmodi piscatoribus Jeremias, cap. 16, v. 16: *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos.* Commendatur autem diligens et indefessum studium lucrandi quàm plurimos Deo, hujusmodi à piscatoribus sumptâ metaphorâ; quanquàm labor sit piscatorum, Dei verò in retia cogere quos voluerit. Id munus certè præstitit triennio post, quando uno primoque jactu Evangelici retis die Pentecostes, piscatus est hominum tria millia, Act. 2, v. 41, et quotidiè deinde plures, videlicet agens piscatorem hominum. Singularis electio et vocatio ad apostolatum hominum rudium et ineruditorum, ut ne glorietur caro, sive in evocatione ad apostolatûs honorem, sive in orbis conversione per apostolorum ministerium, sed sola celebretur Dei gratia. Ob plures autem causas cùm ediderit miraculum istud captorum piscium Jesus; ut, confirmandæ doctrinæ gratiâ, quam docuerat turbam, quæ intelligitur ex littore fuisse spectatrix; ex verbis hujus versiculi discitur, causas potissimùm fuisse duas: Priorem, ut quatuor istos viros quos elegerat in primarios discipulos atque apostolos suos, declaratâ potentiâ suâ ejusmodi quâ universa creatura ipsius nutui subjacet, efficaciùs, relicto vitæ genere in quo à pueritiâ versabantur, attraheret ad sequendum se suumque vitæ genus, id est, ad vacandum secum uni Deo colendo, ejusque Evangelio divulgando, jactatâ in Deum curâ alendi corporis. Quocirca tale edidit miraculum quale posset optimè intelligi ab hujus generis hominibus, eosque movere maximè (consuevit enim Deus singulos per cognata ac familiaria vocare, ut magos per stellam, ita modo piscatores per pisces), et docere quàm non deberent ob curam victûs amictûsve absterreri à sequendo se paupere, cui omne quod vellet in manu esset. Hùc referendum est, quòd vocationem primorum ducum discipulorum suorum voluit Jesus hâc ratione honorare, ut postea aliis, quibus essent illi Evangelium à Jesu acceptum prædicaturi, ostendere possent, quàm non temerè quondam, relicto suo vitæ instituto, Jesum ad suî sequelam vocantem fuissent secuti. Posterior causa fuit ut præmoneret hos viros quid operis, quo profectu, facturi tandem

vinæ virtutis præsentis, quam ex illo facto sentiebat; nam hoc indicare videtur id quod sequitur.

VERS. 9. — STUPOR ENIM CIRCUMDEDERAT EUM, nempe quo animus ex admiratione attonitus percellitur. Cujusmodi stupor nimius, quia animum impedit, neque sui satis compotem esse sinit, hinc Dominus.

VERS. 10. — NOLI TIMERE, perculsus ex conscientiâ peccatorum tuorum, meæque virtutis, q. d.: Non exerui eam, ut te quamvis peccatorem à præsentiâ meâ deterrerem, sed potiùs, ut longè majus meum in te beneficium figurarem. Nam EX HOC JAM, seu *ex hoc nunc*, ut est Græcè, id est, ex præsenti hoc tempore posthàc non pisces ad mortem, sed, quod longè sublimius est, HOMINES ERIS CAPIENS, scilicet ad vitam; Græcum enim propriè significat vivum capere, q. d.: Homines capies, non ut ad servitutem tuam et mor-

essent, ubi se societati disciplinæque ipsius addixissent; ipsos, inquam, fore piscatores hominum, idque tam ubere proventu, quàm mox fuerant piscium. Se jubente, jaciendum ab ipsis, et inprimis à Petro capite, in mare hujus seculi, rete Evangelii Dei; et se faciente, tantâ multitudine, ad miraculum et stuporem usque, homines, qui à Dei cultu priùs alienissimi fuerant, de profundo criminum et errorum pertrahendos ad auram liberiorem, è tenebris ad lucem, è sordido limo ad vitam puram, à vagis cupiditatibus ad innocentiæ perpetuæ constans studium, et in suam adducendos Ecclesiam, quantam recipere ipsi non essent suffecturi, sed cogendi essent implorare aliorum auxilium, plures alios ad cooperandum advocare; nec Judæos solos impetu irrupturos, sed et gentes, ita ut duæ futuræ essent Ecclesiæ, tanquàm duæ naves unâ anchorâ firmæ. Sic tamen capiendos multos, ut eorum quidam futuri essent mali, hæresibus, quod in se esset, scissuri doctrinam evangelicam, malisque moribus suis in periculum universam Ecclesiam adducturi.

Vers. 11. — Et, tunc, statim ut fuerunt vocati. Agnoverunt quidem vocem ejus, cui Joanne prædicante crediderant, cujusque doctrinam cœlestem non semel audierant, et miracula non pauca viderant, nominatim præsens miraculum captorum piscium à D. Lucâ narratum; sed additâ voci energiâ, afflatûs nimirùm Salvatoris, Spiritu sancto, quo plenus erat, intùs eos compellantis (habebat enim vox Jesu cœleste incantamentum), effecit ut protinùs ad vocem vocantis, omnium obliviscerentur, nihil diffisi promissioni tam arduæ, nihil solliciti quâ deinde ratione alerentur, sed mox se totos vocantis providentiæ potestatique committentes. Optimum certè exemplum iis qui à Deo vocantur, nihil disputare aut hæsitare, nihil cunctari, nihil ullâ de re esse sollicitos, sed obsequi simplicissimè vocanti Deo, eique se totos committere. Jamdudùm isti Joanne prædicante in Jesum crediderant, eumque secuti fuerant (Joan. 1, v. 37, 39, 40, 42), et adfuerant frequenter docenti Jesu, fortassis etiam miracula edenti tum in Canâ Galilææ tum in Judæâ (Joan. 2, v. 2, 11, 23), et in Judæâ baptizanti (Joan. 3, v. 22, 4, v. 2), indeque in Galilæam revertenti (Joan. 4, v. 8, 46); nam Act. 1, v. 21, 22, testatur non obscurè Petrus, se, cæterosque apostolos, cum Jesu fuisse conversatos, à baptismate Joannis usque in diem quâ assumptus est. Sed nondùm jam se prorsùs Jesu addixerant Petrus et Andreas, nec ita indivulsè adhærebant, quin redirent interea ad piscationem, tanquàm ad artem eam quam profitebantur, et ad negotium vitæ suæ non tantùm consuetum, verùm etiam præcipuum, quo victus atque amictus ipsis esset comparandus, et vita hæc sustinenda. Ab hoc igitur vitæ genere atque instituto ipsos avocans Jesus, invitat ad individuam sequelam suî; vultque ut relicto pisciculos capiendi artificio, totos se dedant in disciplinam ipsius, quâ doceantur longè aliam ac sublimiorem piscandi rationem: hoc est quod dicit, in Matth.: *Venite post me,* relicto hoc vitæ genere, arteque quam à patre didicistis, tam corpore quàm animo sequimini me et institutum vitæ meum, adhærete et addicite vos ipsos mihi, docturo vos artem aliam, et alii vitæ generi, instituto atque officio vos applicaturo; non omninò tamen alii, sed in melius commutato: nam ex piscatoribus piscium formabo hominum piscatores. Non ergo describitur hìc vocatio istorum ad fidem, quam diù fuerant amplexi, sed ad certum munus; nec vocantur ut sint discipuli Jesu, quod erant, sed ut sint suo tempore apostoli; in spem apostolatûs. Nondùm quidem ipsis injungitur apostolicum munus; sed adsciscit eos Jesus in suum contubernium, et in familiam cooptat, ut formet idoneos. Quosdam contentus est Jesu habere in grege et Ecclesiâ suâ, ut Regulum cum suâ familiâ, Joan. 4, v. 53, pluresque alios, nec urget ut, relictis parentibus et pristino vitæ genere, quòvis ipsum pedibus sequantur: à quibusdam verò, quos ad majora vocat, id exigit. Sic igitur Jesus, in communi aliorum vitâ nihil mutans, discipulos istos ab opificio quo hactenùs vixerant abducit, ut formare eos velit, quò eorum operâ ad præstantiorem functionem uti possit.

Subductis, ex alto.

Omnibus, piscibus, retibus, navibus, mercenariis qui cum ipsis erant, adeòque arte piscatoriâ. Pisces, verisimile est, turba diripuit, ad certiorem miraculi tum famam celebrandam, tum memoriam servandam. Matthæus non aliud quidem dicit quàm, *relictis retibus,* sed intelligit, quod diximus, relictis omnibus, et signanter illo vitæ genere, cui res omnis ipsorum serviebat, quam ne disposuerunt quidem, ut nec ampliùs ad illud vitæ genus reversi sunt. Quòd si aliquando postea piscati legantur, non hoc fuit piscatoriam exercentium, sed otium fugientium, aut mœstum animum relaxantium, Joan. 21, v. 3.

Secuti sunt, ii quorum jam facta est nominatim mentio, Petrus, Jacobus, et Joannes, nec non (id quod ex Matthæo et Marco intelligitur) qui cum Petro erat, Andreas frater.

Eum, illinc abeuntem, et ex eo tempore indivulsè ei adhæserunt, comites individui et discipuli mancipati, ipsius more atque ex ipsius præscripto viventes, sub ipso patrefamiliâs simul et præceptore. Tantum bonorum thesaurum in Jesu deprehenderunt, ut maluerint omnia relinquere, quàm ipsum non sequi; quemadmodùm duo illi negotiatores, quorum unus

tem eos capias, sed ut libertati et vitæ tanquàm ex hostium manibus erepti serventur. Est autem hæc prædictio, non vocatio Petri: nam verba ista in nave Christus protulit. Vocavit autem eum cum fratre, cùm jam ad littus appulisset, juxta Matth. et inde paululùm digressus etiam Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, qui similiter parumper à piscatione jam digressi fuerunt. Itaque Lucas, relictâ vocatione quatuor apostolorum, ipsisque verbis, quibus vocati sunt, et Matth. 4 narrantur, effectum duntaxat vocationis omnium exprimit, nempe quod omnes quatuor,

Vers. 11. — Subductis ad terram navibus, relictis omnibus, scilicet piscibus, retibus, navibus, adeòque instituto piscandi: *Secuti sunt eum*, ut tanquàm

thesaurum in agro absconditum, alter margaritam pretiosam repererat, Matth. 13, v. 44, 46. Ex hoc versiculo rursùs discitur, quòd non acciderit post hanc historiam, ea vocatorum Apostolorum historia, quam Matthæus et Marcus describunt ; imò eamdem esse, ex eo etiam clariùs evadit, quòd tametsi soli Petro Jesum locutum Lucas retulisset, subjecerit tamen plurali numero ipsos esse secutos. Intelligendum est itaque quòd, postquàm Petro Jesus dixisset : *Ex hoc jam eris homines capiens,* reduxerint, Petrus cum suis, et filii Zebedæi cum suis, singuli naviculam suam ad littus, in stationem consuetam, ubi soliti fuerant eam collocare. Cùm igitur Jesus vectus navi Petri et Andreæ rediisset cum ipsis ad littus, dixit ipsis duobus : *Venite post me,* relicto hoc vitæ genere, tametsi maximum vobis queat emolumentum afferre (quod videtis à me præstari posse), *faciam* quod dixi, *vos fieri piscatores hominum;* quod ut sublimius opus, ita utilius erit, tum vobis, tum humano generi. Illis sequentibus, cùm egressus navigio Jesus pervenisset per oram maris ad stationem Jacobi et Joannis propè distantem , invenissetque eos intentos operi resarciendi retis, sive illius quod ruptum fuerat superiori piscatione (quanquàm illud videatur fuisse Petri), sive cujusvis alterius, vocavit ipsos, ut priores, ad sequelam suî, ipsique cum prioribus Petro et Andreâ mox sunt ipsum secuti. Tunc verum fuit quod hìc Lucas ait : *Relictis omnibus secuti sunt eum.* In quam sententiam Augustinus, lib. 2 de Cons. Evang., cap. 17 : *Potuit,* inquit, *priùs hoc Petro dici, cùm de captâ ingenti multitudine piscium miraretur, quod Lucas insinuavit; et ambobus postea, quod alii duo commemoraverunt.*

Vers. 12. — In una civitatum, in quâdam civitate, Capharnaum scilicet, id enim Marcus significare velle videtur, quando mox post istud miraculum subdit, cap. 2, v. 1: *Et iterùm intravit Capharnaum post dies.* Verùm quia Matthæus, eidem huic miraculo subjiciens, cap. 8, v. 5 : *Cùm autem introîsset Câpharnaum, accessit ad eum Centurio,* significat leprosi sanationem non accidisse in ipsâ civitate Capharnaum, ut paralytici ; intelligendum erit quod Lucas dicit, in agro civitatis, non longè ab ipsâ civitate Capharnaum ; quemadmodùm Josue 5, v. 13 : Josue, priusquàm cepisset Jericho ; *in Jericho* fuisse dicitur ; pro eo quod est, *in agro urbis Jericho,* uti expressit interpres.

Et ecce, tunc ecce, turbis illis præsentibus. Commodùm post prædicationem atque doctrinam signorum offertur occasio, ut, accedentibus ad docendi auctoritatem majestatemque virtutum miraculis, firmissimè apud auditores doctrina stabilita sit.

Plenus lepra. Lepra pertinacissimæ scabiei genus est. Dicit plenus leprâ ad miraculi exaggerationem.

Domine. Deum credidisse videri possit vel ex oratione subsequenti.

Si vis, potes. Brevis oratio, magnæ fidei insignisque modestiæ index. Non enim quòd de benignitate Domini dubitaret, dixit : *Si vis;* sed, quòd ejus voluntati negotium submitteret, se dignum agnoscens plagâ quam ferebat.

Vers. 13. — Extendens manum, extensâ manu, ut sanationis virtus in ipso et voluntas etiam ostenderetur : manus enim ita extensa potentiæ et voluntatis est signum. Nam, quod ait Victor Antiochenus in Marcum : *Verbum indivulsam se cum carne suâ societatem habere persuasum volens, pleraque miracula et signa per corporis ministerium edidit.*

Tetigit eum. In lege contagiosus erat leprosi contactus, Levit. 14, v. 2, et 5, v. 3 ; atverò quoniam ea est in Christo puritas quæ non tantùm non inquinetur, verùm etiam sordes omnes et inquinamenta absorbeat, nec se contaminat leprosum tangendo, nec legem proinde transgreditur.

Volo, mundare ; ad eum modum interpungendum est ; neque enim *mundare* infinitivi modi est, sed imperativi, id quod ex Græco constat. *Mundator*, vitatâ amphibologiâ dixisset interpres. Responsio pulchrè orationi respondens.

Confestim, simul atque emiserat Jesus hanc vocem.

Mundata est lepra ejus. Mundatus est à leprâ suâ : est enim lepra immunda et contagiosa. Sanato leproso, ostendit se idcircò venisse, ut mundi sordes suo contactu eluat.

Vers. 14.— Præcepit, denuntiavit, ut nemini diceret. Nam quanquàm præsentes essent turbæ populi, non ideò tamen mox videbant ; ut ne enim observarent, idcircò eum mox à se ablegavit, quod ait Marcus, cap. 1, v. 43. Fuit autem hoc præceptum ex causâ, eâ duntaxat, ut significaret, non se ambire aut quærere vanam ab hominibus gloriam.

Ostende te sacerdoti. Non enim poterat mundorum communione gaudere, nisi mundum eum pronuntiâsset expiâssetque sacerdos.

Offer. Complectitur rationem omnem purificandi leprosi quam, Levitici 14, Moses præscribit.

In testimonium illis. Hoc multi referunt ad verba, *ostende* et *offer,* ita ut sensus sit : ut testata illis fiat, sive innocentia meî, quem calumniantur legis adversarium, sive virtus meî operantis ea quæ humanas superant vires. Quidam conjungunt cum verbo *præcepit,* id quod etiam D. Hilarius, accipiuntque testimonium pro lege sive statuto, quo modo frequenter

discipuli jam Christo inseparabiliter adhærerent. Eadem est igitur vocatio, quæ apud Matth. et Marc. et quæ hic apud Lucam texitur ; ita tamen, ut illi omittant celebris istius piscationis miraculum, quod hìc narratur, et animum eorum ad obtemperandum vocationi disposuit. Reliqua vide apud Amb. passim et Greg. 16 Moral. c. 12, aliàs 13, et August. diversis locis, præcipuè verò tract. 122 in Joan. allegoricè eam explicat. Navis enim Petri significat Ecclesiam cui Petrus præfuit, et ex cujus auctoritate Christus turbas docet ; binarius navium sunt duo populi, circumcisio et præputium : jubetur Petrus in altum ducere, ut scilicet Evangelium apud remotiores gentes prædicet; ruptura retium sunt hæreses et schismata, quæ per multiudinem hominum carnalium cum suis malis moribus in Ecclesiam intrantium fieri solent, per quos fit ut penè mergantur naves, id est, periclitentur Ecclesiæ. Vide cætera latiùs apud August.

accipi notum est vel in psalmo 118. *Testimonium in Joseph posuit illud*, habes psalmi 80, vers 6.

Vers. 15. — Perambulabat autem magis. Dimanabat tantò magis fama ipsius, quantò magis volebat nesciri.

Conveniebant, ad eum.

Turbæ multæ, undique.

Et curarentur, *ab eo*, additum Græcè.

Vers. 16. — Secedebat. Græcè, *erat secedens et orans*. Post gesta magna et admiranda, turbas vitabat, gloriam propriam declinans; et, obedientiam Patri exhibens, salutemque hominum studiosè postulans, orabat.

In desertum, *in desertis*.

Vers. 17. — Et factum est in una dierum; accidit quodam die: ejusmodi enim est Hebræis, quin et Flandris nostris ac Gallis, loquendi modus, ut dicant, *uno die*, pro, quodam.

Et ipse, cùm ipse. *Et*, pro tunc, ex Hebræorum idiotismo interdùm usurpari, frequenter jam diximus; hìc autem poni videtur pro *cùm*, ut respondeat initio versiculi 18, quemadmodùm et alibi sæpè.

Et, scilicet, cùm erant illic, præter promiscuam multitudinem, Pharisæi sedentes et legis Mosaicæ *doctores*, præcipuæ apud populum auctoritatis, quorum illi sanctimoniam, hi Scripturarum peritiam jactabant; erat enim muneris istorum, legem Mosis et Scripturas cæteras interpretari: quos mox *scribas* evangelista vocat proximo versu 21, quod erat proprium eorum nomen. Tres maximè sectas apud Judæos hoc temporis viguisse auctor est historiographa Josephus, Pharisæorum, Sadducæorum, Essæorum, quorum dogmata simul et mores describit libri 2 de Bello Judaico, cap. 7; libri 13 Antiquitatum cap. 9; libri 18 cap. 2; et post eum Epiphanius, libro primo Panarii; præcipuæ verò quoad sectatorum numerum fuêre Pharisæorum et Sadducæorum, quarum proinde frequentissima est in Evangeliis mentio. Hæ ortæ fuisse videntur sub tempora Machabæorum, occasione quæstionum quæ tunc moveri cœperunt, de animæ humanæ immortalitate, corporis resurrectione, æternis bonorum præmiis et malorum suppliciis. Cùm enim plures eo tempore florerent scribæ (quorum collegium ab Esdrâ exordium sumpserat) qui sapientiæ studerent, et, ut jugo Græcorum subjacebant, nonnunquàm audirent Græcorum his de rebus fabulas, factum est ut cœperint quæstiones de his rebus in medium afferre, et inter se ventilare, atque à se mutuò dissidere, aliis ista astruentibus, qui vocati fuêre Pharisæi, aliis negantibus, qui Sadducæi, Act. 23, v. 8. Tunc adversùs Sadducæos scripti fuêre libri Sapientiæ et Machabæorum secundus, quos postea Ecclesia Christi recepit in canonem Scripturarum sanctarum. Ante hæc tempora non videtur populus Israel quidquam de his rebus doctus fuisse, aut quidquam publicè de illis prædicatum, eò quòd lex harum rerum disertam mentionem non faceret, terrenas duntaxat spes minasque bonis malisque ob oculos ponens. Fuit quidem patriarcharum et prophetarum non dubia hìc fides, quod vel undecimum caput Epistolæ ad Hebræos testatum faciat; sed multa à patriarchis et prophetis credita prædictaque fuêre, quæ ut non proposita atque enarrata, ita nec credenda necessariè fuêre populo. Exempli gratiâ, virginitas matris Messiæ, paupertas, passio, mors, resurrectio Messiæ. Videtur clara publicaque hujusmodi rerum æternarum doctrina Messiæ reservata fuisse: nam veteres Patres, Joannem Messiæ præcursorem, primum dicunt annuntiâsse regnum cœlorum et supplicium æternum, quem subsequens Messias, perfecit ac miraculis stabilivit quidquid hùc pertineret. Interim igitur dùm Messias exspectaretur, quò paratiores forent animi ad excipiendam fidem de rebus hujusmodi invisibilibus, futuris et æternis, permiserat Deus varias de his opiniones oriri, et sapientûm synagogæ inter se altercationibus discuti. Nam quanquàm errarent Sadducæi, et quidem graviter, *nescientes Scripturas neque virtutem Dei*, nunquàm tamen à veteri Synagogâ declarati sunt hæretici, hoc est, desertores fidei aut legis à Deo traditæ, vel, ut populi seductores, synagogæ communione ejecti, quemadmodùm Samaritani, quorum ne quidem ad potum uti licebat consuetudine, Joan. 4, 9; imò, quod ex Evangeliis et Actis Apost. manifestum est, promiscuè versabantur etiam ipsi Pharisæi et sacerdotes cum Sadducæis, tam in sacris quàm profanis locis, Act. 4, v. 1, 23, v. 6, et communia non rarò inibant consilia adversùs Christum ejusque discipulos, Matth. 16, v. 1; Act. 5, v. 1. Deniquè licebat cuivis utri vellet parti adhærere. Populus, quod annotat Josephus, ferè adhærebat Pharisæis (apud quem erant illi summo in pretio, ac proinde et summa eorum in republicâ auctoritas); optimates verò (ut qui libenter excutiunt timorem Dei, quo desideriis carnis liberiùs indulgeant) Sadducæis, secuti Joannem Hircanum filium Simonis fratris Judæ Machabæi, patris in Judaico principatu successorem, qui cùm Pharisæorum semper discipulus fuisset, à seipso et à majoribus degenerans (nobile est Judæ Machabæi exemplum, 2 Machab. 12, et septem fratrum matre hortatrice martyrum, 2 Machab. 7), in ultimâ senectute, à Pharisæo quodam irritatus, et ab altero Sadducæo amico suo præcipuo instigatus, ad Sadducæos defecit (narrat Josephus, lib. 13 Antiq., cap. 18), gravissimèque Pharisæos est persecutus, ipse et qui ipsi successerunt, filius Alexander et nepos Aristobulus: è quibus Alexander octingentos Pharisæos uno die affigi crucibus jussit coram se in edito loco cum pallacis epulante. Josephus, lib. 13, cap. 22, et post eum Josippi compendium. Nec alterius quàm Sadducææ sectæ fuisse et Herodem, qui Aristobulo ipsiusque fratri Hircano proximè successit, probabile est: nam et ipse plurimos Pharisæos interemit, nolentes jurare in ipsum regem. Cessârunt porrò capitales istæ inter Pharisæos et Sadducæos inimicitiæ sub præsidibus Romanis, quippe qui non magis his faverent quàm illis; quando opinioni-

bus licet manerent divisi, egregiè conspirârunt adversùs Messiam suum. Quod autem ad nominum rationem attinet, acceperunt Pharisæi nomen à divisione sive separatione, quòd habitu atque observationibus certis distincti essent à Sadducæis et à populo, præ quibus haberi volebant, munditie ac sanctimoniâ eximii. Nam sive litterâ *sade* scribas *pharisin*, et deducas à verbo *pharas* per *sade*, ut D. Hieronymus in Gen. 38, v. 29, sive litterâ *schin*, et derives à verbo *pharas* per *schin*, ut Hebræi et Syricum Testamentum, utrumque verbum separare et dividere significat. Cùm enim opinionibus à Sadducæis differrent, voluerunt et habitu atque observationibus singularibus differre, et cum illis tum vulgo sanctiores videri: de quibus sic Josephus, lib. 13 Antiq., cap. 18: « Multas constitutiones à majoribus per manus acceptas « Pharisæi tradiderunt populo, quæ non sunt scriptæ « inter leges Mosaicas: et ideò Sadducæi his auctoritatem abrogant, dicentes oportere eas tantùm servari quæ scripto continentur; atque hinc magna inter utrosque exorta est controversia, dùm ditiores « stant à Sadducæorum partibus, Pharisæi cæteræ « multitudinis nituntur favoribus. » Hæc Josephus. Significat quidem vox *pharas* et *exponere* ac *declarare;* sed inde non est ducta nominis ratio, tametsi quidam id velint, Pharisæos sic dictos quòd legis interpretationem atque explanationem profiterentur. Nam ita, non *pharusim* Hebraicè, Chaldaicè et Syriacè *pharisin* ac *pharise*, formâ participii passivi vocandi fuissent; sed formâ Benoni, id est, participii præsentis activi, *pharosim* et *pharosin*. Adhæc, scribarum propriè id erat, legem populo interpretari. Ac erant quidem Pharisæorum nonnulli scribæ, et, quod Josephus refert libri 1 de Bello Judaico, cap. 4, habebantur ut qui peritiùs cæteris leges interpretarentur; sed ut non ait Josephus etymologiam inde acceptam, ita nec omnes nec solos Pharisæos scribas fuisse clarissimè Evangelia loquuntur. Matthæus, capitis 22 v. 35, Pharisæum tentantem Dominum addit, tanquàm singulare aliquid, legis doctorem fuisse, quem Marcus scribam vocat, cap. 12, v. 28; et millies evangelistæ scribas et Pharisæos simul nominant, ut professionis differentis, non tamen contrariæ; ac scribas quidem ferè præponunt quòd haberentur essentque publici legis interpretes.

Qui venerant, qui evocati famâ rerum superioribus diebus ab Jesu gestarum huc profecti fuerant: quæ fama nunc etiam domi eum esse prodiderat.

Castello, vico, ex omnibus partibus Galilææ, in quâ erat Capharnaum, ubi istud accidisse ex Marco constat, c. 2, v. 1.

Et Judææ vicinæ, et Jerusalem, et ex Jerusalem: videtur enim subaudienda præpositio *ex*, etiam ex ipsâ civitate Jerusalem, quæ sibi religionis totius ac sapientiæ fastigium arrogabat.

Et, scilicet cùm, virtus, potentia, *gratia sanitatum,* quam vocat Apostolus, 1 Cor. 12, v. 9.

Domini, Dei, erat illìc. Hebraismus, pro, exerebat se eo tempore singulariter per Christum, vel, *erat,* id est, aderat Christo.

Eos, Judæos, quotquot aderant opis egentes. Post doctrinam demùm miracula, quia propter doctrinam miracula, ut essent testimonia et sigilla doctrinæ à Deo profectæ, id quod mox clarè demonstratur, v. 24.

Vers. 18. — Et ecce. Tunc ecce adfuerunt viri, id est, quidam, ut enim superiori versu est *unus* pro *quidam;* ita hoc *vir,* et mox *homo.*

Portantes. Φέροντες, ferentes.

In lecto; quippe membris omnibus captum. Siquidem paralysis, humore noxio, nervos corporis, qui motûs sunt organa, occupat et torpefacit, sic ut qui laborat hoc malo, membra corporis, non ad usum, sed ad sarcinam molestam habeat, ut propemodùm animatum cadaver esse videatur, non in aliud spirans nisi in pœnam suam. Hoc malum de numero eorum est, à quibus medicorum ars, velut ab immedicabilibus, libenter abstinet, præsertim si non unam aut alteram corporis partem, sed universum corpus occupârit.

Inferre, intrò ferre, in domum; erat enim intùs Jesus in domo; Marc. 2, v. 2.

Vers. 19. — Et non invenientes. Græcè, cùm autem non invenissent.

Præ turba, propter turbam, propter turbæ quæ convenerat densitatem.

Supra tectum, sive, supra domum, uti alii vertunt: utrumque enim patitur Græcum.

Per tegulas, dimotis tegulis, detecto tecto, quod Marcus habet.

Submiserunt, demiserunt funibus: id enim propriè est Græcum, quemadmodùm demittitur anchora aut saxum è sublimi. Est græcè præsens pro præterito, quæ enallage narrationibus convenit, estque Marco familiaris. Pleræque ejus regionis ædes, præsertim sublimiores, ita erant constructæ, ut suprema pars, tectum planum esset, tabulati sive pavimenti instar, in quo liceret comedere, bibere, ludere, ambulare,

Vers. 18. — Paralyticus. Causam et modum Matthæus tacet, sed exprimit Marcus. Cùm enim non possent eum offerre illi, præ turbâ, quæ ad januam stabat, per tectum supernè apertum eum demiserunt. Itaque vidit Jesus, ex isto conatu, et facto tam inusitato, *fidem* offerentium, ut ex Hieron. et ex narratione omnium evangelistarum, maximè Lucæ, videtur colligi. Hæc enim tum ad plenam sanitatem corporalem, tum ad pœnitentiam peccatori impetrandam, prodesse potest. Fidem tamen ipsius paralytici etiam adfuisse colligit Chrysost., ex eo quòd ita sese offerr passus est. Porrò fides hìc videtur non solùm assensum in id quod de Christo credendum erat, sed simul fiduciam impetrandi, quæ ex fidei firmitate solet nasci, comprehendere. Cui potiùs, quàm charitati offerentium, aut patientiæ paralytici, tribuitur hic et alibi sanitas, non quòd excludantur; sed partim quia fides prima est ordine, partim quia ei proprium est impetrare id quod credit et sperat, partim denique ut ita fides in Christum commendaretur.

versari, plures etiam simul esse, Jud. 16, v. 27, nunc fornicibus, nunc trabibus nixum, muroque (juxta id quod caverat lex Deut. 22, v. 8) circumdatum. Cæterùm domus ista, et humilis fuisse videtur, quamvis fortassè ampla, et tecto prædita acuminato: sublimem enim domum non facilè fuisset ascendere, tectum verò planum non facilè perfodere, quin lapides et cæmenta decidissent in capita eorum qui infra aderant; denique imbricibus et tegulis, quod habet Lucas, contecta cùm fuerit, non videtur plano tecto fuisse. Itaque paralytici vectores, primùm ascenderunt in tectum hujus domûs, eâ parte quæ ab hominibus libera erat, quippe remotior à januâ; tum nudaverunt illud tegulis scandulisque quibus erat tectum; deinde sustulerunt eò etiam paralyticum grabato decumbentem: quem tandem funibus demiserunt in inferiorem partem ubi Jesus concionabatur (videtur enim domus unicâ tecti contignatione instructa fuisse, eâ saltem parte ubi sedebat Salvator), nihili facientes, sive laborem suum, sive damnum dandum, sive improbitatis notam, quam apud alios subire poterant, præ eo quo ardebant studio juvandi proximum, præque eâ quâ animati erant spe, conceptâ de Christi bonitate, pari cum potentiâ conjunctâ.

Vers. 20. — Fidem ut vidit. Egregium enim edebant fidei specimen, illo suo tam laborioso conatu. Fides movet Jesum ad concedendum beneficium, multò etiam cumulatius quàm petitum fuerit. Fides autem in Evangeliis, cùm ei salus aut optatæ rei consecutio tribuitur, tum hoc loco, tum aliis plerisque, ita in usu est, ut duo ista complectatur, firmum mentis assensum in ea quæ de Deo et Christo credenda sunt, et fiduciam in Deo ac Christo ex assensu illo nascentem, quasi dicas fidem operantem per fiduciam; assensus enim mentis absque fiduciâ nil imperat; fiducia autem absque assensu esse nequit. Et quanquàm assensum illum propriè fides ex sacrarum Litterarum usu significet, 1 Cor. 13, v. 13, Hebr. 11, v. 19, aliquando tamen major ad assensum respectus, aliquando ad fiduciam habetur; nam quia assensus sive fides fiduciæ est mater, idcircò semper vocatur fides. Ideò autem fidei potiùs quàm alteri virtuti, rei optatæ consecutio plerùmque tribuitur, partim quidem ad fidei quæ propaganda erat, commendationem, partim verò quod fidei propria sit merces consequi id quod credit ac sperat. Hoc loco erat ex parte offerentium ardens studium juvandi proximum, et ex parte ægri magna patientia, insignes virtutes. Ad consecutionem sanitatis corporis potest aliena fides prodesse etiam in incredulitate aut impietate perseveranti; ad animæ verò sanitatem, eatenùs, quatenùs illud à Deo impetret, ut pœnitentia impio, fides et pœnitentia incredulo dentur. Ad utramque sanitatem consequendam alienâ fide adjutus paralyticus hic fuit, quanquàm et propriam fidem attulerit, qui se ad eum modum offerri passus est.

Homo, vir, quod est Syriacè; sic enim consuevimus generali nomine ignotos vocare, quanquàm magis suavi vocabulo et Christi benignitati magis congruo, Matthæus et Marcus recitent: *Fili.*

Magnæ consolationis vox conscientiis peccatorum, quâ dignatur eos Christus hoc etiam nomine ut filios vocet. Est autem peccator pœnitens adoptioni per Christum proximus, ut omittam quòd creatione omnes Dei et Christi filii simus; denique quòd modus sit loquendi, ita appellare suavi vocabulo etiam ignotos, tanquàm si dicas te non secùs ac filium diligere.

Remittuntur. Græcè remissa sunt, scilicet hoc ipso quo hoc pronuntio: nam præteritum Atticum est pro communi; sed præteritum est loco præsentis, quanquàm sit in illo efficacitatis emphasis minimè negligenda. Reddit causam cur sit ei animo confidendum, quia remittantur ei peccata, morbi scilicet causa, ob quæ morbus iste à Deo inflictus sit. Quidam vertunt modo mandativo, *remittantur;* intelligunt enim tertiam pluralem esse conjunctivi præsentis; verùm ea versio, nullo modo convenit hìc. Non dubium est quin æger conceperit displicentiam peccatorum, pœnitueritque eum malè anteactæ vitæ, ubi, sanitatis licèt recuperandæ gratiâ, tanto fervore Jesu offerri cupivit publico pœnitentiæ præconi; Jesus itaque credentes ipsi esse sanandi corporis facultatem, ducit ad perfectiora, ad credendum, inquam, ipsi esse potestatem peccatorum remittendorum animæque sanandæ.

Vers. 21. — Cogitare, Græcè verbum est quod significat ratiocinari, id est, rationes secum vel cum alio subducere. Unde factum est ut pro cogitare et animo versare accipiatur: nam qui secum aliquid in utramque partem versat, duplicem quodammodò personam sustinet. Eruditio et scientia, nisi modestia temperetur, inflat homines, et invidiâ accendit, præcipuè adversùs eos qui minori labore quàm ipsi, aut minori cum strepitu dicendi, aliquam sapientiæ speciem edunt.

Scribas, γραμματεῖς. Apparet sic dictos à Græcis et Latinis, quòd sicut scribæ publicarum tabularum custodes erant (significat enim præsertim publicum scribam, eum cujus officium est publicas scribere actiones), sic penes istos, tanquàm sequestres, libri legis essent velut depositi, quorum scilicet interpretatio ipsis erat commissa; ideòque Matth. 2, v. 4, adjunxisse *populi,* quod sit, publicos legis interpretes. Possis autem et γραμματεῖς vocatos intelligere, tanquàm litteratos eruditioneque insignes; nomen enim genera-

Vers. 20. — Remittuntur tibi peccata tua, hoc ipso dicto, quo ea remitti pronuntio. Unde Græcus dictum factum indicans legit *remissa sunt tibi peccata tua*, hoc est, causa sublata est, per quam morbus inflictus fuerat. Ex quo satis colligitur paralyticum istum, cùm sanitatem à Christo tanquàm pœnitentiæ publico præcone ambiret, concepisse simul anteactæ vitæ pœnitentiam, sive ei propter fidem offerentium aut propriam data fuerit, sive non.

Vers. 21. — Quidam de scribis, legis et Scripturarum peritiâ sibi placentibus, quæ peccatorum remissionem passim Deo tribuunt, dicentes, in corde scilicet, id est, cogitabant. Blasphemias, nempè in Deum; contumeliosè in Deum loquitur,

liter litteratorem exponas, id est, vel scribam litterarum, vel hominem litteratum. Non itaque hi à scribendo scribæ dicti sunt (quanquàm existiment quidam, non aliis quàm istis licuisse describere sacros libros, ne depravarentur), sed à Scripturis potiùs sacris, quorum erat munus ac professio sacras Litteras et Patrum scripta servare, evolvere, et perscrutari, populo lectitare atque enarrare, et, si quid exoriretur dubii, responsa ex his dare. Vide Matth. 7, v. 29, item 23, v. 2; 1 Corinth. 1, v. 20. Hi Hebraicè etiam et Syriacè scribarum nomine *sopherim* dicuntur à *saphar*, quod inter cætera est, scribere, recensere, narrare, exponere, quòd divinas Scripturas populo prælegerent atque exponerent. *Sapientes sunt*, inquit Elias, *qui et ipsi dicuntur Rabbanim*. Lucas frequenter *legisperitos* vocat, cap. 7, v. 30; item cap. 11, v. 16, et Pharisæum, quem Matthæus capitis 22 v. 35, legisperitum seu legis doctorem dicit, Marcus disertè scribam vocat, cap. 12, v. 28. Hujusmodi scriba fuit Esdras (qui appellatur 1 Esdræ 7, v. 6, 11 et 12, *scriba velox*, quod est promptus, exercitatissimus, *in lege Mosis, scriba eruditus in sermonibus et præceptis Domini et cæremoniis ejus in Israel; scriba legis Dei doctissimus*; de quo illìc legimus 1 Esd. 7, v. 10: *Esdras autem paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, et faceret et doceret in Israel præceptum et judicium*), et post eum alii multi, ut Eleazarus, 2 Mach. 6, v. 18, quorum collegium ad Christum usque duràsse, ex Evangeliis colligimus. Horum, simul et principum sacerdotum, summo pontifice præsidente, erat, difficilia religionis negotia definire, et dubia legis solvere.

Dicentes, in seipsis, Syrus *benaphsehoun*, in animâ suâ; id est, in cordibus suis, quo modo Marcus loquitur: in tantâ enim faventium frequentiâ non audebant palàm obmurmurare.

Loquitur blasphemias, impiè loquitur, contumeliosus est in Deum, sibi vindicans id quod Deo est proprium, peccata remittere. *Ego sum,* ait per Isaiam, cap. 43, v. 25, Deus, *ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me;* adeòque tota Scriptura auctoritatem remittendi peccata Deo ascribit. Blasphemare apud sacros scriptores ferè est impiè loqui, Deo, aut qui Dei sunt loco, propriam auctoritatem et dignitatem, vel debitum honorem detrahere; apud disertiores Græcos idem valet quod calumniari vel maledicere. Christum itaque accusant blasphemiæ et sacrilegii, quia, quod proprium est Dei, sibi usurpet. At cùm ambigua sit locutio, nec aliud protulerit Christus quàm proferat propheta gratiæ Dei testis (neque enim dixit: *Remitto tibi peccata tua*), cur in deterius rapiunt quod æquiùs interpretari licebat? nimirùm malevolentiâ erga Christum et livore priùs infecti.

Vers. 22. — Ut cognovit. Ita erant aliorum cogitationes Christo Domino manifestæ, ac res corporeæ quas corporis cernebat oculis. Ostendit itaque facto ipso, competere sibi id quod Deo est proprium, καρδιογνώστην esse, 1 Reg. 16, v. 7; 2 Paral. 6, v. 30; Psal. 7, v. 10; 1 Cor. 2, v. 10, dùm occultos eorum sensus in medium profert, adque illorum cogitata respondet, ac proinde Deum se esse, nec blasphemare. Cæterùm ita respondet, ut aliâ rursùs eos ratione refellat, atque ejusmodi, ex quâ similiter consequatur, Deum ipsum esse (maluit enim divinitatem suam factis testari, quàm oratione prædicare), undique eos concludens et confundens.

Quid cogitatis, quid versatis animo quod non oporteat; non enim zelo honoris Dei movebantur, sed libidine obtrectandi Christo. Si quo dubio tenebantur, cur non explicabant et inquirebant, cùm tot suppeterent argumenta sentiendi de Christo ut honoris Dei studioso.

In medium, conventûs.

Vers. 23. — Quid est, quid enim est; hoc est, utrùm enim est.

Dicere, scilicet paralytico huic (quod Marcus exprimit), ita videlicet ut mendacii, temeritatis, seu præsumptionis, ex re ipsâ argui non possis. Videntur apud se scribæ cogitâsse, blasphemiam locutum Salvatorem, nec reprehendi posse in tantâ fautorum turbâ, quod res sit invisibilis, quæ, etiam tum cùm verè est, oculis corporeis non cernatur, q. d.: Blasphemat, facilè atque impunè, tanto tutus imperiti vulgi favore, quia res est veritatis obscuræ, quæ credi debeat, ut videri non possit. Interrogat itaque Salvator, utrùm *facilius* sit *dicere* paralytico, ita nimirùm ut revinci nequeas ex re ipsâ.

Surge et ambula. Et non est utique, nam hujus veritas mox oportet ut oculis pateat: hoc indiget manifesto spectaculo et exemplo; illud refertur ad fidem: non enim exigetur visibilis remissio peccatorum, ut manifesta sanatio visibilisque liberatio. Ad confirmationem igitur invisibilis remissionis peccatorum, quam quivis facilè jactare possit se dare, nec ex re ipsâ mendacii convinci, citat rem visibilem atque manifestam, quam qui promittat, mox arguatur mendacii, nisi ob oculos eam exhibeat; ejusmodi autem, quæ humanarum virium facultatem superet, nec nisi Deo operante edi queat; ac proinde (tametsi per se ipsam minùs difficilem eâ ad cujus editur probationem) ad mendacicii probationem edi nequeat, non magis quàm possit Deus esse testis mendacii.

sibi arrogando quod Deo proprium est, et ideò ejus majestati derogando. Livor et malevolentia in deteriorem partem verba Christi rapiebant. Non enim dixerat, *remitto*, sed *remittuntur*, quod intelligi poterat, à Deo, ut esset non efficientis, sed afferentis.

Vers. 22. — Ut cognovit, non conjecturis, sed quasi oculis perspexisset, cogitationes eorum; ita facto ipso suam divinitatem et se non blasphemare probans.

Vers. 23. — Quid est facilius dicere, etc. Si nuda verba species, æquè facilè est utrumvis dicere; sin rem, longè difficilius est dimittere peccata, quàm corpori etiam propriâ auctoritate sanitatem dare, juxta illud August., Tract. 72 in Joan.: Justificatio

Vers. 24. — Quia, quòd.

Filius hominis, ipse hominibus utilissimus. Familiare est Christo Domino ita de se loqui in tertiâ personâ. Porrò *Filius hominis*, Hebraico loquendi more, idem est quod *homo,* id quod manifestum fit Job 25, v. 6, Ps. 8, v. 5, et aliis locis, sed vilitatem quamdam adjunctam habet pulchrè exprimens miseriam humanæ naturæ; nam quemadmodùm efficacius quiddam dicit qui pro homine mortalem dicit, ita longè vividius est si voces hominem filium Adæ, sive hominis, quàm si hominem simpliciter, quemadmodùm ampliùs quiddam sonat filius ancillæ, quàm servus; quo modo non semel legis : *Ego servus tuus* et filius ancillæ tuæ, psalmo 115, v. 7, Sap. 9, v. 5. Ut enim servituti addictior est, qui ex servâ servus natus est quàm qui fortunâ servus factus est : ita miseriæ magis obnoxius est, qui ex misero homine miser homo natus est. Nam quasi miseria duplex est, altissimè actis radicibus, miseria naturalis, hoc est, à parentibus in filios cum naturâ transfusa, et maximè, longâ jam et perpetuâ serie. Hinc solent Hebræi vulgi hominem hoc modo vocare, *ben Adam,* filium Adæ sive hominis; clarum autem aut spectatum virum *ben is,* filium viri : id quod perspicuum est versu 3 psalmi 38, ubi habet ad verbum ex Hebræo : *Etiam filii hominis, etiam filii viri;* sequiturque explicatio*: Simul dives et pauper.* Hâc itaque locutione, humanæ naturæ miseriæque nostræ pro nobis susceptionem, et humilitatem suam, quâ se ad infimam etiam hominum sortem abjecit, ipse Dei Filius propriè dicendus et ab omnibus agnoscendus cùm sit, Salvator nobis commendat, de quo Apostolus loquens : *Exinanivit*, inquit, *semetipsum formam servi accipiens,* Philip. 2, v. 7. Fortassis etiam eâ ratione se filium hominis vocat, quòd homini, id est, humano generi, datus sit, quemadmodùm Isaias canebat, cap. 9, v. 6 : *Et filius datus est nobis.* Datus est autem humano generi à Deo, redemptio, propitiatio, salus, et cætera quæ omnis Scriptura loquitur. Ac facilè potuit Salvator ad plura simul respexisse.

Potestatem, auctoritatem et jus; Syrus, *soultono*, dominium; nec usurpet proinde, aut sibi vindicet alienum, si peccata remittat, ut diximus supra.

In terra; sive ad, *habet potestatem*, sive ad, *dimittere peccata*, id referas, eòdem redit res. Cæterùm, Marcus, Græcè, eo loco collocat, quo ad *dimittendi peccata*, referri debeat. Significat Salvator, ne procul quærenda sit remissio peccatorum, in suâ personâ quasi ad manus eam esse hominibus exhibitam, quæ priùs secundùm carnis sensum longè posita erat, in cœlo quærenda.

Ait paralytico. Isthæc interjecit verba evangelista, quò significaret, Salvatorem, ubi superiora verba ad scribas dixisset, convertisse se ad paralyticum, et dixisse ad eum proximè sequentia. Insigni porrò cum expressione vehementioris affectûs, subitò transtulit Salvator sermonem ad aliam personam, relictâ superiori sermonis parte imperfectâ, cui subaudiendum est : Audite dicentem, *Surge et ambula*, ita ut calumniis vestris non sit locus, re verbum evidenter consequente.

Tolle lectum, ut, qui infirmitatis testis fuerat lectus, jam fiat restitutæ sanitatis. Imperio et jussu sanat Salvator, ut suam omni ex parte declaret divinam virtutem, cui omnia cogantur obedire.

Vade, abi. A cenodoxiâ se alienum ostendit, dum à se ablegat domum eum quem sanaverat. Ita autem et miraculum, tum comprobandum erat, tum divulgandum.

Vers. 25. — Et, id est, *tunc.*

Consurgens. Vocem res illicò consecuta est. Non enim paulatim paralyticus ac tandem ægrèque cœpit sese movere : sed mox ad Jesu vocem alacer ita se erexit, quasi nunquàm ullam sensisset paralysin.

Coram illis dantibus exeunti locum, quem negaverant advenienti. Sic enim expediebat utrumque, ut venienti obsistens turba, fidei magnitudinem omnibus faceret manifestam; et datus per mediam multitudinem exeunti locus, miraculi spectaculum omnium oculis subjiceret.

Tulit lectum. Non legitur Græcè vox *lectum*, ut nec in multis bonis Latinis libris. Periphrasis est lecti, *in quo jacebat;* quâ videtur innui viliorem fuisse lectum, vix dignum lecti nomine : quam ob causam à Marco *grabatus* vocatur.

Et abiit sublato in humeros lecto; quod signum fuit perfectissimè recuperatæ sanitatis. En igitur Jesu litteras testimoniales, quibus probata fuit et quasi sancita atque obsignata, potestas auctoritasque ipsius ad remittendum peccata; quam an haberet nostra inprimis intererat scire. Quid ad ista scribæ? obmutuerunt invidi et cæci; nam nisi eos invidia excæ-

impii majus est opus, quàm cœlum et terra. Itaque *quid facilius est dicere,* ita scilicet, ut dicentis auctoritas non periclitetur, neque mendacii argui possit. Nam dicere, Dimittuntur tibi peccata, obscuræ veritatis est, quæ credi debeat, ut videri non possit, etiam tum quando verè dimittuntur. Dicere verò, surge et ambula, mox palpabilem requirit probationem sanitatis consequentis; alioquin temeritatis ac mendacii confestim ex re ipsâ arguetur. Non ergo Christus hìc asserit aut probat sanationem corporalem esse difficiliorem remissione peccatorum; sed ex veritatis assertione de re visibili, ubi effectus mox adesse debet, probat sibi etiam esse credendum, asserenti invisibilem remissionem, quam quivis facilè jactare posset sine periculo convincendæ falsitatis. Nam, ut Chrysost., hom. 30, alterum horum latet, alterum patet. Quod quamvis minus sit in se, est tamen manifestius, ut illud majus ac invisibile reddatur certius et confirmatius. Hunc sensum postulat id quod sequitur.

Vers. 24. — Ut autem sciatis, etc., id est, ut id quod latet, ac temerè dictum à me arbitramini, ex eo quod oculis patet etiam verum esse intelligatis. Ait paralytico. Verba sunt non Christi, sed evangelistæ, quibus significat Christum subitò, relictis quasi scribis, ad paralyticum se convertisse. Unde quamvis deessent, sensus perfectè constaret. Surge, tolle lectum tuum, ut quod erat testimonium infirmitatis,

câsset, suscepissent utique in oculos incurrens lumen, credidissentque non tantùm auctoritatem Christi ad condonanda peccata, verùm etiam divinitatem, ex illo suo, quod apud posteriores evangelistas exprimunt, principio, neminem peccata remittere posse nisi solum Deum; id quod verè ita se habet; non semel enim, tum nunc, tum aliàs, Deo propriis operibus, dederat divinitatem suam Salvator intelligendam. Sed quid ad ista reliqui adstantes? subjungit.

Magnificans, glorificans Deum et prædicans peccata sibi esse dimissa, per Filium hominis virtute divinâ omninò præditum; atque in hujus rei testimonium sanitatem sibi restitutam referens.

Vers. 26.— Stupor, exstasis, admiratio summa.

Apprehendit, cepit.

Magnificabant, glorificabant Deum quòd se propitium adeò ostenderet hominibus ut et daret Filio hominis potestatem remittendi peccata, et datam certissimo signo suâ auctoritate confirmaret.

Timore. Ubi se exerit divina virtus, timorem parit admiratio, timente sibi fragilitate humanâ à præsenti majestatis Dei potentiâ

Mirabilia, inopinata.

Vers. 27. — Exiit domo illâ ad mare civitati proximum, et eo in itinere,

Vidit, ad verbum, *spectavit;* plus est quàm *vidit*, quo non malè intelligatur efficacitas videntis et miserentis Christi; nec vidisse obiter, quem ad rem tantam vocârit.

Vidit in itinere. Non enim per diuturnum rerum usum, ut cæteri mortalium solent, discipulorum animos explorat; verùm ut is qui omnium hominum conscientias intimè compertas habet, mox quos idoneos esse posse judicat, seligit; quanquàm ab æterno elegerat, quem suo vocavit et donis gratiæ suæ idoneum reddidit tempore.

Sedentem, atque occupatum pecuniariis officii sui negotiis.

Telonium ejus civitatis, Capharnai. In Matthæo vertitur, *in telonio* (nam utrovis modo vertas licèt); significat enim telonium, à τελώνης publicanus dictum, et locum in quo sedentibus publicanis tributa afferebantur, et mensam publicanorum ad quam tributa numerabantur: illa significatio versioni in Matthæo, hæc versioni in Marco et Lucâ congruit. Illam Syrus ubique secutus, vertit *beth mocse, domum publicanorum.* Solent telonia mari esse vicina, quò illic vigilent telonæ, ne quis appellat, solvat, aut præternaviget, qui portorium non pendat.

Levi. *Levin* est Græcè, à nominativo *Levis*, quo mox utitur evangelista v. 29. Existimârim ita flexum esse nomen ab evangelistâ ad formam Græcam; cæteroqui vulgare illud esse quo unus ex duodecim Israelitarum patriarchis vocatus fuit, *Levi,* quo modo semper scribit Syrus. Alterum Matthæi apostoli nomen, gentile, quod apparet: nam quia publicanus erat, hæc ei fuisse causa videtur, ut nomen peregrinum sibi accerseret, *Matthæi:* quo quia notior erat, idcircò Marcus et Lucas alterum expressère, ut ejus honori consulerent, nomen vulgare primævâ appellatione obnubentes.

In Evangelio suo Matthæus de se loquitur evangelistâ in tertiâ personâ, quod quò faciliùs intelligatur, nomen suum exprimit magis celebre, in eo gratitudinem demonstrans suam, quòd perpetuæ eum memoriæ mandare non pudeat, qualis fuerit, et unde assumptus, quo magis in suâ personâ illustret gratiam Christi. *Quo enim,* inquit ille, *medici artem impensiùs admireris, suum ipse et nomen et vulnus aperit.* Ita et Paulus de se 1 Timoth. 1, v. 13, 14, 15, 16.

Sequère me, adhæreto mihi relictis omnibus; relictis omnibus te mihi da, ut mihi inviduus adhæreas et pareas in omnibus. Non vocat cui erat ignotus, sed, quod Chrysostomus ait, *miraculorum jam fama perdomitum.* Observa autem Salvatoris bonitatem, nec infamem adeò peccatorem rejicientis.

Vers. 28. — Relictis omnibus, pecuniariis rationibus ac negotiis in quibus totus erat, nec pecuniis nec aliquâ sibi reservatâ re.

Secutus est eum. Duo hìc notanda sunt, quæ et B. Chrysostomus notat. Unum est, quanta sit divinæ vocationis virtus, alterum, exemplum rectæ promptæque obedientiæ: vide supra. Usque adeò nullum est actionis, negotii, aut vitæ genus, quamvis intricatum et ab evangelicâ simplicitate alienum, à quo non se

fiat probatio sanitatis; et vade in domum tuam, ne phantasticum putetur id quod factum est. Unde ad faciendam testatissimam fidem, *consurgens abiit in domum suam.*

Vers. 26. — Stupor apprehendit omnes, et repleti sunt timore, quod fieri solet, quando subitò maxima opinio et reverentia de aliquo concipitur, sicut simili de causâ, 3 Reg. 3, v. 28, dicuntur timuisse Salomonem. Magnificabant Deum, ejus benignitatem laudibus celebrando.

Vers. 27. — Exiit, versùs mare scilicet, ut indicat Marcus, 2, v. 54. Sedentem ad telonium, id est, in domo, quò afferuntur vectigalia, occupatum scilicet negotiis officii publicanorum. Nam τελώνης, ad verbum significat emptorem seu redemptorem publicorum vectigalium, et τελώνιον locum, vel etiam mensam, ubi colliguntur. Nomine Levi, Marcus et Lucas Matthæum vocant *Levi,* binominis enim fuit, sic tamen, ut post Christi discipulatum usitatiùs fuisse videatur *Matthæus,* antè *Levi* illud fortassè à Christo impositum, hoc à parentibus. Unde Hieron. notat cæteros evangelistas, propter verecundiam et honorem Matthæi, noluisse eum nomine appellare vulgato; quod Matthæus ipse ex humilitate fecit, sicut cap. 10, se publicanum vocat, ut nomen suum et infame officium indicando, perpetuum relinqueret suæ gratitudinis, divinæque benignitatis et gratiæ, ad posteritatem monumentum. Et ait illi, cui jam tot miraculis innotuerat: Sequere me, meo discipulatui indivulsè inhærendo; qui, ut Chrysost., miraculorum jam famâ perdomitus, et ut Hieron., majestate divinitatis occultè in humanâ facie relucente tractus, potenti denique gratiâ persuasus erat, et proinde non irrationabiliter, sicut Julianus Augustus et Porphyrius calumniabantur.

possint expedire homines, modò vocanti Deo parere velint.

Vers. 29. — Et fecit ei. Fecit autem ei. Rogaverat Christum ut conviva ipsi esse dignaretur, valedicturo, quò eum sequeretur, amicis, negotiis et rebus suis omnibus. Ita valedicebat suis convivio uno, et Eliseus ab Eliâ vocatus, 3 Reg. 19, v. 20, et 21.

Convivium, ad verbum, *acceptionem*, sive quòd passim omnes in eo accipiantur, sive quòd splendidè accipiantur invitati; nam splendidum epulum δοχὴν Græci vocant.

Magnum, tum quia copiosum, ita ut multis sufficeret conviviis, tum quia magnificum et opiparum. Voluit splendido convivio Dominum excipere quò eum honoraret, à quo quòd vocatus esset se censebat honoratum et magno affectum beneficio; quo etiam testatum faceret, quàm non tristi, sed libenti animo, ac cum gaudio, se addiceret Christi sequelæ; est enim convivium, gaudii signum ac symbolum; Isa. 65, v. 13; Luc. 22, v. 30. Quia ergo cupidissimè vocationem hanc amplexabatur, gaudium cordis sui isto modo testari volebat, quòd epulum Christo parabat, idque magnum.

Levi. Vide supra, v. 27.

In domo sua. Significatur Levi, alibi domum, alibi telonium habuisse; telonium ad littus maris, domum in civitate: postquàm enim docuerat ad mare Jesus, duxit eum Levi domum suam, et instructo convivio simul et valedixit amicis et Jesu se addixit.

Et aliorum. Peccatorum maximè. Hæc duo sæpè conjunguntur, publicani et peccatores, unde apparet eos diverso fuisse vitæ instituto. Quidam existimant, peccatores fuisse eos qui à Judæis extra synagogam ejecti erant, Joan. 9, v. 22, 34; habebanturque proinde excommunicati et infames. Fieri possit fuisse legis desertores, homines dissolutiori vitâ præditos, qui cum quibusvis promiscuè commercium haberent, gentilibus, publicanis, Judæis. Credibile namque est, regnantibus inter Judæos gentilibus, quosdam Judæorum gentilibus sponsè associatos, ritus legis ac paternarum traditionum parùm curâsse; ideòque à reliquis peccatores communi et publico probro appellatos fuisse. Israelitis enim jam accepturis legem, gentis sanctæ nomen à Deo promissum erat, Exodi 19, v. 6. Porrò quia publicanis erat cum his publica infamia communis, ut et ipsi vulgò exosi et probrosi essent, plerùmque etiam accedente neglectu religionis, idcircò non abhorrebant illi ab horum consuetudine.

Venerant forsitan à Matthæo invitati, cæterùm ultrò potiùs allecti (erant enim multi), cùm exemplo Matthæi, tum maximè humanitate Jesu, sancti adeò et miraculis virtutibusque celebris prophetæ, qui non aspernaretur ipsos, Pharisæorum in morem. Multi secuti sunt Jesum, euntem domum Levis, tanquàm discipuli magistrum. En fructum prædicationis Jesu, non solùm in Matthæo, verùm et in aliis publicanis ac peccatoribus, quorum quosdam, verisimile est, etiam Jesu adhæsisse, quamvis non electos apostolos.

Vers. 30. — Et, itaque, murmurabant, secretò maledicebant Pharisæi et scribæ eorum. *Eorum*, id est, populi, cujus pars convivæ isti erant, uti Matth. 7, v. 29, et 2, v. 4. Quidam interpretantur: *Qui ex eis erant scribæ et Pharisæi;* volunt enim pronomen *eorum* connectendum cum οἱ, non cum Γραμματεῖς. Atqui, hâc in historiâ, nullorum fit mentio, ex quorum scribæ ac Pharisæi numero fuerint: non enim fuerunt illi ex numero convivarum, nisi fortè respiceret evangelista ad turbam hominum, cujus meminit in proximè præcedenti historiâ, versu 26 capitis hujus: istud enim accidisse videtur eâdem in civitate Capharnaum, ubi verisimile est Matthæi domum fuisse. Quidam Græci libri cum Syricis non legunt αὐτῶν, *eorum*.

Dicentes, non in convivio ipso, cui non intererant, sed ubi postea commodo aliquo eos loco repererant. Ad discipulos ejus. Quidam vertunt, *adversùs discipulos ejus*, conjunguntque cùm *murmurabant;* atqui rectiùs ad *dicentes* refertur, uti Syrus etiam facit, non enim tam adversùs discipulos, quàm adversùs præceptorem murmurabant illi: quocirca etiam de se respondet: *Non veni*, etc. Aug., lib. 2 de Consens. Evang., cap. 27. Sed rudes discipulos petunt, quos sciunt non satis ad respondendum armatos, notantes in magistro id quod primâ specie turpe ac pudendum erat, quò ad defectionem eos sollicitent; sed rectè illi, cùm non satis essent muniti adversùs calumniam quòd querimoniam suam ad magistrum deferunt.

Quare, quo modo audetis contra legem Dei et Patrum traditiones? non enim quærentium, sed redarguentium est. Manducatis, vos cum præceptore hoc vestro; vel, docente et ducente vos hoc præceptore vestro. Matthæus enim et Marcus habent *manducat;* volunt dicere, non esse præceptorem bonum, qui id et faciat ipse et discipulos doceat; non esse docto-

Vers. 28. — Surgens, secutus est eum, spretis et lucris et periculis, quæ ipsi, totique familiæ imminebant, quò rationes vectigalium non confectas relinqueret, inquit Basil. in Regulis fusiùs disputatis, respons. 8. Unde promptissimæ obedientiæ exemplum extollit Chrysost. Et hæc quantùm ad animum. Antequàm tamen omnibus reipsà se abdicaret, Christum domo et splendidis epulis excepit, quasi sic suis valediceret.

Vers. 29. — Convivium. Matthæus fecit ei convivium magnum, quod modestiæ causâ Matthæus ipse tacet. Hoc autem sicuti de bonis suis fecit, ita et potuit rationes administrationis suæ Domino permittente reddere. Discumbentes, sive invitati à Matthæo, sive ultrò exemplo sequentis Matthæi et Christi humanitate tracti, quia Marcus ait: *Erant enim multi, qui sequebantur*. Peccatores autem, quia distinguuntur à publicanis, videntur homines fuisse vitæ apertè improbæ et infamis.

Vers. 30. — Murmurabant Pharisæi, post convivium (patet enim Pharisæos non interfuisse), dicentes ad discipulos ejus, tanquàm minùs instructos ad subornandam accusationis malitiam, reddendamque sui facti et magistri rationem. Accusandi enim non admonendi causâ ista dicebant, non ad instruendos, sed alienandos à magistro discipulos. Quare cum Publicanis et

rem justitiæ, qui cum injustis versetur et versari jubeat. Pessimè et facit ipse et vos instruit.

Cum publicanis et peccatoribus. Scribæ et Pharisæi, sanctitatis opinione tumentes, aversabantur peccatores, abstinebantque consuetudine eorum, ac potissimùm communi mensâ cum eis, quòd existimarent, eâ re inquinari, pollui, et immundum reddi hominem justum, multò magis quàm ex contactu rei ex legis præscripto immundæ, quòd peccato nulla sit major immunditie; non intelligentes, non corporum, sed animorum contractum sive consensum esse, qui inquinet; neque prohiberi quemquam ad peccatores accedere ut medicum, modò curare sciat et velit, sed vetari communicationem in operibus mortuis. Est convictus ad consuetudinem vitæ et morum, et est convictus ad conciliationem. Prioris generis convictus cum improbis et peccatoribus, vetitus est in lege; posterioris non est vetitus, sed laudatus; ut pius vir aliquando conciliandi animi causâ cum peccatore comedat, quem corrigere atque ad bonam frugem revocare curat.

Vers. 31. — Respondens, cùm hoc audisset ex relatu discipulorum, verisimile est, quanquàm suâ id etiam virtute absens cognoverat.

Valentibus, οἱ ἰσχύοντες qui valent, qui integris sunt viribus.

Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Generali hâc proverbialique sententiâ, factum suum tuetur Christus, quòd ad peccatores divertit, etiam laude id dignum ostendens. Comparat se medico, peccatores ægris, justos sanis : itàque pro officio ostendit se versari cum peccatoribus, quemadmodùm versatur medicus cum ægris, venerat enim ut sanaret à peccatis, morbis animi atrocissimis. Gerebat ergo se medicum peccatorum, non socium : namque ut ad pœnitentiam eos adduceret cum illis agebat. Pharisæi contra, peccatorum socii erant, medici esse aversabantur. Porrò, non significat se justis haud esse necessarium; sed concessio est, ex eo quòd ipsi sibi justitiam sanitatemque arrogarent. Alioqui, nullus hìc justus est, qui opus non habeat Christi medici operâ, tum ut à quotidianis languoribus, à quotidianis peccatis sanetur, tum ut servetur ipsi, ea quam habet Christi operâ, qualis qualis sanitas. Cæterùm, non tantùm est medico negotii cum valetudinario, quantùm cum eo qui afficitur morbo gravi.

Veni in mundum, à Patre missus.

Vocare, ut vocem, sic enim explicanda est Græca phrasis. *Vocare* hìc est ad Deum invitare, ad fidem et pœnitentiam, sive conversionem ad Deum, hortari, aut potiùs cùm effectu adducere : sic enim frequenter Apostolus eâ voce utitur, ut significet id quod primùm operatur gratia Dei in homine à Deo alieno, quò ad salutem adducatur. Quâ voce intelligendum datur, omnes nos, erraticarum ovium instar, aberrare à Deo et salutis viâ, nec redire eò nisi, Deo miserente, vocatos atque adductos; non tamen absque nostrâ voluntate adduci, cùm non cogamur, sed vocemur.

Justos. Jam enim vocati sunt, qui justi sunt, jam ad Deum conversi et adducti sunt : vocationem enim sequitur justificatio, id quod perspicuum est ex Apostolo, Rom. 8, v. 30. Porrò, ab ipso mundi initio, justi omnes Christi merito vocati fuêre : sed exteriori Christi ministerio, ii soli quos reperit in carne conversans. Loquitur autem hìc de ministerio suo exteriori, non tamen ut sejuncto ab operatione interiori.

Sed peccatores. Illi enim ad Deum vocandi sunt, quia à Deo alieni. Observa autem quod non dicat, quosdam aut mediocres peccatores, sed in genere peccatores, neminem excludens.

Ad pœnitentiam. Hoc addit Lucas, quo ex adjuncto explicatur quid sit, id quod alii evangelistæ solùm dixerunt, *vocare*, sive τὸ *ad pœnitentiam* ad *vocare* referas : Non veni vocare ad pœnitentiam justos, sed peccatores; sive construas : Non veni vocare justos, sed peccatores, et id ad pœnitentiam. Continet autem pœnitentia, Syriacè *teiobouthо*, conversio, præteritæ malæ consuetudinis agnitionem, confessionem ac detestationem, et vitæ morumque correctionem, secundùm præcepta atque instituta Deo probata : quâ de re latiùs supra. Significatur itaque non versari cum peccatoribus Salvator, quò peccata eorum foveat, sed quò id apud eos agat, ut peccata sua detestati emendent, commutatique meliora eligant.

Vers. 33. — At illi, illi autem, scilicet, Pharisæi et scribæ, quorum mentio proximè antecessit.

Dixerunt, brevi quodam tempore post. Etsi non

---

peccatoribus manducatis. Magistrum præcipuè impetebant, tanquàm qui perperàm suos verbis et factis instrueret, nec habendum esse virum sanctum, qui peccatorum consortio gauderet. Quos ipsi Pharisæi videntur vitâsse, non eo animo, quo vitari debent, nimirùm ne communicans superbo induat superbiam, et tangens picem inquinetur ab eâ, hoc est, ne mores eorum familiaritate addiscantur; vel etiam ne ipsi peccatores in improbitate roborentur; sed ex fastu et errore, ne sicuti juxta legem contactu rei immundæ, ita etiam peccatis inquinarentur. Unde Dominus veram conversationis suæ cum illis causam aperiens,

Vers. 31. — Non egent qui sani sunt medico, quatenùs scilicet rectè valent; et ideò vos, tanquàm qui sanos vos esse creditis, non frequento : q. d. : Medicus sum peccatorum, non socius, non ut foveam peccata, sed sanem; atque ita laude, non reprehensione dignus. Nisi fortè quis eo nomine medicum accuset, inquit Nazianz., Orat. 36, quòd morbo se inclinet, fœtoremque sustineat, ut ægrotis sanitatem donet.

Vers. 32. — Non veni, q. d. : Proprium officium meum est, esse medicum; non ergo miremini, si cum ægrotis verser. Non enim in mundum missus sum, ac veni vocare justos, sed peccatores, ubi exponit ut antè justos, utique sanos, peccatores autem appellavit ægrotos, inquit August. de Naturâ et gratiâ, c. 19. Græcus hìc atque etiam Latinus addit, ad pœnitentiam; quod tamen satis indicatur per verbum, *vocare*, si propriè sumatur. Vocatio enim juxta Apost. ad Rom. 8, v. 30, præcedit ad justificationem. Est-

mox istud superioribus subjecerint, ad refellendum tamen id quod in superioribus Dominus dixerat, se cum peccatoribus manducare, bibere, versari, ut medicum, attulerunt. Dixerunt autem per Joannis discipulos, quibus suggessisse videntur, istud ut Christo objicerent; videntur autem, ex evangelistarum collatione. Cum Pharisæis Marcus eos venisse dicit, conantibus causam Christi Joannis auctoritate gravare. Porrò, et discipulos Joannis zelo quodam pro magistro suo ductos fuisse in invidiam Christi, liquet ex Evangelio Joannis, c. 3, v. 26.

JEJUNANT. Non est quæstio de jejunio in antiquâ lege decreto, Levit. 23, v. 29 (id enim non minori diligentiâ Christi quàm Joannis et Pharisæorum discipuli colebant), sed de illis quæ vel ex magistrorum jussu, vel ex proprio cujusque consilio, magistrorum doctrinæ consentaneo, à Joannis et Pharisæorum discipulis, statis diebus suscipiebantur. In his autem gloriabantur illi sibique placebant, ut in præcipuis operibus; quemadmodùm Pharisæus ille inter orandum Luc. 18, v. 12 : *Jejuno bis in sabbato*, quod est, bis unaquâque hebdomadâ.

OBSECRATIONES FACIUNT. Deo orando vacant. Videntur Joannes et Pharisæi exercuisse discipulos suos prolixis et afflictivis precibus. Luc. 20, v. 47, habes de Pharisæis : *Devorant domos viduarum, simulantes longam orationem.* Porrò, vox quæ hoc loco est, propriè designat supplicationes oblatas ut ab iis liberemur quæ nobis adversa aut molesta sunt, quomodò definit Œcumenius in 1 Tim. 2, v. 1; namque à timore oriri videtur. Timore autem suos Moses regebat; Christus suos amore.

TUI AUTEM, qui vivunt ex præscripto tuo, qui singularem præ te fers sanctimoniam, et doctrinam etiam perfectiorem quàm Joannis et Pharisæorum videris afferre velle. Christum ipsum potiùs quàm discipulos notare volunt, idque intemperantiæ, et quòd cum peccatoribus versetur, non ut illos ad meliora adducat, sed ut suæ satisfaciat gulæ. *Ecce homo devorator,* dicebant, *et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum,* Luc. 7, v. 34.

EDUNT ET BIBUNT, comessantur; notant eos intemperantiæ.

VERS. 34. — NUMQUID POTESTIS; urbano admodùm et suavi responso arrogantem calumniam refutat.

FILIOS SPONSI. Filios sponsi, vel, quod quidam malunt, filios thalami nuptialis, ut secundùm Marcum interpres reddit *filii nuptiarum :* significat enim νυμφῶν, Suidâ interprete, cubiculum nuptiale. Syrus reddit *genouno,* quod et ipsum est thalamus sive cubiculum aut tabernaculum, à *genan* verbo, quod frequenter pro habitare accipitur, Joannis 1, v. 14, Act. 2, v. 26, etc. Sponsus ipse mox vocatur νυμφίος. Intelligunt autem quidam per filios sponsi, thalami, seu nuptiarum, eos omnes qui invitati sunt ad nuptias, quicumque tandem illi sint, sicut dicunt Hebræi filios plagarum, et alia id genus quæ passim occurrunt. Ego existimârim hìc signanter familiares et contubernales sponsi significari, qui sponso dati, aut à sponso electi sunt, comites et socii, ut sponsum foràs prodeuntem, sive ut invisat sponsam, sive ut paret ea quæ ad nuptias pertinent, et ad nuptias amicos invitet, comitentur, atque in ejus ubique sint obsequiis, *pronubi* dicti, Jud. 14, v. 20, ut quæ in obsequiis sponsæ sunt, pronubæ. Tenet enim hic apud quosdam mos, ut honoris gratiâ sponsis dentur aliquot hujusmodi comites sive socii, æquales eorum, quemadmodùm et Samsoni dati sunt, Judicum 14, v. 11. Hi autem, quia proximi sponso adhærent nuptiarum auctori, cumque eo in thalamo sive conclavi nuptiali familiarissimè versantur, et primi ad nuptias pertinent, primisque nuptialia gaudia debentur, peculiariter filii sponsi, sive thalami et nuptiarum, vocantur. Hujusmodi porrò erant apostoli, individui comites Christi sponsi, adornantis nuptias cum eâ quam colligebat Ecclesiâ.

CUM ILLIS EST SPONSUS, quamdiù versantur cum sponso; q. d. : præter rationem illud sit : nuptialia enim tempora lætitiæ plena sunt, singularis lætitiæ sunt tempora. Non igitur eis congruit luctuosum jejunium. Ostendit itaque indulgentiam quâ in suos utitur præsenti tempori debitam esse. Symbolicè autem indicat, se, salutis et lætitiæ publicæ, non solùm nuntium, sed et auctorem ipsum esse : vocatque se sponsum, alludens ad id quod Joannes aliàs discipulis his suis similiter invidentibus gloriæ Christi, de ipso dixerat, *ipsum sponsum esse et sponsam habere, se sponsi amicum,* Joan. 3, v. 29. Sponsus enim erat Ecclesiæ, quam propediem suâ morte redemptam sempiterno sibi matrimonio copulaturus erat. Moses et Joannes non erant sponsi, sed sponsi servi, aut, quod summum, amici, Hebr. 3, v. 5; Joan. 3, v. 29;

que illud primum beneficium, quo homo invitatur à tenebris ad lucem, à peccatis ad Deum, id est, ab ægritudine ad sanitatem, propter quod Christus in mundum venit, aliàs non venturus, et quo jam justi non indigent.

JEJUNANT FREQUENTER, jejuniis non ipsius legis, quæ ab omnibus observabantur, sed specialibus, magistrorum jussu vel instituto susceptis. Unde Pharisæus ille : *Jejuno bis in sabbato,* id est, quâcumque hebdomadâ. TUI EDUNT, ET BIBUNT, id est, indulgent genio, cum publicanis et peccatoribus manducando. Nam hâc de causâ vocatus fuit ipse Christus *homo vorax, et potator vini,* Matth. 11, v. 19. Itaque sensus calumniæ est : Convivia tua cum peccatoribus excusas, prætextu misericordiæ; cur saltem discipulos tuos non doces perfectionem, quam nos profitemur? Sperabant enim Pharisæi sic fore, ut vel disciplinam Joannis omnibus probatam damnare cogeretur, vel suam, quibus urbanissimè respondet.

VERS. 34. — SPONSUS. Sponsum se opportunè vocat, quia sic ab eorum magistro vocatus fuerat, Joan. 3, v. 29. Filii autem sponsi, Græcè, *filii thalami nuptialis,* dicuntur phrasi Hebraicâ (sicut *filii lucis, tenebrarum, regni,* etc.) qui ad thalamum nuptialem pertinent, id est, qui sponso velut comites honoris gratiâ dati familiarissimè adhærent; cujusmodi triginta dati fuerunt Samsoni, Judic. 14, et vocantur *amici,* ac *pronubi,* v. ult. Hi ergo non possunt *lugere et jejunare,* id est, indecens est, ut in sordibus ac luctu, seu in actionibus tristitiæ versentur,

ille gravi suos onerans lege, hic tristem et austeram agens vitam : horum itaque discipulis ab ipso mox principio congruebat luctus, congruebant jejunia.

Vers. 35. — Cum ablatus fuerit, cùm carnalis sponsi præsentia ipsis subducta fuerit, per mortem et assumptionem in cœlos.

Jejunabunt, lugebunt; operibus virtutum luctuosis operam dabunt. Alludit ad veterem morem lugendi mortuos adhibito jejunio. Id strenuè apostolos præstitisse, tum Acta Apostolorum, tum Epistolæ eorum loquuntur.

Vers. 36. — Similitudinem, parabolam, comparationem; id enim significat vox *parabola* propriè, dicta à παραβάλλω, comparo; quâ sententiam confirmaret, duobus adhuc similibus docens indulgentiam quâ in suos uteretur non esse negligentiæ, sed artificii, quòd nondùm oneribus illiusmodi pares essent.

Nemo, q. d., insipienter ille faceret.

Quia, superest Latinè.

Commissuram a novo vestimento, commissuram novi vestimenti, pannum novum ex novâ veste resectum. Syrus : *Nemo abscindit frustum è vestimento novo, et mittit*, etc.

Novum vestimentum rumpit. Findit, lacerat vestem novam ut veterem sarciat. Alii evangelistæ, ut non proposuerunt commissuram ex vestimento novo acceptam, sed in genere commissuram panni, ita non expresserunt incommodum istud, lacerari, violari, vestem novam.

Et veteri vestimento non convenit, non consonat, non consentit; commissura a novo vestimento sumpta, id quod ex novo scilicet vestimento acceptum fuerat. Hujusmodi enim commissura, nova cùm sit, valida est et fortis; illud, cùm sit tritum, debile atque infirmum; quare fit ut hæc illud mox iterùm laceret, et deformiùs ac reparatu difficiliùs laceret quàm fuerit priùs; quod enim adhibitum fuerat ad scissuram resarciendam, hoc eam lacerat magis, et ipsum quoque perit, duplici damno. Ita, vult dicere, nec ego prudenter facerem, si discipulis meis, imperfectis adhuc, debilibus, et parùm robustis ac firmis, nova, robusta ac gravia imponerem, rigidæ disciplinæ, jejuniorum, extraordinariarum precum, ac similium onera. Periculum enim foret, ne, et doctrina, frustra non capacibus proposita, infructuosa periret, et tyrones oneribus aut gravati aut territi, sive quia impares viribus, sive quia delicati nondùm assueverint, desciscerent ab instituto vivendi evangelico, quod me auctore cœperunt sequi. Comparat enim Salvator discipulos suos vestibus longo usu detritis, non quia ipsi longo usu attriti forent, qui novitii tyrones erant, sed quia debiles erant minùsque robusti et assuefacti ad graviora virtutum exercitia; quamobrem significat se illis indulgere, quòd non expediat eos ultra infirmitatis ipsorum captum urgere. Joannes, cùm adhuc regnaret spiritus servitutis in timore, minis et terroribus ad vitæ austeritatem cogebat; Christus largitor spiritûs adoptionis filiorum, suaviter ad se alliciebat, paulatimque ad majora formabat atque ducebat.

Vers. 37. — In utres. Solebat vetustas vina, sicut et oleum, in pellibus caprarum hircorumque, quemadmodùm nos in doliis vinariis, condere : alterum simile exemplum à vasis vinariis sumptum, eodem fine et sensu.

Rumpet brevì, novi et adhuc bullientis vini violentia.

Ipsum effundetur et utres peribunt, damno atque incommodo duplici. Eodem modo parabola ista accommodanda ad rem est, quo superior.

Vers. 38. — Vinum novum in utres novos, recentes : ut duplex vocabulum, quo utitur evangelista, duplici exprimatur. Νέον propriè eorum est quæ sentiunt ætatem, καινὸν opponitur vetustati ; est autem et vinis sua quædam ætas, utribus aut panno non item.

Novos, qui ferant vim vini, nec dissiliant effervescente musto.

Utraque, vinum et utres. Ita, vult dicere, paulatim

quamdiù durant tempora nuptialia, quæ lætitiæ plena sunt : quasi diceret, hæc indulgentia discipulorum meorum tempori congruit.

Vers. 35. — Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, per mortem scilicet, vel assumptionem in cœlos; tunc jejunabunt, id est, lugebunt, seu luctuosis incumbent actionibus, sicut factum indicant Acta Apostolorum. Et hinc est quòd commodè ante dies ablationis Sponsi nostri Quadragesimam jejunamus, ut notat August., serm. 74, de Diversis, c. 3. Eàdemque de causâ, ferià 6, et sabbato olim jejunare solebant, ut idem epist. 86, et Clemens Romanus, lib. 5 Constitut. apostolicar., c. 17. Ut autem non solùm ex temporis ratione, sed etiam ex magno artificio sic cum suis discipulis agendum intelligerent, duas addit similitudines ex veste et utribus.

Vers. 36. — Nemo, nisi insipienter agere velit. In vestimentum vetus, id est, ad reparandam detritam vestem ac laceram. Incommodum est quòd, cùm pannus novus sit fortis, vestimentum autem vetus debile, hoc rumpit ille. Huic omninò similis est comparatio de vino, et utribus : nam vini novi et bullientis violentia disrumpit utres vetustate infirmos, et penè putridos, et utraque pereunt. Iste est cortex utriusque parabolæ, quâ significat juxta Chrysost., Hom. 30, et Theophyl., etiam se imprudenter facturum, si discipulis suis adhuc infirmis, et veteri assuetis homini, grave et rigidum vitæ genus imponeret : periculum enim fore, ne et hujusmodi institutum sine fructu periret, et tyrones novæ vitæ austeritate territi desperatione quâdam resilirent à virtutis perfectioris viâ, quam sectari cœperant, et ita pejores fierent ex eo ipso quo meliores fieri debuerunt.

Vers. 38. — Sed vinum novum in utres novos mittendum, qui vim vini ferant, ne fervescente musto rumpantur. Et utraque conservantur, vinum et utres; q. d. : Simili modo cùm innovati fuerint discipuli mei Spiritûs sancti gratiâ, vis rigidioris disciplinæ eis committenda erit, eamque cum fructu ferent; nam, ut August., serm. 186, de Tempore, carnalitas vetustas est, gratia novitas, spiritualia non capit carnalis, quantò homo meliùs fuerit innovatus, tantò ampliùs capit, quod verum sapit.

mihi mei formandi fingendique sunt novi (quales prorsùs reddentur ubi dedero spiritum novum in visceribus eorum) ut olim fortes ac firmi queant rigidioris disciplinæ vim perferre.

Vers. 39. — Et, rursus, nemo bibens, qui biberit, qui assuetus est bibere *vetus* vinum, statim vult novum, statim eò adducitur, ut, vetere relicto, amplectatur novum, quantùmvis novum melius etiam sit.

Melius, blandius, utilius, Syrus, *bassim* suavius. Sententia est ex consuetudine et affecto jam animo profecta; usus enim et consuetudo gustum formant. Tertiam itaque hìc adhuc similitudinem Salvator addit, ad statuendum eam quam erga discipulos suos tenet rationem, nimirùm, quòd aliis assueverint discipuli, non assueverint frequentibus jejuniis, etc. Vix enim credi possit quàm difficile sit, consueta non consuetis etiam potioribus postponere, in omni genere rerum; tantùm retardare consuetudo potest. Cæterùm dat intelligendum voce istâ *statim*: quemadmodùm is qui assuevit vino veteri, paulatim eò adducitur ut approbet novum, imò ut tandem, assuefactus nonnihil, etiam præferat veteri; ita mihi cum discipulis meis est agendum, quos tandem etiam eò adducturum me scio, ut frequentia jejunia, longas preces, aliaque luctuosa et gravia virtutum exercitia, præferant deliciis et voluptatibus mundi omnibus.

CAPUT VI.

1. Factum est autem in sabbato secundo primo, cùm transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, et manducabant confricantes manibus.

2. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis?

3. Et respondens Jesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit David cùm esurisset ipse, et qui cum illo erant:

4. Quomodò intravit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantùm sacerdotibus?

5. Et dicebat illis: Quia dominus est Filius hominis, etiam Sabbati.

6. Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in synagogam, et doceret: et erat ibi homo, et manus ejus dextra erat arida.

7. Observabant autem scribæ et Pharisæi, si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum.

8. Ipse verò sciebat cogitationes eorum; et ait homini qui habebat manum aridam: Surge, et sta in medium. Et surgens stetit.

9. Ait autem ad illos Jesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an malè, animam salvam facere an perdere?

10. Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: et restituta est manus ejus.

11. Ipsi autem repleti sunt insipientiâ, et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu.

12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

13. Et cùm dies factus esset, vocavit discipulos suos; et elegit duodecim ex ipsis (quos et apostolos nominavit);

14. Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum et Joannem, Philippum et Bartholomæum,

15. Matthæum et Thomam, Jacobum Alphæi et Simonem qui vocatur Zelotes,

16. Et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem, qui fuit proditor.

17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæâ et Jerusalem, et maritimâ, et Tyri et Sidonis,

CHAPITRE VI.

1. Or, il arriva le jour de sabbat, appelé le second premier, comme Jesus passait le long des blés, ses disciples se mirent à arracher des épis; et les froissant dans leurs mains, ils en mangeaient.

2. Alors quelques-uns des Pharisiens leur dirent: Pourquoi faites-vous ce qu'il n'est point permis aux jours de sabbat?

3. Jésus leur répondant, dit: N'avez-vous donc pas lu ce que fit David, lorsque lui, et ceux qui l'accompagnaient, furent pressés de la faim?

4. Comment il entra dans la maison du Seigneur, et prit les pains de proposition, en mangea et en donna à ceux qui étaient avec lui, quoiqu'il n'y ait que les prêtres à qui il soit permis d'en manger?

5. Et il ajouta: Le Fils de l'homme est maître du sabbat même.

6. Il arriva encore une autre fois, qu'étant entré dans la synagogue un jour de sabbat, et s'étant mis à enseigner, il se trouva là un homme qui avait la main droite desséchée.

7. Or, les scribes et les Pharisiens observaient s'il le guérirait un jour de sabbat, afin d'avoir sujet de l'accuser.

8. Mais comme il connaissait leurs pensées, il dit à cet homme qui avait la main desséchée: Levez-vous; tenez-vous là au milieu. Il se leva et se tint debout.

9. Jésus leur dit ensuite: J'ai une question à vous faire: Est-il permis aux jours de sabbat de faire du bien ou du mal, de sauver la vie ou de l'ôter?

10. Et les ayant tous regardés, il dit à cet homme: Étendez votre main, et il l'étendit, et elle fut rétablie.

11. Ce qui les remplit de fureur, et ils s'entretenaient ensemble de ce qu'ils pourraient faire contre Jésus.

12. En ce temps-là, Jésus s'en étant allé sur une montagne pour prier, y passa toute la nuit à prier Dieu.

13. Et quand il fut jour, il appela ses disciples, et en choisit douze d'entre eux, qu'il nomma apôtres:

14. Simon, auquel il donna le nom de Pierre, André son frère, Jacques et Jean, Philippe et Barthélemi,

15. Matthieu et Thomas, Jacques fils d'Alphée, et Simon appelé le Zélé,

16. Jude, frère de Jacques, et Judas Iscariote, qui fut celui qui le trahit.

17. Il descendit ensuite avec eux, et s'arrêta dans la plaine, où il trouva la troupe de ses disciples, et une grande multitude de peuple de toute la Judée, de Jérusalem, et du pays maritime de Tyr et de Sidon,

18. Qui venerant ut audirent eum, et sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur.

19. Et omnis turba quærebat eum tangere : quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.

20. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat : Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.

21. Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebetis.

22. Beati eritis cùm vos oderint homines, et cùm separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquàm malum, propter Filium hominis.

23. Gaudete in illâ die, et exultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo : secundùm hæc enim faciebant prophetis patres eorum.

24. Verùmtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.

25. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.

26. Væ cùm benedixerint vobis homines ; secundùm hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.

27. Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros ; benefacite his qui oderunt vos.

28. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos.

29. Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram : et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.

30. Omni autem petenti te, tribue ; et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

31. Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter.

32. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia ? nam et peccatores diligentes se diligunt.

33. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia, siquidem et peccatores hoc faciunt ?

34. Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis ? nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

35. Verùmtamen diligite inimicos vestros, benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.

36. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

37. Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini ; dimittite, et dimittemini.

38. Date, et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.

39. Dicebat autem illis et similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere ? nonne ambo in foveam cadunt ?

40. Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.

18. Qui étaient venus pour l'entendre, et pour être guéris de leurs maladies, parmi lesquels il y en avait aussi qui étaient possédés d'esprits immondes : et ils étaient guéris.

19. Et tout le peuple cherchait à le toucher, parce qu'il sortait de lui une vertu qui les guérissait tous.

20. Alors Jésus levant les yeux vers ses disciples, leur dit : Vous êtes bienheureux, vous qui êtes pauvres, parce que le royaume de Dieu est à vous.

21. Vous êtes bienheureux. vous qui avez faim maintenant, parce que vous serez rassasiés. Vous êtes bienheureux, vous qui pleurez maintenant, parce que vous rirez.

22. Vous serez bienheureux lorsque les hommes vous haïront, qu'ils vous repousseront, qu'ils vous diront des injures, et qu'ils rejetteront votre nom comme mauvais, à cause du Fils de l'homme.

23. Réjouissez-vous en ce jour-là, et tressaillez de joie : car voici qu'une grande récompense vous est réservée dans le ciel ; parce que c'est ainsi que leurs pères traitaient les prophètes.

24. Mais malheur à vous, riches, parce que vous avez votre consolation.

25. Malheur à vous qui êtes rassasiés, parce que vous aurez faim. Malheur à vous qui riez maintenant, parce que vous serez réduits aux pleurs et aux larmes.

26. Malheur à vous lorsque les hommes vous applaudiront ; car c'est ainsi qu'en usaient leurs pères à l'égard des faux prophètes.

27. Mais pour vous qui m'écoutez, je vous dis : Aimez vos ennemis ; faites du bien à ceux qui vous haïssent.

28. Bénissez ceux qui vous maudissent : et priez pour ceux qui vous calomnient.

29. Si quelqu'un vous frappe sur une joue, présentez-lui encore l'autre : et si quelqu'un vous prend votre manteau, laissez-lui aussi prendre votre robe.

30. Donnez à tous ceux qui vous demandent, et ne redemandez point votre bien à celui qui vous l'emporte.

31. Et ce que vous voulez que les hommes fassent pour vous, faites-le pareillement pour eux.

32. Que si vous n'aimez que ceux qui vous aiment, quel gré vous en saura-t-on, puisque les pécheurs mêmes aiment aussi ceux qui les aiment ?

33. Et si vous faites du bien à ceux qui vous en font, quel gré vous en saura-t-on, puisque les pécheurs font la même chose ?

34. Et si vous prêtez à ceux de qui vous espérez recevoir, quel gré vous en saura-t-on, puisque les pécheurs mêmes prêtent aux pécheurs, afin d'en recevoir un pareil avantage ?

35. Mais aimez vos ennemis : faites du bien, et prêtez sans rien espérer ; et alors votre récompense sera très-grande, et vous serez les enfants du Très-Haut, parce qu'il est bon lui-même aux ingrats et aux méchants.

36. Soyez donc pleins de miséricorde, comme votre Père est plein de miséricorde.

37. Ne jugez point, et vous ne serez point jugés ; ne condamnez point, et vous ne serez point condamnés ; remettez, et on vous remettra :

38. Donnez, et on vous donnera ; on versera dans votre sein une bonne mesure, bien pressée et entassée, qui se débordera ; car on se servira envers vous de la même mesure dont vous vous serez servis.

39. Il leur proposait aussi cette comparaison : Un aveugle peut-il conduire un autre aveugle ? ne tomberont-ils pas tous deux dans la fosse ?

40. Le disciple n'est pas plus que le maître ; mais tout disciple est parfait lorsqu'il est semblable à son maître.

41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras?

42. Aut quomodò potes dicere fratri tuo : Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo : ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo : et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.

43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos : neque arbor mala, faciens fructum bonum.

44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus : neque de rubo vindemiant uvam.

45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum : et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantiâ enim cordis os loquitur.

46. Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?

47. Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit :

48. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram; inundatione autem factâ, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere, fundata enim erat super petram.

49. Qui autem audit, et non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluvius, et continuò cecidit, et facta est ruina domûs illius magna.

41. Pourquoi voyez-vous une paille dans l'œil de votre frère, lorsque vous ne vous apercevez pas d'une poutre qui est dans votre œil ?

42. Ou comment pouvez-vous dire à votre frère : Mon frère, laissez moi ôter la paille qui est dans votre œil, vous qui ne voyez pas la poutre qui est dans le vôtre? Hypocrite, ôtez premièrement la poutre qui est dans votre œil, et après cela vous verrez comment vous pourrez tirer la paille qui est dans l'œil de votre frère.

43. L'arbre qui produit de mauvais fruits n'est pas bon; et l'arbre qui produit de bons fruits, n'est pas mauvais.

44. Car chaque arbre se connaît par son fruit. On ne cueille point, en effet, de figues sur des épines; et on ne coupe point de grappes de raisin sur des ronces.

45. L'homme de bien tire de bonnes choses du bon trésor de son cœur; et un méchant homme en tire de mauvaises du mauvais trésor de son cœur. Car la bouche parle de l'abondance du cœur.

46. Mais pourquoi m'appelez-vous, Seigneur, Seigneur, et ne faites-vous pas ce que je dis?

47. Je vais vous montrer à qui est semblable tout homme qui vient à moi, qui entend mes discours et qui les met en pratique.

48. Il est semblable à un homme qui bâtit une maison, et qui, après avoir creusé bien avant, en a posé le fondement sur la pierre : un débordement d'eaux étant arrivé, un fleuve est venu fondre sur cette maison; et il n'a pu l'ébranler, parce qu'elle était fondée sur la pierre.

49. Mais celui qui écoute mes paroles sans les pratiquer, est semblable à un homme qui a bâti sa maison sur la terre, sans y faire de fondement : un fleuve étant venu fondre sur cette maison, elle est tombée aussitôt, et la ruine en a été grande.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Sabbato secundo primo, id est, sabbato duplici sive bis primo aut bis solemni, hoc est, die septimo hebdomadæ concurrente cum alio die festo, Pentecostes (verisimile est, tunc enim segetes triticeæ maturæ erant et messi proximæ) aut certè neomeniæ. Simili modo Joan. 19, v. 31, sabbatum concurrens cum secundo die Azymorum, vocatur magnus dies sabbati. Ex infinitâ de sabbato secundo primo sententiarum varietate, ista hactenùs probatur maximè. Syrus, quod mirum, nullam mentionem facit sabbati secundi primi, sed simpliciter, *in sabbato,* dicit. Verbum hoc duobus modis Hebraicè effertur : frequentius tamen est *sabbath,* quàm *sabbathon.* Significat autem propriè septimum hebdomadæ diem, sic dictum à quiete, nam *sabath* quiescere est, *sabbath* quies; eò quòd initio mundi Deus illo requieverit ab opere creationis, Gen. 2, v, 2, ac postea præceperit etiam Israelitis, illo singulis hebdomadis recurrente ab omni opere abstinere, Exodi 20, v. 10, et 35, v. 2, 3. Cæterùm et alius quivis dies festus, præsertim quo ab operibus servilibus feriandum erat Judæis, sabbatum vocatur, Levit. 23, v. 15, 24, 32, 39; sed hìc de propriè dicto sabbato sermo est, quo permittebatur quidem certi spatii deambulatio, quale Act. 1, v. 12, describitur, à monte Oliveti in civitatem Jerusalem; sed prohibebatur omne opus, non tantùm servile, verùm etiam quo necessarius cibus parari posset. Hinc enim orta est quæstio subsequens. Discipuli non sibi prospexerant de rebus corpori necessariis : harum enim minima illos cura tangebat, auditu et assiduitate Salvatoris perpetuò detentos. Fortè nec otium illis suppetiverat præ frequenti populi accursu, quemadmodùm aliquando, Marc. 3, v. 20.

Et manducabant grana exclusa. Non auferendi et servandi, sed frumento vescendi gratiâ, avellebant spicas. Austerioris vitæ indicium est, non præparatas epulas quærentis, sed cibo simplici, primùm obvio, contentæ. Sine præmeditatione aliquâ ac præparatione mensam sibi sic constituunt, ut continuâ ferè cogantur inediâ premi, neque tamen à Christo abscedant. Poterat facilè Christus illos pascere, et quidem abundanter; verùm ita maluit suos instituere, ut ferendæ fami assuescerent, discerentque modicis esse contenti, in tempus illud quo abforet ipse corpore, quando omnis generis molestiæ pro Evangelio tolerandæ ipsis forent. Fames itaque discipulorum nostram debet reprimere gulam;

Vers. 1. — In sabbato. *Sabbat* seu *sabbaton* (nam utroque modo Hebraicè, et exinde Græcè dicitur) propriè significat cessationem seu quietem et ulteriùs diem quieti à Deo destinatum, nempe septimum hebdomadæ, in quo nihil operis fieri poterat, non solùm servilis, sed neque necessarii ad parandos cibos, quia præveniri poterat, Exodi 35, v. 3, quâ severitate observabatur etiam dies expiationis, Levit. 23, v. 30 et 31.

et spicarum evulsio delicias cupediasque nobis excutere è manibus. CONFRICANTES MANIBUS, confrictu manuum exclusa grana. Syrus hoc præponit manducationi, ut ordine prius est : *Et confricabant manibus suis et manducabant.*

VERS. 2. — DICEBANT ILLIS. Discipulos alloquebantur, sed accusatio in magistrum ipsum ex illorum mente stringebatur; idcircò priores evangelistæ ita rem narrant, ut Dominum allocuti dicantur. Quanquàm facilè potuerit fieri ut, à discipulis initio facto, tandem ad Christum disceptatio pervenerit.

QUID, cur.

QUOD NON LICET. Repetitur Græcè et Syriacè facere quod nemini licet, quod omnibus prohibitum est.

SABBATIS, in sabbato. Externis operibus violant sabbatum, quod lege Dei tam religiosâ quiete colendum præcipitur : facile itaque videre est, doctrinam tuam divinæ legi adversam esse, et abducendos te agente à præscripto legis Dei, qui tuo se magisterio dediderint. Ambitio et personæ odium concurrentia, quidvis facilè in calumniam rapiunt, etiam minutissima quæque, et simplicissima, atque à prohibentis legislatoris mente alienissima, quale erat istud discipulorum factum, obiter inter eundum spicas vellentium et conterentium, ut fami affligenti mederentur, quod non erat aliud quàm malum aut nucem ex arbore carpere, excorticare, et comedere. Cæterùm allaturi sint tibi, non tantùm Decalogi illud præceptum sæpiùs repetitum, sed et loca Exodi 16, v. 22, 23, et 35, v. 2, 3, quibus declaratum est, sabbato ita omne opus esse prohibitum, ut etiam illud quo cibum pares. De aliis diebus festis, nominatim primo Azymorum, scriptum est Exodi 12, v. 16 : *Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent;* de sabbato verò : *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati,* Exodi 25, v. 3.

VERS. 3. — RESPONDENS, pro discipulis, non ignorans se præceptorem inprimis taxari.

NEC HOC LEGISTIS. Ne hoc quidem legistis, non legistis vel hoc, quod tam est obvium, et solùm poterat calumniam hujusmodi arcere? Vos qui Scripturarum scientiâ gloriamini, si legissetis et pressè consideràssetis, non discipulos meos calumniaremini ut violatores sabbati et legis divinæ transgressores. Refellit Pharisaicam calumniam ex probato Scripturarum exemplo, simul et naturæ lege.

DAVID, vir ille juxta cor Dei, 1 Reg. 13, v. 14.

ET QUI CUM EO ERANT, scilicet esurierunt : unde à plerisque libris Græcè additur *ipse et qui cum eo,* ita ut clarum sit ad proximum *esuriit* referendum : fame stimulante ipsum et comites ipsius. Comites Davidi fuisse vel paucos aliquot, dubium esse non potest, id disertè affirmante Christo Domino; nam nec alioqui David panibus quinque simul et hastâ aut gladio onerare se voluisset, 1 Reg. 21, v. 3, 8. Verisimile est, cùm fugæ necessitatem metueret, de fidis aliquot comitibus sibi providisse, quos ita disposuerit, ut à Jonathâ reversus, in viâ paratos fugæ socios invenire

Extensum est inde vocabulum ad omnia cætera festa, ibid., v. 32, quibus non ab omni opere, ut die septimâ, sed à servili tantùm cessabatur : quæ differentia videtur notari Levit. 23, v. 3, collato cum versu 7 et 8. Denique per catachresin *sabbaton* pro totâ hebdomadâ usurpatur : unde feria secunda, tertia, etc. Hebræis dicitur secunda et tertia sabbati, id est, hebdomadæ, 1 ad Corinth., v. 2, et Marci ult., v. 2. Nisi sensum esse velis, prima, secunda, etc., post sabbaton. Hoc loco videtur intelligi *sabbaton* propriè dictum, quo cibos parare non liceret; nam inde est orta quæstio, et Christi responsio satis indicat, discipulos aliquid fecisse, quod extra necessitatem non licuisset sabbato. Sed Lucas vocat illud sabbaton *secundo primum,* quod verbum infinitas peperit sententias. Quibus omissis omnium videtur probabilissima S. Chrysostom. initio Hom. 40, quà dicitur secundo primum quasi bis primum seu bis solemne, eò quòd sabbaton et aliud festum concurreret in eumdem diem. Cùm autem hoc contigerit eo tempore quo segetes habebant spicas, necesse est consequenter incidisse hoc sabbaton in primum vel ultimum diem Azymorum qui erant similiter etiam festi, vel in diem Pentecostes. Nam quod Jansenius in Concordiâ, Franciscus Lucas et alii putant, etiam ratione incidentis Neomeniæ potuisse esse duplex, falluntur, quia neomenia non erat festum in populo, sed tantùm in templo; nam etsi certa sacrificia in iis offerrentur, ut præscribitur Numerorum 28, v. 11, et tubis non arietinis, sed argenteis, in eis clangerent, ut est Numerorum 10, tamen in eis non cessabatur ab operibus servilibus. Multò verò magis fallitur Maldonatus, dùm putat non potuisse spicas haberi nisi in festo Pentecostes, eò quòd tunc, Deuter. 16, v. 9, falx in messem mitteretur. Est enim certissimum, manipulum spicarum offerri solitum, tanquàm primitias messis inchoatæ, secundâ die Azymorum, hoc est in festo Paschatis, Levit. 23, v. 10 et 11, et locus Deuter. expressè refutat ipsum Maldonatum, nam neque tunc fruges meti incipiebant, sed septem septimanis antè, neque primitiæ segetis seu frugum tunc offerebantur, ut ipse videtur putare, sed panum ex frugibus jam demessis, Levit. 23, v. 17.

VELLEBANT DISCIPULI EJUS SPICAS. Esuriebant, sive quòd præ populi concursu nec spatium habuissent manducandi, Marc. 3, v. 20, sive quòd audiendi Salvatoris aviditate nec de necessariis fuissent solliciti : Vellere spicas permittebat expressè lex in agris alienis, Deuter. 23, v. ult., quod etiam sabbato Iren. vult licuisse, lib. 4, c. 20. Etsi tunc non liceret metere. ET MANDUCABANT. Quod austerioris vitæ indicium esse notat Hieron., utpotè non præparatas epulas, sed cibos simplices quærentium.

VERS. 2. — PHARISÆORUM, qui potiùs carpendi quàm discendi causâ sequebantur. QUOD NON LICET IN SABBATIS, nempe vellendo et confricando spicas, cibum parare, hoc enim licebat quidem aliis festis, Exodi 12, v. 16, non tamen sabbatis, ut supra diximus. Discipulos autem arguunt, sed impetunt magistrum; quasi dicerent : ex factis discipulorum tuorum patet doctrina tua.

VERS. 3. — NEC HOC LEGISTIS, vos qui de scientiâ legis inflati, me et discipulos accusatis. QUOD FECIT DAVID, quem non audetis reprehendere, utpotè vir secundùm cor Dei, CUM ESURIISSET IPSE, ET QUI CUM ILLO ERANT, hoc est cùm simili necessitate premerentur : nam excusatio ista petitur ex necessitate, quæ non habet legem. Unde Marcus 2, v. 25, dicit, *quandò necessitatem habuit.* Cùm autem Christus apud Matth. dicat eos qui cum ipso erant, esuriisse, et Lucas addat eum dedisse panem iis qui cum ipso erant; et David ipse dicat se condixisse pueris in illum et illum locum,

posset. Nam et cùm illos nollet apparere in Nobe, solus ipse adiit tabernaculum Domini, et cum pontifice egit, illis alicubi relictis.

VERS. 4. — IN DOMUM DEI, in atrium tabernaculi Domini; quo modo venerit ad summum sacerdotem agentem in tabernaculo Domini. In atrium tabernaculi laicis patebat ingressus. Vocatur autem tabernaculum domus Dei, quia habitatio erat Dei in medio filiorum Israel, ut frequenter ipse loquitur, Exodi 25, v. 8, et 29, v. 45, illic enim præsentem se exhibebat, per miracula, oracula, responsa, aliaque effecta: denique illùc adibatur, illic colebatur.

PANES PROPOSITIONIS. Hebraicâ phrasi ita dicuntur, pro eo quod Latinè dicas *panes propositi*, sive, ut quidam explicant, *apposititii*. Syrus dicit, *panem mensæ Domini*. Septuaginta Interpretes, aliquando ἄρτους ἐνωπίους, aliquando προκειμένους, interpretati sunt, ex Hebraico *lehem panim*, quod ad verbum sonat, panem facierum seu faciei; caret enim Hebræis *panim* numero singulari. Nominis ratio est quòd essent panes perpetuò, ita ut nunquàm deesse possent, appositi sive propositi in conspectu Domini, super mensâ aureâ huic cultui consecratâ, sitâ in priori tabernaculi parte, ad latus aquilonare, proximè à Sancto sanctorum. Hujus enim mensæ non alius erat usus, quàm ad duodecim hujusmodi panes perpetuò continendos, jugis convivii significatione et formâ, quo testabantur duodecim tribus Israel, se à Deo continuè nutriri et ali; docebantur autem veri Israelitæ, perpetuam Deo in pauperes eleemosynam offerre. Nam quod Josephus ait lib. 6 de Bello, cap. 6, duodecim panibus annum fuisse significatum et signa circuli zodiaci, ut septem lucernis candelabri, stellas errantes, frivolum est.

SUMPSIT, accepit, dante summo sacerdote. Nec summus sacerdos igitur qui panes ipsos dedit, existimavit lege vetitum esse, homines fame oppressos sacris panibus pascere. Hoc robur exemplo addit, simul et Christum ipsum tuetur non arguentem discipulos suos, sed sinentem agere.

ET DEDIT HIS. Græcè additur *etiam* : *Et dedit etiam his*. Ecce disertè Salvator asserit comites Davidi fuisse, quos sacris propositionis panibus actu paverit sicut seipsum. Cùm enim pueros secum à mulieribus abstinuisse testatus esset, acceptum à sacerdote sacrum panem tulit illis, eò loci, ubi jusserat ut opperirentur reditum suum.

NISI TANTUM SACERDOTIBUS. Panes illi singulis sabbatis mutabantur, quando loco veterum calidi recentesque apponebantur. Veteres igitur sublati à facie Domini, in usum cedebant sacerdotum, atque illorum solorum, à quibus nec alibi comedi poterant quàm in loco sancto, Levit. 24, v. 8, 9. Sensus igitur loci est : David vir juxta cor Dei, Deo et hominibus probatus, fame urgente, et comedit ipse, et distribuit comitibus suis, sacros propositionis panes, quos tam ipse quàm ipsius comites, cùm sacerdotes nequaquàm essent, disertâ lege prohibebantur comedere; judicante haud dubium viro sancto, cujus mentem Dei Spiritus illustrârat, legem positivam, etiam ab ipso Deo sine medio latam, ita interpretandam esse, ut cedat legi naturæ, et sacras cæremonias ita observari jussas, ut urgenti hominis necessitati non præjudicent. Id si observâssetis aliquando in sacrarum Scripturarum lectione, non discipulos meos accusaretis legis Dei violatæ, quòd, fame stimulante, obvias frumenti spicas, die sabbati avulsas interque manus comminutas, comedant.

VERS. 5. — ET DICEBAT ILLIS. Sermonem hâc de re habitum conclusit hâc generali sententiâ.

QUIA, superest sensui, ut frequenter aliàs.

DOMINUS EST. Constructionis ordo est : Filius hominis est Dominus etiam sabbati.

FILIUS HOMINIS, ego qui dignatione miser et vulgaris sum homo; ego dignatione filius hominis, missus ad salvandum hominem illiusque salutem procurandam, qui naturâ Dominus sum cæterarum rerum omnium, sum et sabbati, ita ut pro arbitrio meo et hominum utilitate ac salute, illud moderari, laxare, abrogare possim. Vide supra, ubi latiùs egimus de his vocibus : *Filius hominis*.

ETIAM SABBATI; sic et alii codices Græci addunt καὶ τοῦ σαββάτου. Naturâ, ut rerum omnium, ita et sabbati sum Dominus, quippe Filius Dei, unus cum Patre creator, auctor, institutor ac moderator rerum omnium à Deo profectarum. Hoc ex operibus meis intelligere et cognoscere debetis : hoc enim Deus tot jam miraculis ostendit ac probavit, ac populus magnis acceptis beneficiis intellexit. Quocirca non est qui me certiùs queat judicare de sabbati sive profanatione sive violatione, qui possum etiam illud pro arbitrio moderari, imò et pro arbitrio abrogare, ac de illo statuere quod consultissimum judicavero. Nec ego igitur ab officio, ad quod missus sum,

necesse est dicere aliquos fuisse comites Davidis, non quidem præsentes, sed certo loco condictos, ut ita concordent verba David cum Achimelech, 1 Reg. 21, v. 1 et 2. Nam quamvis David posset dici mentitus, ut vult Jansenius, non tamen mentitus dici potest Christus.

VERS. 4. — QUOMODO INTRAVIT IN DOMUM DEI, atrium scilicet circumdans tabernaculum. Nam hoc fuisse ibi satis patet ex loco 1 Reg. cit., etsi arca non esset ibi, sed in Gabaâ, 1 Reg. 7, v. 1 et 2; Reg. 6, v. 3. ET PANES PROPOSITIONIS, id est, propositos; Hebraicè *panes facierum*, ita dictos, quòd duodecim panes in tabernaculi parte septentrionali coram facie Domini, in Sancto sanctorum habitantis, erant semper propositi, ut significaretur duodecim tribus à

Deo semper ali. QUOS NON LICET MANDUCARE, prohibente scilicet expressè lege communi, Levit. 24, v. 9.

VERS. 5. — DOMINUS EST. Nova hæc est ratio, cur innocentes sint, et non condemnandi, quia DOMINUS EST FILIUS HOMINIS, ETIAM SABBATI, id est, Filius hominis, quo inspectante et consentiente hæc agunt, est Dominus etiam sabbati, utpotè naturâ Deus, creator, et institutor omnium rerum, legislator etiam sabbati : qui proinde potest pro libito rigorem ejus moderari, dispensare, penitùs abrogare, et violatores à peccato eximere. Itaque sicut quatuor modis purgat discipulos suos, ita quatuor modos interpretandi positivas leges tradit, nempe ut cedant vel legi naturæ, vel alteri legi magis particulari, vel huma-

impedior religione sabbati : nec discipuli ministrique mei possunt perperàm agere in eo quod me præsente et consentiente faciunt; non erant proinde à vobis condemnandi criminis. Christus omnium Dominus est, jure creationis gubernationisque, merito redemptionis, et dono Patris. Et sabbati itaque Dominus est ut legislator, qui ut illud instituit, et penitissimè perspectam habet illius colendi rationem, ita et potest abrogare, hominesque ab illius colendi necessitate absolvere, multò autem magis rigorem illius temperare, aut cum aliquibus aliquando dispensare. Occultè insinuavit se abrogaturum aliquando Judaicum sabbatum, ut postea fecit. Quatuor itaque modis tutatur Salvator discipulos suos adversùs Pharisæorum calumniam; primùm, Davidis exemplo, à necessitate naturæ; deinde sacerdotum, ab opere subliniori; tertiò, Oseæ prophetiâ ut dignos commiseratione; postremò, ab auctoritate suâ. Quatuor item modos docet, juxta quos cæremonialis omnis et positiva lex interpretanda veniat; quorum unus est, ut cedat legi naturæ; alter, ut cedat alteri legi magis particulari; tertius, ut major humanitatis et dilectionis proximi quàm rigoris verborum et externæ cæremoniæ ratio habeatur; ultimus, ut si dispenset is qui legem tulit, vel auctoritate pollet, culpa non sit legem posthabuisse.

Vers. 6. — In synagogam, ubi erant Pharisæi quos redarguerat malè interpretatos spicarum in sabbato usum. Notanda bonæ conscientiæ in Salvatore fiducia, nihil verentis prodire in publicum illorum conspectum, quos expertus erat in hoc totos esse, ut dicta factaque ipsius omnia in calumniam raperent.

Et manus ejus, hebraismus, pro, *cujus manus*, antecedens loco relativi.

Dextera. Hoc ad miseriæ exaggerationem facit quòd dextera emortua et ad omne opus inutilis esset, plus enim opus est homini manu dexterâ quàm sinistrâ, si alterâ carendum esset.

Vers. 7. — Scribæ et pharisæi. Hi enim conspirabant plerùmque adversùs Dominum et adversùs Christum ejus.

Ut invenirent, quærebant igitur; jam enim oderant Christum et perditum volebant, sed nondùm deprehenderant in eo quidquam quod speciem suggereret justè eum perdendi.

Unde accusarent eum, Græcè, ad verbum, *accusationem ejus*. Quidam libri legunt *adversùs eum*, quod etiam non lectum rectè subaudias. *Accusarent*, apud summum sacerdotem et reliquum magistratum, tanquàm adversarium legis, vel ex oratione, si responderet licere, (nam medicinam facere, opus servile et sabbatis illicitum esse dicebant, propter operam externam, quæ necessariò ab hominibus adhiberi consuevit) vel ex actione, si curaret (eo exaggeranda graviùs, quo disertiùs illum præmonuissent criminis) vel denique ex utroque. Hæc mens erat eorum, necessariæ quæstionis velo obtecta. Observabant igitur et attenti erant, non ut visum admirarentur et penitùs considerarent opus planè divinum, quod erat solo verbo aut tactu vegetare manum aridam : sed ut quâvis ratione, prætextu cultûs sabbati, calumniam struerent. Odio enim Christi cùm toti flagrarent, eò amentiæ venerunt, ut Deum ipsum conarentur in ordinem cogere, tanquàm qui sabbatum instituens, legem sibi ipse imposuerit, vel aliquâ servitute se obstrinxerit, ne sabbatis, sicut aliis diebus, operaretur.

Vers. 8. — Cogitationes eorum, quo consilio tum interrogarent, tum observarent eum; nimirùm, ut et ex responso et ex actione ipsius, si possent, calumniam pararent. Hæ igitur Christo notæ fuerunt insidiæ, quantùmvis apud animos illorum secretæ; studio enim religionis quam præ se ferebant, animi malevolentiam velabant illi.

Et ait homini, id est, idcircò jubet illi *qui*, etc., ut enim eo efficaciùs illorum cogitationes studiaque insidiosa refelleret, jussit viro prodire in medium. Quare et Syrus vertit : *Ipse verò qui cognoscebat cogitationes eorum, dixit homini illi.*

Sta in medium. Syrus : *Veni* seu prodi *in medium synagogæ* sive congregationis. Sedenti ægro et stipem expectanti ab iis quos ad misericordiam moveret suæ miseriæ spectaculum, aut certè audienti inter alios docentem Christum, jubet Christus ut surgat, et conspicuum se præbeat præsentibus omnibus; sapientissimè profectò, non tantùm ut redderet omnes attentos edendo miraculo, verùm multò magis, ut spectaculum miseri hominis, præsentes ad sequendam benefaciendi opinionem in proponendâ quæstione inclinaret, contra sententiam calumniatorum.

Et surgens. Obedivit bonâ conceptâ spe, eò paratior accipiendo beneficio Christi.

Vers. 9. — Ait autem, ait igitur. Syrus : *Cùmque venisset et staret, ait.*

Interrogo vos, gr., *interrogabo vos*, futurum pro præsenti, quemadmodùm vertit interpres. Est autem hoc dicendi genus, à quo sæpè auspicamur, etiam in vernaculo sermone, interrogantem orationem : quo attentiores reddantur ii qui interrogantur, addito hâc ratione verbis pondere.

Si licet. Pro *si* Græcè et Syriacè est τί, quod nonnulli quidem præcedentibus adjungunt, hoc sensu :

nitati ac dilectioni proximi, vel denique auctoritati legitimæ dispensantis aut abrogantis.

Vers. 6. — Erat arida, id est, emortua, et ita inutilis ad opus.

Vers. 9. — Si licet sabbatis bene facere, an male. Quos interrogat Christus, ut quæstionem jam sibi ab eis propositam, Matth. 12, aliâ quæstione solveret. Indicat enim quòd qui non benefecerit, et non salvaverit proximum laborantem quando potest, censeatur malefecisse eumque perdidisse. Per se autem est manifestum, non licere malefacere vel perdere hominem : unde relinquitur esse benefaciendum curando. In Evangelio secundùm Matthæum Christus redarguit Pharisæos similitudine ovis, cui ipsimet fatebantur die sabbati posse præstari beneficium liberationis ex fossâ.

Interrogabo vos quiddam. Alii per se legunt : *Quid?* Alii ad sequentia referunt : *Quid licet,* sive *Utrùm licet.* Hunc postremum interpungendi modum secutus est interpres ; sed pro τί habuit εἰ, quod est *si* seu *an.*

Benefacere, beneficio afficere, scilicet egentem. Conjunctim legendum est *benefacere* uno vocabulo : non enim quærit Christus an boni aliquid facere liceat die sabbati (hoc enim erat extra controversiam), sed an charitatis officia proximis egentibus præstare liceat.

An malè? an malefacere? prodesse an nocere?

Animam. Auget quæstionem. Hominem intelligit per *animam,* Hebraicâ Synecdoche, *à parte totum,* quod ait Euthymius.

Salvam facere, servare, salutem afferre, incolumitati restituere.

An perdere. Græcè est *occidere,* sed in aliis est Latino conformiter, *perdere.* Subaudi *animam,* hoc est hominem. Porrò hoc qui em *perdere,* aptius meliusque esse judico quàm *occidere.* Intelligendum est enim, Salvatorem quæstionem hanc proponentem manu monstrâsse signâsseque mancum hunc in medio consistentem, et tanquàm de eo interrogâsse an benefacere illi liceret an malefacere, salutem illi afferre an eum perdere ; de cujus morte non agebatur, sed de vitio reddente inutilem : nam hoc est *perdere,* inutilem reddere, ita ut non valeas tibi ipsi servire. Quæstioni itaque ab æmulis propositæ : *Si licet sabbatis curare?* narrante Matthæo ; opponit aliam Salvator, cornutam illam, duoque inter se contraria continentem, quâ in angustum illos ita cogit, ut etiam tacentes, habeantur ab auditoribus eò redacti, ut à seipsis propositæ quæstioni non nisi contra suam ipsorum sententiam respondere queant. Vos me interrogatis an liceat die sabbati hominem corpore ægrum curare? ego vos vicissim interrogo an liceat die sabbati, hominem nostrâ operâ egentem, beneficio an injuriâ afficere? salutem illi afferre an adimere? Certa res est, non licere salutem auferre aut inferre injuriam. Licet igitur benefacere et salutem afferre. Nam quando proximus eò necessitatis adductus est die sabbati, ut salutis incolumitatisve jacturam fecerit, quemadmodùm miser iste, alius autem succurrere illi potest, quemadmodùm ego huic possum, ille si non benefacit proximo, malefacit ; si non restituit illi incolumitatem, ademisse censetur. Lege enim charitatis tenetur unusquisque proximo laboranti succurrere quando potest, usque adeò ut judicandus sit auctor ejus mali à quo potuit et non liberavit eum. Beneficentiæ igitur exercitatio sabbatis licita, imò præcepta est, tam conveniens sanctificationi diei sabbati, quàm malefacere est alienum. Cùm sciret Salvator nihil ab ipsis respondendum, ita temperavit quæstionem, ut, ipsis tacentibus, illa secum afferret solutionem sui. Et quanquàm non teneretur hominem hunc sanare, (divinæ enim erat hoc, non humanæ naturæ opus) at habet se ut hominem unum ex aliis, tanquàm qui malefaceret, si egenti cùm posset non benefaceret, quo citra calumniam sanare possit, ipso opere Deum se esse declarans. At illi tacuerunt. Videbant enim aut certè metuebant, ne verbis suis caperentur si quid responderent (cujus inprimis illos puduisset coram multitudine) præsertim cùm nec discere cupiebant, nec opiniones pravas corrigere, nec discedere ab animo Dominum persequendi.

Vers. 10. — Et circumspectis omnibus. Græcè *et cùm circumspexisset illos omnes,* scilicet nec esset qui responderet. Circumtulit oculos Salvator in adversarios, semel ut videret an non esset inter eos qui responderet, quod Lucas ; iterùm ut monstraret non ignotam sibi perversam ipsorum malitiam, quâ agente tacerent, quod Marcus narrat.

Extende manum tuam aridam illam. Jubet simul et suggerit facultatem præstandi quod jubet.

Et extendit, qui extendit, Christo Deo vitam et vegetantem potentiam manui reddente : cæteroqui enim non potest manus arida ac proinde mortua et contracta extendi. *Extendit* est Latinè, Syriacè et in uno exemplari Græco, quo modo apud Matthæum et Marcum constanter legitur. In aliis porrò Græcis libris hujus Evangelii secundùm Lucam, illius loco est, *ille autem ita fecit.*

Et restituta est, scilicet sanitati, quod etiam Græcè additur. Restituta est ipso extensionis momento.

Manus ejus. Additur Græcè et Syriacè *ut altera,* quæ nihil unquàm mali passa fuerat. Postquàm Pharisæos Christus oratione et argumentatione convicerat, reipsà magis etiam oppressit. Docuerat licere sabbato citra religionis detrimentum curare proximum corpore ægrum, quocumque modo id fiat, sive medicamentis adhibitis, sive admotâ manu tantùm, sive quovis alio externo opere adhibito, illudque opus non servitium appellandum esse, sed beneficium, cujus omissio injuria esse possit, quod est apud alios Evangelistas. Attamen volens ipse manco præsenti sanitatem conferre, non utitur aliquo externorum illorum modorum, ut facto luto, ut manu tactâ et contrectatâ, vel alio simili ; sed eam init rationem, quam nulla unquàm scribarum subtilitas, aut Pharisæorum superstitio, cogitavit in sabbati violatione ponere. Ea fuit allocutio tantùm, eaque brevissima : nemo enim loqui enim nec ipsi quidem, qui quæstionem loquendo proposuerant, vetitum esse, vel cogitare audebant. Et hæc est causa cur refutationis evidentiâ confusi, neque mutire ausi coram populo, consilium *perdendi,* id est, occidendi illum, agitârunt. Christus verò noluit contendere cum illis potentiâ, vel miraculis se defendere, sed tanquàm infirmus infirmis exemplum præbens.

Vers. 10. — Dixit homini, nempe, ut Marcus, c. 3, v. 5, addit, cùm eos *cum irâ,* id est, vultu ad indignationem composito, respexisset et simul *contristatus* esset, seu condoluisset animo super cæcitate cordis eorum, qui livore cæci res apertissimas in quæstionem vocabant. Extende manum, etc., q. d. : Non ego te tango, non inspuo, sed solo verbo sano ; nimirùm, ut, sicut hoc notat Athanas., hom. de Semente, omnis calumniæ umbra evanesceret. Loqui

qui prohibetur sabbato : alioqui neque ipsi potuissent illum interrogare. Non curat igitur, sed, solo verbo, solo jussu, sanat, nihil exteriùs agens. Nihil itaque illis relictum fuit, unde vel speciem accusationis effingere possent, nisi fortè, manûs extensionem, aut manum ipsam, quòd illo jubente ac volente restituta esset, accusantes, sensu communi planè se carere ostenderent. Redarguti itaque primùm rationibus fuêre ; mox verò reipsà multò magis et spectaculo exhibito perturbati ; quibus omnibus, illorum non solùm inscitia, sed et invidia patefacta est, et Christi virtus illustrior testatiorque evasit.

Vers. 11. — Insipientia. Unde debuerant ad meliora adduci, fidem, inquam, in Christum, et rectam de sabbati cultu doctrinam, auditis rationibus, tam illustri miraculo suffultis ; inde deteriores sceleratioresque evaserunt, quæ summa insipientia est. Verbum Græcum, amentiam propriè vertas, q. d. : Versi sunt in furorem, in rabiem acti sunt, dùm ferre non possent pondus illud rationum rerumque quo opprimebantur et apud adstantes pudefiebant. Cujus furoris violentiam cùm ultra non possent intra se continere, mox egressi synagogâ illum evomuerunt ; hoc est enim id quod sequitur :

Et colloquebantur ad invicem, mutuis sermonibus auditis inibant consilium, indagabant.

Jesu, ipsi Jesu, quo ipsum è medio tollerent, quam rationem inire possent quâ possent ipsum perdere. Non enim ferebant invidi gloriam Jesu, doctrinis rationi tam consentaneis, et miraculis adeò magnificis, de ipsis quidem triumphantis, populi verò animos in suî admirationem trahentis simul et sibi devincientis. Doctrina igitur pietatis, miraculo stabilita, ita à reprobis excepta est, ut docti et convicti, deteriores etiam redditi sint, et virulentiam suam magis ac magis profuderint.

Vers. 12. — Exiit civitate in montem vicinum stagno Genesareth, orare, ad orandum. Secessum quietemque captavit, ut aliàs quò liberiùs orationi vacaret, quem, nisi vellet, non poterant tumultus strepitusve quicumque orantem turbare aut distrahere, nobis ergo in exemplum.

Pernoctans. Totam illìc noctem perseveravit orans Deum, noctem illam orando transegit. Non quotidiano more rogavit Patrem, sed totam noctem in precibus consumpsit, declarans quàm esset de Ecclesiâ suâ sollicitus. Nam quia posterâ die electurus erat sibi collegas administrandi Evangelii, futuros Ecclesiæ doctores et pastores, et concione expositurus evangelicæ perfectionis et prædicationis, doctrinæ suæ, summam, idcircò, tam seriò à Patre postulavit, ut electioni concionique suæ præesset. Cæterùm, non tam suâ causâ precatus est quàm ut legem nobis præscriberet, ut à precatione ordiamur, maximè quoties eligendi sunt Ecclesiis pastores. Prudentiâ enim destituimur et consilio ; atque ut maximè simus perspicaces, nihil tamen facilius quàm in hâc parte aut decipi aut affectuum violentiâ abripi. Adhæc, ut summa in electione viguerit dexteritas, infeliciter tamen cedent omnia, nisi Dominus regendos suscipiat qui fuerint electi, ac dotibus necessariis instruat.

In oratione Dei. Orationem Dei evangelista vocat eam quâ Christus orabat Deum, q. d. : Totâ nocte orabat Deum Patrem.

Vers. 13. — Vocavit, advocavit discipulos suos, quos jam habebat perpetuos comites, aliquos eorum, *quos voluit ipse*, Marc. 3, v. 13, aliquos eorum qui se disciplinæ ipsius tradiderant, ejusmodi ex quibus vellet apostolos eligere, non quidem pro meritis illorum, sed pro suo beneplacito. Non dubium enim quin hoc verbo Marcus significet, non ambitioni aut meritis hominum apostolatum delatum fuisse, sed pro Christi Domini liberrimâ, prudentissimâ atque æquissimâ voluntate et indubitatâ auctoritate collatum, quod notat et Beda. Nam si dicas electos fuisse, qui cæteris essent præstantiores, non quadrabit hoc in Judam ; nec perfectos formatosque elegit, sed à se formandos. Ita verò et Paulus, Dei voluntatem ac beneplacitum in suo apostolatu sæpè commendat, 1 Cor. 1, v. 1 ; Ephes. 1, v. 1 ; Gal. 1, v. 15.

Et elegit, et postquàm elegisset, conjungitur enim hic versiculus 13 cum 17 ; *Et* sive tunc *descendens cum illis, stetit*, etc., ita ut tres interjecti versiculi, continentes nomina apostolorum, includantur parenthesi. Interpres, qui participium hìc mutavit in verbum, sententiam reddidit clariorem.

Elegit autem duodecim, ad apostolatum : nam ad Evangelii gratiam, hoc est, ad singulorum salutem, omnes discipuli electi erant. Duodecim itaque discipuli hìc segregantur, ad apostolatûs quem gesturi suo tempore essent tyrocinium, qui ipsius ubi fuissent individui comites, continuique ipsius doctrinæ auditores, et spectatores operum, idonei aliquando forent, qui orbi Christum annuntiarent, ipsique prædicandi Evangelii partes obirent. Duodenario autem

Vers. 13. — Vocavit discipulos suos, qui hactenùs non nisi discipuli fuerant, continui auditores doctrinæ, et spectatores operum ; nunc eos mittere incipit ad colligendam messem, ad quod verbo et exemplo formaverat, atque ita hâc missione eos Apostolos fecit, et, etiam apostolos nominavit, q. d. missos, quia generaliter in universum missi sunt ; quamvis ex etymologiâ etiam aliis competat, sicut cæteris septuaginta duobus discipulis hoc tribuunt nonnunquàm veteres. Ut autem hæc missio non esset potestate vacua, vel eorum doctrina novitate contemptibilis, vel prædicationis, tanquàm legationis divinæ, potestas arrogata videretur, miracula velut sigilla commissionis et auctoritatis appendit. Nam dedit illis potestatem spirituum immundorum, id est, super spiritus immundos, nempe *ut ejicerent eos*. Vocantur *immundi*, non naturâ, sed vitiis, quia omni immunditiâ delectantur, horrent et sectantur sanctimoniam, ex quo à divinâ puritate ceciderunt. Hæc autem potestas ejiciendi spiritus, curandique infirmitates non erat inhærens Apostolis, sicut Christo, sed stabiliter addicta, et assistens ex divinâ voluntate, quo conciliaretur eis, tanquam legatis, reverentia, auctoritas, fides ex miraculis, quæ deerat ex ingenio, eloquentiâ, opibus, pompâ, comitatu.

Duodecim. Duodecim non casu, sed divino consilio electi sunt, ut satis indicatur Act. 1, v. 26, 21, et ult. Rationes tangunt veteres : primam, ut, quia

numero Ecclesiæ instaurationem notare voluit quòd, sicut carnali generatione ex duodecim Israelis filiis populus Judæorum, innumerabilis ille, in duodecim tribus distinctus, prognatus est, ita spirituali nativitate (qualem Paulus describit, 1 Cor. 4, v. 15; Gal. 4, v. 19; Philem., v. 10) ex duodecim apostolis tanquàm alteris patriarchis progrederetur multitudo credentium juxta multitudinem arenæ quæ est in littore maris : ita ut isti honoris gradu et fœcunditate sobolis non modò patriarchis non cederent, sed etiam longè præcellerent. Duodecim enim tribus Israel, typus quidam fuêre Ecclesiæ Dei, ex omnibus populis colligendæ ; quæ ratio ab ipso videtur Salvatore indicata, Matth. 19, v. 28. Sunt qui morem dicant fuisse Judæis, ad res graviores firmandas, duodecim testes adhibere, eòque respexisse Salvatorem.

Apostolos, vernaculâ linguâ Syrorum *Selihe ;* certè sic vocat passim Syriaca editio, tanquàm missos, à *selah,* quod est, mittere. Apostolus vocabulum est Græcum, Ecclesiæ ac scholæ Christi, ut alia multa, familiare, quod Latinè dicas legatum, nuntium qui ore negotium agit, deductum ab ἀποστέλλειν, quod est, amandare, emittere cum mandatis ; quâ voce etiam ferè utuntur evangelistæ, ubi de apostolorum missione loquuntur. Atque hunc in modum apostoli nomen interpretatur Salvator ipse qui indidit, Joan. 13, v. 16, ubi ait : *Neque apostolus major est eo qui misit illum ;* apparetque libenter vocabulo isto Dominum et evangelistas usos fuisse, quòd frequentissima sit mentio missionis et missorum apud prophetas. Ornavit itaque ipsos elogio isto, quod tamen officii est magis quàm dignitatis, ut scirent quorsùm è vulgari numero sepositi, et in quem usum destinati forent, nimirùm, ut emitterentur aliquando, legatorum in morem, ad annuntiandum hominibus ea quæ Dominus mandâsset, quò in eum finem seriò se pararent. Apostoli ergo, missi et legati sunt Domini, ipsius mandata referentes iis ad quos missi sunt. Quare Paulus, *Pro Christo,* ait, *legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos : obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo;* 2 Cor. 5, v. 20. Hìc itaque discipulorum ad apostolatum electio describitur ; missionis functionisque initium, infra cap. 9, v. 1, 2, 6.

Vers. 14. — Simonem. Simon et Simeon idem unum sunt nomen diversimodè prolatum, quòd à *samah* audire derivatum est. Quoniam, inquiebat Lia, *audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, et vocavit nomen ejus Simeon,* sive ut Hebræi pronuntiant, *Simhon,* Gen. 29, v. 33.

Quem cognominavit, quem et nominavit, sive quem eumdem nominavit, ut intelligas binominem fuisse, quanquàm aliàs cognomen vocetur.

Petrum, vernaculâ linguâ quâ Salvator utebatur, *Cepha* (quod ad formam Græcorum nominum flexum effertur *Cephas*), Græcâ et Latinâ *Petrus.* Significatio est autem petræ sive rupis. Et quanquàm, omnes Christianos, vivos spiritualis templi lapides esse oportet, 1 Petr. 2, v. 5, Christus tamen pro excellentiâ gratiæ quâ Simonem instruere volebat, peculiare ei Petræ nomen imposuit, eò quòd ipse futurus esset caput et robur fidei ipsius. Mutatio enim nominis, quæ à Deo facta in Scripturis legitur, semper doni alicujus spiritualis significationem habet. Quare et præ aliis peculiariter familiarem habuit, ut sanè eum ad plura quàm alios adhibuit, id quod clarè testantur historiæ evangelicæ. Sic et Abrahæ, Saræ ac Israeli, qui ut carnalis Israelis auctores, ita spiritualis typi fuêre, nova nomina à Deo fuêre indita, Gen. 17, v. 15, et 32, v. 27, 28.

Philippum. Judæi mixti gentibus, liberis suis etiam gentium nomina imponebant.

Bartholomæum. Id nominis quidam interpretantur *filius Ptolomæi,* quanquàm ipsi *th* non præponatur *p,* sive Latinè, sive Græcè, sive Syriacè ; quidam malunt *filium tholmai,* quod nomen frequens in Bibliis legitur multis seculis antequàm Ptolomæus ullus natus esset, Jos. 15. v. 14, 2 Reg. 3, v. 3, etc. Hi duo, Philippus, inquam, et Bartholomæus, putantur graves atque il-

duodecim tribus typus erant Ecclesiæ, ex omnibus gentibus colligendæ, duodecim etiam apostoli, quasi alii duodecim patriarchæ et Patres eam generarent, ut indicat Iren., l. 4, c. 38, Theophyl., imò ipse Christus, Matth. c. 19, v. 28. Alteram sæpiùs tangit Aug., ut in Ps. 59 et alibi, quia duodenarius constat ternario, in quaternarium ducto : apostoli autem Trinitatem in quatuor orbis partes erant prædicaturi. Nominatim recensentur, ut constaret tum divinæ electionis ratio infirma mundi eligentis tum firmitas testimonii ipsorum, quod de rebus maximis toti orbi reddere debebant.

Vers. 14. — Simonem ; *primus* vocatur Simon in Matth. 10, 2; non ætate, quia senior erat Andreas, ut Epiphan., hæresi 51, num 19, nec vocatione, quia idem Andreas imperfectâ vocatione, scilicet ad credendum, prior vocatus fuit, Joan. 1, v. 40 et 41, perfectâ verò ad apostolatum simul cum Petro, Matth. 4, v. 18. Nec etiam solâ necessitate numerandi primus ponitur; sic enim qui sequitur, secundus dici debuisset; neque casu, quia utique ponitur Petrus in Evangeliis primus, cæterorum verò ordo mutatur. Itaque primus auctoritate et electionis dignitate, sicut Judas semper collocatur ultimus; q. d., et omnium apostolorum primus, id est, præcipuus et quasi vertex Simon, inquit Chrysost. in cap. 1 Act. Et ex hoc loco desumpta videtur vox *primatûs Petri,* quam usurpat August., tract. ult. in Joan., et alii veteres. Unde Beza, cæteris impudentior, hâc voce perstrictus, audet suspicari ab aliquo primatûs papæ fautore vocem, *Primus*, fuisse additam. Quem cognominavit Petrum, ut distinguatur à Simone Chananæo. Et Andream fratrem ejus. Matth. apostolos recensendo sex binarios per copulativam efficit; unde videtur eos ita binos enumerare, sicut à Christo conjugati et bini missi fuerant ad prædicandum, Marc. 6, v. 7. Hinc fratres conjungit, ad significationem concordiæ. Quem cognominavit petrum, Syriacè *Cephas,* quod petram seu rupem sonat, immobilem scilicet, nam Joan. 1, v. 42, nomen illud promiserat, hìc imponit, Matth. 16, confirmat.

Vers. 15. — Simonem qui vocatur Zelotes. Apud Matth. : *Simon Chananæus;* non à terrâ *Chanaan*, seu *Chananæa;* repugnat enim orthographia tam Latina, Hebraica, quàm Syriaca; sed à *Canâ*, oppido vel vico Galilææ, ut Hieron., unde rectiùs fortassè *Cannæus* diceretur. Hoc autem nomen quia secundùm etymologiam Hebraicam denotat zelum, nam *kanne* significat *zelari;* hinc à Lucâ et Act. 1, vocatur *Simon Zelotes;* quamvis Scaliger velit Zelotem esse

lustres viri fuisse, et Scripturarum studiosi, quanquàm non multa ipsorum in sacris Litteris sit mentio.

VERS. 15. — THOMAM. Syrus *Thoumo*, nomen quod interpreteris *geminus*, à *thaam*, quod Hebræis et Syris est geminare.

ALPHÆI, scilicet filium ; non illius tamen Alphæi, cujus filius Matthæus fuit, Marc. 2, v. 14, sed illius qui maritus fuit Mariæ Cleophæ, sororis matris Domini, Joan. 19, v. 25. Hic Jacobus minor aliàs dictus est, Marc. 15, v. 40, Zebedæi filius. Jacobus major, propter ætatem, quia hic senior, ille junior erat, qui à Paulo vocatur frater Domini, Gal. 1, v. 19. Auctor est unius ex canonicis epistolis, cui episcopalis in Jerosolymis delata ab apostolis fuerat sedes, Euseb., lib. 2 Hist. eccles., c. 23. Affines etiam elegit Jesus, quia affines non sunt rejiciendi ab iis officiis ad quæ sunt non minùs aliis idonei : non tamen aliis sunt præponendi, nisi sint magis idonei.

ZELOTES. Hebraicè *kanna* dicitur, non *Canana*. Exodi 20, v. 5, et aliis locis, *el kanna*, Deus zelotes Syrus hoc Matthæi loco habet quod liceat legere *kannaio*. Interpres è Syro transcribit *kenanaio ;* sed nihilominùs interpretatur, *zelotem ;* ita ut res clara sit, hoc apostoli cognomen, sive, *Cannæus*, proferas, sive, *Cananæus*, à gentis Chananæorum nomine minimè sumptum esse : illud enim scribitur non per *koph* sed per *caph canahni* à *Canahan* filio Cham, Gen. 10, v. 15, 18. Cæterùm an à zelo hoc nominis obtinuerit iste Apostolus, an à loco sic dicto, remanet dubium. Hieronymus ita cognominatum putat à vico Canâ Galilææ, ad distinctionem Simonis Petri, et aliorum Simonis nomine vocatorum.

VERS. 16. — JACOBI, scilicet fratrem ; Judæ cap. 1, v. 1 ; quanquàm Syrus addat, *filium* Jacobi. Aliàs Thaddæus fuit et Lebbæus vocatus.

ISCARIOTEM, ita dictum, juxta B. Hieronymum, vel à loco ex quo oriundus fuit, vel à tribu, sed non sine vaticinio facinoris ab eo perpetrandi, cùm Issachar mercedem sonet, Gen. 30, v. 18, quâ vili ille acceptâ, prodidit Dominum suum. Quidam, qui à loco nativitatis ita dictum putant, formant nomen ab *is* vir et *carioth* civitate tribûs Judæ, Jos. 15, v. 25, quasi dicas, vir Carioth, id est, Cariothensis, quemadmodùm Esdræ cap. 2, v. 22, 23, dicuntur *viri Anatoth, viri Netupha*, etc., qui ex eis locis oriundi erant. Cæterùm evangelistæ adjecerint vulgari nomini formam Græcam, *Iscariothes*, ut solent aliis nominibus propriis, licèt Iscarioth tantùmdem valeret. Porrò multi Latini libri scribunt *Scariotes*, omissâ *i* litterâ, quo modo et Syrus habet *Scariouto :* ubi hoc ipsum fieri videtur, quod alibi fit à scriptoribus ecclesiasticis Græcis, quando Σπανίαν dicunt pro Ἱσπανία, Hispania.

TRADITOR, prodidit postea ; nam per anticipationem istud dictum est. Cooptavit autem Salvator unum hujusmodi in ordinem apostolorum, quem, si tunc non fuit hujusmodi, malus, inquam, et perversus, adeòque proditor, scivit fore hujusmodi (Joan. 6, v. 70), providentiâ æquissimâ, ut datâ proditori familiariori suî copiâ, esset ipsi prodendi facultas, itàque impleretur decreta Domini passio ; non quòd nobis liceat malos, aut eos quos malos fore suo modo præsciamus, ad functiones sacras ullo modo assumere, sed, partim ut ne turbemur, dùm præter opinionem nostram, eorum quos ad sacra ministeria assumpserimus, aliqui reddantur mali ; partim ut ne propter malos deseramus bonos, ut propter Judam relinquendi non erant alii apostoli. Significavit enim, in Ecclesiâ suâ, et in omnibus illius ordinibus, semper fore malos permixtos bonis, donec permundetur area ; et nequaquàm enervari aut inanem reddi sacramentorum administrationem, propter ministrorum indignitatem. Porrò cæteri, quos ad apostolatûs honorem Salvator assumpsit, etsi non mali, ignobiles tamen, pauperculi, rudes atque idiotæ penè omnes fuêre, idcircò, juxta apostolum Paulum, *ut ne glorietur caro, aut evacuaretur Christi crux*, 1 Cor. 1.

VERS. 17. — ET, tunc, DESCENDENS, cùm descendisset, scilicet ex cacumine montis, vel ex superiore monte ; Mosis referens exemplum, qui legem populo è monte attulerat, Exod. 34, v. 29.

CUM ILLIS, duodecim, in apostolos à se electis, summam legis evangelicæ et totius doctrinæ suæ unà cum populo audituris.

STETIT, circumspectans eòque convocans, exhibitione præsentiæ suæ, eam quæ confluxerat multitudinem. Nam postquàm advenerat ad se multitudo, et sanata fuerat à plagis suis, tunc docturus sedit, quod habet Matthæus, cap. 5, v. 1.

IN LOCO montis CAMPESTRI, in loco montis inferiori, æquabili, et multorum capaci (hujusmodi enim, ob declivitatem, commodus est, ut multi videre audireque docentem possint), in quem descenderat è supremo monte, ubi, noctem oratione transmiserat, exortoque die apostolos ordinaverat. Lege in hanc sententiam Augustinum, libro 2 de Consens. evang.

---

dictum, quia à sectâ Zelatarum, de quibus apud Josephum, ad Christum conversus fuit.

VERS. 16. — ET JUDAM ISCARIOTEM. Ita vocatum volunt Hebraicè, alii à marsupio, alii à mercede venditi Christi, alii à strangulatione per anticipationem, alii à tribu Issachar; sed horum pleraque meræ chimeræ sunt. Verissima videtur illa et simplicissima opinio, quæ, ut Hieron., ab urbe deducit, nempe Carioth, in tribu Judâ, Josue 15, v. 25, et Jerem. 48, v. 24 et 41, quasi dicas: *Isch, Kerioth, virum Carioth*, id est, Cariothensem : nam hâc formâ exprimunt Hebræi sæpè sua patronymica, ut *viri Bethleem, Anathoth*, pro Bethleemitis, Anathotitis, 1 Esdræ v. 22 et seq.

VERS. 17. — STETIT IN LOCO CAMPESTRI. Multi putant diversum esse sermonem istum ab eo, quem, cap. 5, describit Matth., propter apparentem multarum circumstantiarum differentiam ; sed rectiùs Ambr. in Lucam, Chrysost., Theophylactus, et alii, eumdem fuisse putant, à quo non abhorret August., lib. 2 de Consensu Evangelist., c. 19 in fine. Itaque hic videtur ordo fuisse rei gestæ, ut scilicet juxta Matth. Christus videns turbas, ut eas declinaret, in montem ascenderit, et ibi noctem orando transegerit; mane verò facto multos discipulos ad se vocaverit, et ex eis duodecim apostolos constituerit, prout narrat hæc Lucas, d. c. 6, v. 12 et sequentibus,

sub finem capitis 19. Sedit autem ; id enim congruit auctoritati docentis.

Et turba reliqua à duodecim electis (multos enim sui sequaces habebat discipulos), scilicet stetit eo loco.

Copiosa, multa, id est, magna.

Ab, ex omni Judæa, omni parte terræ Israeliticæ. Videtur hìc generaliter accipere Judæam ; vide quæ diximus supra.

Et Jerusalem, etiam ex ipsâ Jerusalem. Nomen hoc metropolis Judæorum, Græcè, et apud classicos auctores Latinè, ferè neutri generis plurali numero effertur *Jerosolyma* et *Solyma* ; nonnunquàm tamen et numero singulari generis feminini *Jerosolyma*. Porrò non sacra Solyma nominis interpretatio est (neque enim Græcum est nomen aut ex Græco mixtum) sed hoc idem est nomen quod Hebraicè *Jerusalem* sive *Jerusalaim* effertur. Videtur urbs ista regia, primùm *Sedec* vocata fuisse, quod est *justitia* ; hinc enim reges illius appellantur *Melchisedec*, *Adonisedec*, Gen. 14, v. 18 ; Jos. 10, v. 1, *Rex justitiæ*, *Dominus justitiæ*. Posteà verò dicta est *Salem*, quod est, *pax*, Gen. 14, v. 18. Tandem nominata est *Jerusalem*, facto ex conjunctione nomine, conjunctione, inquam, verbi *raah*, quod est videre, cum nomine *salem*, quâ distingui posset ab alterâ *Salem*, de quâ Gen. 33, v. 18, quòd hæc editiori loco in montibus sita, procul undique videretur, *præ cæteris Judææ urbibus, inter omnes accolas eminens velut caput in corpore*, ait Josephus, libro 3 de Bello, cap. 2 ; vel potiùs ex re ab Abrahamo gestâ, Gen. 22, v. 14, sumptâ nominis ratione. Nam cùm Abraham loco filii ariete sacrificato quem in vepribus hærentem offenderat, dedisset loco nomen, *Iere Adonai*, videbit seu providebit Dominus, aut *Dominus videt*, quod nos habemus ; ex illo, *Iere*, et vetustiore appellatione, *salem*, formatum est nomen *Jerusalem*, tanquàm dicas : Dominus videbit aut providebit pacem sive holocaustum pacis. Nimirùm propter sacrosanctam passionis Christi mysterium, illic aliquando peragendum , tam augusta nomina sunt huic loco, Deo agente, à principio posita ; quo mysterio justitia, pax atque felicitas toti orbi procuranda erat ; nam Jebus, quæ appellatio huic urbi aliquando à vulgo est attributa incolarum, non urbis propria fuit.

Et maritima regione et Tyri et Sidonis, tum Tyri, tum Sidonis, dictâ Syrophœniciâ ; nam Tyrus et Sidon cùm maritimæ sint urbes, est et regio illarum maritima. Græcè et Syriacè clariùs omittitur prius *et*. Hæ civitates vicinæ imò conterminæ Galilææ sunt, eâ parte quâ sorte cecidit tribui Aser, Jos. 19, v. 28, 29, et quanquàm existiment nonnulli eas ad sortem Aseritarum pertinuisse, id quod de Sidone quidem liquidum fieri videtur, Jud. 1, v. 31, nunquàm tamen Hebræorum acceperunt imperium : nedùm religionem, Deo id credo nolente, ut à gentium commerciis essent abhorriores Hebræi. Tyrus, à rupe nomen habet undequàque altissima in quâ est ædificata, conversâ litterâ *sade* in *tau* : nam *sur* Hebraicè, et rupis et urbis istius nomen est ; *Sidon*, vel a Sidone primogenito Chanaan, Gen. 10, v. 15, ita vocata est, quod putant nonnulli, vel à piscatione pisciumque copiâ, ut mox Bethsaida, quod alii. Sitæ sunt civitates istæ ambæ in eodem maris Mediterranei littore, (nam Tyrus, cùm esset insula, ab Alexandro magno conjuncta est cum continente à parte orientis) à se mutuò dissitæ ducentis circiter stadiis, ambæ opportunissimo instructæ portu, ambæ quoque proinde emporia nobilissima, veteribus scriptoribus tam profanis quàm sacris celebrata, de primatu dubio olim certamine contendentia. Horum propter viciniam infamis apud Judæos erat impietas vitiositasque, ut illiusmodi maritima loca, ab exteris perpetuò frequentata nationibus, à negotiosâ illâ, quæstuosâ, ac voluptuosâ vitâ, ad religiosam excoli vix unquàm possunt.

Vers. 18. — Eum, docentem. Syrus vertit, *sermonem ejus*.

Languoribus, morbis. Quidam venerant ut audirent eum, quidam ut sanarentur, quidam propter utrumque.

Qui vexabantur, qui turbabantur, qui molestabantur.

Immundis ; diximus alibi cur ita vocantur.

Curabantur ; Gr., et curabantur seu sanabantur. A Græcis et Syris additur conjunctio *et;* quare non incipit illis nova periodus ab illis verbis : *Et qui vexabantur*, sed adhuc pendet sententia à superioris versiculi initio, et subaudiendum est hìc, *steterunt*, ut in superioribus ; quodque sequitur *et curabantur*, intelligendum est, omnes et dæmoniaci, et alii qui aderant ægroti, qui sensus aptior est quàm sententia nostræ editionis, cujus interpres vel non legit conjunctionem illam, vel accepit pro *etiam*. Sanaverat Jesus plerosque pridiè antequàm montem ascenderet, quod testatur Marc. cap. 3, v. 10, 11 ; nihilominùs postridiè quando descendit, alios rursùs sanavit, quod hìc ait Lucas, ut semper accedebant et adducebantur alii atque alii, et hìc quidem opportunè, ut major auctoritas adderetur et fides conciliaretur novæ Evangelii doctrinæ mox proferendæ.

Vers. 19. — Omnis turba, unusquisque è turbâ, cui sua sanitas minùs constans esse videbatur.

Eum tangere, occasionem tangendi eum, aut aliquid ejus vel minimum.

Quia jam sæpiùs experti fuerant quòd virtus, efficacitas et vis certa sanandi de illo, ex eo, exibat, quod ad actum sanandi ; quod est, exerebat se. Vir-

Deinde descendens cum illis è vertice montis, stetit in loco ejusdem montis *campestri*, ut Lucas, hoc est, aliquanto inferiori et magis æquabili, turbarum capaci, ubi post edita rursùs signa curationum quidem sedit, ut Matth., et partim ad discipulos, ut hìc initio dicitur, partim ad turbas concionem istam habuit, ut ex c. 7, v. 28, patet. Itaque *ascendit in montem*, turbas vitandi, orandi, apostolos creandi causâ, ac denique ut altissimam perfectionem vitæ christianæ traderet. *Et cùm sedisset*, pro dignitate magistri, *Accesserunt ad eum discipuli*, id est, propius cinxerunt, quàm cæteri.

tutem si accipias propriè, erat in Christo homine, quippe etiam Deo virtus omnipotens, ipsi intrinseca, et non aliunde accepta, sed propria ut Deo; quæ tum ex illo exisse dicitur, cùm in alios sese exereret. Porrò non poterat illa se exerere Christo aut invito aut inscio; sed adeò efficax, certa ac præsentanea, Christo ipso faciente, fuisse significatur, erga eos à quibus fide petebatur, ut sponte suâ fidem ipsam sequi, excipere, amplectique videretur.

Et sanabat confestim, ex tempore afferebat integram solidamque sanitatem. Non enim virtus quæ in ipso erat, sed virtutis illius effectus, id est, sanitas, exibat ex illo, quemadmodùm exit à sole lumen, ab igne calor, ex fonte aqua.

Omnes, quotquot fide tangerent ipsum, quocumque detinerentur morbo, curabili vel incurabili, magno vel parvo, publico, vel secreto.

Vers. 20. — Et, posthæc, his peractis, ipse sedens, Matth. 5, v. 1, ut congruit auctoritati docentis.

Oculis; *suis* additur Græcè et Syriacè.

In discipulos suos, sibi proximos, præsertim duodecim illos quos jam creaverat apostolos, quos præ omnibus præsentibus docere, instruere et animare voluit, futuros aliorum ipsiusque orbis doctores, quos et proinde præ omnibus voluit horum verborum esse memores, interpretes et promulgatores.

Beati estis vos pauperes, qui, omnibus meâ causâ relictis, pauperem vitam degitis, nec ullas sectamini hujus mundi divitias, contenti iis quæ Dei providentia in dies procurat, postquàm feceritis quod vestri est muneris; et alii vobis similes. Istos beatitudinis gradus, quos Matthæus tertiâ personâ generaliter extulit, Lucas secundâ personâ ut ad discipulos dictos refert. Verisimile est enim Salvatorem, primùm quidem apostolos allocutum, beatos eos prædicâsse; deinde verò, quod particulatim apostolis dixerat, omnibus qui ipsos imitarentur promisisse. Nam haud existimandum est, tam brevibus verbis quàm ab evangelistis describuntur, absque omni latiori declaratione, aut explicatione, hæc abs Jesu fuisse pro concione proposita.

Beatitudinem omnis homo expetit, atque iis omnibus quæ agit quærit, quippe finem ultimum suum et absolutam perfectionem, nihil tamen est in quo ita miserè homo erret ut in eo in quo sita sit beatitudo, et quæ sint ad beatitudinem perveniendi media. Quare id principio Salvator docet, quod pollicentur omnes qui se sapientiæ doctores profitentur, in quo ipsa sita sit beatitudo, et quæ sit certa ad eam pertingendi via. Docet autem hâc in re longè aliud, quàm, aut philosophi docuerint, aut vulgus hominum sentiat, quin imò ex diametro contrarium. Illorum enim omnium judicio, beatitudo à præsenti statu æstimatur, felicem esse qui omni molestiâ exemptus ac votorum suorum compos lætam et quietam vitam agit. Salvator autem, eos qui improborum injuriis premuntur, et variis ærumnis subjecti sunt, mediis in miseriis beatos pronuntiat, ut rectam proximamque tenentes viam ad beatitudinem, quæ non nisi futuri sit seculi. Præ cæteris mundus beatos divites clamat, miserrimos autem pauperes (*Beatum enim dixerunt populum cui hæc sunt,* Psal. 143, v. 15), Salvator pauperes inprimis beatos prædicat. *Beati,* inquit, scilicet sunt, beatitudinis tum inchoatione, quemadmodùm gemma est uva, tum maximè exspectatione infallibili; hìc enim *spe salvi facti* ac beati *sumus,* Rom. 8, v. 24.

Pauperes, οἱ πτωχοὶ, mendici, inopes, quibus nullæ sunt opes terrenæ, nullæ hujus mundi divitiæ. *Mescine,* dicit Syrus, quod idem Italus *Meschino.* De his enim qui non figuratè, sed propriè pauperes dicuntur, hanc Domini sententiam interpretatur Chromatius Papa, inter alios, tum in dissertatione tum in declamatione quas scripsit in hunc Domini sermonem, et quidem egregiè. In Matthæo additur: *Spiritu;* non enim omnes pauperes beati (nam complures, substantiâ pauperes, divites sunt affectu, miserrimâ vitæ conditione) sed qui *spiritu* hujusmodi sunt, voluntate nimirùm à Spiritu sancto afflatâ, (fit enim hominis mens atque voluntas, ex Spiritûs sancti afflatu, spiritus) animo spiritualia amanti quærentique, ex fide in Deum et amore agente; nec enim quæcumque voluntas, quicumque assensus sufficit, ut beatus sit, qui pauper sit. « Non omnis paupertas felix est, inquit « Chromatius, quia fit sæpè ex necessitate, fit nonnun« quàm per pessimos mores, fit etiam ex indignatione « divinâ. Beata ergo paupertas est spiritalis, eorum « scilicet hominum qui spiritu et voluntate pauperes se « faciunt propter Deum, renuntiando seculi bonis, « substantiam suam ultrò erogando; qui contemptis « mundi divitiis, spretâque seculi facultate, ut Deo « fierent divites, mundo esse pauperes voluerunt. Hi « tales pauperes quidem seculo videntur, sed Deo di« vites sunt, egentes seculo, sed Christo locupletes. » Primùm ergo ac præcipuè beati hìc prædicantur qui obsecuti fuerint Salvatoris consilio, Matth. 19, v. 21: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me;* qui non solùm nullas habent aut appetunt divi-

Vers. 20.— Dicebat, quasi reclusis sapientiæ cœlestis fontibus, tanquàm magna et seria, et divina mysteria, quæ hactenùs tacuerat, prolixè tradens. Hæc enim ad perfectum Christianæ vitæ modum pertinent, ut August., lib. 1 de Sermone Domini in monte. Est hic sermo summa perfectionis evangelicæ seu novæ legis.

Beati. Aptissimum exordium doctori sapientiæ, tradere, in quo sita sit beatitudo. Hanc enim velut finem omnium omnes omninò appetunt, sed in quo sit sita, et quibus mediis obtineatur, miserrimè allucinantur. Porrò beati hìc infra pronuntiantur non qui reipsà, sed spe beati sunt, quia rectissimâ viâ ad beatitudinem tendunt. Quà de causâ ratio singulis subjecta futuram vitam spectat; quamvis verum sit, quòd præmia singularum beatitudinum etiam in hâc vitâ inchoentur.

Pauperes. Duæ interpretationes hìc celebres sunt. Una per *pauperes spiritu* intelligit humiles, qui non habent inflatum spiritum, quasi vacui et inopes præsumptione atque inflatione: superbi enim dicuntur inflati, quasi vento seu spiritu distenti. Ita August.

tias, verùm etiam ea omnia quæ habuerant et habere potuerant sponte propter Deum dereliquerunt. Hujusmodi beatus pauper fuit ipse Christus inprimis (2 Cor. 8, v. 9), qui primus singula ista quæ hic docet et laudat, perfectè observavit, absolutum se præbens exemplar omnibus; tum Christi sequaces apostoli. Deinde verò beati hìc prædicantur, qui eam, in quâ Deo volente degunt, paupertatem æquanimiter ferunt, et, præ amore erga Deum, divitiis præponunt, nequaquàm quærentes divites fieri, sed à Domino exspectantes quibus opus est postquàm fecerint id quod vocationis ipsorum est. Demùm illi hìc beati postremo gradu pronuntiantur, qui, quas habent divitias, tanquàm non habentes sunt, non illis cor apponunt, non confidunt, non amant, non pro divitiis ducunt, quibus ipsi, aut boni sint aut honore digni, aut felices, aut pauperibus præferendi, non avarè asservant vel augent, sed dispensant ut oportet, integrè avaritiæ renuntiantes, denique ea præstant omnia quæ divitibus hujus seculi præcipit Apostolus, 1 Tim. 6, v. 17, 18, 19, omninò autem sic sunt animo comparati, ut ubi pietatis ratio id exigat, incunctanter opum omnium jacturam facere statuant; nam et isti suo modo sunt pauperes. Hàc ergo primâ sententiâ voluntaria paupertas opumque periturarum contemptus commendatur, radix evangelicæ perfectionis, et proxima ad beatitatem via. Nam et è contra, Apostolo doctore, 1 Timoth. 6, v. 9, 10, *philargyria*, studiumque divitiarum, *malorum omnium radix est* et certa hominis perditio. Beati itaque pauperes cùm à Christo veritate pronuntientur; rectè concludit D. Ambrosius, lib. 2 Offic., cap. 4: *Nullum ergo adminiculum præstant divitiæ ad vitam beatam.*

Quia, rationem addit cur beati sint pauperes: non enim in paupertate beatitudo consistit, sed medium est paupertas quo beatitudinem assequaris. Paupertas enim, indigentia est rerum quæ licitè ad vitæ conservationem expetantur; beatitudo autem omnem indigentiam rerum quæ licitè expetantur excludit, quinimò abundantiam affert et copiam, quippe qui status sit omnium bonorum aggregatione perfectus, quo habet homo quidquid vult, quidquid desiderat, et nihil mali vult, nihil mali desiderat. Cæterùm, postquàm rerum copiâ homo prævaricator abusus, à beatitudine excidit, nullâ restitui faciliori viâ quàm per inopiam potest. Rerum enim copia, mentem hominis semel vitiatam perpetuò irritat, ut vel se luxui det, vel sorditiei, ut vel profundat opes prodigus, vel asservet sordidus, vel adaugeat avarus, ut speret in pecuniâ ac thesauris, in multitudine divitiarum suarum, et à Domino recedat cor ejus sollicitus ut congreget, anxius ut conservet, perpetuis distentus curis ut accumulet. At paupertas, ea maximè quam homo spiritu colit, ut irritamenta vitiorum omnia excludit, ita virtutum omnium parens est, terrenis expedita curis ut Deo vacet, læta animo, secura mente, jactatâ sollicitudine omni in Dominum, tota ab illius pendens providentiâ curâque, certa nihil sibi defuturum, tantummodò Dominum timeat, eaque faciat quæ ille fieri ab homine velit. Ita ad beatitudinem redit homo pauper, qui à beatitudine dives exciderat. Et quidem prorsùs necesse non est reipsâ opes omnes reliquisse; animo tamen ut minimùm necesse est, ita ut nec fiduciam in opibus colloces, nec pro opibus, quæ te beatum felicemve reddant, ducas, denique paratus sis, ubi opus erit, reipsâ relinquere, sicut antè diximus.

Vestrum est, jam nunc est, amodò vobis debetur, certique estis vos accepturos id quod nunc appropinquavit.

Regnum Dei, sive *cœlorum.* Non dicit, quia sunt vobis veræ divitiæ: nam parvipendens, divitias reddere pro paupertate, promittit regnum; quemadmodùm è diverso Matth. 19, v. 24, divites excludit regno cœlorum. *Regnum cœlorum,* id est, vita feliciter æterna, inque æternum felix, quæ unâ in Dei visione potissimùm sita, variis dehinc nominibus describitur, pro congruentiâ cujusque generis bonorum hominum cui promittitur, ut diximus supra. Pauperibus, qui terrenas contempsêre divitias, et, quod divitiis parari ac stabile esse solet, regnum, quin præelegerunt servilem, inopem, humilemque vitæ conditionem in terrâ, congruit in cœlis regnum. *Regnum,* cum gloriâ eminentiam significat præcipuam, cunctarumque rerum abundantiam; *cœlorum* autem *regnum,* vera isthæc æternaque promittit: ita ad aspera adversaque carni,

lib. 1 de Sermone Domini in monte, c. 2, et alibi sæpiùs, et ante ipsum Tertull., lib. de Patientiâ, c. 11. Hilar., can. 2, Chrysost., Theoph. in Matth., et alii non pauci. Secunda exponit *Pauperes,* ut sonant, inopes scilicet divitiarum, non tamen quoslibet: non enim pauperes solâ necessitate, vel etiam quâlibet voluntate, quâ et Crates philosophus abjecit divitias; sed *spiritu,* id est, voluntate à Sancto Spiritu afflatâ, seu voluntate spirituali, non carnali. Ita S. Bernardus, serm. de Festo omnium Sanctor. Unde Basil. in Regulis breviorib., resp. 205, *pauperes spiritu* dicit esse, qui pauperes facti sunt propter doctrinam Domini, dicentis: *Vade, vende omnia,* etc., vel qui paupertatem quomodocunque oblatam ex voluntate Dei moderantur. Quibus addi potest et tertium genus pauperum, qui, etsi affluant divitiæ, cor iis non apponunt; sed affectu pauperes divitias non amant, sed administrant, parati omnibus exui propter Dominum. Hæc interpretatio magis textui congruit, tum quia vox Græca propriè *Mendicos* significat; tum quia Lucas eis opponit *divites habentes consolationem suam.* Utraque tamen sibi valdè vicina est: nam, ut August., proprius vermis divitiarum est superbia, quæ ex iis ferè oriri solet. Ex quo fit ut meritò tales pauperes spiritu, etiam simul humiles esse intelligantur. Et hinc est, quòd Hieron. et Hilar. utramque expositionem conjunxerunt. Qui enim ex animo et profundè imbibit se pauperem esse, hoc est, ut Hilarius, nihil penitùs, non solùm externas divitias, sed nec corpus nec animum esse suum, sed Dei, ille profectò simul spiritu pauper seu humilis est. Quia vestrum est: scilicet etiam nunc in præsenti, eò quòd certâ spe jure quodammodò ac debito mox persolvendo possidetis. Regnum Dei quod præter divitias quamdam eminentiam gloriosam omnium et abundantiam complectitur; et ideò rectè opponitur depressioni et paupertati. Nam quamvis regnum cœlorum comprehendat præmia omnium beatitudinum, diversis tamen nominibus exprimitur pro exigentiâ cujusque beatitudinis.

suos Salvator animat, cœlestium bonorum beatitudinisque promissione, cùm hìc, tùm in cæteris sequentibus promissionibus. Est enim regnum cœlorum, æternùm feliciter agere, ubi se ipso Deus et Deo sancti fruuntur; et cum Deo nihil, quod quidem rectè expeti possit, deest. Cœlorum hoc regnum appellatur pro eo quòd est cœleste, quia in terrâ à mortalibus nec videtur nec invenitur; in cœlis autem manifestat donatque illud Deus; dein quia cum cœlis æternum est, denique quia eos manet quorum mentes cœli sunt, hoc est, sedes Dei. Porrò quæ hìc promittitur variis ordine nominibus beatitudo, tametsi in futurâ vitâ reddenda sit, suo tamen etiam modo donatur et inchoatur in istâ; et quidem, quod ad regnum cœlorum pauperibus promissum, an non verè regnant, idque planè cœlesti modo, qui tyrannis iis, quos miserè ferre divites solent, avaritiæ, ambitioni, iræ, odio, curarum turbis, et cæteris hujusmodi, dominantur ipsi, cunctisque mundi opibus superiores, Deo toti inhærent, cui uni servire regnare est?

Vers. 21. — Nunc, in hâc temporariâ vitâ, in deserto hujus seculi; nam ad exitum ex Ægypto alludere hanc sententiam existimant quidam.

Esuritis, et sititis, famem sitimque frequenter æquanimiterque patimini (nunc præ cibi potûsque inopiâ, nunc spontè, præ ardore jejunandi, castigandi corpus, prædicandi verbi, etc.), cùmque opus est tenui victu sedatis, contenti vulgaribus, alieni à deliciis, comessationibus, ebrietatibus, et domo convivii. Vulgò miseri habentur qui famem sitimve pati sæpè coguntur: Salvator porrò hìc beatos eos prædicat; de corporali fame Lucas, de spiritali Matthæus expressiùs locutus est, alterque alteri lucem affert. Justitia de quâ Matth., ut generalis est virtus in se omnes virtutes complectens, accipitur pro omni eo quod virtuti, æquitatique consonum et Deo gratum est. Esuriunt autem et sitiunt justitiam, qui iniquitatem omnem tum in se tum in aliis omnibus exosam habent, desiderantque, id omne quod Deo gratum sit, à se atque ab omnibus præstari, in eoque magis semper ac magis profici; nec desiderant tantùm, sed et omni conatu satagunt, atque ita, ut frequenter eâ causâ etiam cibi potûsque inediam patiantur, alieni à comessationibus et ebrietatibus, addicti verò jejuniis et macerationibus carnis: majori enim affectûs ardore in justitiam feruntur, quàm famelici aut sitibundi in cibum et potum, quippe quam ad vitam spiritui suo nôrint inprimis necessariam, nec alias adhæc esse illi pares delicias. Leviter ea appetenda Salvator docet, in quorum curâ vulgus miserè adeò torquetur, cibum, inquam, et potum; felices esse, qui famem et sitim hanc à rebus corporeis et perituris transferunt in meliora, ad appetendam justitiam evangelicam, ita ut præ ejus desiderio, corporis famem sitimque libens patiantur, quippe in quâ, dùm hìc vivitur, semper sit quod meritò esuriatur et sitiatur, semper operi et profectui locus: cui gnaviter adeò incumbere jam congruè exigitur, divitiis, honoribus et voluptatibus mundi, superatis, id quod isto inferiorum fuit graduum.

Saturabimini, recumbentes cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum, dùm apparuerit, *gloria Dei*, Psal. 16, v. 15. Saturabuntur autem pane cœlesti qui famem omnem excludet; saturabuntur justitiâ quam esurierunt; donabuntur enim perfectâ omnibusque numeris absolutâ justitiâ, qualis hâc in vitâ nemini datur, in futurâ præmii loco servatur. Saturabuntur omnis generis bonis, quia nihil deerit inebrietatis ab ubertate domûs Dei, Psal. 35, v. 9, adeòque Deo ipso saturabuntur, bonorum omnium fonte, qui solus sufficit, quinimò solus potest omnimodam humanæ menti satietatem afferre: *Creâsti enim nos ad te* (Augustinus, lib. 1, cap. 1, confitebatur), *et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Saturabuntur verò plenè, ita ut fames nulla unquàm recursura sit; et sine fastidio saturitas erit, quia absque inediâ appetitus. Temporaria nullam possunt aut corpori aut animo humano saturitatem afferre: corporis enim fames perpetuò recurrit, animi verò desiderio satisfactum nunquàm est; et, si quædam aliquando satietas esse videatur, plus illâ fame ipsa plerùmque cruciat. Veriorem hâc in vitâ saturitatem consequuntur qui justitiæ operam dant, quippe quibus nihil desit quod ad æternæ vitæ saturitatem aliquando consequendam necessarium sit, juxta illud: *Qui venit ad me, non esuriet: et qui credit in me, non sitiet unquàm*, Joan. 6, v. 35.

Beati qui nunc fletis, id est, lugetis. Verè paradoxon. Mundus enim eos hìc arbitratur beatos, qui à mœrore luctuque alieni, rebus omnibus ex animi voto succedentibus, vitam lætam et amœnam ducunt, jucundis mundi voluptatibus perfruuntur, jocis et lepidis risibus vacant, parataque habent solamina mille malorum; beatus verò Dominus, contra totius mundi sententiam, luctum quo oblectamenta mundi omnia subjugantur, eaque quæ luctum pariunt, beatificat. Beatos prædicat eos qui vitam degunt judicio hominum tristem, à voluptatibus, inquam, seculi et carnalibus concupiscentiis alienam; qui, intelligentes nihil esse lætitiæ in rebus humanis, ea sibi hoc in exilio ob oculos ponunt, quæ luctum gignunt, sua alienaque peccata, carnem spiritui rebellem, et cætera hujusmodi, denique quibus parùm aut nihil prosperè

Vers. 21. — Beati qui nunc esuritis; et mox: Væ vobis qui saturati estis. Quæ omninò intelligenda videntur de esurie et satietate corporali. Matth. addendo *justitiam*, intelligit esuriem metaphoricam, id est, ardens desiderium omnis justitiæ et virtutis. Et ita intelligunt Matthæum omnes veteres interpretes hujus loci, Hilar., Ambr., Hieron., August. Unde vero sensu videtur utrumque posse conjungi, ut Lucas esuriem, Matth. causam ejus expresserit; quasi Christus dixisset: Beati qui propter justitiam veram famem et sitim tolerant, sive voluntariis se jejuniis macerando, sive ab aliis illatam amore justitiæ tolerando. Unde Paulus 2 ad Corinth. 11, v. 12, de fame, et siti, et jejuniis, multis se commendat, sicut et 1 ad Corinth., c. 4, v. 11. Quia in futuro saturabimini, expletâ fame ac siti corporali, quam passi sunt, et expletâ illa esurie ac siti justitiæ, propter quam passi sunt, quia in cœlo plenâ ex omni parte justitiâ donabuntur. Hanc saturitatam pulchrè describit Isaias c. 65, v. 17.

succedit, rebus premuntur adversis, et æquanimiter ferunt. Ita enim duntaxat luctus resque luctificæ ad beatitudinem conferre intelligendæ veniunt, si quis eis benè utatur, si tristitia sit, non seculi, sed secundùm Deum, de quâ Apostolus, 2 Cor. 7, v. 10. Fit autem longè frequentiùs, ut benè homo rebus luctificis ac tristibus utatur, quàm ut rebus lætis : illis enim faciliùs ad officium revocatur, in eoque continetur, et quasi stimulis excitatur ut in Deo solidam consolationem quærat; his faciliùs insolescit, et si quidem his bene utatur, haud ita magni est meriti, cùm res ipsæ lætæ pars non parva remunerationis sint.

Quia. Non in luctu sita beatitudo (quinimò exulat à beatitudine luctus), sed ad beatitudinem luctus ducit : ea enim via præscripta est homini perdito, rebusque lætis ac prosperis semel abuso, ut non nisi circumeundo per adversa compita, eò pervenire possit, quò priùs recto itinere potuisset : neque enim pervenire mereatur, nisi dolens ac deflens suâ se culpâ itinere rectissimo et commodissimo evagatum : denique, uti diximus, menti vitiatæ, quà nunc est, ferè plus obsunt prospera quàm prosint.

Ridebitis, solatio gaudioque perfundemini æterno. Scripturæ more, risûs nomine, mentis exultatio et affectus lætior intelligendus est, mera et tristitiæ inpermixta alacritas. *Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur mala, non solùm impedimento non esse ad vitam beatam, sed etiam adjumento, evidentissimè pronuntiatum est,* ait Ambrosius, lib. 2 Offic. cap. 4. Veniet tempus, quo versis rerum vicibus, dolor eorum vertatur in gaudium, et luctus in risum; tunc, quando, juxta Isaiæ vaticinium, cap. 35, v. 10, 51, v. 11, *redempti à Domino revertentur, et venient in Sion cum laude, et lætitiâ sempiternâ super capita eorum; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Neque hâc in vitâ solamen deesse potest, quos Paracletus, Spiritus consolationis sanctus, intùs reficit, quasi tristes, semper autem illius munere gaudentes, 2 Cor. 6, v. 10, ex sancto enim luctu, velut ex seminio quodam, animi gaudium nascitur.

Vers. 22. — Eritis, vel estis; nam ad utrumque ambiguum est Græcum.

Homines, impii, inimici doctrinæ meæ quam vos profitemini.

Separaverint, in carcerem aut exilium truserint.

Exprobraverint, probris affecerint, *maledixerint* vertit secundùm Matthæum.

Ejecerint nomen vestrum tanquam malum, expunxerint nomen vestrum tanquàm malorum et improborum ex albo suo, indignos vos judicaverint qui inter ipsos numeremini, memoriam vestri vel abolere vel abominabilem posteris reddere studuerint. Ultimus hic ad beatitudinem gradus est, in passione consistens (superiores in actione consistunt), isque, ut supremus et perfectissimus, ita à mundi opinione alienissimus. Magnum est quæ justitiæ sunt agere, sed longè majus, quinimò maximum, eorum causâ quæ egeris, æquo animo injuriam pati; id enim, præter malorum longanimem tolerantiam, constantissimam arguit justitiæ prosecutionem. Et quidem non necesse est persecutionem justitiæ causâ patiaris, ut beatus fias; cæterùm id necessum est, eo sis animo, ut motâ adversùm te persecutione, à justitiâ non deflectas; sufferenda est enim excitata in nos persecutio, non ultrò accersenda. Cæterùm qui superiores ad beatitudinem gradus conscenderit, ferè fit, ut in impiorum, quibus moribus est dissimilis, persecutionem incidat; id quod pluribus docet Chromatius in declamatione.

Propter Filium hominis, nullâ vestrâ culpâ, sed propter me, meâ causâ cujus doctrinam et gloriam prædicabitis; odio meî, quia in me creditis, quia fidem in me orbi annuntiatis, quia Christianæ pietatis veri et integri cultores prædicatoresque estis; hoc ad superiora singula repetendum est.

Vers. 22. — Beati eritis, etc. : non quomodolibet persequantur vos; nam et latrones et hæretici gravissimam pœnam patiuntur, sed propter filium hominis. Cùm enim faciat martyrem non pœna, sed causa, mors sceleratorum non est fidei gloria, sed pœna perfidiæ, ut August. Præcedentes itaque beatitudines in actione, hæc in passione consistit, ideòque perfectissima est. Faciliùs est quippe justa agere, quàm propter justitiam etiam persecutionem pati. Hoc enim præter malorum tolerantiam etiam constantissimam justitiæ persecutionem denotat. In Matthæo additur : *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Nihil enim aptius, quàm ut iis qui instar peripsematis conculcati sunt, detur regni et quidem cœlestis exaltatio. Idem autem regnum promittitur primis et ultimis : sed primis, hoc est, pauperibus, propter divitias regni; ultimis, propter exaltationem et gloriam. Aug. autem idcircò in ultimâ beatitudine ad caput rediri putat, per iteratam promissionem regni cœlestis, quia persecutio consummatum perfectumque ostendit et probat. Breviter itaque et clarè omnes istæ beatitudines ita in summam contrahi possent : Beati qui, spretis mundi divitiis, honoribus, voluptatibus atque commoditatibus mundi, justitiam, misericordiam, cordis munditiam, ac pacem cum Deo et hominibus sectantur et faciunt, tanto animi ardore, ut omnes persecutiones hâc de causâ toleratas æquanimiter ferant; consequenter enim ac jure hæreditatis stabiliter possidebunt regnum cœlorum, perfusi gaudio, pleni ac saturi omnibus bonis, liberi ab omnibus malis, facie ad faciem videntes Deum, tanquàm filii ejus cum Patre suo regnantes. Ex his patet, sicut paulatim crescunt virtutes beatitudinibus designatæ, ita et crescere præmia; omnes esse concatenatas, omnes quoque ad salutem necessarias, atque ita esse omnes in certo gradu præcepti et non tantùm consilii : idem denique præmium pro diversis gradibus variè nominari. Quomodò autem respondeant donis Spiritûs sancti, vide latè August. lib. 1 de Sermone in monte, c. 3 et 4. Matthæus addit deindè diversos persecutionis modos, cum applicatione beatitudinum ad præsentes discipulos. *Cùm maledixerint :* Græcè ὀνειδίσωσιν, id est, probris, conviciis et contumeliâ præsentes affecerint. *Et persecuti vos fuerint :* non verbis, sed factis inferendo vim. *Et dixerint omne malum adversùs vos,* absentium famæ et honori detrahendo. Ita hæc tria membra distinguit August. l. 1, c. 5. *Mentientes :* si enim vera dicantur, non sunt beati, sed dupliciter miseri. *Propter me.* Referendum est non ad, *mentientes,* sed ad tria persecutionum genera jam dicta. Utrumque autem, et *mentientes* et *propter me,* addi propter hæreticos,

VERS. 23. — EXULTATE, gestite. Σκιρτᾶν propriè dicuntur lascivientes pecudes; translatitiè iis tribuitur, qui, præ gaudii abundantiâ, non possunt se continere quin varios gestus edant, hinc et inde subsilientes. Non solùm non frangamini animo, aut etiam mœrore afficiamini, quin potiùs summo animi gaudio perfundamini, tanto quantùm et extrinsecùs exundet. Sic fecisse leguntur apostoli, de quibus scribitur Act. 5, v. 41 : *Et illi quidem ibant gaudentes*, etc.

ECCE. Quod promitto, tam certa res est, quàm admirabilis et mundi opinionem superans.

MERCES VESTRA. Proposito bravio, ad animosum suos certamen agonotheta hortatur; licet igitur bravium habere præ oculis, dùm in certamine aut labore sumus. Adhæc, merces redditur iis qui strenuè se gesserint : est igitur meritum eorum qui strenuè se gerunt; argumentum est, juxta dialecticos, à correlativis : hoc adversùs meritorum virtutumque osores. Nam quod aiunt illi : *Etiamsi millies mortem oppeteres propter Evangelium, ne pilum quidem propterea posses mereri à Deo, hoc est, obstringere illum ut tibi vel tantillùm deberet.* Non nos obstringimus Deum ita ut nobis aliquid debeat, sed se ipse obstringit Deus, vultque nobis ipse debere promissa sua.

MULTA, magna, ampla, immensa, humanoque cordi incomprehensibilis, ejusmodi ad quam nihil sunt passiones hujus temporis. Amplitudo ista, sive magnitudo, æstimanda est, non collatione rerum hujus mundi, sed ex opulentiâ ac magnitudine promittentis, cujus ut divitiæ sunt infinitæ, ita liberalitas omnem transcendit numerum ac mensuram. Amplissima autem omnium merces iis reddenda est qui fidei nomine adversa fortiter tulerint; cæteræ enim virtutes rationi consonæ sunt; sed fides humanæ mentis captum superat.

IN COELO, ubi suis Deus feliciter videndum se præbet, et coronat pro meritis singulos quos in terris neglexisse videbatur. Ab hominibus igitur insectandi, ultra homines estis beandi.

Solas quatuor beatitudines B. Lucas dominicas posuit, octo verò S. Matthæus : Matthæus enim perfectè descripsit Jesu de beatitate doctrinam; Lucas verò contentus fuit *quatuor virtutes amplecti cardinales;* temperantiam, quæ superflua resecans sanctâ oblectatur paupertate; justitiam, quæ ut reddat unicuique quod suum est, quod Dei est, Deo, quod hominum, hominibus, quod suum sibi, non recusat famem et sitim pati; prudentiam, deplorantem hujus seculi vanitates collatas cum solidis futuri seculi gaudiis; fortitudinem denique, quæ, ne à virtute deflectat, adversissima et difficillima quæque æquanimiter tolerat. Nam, quod Sapiens testatur, cap. 8, v. 7 : *Sobrietatem et prudentiam docet sapientia, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vitâ hominibus.* Porrò, existimandum non est, consilii hæc esse ut ad beatitudinem quis perveniat; omninò præcepti sunt, omnibus qui beati esse cupiunt : neque unum ex his gradibus conscendisse sufficiat, quanquàm diversis singuli sententiis recensiti sint; omnes oportet quoquo modo; est enim indissolubilis inter eos connexus, nec quisquam unam habet harum virtutum qui non habeat omnes, ita sunt inter se concatenatæ, et his omnibus perficitur unus homo Dei ad omne opus bonum instructus; tametsi ferè fiat, ut in unâ præ cæteris unus excellat, in aliâ alius. Pro excellentiâ autem ac perfectione uniuscujusque in horum graduum seu virtutum assecutione, distribuenda sunt beatitudinis præmia, aliis ampliora, aliis inferiora; etsi omnibus eadem una beatitudinis substantia reddenda sit : ut enim connexæ sunt ipsæ virtutes, ita et earum præmia, extremique præmia mediorum, ac medii consequentur præmia extremorum. Hæc itaque, quia simul omnia instruunt ad omne opus bonum et perficiunt hominem Dei, viamque unam ad beatitudinem unam docent, in unum sic liceat contrahere, quò videre liceat absolutam viæ ad beatitudinem et beatitudinis ipsius descriptionem : « Beati sunt qui, spretis mundi divitiis, honoribus, ac « voluptatibus, justitiæ, misericordiæ, et cordis mun« ditiei, dant operam, student ad mutuam pacem re« vocare qui eam ruperint, denique si quid horum « causâ injuriæ ferendum sit, ita sunt animo compa« rati, ut æquanimiter patiantur; beati, inquam, hi « sunt : debetur enim eis consequenturque regnum « cœlorum, nec consequentur tantùm, sed hæreditatis « jure possidebunt, gaudio perfusi, bonis pleni, ab « omni miseriâ liberi, beatâ Dei facie fruentes, donati « honore filiorum Dei, unà cum Patre Deo regnantium. »

SECUNDUM HÆC, id est, hæc eadem, eodem modo, *sic* ut loquitur Matthæus.

PROPHETIS, ipsis prophetis, viris illis insignibus, toto jam orbe illustribus, qui ante vos functi sunt munere præconum Dei, nec tamen ob hujusmodi persecutiones omiserunt annuntiare verbum Domini. Videtis autem quorum nomen conati sunt impii abolere, horum memoriam nunc sacrosanctam esse apud omnes. Non itaque novum hoc vobis exemplum, aut insolens videri debet, veritatis à Deo profectæ nuntios improborum persecutionibus impeti; semper malis odio fuit veritas, quibus displicuisse summa laus est. Animat eos et prophetarum exemplo, quòd hâc ratione prophetarum societatem et gloriam sint consecuturi, quorum fortitudinem in prædicandâ

notat ibid. August. utpote qui volunt de persecutionibus et famæ turpitudine gloriari, cùm et vera dicantur, quando de illorum errore dicuntur, nec propter Christum ista patiantur : non enim, inquit, sequitur Christum, qui non secundùm veram fidem et catholicam disciplinam Christianus vocatur.

VERS. 23. — GAUDETE... ET EXULTATE, etc. id est, non solùm animo frangamini, sed etiam ita gaudete, ut etiam exteriùs per exultationem erumpat. QUONIAM MERCES VESTRA MULTA EST : quia sicut fides omnem rationem superat, ita merces pro persecutionibus fidei reddenda omnem captum rationis excedit. Sic enim, modis scilicet supra dictis, FACIEBANT PROPHETIS. Hoc addit ut ne novum quid sibi accidere putent; ut se talibus viris præmio, sicut et persecutione, æquandos intelligant; ac denique ut in eorum locum se successuros in prædicandâ veritate sciant; quorum officium, ut proinde explicet, adjungit.

veritate fuerint imitati : simulque intelligendum dat, ipsos in prophetarum locum functionemque succedere; id quod deinde disertiùs prosequitur, ad majora etiam eos vocatos docens, ad orbis universi magisterium, cùm prophetæ soli servierint Judææ.

Patres, majores seu præcessores.

Eorum, à quibus vos malis afficiendi estis, Judæorum.

Vers. 24. — Verumtamen, verùm, sed, è diverso. Nam quatuor hominum generibus, quos pronuntiaverat beatos, opponit quatuor item, quos censet miseros atque infelices; ut omninò consequuntur hæc ex illis. Nam si beati sunt pauperes et qui esuriunt, sequitur miseros esse divites ac saturos; et si beati qui flent et qui persecutionem patiuntur, miseri sunt ergo qui rident et qui favore fruuntur hominum, quanquàm hæc omnia mundo paradoxa.

Væ deplorantis et luitionem æternorum suppliciorum prædicentis est, in novo præsertim Testamento; prædicentis est denuntiantisque vindictam Dei, supplicii haud dubium æterni, simul et deplorantis ac commiserantis. Nam, ut Basilius in Catenâ, ait, *hæc vox væ, quæ intolerabilibus profertur doloribus, eis convenit qui paulò post detrudendi erant in grave supplicium*, Titus : *In extremam calamitatem ruituros asserit*. Postquàm igitur præmiis ad virtutem provocaverat, *etiam à criminibus et peccatis, futurorum suppliciorum denuntiatione deterret*, quod Ambrosius ait; ut si coronis promissis non sunt persuasi virtutem, certè impendentium tormentorum metu retrahantur à peccatis. *Ut per beatificationem quidem ad illa adhortetur*, inquit Euthymius, *per deplorationem verò ab his avertat*.

Vobis. A discipulis convertit sermonem ad filios perditionis, qui contrariis studiis incumbunt.

Divitibus. Quemadmodùm mox, v. 20, pauperes intellexit *spiritu*, id enim addit Matthæus, ita hìc divites dicit voluntate, animo, affectu, qui, vel si non habeant divitias, volunt divites fieri; quo modo loquitur Apostolus, 1 Tim. 6, v. 9; vel si habeant, cor illis apponunt, quo modo loquitur Psalmus 61, v. 11; in iis fiduciam, amorem et felicitatem omnem suam collocant, his se bonos, felices et beatos credunt, nec aliud bonum majoris faciunt. Nam sunt qui divitias habeant, sed tanquàm non habentes, quos tertio gradu pauperes spiritu esse definivimus supra. *Non enim census, sed affectus in crimine est*, quod notat Ambrosius.

Quia, dat causam cur æterna ipsos maneant supplicia.

Habetis, receptam habetis, refertis, reportatis; sic Matth. 6, v. 2, vertitur *receperunt mercedem suam*. Syrus hìc transfert, *recepistis*, sed tempus præsens videtur urgeri, adeòque futuro opponi, tanquàm dicatur, habetis, recipitis, seu reportatis hâc in mortali vitâ, non est quod exspectetis in futurâ æternâ.

Habetis autem in et ab ipsis divitiis vestris, Euthymio interprete, consolationem, solamen adversùs mala omnia, si quæ vos invadant, adeòque tutamen ne invadant, denique quidquid bonorum temporalium animus vester desiderat, honores, amicos, servos, vestes, supellectilem; omnia enim divitiis parantur.

Vestram, non veram, sed quam vos vobis definitis, exoptatis, et quæritis, quæ vobis sufficit, in quâ conquiescitis, nec aliam desideratis, præsertim si eâ frui semper liceret. Subaudit, ac proinde veram solidamque consolationem, quæ est regni cœlorum, non assequemini, quæ non datur nisi iis qui, posthabitis omnibus hujus mundi rebus, ad eam adspirârunt, sed æterna vos manet desolatio. *Quod sit væ divitibus adfuturum*, scribit V. Beda, *à contrario meliùs intelligitur, ubi pauperum dicitur esse regnum Dei, à quo se regno per omnia, qui hìc consolari quærunt, alienant, audituri à justo judice : Filii, recordamini, quia recepistis bona in vitâ vestrâ* (infra 16, v. 25). Pauperibus promittitur regnum cœlorum, id est, æterna gloria cum cunctarum rerum abundantiâ conjuncta; divitibus exclusis regno cœlorum; infra 18, v. 24, 25; relinquitur æterna ignominia omnis expers solatii. Quare Jacobus apostolus Epistolæ suæ cap. 5, v. 1, exclamat : *Agite nunc, divites, plorate, ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis*.

Vers. 25. — Væ vobis; certa vos manet maledictio.

Qui saturati estis, qui impleti estis, scilicet cibo potuque, id est, semper saturi et distento ventre. Subauditur *nunc*, quod quidam etiam addunt, ac supra v. 21, in contrario expressum est; et de affectu desiderioque intelligitur locus. Non enim, qui aliquando sunt saturi, damnantur; sed qui id affectant ut semper sint saturi, id est, quorum præcipuum studium in hâc vitâ est, indulgere crapulæ et ebrietati, curare ut venter fartus cibo semper æstuet mero sice-

Vers. 24. — Verumtamen væ vobis divitibus. Quatuor generibus hominum, quos beatos prædicaverat, quatuor alia opponit, quibus væ intentat, id est, æternam miseriam prædicit; et primo quidem divitibus scilicet spiritu, hoc est, animo et affectu, sive divitias simul habeant, sive non habeant : opponuntur enim hìc divites pauperibus spiritu, quos Matth. expressit, sicut supra explicuimus. *Divites* ergo hìc vocantur qui divitiis inhiant vel incubant, amore scilicet cum divitiis colligati, ut inde avelli nequeant : nam si qui divitias habeant tanquàm non habentes, et observent præceptum Apostoli, 1 ad Timoth. 6, v. 17 et seqq., ab hoc væ immunes sunt : non enim consensus, sed affectus in crimine est, inquit Ambr. Quia habetis consolationem vestram, id est, recipitis in hâc vitâ ex divitiis beatitudinem vestram, nemo enim divitias diligit eo, quod diximus, modo, quin et iis beatitudinem sive ex toto sive ex parte percipere velit; hoc est enim commune omnibus qui frui volunt creaturis.

Vers. 25. — Væ vobis, qui saturati estis, id est, qui in hoc studetis, ut cibo potuque farti genio indulgeatis : illis enim væ minatur, quorum, ut apostolus loquitur, Deus venter est, qui in comessationibus et potationibus suam felicitatem ponunt. Quia esurietis; nam per quæ quis peccat, per hæc et punietur; unde et Isaias : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent*, etc. Nam sub esurie etiam sitis hìc comprehenditur, et sub his duobus omnium rerum necessariarum inopia. Væ vobis, qui ridetis nunc,

râve; qui hoc pro præcipuo bono ducunt, et in eo acquiescunt, si comessationibus et compotationibus vacare possint; *quorum* denique, ut Apostolus ait, *Deus venter est*, Philip. 3, v. 19, quippe omnia colendo ventri impendentes.

Quia esurietis, idcircò hìc miseri estis inter medias delicias, quia in altero seculo æternam esuriem patiemini. Sicut supra singulis virtutibus assignata sunt congrua præmia, ita hìc vitiis congrua supplicia; illic esurientibus saturitas promittitur, hic saturis minitatur esuries; decet enim, *ut per quæ peccat quis, per hæc et torqueatur,* Sap. 11, v. 17. Ad eumdem modum scribit Isaias, cap. 65, v. 13: *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis.* Nam et hoc Evangelii loco sub esurie sitis continetur; ubi licet per famem et sitim intelligatur omnium rerum desideratarum inopia, et *esurietis* sit, omnis veri boni à vobis expetiti denegationem egestatemque patiemini; peculiariter tamen fames cibi et sitis potùs intelligitur; præ ceteris enim gulosi in gehennâ, acutissimâ fame et inexplebili siti cruciabuntur, quemadmodùm dives ille epulo infra cap. 16, v. 24, de quo hìc Beda: « Saturatus erat dives ille purpuratus, quando epulabatur quotidiè splendidè, sed dirum væ sustinebat esuriens, quando de Lazari, quem despexerat, digito, guttam aquæ quærebat. »

Qui ridetis, gaudetis, risui lætitiæque vacatis, et gaudium voluptatemque pro præcipuo bono sectamini.

Nunc, in hàc vitâ (in quâ flendi ac lugendi mille suppetunt causæ) et de rebus hujus vitæ, vel illicitis, ut, fornicatione, lasciviâ, et quæ his conjuncta sunt, cachinnis, citharis, choreis, etc., de quibus scriptum est Proverb. 2, v. 14; *lætantur cùm malefecerint et exsultant in rebus pessimis*; vel de licitis quidem, sed ita ut spiritalibus præponantur, nec ulla ratio habeatur peccati, modò his frui detur, de quibus alio loco, Eccles, 7, v. 5: *Cor stultorum ubi lætitia.*

Quia, versis rerum vicibus, in alterâ et æternâ vitâ lugebitis, id ad animi, et flebitis, id ad corporis, dolorem pertinet. Toti, intùs et extra, animo et corpore, tristitiâ absorpti eritis, momentaneâ voluptate cum perenni cruciatu commutatâ, illic *ubi fletus erit et stridor dentium,* infra 13, v. 28. Tunc tempus erit ut risus suos rideant, qui hæc Christi verba jam rident.

Vers. 26. — Væ, scilicet vobis. Æterna vobis imminet maledictio, cum benedixerint vobis, cùm laudaverint vos, cùm faverint et applauserint vobis, homines mundani, filii hujus seculi, major hominum pars nihil nisi humana sectans. Loquitur præsertim de hominibus sui temporis et nationis, ut mox patebit. Benedictionem seu laudem opponit odio, separationi, exprobrationi, et ejectioni, de quibus paulò ante v. 22. Porrò ut ibi additur, *propter Filium hominis*, et sermo est maximè de prædicatoribus Evangelii, qui comparantur prophetis, ita et hìc sermo est de doctoribus et prædicatoribus, qui comparantur pseudoprophetis. Et quanquàm liceat subaudire *benedixerint vobis,* extra Filium hominis, quia scilicet mihi adversamini, et contraria doctrinæ meæ prædicatis; videtur tamen non esse ille sensus primus, sed hominum benedictionem hìc dari à Christo pro argumento falsæ doctrinæ, quia non applaudant homines nisi pseudoprophetis et impostoribus. Væ vobis cùm laudaverit vos major hominum pars ob doctrinam vestram, quia non bona esse doctrina potest, quæ majori hominum parti placet. Vera doctrina testatur hominum opera esse mala, Joan. 7, v. 7, propterea, ut non possunt homines eam non odisse, ita non possunt non pessima quæque de ejus doctoribus dicere. Quare non facilè quis vulgò ab hominibus laudatur, cujus vera et sincera doctrina est; sed hoc proprium eorum est qui loquuntur placentia, Isaiæ 30, v. 10. Habent quidem fideles sanæ doctrinæ doctores suam apud bonos laudem et gratiam, verùm non apud hominum multitudinem seu majorem partem, cui nunquàm placet quod rectum est. Nullus ergo doctor placeat sibi ob applausum populi, aut existimet se rectè docere, quia majori hominum multitudini sit gratus, sed contra metuat sibi plurimùm, quia dirum supplicium ipsi paratum est in gehennâ, quemadmodùm iis quos oderunt homines, merces multa in cœlo, supra, v. 23.

Secundum hæc, hæc *eadem, eodem modo,* ait Euthymius, benedicebant nimirùm et laudabant.

Enim, causam insinuat cur eis minetur æternum supplicium; quia perversè doceant, similes *pseudoprophetis* veteribus, falsis illis prophetis et impostoribus, quorum meminit Scriptura, qui quantò magis placuerunt multitudini, tantò ampliùs displicuerunt Deo.

Patres, majores, præcessores eorum, Judæorum hujus temporis. Indicat, se non tam statuere regulam generalem quàm accommodatam populo Judaico, à cujus majori parte sciebat nunquàm probandum Evangelium suum. Dicit ergo: Nam Judæi hujus temporis idem faciunt vobis, quod olim majores eorum pseudoprophetis; illi similes sunt majoribus suis, vos pseudoprophetis. Majores eorum, certè major pars,

id est, qui hoc unum spectatis, ut in rebus hujus mundi transitoriis gaudium capiatis in lasciviâ, in luxu, cæterisque divitiis, quia lugebitis, animo, et flebitis, corpore, hoc est, intùs et extra voluptas vobis in dolorem animi et cruciatum corporis commutabitur.

Vers. 26. — Væ cum benedixerint vobis homines, id est, cùm major pars Judæorum (nam de Judæis illius temporis loquitur) vobis prædicantibus applauserit: hoc enim signum est vos eis loqui placentia, vitia potiùs eorum demulcendo, quàm redarguendo: unde Christus: *Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo quòd opera ejus mala sunt. Secundùm hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum,* scilicet Judæorum, inter quos jam vivitis. Attestatur hoc Jeremias, cap 5, v. 31: *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia.* Hoc igitur postremum væ deterret discipulos à captando hominum plausu per doctrinam, et opponitur beatitudini, quæ v. 22 et 23, promittitur ex hominum maledictione, propter doctrinam et fidem Christi.

commendârunt pseudoprophetas, potiùs quàm prophetas; laudârunt eos et magnificârunt, non quòd veritatem (falsa enim proferebant) sed quòd quæ ipsis grata essent prophetarent. Ita et vobiscum agitur, laudant vos isti et applaudunt vobis, quia non quæ recta, sed quæ audire velint prædicetis, præsertim verò quæ meæ doctrinæ adversantur. Argumentum doctrinæ falsæ, favor popularis. Porrò quòd veteres Judæi benedixerint sui temporis pseudoprophetis, et adhæserint eis potiùs quàm veris prophetis, locuples testis est omnis vetus Scriptura, nominatim Jeremias, cùm alibi, tum cap. 5, v. 31 : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia.* Exstant quoque exempla, 3 Reg. 18, de Eliâ et prophetis Baal ac lucorum; 3 Reg. 22, de Sedeciâ sociisque ejus et Michæâ; Jer. 20, v. 1, 2, 6, et c. 37, v. 18, de Jeremiâ et adversariis ejus Phassur aliisque. Eodem modo actum fuisse cum adversariis Christi ejusque discipulorum, intelligitur ex Matthæi capite 24, ex Actis Apostolorum, et historiâ Josephi. Pertinet ergo hoc postremum *væ*, ad corrigendam ambitionem, ut absterreat discipulos suos Christus à captando hominum plausu et gratiâ, quòd exitialis sit, argumentum doctrinæ non sinceræ; nec Christi servus esse possit, qui studeat hominibus placere, aut ab eorum pendeat judicio, Gal. 1, v. 10.

Vers. 27. — Sed, miseris his perditisque relictis, quibus, terrena cùm sapiant, aures occlusæ sunt, ita ut nequaquàm percipere queant ea quæ sunt spiritûs Dei.

Qui auditis, animo vera honestaque omnia cognoscendi et colendi, qui aures aperuistis ad audiendum, excipiendum et amplectendum id omne quod Deo gratum est, quantùmvis carni inimicum, quantùmvis à vestrâ opinione fuerit alienum.

Inimicos. Non putetis sufficere ut amicos vestros diligatis; si legi Dei satisfacere vultis, diligite et inimicos vestros.

Proximorum loco, ait, etiam inimici habendi sunt, ac proinde etiam diligendi, et nec inimicorum loco habendi; id quod lex quoque et prophetæ compluribus locis disertè docent, Levit. 19, v. 17, 18; Exodi 23, v. 4, 5; 1 Reg. 24, v. 5, et 26, v. 9; 4 Reg. 6, v. 21; Job. 31, v. 29; Prov. 25, v. 21. Nam quòd inimicos nostros vocant, faciunt, non ex suâ sententiâ, sed ex acceptâ à vulgo sermonis consuetudine. Diligendi sunt autem, non quatenùs inimicos agunt, sed quatenùs homines sunt, odio quo nos prosequuntur seu malitiâ ipsorum non obstante, æstimati scilicet ex communi naturâ, non ex vitio, quod vitium ad majorem potiùs benevolentiæ affectum movere nos debet, quemadmodùm medici quando calce feriuntur à phreneticis, tunc etiam magis miserentur illorum. Porrò diligere ad animum inprimis spectat, cujus quia probatio est operis exhibitio, addit:

Benefacite qui oderunt vos. Atqui ne existimares Deum te posse adversùs hostes interpellare, quò vindictam ille sumat, quam ipse non potes, adnectit:

Vers. 28. — Benedicite, benè precamini maledicentibus, qui imprecantur, qui devovent; digni enim sunt lacrymis et fletibus, non maledictionibus.

Orate Deum, nimirùm ut iis etiam donentur bonis quæ non est facultatis vestræ dare. Si quid autem unquàm loquatur aut agat sincero animo homo, id certè est dùm orationi incumbit, quando Deum, cordium scrutatorem, solum solus alloquitur. Docemur itaque inimicos diligere linguâ, opere et veritate. Quam dilectionis formam ex magistri sententiâ discipulus præscribit, 1 Joan. 3, v. 18; ad linguam enim oratio, ad opus beneficentia, veritas ad animum spectat. Hæc autem præcepta jussaque sunt prorsùs, non in arbitrio relicta; et quis unquàm Catholicorum aliud docuit? nam quòd quædam dilectionis officia, extra necessitatis et scandali rationem, inimicis præstare, non præcepti, sed consilii perfectionisque eximiæ esse, scholastici doctores docent, id in amicis non minùs quàm in inimicis locum habet cùm tamen gravior longè illius sit offensa qui amicos non diligat, quàm qui non diligat inimicos: consequiturque id ex præceptorum affirmando enuntiatorum naturâ, quæ neminem nisi pro re natâ, loco et tempore, obstringunt. Verè, Calvine, horribile portentum ipse affers; et impingitis in id ipsi quod in aliis damnatis, qui Dei nobis præcepta proposita vultis, non quòd ea implere valeamus, sed ut naturæ nostræ imbecillitatem, oneri miserè succumbentes, agnoscamus. Scimus nos majora esse quàm ut ea ferant naturæ vires nostræ; sed non majora, quàm ut superet gratia, quam promittit novæ legis auctor adjutricem viribus nostris. Porrò ad eum hæc finem à Domino præcepta sunt, ad quem ea quæ proximè antecedunt, ut nostris animis sua bona habitudo servetur incolumis, et inimici, charitate ac beneficentiâ superati, nobis Deoque concilientur.

Calumniantibus, ut vestris precibus reconcilientur Deo, condonatis veris criminibus, qui de vobis falsa deferunt ad homines. Græcè et Syriacè, hoc prius, illud posterius est. Est autem hujus loco, τῶν ἐπηρεαζόντων, quod militare propriè verbum est, ab ἐπὶ, et Ἄρης, Marte, deductum, unde ἐπήρεια quasi ἐπάρεια, Martius et hostilis insultus. Quare alii pro *calumniantibus* vertunt *infestantibus;* Syrus *Dedoberin lechun bactiro*, qui vexant vos cum violentiâ; cui benè congruit id quod sequitur, *et persequuntur vos.* Subaudi autem, vexationi infestationique non resistentes, sed fugâ innocuâ vobis consulentes.

Vers. 29. — Et non legitur Græcè; Syriacè tamen additur ut Latinè.

Qui, ei qui, te. Subitò mutatus numerus facit ad inculcandum præceptum, quod unusquisque sic audire debeat quasi sibi uni dicatur.

Percutit in maxillam unam, præbe et alteram, potiùs quàm omittas, quàm non pergas eum diligere, potiùs quàm quid admittas alienum à dilectione, potiùs quàm vindictam de illo sumas aut malum malo

retalies, tantùm absitis ab injuriæ retaliandæ cupiditate.

Injuria est, si quæ alia, ignominiosa, alapis cædi; ideòque duplex, quia ignominia accedit. Porrò *dextram maxillam* dixit Matthæus pro *unam*, secutus loquendi consuetudinem, non cædendi, in sinistram enim facilior ferientis ictus est; aut certè extremi contemptûs significandi gratiâ *dextram* nominavit; solent enim qui contemnuntur, averso ictu, in sinistrum nempe latus, cædi, tanquàm qui jubeantur facessere, indigni etiam qui à nobis verberentur.

Præbe. Verte, obverte illi et alteram, libens patere verberari tibi et alteram, scilicet potiùs quàm alapam regeras, potiùs quàm illi resistas cum quo pacem exercere debes, potiùs quàm injuriam vindices, aut malum malo penses: id est, paratus sis etiam alterâ maxillâ alapas excipere, repetitas novasque injurias ferre, potiùs quàm maleficiis certare, aut ultionis aliquid ob acceptam injuriam meditari. Notanda christiana et elegans antithesis, quâ lege talionis, patientiæ, ut ita dicam, talio opponitur. Cæterùm noluit nos Christus hortari ad acuendam malitiam, et eorum præsertim qui nocendi libidine jam ardent; quare non id voluit, ut quoties cæsi fuerimus maxillam unam, mox alteram porrigamus: quid enim id foret nisi malitiæ irritamentum? Non est sani æquique interpretis syllabas aucupari, sed attendere ad ejus qui loquitur consilium. Atqui minimè obscurum est quid Christus velit, animos nempe fidelium ad constantem patientiam æquanimitatemque formare, ne semel aut iterùm offensi deficiant vel fatigentur, sed compositi sint semper ad tolerantiam majorem si crescat malorum improbitas; atque ubi semel læsi fuerint, hoc ipso documento ad tolerantiam erudiantur, et patiendo patientes esse discant. At quare hæc? ut charitatis animi erga proximos suavitas salva permaneat, et inimici patientiâ evicti Deo lucrifiant; quæ duo Paulus notat, Rom. 12, v. 21, ubi ait: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Consilium enim Christi est docere nos animis esse malorum tolerantibus, tolerandoque mala vincentibus, mansuetis, ut pacis ac charitatis studiosis. Quid enim? dùm malo malo resistetur, fit id quod solet dùm igni ignis additur, ex parvo magnum, ex uno multiplex redditur, aliudque ex alio propagatur; ac crescunt molestiæ, animi pax amittitur, patientiæ charitatisque, virtutum cùm nobilissimarum tùm maximè necessariarum, fit jactura, inimicus habetur offensior, qui tolerantiâ vinci potuisset. *Nec sanè convenit Christiano*, inquit Chromatius, *vicem injuriæ reddere, ne similis ei cui vicem restituit judicetur. Si enim malum est injuriam facere, non est alienus à culpâ qui vicem malam rependit, ac per hoc non potest bonus haberi, qui malum imitatur.* Porrò, non hìc vetat Salvator injuriam declinare; neque, cum inculpatæ tutelæ moderamine, illæso charitatis affectu, propulsare; neque etiam aliquando, salutis publicæ ergo, iis quibus id officii incumbit, vindicandam committere; multò minùs iis quibus id ex officio incumbit, magistratibus vindicare, præfectis corrigere, majoribus aut etiam æqualibus corripere; sed privatas inhibet inimicitias, privatæ ultionis studium appetitumque improbat, ac ne tantillùm quidem vult, ob malum quo affectus es, animi tui charitati ac suavitati, erga eum qui te malo affecit decedere.

Vestimentum, extimum, pallium.

Tunicam, quamvis maximè tibi necessariam noli prohibere; ne prohibeas, scilicet quin auferat, potiùs quàm te ulciscaris, aut quàvis illum injuriâ afficias, vel in injuriæ venias contentionem, longè enim præstat vestibus charitas. In Matthæo est: *Et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Pallium significat summam vestem (quanquàm aliquando pro quovis vestimenti genere ponatur) quæ Romanis toga est, Græcis pallium, estque ferè majoris pretii quàm tunica. Fac jacturam igitur, inquit, et pallii quod majoris est pretii, quo nisi priùs detracto tunica exui non potest; ubi jacturam aliquam acceperis, paratus sis etiam graviorem ferre; vel tunicam et pallium, Matthæus dixit pro vestem unam et alteram (*nam et interdùm*, quod apud Euthymium annotatur, *omnis vestis, modò pallium, modò tunica appellatur; sæpiùs etiam tunica pallium, et pallium tunica*). Lucas enim præponit pallium, uti certè priùs auferre quis tentet pallium alterius, vestem et extimam et pretii maximi, quàm tunicam; et pallio ferè nudari alter malit quàm tunicâ: *tunica enim*, juxta adagium, *pallio propior.* Ei ergo qui eripere tibi vult vestem unam, permitte ut auferat, vel etiam adjice, et alteram, etiam eam quâ tibi magis opus est, potiùs quàm cum detrimento pacis et charitatis judicio contendas, hoc est, potiùs quàm malo resistas. *Quare enim non magis injuriam accipitis*, inquit Paulus, 1 Cor. 6, v. 7; *quare non magis fraudem patimini?* Nullum enim detrimentum majus est detrimento pacis et charitatis; magnoque cum lucro pallium vendit, qui, ut evitet amaram contentionem, servetque animi pacem, tunicam furi adjicit; quem si et tolerantiâ ac beneficentiâ suâ devincat (id quod facilè possit), nullum dispendium magnum est, tantâ cum victoriâ comparatum. Hæc si in vestibus, tegendo corpori necessariis, locum habent, quantò magis in aliis omnibus caducis hominum rebus?

Vers. 30. — Omni, cuivis, etiam inimico petenti aliquid abs te, tribue, da id quod petit. Esto promptus ad donandum, si quis quid abs te petierit: sic conciliatur amor mutuus.

Et qui, et ab eo qui.

Quæ tua sunt, tua, res tuas.

Ne repetas, cum detrimento charitatis bonorumque potiorum. Vult, ut, quoad ejus à nobis fieri potest, fratrum supplicum inopiæ succurramus, sive dono sive mutuo datis nostris rebus; idque hilari ac benigno vultu; minimè verò eis negemus, asperi, tetrici aut difficiles, id quo indigent; sed siquidem in nostrâ id haud situm sit facultate, saltem animi erga eos benevolentiam suavemque affectionem testemur.

Vers. 31. — Et, denique. Summa hæc est ipsa æquissima naturæ lex, à Deo hominum cordibus in

sculpta. Omnis in proximos beneficentiæ, unam certam regulam tradit; et monstrat inimicorum dilectionem, ipsi legi naturæ consentaneam.

Vultis, velletis, re simili natâ. Si tu te præberes alicui inimicum aut injurium, probares plurimùm si se ille non ulcisceretur, sed conaretur, longanimi mansuetudine, et se à pari malevolentiâ servare, et tuam malevolentiam superare.

Et vos. Similitudo significatur, non æqualitatis, sed proportionis, propter conditiones dispares, mariti et uxoris, patris et filii, domini et servi, etc. Ubi propria res agitur, acutè videt unusquisque quid rectum sit, quid erga se fieri æquum sit; at ubi aliena utilitas vel jactura in quæstionem venit, præ eâ quam φιλαυτία adfert cæcitate, non perinde in promptu occurrit illa cognitio. Cæterùm, ut occurrat, jubet Salvator, ut ubi aliorum res agitur, nos ipsos adspiciamus, et id quod optaremus nobis, hujusmodi re natâ, ab illis fieri, id ipsi vicissim eis præstemus; hoc est enim diligere proximum sicut seipsum. Domestico itaque magisterio nos erudiendos tradit, et unumquemque sibi regulam constituit rectè et justè cum proximis vivendi, quâ non poterat alia æquior dari, ipsâ suffragante naturæ ratione.

Vers. 32. — Et si. Si autem. Syrus: *Si enim.* Altero argumento, partim à veris commodis à Deo non ab hominibus exspectandis, partim à discipulorum conditione sumpto, commendat inimicorum dilectionem. Q. d.: Si difficile vobis videtur Deum imitari, at præstetis oportet publicanis et ethnicis, quos ipsi exsecramini.

Diligitis, vos, populus sanctus, vocati ut sitis sancti, quemadmodùm sanctus est Dominus Deus vester.

Eos, tantùm, qui vos diligunt. Cæteroqui enim, præmio digna esse possit, eorum à quibus diligaris dilectio; nimirùm, si non ideò præcipuè diligas, quia te diligunt, sed quia Deus eos diligendos præcepit, itaque eâdem ratione, et cæteros diligas, qui te ipsi non diligant.

Quæ vobis est apud Deum gratia? q. d., parva aut nulla. Magnam ineunt à Deo gratiam, qui observant præcepta ipsius et diligunt proximos. At quid gratiæ hoc facto vestro possitis à Deo consequi, quid beneficii laudisve promereri, quo testetur Deus gratum sibi esse obsequium vestrum, quemadmodùm testari et remunerare solet officia servorum suorum fidelium? Non est iste cultus Deo gratus, non amare nisi redamantem? *Gratia* hìc non ita accipitur ut opponatur mercedi aut meritis (nam quod Lucas dicit *quæ vobis est gratia*, Matthæus effert *quam mercedem habebitis*), sed ut significet affectum animi, quo quis acceptum gratumque habet alterius officium, cum opportunâ declaratione testificationeque: qui quidem Gallicè *gré*, dicitur, voce minimè ambiguâ. Versatur autem etiam circa ea opera quibus merces debetur; et declaratur eo ipso quo merces promptè hilariterque persolvitur. Quid promeremini? quid præclari facitis ob quod merces vobis à Deo exspectanda sit? Exspectabant Judæi à Deo servatæ legis mercedem; rectè, juxta Dei ipsius promissa. At, qui eos tantùm diligit à quibus ipse diligitur, nihil facit divinâ mercede dignum, partim quòd mercedem recipiat quæratve ab hominibus, mutuam scilicet ab eis quos diligit dilectionem, partim quòd vicariam meritamque dilectionem rependat, ingratus prorsùs censendus ab omnibus ni fecerit. Itaque ingratitudinis notam effugit, non dilectionis præmium meretur: et, si rem expendas, se diligit, non alium, in se reflectens amorem quo alium prosequitur. Humanus paterfamiliâs, operario à se conducto, postquàm suo benè functus est officio, et mercedem solvit et gratiam habet; quantò magis filiis suis, observatoribus præceptorum suorum, cœlestis Pater, cujus humanitati nulla hominum comparanda est? Quocirca Christus, quibus gratiam esse insinuat hìc, dilectoribus, inquam, inimicorum; mox versu 35, subdit mercedem fore multam. Nihil igitur obest gratia ista meritis aut mercedi. Hoc adversùs hæreticos.

Peccatores, quicumque, etiam publici, quos publicitùs notum est contemnere præcepta Dei, ac proinde nihil gratiæ aut muneris, sed odia suppliciaque non minima à Deo manere, utpote publicani et ethnici; quibus vos necessum est virtute præcellere.

Diligentes se, eos qui diligunt ipsos, diligunt, ipsâ hoc dictante etiam corruptâ naturâ, non ex eo fonte quòd diligat legem Dei, sed ex eo quòd diligat seipsam. Non est igitur hujusmodi dilectioni proximorum à Deo gratia, nec ea proinde est quam Deus præcipit.

Diligunt. Homines ita lucris inhiantes ut omnem exuisse videantur humanitatem, neminemque amare nisi se, à promerito præmio servatæ legis Dei omnium judicio, quàm alienissimi, hoc tamen habent ut amantes redament, sive quòd suam captent utilitatem, sive quòd ipsa hoc extorqueat natura. Non ergo id laude præmio aut mercede dignum est neque id proinde quod lex Dei voluit.

Vers. 33. — Benefeceritis. Dilectio potissimùm est animi; beneficentia operis.

Gratia. Istud non facere, turpe est; facere, non magnæ laudis: non enim tam beneficentia est quàm permutatio beneficiorum.

Hoc, idem.

Reliqua ut versu superiori.

Vers. 34. — Mutuum. Inter cætera beneficentiæ exercitia, unum insigne est, argentum mutuum dare

Vers. 34. — Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, nempe, simile beneficium vel mutui vel alterius beneficentiæ, quæ gratia est vobis, quàm magnam initis gratiam apud Deum, ut ab eo magnam mercedem speretis? Unde Matth. dicit: *Quam mercedem habetis?* Nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, id est, mutuum dant, quia Græcè est eadem vox, quæ initio hujus versus: *Ut recipiant æqualia*, id est, parem mutui vel beneficii vicem in suâ necessitate. Itaque

iis qui opus habent pro hujus vitæ necessitatibus.

Recipere, supple, non sortem (nisi enim spes esset sortis recipiendæ, donum potiùs esse quàm mutuum) sed vicem mutuam, ut et ipsi vobis vicissim dent mutuum, aut commodent, vel aliud præstent beneficium ; nam ut subaudias fœnus, non perinde permittit illud quod sequitur, *quæ gratia est vobis,* multòque minùs illud *ut recipiant æqualia.* Intelligitur porrò, si non vult Christus ut speremus vicissim accipere mutuum, multò minùs velle ut speremus fœnus aut usuras.

Fœnerantur, id est, dant mutuum ; est enim eadem vox Græca, quam mox vertit *mutuum dare :* quæ ambigua quidem est ad fœnerari et mutuum dare, sed huic loco congruit significatio mutui.

Æqualia, paria, parem mutui vicem, ubi opus habuerint.

Reliqua ut versibus superioribus.

Vers. 35. — Verumtamen, verùm, sed, diligite, non eos tantùm qui vos diligunt, sed et inimicos vestros, qui oderunt et persequuntur vos, nec spes est ut vos vicissim diligant.

Benefacite, non iis tantùm qui vobis benefecerint, et mutuum date, non solis illis qui referre vicem poterunt, sed quibuslibet, nihil inde sperantes. Syrus addit : *Benefacite eis,* scilicet inimicis vestris.

Nihil, nullum par aut simile beneficium, inde, ex beneficio præstito aut mutuo dato sperantes, hoc in mundo, sive, quod Syrus addit *ab hominibus.* Nullo commodi vestri respectu ad juvandos proximos vestros ducamini ; tantùm cujusque inopiam et Dei jussum spectate. Spes mutui beneficii aufert ipsi beneficentiæ gratiam Dei.

Et ita erit merces vestra multa, magna, copiosa, et præstans in cœlo ; vide 12, supra ; quandoquidem mercedem non quæsieritis in terrâ. Magna vobis à Deo erit gratia, ac proinde et ampla reddetur merces, qui, in diligendis et beneficiis afficiendis proximis, non corruptum vestri sensûs judicium, quod plerique, sed Dei legem ac voluntatem secuti fueritis. Quoniam studia ipsa virtutum sine remuneratione torpescunt, non omnem excludit spem retributionis, sed, mercedem præstantem à Deo, et sperari posse, et indubiè reddendum esse, docet.

Et eritis, eritis quoque, id est, esse declarabimini, genuini filii Altissimi, Dei, quo non est alius, vel potentiâ, vel gloriâ, excelsior. Tertium argumentum sumptum ab exemplo paterno, quo ad dilectionem inimicorum, id est, omnium hominum Dei causâ, hortatur.

Quia similes ipsi eritis, qui benignus, id est, beneficus est, super, erga ingratos, etiam ingratos adversùs beneficia sua, et transgressores sanctæ legis suæ, id est, malos. *Ipse enim solem suum oriri facit,* etc., ut est in Matthæo. Quasi diceret : Æquè malis ac bonis communem sortem facit ; æquè iis à quibus non colitur æquè iis à quibus colitur, æquè iis à quibus contemnitur atque iis à quibus diligitur. Quam Dei amplissimam beneficentiam, liberalissimam ac munificentissimam bonitatem, quidam assequi non valentes, finxerunt, alii eum necessitate agi (quasi non ipse, sed necessitas Deus esset), alii non habere providentiam, neque curam gerere inferiorum istorum.

Vers. 36. — Misericordes, id est, benigni, benefici, commodi, humani, ad gratificandum faciles, scilicet erga omnes, amicos et inimicos, bonos et malos, divites et inopes. Evangelista imitatus septuaginta Interpretes, Hebræum *hasid* misericordem, et *hesed* misericordiam vertit, quod propriè beneficum significat et beneficentiam seu beneficium. Unde illud frequens in veteribus Scripturis : *Fecit mecum misericordiam suam,* pro, affecit me singulari beneficio.

Sicut. Similitudo hìc significatur, non æqualitas : impossibile enim foret homini assequi perfectionem Dei, sed conandum est semper ut proficiamus.

Pater vester, qui vos à gentibus segregavit, atque in filios adoptavit, ut serviatis ipsi ita ut ipso dignum est, tali tantoque Patre, vitâ ac moribus vestris ipsum referentes.

Misericors, benignus, quod antecedit, seu beneficus, scilicet erga omnes.

Vers. 37. — Nolite judicare, ne judicetis, scilicet quemquam. Quod erat vitium Pharisæis et scribis familiare. Accipitur autem *judicare* in malum, ita ut condemnationi junctum est; sed non agitur de publico legitimoque judicio, id quod persæpè ut sanctissimum atque apprimè necessarium, sacris Litteris probatur et commendatur ; verùm de privato, eoque non quovis,

Vers. 35. — Mutuum date, nihil inde sperantes, id est, nullam expectantes ex isto beneficio parem beneficii vicem : non enim hìc agitur de recipiendâ pecuniâ ultra sortem. Sic ergo duos istos versus plerique exponunt, ut excludatur à beneficentiâ Christiani omnis proprii commodi consideratio. Quanquàm videatur valde congrua (quæ adhuc perfectiorem præscribit benefaciendi modum) interpretatio sancti Ambr., præfat. in Lucam : *Date mutuum nihil inde sperantes*, id est, etiam cum desperatione recuperationis, seu recuperandæ sortis. Quod clariùs docet lib. de Tobiâ, c. 16 : Date, inquit, mutuum iis à quibus non speratis vos, quod datum fuerit, recepturos ; quando videlicet petitur non donum, sed mutuum causâ honestatis vel verecundiæ, quamvis videas præ paupertate nunquàm esse reddendum. Ita ut Christus hìc pro tempore et loco mutuum dare jubeat, non solùm sine usurâ, spe similis beneficii, sed etiam sine spe recuperandæ sortis, subveniendo scilicet iis qui præ verecundiâ non audent eleemosynam petere, sed mutuum : quod reipsâ quidem est idem quod donare, non tamen in modo. Unde rectè observat Hieron., in c. 18 Ezechielis, profectum virtutis ac legis, ut initio lex quidem à fratribus usuram tolleret : *Non fœnerabis fratri, sed alieno;* deinde propheta ab omnibus, Ezech. 18, vers. 8, deinde Dominus in Evangelico præciperet mutuum dare etiam iis à quibus non speraremus sortem recipere. Quâ de causâ pulchrè Tertul., libro 4 contra Marcionem, c. 17, annotat in hunc Lucæ locum : Priùs fuit ut Dominus fructum fœnoris (id est, usuram) eradicaret, quo faciliùs assuefaceret hominem ipsi quoque fœnori (id est, sorti in mutuum datæ) perdendo, cujus fructum (id est, usuram) didicisset amittere. Consentit August. libro 1 de Sermone Domini in monte, ad verba : *Qui vult à te mutuari ne averseris,* etc.

Vers. 37. — Nolite judicare. Non prohibet quod-

sed temerario ac maligno, quo quis, vel sinistrè interpretatur alterius dicta aut facta dubia, vel exaggerat delicta levia, vel divulgat crimina, vel calumniis impetit benefacta; vel desperatæ salutis delinquentem judicat, in summâ, iniquus, severus, curiosus est in alios censor: id quod, aut ex invidiâ odioque in fratres nascitur, aut ex superbiâ, venante cum illis collata probitatis opinionem, aut denique ex curiositate, animum tractandis vitiis alienis oblectante. Porrò crimina manifesta damnare, non illud judicare est, sed sequi Dei judicium qui ejusmodi damnavit; et, fratrem quo emendetur corripere, id vel unicè diligere est. Cùm verò judicare sit definitivam de re ferre sententiam, suspicio à judicio differt, id quod B. Augustinus notavit, tract. 90, in Joannem.

Et non judicabimini. Fit etiam plerùmque, ut homines experiantur suæ vitæ censores tales, quales ipsi egerint alienæ; quæ, quanquàm res sit molestissima, et naturâ mirè omnibus invisa; verosimilius tamen est Salvatorem terrere nos voluisse Dei judicio, quàm hominum, qui et de candidissimis animis sæpenumerò censent iniquissimè.

Nolite condemnare, μὴ καταδικάζετε, ne condemnetis, scilicet quemquam. Explicatio est ejus quod præcedit, *nolite judicare;* judicis enim est condemnare. Prohibet Salvator ea quæ benignitati erga proximos, cujus exemplum vult nos à Patre cœlesti accipere, adversantur, hortaturque ad ea quæ conveniunt, additis et pœnis et præmiis.

Dimittite aliorum in vos peccata. *Absolvite*, ad verbum.

Et dimittemini, *et absolvemini,* scilicet à Patre vestro, et dimittentur vobis à Deo peccata vestra. Hoc est illud quod Matth. 6, v. 14, ait: *Si enim dimiseritis hominibus*, etc.

Vers. 38. — Date proximis ea quibus opus habent, et dabitur vicissim vobis, à Deo Patre, quod prodesse vobis queat et beatos vos reddere; redibit ad vos multo cum fœnore beneficium vestrum.

Mensuram, etc. Parcè autem dabitur, si parcè ipsi dederitis; nam, si liberales ipsi fueritis, copiosissimè opulentissimèque restituet vobis cœlestis Pater. *Mensuram* enim solidarum opum, non tantùm non parcam, sed et bonam, adeòque confertam pressam, et coagitatam, et supereffluentem seu exuberantem, id est, cumulatissimam liberalissimamque. Sumpta sunt epitheta hæc omnia (in quibus observanda gradatio est) ab eorum consuetudine, qui res aridas, ut frumentum seu aliquid aliud ejusmodi, liberaliter absque parcimoniâ metiri dùm volunt, id ipsum quod admetiuntur, quod sit confertius, comprimunt manibus, deinde vas ipsum medium quatiunt quò amplius capiat, denique etiam superaddunt quod ultra mensuram redundet. Liberalibus itaque liberalissima reddetur mensura, 2 Cor. 9, v. 6, mensura tamen: nam quanquàm immensa erit, si conferatur cum iis quæ hâc in vitâ fuerint erogata, habebitur tamen ratio gradûs virtutis uniuscujusque; nec enim æqualis erit omnium merces.

Dabunt, effundent, scilicet quibus illud curæ à Patre mandabitur, phrasis Hebraica, pro impersonali *dabitur.*

In sinum vestrum, id est, vobis ipsis, firmiter æternùmque à vobis ipsis possidendam; nam, quod in sinum nobis datum fuerit, nostrum prorsùs est, nec facilè nobis perit, quippe quod ita teneamus, ut facile sit nobis in locum tutum transferre.

Remetietur, impersonaliter, vicissim metietur, par pari referetur. Convenit ista sententia Salvatoris cum istâ Hebræis usitatâ proverbii loco *midda bemidda,*

libet judicium, quo peccata aperta vel condemnantur, vel castigantur, vel corripiuntur, vel vituperantur. Hoc enim judicium et exercuit Petrus adversùs Ananiam, et Paulus in fornicarium, et Christus erga Pharisæos, dùm toties eos objurgat, et væ minatur, unde et Joan. 7, v, 14, dicit: *Justum judicium judicate;* sed vetat judicium malignum ac temerarium. Unde Hieron. hìc: Non prohibuit judicare, sed docuit. Itaque vetamur malignum, hoc est, condemnationis judicium proferre de dubiis. *Judicium* enim pro sententiâ, et *judicare* pro condemnare sumitur. Dubia autem illa August. revocat ad duo capita. Primum, cùm incertum est quo animo quidque factum est; sunt enim quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, cum bono et malo fieri possint; de quibus temerarium est judicare, maximè condemnando. Alterum, cùm incertum est, qualis futurus sit, qui nunc malus apparet, et ita reprehendimus, quasi sanitatem ejus desperemus. Unde et Paulus simile judicium de rebus dubiis vetans ait: *Nolite judicare ante tempus;* quia scilicet dubia suo tempore, quando erunt certa et manifestata, judicabuntur. Et non judicabimini, ab hominibus, inquiunt aliqui, id est, ut non contingat vobis idem ab aliis. Sic enim plerùmque fieri solet ut severi aliorum censores severè ab aliis censeantur. Generalior tamen et etiam verior erit sententia, si de judicio Dei intelligatur, ut ferè intelligunt veteres, August., Chrysost. et alii. Itaque, *et non judicabimini,* id est, ut non incidatis in severissimum judicium Dei. Nihil hâc justitiâ benignius, nihil hâc retributione clementius dari potest, ubi sententia Judicis in potestate ponitur judicandi.

Vers. 38. — Date et dabitur vobis, etc. Quibus verbis diffidentiæ sollicitudo, et avaritiæ est amputata cunctatio, ut quod redditurum se promittit veritas, secura expendat humilitas, inquit Leo, serm. 6 de Jejunio decimi mensis. Mensuram bonam; q. d.: Dantibus non solùm dabitur, sed ad eos redibit magno cum fœnore beneficium; quod exprimit per metaphoram mensuræ frumentariæ. *Mensuram* itaque *bonam,* id est, plenam, cujus integritati nihil deest, et confertam, Græcè *pressam,* id est, manibus constipatam, et coagitatam, vase scilicet concusso, quò amplius capiat, et supereffluentem, id est, ita impletam ut redundet et undique diffluat; q. d.: Liberalitati vestræ dabunt mensuram liberalissimam. Omnia hæc epitheta applicat S. Bernardus ipsi Deo, qui futurus est merces omnium. Ipsum vide sermone 5 de Vigiliâ Natalis, et 11, in Canticum. Dabunt in sinum vestrum, id est, vobis, tanquàm vestrum, et firmissimè possidendum dabunt; supple illi, qui retributioni præerunt. Quanquàm August., lib. 2 Quæst. evang., q. 8, referat ad eos qui beneficium acceperint: non enim diceret, inquit, *dabunt*, etc., nisi quia per illorum merita, quibus dederint, mercedem cœlestem recipere merebuntur. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Quod referri debet ad omnia tria præcedentia, ad judicium, ad condemnationem, ad dimissionem, ut patet ex Matth. 7, v. 1 et 2, maximè verò hìc refertur ad erogationem seu dationem,

vel *midda ceneged midda,* Mensura pro mensurâ, ubi vicissitudinem et par pari relatum significare volunt. Tale subeundum vobis erit apud Deum judicium, quali vos usi fueritis in alios; exactum, severum, rigidum, si exacti seu potiùs curiosi ipsi, severi, ac rigidi fueritis. Contra, si candidi fueritis ac benigni alienæ vitæ judices, Deum quoque contra vos candidum et benignum judicem sentietis. *Ut enim diligentiùs peccata examinentur tua,* ait Chrysostomus, *legem priùs ipse posuisti, severiùs de his quæ proximus peccaverat judicando;* nam, *judicium sine misericordiâ,* quod dicit Apostolus, *illi qui non fecit misericordiam,* Jac. 2, v. 13. *Væ autem etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam,* Augustinus inquit, ubi orat pro vitâ defunctâ matre suâ, capite ultimo libri 9 Confessionum. Talis erga nos erit Deus, quales nos erga alios; bonus, si boni, malus, si mali; durus, inclemens, rigidus, si duri ipsi, inclementes, rigidi; si misericordes, benigni, faciles, misericordissimus ipse, benignissimus, facillimus. Non enim intelligenda est æqualitas graduum inter divinam et humanam sive benignitatem, sive rigiditatem, sed duntaxat in genere, unam alteri respondere, Dei benignitatem hominis benignitati, Dei rigiditatem hominis rigiditati; majori vel minori hominis sive rigiditati sive benignitati, Dei majorem vel minorem sive rigiditatem sive benignitatem. Nam quod ad gradus, in immensum excedit, humanam divina, tam rigiditas, quàm benignitas, tametsi rigiditas meritum hominis non excedat.

Hoc proverbium referendum est ad ea omnia quæ præcedunt, tam ad judicia, condemnationes, et dimissiones, quàm ad dationes.

Vers. 39. — Et similitudinem seu parabolam. Addebat autem etiam proverbium ab exemplo vulgari petitum, causâ illustrandæ doctrinæ illius suæ de non judicando seu condemnando proximo. Græcè et Syriacè non legitur, *et.*

Ducere, dux viæ esse.

Nonne, si id fiat, facilè fit ut ambo in foveam cadant? Q. d.: Res est omnibus explorata. Ita verò et vos, dùm fratres vestros judicare aut reprehendere arroganter præsumitis, ipsi eisdem aut non minoribus vitiis obnoxii; facitis quod cæcus dùm cæcum ducere tentat, exponitis vos ipsos simul et fratres perditionis periculo. Nam ut vel maximè audire te velit frater, et sequi ducem itineris virtutis, certè, imitatus exemplum tuum, non relinquet vitium quod et in te viderit locum habere, vel ex alio in aliud, ex suo in tuum vitium incurret, et quo se tutiùs putabit ambulare duce te, eo certiùs peribit. Duces, id est, eos qui se aliis, ac præsertim cæcis ductores præbere volunt, oportet esse quàm oculatissimos. Volebant scribæ et Pharisæi populo cæco, rudi et magnâ veri rectique ignorantiâ laboranti præire ac prælucere, tum doctrinâ tum vitæ exemplo; atqui sunt ipsi deploratiùs cæci, mente veri rectique nesciâ, non tam ignorantiæ vitio quæ sanabilis sit, quàm obstinatæ malitiæ, cui cura nulla adhibita mederi queat. Deplorandus certè populus tam infelices duces nactus. Nam ex hujusmodi ducum ducatu quid tandem secuturum est, nisi miserabile exitium, quale solet cùm cæcus cæco dux viæ est, ut ambo in foveam cadant, ambo et dux et is qui ducitur in extremam perniciem præcipites ruant. Sic enim futurum est, et his et populo qui eos sequitur, admiratur, credit, paret, imitatur, adhæret, ut simul in idem unum trahantur exitium tam hujus quàm futuri seculi.

Vers. 40. — Non est, etc. Confirmat quod dicit altero proverbio accumulato. Libenter enim usus est vulgaribus sermonibus, quò facilius pietatem rudibus animis instillaret.

Super magistrum, magistro præstantior seu perfectior. Hoc plerùmque semper ita accidit.

Omnis, subaudi, discipulus: possis etiam vertere *totus*, nam ad utrumque ambiguum est πᾶς.

Erit, esse solet.

Si sit. Has duas voculas, quæ Græcè et Syriacè non leguntur, addidit Interpres explicationis ergo: quanquàm illis non additis, clara est sententia, si interpungas ante τὸ *erit: Perfectus autem omnis, erit sicut magister ejus.* Quam sic liceat per hypallagen exponere: Qui fuerit sicut magister ipsius, is omnis est perfectus discipulus. Loci sensus est: Perfectus esse et haberi solet omnis ille discipulus, qui assecutus est perfectionem magistri: majorem in discipulo quàm sit in magistro perfectionem nemo exspectat. Quare si tu, qui te præceptorem præbes fratri, cæcus et vitiosus es, non minùs quàm ille, tametsi alio fortè vitii genere; non meliorem formabis discipulum quàm tu ipse sis; non perfectior evadet frater qui se tibi discipulum adjungit, quàm tu magister, id est, talis

scilicet pro ratâ abundantiæ, quâ quis usus fuerit in erogando, restitutum iri mercedem incomparabiliter quidem in se majorem, proportione tamen quâdam respondentem mensuræ liberalitatis. Ut idem significet, quod Apostolus: *Qui parcè seminat, parcè et metet; et qui seminat in benedictionibus,* id est, copiosè et abundanter, *de benedictionibus et metet.* An ergo temerè et iniquè judicabimur à Deo, si temerè et iniquè judicaverimus? Respondet August. tum hìc tum epist. 49, quæst. 4, nos eodem judicio judicari, quia temeritas quâ punimus alium, eadem ipsa nos punit, quia scilicet illa ipsa est causa punitionis. Sed quia Christus non tam identitatem causæ judicii nostri quàm comparationem utriusque judicii instituit, vulgari loquendi modo ad vulgum usurpato magis congruere videtur, ut eodem judicio judicari dicamur, quo judicavimus, nempè vel excusationis vel condemnationis: ut scilicet si candidè benignèque alios censuerimus, Deus vicissim benignè de nobis judicet, sin severè condemnaverimus, Deus nos condemnet, et severè tractet. August. lib. 21 de Civit., c. 11, objicientibus, pro peccato temporali pœnam non debere esse æternam, respondet; *eamdem* dictam esse *mensuram*, non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, hoc est, ut qui mala fecerit, mala patiatur. Significat enim quòd talem se Deus exhibebit, qualem se aliis exhibuerint, aut benignum, aut severum.

reddetur qualis es tu : vel non relinquet vitium, quod tu in illo notabas, contemplans tua; vel sequetur tua non minùs gravia, ac proinde tecum abibit in perditionem, ambo peribitis. Ineptus itaque esse docetur alienorum vitiorum censor, qui suorum est negligens; purusque esse debere ab omni crimine, qui velit alteri tutò fructuosèque præire. Hoc proverbium alio modo tractatum etiam fuit Matth. 10, v. 24. Discipulus honorificum sibi ducit magistro æquari; plus quidem honoris appetere non audet; deinde quæ patienter à dominis fertur conditio, eam subire servi recusare non possunt. Subsumptionem jam et illationem relinquit apostolis, quas aliquando post expressit, passione instante, ubi cognitione ipsius perfectiùs imbuti essent, ac proinde apertiùs de se posset loqui, Joan. 13, v. 13 et 14. Eæ autem sic se habent : Cùm igitur utroque jure ego super vos emineam, Filius Dei, cui et summum imperium traditum est à Patre, et magistri partes injunctæ sunt, non debetis refugere quod ipse suscipere non gravor, calumnias, afflictiones, persecutiones, mortem denique, Evangelii causâ. Certè hujusmodi est hæc consolatio, quæ omnem mœrorem absorbeat, dùm reputamus communem nobis sortem esse cum Filio Dei : sed hæc, meditatione potiùs quàm explicatione indigent, quia satis per se clara sunt.

Vers. 41. — Quid autem, etc.; fieri autem potest inquit, ut majori et graviori etiam vitio labores, quàm frater quem tibi judicandum sumis. *Quid* igitur *vides*, etc. Describit unum severorum judicum cumprimis impudens genus, qui cùm gravissimis ipsi sceleribus teneantur, delicta aliorum minima notant, mirisque modis frequenter amplificant.

Vides, aspicis : significatur curiositas intuendi in alienos errores studio reprehendendi.

Festucam. Minima est ligni particula, quales nonnunquàm incurrunt in digitos, aut in oculos involant; quâ significantur peccata minora levioraque, aut reverà ejusmodi, aut eorum peccatorum comparatione, quibus obnoxius is est, qui sibi sumit partes judicis.

Trabem quæ in oculo tuo. Per trabem significantur majora gravioraque peccata, quantò major graviorque est trabs festucâ; verbi gratiâ, ira festuca est; odium, quæ est ira inveterata, trabs, tanquàm quæ vetustate excreverit in trabem.

Non consideras? Quare, inquit, tam oculatus et curiosus es in cernendis atque arguendis aliorum vitiis, et cæcus indulgensque in tuis, longè majoribus iis et gravioribus? q. d., summa impudentia est.

Vers. 42. — Aut quo modo, quâ fronte. Est enim admirantis potiùs quàm simpliciter interrogantis. Auxesin notat hypocriticæ impudentiæ, quæ non contenta observâsse apud se fratris erratulum, erumpit etiam et apertè reprehendit, neglectis propriis criminibus adeò magnis.

Ejiciam festucam. Qui alterum corripit, similis illi est, qui elicere conatur ex alterius oculo id quod oculum offendit : uterque enim corrigere studet, unus oculum fratris, alter animum.

Hypocrita. Hypocritas vocat, quòd videri velint quàm alienissimi à vitiis, ut qui eis infensissimi nec minima ferent, cùm reverà toti sceleribus madeant; quòdque non emendatos desiderent fratres, id quod præ se ferunt, sed nihil quàm pudefactos, aut etiam laceratos : non enim oderunt in fratribus vitia, quibus graviora diligunt in se.

De, *ex*, oculo tuo; corrige priùs in te graviora vitia tua.

Perspicies ut educas. Jam non vides, nimirùm, trabe, mole suâ, visum tibi tollente aut vitiante, cùm non aliàs magis opus sit integro visu, quàm ut minutula videantur; *tunc videbis*, purgatus oculis; tunc idoneus eris, ita ut et tibi et aliis satisfacere queas : nam, ut etiam videas alioqui, nihil quàm veritatem odio exponis.

Vers. 43. — Non est enim. Conjunctionem *enim* non intelligo hoc loco esse causalem, sed potiùs superfluere, ut aliquando : quam Syrus certè hìc omisit. Itaque interpretandus est evangelista, qui breviter carptimque descripsit hunc Domini sermonem, sententiam istam non ita retulisse, ut ad eorum quæ mox præcedunt confirmationem à Christo allatam, (nam quamvis ipsa quadret, non perinde tamen eæ quæ consequentur cohærent); sed simpliciter ut à Christo in medium tunc temporis productam, occasione quam ipse non narrat, sed Matthæus; adversùs scilicet pseudoprophetas, cap. 7, v. 15, 16, quanquàm et alibi adversùs calumniatores, Matth. 12, v. 33; ut variis propositis proverbia hujusmodi possunt accommodari : nam et in hypocritis quadrat, qui ipsi mali, inepti sunt qui fratres reddant bonos. Ubi enim primùm adveniunt, seminantque doctrinam suam, sunt quidem qui mox eos agnoscant, sed plerique non perinde manifestè, nisi ubi sementis illa, editis fructibus, seipsam auctoresque suos prodiderit.

Vers. 41. — Quid autem vides festucam? etc. *Festuca* minima ligni particula est, *trabs* magna; unde *festuca* minora vitia significat, *trabs* ingentia. Tota enim locutio, adagialis est, tempore Christi usitata; sicuti ex eo patet, quòd crebrò in antiquorum Judæorum libris occurrat. Itaque reprehendit hìc aliquod vitiotissimum judicii et judicum genus, qui oculatissimi sunt, ut in aliis delicta levia videant, gravissima in seipsis non videant. Neque tantùm ea vident, sed etiam corrigere et corripere volunt, quibus ait :

Vers. 42. — Aut quo modo, id est, quâ fronte dicis : sine ejiciam festucam, etc., id est, permitte à me sanari vitium tuum. Qui enim corripit alterum similis est ejicienti festucam ex oculo; hic enim corpus, ille animum corrigere studet. Trabem, id est, cùm tamen tu gravioribus labores. Quod genus hominum rectè vocat *hypocritas*, id est, simulatores, sive quia prætextu emendationis condemnationem tantùm et confusionem alterius quærunt (si enim ex dilectione correctionem quærerent, priùs graviora in se corrigerent), sive, ut August., quia accusare vitia, officium est bonorum virorum et benevolorum, quod cùm mali faciunt, alienas partes agunt, sicut hypocritæ; sive denique quia ex alienâ reprehensione

Cæterùm non adhærendum est istis, aut dubitanter versandum, donec doctrina ipsorum suos fructus edat; sed cùm alibi frequenter admoneamur, novatores omnes cavere; hìc prædicitur, si exspectaverimus nonnihil, habituros nos ex fructibus certissima nequitiæ signa (nihil enim ita stultum est, quod non aliqui semper amplexuri sint, ut est corrupta natura novæ falsitatis quàm veteris veritatis sequacior), non quòd non sint alia mox ab initio nascentis hæresis, sed quòd ista cuivis manifesta esse queant. Observa pseudoprophetarum hodiè nostrorum hujusmodi fructus, à quibus faciles sunt agnitu; adversùs nativos Principes legitimamque potestatem rebellare, novellam fidem, nunquàm hactenùs receptam, armis ac vi propagare, optimos quosque Catholicorum persequi pessimis quibusque velle, atque illos, ubi se eis adjunxerint, ita ut ferè fit, non emendari, sed, tanquàm qui ad asylum iniquitatis profugerint, tales manere securos, quales fuerant, ut nihil amplius dicam; luxuriæ ad adulterium et sacrilegium usque habenas laxare, sacerdotum sacrorumque locorum bona prædæ loco ducere, sacerdotum catholicorumque absque formâ juris cædes nullius pendere, majorum instituta pro arbitrio quævis convellere, et cætera non pauca.

Vers. 44. — De fructu suo, ex proprio fructu, cognoscitur bonane sit an mala. Nam si fructus est bonus, bona est arbor; si malus, mala. Dat symbolum quo agnoscantur pseudoprophetæ, ex fructibus. *Non enim ex foliis, neque ex floribus, sed ex fructu arbor bona malave dignoscitur*, Bernardus ait epist. 107.

Ficus. Matthæus *uvas;* sed sententia est eadem una, licèt verba nonnihil discrepent.

Rubo, quamvis pulchriùs vite floreat, et lenta sit, foliaque diuturniora habeat. Numquid colliguntur, numquid carpuntur, à spinis uvæ, à tribulis ficus, aut alii fructus boni? q. d., non. Declarat Salvator id quod dixerat. Ut spinæ, ait, non proferunt uvas, neque tribuli ficus, licèt non minùs virides sint quàm vitis et ficus; ita nec fructus bonos prophetæ mendaces, quamvis eximiâ veritatis imagine palliati.

Vers. 45. — Bonus homo. Doctrina non absimilis superiori (hoc enim ferè est thesaurus cordis, quod radix arboris; et quod profertur è thesauro cordis, fructus arboris), alia tamen; quam et ipsam adversùs calumniatores producit Salvator, Matth. 12, v. 34 et 35.

Cordis sui, reposito in corde suo.

Bonum, sermonem bonum, de verbis est sermo.

Malo thesauro. Græca et Syra repetunt *cordis sui.* Nam ex corde, ut ex radice, pendet præcipuè hominis sive bonitas, sive malitia. Non aliud à vobis est exspectandum, quàm ut, cùm malitiâ cor refertum sit, mala verba ore evomatis.

Ex abundantia cordis, ex eo quod in corde abundat. Cor, ut est irrequietum, ita perpetuis agitatur cogitationibus, aliasque aliis accumulat, et instar locupletissimi penu intùs plenum est abundatque affectionibus. Eæ verò quales sunt, talia sunt et verba quæ ex harum acervo promuntur, si bonæ bona, mala si malæ seu vitiosæ. Promit enim os verba ex acervo sive thesauro cogitationum cordis, quem nec facilè quisquam exhaurit quantùmvis verbosus, quin id quod in ore versatur, longè magis abundantiùsque versetur in corde. Hæc significantur hoc sacro proverbio: quo addit improperationi suæ auctoritatem Salvator. Est autem sententia hæc proverbialis, quemadmodùm cæteræ, vera ut plurimùm: in hypocritis tamen qui simulatè loquuntur, ut sanctè sonent verba, at vitiosa sunt ex vitioso principio, fingente formanteque verba eo modo, quo consequi queat id cujus abundat æstuatque desiderio.

Os loquitur. Græcè, loquitur os ejus, id est, hominis uniuscujusque; majoris tamen gratiæ sententia est Latinè et Syriacè, absque relativo.

Vers. 46. — Quid autem, etc., q. d.: Frustra vocatis me, nihil proderit vobis ad promerendum regnum cœlorum, si *non facitis quæ dico,* præcipio. Condemnabit potiùs vos, quòd, quem Dominum vestrum verbis profitemini, eum factis negetis, ejus voluntatem non faciatis, infra, cap. 12, v. 47. Observatio præceptorum arguit fidelem servum, non compellatio honorifica.

Domine, Domine. Vocis congeminatione, non tam vehementiam significari arbitror, quàm frequentiam, quòd in ore eis sit Dominum vocare atque invocare.

Quæ dico, præcepta, mandata quæ hactenùs magnâ ex parte exposui.

Vers. 47. — Venit ad me, ut doceatur quod rectum est.

Et audit sincero animo sermones meos, doctrinam, præcepta mea.

Et, cùm res exigit, facit, rebus ipsis præstat, et secundùm eos vivit.

Ostendam. Præfatio rethorica attentionem parans.

Vers. 48. — Homini ædificanti domum, ædificatori domûs. Hominis hâc in vitâ conversatio, similis ædificationi est; quasi enim unam aliquam structuram, id est, vitæ rationem sive institutum, omnibus conversationis suæ operibus molitur.

Fodit in altum, fodit et excavavit seu profundavit. Crescit oratio; plus est enim profundum facere quàm fodere. Sensum expressit interpres, *fodit in altum* seu profundum; ita altè fodit, ut in petrâ, quam in profundis terræ visceribus vel invenit vel posuit, fundamentum collocârit.

Fundamentum, sive, ut est, in aliis libris, *fundamenta*, id est, omnes fundamenti partes.

Inundatione. In Matthæo de tribus mentio fit,

sanctitatis opinionem venari student, cùm minimè sancti sint.

Ejice primum trabem de oculo tuo, id est, corrige priùs in te ipso graviora; tunc purgatus omninò idoneus eris, qui aliorum peccata corripias et corrigas; quia, ut August., videbis ea oculis columbæ, id est, cum animi simplicitate ac dilectione. Multa enim dissimulabis, benè interpretaberis, excusabis, tolerabis; denique ex propriæ infirmitatis consideratione cum humilitate et fructu argues.

pluviâ, fluminibus, ventis quibus significantur varia persecutionum et tentationum genera in hoc seculo, et in seculi consummatione horrida illa extremi judicii tempestas ; illa enim, diversas tentant rationalis structuræ nostræ partes, quâ firmitudine consistant ; hæc, semel omnes tentabit, de quâ scriptum est, Isa. 28, v. 2 : *Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium et emissarum super terram spatiosam.* Nam pluvia et grando, desuper domui incidunt ; turbo et venti, latera tentant ; flumina impetusque aquarum inundantium, ima petunt fundamenta.

Movere, concutere, labefactare, movendo agitandoque subvertere. Nam, ut ait psalmus 14, v. 5 : *Qui facit hæc non movebitur in æternum.* Et psalm. 124, v. 1 : *Sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.*

Super petram, præbentem eam domui firmitudinem, ut contra adversaria omnia immobilis perstaret et invicta : firmè et solidè ædificata erat ; est enim firma et solida vitæ instituendæ ratio, quæ permansura sit ; in effecto certè ; et servatura hominem in secula seculorum ; id est, adductura in regnum cœlorum, auditam Christi doctrinam operibus exprimere. *Non enim quisque firmat,* Augustinus ait, *quæ audit vel percipit, nisi faciendo.* Et si quando cadere contingat in hâc vitâ, hoc est, ædificatorem persecutionibus cedere, non fit id nisi quia firmam illam et solidam ædificandi rationem deserit, id est, non perstat in eorum quæ à Christo didicit observatione.

Vers. 49. — Audit et non facit ; Græcè audierit et non fecerit. Non de iis qui audiunt tantùm sermo est, sed qui ita audiunt ut etiam credant et profiteantur, dicentes, Domine, Domine ; non tamen obediant præceptis divinis. Quia nonnulli auditorum laudaturi erant ea quæ dixerat, nec tamen facturi ; per parabolam hos anticipando deterret.

Ædificanti, qui ædificavit, quasi nulla unquàm tempestas esset exortura, Jac. 1, v. 22 : *Estote factores verbi, et non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo,* etc.

Suam, non est Græcè, sed Syriacè.

Super terram sine fundamento. In Matthæo est : *Super arenam,* quæ cùm sit fluxa, et humescat mollescatque facilè, nullam potest domui stabilitatem dare (hinc enim proverbium : *In arena ædificas*). Contentus enim audîsse et credidisse, fallaci, imò nullo nititur fundamento.

In quam, domum.

Cecidit. Frequenter hìc accidit, ut, qui fide et scientiâ nixi opera negligunt, ortâ gravi tentatione, etiam fidem deserant et scientiam repudient ; itaque cadat manifestè et evertatur structura universa quam moliti fuerant, quantàvis cum ostentatione decoris. Porrò omninò *uniuscujusque opus quale sit dies Domini declarabit,* 1 Cor. 3, v. 13, manifestumque dabit quàm insipientes hi ædificatores fuerint : quàm vana horum omnium spes fuerit, in solâ fide et mandatorum Dei cognitione professioneque fidentium, dùm reprobabit, evertet et igni cremabit, omnem ædificationem eorum, jubebunturque ipsi discedere in ignem æternum exclusi regno cœlorum.

Magna, integra, absque spe restitutionis, quippe ab imo fundo eversa ; itaque ædificatoris cassus labor jacturaque irrecuperabilis, quâ pereat fundi.us totus.

CAPUT VII.

1. Cùm autem implêsset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum.

2. Centurionis autem cujusdam servus malè habens, erat moriturus : qui illi erat pretiosus.

3. Et cùm audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus.

4. At illi cùm venissent ad Jesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei : Quia dignus est ut hoc illi præstes :

5. Diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.

6. Jesus autem ibat cum illis ; et cùm jam non longè esset à domo, misit ad eum centurio amicos, dicens : Domine, noli vexari : non enim sum dignus ut sub tectum meum intres.

7. Propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te : sed dic verbo, et sanabitur puer meus.

8. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites ; et dico huic : Vade, et vadit : et alii : Veni, et venit ; et servo meo : Fac hoc, et facit.

9. Quo audito, Jesus miratus est ; et conversus se-

CHAPITRE VII.

1. Après que Jésus eut achevé tout ce discours, devant le peuple qui l'écoutait, il entra dans Capharnaüm.

2. Il y avait là un centenier, dont le serviteur, qui lui était cher, était dangereusement malade, et près de mourir.

3. Et ayant entendu parler de Jésus, il lui envoya quelques sénateurs juifs, pour le prier de venir guérir son serviteur.

4. Ces sénateurs étant donc venus vers Jésus, le suppliaient instamment, en lui disant : Il mérite que vous fassiez cela pour lui,

5. Car il aime notre nation, et il nous a même bâti une synagogue.

6. Jésus s'en alla donc avec eux ; et comme il n'était plus guère loin de la maison, le centenier envoya de ses amis au-devant de lui, pour lui dire de sa part : Seigneur, ne vous donnez point tant de peine, car je ne mérite pas que vous entriez dans mon logis.

7. C'est pourquoi aussi je ne me suis pas jugé digne d'aller à vous ; mais dites une parole, et mon serviteur sera guéri.

8. Car, moi qui ne suis qu'un homme soumis à d'autres, j'ai des soldats sous moi, je dis à l'un : Allez, et il va ; et à l'autre : Venez, et il vient ; et à mon serviteur : Faites cela, et il le fait.

9. Jésus, entendant ces paroles, fut dans l'admira-

quentibus se turbis, dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.

10. Et reversi qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.

11. Et factum est, deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa.

12. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, et hæc vidua erat : et turba civitatis multa cum illâ.

13. Quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit illi : Noli flere.

14. Et accessit, et tetigit loculum (hi autem qui portabant, steterunt); et ait : Adolescens, tibi dico, surge.

15. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui : et dedit illum matri suæ.

16. Accepit autem omnes timor; et magnificabant Deum dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis; et quia Deus visitavit plebem suam.

17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem.

18. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his.

19. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad Jesum, dicens : Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

20. Cùm autem venissent ad eum viri, dixerunt : Joannes Baptista misit nos ad te, dicens : tu es qui venturus es, an alium expectamus?

21. In ipsâ autem horâ, multos curavit à languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum.

22. Et respondens, dixit illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis, quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur :

23. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

24. Et cùm discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas : Quid exîstis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

25. Sed quid exîstis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosâ sunt et deliciis, in domibus regum sunt.

26. Sed quid exîstis videre? prophetam? Utique dico vobis, et plus quàm prophetam.

27. Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

28. Dico enim vobis : Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptistâ nemo est. Qui autem minor est in regno Dei, major est illo.

29. Et omnis populus audiens et publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis.

30. Pharisæi autem et legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo.

31. Ait autem Dominus : Cui ergo similes dicam

tion; et se tournant vers le peuple qui le suivait, il leur dit : Je vous le dis en vérité, je n'ai point trouvé tant de foi même dans Israël.

10. Et ceux que le centenier avait envoyés, étant retournés chez lui, trouvèrent que le serviteur qui avait été malade était parfaitement guéri.

11. Après ceci, Jésus allait à une ville appelée Naïm, suivi de ses disciples et d'une grande foule de peuple.

12. Et comme il était près de la porte de la ville, il arriva qu'on portait en terre un mort; c'était un fils unique, dont la mère était veuve; et celle-ci était accompagnée d'une grande quantité de personnes de la ville.

13. Le Seigneur l'ayant vue, fut touché de compassion pour elle; et il lui dit : Ne pleurez point.

14. Puis s'étant approché, il toucha le cercueil : or, ceux qui le portaient s'arrêtèrent; et il dit : Jeune homme, levez-vous, je vous le commande.

15. Alors le mort se leva sur son séant et commença à parler; et Jésus le rendit à sa mère.

16. Tous ceux qui étaient présents furent saisis de frayeur; et ils glorifiaient Dieu, en disant : Un grand prophète a paru au milieu de nous; et Dieu a visité son peuple.

17. Le bruit de ce miracle se répandit dans toute la Judée et dans tous les pays d'alentour.

18. Et les disciples de Jean lui annoncèrent toutes ces choses.

19. Et Jean appela deux de ses disciples, et les envoya à Jésus, pour lui dire : Êtes-vous celui qui doit venir, ou si nous devons en attendre un autre?

20. Étant donc venus vers Jésus, ils lui dirent : Jean-Baptiste nous a envoyés à vous, pour vous dire : Êtes-vous celui qui doit venir, ou si nous devons en attendre un autre?

21. A cette heure même, Jésus délivra plusieurs personnes de leurs maladies et de leurs plaies, et des malins esprits; et il rendit la vue à plusieurs aveugles.

22. Puis, répondant aux disciples de Jean, il leur dit : Allez, rapportez à Jean ce que vous venez de voir et d'entendre : que les aveugles voient, que les boiteux marchent, que les lépreux sont guéris, que les sourds entendent, que les morts ressuscitent, que l'Evangile est annoncé aux pauvres;

23. Et bienheureux est celui qui ne prendra point de moi un sujet de scandale.

24. Ceux qui étaient venus de la part de Jean, s'en étant retournés, Jésus s'adressa au peuple, leur parla de Jean en cette manière : Qu'êtes-vous allés voir dans le désert? Un roseau agité du vent?

25. Qu'êtes vous, dis-je, allés voir? Un homme vêtu avec mollesse? Vous savez que c'est dans les palais des rois que se trouvent ceux qui sont vêtus magnifiquement, et qui vivent dans les délices.

26. Qu'êtes-vous donc allés voir? Un prophète? Oui, certes, je vous le dis, et plus qu'un prophète.

27. C'est de lui qu'il est écrit : Voici, j'envoie devant vous mon ange qui vous préparera la voie.

28. Aussi je vous déclare qu'entre tous ceux qui sont nés des femmes, il n'y a point de plus grand prophète que Jean-Baptiste; mais celui qui est le plus petit dans le royaume de Dieu, est plus grand que lui.

29. Tout le peuple et les publicains ayant entendu cela, glorifièrent la justice de Dieu, en recevant le baptême de Jean.

30. Mais les Pharisiens et les docteurs de la loi ont méprisé le conseil de Dieu sur eux, n'ayant point reçu le baptême de Jean.

31. A qui donc, ajouta le Seigneur, comparerai-je

homines generationis hujus, et cui similes sunt?

32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus : Cantavimus vobis tibiis, et non saltâstis; lamentavimus, et non plorâstis.

33. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis : Dæmonium habet.

34. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicitis : Ecce homo devorator, et bibens vinum : amicus publicanorum et peccatorum.

35. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

36. Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo : et ingressus domum Pharisæi, discubuit.

37. Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti.

38. Et stans retrò secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat.

39. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum; ait intra se, dicens : Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum : quia peccatrix est.

40. Et respondens Jesus, dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic.

41. Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta.

42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque : quis ergo eum plus diligit?

43. Respondens Simon, dixit : Æstimo quia is cui plus donavit. At ille dixit ei : Rectè judicâsti.

44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti : hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit.

45. Osculum mihi non dedisti : hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.

46. Oleo caput meum non unxisti; hæc autem unguento unxit pedes meos.

47. Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm : cui autem minùs dimittitur, minùs diligit.

48. Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata.

49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se : Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

50. Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : Vade in pace.

les hommes de ce temps-ci, et à qui sont-ils semblables?

32. Ils sont semblables à ces enfants qui sont assis dans la place publique, et qui crient les uns aux autres : Nous vous avons joué de la flûte, et vous n'avez point dansé; nous vous avons joué des airs tristes, et vous n'avez point pleuré.

33. Car Jean-Baptiste est venu, ne mangeant point de pain, et ne buvant point de vin; et vous avez dit : Il est possédé du démon.

34. Le Fils de l'homme est venu mangeant et buvant, et vous dites : C'est un homme de bonne chère, qui aime à boire; c'est l'ami des publicains et des gens de mauvaise vie.

35. Mais la sagesse a été justifiée par tous ses enfants.

36. Or, un Pharisien ayant prié Jésus de manger chez lui, il entra dans sa maison, et se mit à table.

37. Aussitôt une femme de la ville, qui était de mauvaise vie, ayant su qu'il était à table chez ce Pharisien, y apporta un vase d'albâtre, plein d'huile de parfum.

38. Et se tenant derrière lui à ses pieds, elle commença à les arroser de ses larmes; et elle les essuyait avec ses cheveux, les baisait, et les embaumait de ce parfum.

39. Le Pharisien qui l'avait invité voyant cela, dit en lui-même : Si cet homme était prophète, il saurait sans doute qui est celle qui le touche, et ce qu'elle est : car c'est une femme de mauvaise vie.

40. Alors Jésus prenant la parole, lui dit : Simon, j'ai quelque chose à vous dire. Il répondit : Maître, dites.

41. Un créancier avait deux débiteurs : l'un lui devait cinq cents deniers et l'autre cinquante.

42. Mais comme ils n'avaient pas de quoi les lui rendre, il leur remit à tous deux leur dette : lequel donc l'aimera davantage?

43. Simon répondit : Je crois que c'est celui à qui il a plus remis. Jésus lui dit : Vous avez bien jugé.

44. Et se tournant vers la femme, il dit à Simon : Voyez-vous cette femme? Je suis entré dans votre maison; vous ne m'avez point donné d'eau pour les pieds : et elle au contraire a arrosé mes pieds de ses larmes, et les a essuyés avec ses cheveux.

45. Vous ne m'avez point donné de baiser; mais elle, depuis qu'elle est entrée, n'a pas cessé de baiser mes pieds.

46. Vous n'avez point répandu d'huile sur ma tête, et elle a répandu ses parfums sur mes pieds.

47. C'est pourquoi je vous déclare que beaucoup de péchés lui sont remis, parce qu'elle a beaucoup aimé; mais celui à qui on remet moins, aime moins.

48. Alors il dit à cette femme : Vos péchés vous sont remis.

49. Et ceux qui étaient à table avec lui commencèrent à dire en eux-mêmes : Qui est celui-ci, qui même remet les péchés?

50. Mais Jésus dit à cette femme : Votre foi vous a sauvée : Allez en paix.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Implesset, ita interpres ad verbum ex ἐπλήρωσε, quod est hoc loco *finîsset, absolvisset,* quod habet Syrus.

Omnia hæc verba sua, quibus doctrinæ suæ summam exposuerat.

In aures plebis, id est, apertè, publicè, et palam, docendi ac proficiendi studio magno, audiente et sedulò auscultante plebe. Phrasis est Hebræa, frequens sacris Litteris, ut Gen. 20, v. 8 : *Et locutus est universa verba hæc in auribus eorum,* id est, ita ut clarè

et ipse loqueretur et illi audirent. Exodi 10, v. 2 : *Et narres in auribus filii tui, et nepotum tuorum;* multisque aliis locis. Similis illa est phrasis quæ nonnunquàm occurrit, *in oculis tuis*, 2 Reg. 12, v. 11, pro eo quod est, manifestè, vidente te; *in oculis solis hujus*, vidente sole hoc; sed hanc quidem Latini etiam agnoscunt; illam verò minimè.

Capharnaum, civitatem, sanato in agro civitatis leproso illo de quo supra, cap. 5, v. 12.

Vers. 2. — Erat moriturus. Græcè, futurus erat mori, moribundus erat, agebat animam : *proximus erat ad moriendum*, vertit Syrus.

Pretiosus, quem in pretio habebat, quem plurimi faciebat. Quidam *charum* mavult interpretari, quia, inquit, pretiosus de re dicitur, de homine non item nisi per metaphoram : atqui constat mancipia in bonis numerari. Significat ergo Lucas, non vulgare sordidumque mancipium, sed fidelem, utilem, et raris ornatum dotibus servum fuisse, qui eximiâ gratiâ apud dominum polleret. Hinc tanta vitæ illius cura, et tam studiosa commendatio.

Vers. 3. — Et cum. Hic centurio cùm.

De Jesu, de adventu Jesu in Capharnaum.

Seniores Judæorum, eos qui illìc in populo Judæorum tum ætate, tum auctoritate, maximè venerabiles erant; sic ea gens, senatores et magistratus urbis vocabat *seniores populi*. *Seniores* presbyteri. Syriacè *men kasise*, qui Hebraicè similiter *zekenim* dicuntur, Deuter. 21, v. 2, nomina hæc omnia, à senio licèt dicta, non tam ætatis quàm dignitatis sunt, eos designantia, penes quos erant judicia, quos Hebræi posteriores Græco vocabulo vocant *Sanhedrin*, ut ii planè sint presbyteri, quos Latini eâdem ratione *senatores* vocant, penes quos est auctoritas gubernandæ Reipublicæ : vide Dan. 13, v. 5, 28, 34, 61, passimque in historiâ passionis, vocantur presbyteri populi, *seniores populi*, quod est, judices populi. Apud Judæos judicium erat, in civitatibus singulis, viginti trium virorum, à quo causæ capitales cognoscebantur. Tres enim judicum classes olim apud ipsos fuisse leguntur. Una dicebatur *Domus judicii triumvirûm*, ad quam minores causæ, ut furti, injuriarum privatarum, ac denique quæ vocant *Dine mammonoth*, hoc est, judicia pecuniaria, deferebantur. Altera appellatur *Domus judicii viginti trium*, vel *Synedrion parvum*, à quo causæ capitales, ut diximus, quæ *Dine nephasoth* judicia animarum vocant; cognoscebantur. Tertia ac præcipua, instar Atheniensis Areopagi, nominabatur *Domus judicii septuaginta*, vel *Synedrium magnum* (*Sanhedri* vocant ipsi, Græco nomine Συνέδριον ad Hebræam formam flexo, ut tùm plurima à Græcis, quorum jugo subjacuerant, præsertim ubi Hebraica nomina propria non suppeterent, mutuati fuerant), quod collegium erat, summo pontifice præside, doctorum in lege Dei judicum septuaginta duorum (ad imitationem 72 Senum, quos Moses ex omnibus tribubus, sibi auxiliares elegerat, Num. 11, v. 24), qui ad pedes sceptrum gerentis, tanquàm consiliarii et judices, in gravissimis reipublicæ negotiis, assidere soliti fuerant; à quibus proinde causæ gravissimæ, ad summam reipublicæ pertinentes, tractari solebant. Lege Josephum, lib. 14 Antiq., cap. 17. Erat autem solùm Jerosolymis Synedrium hoc, cùm alia parva Synedria viginti trium et triumvirûm, ab hoc magno Synedrio, in singulis civitatibus constituerentur, Deuteron. 16, v. 18. Misit istos seniores centurio, quia, ut mox per amicos exponi jubet, seipsum non est arbitratus dignum qui veniret ad Jesum, se ethnicum ducens impuriorem quàm qui deberet cum tam eximio Judæorum prophetâ verba communicare, aut quidquam ab ipso impetrare.

Rogans; vide supra, 4, v. 38.

Ut veniret. Judæorum petitionem Lucas centurioni tribuit, quia illam illi ejus nomine instituebant; cæteroqui enim videntur Judæi suo tantùm consilio rogâsse Jesum ut veniret domum Centurionis, non Centurionis ipsius hortatu, qui nihil eis aliud in mandatis dedisse videtur, quàm ut dicerent ipsius nomine id quod Matthæus refert : *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus et malè torquetur.*

Salvaret, servaret, scilicet morti proximum; *vivificaret* habet Syrus. Interpres Latinus juxta sensum vertit, si dixit, *sanaret*, ut habent alii libri.

Vers. 4. — At illi, illi verò.

Sollicitè, studiosè, sedulò.

Quia, superest juxta modum vertendi interpretis hoc loco.

Dignus est. Semper merita Judæus jactat.

Præstes, præstet, quòd dignus est cui præstaret hoc : est enim obliqua oratio, per tertiam personam futuri. Latinus et Syrus interpretes (nam et Syrus vertit secundâ personâ) videntur legisse, secundâ personâ futuri medii, aut certè Atticorum more accepisse παρέξει pro παρέξῃ.

Vers. 5. — Diligit enim. Interpretes Latinus et Syrus prosequuntur rectam orationem : Græcè autem, juxta id quod jam annotatum est, transitio est duriuscula ab obliquâ oratione ad rectam, quæ, additâ voce *aiebant*, emolliri possit.

Diligit enim, aiebant, gentem nostram, communem. Jesum enim sibi connumerant, quippe qui Judæus ex Judæis erat. Non erat igitur Centurio ipse ex gente Judæorum. Signum hoc erat fidei Centurionis erga verbum Dei, quod apud illam gentem servabatur; erga veram religionem, quæ tunc in professione Judæorum erat : non enim gentem illam amabat, nisi quia amplexus diligebat unius Dei cultum.

Synagogam. Syrus, *domum congregationis*, de synagogâ jamjam latè egimus. Mira pietas viri militaris, qui tam erat studiosus cultûs Dei Israel, cùm armatâ manu ipse mare trajecisset, ut Israelitas assuefaceret ad ferendum tyrannidis Romanæ jugum.

Vers. 6. — Jesus autem. Hoc loco *autem* pro *ergo* accipi commodè (ni fallor) potest; sicut rursùs in sequenti membro videtur pro *sed* usurpari : *Sed*

cùm jam non longè, etc., ita enim meliùs cohæret tota oratio.

Amico, familiares, præ constantissimâ humilitate noluit ipse venire.

Dicens. Græcè additur, *ei,* id est, qui ei ipsius nomine hæc dicerent. Solent enim Hebræi, ut alibi etiam adnotavimus, dialogis potiùs quàm obliquis sermonibus res gestas explicare. Est autem hæc loquendi consuetudo notanda hoc loco, quà dicere dicitur, id quod per alios suo nomine dici jubet, ut Matthæus cum Lucâ concilietur in hujus historiæ narrationem.

Noli vexari, ne vexeris, ne distraharis, ne molesteris, ne eam subeas molestiam, Syrus *lo tehemal,* ne labores, ne fatigeris.

Non sum dignus. Modestiâ magnâ sese demittit, indignum se profitens qui tanti talisque viri dignitatem excipiat, utpote cujus ædibus, quippe gentilis ac proinde peccatoris, etiam vilissimi quique Judæorum abstinerent, dùm contaminari caverent.

Sub tectum meum, in domum meam.

Vers. 7. — Propter quod et meipsum. Propter quod etiam, meipsum, etc.; ideò neque arbitratus sum me dignum, qui ipse venirem ad te; nam et eam ob causam ipse non veni ad te, quia dignum me colloquio tuo non agnovi.

Sed dic verbo, solo verbo jube ita fiat; nam *dic* Hebraico more pro *jube* accipitur; λόγος autem *verbum,* pro locutione et verbis; q. d. : Tantùm loquere jubeasque ut fiat; nam, ut intelligas, dic uno verbo, quanquàm res eòdem veniat, non id facilè admittit vox λόγος, nisi eam translatam dicas ex Hebræâ aut Syriacâ voce quæ id permittat. Summum credit Salvatori imperium esse cui dixisse satis sit; planèque divinam in eo efficacitatem agnoscit : nam ut verbo tantùm, id est, jussu solo, dicta fiant, non est id nisi plenæ virtutis, qualis est Dei, qui *dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt.* Cæterùm, an Deum eum crediderit manifestatum in carne, an duntaxat Redemptorem Judæis promissum, cui à Deo subjecta essent omnia, absolutaque potestas data operandi quæ vellet; hoc fortassè vero similius videri queat.

Vers. 8.—Nam et ego, Græcè, *et enim ego.* Argumentatur à minori : Si ego, homo cùm sim alterius subditus potestati, quia aliquibus præsum in quos mihi auctoritas est, multa, solo verbo, solo jussu, facere valeo, illis nimirùm, mandatis meis obtemperantibus; quantò tu magis, qui nulli creaturæ subditus, præes omnibus, necesseque est ut tuæ omnes pareant voluntati? *Si ego,* inquit Augustinus sermone de verbis Domini sexto, *homo sub potestate, jubendi habeo potestatem : quid tu non possis, cui omnes serviunt potestates?* Ratio ista non ita perspicua est, dùm juxta nostram editionem legitur *Nam et ego* (quamvis ita complures alii transferant, etiam Syrus ipse *oph eno ger, etiam ego enim*) nisi hoc aut simili modo intelligas : Nam et ego, homo licèt sim sub alterius potestate, tamen quia habeo sub me alios, multa solo jussu perficio : ut post illud : *Nam et ego,* comma fiat; referaturque illud, non ad proximum, *homo sum sub potestate,* sed ad istud secundùm rem, *dico huic : Vade, et vadit; et alio,* etc., tametsi conjunctio intercedat.

Sub potestate constitutus, tribuni nimirùm et regis sive Cæsaris.

Vade. Sic etiam, multòque magis, tu, si morbo ac paralysi dixeris : Abi, abibit; si sanitati : Veni, veniet; puero ipsi laboranti : Sta, et ingredere, atque exercere, faciet. Vide supra, 4, v. 39.

Et servo meo familiari, in quem mihi privatum jus est.

Vers. 9. — Miratus est, mirantis more se habuit et locutus est, ut admiratione et imitatione dignam doceret centurionis fidem. Propriè enim admiratio de rebus est inopinatis : inopinatum autem nihil esse potuit omniscio. Augustinus, lib. de Genesi contra Manichæos, capite 8. Post *miratus est,* additur *eum,* Græcè et Syriacè.

Sequentibus se turbis, sequenti se turbæ, est Græcè et Syriacè, quò eos alliceret ad imitationem.

Amen. Legitur vox ista, ut Latinè, ita et Syriacè in exemplari manuscripto; sed non Græcè neque Syriacè in impressis codicibus.

Nec in Israel, ne in ipso Israel quidem, in populo Israel, qui Scripturas sacras de Christo loquentes ab infantiâ doctus, fide meritò præcellere deberet. Manifestum est hinc Centurionem Israelitem non fuisse.

Tantam fidem, qui tantùm fide profecerit ex prædicatione et miraculis meis.

Inveni hactenùs, ex quo prædicavi : accidit enim istud secundo anno prædicationis Christi.

Vers. 10. — Domum, centurionis.

Qui languerat, qui ægrotaverat.

Sanum, nimirùm, dixerat Christus verbo, et factum fuerat.

Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres, id est, vel domum intres. Dicendo autem se indignum, præstitit dignum, non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intraret, inquit August., sermone cit. Sed dic verbo, id est, impera, dic unicum verbulum. Quâ phrasi agnoscit summum ejus imperium, summamque solius jussûs efficaciam, ut meritò putari possit, Christum non solùm ut Messiam Judæorum, sed ut verum Deum agnovisse.

Vers. 8. — Nam et ego, quamvis homo sum, non Deus, uti tu, et sub potestate constitutus, id est, alteri subjectus, tribuno aut Cæsari, non omnibus imperans, sicut tu, tamen quia sum habens sub me milites, id est, quia nonnullam in quosdam milites potestatem habeo, dico huic : Vade, et vadit, etc., id est, multa solo jussu facio. Argumentum enim petit à minori, quasi diceret, inquit August., loco cit. : Homo sub potestate, jubendi habeo potestatem, quid tu non possis, cui omnes serviunt potestates? Ex quibus verbis patet incomparabilis fides istius Gentilis, sicut profundissima humilitas ex v. 8, et humilitas erga servum, modestiaque supplicandi ex v. 6.

Vers. 9. — Jesus miratus est, id est, in modum mirantis se vultu habuit, et locutus est; quemadmodùm iratus dicitur Deus, effectu scilicet, non affectu, quia tranquillo judicio facit id quod irati solent. Nam,

VERS. 11. — DEINCEPS, in sequenti, scilicet die, quod Syrus etiam exprimit. Latinus videri possit legisse in sequenti, scilicet tempore, nisi quòd *deinceps* etiam rectè accipiatur pro *postridiè*.

IBAT, proficiscebatur, scilicet Jesus IN CIVITATEM; *circuibat* enim *omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem,* quod ait Matthæus, cap. 9, v. 35.

NAIM. Latinè ultima littera est *m*, secunda liquidarum; Græcè et Syriacè *n* tertia. Civitas fuit Galilææ, sita in latere aquilonari montis Hermon minoris (Adrichomius); secundo milliario à monte Thabor (Hieronymus libro de locis Hebraicis).

DISCIPULI EJUS. Additur Græcè, *sufficientes, multi;* sed quod non magis Syriacè quàm Latinè legatur. Habebat Jesus, præter apostolos, alios multos discipulos.

ET TURBA COPIOSA, multa. Etiam ingens promiscuæ multitudinis turba, Jesum quocumque euntem sequebatur, nec familiæ amore nec labore itineris revocata, partim ut audiret docentem, partim ut videret miracula, aut etiam obtineret sibi suisve corpore affectis; tanta erat illorum aviditas, et Jesu celebritas ac magnificentia.

VERS. 12. — CUM AUTEM APPROPINQUARET, ut autem appropinquavit.

ECCE, et ecce, tunc ecce. Adverbio *ecce* significatur fortuito casu accidisse (quod homines possent judicare) ut cùm Jesus appropinquaret civitati, efferretur è civitate mortuus : quod tamen fortuitò non accidit, annotat Titus, sed ordinante Dei providentiâ, Jesu quoque ad hanc opportunitatem consultò se offerente. Cæterùm voluit Jesus, ut fortuitus occursus præsentibus videretur, ne si ex industriâ exspectâsset cadaveris exportationem, minoris fidei et gratiæ esset edendum miraculum.

DEFUNCTUS, mortuus. Evidens erat esse mortuum, qui domo et civitate efferebatur ad sepulturam, multis comitibus testibus.

EFFEREBATUR, scilicet civitate seu portâ civitatis. Mos enim Judæorum erat, ut mortuos extra civitates sepelirent, ne illæ cadaverum immunditie inficerentur; quod constat ex multis Scripturæ locis. Syrus loco horum : *Ecce defunctus efferebatur,* legit, *vidit comitantes mortuum, qui erat unicus.*

UNICUS, unigenitus, quod amplius est quàm unicus : nullos enim alios unquàm liberos genuisse significatur. Nec facilè alius luctus major est, eo qui est de morte unigeniti; quemadmodùm Scriptura ipsa dat intelligendum, Jer. 6, v. 26, et Zach. 12, v. 10.

ET HÆC VIDUA, phrasis Hebraica, quâ subauditur *erat;* quod Latinè exprimitur. Omnes minutatim circumstantias exprimit evangelista, cùm ad fidem historiæ conciliandam, tùm ad declarandam gravitatem afflictionis hujus mulieris, et ærumnæ molem, quæ eam fecit commiseratione dignam. Vidua enim erat orbata marito, et cùm unicum filium, quem solum genuerat, haberet superstitem, hæredem, solatium, et spem omnem suam, illo mortuo, et ex ipso ætatis flore erepto, exstincta est scintilla ipsius, nec superfuit aut ipsi aut viro ipsius nomen et reliquiæ super terram, ut utamur verbis Thecuitis illius, quibus Davidem ad miserendum excitare conatur, 2 Reg. 14, v. 7. Mortuus est enim *adolescens,* ut mox sequitur, ante nuptias, ne nepote quidem matri relicto.

TURBA CIVITATIS. Syrus, *turba filiorum civitatis,* quod est, civium.

MULTA, *sufficiens,* ad verbum.

CUM ILLA, simul cum illâ prosequens cadaver ad sepulturam. Observa morem funeris, ut amici notique comitarentur, nec abesset mater; qui mos, non tantùm exhibiti mortuo honoris officium fuit, verùm etiam pietatis, opus Deo gratum, cui placent talia pietatis officia, quibus significatur mortuorum corpora ad Dei providentiam pertinere, et fides resurrectionis astruitur, quemadmodùm docet D. Augustinus, lib. 1 de Civitate Dei, cap. 13. Porro quòd multi hìc sint comitati, indicium fuit, non infimæ sortis mulierem eâ in civitate fuisse, cui, ut Ambrosius ait, *gravitatis meritum exequiarum turba conciliat.* Denique, multitudo comitum viduæ unâ ex parte, ex alterâ turba copiosa adhærens Jesu, postremò locus publicus, proximus portæ civitatis, ubi egredientium et ingredientium concursus, ubi et forum esse consueverat, tam rerum venalium quàm judiciorum, fecerunt ad hoc, ut miraculum proximè edendum, celeberrimum ac testatissimum fieret. *Di-*

ut August. lib. 1 contra adversarium legis et prophetarum, c. 7, quisquis miratur, inopinatum atque improvisum sibi esse significat quod miratur : Jesu autem nihil erat inopinatum, utpote qui ipsam Centurionis fidem in ipso fecerat. Itaque, inquit August., id quod mirandum aliis commendabat, mirando (id est, mirantis modo se habendo) laudabat. Nam, ut idem ait, lib. 1 de Genesi contra Manichæos, c. 8, tales motus ejus non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri.

NEC IN ISRAEL, hoc est, ne quidem in Israel, qui scilicet ab infantiâ Scripturas de Christo edoctus est, ideòque fide debebat antecellere Quæ oppositio apertè probat Centurionem fuisse gentilem; unde ex tantâ ejus fide, veluti specimine et præludio quodam, transit hìc ad prænuntiandam vocationem gentium. INVENI, ex quo scilicet et cui ego prædicavi. Non enim agitur de patriarchis, Joanne Baptistâ, beatâ Virgine, sed de populo, in quo versabatur.

VERS. 11. — IBAT IN CIVITATEM, QUÆ VOCATUR NAIM. Civitas est Galilææ, ad radices montis Hermon minoris, duobus circiter milliaribus à monte Thabor, ut Hieron. de Locis Hebraicis, juxta torrentem Cyson, ut ait in Epitaphio Paulæ. ET TURBA COPIOSA, quod addit ut indicet multos miraculi fuisse testes. Quâ de causâ etiam divinâ providentiâ factum est, ut ad ipsam portam civitatis fieret, ubi et judicia olim fiebant, et maximus esse solebat hominum concursus. Voluit tamen fortuitum videri occursum funeris, ne minor esset miraculi gloria, si quæsitus videretur.

VERS. 12. — ECCE DEFUNCTUS EFFEREBATUR. Mos enim Judæorum erat, ut mortui extra civitatem sepelirentur, ut minùs facilè legalis impudicitia contraheretur ex sepulcrorum commercio. Unde et Christi se-

vino nutu, ait Beda, *multa Dominum turba, multa viduam comitabatur, ut viso tanto miraculo, multi testes, multi fierent Dei laudatores.*

VERS. 13. — QUAM, flentem, ejulantem, et gravissimè afflictam ac tristem; habebat enim justissimas luctûs causas, quas mox exposuimus.

CUM VIDISSET, considerâsset. Non solùm enim oculis eam aspexit, verùm etiam animo consideravit causas luctûs ejus, quas perspectas habebat, non ex aliquâ cum eâ familiaritate, sed ex propriâ scientiâ, quâ omnia noverat.

DOMINUS; Syrus, *Jesus.* Frequens est huic evangelistæ, ex imitatione apostoli Pauli præceptoris sui, ut Jesum Dominum vocet, quippe redemptorem hominum, et assertorem è servitute peccati ac miseriarum; hujusmodi Dominum jam sæpè se probaverat Jesus.

MISERICORDIA MOTUS. Non solùm voluit ei subvenire, verùm etiam spontè hanc affectionem in se suscepit, ut de ejus malis doleret; est enim misericordia, alienæ miseriæ in cor proprium admissio, ita ut eâ crucieris. Non continet autem gratiam suam, donec rogetur, quemadmodùm aliàs; sed omnium preces antevertens, matri nihil tale exspectanti, ultrò beneficium confert, solâ movente misericordiâ; tanta est ejus ad sublevandas hominum miserias promptitudo (ut et potestatem illam suam, ad misericordiæ exercitationem è cœlo detulerat) et signanter viduarum, quarum, susceptorem, id est, defensorem et consolatorem, frequentissimè se nominaverat, Psal. 145, v. 9, qualem et hìc reipsà se exhibet.

SUPER EAM, erga eam, misertus ejus. Non misertus filii, qui miseriis mundi jam erat ereptus, sed matris, inter miserias mundi fluctuantis, filium ad vitam revocavit.

DIXIT ILLI, misericordiam animo conceptam declarat verbis, consolans miseram.

NOLI FLERE, scilicet ob mortem filii. Non damnat fletum ejus moderatum : *est enim de mortuis iis qui diliguntur, quædam tristitia quodammodò naturalis,* ait Augustinus, serm. 32, de Verbis Apostoli; *mortem quippe horret, non opinio, sed natura.* Nam quamvis etiam speremus eis benè esse post hanc vitam, tamen acerbitas illa quæ est in separatione animæ à corpore, non potest nos non commovere. Erant autem huic viduæ, etiam peculiares et quidem justissimæ causæ flendi, quod vidimus : sed *Noli flere,* ampliùs, intelligit Jesus, subindicans jam adesse causam lætitiæ : *flere enim prohibet eum cui resurrectio debebatur;* verba sunt Ambrosii; q. d., ex mente Bedæ : *Desiste quasi mortuum flere, quem mox vivum resurgere videbis.* Igitur, ut ne putaret vidua eum dicere : *Noli flere,* quemadmodùm consueverunt amici, non esse scilicet flendum immoderatè, quia unicuique semel moriendum sit, et quia Deo jam placuerit hunc è vitâ evocare; ne, inquam, putaret, eum solis verbis agere et consolari, ut solent homines hâc in parte : statim ut hoc dixerat Jesus, ad rem opusque, quo consolatorem efficacem se præstet, et reipsà opituletur, se accingit, quemadmodùm sequitur.

VERS. 14. — ET ACCESSIT ET TETIGIT. Græcè, *et cùm accessisset tetigit,* quo dicto accessit ad cadaver; et tetigit, non cadaver, nec enim contactu resuscitavit, sed loculum. Significat manûs apprehensio, studiosam voluntatem et intentionem efficiendi id quod præ manibus est; præterea etiam efficacitatem adhibitam; denique et vivificandi virtutem in ipso sitam, juxta illud : *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat; sic et Filius quos vult vivificat,* Joan. 5, v. 21.

LOCULUM, id est, lectulum seu lecticam, in quâ cadaver jacebat, quâque ferebatur; Euthymius : *Arculam in quâ jacebat mortuus.* Tetigit autem hanc arculam, pro indicio ut gradum sisterent vespillones, quemadmodùm eos fecisse sequitur.

HI AUTEM QUI PORTABANT, portantes autem, participium loco nominis, portitores, bajuli.

STETERUNT. Substiterunt quieti, nec ultra progressi sunt. Non mirum eos Jesu obtemperâsse, doctori adeò celebri et miraculis claro, quem tantâ discipulorum populique turbâ comitatum coràm viderent.

ADOLESCENS. Alloquitur mortuum tanquàm vivum, ut Deus, cujus solius vocem mortui possunt audire; *qui,* ut Apostolus ait, Rom. 4, v. 17, *vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquàm ea quæ sunt,* vocandoque facit ut sint.

TIBI DICO. Non orat Deum Patrem, quod fecerant prophetæ Elias et Elisæus simili occasione; sed ipse jubet et morti imperat, ostendens quòd non alienâ, sed suâ potestate utatur, quâ æqualis sit Patri, et vitæ ac mortis imperium obtineat non minùs quàm Pater, unus cum Patre Deus. Mortuis enim imperare, et vocis imperio ad vitam revocare, solius Dei

pulcrum extra civitatem extructum fuit. FILIUS UNICUS, Græcè, *unigenitus,* quod amplius est; unde et in unigeniti more luctus est acerbissimus, Zachariæ 2, v. 10, et Jeremiæ 6, v. 26. ET HÆC VIDUA; ideòque desolatior, et viro et filio, hærede et solatio senectutis, extincto. ET TURBA CIVITATIS MULTA CUM ILLA; ad meritum gravitatis, ut Ambr., ad consolandam viduam mœroris societate, funeris pompâ et solemnitate : nam hæc, ut Aug. in Enchiridio, magis pertinet ad vivorum solatium, quàm ad suffragium mortuorum.

VERS. 13. — QUAM CUM VIDISSET DOMINUS, non solùm corpore, sed inprimis animo, expensis causis luctûs ejus, MISERICORDIA MOTUS SUPER ILLA, seu propter illam, spontè scilicet doloris et compassionis motu in animum admisso. Unde colligit Ambr. citò flecti divinam misericordiam lacrymis viduæ, præsertim quæ unici filii labore vel morte frangatur. DIXIT ILLI : NOLI FLERE, fide scilicet et spe futuræ resurrectionis, partim generalis omnium (quod solatium est verum, et ex virtute profectum), partim jam proximè instantis; q. d., inquit Beda : Desiste quasi mortuum flere, quem mox resurgere vivum videbis.

VERS. 14. — ET ACCESSIT, ET TETIGIT LOCULUM, non ut contactu suscitaret, sed ut portantes loculum, sisteret; et ait : ADOLESCENS, TIBI DICO, seu impero, SURGE. Ostendit enim se non alienâ, sed suâ auctoritate, ideòque divinâ suâ virtute mortuum suscitare. Quâ consideratione dixit Ambr. : Mortuis vitam imperare solius divinæ est potestatis. Petrus autem non

est. Quasi dicat : Ita mihi placet, sic volo, sic jubeo.

Surge, à morte sis redivivus. Resonant hæc verba majestatem, nec aliam quàm divinam. Mortui autem est jacere, vivi surgere.

Vide Matth. 9, 25 et Marc. 5, 41, ubi agitur de puellæ duodennis resuscitatione, quæ ante hanc accidit, etsi post hanc narretur à Lucâ, infra cap. 8, v. 54.

Vers. 15. — Et, pro tunc, statim ad jussum Jesu.

Resedit. Non dicit *revixit,* quod tamen prius fuit. Nam quo verbo ab initio condita sunt omnia, et quæ antea non erant evocata sunt ut essent; eodem hic ad vitam est revocatus, mortuus audivit verbum, quod in constitutione mundi ea quæ non erant audierunt. Nimirùm verbum Dei, opus est, et dicere facere. Itaque ad vocem Jesu mox revixit iste; quod miraculum, tanquàm cœleste sigillum testatum est Jesum naturâ esse Deum, divinâ majestate ac potentiâ præditum. Non tamen ait evangelista, *revixit,* sed *resedit, et cœpit loqui ;* hoc enim efficacius est, ita ponens resurrectionem, ut simul eam probet manifestis indiciis, *ne cui secundùm externam tantùm faciem, et non verè resuscitatus videretur,* ait Titus. *Siquidem sedere et loqui, veræ exsuscitationis argumenta sunt ; corpus enim exanime, neque sedere neque loqui potest.* Eadem habet Theophylactus. *Resedit* ergo, id est, erexit se ita ut sederet in lecticâ quâ ferebatur (fuit enim haud dubiè lectica patula) omnibus conspicuus.

Qui erat mortuus, mortuus, qui fuerat mortuus.

Et cœpit loqui. Resuscitatus est sanus, validus, et vitæ functionibus subeundis aptus : ita etiam visus et auditus est turbis, remotioribus perinde ac proximis.

Dedit illum matri suæ. Datâ dexterâ jussit Jesus ut surgeret in pedes et de feretro descenderet, duxitque eum ad matrem, cujus commiseratione eum suscitaverat, et dedit matri. Verè enim donum erat Jesu, qui non fuerat nisi per Jesum recuperabilis. Dedit, inquam, ut, quemadmodùm priùs, obediret et opem ferret matri. Mater accepto filio perfectam consolationem assecuta, actis Jesu gratiis, rediit domum unà cum filio, propriis suis pedibus iter remetiente, quod mox aliorum brachiis portatus confecerat, universâ populi turbâ spectante et obstupescente, quemadmodùm sequitur.

Vers. 16. — Accepit, invasit, corripuit autem omnes præsentes maximo numero timor reverentiæ erga Deum, ortus ex admiratione declaratæ per Jesum præsentiæ Dei, cum consolatione tamen conjunctus; vide supra 1, v. 65.

Magnificabant, glorificabant, tribuebant laudem et gloriam.

Quia. Si non superfluit, vel est loco articuli τὸ, *dicentes* hoc vel hæc verba : *Propheta magnus,* etc., vel est loco adverbii *certè, sanè :* Certè propheta magnus, etc., ut quidam interpretantur.

Propheta magnus, vir sanctus à Deo missus, potens opere et sermone, infra 24, v. 19; Messias vel ejus comes, vide Joan. 1, v. 21 ; nam Messiæ adventum credebant instare.

Surrexit, exortus est, apparuit in nobis, inter nos, in Israel.

Et, scilicet dicentes etiam; quia, ut mox.

Visitavit. Misso prophetâ magno, declaravit se memorem populi sui, benefaciens ei modis admirandis, et propitium se exhibens; vide supra 1, v. 68. Respiciunt, non ad hoc solùm resuscitati adolescentis, quanquàm hoc principem facilè locum apud eos obtinuerit; sed et ad cætera miracula, quæ vel visu vel famâ intellexerant. Finis autem horum miraculorum fuit, ut Jesus crederetur esse Christus Filius Dei, Joan. 20, v. 31. Hi aliquò usque profecerunt, sed longè infra dignitatem et gloriam promissi Messiæ.

Vers. 17. — Exiit, dimanavit, nec enim voluerat Jesus occultum esse quod coram tot testibus ediderat.

Hic sermo, seu hoc verbum, id est, res ista, fama hujus miraculi.

In universam, in totam Judæam. Miraculum editum in Galilæâ, unâ Judæorum regione, divulgatum est per omnes duodecim tribuum regiones; sic enim nomen Judææ aliquando generaliter accipitur; vide supra 1, v. 5.

De eo, quòd ipse illius auctor esset, per hæc alia-

dixit in Actis : *Tabitha, surge,* nisi præmissâ oratione, quâ etiam usi sunt Elias et Elizæus.

Vers. 15. — Et resedit, qui erat mortuus, id est, erexit se ad sedendum, ut qui lecticâ supernè patulâ jaceret, et cœpit loqui. His duobus manifestissimis effectis et indiciis se verè ressuscitatum indicans, ut notant Titus ac Theophyl. Et dedit illum matri suæ, in argumentum, quòd ipsius commiseratione, et in ejus præsidium eum suscitaverat. Allegoriam hujus historiæ prosequitur Ambros. Quid verò significetur per tres mortuos à Christo suscitatos, scilicet archisynagogi filiam, hunc adolescentem, et Lazarum, pulchrè ad mores informandos tractat August. serm. 43 de Verbis Domini, c. ult., et 44 toto, et tract. 49 in Joan. Summa est quòd puella mortua in domo jacens significet eos qui intùs in corde peccatum decernunt; adolescens foràs elatus, eos qui actibus externis perpetrant; Lazarus quatriduanus in sepulcro fœtens, eos qui consuetudinis pondus supra se habent, et in peccatis putent sive fœtent. Hi omnes à Domino suscitantur, sed ita ut postremi magnâ ejus voce, hoc est, potentissimâ gratiâ, ad vitam revocari debeant. Vide ibidem latiùs.

Vers. 16. — Accepit autem omnes timor, id est, corripuit eos horror quidam et reverentia exerentis sese divinitatis; *timor* enim pro reverentiâ seu reverentiali timore frequenter apud Hebræos ponitur. Unde sequitur effectus ejus. Et magnificabant, id est, magnum prædicabant Deum, propter misericordiam et potentiam, dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis : nec enim amplius quàm prophetæ dignitatem videntur agnovisse in personâ ejus; in officio verò Messiam, et per hoc quod addunt : Deus visitavit plebem suam, quæ erant et verba Zachariæ c. 1, vers. 68, Messiam advenisse gratulantis. Quanquàm ita intelligi possint, ut generaliter gratulentur his verbis, quòd Deus plebem suam per multos annos à prophetis desertam denuò visitaverit, et consolatus sit.

quæ declaratus à Deo propheta magnus, ad salutem Israelis missus.

Circa regionem, regionem circumjacentem; ab oriente Arabiam, à meridie Idumæam, ab occasu Tyrum et Sidonem, ab aquilone Damascum et Syriam.

Joanni Baptistæ, tunc in carcerem conjecto, Matth. 11, v. 2.

De omnibus his, de resuscitato adolescente mortuo, aliisque miraculis à Jesu perpetratis, denique laude ac titulis Jesu à populo tributis, quorum fama et ad ipsos inter alios pervenerat.

Nuntiaverunt autem, non ut Jesum Joanni commendarent, sed potiùs ut Joannem in Jesum concitarent, eò quòd subinviderent tanto successui rerum quæ gerebantur ab Jesu, ac nomini ipsius in dies magis ac magis inclarescenti, Joannisque præceptoris sui, quem ipsi reputabant virum omnium sanctissimum ac Jesu longè præferendum, gloriam obscuranti. Admonitum itaque volunt præceptorem ut rebus suis prospiciat, ne quid ipsius gloriæ decedat.

Vers. 19. — Et pro *tunc*, convocavit, advocavit, ut huic suorum affectui mederetur.

Duos de discipulis suis, duos quosdam discipulorum suorum. Alieniores erant à Christo plerique Joannis discipuli (nam quidam jam Christo adhærebant, ut Andreas, Joan. 1, v. 40, Matth. 4, v. 20), pro magistro suo Joanne contra Christum æmulantes (Joan. 3, v. 26), atque ita ab eo pendentes ut majora de ipso quàm de Christo sentirent (Matth. 9, v. 14) (licèt aliud eos docet Joannes, Joan. 3, v. 28), quæ res impediebat ac viam intercludebat ne in Christum crederent; videns Joannes unâ ex parte se non procul à stadii sui metâ distare, ac proinde sollicitus ne discipuli sui tales manerent etiam à morte suâ, suo et aliorum magno malo; alterâ ex parte Christum jam inclaruisse, opportunum et maturum venisse tempus statuit, quo illos ad Christum mittat, et Christo eos conjungere curet, certus eos visuros, audituros, ac relaturos ejusmodi, ex quibus ipse illis manifestè monstrare posset, quod frequenter eos antè docere et persuadere conatus fuerat, Jesum ipso esse longè majorem, atque adeò esse Christum, agnum Dei, ac mundi Salvatorem, in quem credere, cui adhærere, et quem sequi oporteret. Mittit itaque illos, ut opera Christi, quæ famâ didicerant, coràm videant, et Jesum ipsum esse Christum discant : agens quod fidelis amici ac ministri Christi est, ut non sibi discipulos retineat et post se abducat, sed ad Christum ablegat ac dirigat. Non itaque suâ causâ discipulos suos Joannes ad Jesum mittit; sed ipsorummet causâ, ad ipsorum scilicet informationem, dissimulans id tamen, et tanquàm suâ causâ illos mittens, ut ne cunctarentur accedere. Veriti enim fuissent Christum suo ipsorum nomine accedere, ne fortè ut parùm ipsi fuerant Christi studiosi, ita et Christum vicissim erga se durum experirentur. Mittit autem duos, tum honoris Christi causâ, tum ut testes legitimi sint Jesu Christi virtutis, denique quò certius referant responsum. Eos autem verisimile est eum misisse, qui cùm essent indolis optimæ, exactiùs sinceriùsque referrent quæ oportebat.

Vers. 20. — Viri, discipuli à Joanne missi. Dicens, per nos, interrogans te per nos.

Tu es. Præscriptis à præceptore verbis utuntur, ne quid aberrent.

Qui venturus es. Participium Græcum præsenti tempore aliquid futurum significat, cui subauditur verbum substantivum secundæ personæ, *es*, aut *eras*, vel potiùs tertiæ, *est*, aut, *erat*; respiciturque ad prophetarum de Messiâ prædictiones; q. d. : Es tu ille qui diù venturus exspectatur ex vaticiniis prophetarum, hoc est, promissus Messias seu Christus. Non dubitantis, sed gaudentis et gratulantis, Joannis interrogatio est. Commune erat Judæis omnibus rudimentum pietatis, quod à pueris tenebant, esse venturum Christum salutis et perfectæ beatitudinis auctorem. Hoc itaque caput pro confesso sumens, non de eo quæstionem movet; sed quæri jubet an Jesus sit Salvator ille promissus ac dudùm expectatus. Postquàm enim crediderant futuram eam quæ in lege et prophetis promissa erat redemptionem, credere etiam oportuit illam in Jesu personam exhiberi.

An alium exspectamus? An non tu es, sed alium oportet ut exspectemus. Hâc particulâ obliquè perstringit discipulorum suorum socordiam qui pridem certò docti, tamdiù ambiguis animis fluctuabant. Porrò apertè id rogari jubet quod erat totius summa negotii, ut in ipsâ rei summâ discipuli instruerentur in quâ adhuc errabant, sciens Jesum prudenter responsurum, et rebus ipsis potiùs quàm affirmatione oris proprii, eos convicturum. Noverat enim Joannes constitutum à Deo consilium, ut non tam se Filius Dei verbis, quàm Pater eum operibus declararet. Jubet itaque discipulos suos periculum facere rogantes verbo, non ut verbo Jesus respondeat, sed ut opere Christus esse agnoscatur. Jubet autem rogari suo nomine, tanquàm si ipse id ignoret aut dubitet (qui non ignorabat, quem digito præsentem indica-

Vers. 20. — Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Hinc colligit Tertull., Joannem de Christo certum esse desiisse, ut loquitur cap. 8 lib. de Præscript., deficiente scilicet in eo spiritu prophetiæ, post totius spiritûs translationem in Dominum, ut ait c. 10 lib. de Baptismo. Sed, ut rectè dicit Ambr. lib. 6 in Luc., aut insolentiæ fuisset, antea ei divina tribuere, quem nescias, aut de Dei Filio dubitâsse perfidiæ est. Hieronym. ponderat, non dici : *Tu es, qui venisti*, sed, *qui venturus es*, scilicet ad inferos, quò Joannes mox erat descensurus; ut scilicet scire posset, non utrùm esset Messias, sed utrùm et inferis Christum deberet nuntiare. Cum quo consentiunt Greg., hom. 1 in Ezechielem, et illi, qui dubitâsse volunt apud Ambros., dicto lib. 6 in Lucam, utrùm esset moriturus. Sed longè rectiùs Hilar., can. 11, et Chrysostomus, hom. 37 in Matth., sentiunt Joannem nullo modo de Christo dubitâsse, sed potiùs discipulos ejus, putantes forsan quòd Joannes modestiæ causâ Christum ita prædicâsset, et

verat, Joan. 1, v. 29, 35), ut faciliùs discipuli, et rogare audeant, et se instrui patiantur, cùm non tam ipsi rogare aut instrui videantur, quàm ipsorum magister. Docuisset autem ipse quidem id facilè illos, cùm referrent illi miracula Jesu quæ famâ didicerant; imò docuerat non semel; sed quia propter anticipatam de magistro opinionem, existimabant illum modestiæ causâ, nolle fateri quod erat, sed Jesum sibi præferre, et hoc magnificentiùs de ipso sentiebant, quò magis se dejiciebat; maluit illos ad Jesum missos, coram, majestate dictorum ac factorum illius, convinci (habebat enim Jesus testimonium operum, majus testimonio Joannis, ut ipse testatur Joan. 5, v. 36), adhæc voluit eos hunc in modum testes parari muneris sui jam consummati, et legationis suæ fidem firmare, dùm confessuri essent et ipsi, Jesum esse illum quem Joannes declaraverat, prædicaverat, et post se venturum dixerat; denique cupivit illos Joannes, cùm ipse prope diem moriturus esset, in Jesu amicitiam insinuari.

VERS. 21. — IN IPSA HORA, eodem illo tempore, quo scilicet venerant discipuli Joannis ad Jesum; interea, verisimile est, dùm exspectarent illi opportunitatem alloquendi Jesum. Hora hoc loco non accipitur, pro duodecimâ diei parte, sed species est pro genere; hora pro tempore.

CURAVIT, sanavit vel sanaverit Jesus.

A LANGUORIBUS. A morbis.

PLAGIS, flagellis, quotquot morbis aliisve defectibus tanquàm flagellis à Deo corripiebantur. Dùm morbos Scriptura flagella appellat, magnâ emphasi intelligendum dat, quæ vera morborum origo, et quo consilio à Deo immittantur; quâ de re agit apostolus, 1 Cor. 11, v. 30, et, eodem etiam vocabulo usurpato, Hebr. 12, v. 6.

DONAVIT, vel *donaverat,* ex aoristo.

VERS. 22. — ET RESPONDENS. Itaque opportunè respondit illis Jesus. Nomen enim Jesu additur Græcè et Syriacè.

EUNTES, profecti, redeuntes.

RENUNTIATE JOANNI. Remittit eos ad Joannem, tanquàm si Joannes eos suâ ipsius causâ misisset, cùm Joannis mentem non ignoraret, prudenter dissimulans id quod et Joannes, ut tantò se faciliùs doceri et persuaderi paterentur.

QUÆ AUDISTIS ET VIDISTIS. Græcè, *quæ vidistis et audistis,* qui ordo est et in aliis Latinis codicibus. *Vidistis,* mox; hìc omnes præteritum legunt tempus. De re præsenti agitur.

QUIA, quòd.

VIDENT, quasi dicas, revident, id est, visum recipiunt.

AMBULANT, ambulandi accipiunt facultatem.

AUDIUNT, audiendi potentiam recipiunt. Respicit Salvator ad locum Isa. 35, v. 5: *Tunc aperientur oculi cæcorum,* etc., quo capite descriptio continetur magnificæ lætæque rerum immutationis et liberationis à miseriis ac malis omnibus sub regno Christi. Non dubium tamen est quin de spirituali liberatione immutationeque præcipuè agat; verùm cùm Salvator, corporum sanatione externisque symbolis, se ad sanandas animas spiritualem venisse medicum ostensurus esset (id quod aliàs declaravimus), utrumque propheta complecti voluit. Hic prior est Isaiæ locus, ex quo Jesus responsum discipulis ad Joannem mandat, ut agnoscant illi id quod propheta de regno Christi testatus est completum esse et præstitum. Non ignarus enim Jesus, certius et calumniæ minùs obnoxium esse testimonium quod à factis proficiscitur, quàm quod à verbis, præsertim si quis ipse sibi sit testis, non respondet professione sui nominis ex oratione propriâ, sed ex notatione operum à Deo per prophetas expositorum. Nihil, inquit, opus est ut de me qui sim pronuntiem, sim Christus necne. Tantùm ite et renuntiate Joanni, quæ vestris oculis vidistis, vestrisque auribus audîstis. Hæc enim cum prophetarum vaticiniis collata, satis loquuntur qui sim. Christi promissi præsentia, non tam debuit probari affirmatione oris proprii, quàm operibus et signis cum vaticiniorum ratione omninò quadrantibus; ita ut non ipse sese, verùm Deus Pater Messiam suum declararet. Præterquàm enim quòd miracula quæ Jesus edidit, privatas quasdam continerent utilitates, in hunc præcipuè omnium usum edita sunt, ut declararent et testificarentur hunc Jesum Mariæ filium esse verum Messiam ac Filium Dei. Quem miraculorum usum Christus ipse, non tantùm hoc in loco, verùm etiam in aliis multis, commendat, veluti Joan. 5, v, 36: *Ego habeo testimonium majus Joanne* (hoc est, testimonio Joannis), *opera enim quæ dedit mihi Pater.* Joannis 10, v. 25: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Ita illìc respondet et Judæis urgentibus ipsum ut palam dice-

sibi prætulisset. Nam eos adversùs Christum aliquid, ut Hieronymus loquitur, mordacitatis ac livoris habuisse, et pro magistro suo fuisse æmulatos, satis patuit, Matth. cap. 6, v. 26, ubi dicunt: *Ecce hic baptizat,* Christus scilicet, *et omnes veniunt ad eum;* quasi dicerent: Nos deserimur, ad illum turba confluit. Unde ex præcedenti v. 18, constat hanc legationem eâ occasione contigisse quòd discipuli Joannis narrarent ei miracula Christi, cum quâdam scilicet æmulatione. Itaque, ut eorum infirmitati et ignorantiæ consuleret, illam ipsam in se suscipit, ut ita ipsi liberiùs interrogarent: *Tu es, qui venturus es?* Græcè: *Tune es ille venturus?* id est, ille qui à gente Judaicâ, juxta vaticinia prophetarum, exspectatur venturus, scilicet Messias? Sed quia in illâ ipsâ horâ, ut testatur Lucas, multa miracula patrâsset Jesus, non tam verbis quàm factis quæstionem solvere, eosque convincere voluit, eò quòd minùs esset obnoxium calumniæ. Respondit igitur:

VERS. 22. — EUNTES RENUNTIATE JOANNI, prudenter dissimulans id quod Joannes fecerat, ne vel incredulitatis vel ignorantiæ eos insimulando, difficiliùs se instrui paterentur: QUÆ AUDISTIS, de me narrari. Nam quod hìc dicitur, *mortui resurgunt,* non viderant ipsi, sed recenter factum audiverant, ET VIDISTIS, scil. ista quæ tunc facta sunt.

CÆCI VIDENT, CLAUDI AMBULANT, SURDI AUDIUNT, etc. Alludit ad locum Isaiæ 35, v. 5 et 6, ubi ad litteram hæc miracula, et simul per ea spiritualis à vitiis liberatio per Christum futura significatur. PAUPERES

ret an ipse esset Christus; quibus et paulò post : *Si non facio*, etc., de quo miraculorum usu et Joannes evangelista ipse sic loquitur, cap. 20, v. 31 : *Hæc autem scripta sunt*, etc. Itaque quòd non simpliciter Jesus respondet Joannis discipulis, primùm eo consilio facit, quia satius erat rem ipsam loqui; deinde ut præconi suo liberiùs docendi argumentum tradat, cui non suppeditat tantùm nudam rudemque materiam per miracula, sed miracula aptat in suum finem ex prophetarum oraculis.

MORTUI RESURGUNT. Non id tunc viderant discipuli, sed recens factum audierant à populo præsenti, verisimile est; id quod et ipsi ante auditum ad magistrum suum retulerant. Istud à prophetâ significatum videtur eâ parte ejusdem capitis, quâ dicit : *Et redempti à Domino convertentur,* etc., ubi de lætissimâ cœlestis regni beatitudine loquitur, quæ perfecta demùm erit à resurrectione mortuorum, cujus non obscurè se auctorem fore Jesus ostendit quando mortuos in vitam hanc mortalem licèt revocavit.

PAUPERES EVANGELIZANTUR. Respicit hìc Salvator ad alterum Isaiæ locum, cap. 61, v. 1, quem Christus disertè de seipso interpretatur supra, capite 4, vers. 18, et quem ibi latè explanavimus.

VERS. 23. — BEATUS EST, eâ parte, quia facilius est ipsi beatitudinem assequi, cùm à me salutis ac beatitudinis auctore non abstrahatur per concepta imaginatione offendicula, quod multi.

SCANDALIZATUS, offensus, qui non ceperit offendiculi occasionem IN ME, id est, qui nullâ re quæ in me sit absterretur ac ceu repellitur, quò minùs in me credat, et mihi ut vero Salvatori adhæreat. Multos, licèt signa admirarentur, varia tamen offendebant et etiamnùm offendunt in Christo, alios personæ quam exteriùs gerit humilitas, alios doctrinæ severitas, alios mortis vilitas, alios denique aliud, cùm quisque veluti datâ operâ scandalorum congeriem sibi fabricat, quò minùs ad Christum accedat, vel ut à Christo deficiat, ut propterea *lapis offensionis et petra scandali* meritò dictus sit, 1 Petri 2, v. 8, non suo vitio, sed nostro. Neminem enim scandalizat Christus, nemini dat justam offendiculi occasionem, sed nostra sive malitia, sive infirmitas, offendiculi occasionem sibi ipsa accipit unde non debet. Porrò discipulos Joannis, quos hìc notat, offendisse videtur humilitas conversationis Domini, quòd non seorsùm ab hominibus illâ vitæ severitate viveret, quâ ipsorum magister Joannes (unde et Matth. 9, v. 14, videntur luxum ipsi exprobrare) ad hæc, quòd nullo alio, præter illa miracula, vitæ splendore insignis esset, quippe qui civilem duceret vitam; fortassis etiam, quòd ab externâ legis observantiâ ad interna mage revocaret. Porrò hæc, quòd ipsos offenderent, non tam malitia faciebat, quàm contentiosum studium alterius nominis. Ipsos itaque taxat hìc mordetque Jesus, sed occultè, passionem mentis eorum ita detegens, ut apud turbam non pudescerent, sed taciti ipsi secum agnoscere possent vitium suum, faciliùsque attrahi. In ipsis autem etiam nos opportunâ occupatione præmuniit, pugnandum nobis esse cum scandalis ut perstemus in fide, scandalis resistendum esse quæ ad impediendum fidei cursum occurrent; quia nunquàm occasiones nobis deerunt ejus repudiandæ, donec animos nostros supra omnia offendicula sive scandala extulerimus.

VERS. 24. — NUNTII, iidemque discipuli. Amplissimè nunc prædicat Dominus laudem ac virtutes Joannis Baptistæ, sed postquàm discesserunt illius discipuli, ne adulari Joanni videretur, et assentationibus gratiam ipsius colligere.

AD TURBAS, satisfecerat Jesus discipulis Joannis, jam oportebat ut et turbæ præsenti satisfaceret, quæ, ex eo quòd illam discipulorum Joannis legationem audierat, cùm ignoraret quâ mente illam Joannes instituisset, periculum erat ne existimaret illum suam de Jesu, quem aliàs Christum esse palam testatus fuerat, Joan. 1, v. 26; 3, v. 28; 5, v. 33; 10, v. 41, sententiam mutâsse aut dubium evasisse, taxatumque à Jesu iis verbis : *Beatus est qui,* etc., ac non potiùs, quod res erat, sanandæ discipulorum Joannis imbecillitati hæc accommodata fuisse, id quod certè nullo modo expediebat sentiri de Christi prodromo. Diluit itaque illud Jesus, commendans illum ut constantiâ cæterisque propheticis virtutibus nobilem ex ipsius populi sententiâ.

VIDERE, spectare, ut spectaretis. Ne cui obrepat inconstantiæ aut levitatis suspicio de Joanne. Certè non fuit hujusmodi vestra ipsorum de illo opinio,

EVANGELIZANTUR. Græca phrasis, *pro pauperibus evangelizatur*, id est, Evangelium seu promissio regni cœlorum pauperibus prædicatur, maximè enim mirabile, pauperibus promitti regnum. Et hoc vaticinium ex Isaiæ 61, v. 1, citat; q. d. : Respondete Joanni ea quæ prophetæ de Messiâ prædixerunt, vos vestris oculis vidisse compleri. Porrò pro, *pauperes,* textus Hebraicus et Vulgatus legunt *Ghananim*, *mansueti,* quod Septuaginta verterunt *pauperes,* propter summam vicinitatem utriusque vocabuli *Ghananim,* et *Ghaniim,* in linguâ Hebraicâ, sicut et significationis : nam pauperes, nempe non solùm opibus, sed maximè spiritu et animo, qui scilicet iis non apponunt cor, simul mansueti et humiles esse solent, et propterea magis capaces prædicationis regni cœlorum, divites verò feroces ac superbi; ut propterea August., homil. 13, et alibi sæpiùs, dicat : *Vermis divitiarum superbia.*

VERS. 23. — ET BEATUS EST, QUICUMQUE NON FUERIT SCANDALIZATUS IN ME, id est, qui nullâ re offensus fuerit ex me, quominùs mihi tanquàm salutis auctori credat et adhæreat. Nam uti nunc, ita et olim alios aliud in Christo offendit, nascendi ex muliere abjectio, crucis ignominia quasi stultitia, conversationis humilitas, doctrinæ severitas, etc., quâ de causâ Christus dicitur *Lapis offensionis, et Petra scandali,* et Petri 2, v. 8, et *positus in ruinam multorum,* Lucæ 2, sed non credentibus. Notat autem Hieron. tacitè Christum notâsse discipulos Joannis, tanquàm scilicet qui essent scandalizati in ipso, quasi non eâ severitate viveret, quâ Joannes.

VERS. 24. — CUM DISCESSISSENT, ne Joannem coram discipulis laudando assentator videretur, COEPIT DICERE AD TURBAS; quæ non intelligebant mysterium hujus legationis, et ex eâ facilè suspicari poterant Joannem, qui olim, Joan. c. 1 et 3, magnificum Christo perhi-

quando dudùm relictis urbibus, magnâ frequentiâ magnâque sedulitate, in desertum, ubi tunc ille agebat, undequaque concurrebatis ad illius spectaculum. Quid enim tanto studio pergebatis ut spectaretis.

Arundinem vento agitatam, vel potiùs *moveri*, ut est in aliis libris; nam *agitatam* vertit secundùm Matthæum, cap. 11. An arundinem quæ à vento agitabatur? quæ ad quemlibet venti impulsum nunc hùc nunc illùc se inclinaret? Significat propriè Græcum vocabulum undarum more hùc atque illùc impelli, quod Latinè exprimas, ut quidam, *undantem et fluctuantem;* quin et Latini dicunt segetes fluctuare cùm vento agitantur. Per arundinem itaque, quæ, cùm sit nutanti cacumine, quovis vel levissimo vento hùc illùc agitatur, intelligit Salvator hominem levem et inconstantem qui ad quamlibet occasionem vacillet atque reciprocet, et sententiam mutet. Quærit igitur: An exîstis spectatum hominem arundinis instar instabilem? Q. d.: Minimè, non eâ estis sensuum stoliditate, ut propterea urbibus egressi sitis, tot tantarumque civitatum populi; sed contra, facto ipso monstrâstis, unanimiter judicâsse vos hominem esse magnum atque admirabilem; ut certè erat, constans ab ineunte ætate eremi vitæque cum primis duræ atque angustæ cultor longè à populari gloriâ segregatus, quem proinde intelligere debetis in doctrinâ ac testimoniis suis olim de me pronuntiatis; perpetuò suî similem esse, et ne nunc quidem in carcere quidquam suæ sententiæ mutâsse.

Vers. 25. — Sed hoc loco interrogat, vel est loco *igitur*. Videre, ut videretis.

Mollibus, id est, deliciis vestium ac ciborum gaudentem, ut ex hoc mollis videri posset facilèque mutabilis. Subaudit responsionis loco *non,* subjungitque rationem.

Qui in veste pretiosa, in vestitu honorifico, quo utuntur viri nobiles et suis opibus illustres; qui mollia ferunt sive gestant, quibus cordi sunt ciborum vestiumque deliciæ, qui luxum, vitæque delicias affectant.

In domibus regum sunt. Hi captant aulas regum et palatia principum, ubi illa suppetunt, et qui hos videre desiderant eò pergunt; atque in hujusmodi cadere potest corruptæ sententiæ, inconstantiæ aut assentationis suspicio. *In domibus,* inquit, *regum sunt,* non in deserto scilicet, quò vos perrexistis, quodque Joannes suæ habitationi elegerat, ubi nullæ suppetunt vestium aut ciborum deliciæ, sed inculta omnia, austera et squalida sunt, et quæ nihil quàm tædium afferant. Ostendit itaque reipsà populus quando in desertum profectus fuit Joannis spectandi gratiâ, non se existimâsse Joannem hominem esse mollem, sed è contrariò duris ad miraculum usque se exercitantem: id locus, id cibus, id vestitus ipsius loquebantur. *Habebat,* inquit Matthæus, 3, v. 4, *vestimentum de pilis camelorum et zonam,* etc. Non est igitur quòd quisquam suspicetur illum qui factis ipsis suis animum omnibus monstravit tam à deliciarum mollitie alienum, tam infractum illum minimèque enervatum, olim ad gratiam cujusquam de me tam magnificè testificatum, nunc vertisse sententiam. Qui, quàm nesciret adulari, satis tunc clamitabat ipse etiam carcer, cùm hæc Jesus diceret.

Vers. 26. — Et quid, etc. Postquàm ostendit Salvator quid non sit Joannes, et amolitus est ab eo inconstantiæ ac levitatis suspicionem, nunc docet quid sit, descendens ad ipsam basim encomii illius, in quâ, seu in cardine, rei summa vertitur; et ex quâ omnium longè manifestissimum facit fieri non potuisse ut suam de Christo sententiam mutaverit, quippe quam ex proprio officio propter quod divinitùs missus et delegatus fuerit, protulerit. Sed quoniam, inquit, non sine causâ in desertum egressi estis, oportet ut magnum aliquod spectaculum fuerit, quod vos tam frequentes eò pertraxerit, et singularis ac magnifica vobis fuerit de viro opinio. Quid igitur quæsivistis in eo videre?

Prophetam? Hìc exprimit populi de Joanne sententiam: *Omnes enim habebant Joannem sicut prophetam,* Matth. 21, 26, id est, sanctum veritatis doctorem à Deo missum; hâc enim significatione utebatur populus voce prophetæ. Vera itaque hìc causa et appellatio est, quamobrem Joannes ut miraculum quoddam viseretur populo, qui per quadringentos ferè annos prophetâ caruerat.

Dico, affirmo.

Et plusquam prophetam, etiam ampliùs quàm prophetam, etiam majorem et præstantiorem prophetâ, scilicet vidistis. Si igitur procurristis in desertum ut videretis prophetam, non hìc estis frustrati spe vestrâ. Affirmo enim vobis vidisse vos, non solùm prophetam, sed et excellentiorem prophetâ; plus vos in eo viro spectâsse quàm in ullo alio ex prophetis spectaverit antiquitas. Quibus verbis, non modò san-

buerat testimonium, mutâsse sententiam, aut certè in Christo fuisse scandalizatum, ac cœpisse dubitare. Quid existis in desertum videre? q. d. Quid causæ fuit quòd antè certatim, relictis domibus atque oppidis, in desertum spectatum currebatis? An ut spectaretis arundinem vento agitatam? Quæ scilicet cujuslibet venti impulsu hùc illùc fluctuat, id est, hominem arundinis instar levem, et in sententiâ inconstantem? q. d: Nequaquàm; sed omnes vel hoc ipso facto unanimiter judicâstis esse hominem, ut vitæ severitate, ita et mentis constantiâ admirabilem. An ut spectaretis.

Vers. 25. — Hominem mollibus vestimentis indutum? id est, qui deliciis vestium aut ciborum enervatus mollem quoque mentem gerat, vel qui luxûs cupiditate antea alicui adulari soleret? quasi dicat: Nullo modo id sensistis de Joanne. Nam qui in veste pretiosa sunt et deliciis, id est, qui vestium, totiusque vitæ luxum sectantur, non in desertis quærendi sunt, ubi omnia inculta, austera et squalida, sed in domibus regum sunt, id est, sectantur principum palatia. Longè ergo abesse judicâstis à Joanne omnem levitatis et inconstantiæ suspicionem.

Vers. 26. — Quid ergo existis videre? Prophetam? Hìc tandem exprimit quid senserit Joannem esse; nam, *omnes habebant Joannem sicut Prophetam.* Itaque prudenter Christus præmunit turbas, ex propriâ earum opinione, quam ne quis velut popularem contemneret, ipse primùm comprobat, dicendo, etiam dico vobis, quia tanquàm Propheta nemine indicante

cit Jesus Joannis auctoritatem, sed supra veteres prophetias evehit ejus doctrinam, ac supra prophetarum ordinem ipsum extollit et locat, ut populus ad rectum ministerii ejus scopum collimet, et peculiare aliquod atque excellentius illi datum fuisse mandatum discens, memoriâ infixum teneat quod est ille de Christo locutus. Probat Jesus primùm populi de Joanne sententiam Joannem prophetam fuisse, voculâ illâ, *et*, quæ pro *etiam* accipitur. *Et plus quàm.* Tum suam subjicit sententiam, quâ perficit eam quæ populi. Propheta fuit Joannes, quia vir sanctus immediatè à Deo missus, pœnitentiam conversionemque ad Deum populo Judaico prædicavit, et venturum Messiam prædixit, præsentemque divino spiritu cognovit, nemine indicante. Fuisse autem plusquàm prophetam docet Salvator Malachiæ vaticinio quod subjungit.

Vers. 27. — Hic est. Ratio cur Joannes plus quàm propheta.

De quo scriptum est, in libro Malachiæ prophetæ, 3, v. 1.

Mitto. Loquitur Malachias tanquàm de re jam præsenti, ut solent etiam alii prophetæ, nimirùm de re futurâ tam certi quàm si eam coram oculis cernerent.

Angelum meum, *Malachi, nuntium meum,* eximium et præclarum quemdam illum, ut sit *antonomasia* in hoc nomine. Voces Græca et Hebraica communes sunt ad cœlestes spiritus et homines mortales. Fuit itaque Joannes angelus sive nuntius et minister Dei, quia *fuit homo missus à Deo; homo* naturâ, *angelus* ministerio, quia *missus à Deo* ut nuntiaret instantem et exhiberet præsentem Christi Salvatoris adventum. Reliqua hujus versiculi explanata sunt supra ad cap. 3.

Vers. 28.—Major. De hoc jamdudùm tractavimus, cum actum est de Joanne Baptistâ.

Inter natos mulierum. Hebraismus, qualis si dicas, inter filios hominum, pro inter homines.

Qui autem minor est, sed qui minor est illo, scilicet ætate, prædicandi ordine, et præsertim opinione vestrâ; id est, qui à vobis minor illo censetur. Hoc ait Christus de seipso. Ut ne enim, cumulatiore illâ laude, videretur Joannem sibi præposuisse, confirmat summâ cum modestiâ testimonium quod Joannes de ipso tulerat, cùm diceret: *Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus,* Marci 1, v. 7. Nam usque ad id temporis quo hæc Jesus loquebatur, minor à Judæis, et principibus, et plebeiis, habebatur Joanne, prophetâ et sacerdotis filio, cœlestem in terris vitam agente, certèque non carente divinâ auctoritate. Auctoritati verò Jesu detrahebatur, propter familiaris conditionis humilitatem, invidiæ magis obnoxiam; quem non solùm initio legationis obitæ, sed in medio etiam tempore, apostoli, ex populi judicio, pro magno referebant haberi alterum Joannem Baptistam, Matth. 16, v. 14.

In regno Dei. Videtur istud ad sequentia referendum esse, juxta sententiam Hilarii, Chrysostomi, Theophylacti, Euthymii, hoc sensu, Dei et sanctorum angelorum judicio, qui modò scilicet, cœlorum sive cœleste regnum constituunt, Deo in sanctis angelis, et sanctis angelis in Deo, cœlesti modo regnantibus. Hoc est igitur, reverà sive recto judicio: nam Dei et sanctorum angelorum judicium errare non potest.

Major est illo, naturâ, sanctitate, virtute, efficacitate, docendo, præstando, denique omnibus veræ magnitudinis modis. Ita enim et Joannes testatus fuerat: *Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, cujus ego non sum dignus,* etc. Joan. 1, v. 27, 30. Hic enim filius est, ille servus; hic dominus, ille minister; hic princeps regni cœlorum,

Messiam cognovit, et post se venturum prædixit. Deinde ex suâ sententiâ addit, et plus quam Prophetam. Ratio est:

Vers. 27. — Hic est de quo scriptum est, etc., q. d., quia tantus est Joannes, ut non solùm prophetaverit, sed tanquàm de nobilissimo prophetâ ab aliis prophetatum est. Ecce mitto angelum meum, non naturâ, sed ministerio, id est, nuntium illum antonomasticè præclarissimum, miraculosâ scilicet conceptione, circumcisione, vitæ puritate et austeritate instar angeli admirabilem. Unde eum angelum, non hominem fuisse existimatum, tradit Eusebius, lib. 9 de Demonstrat evangel., cap. 5. Ante faciem tuam, id est, propriè, ante te. Nam sicut sex mensibus ante Christum conceptus et natus est, totidem circiter antè prædicare cœpit. Qui præparabit viam, prædicatione baptismi et pœnitentiæ, et regni cœlorum appropinquantis, juxta dicta superiùs. Ante te. Græcè, coram te, in conspectu tuo. Quâ repetitione, *ante faciem tuam,* et *ante te,* videtur fieri allusio ad duplicem hominum consuetudinem: unam, quâ regi venturo quispiam præcurrere solet, qui vias et hospitium parari curet, ut præcognitus rex majori cum pompâ recipiatur; alteram, quâ nobilissimus aliquis jamjam venientem præcedit, qui secedere de viâ jubens, regem jam præsentem ostendit. Utroque officio Joannes functus est, et ex utroque capite oritur,

quòd dicitur esse plus quàm propheta, quia jam olim prophetatus, vitâque purus, instar angeli, Christum regem, non ut cæteri prophetæ, è longinquo vaticinatus, sed mox venturum nuntiavit, Matth. 3, v. 11, et venientem præsentemque digito ostendit: *Ecce agnus Dei*, etc., Joan. 1, v. 38, et suis manibus baptizavit.

Vers. 28. — Major inter natos mulierum, etc., non est exortus inter homines ex muliere non virgine natos; nam mulier hìc pro corruptâ sumitur, ut notant Hieron. hìc et Ambr. in Psalm. 43, itemque lib. 5 in Lucam. Major enim, inquit, fuit iis quibus æqualis esse poterat sorte nascendi. Cum quo reipsâ convenit id quod alii dicunt inter eos qui communi sorte nascendi per concubitum prodeunt. Quanquàm nullum sit incommodum quocumque modo natos intelligere, quia comparatio non fit nisi cum viris, iisque prophetis veteris Testamenti, non cum beatâ Virgine aut apostolis, aut Christo, qui ad novum pertinebant. Non surrexit ergo major propheta, sive scilicet spectes munus prophetandi utpote cui licuit Christum mox venturum prædicere, et monstrare præsentem; sive cætera prædictionis ejus, conceptionis, sanctificationis in utero, nativitatis, et sanctissimæ conversationis privilegia, ut latiùs expendit Chrysostomus. Quòd si nullus propheta eo fuerit major, qui tamen erant maximi, ergo nullus omninò.

ille præcursor principis; hic sponsus, ille sponsi amicus.

Vers. 29. — Populus, promiscuum vulgus. Ab initio *quæ stulta sunt mundi elegit Deus*, etc., 1 Cor. 1, v. 27.

Audiens, his auditis, ubi hæc audîsset quæ in Joannis laudem Salvator dixerat.

Justificaverunt Deum. Acquiescentes iis quæ Salvator dixerat, prædicârunt Dei bonitatem, laudaverunt et glorificaverunt Deum, quòd virum illum sanctum Joannem, diù per prophetas promissum, ipsis misisset. Justificandi verbum generaliter hìc ad totam Dei laudem extenditur, ita ut sit idem quod confiteri, glorificare, laudare, quæ verba alibi frequenter occurrunt; nam et ita frequenter justitia generaliter accipitur, pro omni virtute, sicut Matth. 5, v. 10, et Hebræis *sedaka*, non justitiam tantùm, sed et misericordiam ac benignitatem declarat. Chrysostomus ait: *Solet justitiam omnem prorsùs appellare virtutem.*

Baptizati, scilicet, cùm essent; en fuit occasio glorificandi Dei. Nam cùm tantoperè Joannes commendaretur et extolleretur à Jesu, consequenter et illi commendabantur qui crediderant atque obtemperaverant prædicationi illius, susceperantque baptismum pœnitentiæ ad quem fuerat hortatus. Intelligentes itaque rectè se fecisse laudant Deum qui hujusmodi doctore ipsos donaverit.

Vers. 30. — Consilium Dei, consilium quo Joannem à Deo missum fuisse Jesus declaraverat. *Consilium Dei*, honoris causâ, impio scribarum fastui opponit. Nam in consilii nomine subest dignitas, quæ Dei opus ab omni contemptu vindicat.

Spreverunt, rejecerunt, reprobârunt, non acquiescentes eis quæ Jesus dixerat: Sicuti enim fides Deum justificat, probat, et suâ gloriâ ornat, ita blasphema est in eum incredulitas, et contumeliosè illum suâ laude spoliat, unde Joan. 3, v. 33: *Qui accepit*, etc.; et 1 Joan. 5, v. 10: *Qui credit in Filium Dei*, etc.

In semetipsos. Quidam intelligunt adversùs semetipsos, in suam ipsorum perniciem, suo maximo damno; neque enim Deum sed seipsos lædunt, qui Dei gloriam aspernantur. Alii, quia præpositio εἰς pro ἐν subinde capitur, intelligunt in seipsis, sive intra seipsos, ad quem modum Syrus vertit, *in animis suis;* ac si diceret, quamvis palàm et disertè non reclamarent, ut tamen occulto fastu intùs turgebant, apud seipsos sprevisse, non audentes palàm damnare quod impensè placeret populo, ut traditur Matth. 21, v. 26.

Non baptizati ab eo, quippe qui dedignati fuerant Joannis suscipere baptismum, ita superbiâ suâ sibi fidei januam præcluserant. Ergo si cupimus ad solidam perfectionem conscendere, cavendum est ne vel minimum quid spernamus eorum quæ Deus probat, et per Ecclesiam observandum proponit.

Vers. 31.—Ait autem Dominus. Videtur hoc potiùs omittendum juxta alios libros tam Græcè quàm Latinè: quod si fiat, evangelista superiores duos versus tanquàm parenthesi vult inclusos.

Cui, scilicet rei. Hactenùs commendatione ministerii Joannis, illicere Judæos Jesus voluit ut crederent Joannis de ipso testimonio. Porrò Pharisæi et scribæ apud se cùm spernerent ea quæ in Joannis laudem protulerat Jesus, dederunt Jesu cordium cognitori hanc expostulandi occasionem, et accusandi invincibilem ipsorum duritiam, qui cùm variis eos modis tentaverit ad se allicere, illi inflexibili contumaciâ ejus gratiam repulerint, nec duris nec mollibus moti.

Homines, tam præfractos et contumaces. Non comprehendit omnes ætatis suæ homines, sed de Pharisæis, scribis, et eorum asseclis, propriè loquitur, quos Lucas populo et publicanis opponit.

Et cui, repetitio ad expressionem serii affectûs valet.

Vers. 32. — Similes. Tale quid contingit in generatione istâ, in hominibus generationis sive ætatis

Negando igitur quemquam majorem, permittit ei aliquem esse æqualem, ut notat Augustinus, libro 2 contra adversarium legis et prophetarum, cap. 5, et Hieronymus hìc. Quanquàm quia verba ista sunt declaratio illius, quòd esset plus quàm Propheta, negativa ista videatur tacitè affirmativam insinuare. Qui autem minor est in regno Dei, major est illo. Non pauci veterum sic intelligunt: Qui minimus est in cœlo, sive homo, sive angelus, utpote jam triumphator cum Deo existens, major est illo, qui adhuc corruptibile corpus gerens, consistit in prælio. Aliud est enim, inquit Hieronymus, victoriæ coronam possidere, aliud adhuc in acie dimicare. Et ita istud, *in regno Dei* sive *cœlorum*, cum præcedentibus jungi debet. Sed quia non videtur iste sensus multùm facere ad propositum Christi, verisimilior esse videtur quem tradit Hilarius, cap. 11; Chrysostomus et Theophyl. hìc, qui jungunt ea verba cum sequentibus, hoc modo: Ille qui inferior est Joanne Baptistâ, tum ætate, tum opinione vestrâ, major est illo, virtute, potestate, divinitate, majestate, claritate, inquit Aug., initio tract. 13 in Joan., ubi hunc sensum præferre videtur, et si utroque modo jam dicto dixisset, rectissimè intelligi posse, lib. illo 2 contra advers. legis superiùs cit.: *In regno Dei*, id est, in Ecclesiâ justorum sive terrenâ sive cœlesti; vel etiam *in regno cœlorum*, annuntiando, quòd Joannes primus quidem, sed nequaquàm tantâ efficaciâ et fructu, quanto Christus prædicavit. Sic ergo Christus summâ cum modestiâ, ne sibi Joannem prætulisse videretur; confirmat ipsius Joannis de se testimonium quod Matth. vidimus, c. 3, v. 11. *Regnum Dei*, id est, non regnum terrenum, quod hactenùs affectatis et exspectatis, sed felicissimum regnum cœlorum seu cœleste, cujus nemo sine pœnitentiâ particeps fit. Hoc regnum est Dei seu Christi vel Messiæ in homines; nec est aliud, quàm quo Deus seu Messias per doctrinam Evangelii, et Spiritum sanctum cordibus infusum, hoc est, per cognitionem et amorem destructo diaboli dominio, perfectè regnat in animis omnium fidelium.

Et hactenùs quidem laus Joannis, quæ tacitè tendebat eò, ut Joanni de se jam olim testificanti crederent, nec sententiam mutâsse suspicarentur. Sed cùm Pharisæi Joannem spernerent, hinc Christus ad increpandam duritiam eorum omnibus modis inflexibilem, convertitur.

Vers. 30. — Cui ergo similes, etc.? id est: Cui rei comparabo hoc hominum genus, scribas et Pharisæos, tam præfractos et contumaces?

Vers. 32. — Similes sunt pueris, etc., id est, si-

istius, quale cùm pueri sedentes in foro acclamant sodalibus suis, etc.

PUERIS. Utitur similitudine, quam ex vulgari puerorum ludicro sumptam esse, credibile est; neque enim vero absimilis est ista conjectura, quòd pueri alternos choros agentes ita cecinerint, et sibi mutuò acclamârint. Et quidem videri possit Christus datâ operâ, ut scribarum supercilium dejiceret, à pueris mutuò sumpsisse objurgationis materiam, quanquàm et rudes auditores cùm haberet, undique exempla collegerit prudens magister, accommoda ut illorum animi formarentur et excitarentur.

SEDENTIBUS, qui sedere ac ludere solent.

IN FORO, foro rerum venalium.

ET LOQUENTIBUS AD INVICEM, acclamantibus sibi mutuò, videntur igitur pueri alternos agentes choros vicissim sibi mutuò hunc in modum acclamâsse.

CANTAVIMUS VOBIS. Tibia cecinimus vobis, cantiones scilicet lætas, et nuptiis congruentes. TIBIIS. Hìc expressit interpres quod secundùm Matthæum omisit, cùm utrobique eadem sit Græcis vox Latinam hanc comprehendens.

ET NON SALTASTIS. Ad modos nostros, non estis provocati ad tripudium.

LAMENTAVIMUS. Lamentati sumus, lugubria sive lugubres cantiones cecinimus, funeribus congruas.

ET NON PLORASTIS. Non estis provocati ad planctum. Ita enim solebant Judæi ad funera exhibere cantores luctuosos, qui ploratum ac luctum excitarent (vide suprà, 9, v. 23), id pueri ludicrè imitabantur. Comparat sui temporis homines morosis pueris, quibus nulla sodalium cantilena placet; rebellibus et contumacibus, quibus studia et instituta suorum sodalium nunquàm probantur, nunquàm arrident, nunquàm hujusmodi sunt ut se illis accommodare velint et socii esse lusûs.

VERS. 33. — VENIT, à Deo missus; præteriti temporis est. Accommodat similitudinem Salvator elegantissimâ antithesi, demonstrans, Dei fidem et diligentiam nihil earum omisisse rerum quæ ad salutem Judæorum promovendam pertinerent: ipsos verò, sumptâ cum Deo contentione, nihil omisisse, quod modò ad impediendam ipsorummet incolumitatem, et repellendam divinam curam ac benevolentiam, pertinuerit; unde jam, non Dei morositate, sed suâ culpâ et malitiâ propriâ pereant.

JOANNES. Se et Joannem Baptistam pueris comparat illis qui frustra præcinunt cæteris.

NEQUE MANDUCANS, etc., ita vivens ut absque cibo et potu vitam sustinere videretur, quippe quo et parco utebatur et alieno à vulgari usu, quo non facilè quivis vitam aut possit aut velit sustinere; vide supra. Subaudiendum est, ut exemplo disciplinæ vivendi ita duræ atque austeræ ad Deum converteret. Joannes ergo cùm vitâ esset austerâ, et tonaret pœnitentiam severasque reprehensiones, exemplo ac prædicatione quasi lugubrem canebat cantum, ut ad Deum per luctum et pœnitentiam attraheret.

DÆMONIUM HABET, id est, malè sanæ mentis homo est, caret sensu communi, cerebro est minùs benè composito, vel certè inhabitatur à dæmone, cujus virtute illum potest vitæ rigorem ferre. Non solùm non exemplo illius per luctum et pœnitentiam ad Deum et voluptatum ac mundi contemptum attrahuntur; verùm etiam, quod ad procurandam ipsorum salutem fit, in blasphemam vertunt calumniam. Nam quod vir sanctus agebat divino Spiritûs sancti consilio, ad ipsorum promovendam salutem, id immundo spiritui ascribere, calumnia erat cumprimis ingrata, sacrilega ac blasphema.

VERS. 34. — VENIT. Similiter à Deo missus.

FILIUS HOMINIS. De se loquitur Dominus Jesus in tertiâ personâ, prout ipsi familiare est; vide supra, ubi latè de Filio hominis.

MANDUCANS ET BIBENS, vulgari mortalium more vivens, cibo, potu, vestitu, vitamque hanc sustinendi modo, non diverso utens à cæteris plerisque hominibus inter quos promiscuè versatur. Subaudiendum, ut, exemplo disciplinæ vivendi remissioris, et ipse ad Deum attraheret; ut, quibus difficilior visa fuerat Joannis austeritas, Jesu civilitate comitateque delinirentur; et qui commoti non fuerant illius austeritate, hujus humanitate vincerentur. Unam enim eamdemque rem Joannes et Jesus diversis licèt viis tentârunt; atque unum fuit utriusque consilium, etiamsi vivendi studia atque exempla contraria viderentur, nempe, ut ad Deum per Christum Judæos adducerent. Hâc enim varietate Deus, quasi diversas personas induemiliter agitur, seu simile quid accidit in hoc hominum genere, ac si pueri, ludentes in foro, in duos se choros dividant, alteri alteris coæqualibus, ætate, seu coætaneis et sociis, acclament et pervicaciam morositatemque exprobrent. CANTAVIMUS VOBIS TIBIIS, nempe læta, tripudioque congruentia. ET NON SALTASTIS, id est, non estis provocati ad lætitiam. LAMENTAVIMUS, id est, lugubria seu funebria cecinimus: alludit enim ad morem Judaicum, in funebribus usitatum, ET NON PLANXISTIS, id est, non estis provocati ad luctum et planctum; q. d.: Tanta est morositas vestra, ut neque læta neque tristis cantio vobis placeat. Juxta quam expositionem non est necesse, ut reverà fuerit talis puerorum lusus, sicut quidam volunt, de quo nihil certi constat; sed potest esse efficta, ut sæpè fieri solet, comparatio. Quam Christus ipse mox eleganter applicat, sed ita, ut Joannes et ipsemet respondeant pueris, frustrà præcinentibus, propter simplicitatem scilicet et innocentiam: Joannis verò austeritas lamentationi, Christi facilitas cantui.

VERS. 33. — VENIT ENIM JOANNES BAPTISTA, NEQUE MANDUCANS, id est, tantâ vivens austeritate ac temperantiâ, ut absque cibo et potu vitam sustinere videretur. Atque ita totius vitæ severitas pœnitentiæ, tanquàm luctûs, prædicatio erat lamentationi similis, eò tendens, ut Judæos ad pœnitendum, velut ad lugendum, traheret. ET DICITIS DÆMONIUM HABET, id est, dæmonis virtute fert rigorem illum.

VERS. 34. — VENIT FILIUS HOMINIS MANDUCANS ET BIBENS, communi cum hominibus conversatione, more cæterorum, promiscuo cibo et potu vivens: supple, ut isto facili vivendi genere et comitate, velut lætiori cantu, Judæos ad virtutem ac Deum provocaret, qui non fuerant Joannis austeritate commoti. ET DICITIS, humanitatem vertentes in contumeliam

ret, voluit pervicaces magis convincere; quòd sese inflectens et transformans in omnem modum, non tamen eos flexerit. Jesus igitur cùm facilem duceret vitam, quasi læto, hilari ac nuptiali cantu, blandiùs allicere studuit: nec mirum, cùm sponsus ipse esset, Joan. 3, v. 29, qui suos alibi propugnans dicebat: *Numquid possunt filii sponsi*, etc.; vide supra. Cæterùm quamvis præstantior fuerit longè Jesus Joanne, non tamen idcircò vulgaris vivendi modus præstantior austero est, modò cætera paria sint, et non statuatur perfectio in externâ vitæ austeritate, sed in interno primùm ac spirituali Dei cultu, à quo externa austeritas proficiscatur. Divinâ enim dispensatione assumpsit Jesus facilè vivendi genus, ut Joannes quidem inusitatâ illâ sanctè vivendi ratione, ipse autem insolenti splendore miraculorum, auctoritatem sibi compararet, qui missus fuerat omnium Salvator, etiam infirmorum; qui ut ne abjicerent salutis spem, suscepit non rarò in se ea quæ ipsorum propriè sunt, nec sunt in se omnium perfectissima, ut quòd tristatus sit usque ad mortem et deprecatus imminentem passionem, id quod martyrum multi, quâ fuerunt constantiâ, non fecerunt.

Et dicitis. Etiam Filii hominis humanitatem, quam amplexari et exosculari, quâque ad meliora provocari debuerunt, non solùm non exosculantur, sed et iniquè in convicia ac calumnias interpretantur. Atque ita natio ista ad omnem occasionem fit deterior, dùm nullum remedium sibi non vertit in materiam majoris morbi.

Vorator, edax.

Bibens vinum. Insignius est Græcè unicâ voce *vinipotor,* cui opponitur aquæpotor. Convicium hoc temulentiæ in Christum, fabricâsse videntur Pharisæi, ex occasione miraculi aquæ in vinum versæ, Joan. 2, v. 9, 10. Magna certè et dictu horrenda de Salvatore jactata convicia, temperantiæ ac sobrietatis absoluto exemplari; qui ita se ad communis vitæ usum accommodavit, ut verè divinam coleret temperantiam, nec aliorum luxuriam aleret vel dissimulatione suâ vel exemplo.

Amicus publicanorum et peccatorum. Quia publicani maximè et peccatores ad Jesu prædicationem convertebantur, contempti à scribis et Pharisæis; fiebat ut esset ipsis Jesus familiarior, sed ita ut à peccatis ipsos revocare, suâ illâ familiaritate conaretur; vide Matth. 9, v. 10 et 11, et in Lucâ, supra, ubi calumniæ huic Jesus respondet. Nec à Joanne itaque nec à Jesu, diversis licèt modis tentantibus, apud illius seculi homines quidquam profectum est, præ eâ quâ fuerunt ferreâ ac malevolâ pervicaciâ.

Et, pro, *sed*; nam *vau* Hebræorum, cui respondet *et*, hanc etiam significationem admittit, ut manifestè apparet Act. 10, v. 28.

Vers. 35. — Justificata est, probata ac laudata est. Hæc enim Salvatoris sententia ei respondet, quam Lucas præmittit supra, v. 29: *Et omnis populus audiens et publicani, justificaverunt Deum,* quod est, laudaverunt et glorificaverunt.

Sapientia Dei, quæ in Joanne et me eluxit, quæ per nos se declaravit studiosam procurandæ modis omnibus salutis generationis istius.

Filiis suis, à filiis sapientiæ; nam αὐτῆς ad σοφίαν refertur. Dicuntur autem filii sapientiæ, ipsi sapientes, ex idiotismo Hebræo, de quo jam sæpè diximus: estque hìc exceptio ab eo quod generationem illam sive ætatem universam in comparationem adduxisse videbatur; denique subest hic tacita antithesis inter genuinos sapientiæ filios et nothos, qui inanem titulum sine re obtendunt. Sapientiæ enim filii vocantur ii qui Joanni et Jesu crediderunt (nam justificâsse dicuntur sapientiam Dei, quando doctrinæ et consilio à Dei sapientiâ profectis acquieverunt), quales fuerunt populus et publicani, Lucâ auctore, 7, v. 29, 30, qui minimè omnium sapientes habebantur, cùm scribæ et Pharisæi pro sapientibus se venditarent, qui hìc innuuntur minimè sapientes fuisse, quòd sapientiam Dei in Jesu et Joanne relucentem nec agnoverint nec probaverint. Est igitur hic hujus loci sensus: Quanquàm plerique hujus ætatis, nec durioris instituti vivendi exemplo, quod in Joanne, nec remissioris, quod in me propositum fuit, præ eâ quâ laborant ferreâ pervicaciâ, flexi aut ad Deum adducti sint, quinimò deteriores evaserint: ab iis tamen omnibus agnita et probata est, atque apud eos omnes laudem et auctoritatem suam tenet Dei sapientia (quæ per ministerium nostrum declaravit, curæ sibi modis omnibus esse, ut procuret salutem ætatis istius), qui veri sunt et germani sapientiæ filii, id est: Quamvis apud plerosque nihil profecerimus; multum tamen apud verè sapientes, qui sunt electi Dei, minimè omnium à mundo sapientes habiti.

Vers. 36. — Rogabat obnixè circa idem tempus, efflagitabat; nec enim ita facilis fuit Jesus, ut videri posset ambire convivia.

Quidam de Pharisæis, quidam Pharisæorum, no-

et calumniam: Ecce homo devorator, etc., qui scilicet, delicias suas ponit in vino et conviviis. Amicus publicanorum et peccatorum; q. d., nebulonum et perditorum hominum socius, et consequenter illis similis.

Vers. 35. — Et justificata est sapientia, Dei scilicet, id est, sapientissima Dei providentia; quæ in hoc duplici modo consulendi pervicaciæ Judæorum eluxit, probata et laudata est, seu justa declarata. Videntur enim hæc verba respondere illis versiculi 29: *Omnis populus audiens, et publicani justificaverunt eum,* id est, laudaverunt et glorificaverunt eum. Filiis suis, scilicet sapientiæ, hoc est, idiotismo Hebraico à sapientibus, nempe apostolis, inquit Hieron. vel potiùs generaliùs ab omnibus, quotquot verè in hoc populo sapientes fuerint, sive apostoli, sive publicani, sive populus, qui scilicet isti consilio Dei, vel meæ prædicationi crediderunt.

Vers. 36. — Rogabat autem illum quidam Pharisæus. Infra vocatur *Simon,* quem Aug., lib. 2 de Consensu, c. 79, distinctum fuisse putat ab eo, qui, Matth. 26 et Marci 14, vocatur *Leprosus,* quasi ad distinctionem hujus Simonis. Accedit locorum et temporis diversitas. Sed nihil istorum cogit ut diversum fuisse credamus: potuit enim eadem mulier diversis locis ac temporibus Jesum ungere, et Simon etiam

mine Simon, infra, v. 40; non omninò malus ille, certè non hostis aut contemptor Jesu.

Ut manducaret cum illo; invitabat Jesum domum suam ad prandium.

Discubuit, accubuit mensæ cum aliis. Non difficilem invitatu se præbebat, ubi noverat spem esse spiritalis fructûs, sive id esset apud Pharisæos, sive apud peccatores et publicanos.

Vers. 37. — Ecce, rem insuetam: mulier quæ erat in civitate, peccatrix. Græcè, *mulier in illâ civitate, quæ erat peccatrix.* Syrus: *Mulier peccatrix erat in civitate illâ.*

Mulier. Nomen tacet honoris causâ: quod tamen ob majorem Dei honorem innotuit; estque Maria, cujus cognomen Magdalena, infra, 8, v. 2; soror Lazari ac Marthæ, Joan. 11, v. 2, ex communi Ecclesiæ sensu, cui suffragatur Augustinus, lib. 2, de Cons. evang., cap. 79.

In civitate illâ, in quâ domus Pharisæi erat, quam multi existimant fuisse Naim, cujus supra facta est mentio v. 11. Variis in locis mulier hæc habitâsse videtur, ut solent meretrices sæpè loca mutare, vagæ, quietis impatientes, nec valentes uno loco consistere, Proverb. 7, v. 10, 11, quò libidinem suam liberiùs expleant.

Peccatrix, noti exempli, infamis eo peccato, de quo notari mulieres solent, impudicitiæ. Meretricem disertè nominant veteres.

Ut cognovit; videtur captâsse opportunitatem adeundi Jesu.

Quòd accubuisset, Jesus mensæ, quòd pranderet.

Pharisæi illius. Judicavit jam esse opportunum, ut Jesum adiret, et provoluta ad pedes ejus faceret quæ decreverat, tum quòd domi esset Jesus, nec enim congruum fuisset foris ea fieri in plateis; tum quòd domi alienæ, nam in propriâ ipsius, sive Jesu sive mulieris, domo minimè decuisset; et quidem domi ejus, cui cujusque familiæ ipsa nota esset: prorsùs enim ignota, quo modo in triclinium alienæ domûs, convivii tempore, fuisset se ausa ingerere? Nec verò censebat obstare tempus convivii; nam quod ad Jesum quidem, sciebat paratissimum semper esse ut omnibus omnium malis quovis tempore mederetur, etiam cibi sumptione postpositâ; quod ad hospitem verò et reliquos convivas, cùm scirent, quod publicitùs notum erat, eam esse peccatricem, benè voluit ut scirent etiam ac viderent, quòd peccata sua defleret ac detestaretur, tantisper avocati à cibo sumendo; lotio quoque pedum et unctio convivio congruebant.

Attulit, venit eò ad Jesum, intravit in convivium (quamvis non invitata) secum afferens seu portans. Cur eò venerit ad Jesum, mox patebit. Liberata enim non ita pridem beneficio Jesu à septem dæmonibus, qui eam occupaverant, cujus rei mentio est infra, 8, v. 2, et Marc. 16, v. 9; venit nunc, ut et à peccatis suis, omni dæmonio pejoribus, liberaretur, remissione peccatorum acceptâ, ab eo cui noverat eam esse auctoritatem, ut posset peccata dimittere, ut quam ille nuper sanato paralytico testatam fecisset, supra 5, v. 20, quam etiam Joannes Baptista ab initio ipsi attribuisset, Joan. 1, v. 29: *Noverat*, inquit Augustinus, hom. 23, inter 50, *quanto morbo laboraret, et illum ad sanandum esse idoneum ad quem venerat sciebat.* Compuncta peccatorum suorum aculeis, non se diutiùs potuit continere, quin eò accurreret, ubi suum medicum discumbere sciebat, et quæreret piâ impudentiâ sanitatem. Multi hactenùs ad Christum accurrerant causâ obtinendæ sanitatis corporis: hæc prima et sola omnibus prudentior, accurrit ut remissionem peccatorum, id est, animæ sanitatem impetret. Sed operæ pretium est considerare, quæ egerit ad obtinendam remissionem peccatorum. In primis

Attulit alabastrum unguenti, delicias vitæ pristinæ. Hoc fortassè prætextu, faciliùs permissa à domesticis est, intrare in locum convivii, quasi quæ afferret quibus convivæ possent exhilarari; nam *alabastrum unguenti*, id est, vasculum alabastrinum plenum unguento seu liquore suavi atque odorifero. *Alabastrum* pyxis est unguentaria delicatior, sic dicta, quòd ex alabastro seu alabastrite lapide ferè confici soleret; de quo Plinius lib. 36, cap. 8: *Hunc* (ony-

habere duo domicilia in distinctis locis, in vico scilicet Bethaniâ, et in civitate. Itaque Orig. Hom. 1 in Cant., et Cyprian., serm. de Ablutione pedum, eumdem fuisse censent.

Vers. 37. — Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, id est, quæ per civitatem passim habebatur famosa peccatrix, prout putat insinuari August. in Psal. 125. Quanquàm Græca simpliciter legant: *Ecce mulier in civitate, quæ erat peccatrix,* id est, meretrix, prout disertè nominant veteres, Amb., Greg. in hæc verba et alii; ipsumque nomen *peccatricis,* mulieribus tributum, hoc significare solet. Nomen honoris causâ tacet, sed fuit Maria, quæ cap. seq., v. 2, dicitur Magdalena, et alibi soror Lazari ac Marthæ. Ut cognovit; quo significatur occasionem captâsse accedendi Dominum: Quod accubuisset in domo Pharisæi, tanquàm in loco opportuno ad id quod meditabatur, quod in plateis minimè licuisset. Attulit alabastrum unguenti, id est, vasculum ex alabastrite pleno unguenti. Nam quamvis Epiphan. putet, hoc esse nomen mensuræ, veriùs tamen esse nomen materiæ vasculi seu pixidis excavatæ, ex alabastrite lapide; quem, inquit Plinius, lib. 36, c. 8, in princ., cavant ad vasa unguentaria, quoniam optimè ea servare incorrupta dicitur. Unde Tullius 2 Acad.: *Quibus etiam alabaster plenus unguenti putere videtur.* Idem Plinius, cit. lib. c. 7, scribit lapidem illum vocari quoque onychem, quia colorem et levitatem habet unguis humani. Unde illud Horatii lib. 4 Carm., ode 12:

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Scilicet vini à me. *Unguenti.* Mixtura est ex liquoribus herbarum odoriferis, cujusmodi multas mixturas tradit Plinius lib. 13, c. 1, 2 et 3, ubi scribit postea etiam spissa esse facta unguenta, ita ut lini, et non solùm perfundi possent. Perfusio ista non maculabat, sicut nec aquæ rosaceæ et similium, eò quòd non esset mixtum oleum, sed nudi liquores fragrantissimi, quibus utebantur, tum valetudinis causâ, tum potissimùm ad luxum, ut loco cit. Plinius.

Vers. 38. — Et stans retro, à tergo propter verecundiam, malamque conscientiam. Nam hæc sola legitur ex professo Dominum causâ remissionis peccatorum consequendæ accessisse. Stans autem cœpit,

chem) *aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optimè ea servare incorrupta dicitur.* Hæc ille. Est autem genus marmoris pretiosi, humani unguis candorem referens, unde et onyx appellatur: quare Horatius, pro alabastro, *Nardi parvus onyx* dixit. Cicero alicubi nominat *alabastrum* masculino genere, dicens: *Quibus etiam alabaster plenus unguenti putere videtur;* proverbiali sermone, pro, quibus etiam optima displicent. Unguenti, plenum unguento aromatico. Unguentum non est illa compositio spissa et tenax, quâ utuntur chirurgi ad curanda vulnera, sed diversorum odorum sive liquorum ex odoriferis herbis expressorum commixtio, ad irriganda ungendaque hominum corpora, deliciarum causâ inventa; de quâ Plinius initio libri 13, in hæc verba: *Hactenùs in odoribus habent pretia silvæ, erantque per se mira singula; juvitque luxuriam ea omnia miscere, et è cunctis unum odorem facere, ita reperta sunt unguenta;* sic ille. Unguentorum tamen, quædam spissa, quædam liquida fuisse, idem postea, cap. 3, testatur, ubi ait: *Sed quosdam crassitudo maximè delectat, spissum appellantes, linique jam, non solùm perfundi unguentis, gaudent.* Unguentis primùm Persas usos, deinde Græcos, postea Romanos, docet capitibus primo et tertio libri illius, quanquàm Romani aliquando edixerint, ne quis venderet unguenta exotica. Judæos denique unguentis uti solere, ex utriusque Testamenti libris constat: Ruth 3, v. 3; 2 Reg. 12, v. 20, etc., ut qui lætitiæ vacare, aut comptiores gratioresque vellent prodire aliquò, lavarent faciem, caputque ungerent; lavarent faciem quò munda ea et nitida appareret; ungerent caput, quò colorem illius odoremque commendarent: nam quod ad colorem, habes Psalm. 103, v. 15: *Ut exhilaret faciem in oleo;* quod ad odorem, Joan. 12, v. 3: *Et domus impleta est ex odore unguenti.* Ut enim erat regio æstuosa, ac frequens proinde hominibus capite sudor, qui et deturpat faciem, et odorem è capillis spirat ingratum; calorem lotione temperabant, odori deturpationique unctione occurrebant. At qui luctui se dabant, his abstinebant, lotione, inquam, et unguentis, 2 Reg. 14, v. 2. Cæterùm non voluptatis modò intuitu, sed et valetudinis, veteres unguentis usos fuisse, docet Cælius, lib. 27 Lectionum antiquarum, cap. 26. Porrò hìc sermo est de unguento liquido, seu liquore suavis et salutiferi odoris: is hujusmodi est naturæ, ut non commaculet corpora vestesque quibus infunditur, sed ita duntaxat irriget, ut gratissimo odore commendet. Porrò pretiosum fuisse hoc unguentum, vel ex vasis pretio licet conjicere; ut etiam ex utriusque pretio, mulierem fuisse, quamvis impudicam, non tamen plebeiam, quippe quæ unguentis uti consueverit, quibus corpus et læve redderet et odoratum. Quemadmodùm æquum erat, Christo ad convivium solemne invitato, ab iis qui jam in ipsum credebant, et agnoscebant quis esset, honoris causâ parari epulas exquisitiores quàm in vulgaribus conviviis proponi consueverant, ita putavit hæc mulier, ad ungendum Christum, utendum sibi pretiosiore unguento, quàm ad ungendum quemvis alium uti mos esset.

Vers. 38. — Stans, cùm stetisset; sunt enim Græcè participia præteritæ significationis: *Cùm attulisset alabastrum unguenti, et stetisset ad pedes ejus retrò,* etc. Cæterùm non necesse est propriè accipi participium *stans,* ita ut opponatur jacere aut sedere: potest accipi pro quovis situ, ut sit idem quod existens aut manens, quomodo sæpè accipitur. Psalm. 23, v. 3: *Quis stabit in loco sancto ejus?* Non est dubium, quin ingressa triclinium, et constituta à tergo, mox summâ cum humilitate prostraverit se humi ad pedes Jesu, qui vel contingebant terram, vel non perinde altè distabant.

Retro, à tergo. Noluit se ante faciem Jesu statuere, partim ne inverecunda judicaretur et impudentis audaciæ, partim quòd indignam se haberet quæ veniret in conspectum. Fuit ardori ejus conjunctus aliquis pudor: nec enim debet fiducia nos reddere audaces aut inverecundos. Sic publicanus, præ verecundâ peccatorum conscientiâ, verebatur oculos ad cœlum levare, infra, 18, v. 13.

Secus pedes ejus, ad pedes ejus, scilicet Jesu, supplicantis in morem. *Stetit ad extremas corporis partes,* ait Euthymius, *tanquàm extrema; et à tergo, tanquàm audaciâ carens.*

Lacrymis; præcedit Græcè et Syriacè *flens.* Flere coram omnibus inter epulas non erubuit, præ nimio consequendæ remissionis peccatorum desiderio: non enim pudefieri, irrideri, aut despici verebatur, quin potiùs optabat, ut quovis modo ulcisceretur in se peccatum. Causa fletûs lacrymarumque est tristitia: quæ autem causa ipsi esset tristitiæ, non indicabat illa quidem verbis, sed ut sciebat id Christo perspectum esse, ita alios æstimare sinebat (quod facilè poterant) peccatrici publicæ, peccata, causam esse tristitiæ, provolutæ præsertim ad pedes doctoris illius, qui pœnitentiam et vitæ emendationem palàm omnibus prædicabat et commendabat:

etsi prostrata perrexerit; quanquàm illud, *stans,* generaliùs accipi posset pro, *existens,* seu *manens,* ut nullum certum situm corporis indicet. Secus pedes ejus, Græcè *ad* seu *juxta pedes,* in morem supplicantis. Facile hoc fuit, si more orientalium ita in thoro jacuerit, ut caput spectaret mensam, pedes partem exteriorem; nam thori erant alti, et tres ferè personas capiebant, unde triclinia dicta. Quanquàm in Scripturâ frequens sit Judæos sedisse ad mensam, ut patet de fratribus Joseph, Gen. 37. Ruth quoque sedit ad messorum latus, et 1 Reg. 20, v. 5, David ex more sedere solebat juxta regem ad vescendum; et v. 25, rex sedit super cathedram suam. Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Quo significatur, fluvium fuisse lacrymarum, et consequenter dolorem maximum de peccatis. Observat autem ordinem humanitatis, hospitibus exhiberi solitæ, qui notatur v. 44 et seqq., ut primò pedes quasi à sordibus itineris ablueret, inde tergeret, oscularetur, ungeret; itemque ordinem pœnitentiæ, cujus primus effectus est fletus et planctus Et capillis, quibus ad emphasin addit, Capitis sui, ut pedibus eos opponeret, tergebat, abluendis sordibus, non quòd ei deessent lintea, sed quòd potiùs seipsam quàm sua Christi obsequio

Pœnitentiam agite, etc. Deflebat igitur peccata sua tristis, prout tristitia orta ex cognitione peccati, salutaris est admodùm, et perpetua pœnitentiæ comes; quâ eo majore affectam se declaravit, quo uberiùs flevit, adeò nimirùm largiter, ut quasi tota in lacrymas resoluta, lacrymis rigaret pedes Jesu, testata hâc ratione summum animi ob vitam malè anteactam dolorem, et peccati ex toto corde detestationem.

Cœpit. Illicò ut provoluta cœpit, et perrexit deinde.

Rigare pedes ejus, humectare, utpote ad pedes ejus inclinata, quod ait Euthymius. Mens ejus fuit, lavare et mundare à sordibus itineris *pedes ejus* (accumbebat enim discalceatus pro more regionis) ut consueverat fieri amicis foris adventantibus. Summo enim peccati et vitæ malè actæ odio, conjunctus fuit ardentissimus amor, ejus quem credebat peccati expertem non solùm, verùm etiam agnum Dei auferentem peccata mundi : id enim didicerat à Joanne Baptistâ aut certè auditoribus ejus, Joan. 1, v. 29. Amorem autem illum sic voluit declarare ; ut non carnalis aut impudicus esse videri posset (quali ipsa hactenùs fuerat implicita), sed spiritalis, tendens ad impetrandam remissionem peccatorum cum amicitiâ Dei et Christi. Quare, etiamsi indignam se judicaret quæ contrectaret pedes ejus, tamen amoris magnitudine victa lavare voluit, sed non attulit aquam ex flumine quâ lavaret, verùm ipsa aquam subministravit ex oculis suis : ut quibus lascivè ac vanè fuerat abusa, eos mordaci lacrymarum copiâ et multâ suffusione deformitateque castigaret.

Capillis capitis sui, quos maximo hactenùs in pretio habuerat, et variis modis consueverat componere, comare, discriminare, calamistrare, tingere, auro intertexere, ad carnis voluptatem, ad pelliciendos viros in amorem suî : illis, inquam, circumfusis involvebat et tergebat pedes Jesu, illis abstergebat sordes lotorum Jesu pedum, suum etiam caput sternens calcandum pedibus Jesu pro suppedaneo, ut loquitur Cyprianus sermone de ablutione pedum. Non deerant illi lintea quibus ad abstergendum uteretur; verùm ut testaretur se non tam abluere pedes Christi, quòd ablutione opus haberent, quàm ut reipsà declararet, quanti Christum faceret, et quàm odisset anteactam à se vitam, denique quàm nollet ampliùs uti sui corporis membris ad immunditiam, jam suis usa capillis est ad abstergendos pulveres pedum ejus, à cujus clementiâ sperabat, per hujusmodi actus, è corde dolore contrito profectos, peccatorum remissionem obtinere. Non solùm externa bona sua, sed etiam ipsa corporis sui membra, in obsequium Christi impendebat. Capilli præcipuè ornamento sunt mulieribus, quibus solent proinde maximè gloriari, illosque curiosissimè servare à sordibus : atqui hæc capillos suos congruos æstimavit auferendis sordibus pedum Jesu; suum caput quod pedibus, et ornatum suum qui sordibus Jesu, conferretur, indigna judicans, reque ipsâ implens quod verbis de se Joannes Baptista dixerat, Marc. 1, v. 7 : *Cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Hinc Chrysostomus, Hom. 81 : in Matthæum : *Quippe cùm capillis abstergeret pedes ejus, honorabilius in toto corpore membrum, caput dico suum, pedibus Christi subjiciebat;* et in hunc locum : *Quæ non erant indicia*, inquit, *quod de Jesu quidquam suspicaretur ut multitudo.*

Pedes ejus, tanquàm Domini sui, *tanquàm Dei*, ait Euthymius, *pedes*, lutosos ac pulverulentos : incedebat enim Jesus nudipes, aut certè soleatus, pro more pauperum ejus regionis; vide Marc. 6, v. 9; cœnaturus autem exuerat soleas, quem Judæorum tunc fuisse patrium morem, quidam annotant.

Et osculabatur pedes ejus, lotos tersosque, *tanquàm ejus qui petitionem ipsius adimplere poterat*, inquit Euthymius. Loco osculorum impudicorum, quæ frequentissimè acceperat et dederat incestis amasiis, reposuit casta et humilia oscula pedum Jesu, indignam se reputans quæ ad oris osculum admitteretur. Voluit autem iis conciliare sibi gratiam Christi Salvatoris (osculum enim pignus est charitatis, et amoris indicium, quod ait Ambrosius) ut à peccatis liberata, et reconciliata Deo, securè deinde posset Deo servire in sanctitate et justitiâ.

Et unguento aromatico, quod secum in alabastro attulerat, ungebat, perfundebat pedes ejus, ut non solùm à sordibus abluti ac tersi forent, verùm etiam refrigerio et suavi odore refecti. Unguentorum usus celeberrimus in conviviis erat magnificentioribus et festivioribus, paratis ad excipiendos et modis omnibus recreandos gratissimos amicos, in quorum capita ea effundebant, eorum præsertim quos honoratissimè tractare et jucundissimè reficere vellent, Psalmi 22 v. 5; ita fiebat, unguento ex capite in reliquum corpus vestesque defluente, ut sibi aliisque optimè ac jucundissimè olerent, nec ulli sensuum inter convivandum sua deesset voluptas. Quâ de re Cælius, lib. 27, mox citato, cap. 24 : *Cum bellariis*, inquit, *corrollisque in mensas secundas veniebant unguenta.* Et liquor quidem duplex reficiebat, unguentum foris, vinum intùs : quam ad rem alludit Psalmus 103, v. 15. Hunc morem mulier hæc imitata, ut erat

consecraret, et caput suum quasi calcandum pedibus Jesu pro suppedaneo præberet, ut loquitur Cyprian., serm. de Ablut. pedum. Spectabat autem et hoc ad testandam pœnitentiæ magnitudinem, ut in capillaturâ se deformaret, in quâ mulieres solent esse curiosissimæ. Nam et idem Cyprian., lib. de Lapsis, inter indicia mœroris reponit neglectum capillitium, et ad publicè pœnitentes spectare dicit squalorem deformitatemque corporis. Et osculabatur pedes ejus : in argumentum amoris, ut Amb., quo jam Christum ut justitiæ fontem diligebat; ac propterea etiam odio adversùs peccata movebatur, juxta Trident., sess. 6. Et unguento ungebat, ex more regionis fecit hoc, non solùm honorificentiæ et amoris testandi causâ, sed etiam ut bonis operibus peccata compensaret. Nam et hoc officium verè pœnitentis est : cujus hìc omnes actus accuratè concurrunt, dolor in lacrymis, humilitas in abjectione ad pedes, deformatio in capillis, amor in osculis, peccatorum compensatio, et bonorum operum exhibitio in un-

mos patriæ, inter cœnandum effudit unguentum suum in pedes Jesu, non tamen luxûs aut deliciarum causâ, sed ut Jesu quidem dignitatem, suam ipsius verò erga Jesum fidem, amorem, hoc argumento testatum faceret, quippe quæ *non ut nudo homini afferret honorem,* quod ait Chrysostomus, *sed ut majori cuidam supraque hominem.* Credebat illa Jesum esse Filium Dei qui in mundum venisset, id est, Filium Dei hominem factum. Credebat Jesum esse Christum seu unctum Domini, quem Deus Pater præ sociis omnibus unxisset oleo lætitiæ, dato Spiritu absque mensurâ. Amor ejus erga Jesum salvatorem suum non deferbuit deinde, sed multùm profecit, magnumque cepit augmentum. Ex hujusmodi igitur sanctâ animi affectione, dedit se ad ungendum Jesum, juxta morem quidem conviviorum, sed ut reficeret laboribus fatigatum, denique ut honoraret Christum Domini et Filium Dei vivi; atque ad hoc usa est unguento omnium quod habere potuit pretiosissimo, et quidem copiosissimè, nihil reputans nimium quod ipsi impendere posset, cujus contactu non esse digna sciret omnia regum totiusque mundi unguenta, adeòque nihil in rebus creatis ita esse pretiosum quod ipsius dignitatem æquaret, vel quo non meritò esset honorandus, imò quo non longè dignior ipse foret, tum ob propriam dignitatem, tum ob ejus erga ipsam merita; parata denique corpus et animam gloriæ ipsius impendere. Vide Matth. 26, v. 7, et Joan. 12, v. 3, ubi hæc eadem iterùm unxit Jesum : bis enim id fecit, semel ad testandam animi sui resipiscentiam, semel ad significandam instantem Jesu sepulturam. Quare quòd hìc unguento usa est, fecit, non volens suaveolentiâ Christum delinire, quem sciebat hujusmodi deliciis non capi, *sed monstrare incensum erga Christum amorem,* quod ait Titus, quòd in Dei et Christi honorem parata jam esset contemnere et effundere unguenta omnia, quibus antea ad fovendam impuram in se aliisque libidinem, malè usa fuerat : *quæ priùs ei fuerant instrumenta peccati,* ait Euthymius, ea nunc *faciens instrumenta virtutis,* et ad pœnitentiæ exercitationem satisfactionemque transferens. *Quot ergo in se habuerat oblectamenta, tot de se invenit holocausta,* habet Gregorius, homiliâ 33 in Evangelia. *Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentiâ, quidquid ex se Deum contempserat in culpâ. Et hæc quidem extrinsecùs cuncta faciebat,* addit Chrysostomus, homil. 6, in Matth., *ea verò quæ in secreto mentis agitabat, multò his erant ignitiora, quæ tantummodò Deus ipse cernebat.*

Vers. 39. — Videns autem hæc fieri.

Qui vocaverat eum, qui invitaverat Jesum.

Intra se dicens, in corde suo; cogitabat apud se in hanc sententiam, hoc est, *dicens*, quod pleonasmo Hebraico additur.

Hic, Jesus.

Si esset propheta, vir sanctus atque impollutus, et rerum divinarum conscius, qualis vulgò habetur.

Quæ et qualis est mulier. Syrus legit in hunc modum : *Quænam sit et qualis rumor peccatricis hujus mulieris quæ tetigit eum.* In aliis libris legitur, *esset*, pro *est*.

Quia peccatrix est; sciret nimirùm quòd sit peccatrix publica, notæque impudicitiæ, ac proinde non sineret se tangi et contrectari ab eâ. Nihil sinistri suspicatur hìc Pharisæus de Jesu, quasi consuetudinis aliquid ipsi intercedat cum infami hâc muliere; credit enim ipsi esse ignotam : neque obmurmurat quòd sustinuerit Jesus hæc circa se fieri à muliere; mos enim regionis permittebat unctiones in conviviis fieri, et quidem per mulieres, à quibus magis quàm à viris, ars tota unguentaria, quippe res mollis et delicata omninòque muliebris, tractabatur, 1 Reg. 8, v. 13. Non tamen pro regionis more, qui deliciosus nimiùm erat, Jesus hæc sustinuit, sed *quia rei causam nôsset,* quod ait Euthymius, *ut etiam fides mulieris fervorque pœnitentiæ apparerent, et ut meritò pro his rebus, quod quærebat acciperet.* Hactenùs Euthymius. Verùm offenditur Pharisæus, quòd Jesum meretricii corporis contactu pollui, itàque ejus honori derogari existimaret. Pharisæorum enim error erat quòd homo sanctus et justus (quales ipsi Pharisæi se esse tenebant, de suâ sibi justitiâ et sanctitate placentes), si contingeretur à peccatore noto et infami, pollueretur fieretque immundus. Fundamentum erroris fuisse videtur quòd lex declaret eum immundum reddi, quem vir leprosus, seminifluus, aut mulier menstruata contingat : unde ducto argumento à minori, colligebant, multò magis eum immundum reddi, qui ab infami peccatore contingeretur; non intelligentes, contactu corporali hominis juxta legem immundi, non inquinari animam, sed solam carnem, mundandam more præscripto, ad fines certos lege expressos; vide sup. 2, v. 24. Quæ lex ita erat observanda, ut non extendenda ad alia non expressa lege, utpote ad corporalem peccatoris contactum, qui nec corpus nec animam alterius inficere per se potest. Hoc ergo errore imbutus hic Pharisæus, si ipsius pedes hæc mulier contrectare voluisset, calcibus eam repulisset, dixissetque : Recede à me, noli me tangere, quia mundus sum, tu verò peccatrix; non permisisset, ne contactu ipsius

guento. Nam et odor unctionis odorem bonæ conversationis allegoricè significat, ut Amb., lib. 2 de Pœnitentiâ, c. 8.

Vers. 39.—Videns autem Pharisæus, etc., ait : Hic si esset propheta, sciret quia peccatrix est, id est, sciret quòd peccatrix sit, notæque impudicitiæ, et consequenter repelleret eam, ne contaminaretur. Itaque ex permisso contactu colligit Christum nescire quænam esset mulier, ut observat August. in Psal. 125. Insinuat ergo se repulsurum fuisse, illis videlicet verbis : *Recede à me, noli me tangere,* quia mundus sum. Itaque multis modis errabat : primò, quòd colligeret Christum ignorare mulierem; secundò, ulteriùs eum propterea non esse prophetam, cùm prophetæ non sciant omnia, ut ex Elizæo patet, 4 Reg. 4, v. 27; tertiò, quòd medicum ab ægroto tangi miraretur; quartò, quòd repellendam judicaret à Christo, quasi alioquin contaminando. Itaque Dominus declarans se nôsse et mulierem et Simonis cogitationes, ut ita aperiret temerarium ejus judicium, ait :

inquinaretur. Ergo quia Jesus id permisit, judicavit eum non esse prophetam. Non judicavit contemni ab Jesu immunditiam illam quam ipse sibi fingebat : imò verò credidit Jesum ejusdem secum esse erroneæ illius opinionis, quòd etiam ipse mulierem à se repulisset, si scivisset quæ et qualis esset, ne contactu polluti corporis contaminaretur; sed judicavit nesciri à Jesu immunditiam quâ mulier laboraret, nesciri esse publicam meretricem; ac proinde Jesum non esse prophetam, qui nec id sciret, quod publicâ famâ notum esset, quodque scitu esset ipsi necessarium ad vitandam propriam immunditiam. Temerarium fuit hoc judicium; neque enim prophetarum est omnia nôsse, sed ea sola quæ Deus ipsis revelare dignatur : exemplo est Elisæus, 4 Reg. 4, v. 27. Hoc autem nôsse ad vitandam propriam immunditiam, ne contaminaretur prophetæ sanctitas, non fuerat necesse, quia contactus corporalis peccatoris non coinquinat alterius seu animam seu corpus, quod diximus. Atqui manifestè satis declaraverat Jesus, se scire qualis mulier esset, et quid petitum venisset, quando lacrymarum profusione et totius rei novitate nihil turbatus est. Cæterùm eo etiam concesso, quòd coinquinetur qui sinat se à peccatore contrectari, non jam erat hæc mulier judicanda peccatrix, quæ tot tantaque, ipso Pharisæo præsente, edebat pœnitentiæ et detestationis vitæ prioris argumenta : ex præsenti enim statu, non ex vitâ anteactâ, judicium de hominibus ferendum est, peccatores sint necne. Postremò ignoravit hic Pharisæus primarium Christi officium, quod erat peccatores vocare ad pœnitentiam et in gratiam cum Deo reducere. *Offendiculum passus hæc dicebat*, inquit Euthymius, *ignorans quòd cùm Deus esset, propter peccatores homo factus erat.* Multis ergo modis hic Pharisæus erravit et peccavit.

Vers. 40. — Respondens. Non exspectat Jesus donec detegat Simon quod animo volvebat, sed occupans respondet ad cogitationem ipsius, eo ipso plus quàm prophetam, adeòque Deum se esse declarans, dùm occultam ipsius cogitationem in medium profert, quia solius Dei est arcana nôsse cordis; hoc adnotant omnes Græci et Latini. Damnat ergo eum temerarii judicii, et ostendit non ex ignorantiâ, sed divino consilio, admissum à se mulieris contactum.

Simon. Complures negant eumdem hunc esse cum Simone leproso, cujus mentio est Matth. 26, v. 6; quia Simonis leprosi habitatio fuit in Bethaniâ vicinâ Jerosolymis, hujus in Galilæâ; Augustinus, lib. 2 de Cons. evang., cap. 79; Beda, Theophylactus. Atqui Cyprianus, aut quisquis est vetus auctor sermonis de Ablutione pedum, etiam hunc vocat Simonem leprosum, prout eumdem unum fuisse, verisimile fieri possit, non solùm ex eodem nomine Simonis, verùm etiam ex familiaritate cum hâc unctrice. Quid si migrante Jesu ex Galilæâ in Judæam, Matth. 19, v. 1; et hic, fidelis cùm esset, migraverit, habitationemque sibi delegerit in Bethaniâ, apud sibi notam Magdalenam?

Habeo; reprehensurus dicendi facultatem postulat, et suaviter captat attentionem. *Nam et ipsum sanare cupiebat, ne gratis apud eum panem comederet*, ait Augustinus, homil. 23 inter 50.

Magister. Syrus, *Rabbi*.

Dic, modesta comisque responsio.

Vers. 41. — Duo. Syrus præponit : *Dixit ei Jesus*, quod alioqui subauditur.

Fœneratori, mutuatori, creditori ex mutuo. Vox Græca ambigua est, et plerique malunt creditorem vertere, quia non consueverint fœneratores æs alienum condonare; sed alluditur fortassè ad parabolam talentorum, quâ pecuniam creditam dominus cum usurâ reposcit, infra 19, v. 23. Quare Ambrosius explicat debitores istos fuisse *fœneratori illi cœlesti obnoxios, cui non materialem pecuniam debemus, sed meritorum examina, æra virtutum.* Syrus interpretatus est *more haubo*, domino debiti, quæ periphrasis est creditoris.

Debebat, ei ex mutuo.

Denarios. Denarius argenteus, sic primùm dictus est quòd denos æris asses valeret. Plerique autem hodiè, Budæum secuti, denarium drachma æstimant; B. Arias Montanus, qui Judæorum res scrutatur, duplicem docet apud Judæos in usu fuisse denarium; unum minorem, cujus pondus granis hordei 96, definit, quod non multò amplius est quàm unius drachmæ; majorem alterum, qui quartâ unciæ parte constet, sitque dimidius siclus, didrachmum Græcè, nobis duplex regalis Hispanicus. Sed uter hìc intelligatur, parùm refert, quia non tam valor denarii urgetur, quàm proportio inter quingentos et quinquaginta.

Et alius, alter autem. Quia Pharisæus mulierem judicaverat esse peccatricem, Dominus hoc paradigmate latenter insinuat et ipsum esse peccatorem, quod adnotat Theophylactus : et quamvis fortè non tam gravem, nam ipse se pro justo habebat; hujusmodi tamen qui ut minimùm quinquaginta debeat collata quingentis hujus mulieris, neque magis esse solvendo quàm hanc mulierem, nisi Deus ei debita remittat, id est, sine gratuitâ Dei per Christum

Vers. 40. — Simon, habeo tibi aliquid dicere. Reprehensurus enim, quasi veniam precatur, et suaviter attentionem captat. Nam, ut August. hom. 23, et ipsum sanare cupiebat, ne gratis apud eum, panem comederet. Cùm itaque tanquàm magister morum hospiti suo detulisset, et veniam accepisset, ait :

Vers. 41. — Duo debitores erant cuidam fœneratori. Parabola est, quâ significare vult, non solùm Mariam, sed et Simonem, quantùmvis sibi justus videretur debitorem esse, et indigere peccatorum remissione. Dicitur autem Deus hìc fœnerator, id est, creditor ex mutuo, quia certa talenta unicuique credit, quæ reposcit etiam cum usurâ. Quanquàm hìc magis aliâ consideratione Deus creditor, et peccata debita esse significatur quia obnoxios nos faciunt Deo ad injuriam reparandam. Unus debebat, ex mutuo accepto, denarios quingentos, et alius quinquaginta. Duplices esse denarios diximus, minorem et majorem : ille drachmam, hic didrachmum, valebat. Parùm interest uter hìc intelligatur; solùm enim habetur ratio proportionis quingentorum ad quinquaginta, id est, debiti nonies majoris ad minus.

misericordiâ, quâ peccata ei gratis condonentur, non posse salvari. *Omninò difficilè quisquam est,* inquit Ambrosius, *qui fœneratori huic integrum debitum possit persolvere: væ mihi si non petiero concedi mihi debitum. Sed quis est ille qui amplius debet, nisi cui amplius creditum est?* Peccata cur debita, et peccatores cur debitores vocentur, explicabimus in Oratione Dominicâ, c. 11, v. 4, quòd debitores nos faciant reparandæ injuriæ quâ affecerimus Deum, non solùm non reportantes talenta ipsi à nobis credita cum usurâ et fructu, verùm etiam ne reportantes quidem, ut quæ dilapidaverimus et consumpserimus pro animi nostri libidine.

VERS. 42. — NON HABENTIBUS ILLIS UNDE REDDERENT, et suam inopiam agnoscentibus, ac petentibus gratiam.

DONAVIT, gratificatus est, condonavit, misericorditer remisit debitum universum.

UTRISQUE, utrique.

QUIS, uter, ERGO; *eorum* additur Græcè et Syriacè. Sed et sequitur Græcè, *dic* (*Quis ergo eorum, dic*), quod tamen Syriacè non magis legitur quàm Latinè.

EUM, scilicet fœneratorem seu creditorem.

PLUS DILIGIT, Gr., plus diliget. Videtur indifferens ssse futurum legas an præsens; vel enim accipitur pro diligere tenetur, vel subauditur, si officio grati hominis satisfaciat. Uterque eum diligere tenetur, sed uter plus?

VERS. 43. — DIXIT, quod respondere utique ratio compellebat (ita Augustinus) etsi nondùm intelligeret quorsùm tenderet parabola.

ÆSTIMO, existimo QUIA, quòd IS debitorum plus diligit diligetque creditorem illum, CUI PLUS DONAVIT, cui plus condonavit creditor, cui remisit denarios quingentos; æquum est enim et dictat ipsa natura, ut plus diligat, qui majori beneficio fuerit affectus, quanquàm sunt qui fallant hâc in parte, et etiamsi maximas gratias debeant, parvas tamen aut nullas reddant.

RECTÈ JUDICASTI: ita fit ut major remissio sit causa majoris in debitore erga creditorem amoris. Laudat responsum Pharisæi, tum ut captet ejus benevolentiam reprehensurus, tum ut fortiùs eum liget et propriâ sententiâ convincat.

VERS. 44. — AD MULIEREM, à tergo ad pedes ipsius provolutam.

DIXIT, accommodans paradigma proposito, et Simonem unum debitorem, mulierem alteram, se autem creditorem seu fœneratorem esse dans intelligendum.

VIDES HANC MULIEREM? id est, considera ea quæ mihi fiunt ab hâc muliere, quam tu peccatricem judicas, et confer cum eis quæ abs te mihi fiunt, qui te justum arbitraris, et videbis te longè ab eâ dilectione meî superari.

INTRAVI IN DOMUM TUAM abs te invitatus ad prandium, quod fuit aliquod benevolentiæ argumentum; sed AQUAM PEDIBUS MEIS NON DEDISTI, non lavisti nec lavari jussisti vel aquâ pedes meos, quamvis foris advenerim (continuè enim Jesus ex uno loco in alium proficiscebatur), quemadmodùm hospitibus et peregrinis foris advenientibus fieri consuevit. Hujus enim moris testis est Scriptura, non solùm vetus, Genes. 18, v. 4; et 19, v. 2; sed et nova, 1 Tim. 5, v. 10.

HÆC AUTEM, mulier, in cujus domum non intravi, sed ipsa venit in tuam.

LACRYMIS, non aquâ fluminis, quæ paratissima erat, sed lacrymis oculorum suorum, fusis in morem rivuli, quo non alium habebat humorem magis pretiosum. *Aqua facillimo negotio parari potest, at tanta lacrymarum profusio, paratu minimè facilis est,* ait Titus.

RIGAVIT, madefecit, abluit.

ET, quo non aliud sibi pretiosius linteum afferre poterat, CAPILLIS SUIS TERSIT, nihili faciens præ amore meî capillorum defœdationem, quorum ornatu solita maximè fuerat gloriari. Opponuntur lacrymæ aquæ, et capilli linteo; significaturque, quòd Pharisæus ne id quidem fecerit, quod amicis foris adventantibus fieri solet, et facile factu est; hæc autem multis modis supergressa sit etiam ea officia, quæ amicis fieri consueverant; itaque Pharisæum dilectione longè superaverit.

VERS. 45. — OSCULUM. Alterum amoris officium, quod exhiberi solet gratis et exspectatis hospitibus

VERS. 42.— NON HABENTIBUS ILLIS UNDE REDDERENT. Nam sive multa sive pauca peccata commiserimus, nemo pœnâ, sive æternâ sive temporali pœnitendo, per se potest satisfacere. DONAVIT UTRISQUE, gratis scilicet et misericorditer. QUIS ERGO EUM PLUS DILIGIT? Proclive esset hoc intelligere de dilectione, quæ remissionem gratitudinis ergo consequitur; nam de illâ verissimum est, quòd majorem consequi soleat in debitoribus, quibus plura remittuntur; sed Christi exploratio videtur postulare dilectionem, quæ peccatorum remissionem præcessit. Enumerat enim officia multa maximæ dilectionis, quibus magna remissio retributa fuit, ut patet vers. 47. Itaque *quis eum plus diligit?* id est, quem tu judicas, ex eventu rem conjectando, plus antea creditorem suum dilexisse, ut illo intuitu utrique remitteret, uni plus, alteri minùs? Ita videtur exponere August.; hom. 23, expressè legit: *Quis ergo plus eum diligit?* quamvis nunc in Græco textu legatur, *diliget.*

VERS. 43. — ÆSTIMO QUIA IS CUI PLUS DONAVIT. Hoc enim respondit, quod ratio respondere compellebat, ut August. ibidem. Cui Dominus; RECTÈ JUDICASTI; nam, ut Cyprian., lib. de Lapsis, quàm magna aliquis deliquit, tam granditer deflere debet, ut pœnitentia non sit minor crimine.

VERS. 44. — ET CONVERSUS AD MULIEREM; hactenùs enim à tergo ad pedes provoluta fuerat. Itaque in solatium pœnitentis etiam ipse se corporaliter convertit, ut ipso gestu externo id interiùs impletum significaret; *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* DIXIT SIMONI, ut parabolam explicaret, et accommodaret proposito suo: VIDES HANC MULIEREM? id est, videsne quid agat circa me? Confer illam tibi, et videbis te multùm ab eâ meî dilectione superari. Vehemens est enim et elegans antithesis: Tu vir, ista mulier; tu Pharisæus, ista peccatrix; tu in domo tuâ, ista in alienâ; tu convivæ et hospiti, ista ignoto; tu aquâ in promptu positâ non lavâsti pedes, ista lacrymis profusissimis et continuis rigavit eos; tu os meum ne quidem semel osculatus es, illa non destitit osculari pedes; tu nec caput quidem unxisti, illa et pedes; tu nec vulgari pauperum oleo, illa etiam pretiosissimo unguento.

foris ingredientibus domum, quod in more tunc temporis fuisse, ut in contubernio discipulorum Jesu, ita inter alios, vel ipsa Judæ proditio loquitur. Illud neglexit Pharisæus erga Jesum, persuasus non deberi à se Jesu tanta benevolentiæ argumenta.

Ex quo intravit huc ad me. Regia Biblia Græcè legunt *intravi;* sed alia exemplaria Græca, unà cum Syriacâ editione, scribunt tertiam personam *intravit,* quemadmodùm et Augustinus legit *ingressa est,* homiliâ 23 inter 50. Prior enim ingressus fuerat Jesus domum Pharisæi; mulier autem, ut cognovit quòd Jesus illìc accubuisset, attulit, etc., quemadmodùm habet superior versus 37.

Non cessavit osculari, continuè osculata est. *Cum omni timore et reverentiâ,* quod ait Titus, *osculata est.* Quòd autem non cessârit, fuit, quòd osculis Jesum delinire, et continuare amoris officium voluerit, donec obtinuisset quod vellet.

Pedes meos, non os aut faciem, sed pedes abjectissimam mei corporis partem; tanti me facit. Pedes opponuntur ori, et osculum unum continuis basiis, significaturque idem quod versu superiori.

Vers. 46. — Oleo, etc. Aliud amoris officium erga charos convivas, ut caput eorum oleo ungeretur inter convivandum : unde legitur psalmo 22, v. 5 : *Parâsti in conspectu meo mensam,* etc. *Impinguâsti in oleo caput meum*, etc.; Psal. 103, v. 15 : *Ut exhilaret faciem in oleo.* Oleum autem intelligo, liquorem ex olivis non maturis expressum, non pinguem scilicet; qui recrearet et venustaret caput ac faciem, non impinguaret propriè. Porrò huic olivarum liquori si accederet et commisceretur variorum florum herbarumque liquor, fiebat unguentum, quod alii pigmentum dicunt, simplici oleo longè pretiosius. Illud ἔλαιον evangelista, hoc μύρον vocat; Syrus illud oleum, hoc oleum suavis odoris seu aromaticum. Quo ergo pluris fiebant convivæ invitati, eò pretiosiori liquore inter convivandum, jussu hospitis, perfundebantur. Pharisæus ne oleum quidem infundi jussit capiti Jesu : mulier oleo aromatico pretiosissimo unxit pedes Jesu. Antithesis est, inter oleum et unguentum, et inter caput et pedes; pluris illa fecit pedes meos, extremam corporis mei partem, quàm tu caput, honestissimam. Hæc omnia commemorata à Jesu officia, ex humanitatis vi et illarum regionum more, amoris atque affectûs maximi argumenta erant, quibus mulier Pharisæum superavit. Nam invitatio ad convivium, ex vulgari tantùm consuetudine aliquando, interdùm verò ex fastu, nonnunquàm ex dolo proficisci potest, saltem præcipuum dilectionis signum non est. Porrò non conqueritur Jesus, quòd Pharisæus hæc officia prætermisisset : nec enim capiebatur hujusmodi deliciis Jesus. *Non unguentum Dominus*, Ambrosius ait, *sed charitatem dilexit, fidem suscepit, humilitatem probavit.* Denique ostendit, quantò majorem amorem erga ipsum creditorem declarâsset mulier debitrix, quàm ipse Pharisæus debitor; unde infert id quod sequitur.

Vers. 47. — Propter quod, cujus rei gratiâ, propter quæ officia, quoniam scilicet, ut sequitur, dilexit multum, scilicet ipsa debitrix me creditorem suum. Quia ergo insignem erga me amorem declaravit, quia præstantissima dilectionis opera erga me creditorem suum exhibuit atque exercuit, quæ non vulgarem solùm, verùm etiam summum inter homines amoris modum excederent; id enim, commemoratis hactenùs singulis nobilissimæ pœnitentiæ ejus actionibus, monstratum est. Cùm tristis consideraret hæc mulier, peccatorum quibus Deum offenderat multitudinem, gravitatem atque enormitatem, et videret se solvendo non esse, id est, nihil afferre se posse quo justitiæ divinæ satisfaceret, detestata peccatum omne convertit se ad amandum Deum in Christo, confisa, se, humilis ferventisque amoris officiis, flectere posse Deum et Christum ejus ad misericordiam et condonationem peccatorum suorum; itaque quia multùm debere se noverat, multùm dilexit, ut multam gratiam impetraret. Objicies, charitatem non consistere cum peccato mortali, nec proinde possideri ante remissionem peccatorum. Verùm illud est de charitate illâ perfectâ, habitu à Deo infuso, reginâ virtutum, quam definit Apostolus, profectam *de corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ,* 1 Tim. 1, v. 5. Sed est amor quidam Dei in omni eo quem pœnitet peccatorum suorum, etiam ante acceptam remissionem. Non enim avertitur quis à viis suis malis, et ad Deum convertitur, nisi diligat Deum; nec detestatur ex animo peccatum, nisi amet Deum, qui odit et prohibet peccatum. Hujusmodi fuit amor hujus mulieris, cui Christus hìc adscribit remissionem peccatorum, tanquàm causæ, non meritoriæ, gratuita est enim omnis peccatorum remissio; sed quæ eam accipiendam remissionem peccatorum disposuerit; quemadmodùm faciunt etiam, fides, spes veniæ, odium peccati, et cætera pœnitentium opera bona : qualia nec mulieri huic defuerunt, quippe in quâ præter dilectionem, manifestè eluceant, fides in Christum, detestatio peccatorum, humilis suî ipsius

Vers. 47. — Propter quod dico tibi : remittuntur ei peccata multa, per quæ mihi tanquàm creditori obnoxia erat : Quoniam dilexit multum, id est, quia insignem dilectionem tot tam magnæ pœnitentiæ officiis erga me creditorem suum testata est. Significatur enim, dilectionem ejus fuisse causam dispositivam remissionis. Ita intelligit August., hom. 23, et in Psal. 140, et res ipsa clamat, mulierem hanc imaginem pœnitentis et remissionem peccatorum ambientis toto habitu præ se ferre. Unde et in Ecclesiâ velut effigies pœnitentis omnibus proponitur. Quare non rectè Calvinistæ volunt illud, *quoniam* significare non causam rei, sed probationis, q. d. : Inde patet quòd ei peccata multa dimissa sunt, quia jam ex gratitudine accepti beneficii diligit multùm. Sed, ut dixi, clarum est acta et lacrymas mulieris non esse gratias agentis, sed pœnitentis. Quod autem opponitur, charitatem non posse ante peccati remissionem possideri, sicut hìc factum esset, hoc intelligi debet de charitate illâ perfectâ, et per modum habitûs infusâ, de quâ Apostolus, 1 ad Timoth. 1, v. 5. Sed est alius amor inferior, quo Deus tanquàm

abjectio, fletus immodicus, immensus dolor, castigatio membrorum et profusio rerum quibus fuerat abusa, capillorum, oris, unguenti, denique spes veniæ impetrandæ. Sed cur ergo dilectioni, tanquàm quæ sola disponat, remissio tribuitur? Duplex est causa, una, quia ad superiorem parabolam alluditur, in quâ solius dilectionis est mentio; altera, quia dilectio, quâ erga Deum et Christum ferebatur, horum omnium post fidem origo fuit, unde et circa personam Christi hæc omnia exercuit.

Dico, affirmo tibi, assevero, quamvis res oculis non subjaceat.

Remittuntur, Græcè, *remissa sunt,* sed præteritum est loco præsentis, quemadmodùm Matth. 9, v. 2. *Remittuntur* autem, id est, mox remittenda sunt, nimirùm verbis proximi versûs. Atqui alii contendunt significationem præteriti retinendam, sensum enim esse, remissa sunt ei peccata multa, ideò dilexit multùm; ita ut *quoniam,* non causam significet, sed effectum et consequentiam, seu causam, non rei, at probationis; nec dicatur, multa ei peccata remissa esse propter multam dilectionem, sed quia multa ipsi peccata remissa sunt, ideò ipsam diligere multùm, seu quòd multa ipsi peccata remissa sint, manifestum evadere ex eo quòd diligat multùm. Atque hunc sensum probant ex superiori parabolâ: quâ cùm sit dictum, judicatum et positum, creditorem plus diligi ab eo cui plus condonaverit, hìc ubi parabola proposito applicatur, intelligendum docent, plura peccata mulieri remissa esse, ostendi ex eo quòd plus diligat. Verùm præstat priorem sententiam sequi; nam quæ hæc mulier egit, non sunt agentis gratias de beneficio remissionis peccatorum accepto, aut mutuum amorem, quem gratuita remissio excitârit, declarantis, sed opera sunt pœnitentis et remissionem peccatorum ambientis. Quid enim toto corporis habitu, aliud quàm pœnitentis imaginem præ se fert, ad pedes suppliciter provoluta, lacrymis, interioris compunctionis testibus, oppleta, in sparsis fœdatisque capillis peccata ulciscens, præteritæ iniquitatis fomenta projiciens, denique continuis pedum osculis orans recipi in gratiam? Quare et gesta hujus mulieris, à sanctis Patribus adeòque Ecclesiâ ipsâ catholicâ, pro pœnitentiæ formâ, quâ ambienda sit remissio peccatorum, et mulier ipsa pro exemplari ritè pœnitentium, habentur ac proponuntur. Intellige igitur quòd, propter dilectionem cæteraque pœnitentiæ opera, mulier consecuta sit peccatorum remissionem. *Nam quare fecit illa omnia,* rogat Augustinus, hom. 23 inter 50, *nisi ut sibi dimitterentur peccata? Deposcebat autem æquitatis ratio,* adnotat Titus Bostrorum episcopus, *ut ea quæ confitebatur, quæ lacrymabatur, quæ ad Christi pedes se abjecerat, quæ omnem honorem et reverentiam eidem impenderat, vicissim in gratiam et amicitiam reciperetur.* Jam quod ad parabolam seu paradigma superiùs attinet, illo voluit Christus id præcipuè significare, remissionem debiti esse causam dilectionis. Potest autem duobus modis remissio esse causa dilectionis, uno modo si præcedat, quando erit causa efficiens dilectionis; altero modo si subsequatur, quando erit causa finalis dilectionis. Uterque modus fuit æquè Christo in mente, sed prior solus expressus, quia faciliùs inter homines contingit. Rarum enim est, ut homines debitoribus suis spem præbeant remittendi debiti, modò sentiant se à debitoribus diligi: Deo autem id familiare est, adeòque promissio ejus exstat hâc de re frequens: *Convertimini ad me, et convertar ad vos,* Zach. 1, v. 3. *Convertimini ad me, et salvi eritis,* Isaiæ 45, v. 22. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est,* etc., *vitâ vivet et non morietur; omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor,* Ezech. 18, v. 21. Cùm igitur parabolâ significatum voluisset Christus, remissionem peccati esse causam dilectionis, non minùs finalem quàm efficientem, intulit ex dilectione remissionem, æquum esse scilicet, ut peccata dimittantur ei quæ tot tantaque ediderit dilectionis erga creditorem argumenta. Nec mirum, sunt enim dilectio et remissio similis rationis, et, ut Cajetanus ait, se mutuò consequuntur, atque ex se mutuò inferuntur, præsertim si de divinis seu spiritalibus rebus agatur, hoc est, de remissione peccatorum; adeòque, longè certiùs sequitur homini diligenti Deum, remitti à Deo peccata, quàm Deum remittentem homini peccata ab homine diligi. Potest ergo hìc reddi clarus verborum Christi sensus: Si huic peccata multa remisissem, deberet, juxta tuam sententiam, me multùm diligere: nunc verò cùm tantum amorem exhibuerit, quantum vidisti, ante remissa (quod sciat) peccata sua, omittere non possum quin omnia ipsi remittam. Remittuntur ergo *ei,* à me scilicet creditore. Tacitè insinuat Jesus se Deum esse unum cum Patre, non solùm quia peccata remittit, verùm etiam quia se habet pro fœneratore seu creditore cui mulier sit obnoxia, et Domino quem peccatis illa suis offenderit. Non enim offenderat Jesum ut hominem, cum quo nulla ipsi intercesserat consuetudo; sed transgressa variis modis legem Dei, offenderat ut Deum. Id quod ipsa etiam mulier intellexisse videtur, quando persuasa est, veniam impetrare se posse, si explicitis amoris alis Jesum complecteretur. Atque ita docent, inter Græcos Euthymius, inter Latinos Augustinus. Augustini, homil. 23 inter 50, verba sunt. *Illa quæ sibi à Christo justitiæ fons incipit diligi à pœnitentibus propter Deum. Ex quo amore dolor, abjectio, fletus procedunt, qualem dilectionem, conc. Trident., sess. 6, pœnitentibus etiam ante baptismum postulat.* Cui autem minus dimittitur, id est, qui pauca se putat habere peccata, quæ sibi remittantur, inquit August., hom. cit., ille *minùs diligit,* id est, ex illâ opinione minorem dilectionem et inferiora dilectionis ac pœnitentiæ officia parare solet ad remissionem consequendam, sicuti tu fecisti. Nam hæc verba propter Pharisæum esse dicta vult August., c. 6, ejusdem hom. 23; non enim Dominum invitâsset, nisi aliquantulùm dilexisset, inquit, sed ideò parùm diligebat, quia parùm sibi dimitti suspicabatur. Quo sensu possunt hæc verba, vel ad aliquam consolationem Simonis esse dicta, ut qui rationabilem causam habuisset non

peccata dimitti credidit, Christum non hominem tantùm sed et Deum credidit. Certè si Jesum Deum esse non credidit (vix enim hactenùs apostoli ipsi hucusque profecerant), credidit Christum esse, à Deo missum, personam Dei referentem, et inter alia peccatorum remittendorum auctoritate à Deo instructum, quemadmodùm supra, v. 37 et 38 diximus.

PECCATA seu debita MULTA, id est, omnia quæ debet, peccata omnia, quibus me offendit, et dona à me sibi credita dissipavit; quæ peccata ejus multa sunt, quingentorum denariorum debitum longè superantia. Multum multo opponitur, et multæ dilectioni respondet vicissim multa remissio. Hâc parte docet Pharisæum Jesus, se certum prophetam esse, qui perfectè exactèque nôsset, quæ et qualis esset mulier quæ tetigisset eum, nimirùm peccatrix, multis peccatis obnoxia, sed peccatorum suorum pœnitens, præteritam vitæ consuetudinem detestata, pœnitentiæ solidæ fideique plena, et dilectione ferventissima; ideòque permissa tangere, in ipsius salutem et liberationem à peccatis, quibus antea fuerat infecta. Non enim tam reprehendit Pharisæum, quòd judicaverit esse peccatricem, quàm quòd peccatricis amorem et pœnitentiam non observârit, quibus peccatrix esse desinebat.

CUI AUTEM MINUS, paululum, modicum (sic legit Augustinus), DIMITTITUR, etc.; cui pauca peccata remittuntur, qui pauca, quæ ipsi remittantur, peccata habere se putat. Hìc Pharisæum notat Jesus, tanquàm alterum ex duobus illis debitoribus, sed tacitè, adhibitâ tertiâ personâ, pro honore hospitis non omninò mali. Loquitur autem de illo per concessionem, non quòd minus esset quod esset ipsi dimittendum quàm quod mulieri, aut quòd quidquam ipsi dimitteretur, plus minusve (nec enim ad accipiendam peccatorum remissionem videtur fuisse comparatus), sed quòd ita sibi persuaderet, modicum esse quod Deo deberet, vix aut non se transgressum esse mandata Dei, non opus se habere Christo ad percipiendam remissionem peccatorum. Sic interpretatur Augustinus homiliâ jam sæpè laudatâ. *Dictum est hoc,* inquit, *propter Pharisæum illum qui vel nulla vel pauca se putabat habere peccata; non enim Dominum invitaret, nisi aliquantulùm diligeret.* Et postea : *ô Pharisæe, ideò parùm diligis, quia parùm tibi dimitti suspicaris : non quia parùm dimittitur, sed quia parùm putas esse quod dimittatur.* Ex hâc igitur opinione accidit, quod sequitur : IS MINUS DILIGIT. Longè minùs dilexit Deum in Christo: longè inferiora dilectionis officia exhibuit Christo, etiamsi fecisset ea omnia quæ charis hospitibus fieri consueverant (quod non), quàm hæc : persuasus parùm opus se habere Christo, et parùm Deo obligatum se esse per peccata, qui justus esset justèque viveret. Quòd si peccata sua agnovisset, et credidisset Jesum à Deo missum ad mundum Deo reconciliandum, imitatus fuisset hujus mulieris fervorem. Cæterùm vera est non raró sententia hæc : *Cui minus dimittitur minùs diligit;* intellecta, non tantùm per concessionem, sed absolutè (qui pauca quæ ipsi dimittantur, peccata habet); et de dilectione remissionem consequente, non tantùm antecedente (cui pauca peccata remissa sunt), quia frequenter tepidi sunt, minùsque Deum diligunt, sive ut accipiant peccatorum remissionem, sive postquàm acceperint, qui minùs graviter Deum offenderunt. Non tamen perpetuum hoc est, quia fit ut generosus animus, plus diligat Deum, ob paucorum peccatorum, quam vel speret vel jam acceperit, veniam, quàm alii ob multorum. Quaré ut sententia quodammodo universè sit vera, intelligendum est inter eos qui sua agnoscunt peccata, et eorum vel exspectant vel acceperunt à Deo veniam, minorem occasionem obligationemque diligendi Dei, esse eis qui minùs quàm qui plus offenderint, quantùm est ex beneficio remissionis peccatorum. Nam quantùm ad alia beneficia, utpote dona Dei ipsâ remissione peccatorum majora, qualis est præservatio à peccatis, justitia, innocentia, perseverantia, fit ut major et obligatio et occasio sit amandi Deum, in eo qui minùs peccavit, vel (qualis est Virgo Deipara) omninò non peccavit. Postremò absolvens hâc parte Jesus, refutationem iniquarum Pharisæi cogitationum, et propriis ipsum verbis convincens, docet quanquàm et ipse debitor seu peccator sit, tamen quia parùm se debere existimet, ipsum consequenter parùm diligere, et ipsi parùm aut potiùs nihil dimitti; ac proinde quam temerè judicaverat peccatricem, propter majorem dilectionem et remissionem ampliorem, ipso esse digniorem, justioremque suppetisse rationem, ut se ab illâ tangi et contrectari permitteret, quàm ut invitatus ad Pharisæi convivium accederet.

VERS. 48. — AD ILLAM. Jam tempus erat ut affli-

exhibendi tantæ opera pœnitentiæ, scilicet minora peccata, ut quidam volunt; licitum est enim ei qui pauciora peccavit, inferiorem agere pœnitentiam; vel ad reprehensionem Simonis tanquàm minùs diligentis quàm deberet. Nam quamvis fortè pauciora peccata commisisset, debebat tamen omnia sibi dimissa deputare, quæ vel fecisset peccata, vel Deo regente non fecisset, juxta illud Aug. 2 Conf., cap. 7: Omnia mihi dimissa esse fateor, et quæ meâ sponte feci mala, et quæ te duce non feci. Quo sensu sæpè exponit hæc verba Domini, ut loco citato Confess., et cit. hom. 23, et de Virginit., c. 37 et 40, monens neminem debere putare, quòd sibi pauciora quàm aliis dimittenda sint, ne ex illâ opinione minùs Deum diligat.

VERS. 48. — DIXIT AUTEM AD ILLAM : REMITTUNTUR TIBI PECCATA : Græcè, *remissa sunt*, scilicet me tibi loquente; nam præteritum pro præsenti accipitur; sicut vulgò dicimus : Hoc tibi donatum est, id est, donatur; et sic intellexerunt convivæ, et ex versu seq. patet. Non enim fuissent offensi, si tantùm declarâsset ei fuisse remissa peccata à Deo : hoc quippe et Nathan olim fecerat Davidi. Unde Cyrillus, lib. 8 Thesauri, c. 2, dicit hæc verba summâ cum potestate dicta. Ex quo etiam patet amorem illum, quo Deus, ut justitiæ fons, juxta conc. Trident., incipit à pœnitentibus diligi, non habere ipso momento adjunctam peccati remissionem, sed cùm dispositio perfecta fuerit, vel Deo visum. Sed quomodò igitur versu præcedente dictum fuit, *remittuntur ei peccata?* Respondetur, quia jamjam erant remittenda : erant enim verba narrantis, et remittere disponentis, quæ talem amplitudinem patiuntur; unde illis offensi fue-

ctam mulierem Dominus consolaretur. Nam quamvis mox Pharisæo dixisset, ipsâ muliere audiente, peccata ipsi dimitti; voluit id tamen, directo ad ipsam sermone, repetere, quò et certior illa fieret de peccatis sibi remissis, et ipse manifestiùs ostenderet, penes se esse remittendorum peccatorum facultatem. Ita ferè Euthymius.

REMITTUNTUR. *Remissa sunt;* sed præteritum est pro præsenti, quemadmodùm diximus versu superiori; atque ita intellexerunt reliqui convivæ præsentes, quemadmodùm ex versu proximè sequenti manifestum evadit; quòd Jesus his verbis mulieri peccata remitteret; nam si dixisset: Remissa sunt tibi peccata, à Deo scilicet, non fuissent offensi; sic enim et Nathan propheta ad David : *Dominus transtulit peccatum tuum,* 2 Reg. 12, v. 13.

REMITTUNTUR ergo, scilicet à me, TIBI PECCATA tua omnia; nec enim unum peccatum mortale remittit Deus absque alio; aut omnia remittit, aut nullum, neque enim partim amicus Dei fieri quis potest, partim remanere inimicus. Objiciat quis unico perfectæ contritionis actu omnia peccata dimitti; videri autem mulierem hanc, etiam antequàm ad pedes Jesu se projecisset, tanto ob commissa peccata et offensum Deum dolore stimulatam fuisse, quanto perfectam contritionem sit assecuta, ac proinde vel tunc peccatorum remissionem accepisse, non nunc demùm quando Christus eam est allocutus; ita ut præteritum potiùs in verbis Christi intelligendum sit: Remissa sunt peccata tua. Respondeo fieri potuisse ut tunc ab initio, quo venit ad Christum, fide instructa et pœnitentiâ peccatorum suorum vehementer commota, occulto Dei Christique judicio peccata ipsi fuerint remissa; sed quia ipsa id ignoravit, fecit autem consequenter ac continuè ea omnia quæ dicta sunt contritionis dilectionisque officia, eo fine, ut remissionem peccatorum consequeretur; eis demùm peractis et sententiâ ab Jesu pronuntiatâ, censentur ipsi remitti peccata; propter continuationem enim, totum unum pœnitentiæ opus, naturâ prius remissione, et propter brevitatem, totum unum præsens tempus reputatur. Ut prætercam quòd si ab initio operis, peccata ei remissa fuerint, quod ad culpam et pœnam æternam; eo perdurante, et se consummante, longè plenior et consummatior confirmatiorque remissio evaserit, ita ut saltem temporariam pœnam Christus his suis verbis remiserit; æternæ verò, quam priùs absque verbis remiserat, remissionem, ratam abs se haberi declaraverit.

VERS. 49. — ET, hinc. QUI SIMUL ACCUMBEBANT, reliqui convivæ : erant enim plures. Simon perstrictum se sentiens, et animi sui ratiocinationes refutatas, turbatior tacuit, nec ad ea quæ de cætero Jesus dixit perinde attendit. Reliqui verò convivæ, qui non ita clarè intellexerant, quò vergeret illa Jesus disceptatio, *cœperunt*, etc.

COEPERUNT DICERE et ipsi INTRA SE, id est, *in animis suis,* quomodò Syrus vertit : non audebant verbis agere adversùs Jesum, tantæ erat is auctoritatis.

QUIS EST HIC, qui tantam præsumit auctoritatem, ut ETIAM. Illud, *etiam,* indicat et ipsos offensos fuisse illâ peccatricis contrectatione, quòd is qui justus haberi vellet et propheta, non vereretur pollutionem à peccatricis contactu contrahendam. Dicunt ergo : Quis est hic, quia omnia sibi putat licere, non tantùm conversationem cum peccatoribus, verùm etiam auctoritatem remittendorum peccatorum, quæ solius est Dei? Alii illud, *etiam,* referunt ad miracula Christi, quasi dicant : Non solùm admiranda patrat, sed et peccata dimittit; neque id ut propheta, sed ut ipse fœnerator seu creditor, adversùs quem peccata commissa sint, ut primarius auctor remissionis, id est, ut Deus. Admirantur, sed non credunt, prout debuerant, considerantes divina ejus opera : non tamen dicunt : *Blasphemat,* quemadmodùm illi Matth. 9, v. 3, et supra 5, v. 21; sed ægrè ferunt.

VERS. 50. — AD MULIEREM, ipsius adhuc vestigiis adhærentem, et exspectantem audire quid facere juberetur.

FIDES TUA. Cùm nollet Jesus pluribus astruere suam remittendi peccata auctoritatem, quemadmodùm fecerat supra 5, v. 23, quasi temperavit sermonem suum, et peccatorum remissionem, quam ipse visus fuerat concedere (prout concesserat) ascripsit fidei mulieris, ut susurros illorum compesceret, non aliud interim quàm priùs dicens. *Comprimens murmur illorum,* ait Theophylactus, *ut ne majori invidiâ capiantur,* et paulò post : *Hoc dixit, tum quò invidiam eorum minueret, tum quò et illos ad credendum induceret.* Fidem enim mulieris opponit incredulitati convivarum præsentium, notans eos quòd hujusmodi exemplo in propriam ipsorum salutem non uterentur. Fidem autem intelligit, *quâ illa credidit, ipsum habere potestatem remittendi peccata,* quod ait Titus. Porrò dicit potiùs : *Fides tua,* quàm : *Virtus mea,* ad commendationem fidei per quam efficimur participes virtutis illius.

TE SALVAM FECIT, à peccatis tuis, servavit te, ad sa-

runt convivæ. Cùm ergo potestatem remittendi peccata non crederent esse in Christo, cœperunt in animo suo cogitare.

VERS. 49. — QUIS EST HIC, qui tantam præsumit auctoritatem, ut non solùm se putet non contaminari tactu meretricis, sed etiam peccata dimittat? Sunt enim verba non admirantium, ut quidam putant, sed murmurantium et accusantium.

VERS. 50. — DIXIT AUTEM AD MULIEREM, adhuc pedibus inhærentem : FIDES TUA, quâ credidisti me tibi posse remittere peccata. Fidem enim ejus oppo-nit convivarum incredulitati, quæ præcesserat, ut fidei commendatione murmur eorum compesceret, et modestè à se invidiam tantæ potestatis amoveret. TE SALVAM FECIT, à peccatis tuis, quia radix fuerat spei obtinendæ remissionis, dilectionis et pœnitentiæ, quibus obtenta fuerat. Itaque declarat hìc dilectionem ejus ex firmâ fide processisse, et fidem operibus pœnitentis fuisse cooperatam, et ex operibus consummatam, ut loquitur Jacobus. Non ergo agitur isto loco de fide speciali, ut hæretici somniant, quâ quis scilicet credat sibi remissa esse peccata, sed de illâ quâ cre-

lutem te adduxit, causa fuit ut à me peccatorum remissionem et salutem animæ obtineres, ita ut jam sis Deo reconciliata et grata, et in statu vitæ salutari constituta. Paulò ante ascripserat remissionem peccatorum dilectioni, nunc attribuit fidei; fides enim radix est et fundamentum salutis, quâ cognoscitur is qui salvare nos valet et à peccatis liberare : quem ita cognitum, spes et dilectio faciunt ut amemus, et variis officiis nobis conciliemus, ut in gratiam nos recipiat : nec spem enim fiduciamque hìc defuisse, clarum est. Vide Matth. 9, v. 2 et 22.

Vade, abi ad tua in pace, cum pace, cum prosperitate, incolumitate, salute, tranquillitate; hæc omnia *pacis* nomine Hebræis significantur. Forma est dimittendi cum benedictione : Abi feliciter; intelligenda consentaneè ei quod præcessit, et hoc quidem loco. Abi animo læto, tranquillo, secura de dimissis tibi peccatis. Ita mulierem ad melioris vitæ studium animavit, utpote cui nihil jam obstaret præterita consuetudo, quo minùs oblatâ à Deo pace frueretur, juxta illud Apostoli : *Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum,* Rom. 5, v. 1.

didit sibi posse remitti, quam scilicet habebat etiam antequàm remitterentur, vi dilectionis, etiam cùm nesciret adhuc sibi remissa esse; hoc enim adhuc petebat tam magna pœnitentia. Vade in pace, id est, animo tranquillo, secura de dimissis peccatis. Est formula dimittendi cum benedictione. Ex his ergo verbis Christi, et ex aliis v. 48, debuit hæc mulier credere sibi jam esse remissa peccata ; et ex v. 47, etiam se sufficienter dignèque pœnituisse. Fuit igitur ista fides quidem specialis, non tamen justificans in sensu hæreticorum, sed justitiam vi dilectionis jam factam consequens et supponens. Mysticam singularum circumstantiarum totius historiæ expositionem vide apud S. Greg., hom. 33 in Evangelia.

CAPUT VIII.

1. Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella, prædicans et evangelizans regnum Dei; et duodecim cum illo :

2. Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis et infirmitatibus; Maria quæ vocatur Magdalene, de quâ septem dæmonia exierant,

3. Et Joanna uxor Chusæ, procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

4. Cùm autem turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem :

5. Exiit qui seminat seminare semen suum : et dùm seminat, aliud cecidit secùs viam : et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit supra petram : et natum aruit, quia non habebat humorem.

7. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam : et ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat.

9. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola.

10. Quibus ipse dixit : Vobis datum est nôsse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant.

11. Est autem hæc parabola : Semen est verbum Dei.

12. Qui autem secùs viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

13. Nam qui supra petram, qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.

14. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et à sollicitudinibus, et divitiis, et volu-

CHAPITRE VIII.

1. Et il arriva que Jésus allait de ville en ville, et de village en village, prêchant l'Evangile, et annonçant le royaume de Dieu : et les douze étaient avec lui.

2. Il y avait aussi quelques femmes qui avaient été délivrées des malins esprits, et guéries de leurs maladies; Marie surnommée Madeleine, de laquelle sept démons étaient sortis :

3. Jeanne, femme de Chusa, intendant de la maison d'Hérode, Susanne, et plusieurs autres qui l'assistaient de leurs biens.

4. Le peuple donc s'assemblant en foule, et se pressant de sortir des villes pour venir vers lui, il leur dit en parabole :

5. Celui qui sème, s'en alla semer son grain : et en semant, une partie du grain qu'il semait tomba le long du chemin, où elle fut foulée aux pieds; et les oiseaux du ciel la mangèrent.

6. Une autre partie tomba sur des pierres; et ayant levé, elle se sécha, parce qu'elle n'avait point d'humidité.

7. Une autre tomba au milieu des épines; et les épines croissant avec la semence, l'étouffèrent.

8. Une autre partie tomba dans une bonne terre; et, étant levée, elle porta du fruit, et rendit cent pour un. En disant ceci, il criait : Que celui-là entende, qui a des oreilles pour entendre.

9. Ses disciples lui demandèrent ce que voulait dire cette parabole.

10. Et il leur dit : Pour vous, il vous a été donné de connaître le mystère du royaume de Dieu; mais pour les autres, il ne leur est proposé qu'en paraboles, afin qu'en voyant ils ne voient point, et qu'en écoutant ils ne comprennent point.

11. Voici donc ce que veut dire cette parabole : La semence, c'est la parole de Dieu.

12. Ceux qui sont marqués par ce qui tombe le long du chemin, sont ceux qui écoutent la parole divine; mais le diable vient ensuite qui enlève cette parole de leur cœur, de peur qu'ils ne croient, et ne soient sauvés.

13. Et ceux qui sont marqués par ce qui tombe sur la pierre, sont ceux qui écoutant la parole de Dieu, la reçoivent avec joie; mais ils n'ont point de racine, ils croient pour un temps, et se retirent aussitôt que l'heure de la tentation est venue.

14. Ce qui tombe dans les épines, marque ceux qui ont écouté la parole; mais en qui elle est

ptatibus vitæ, euntes, suffocantur, et non referunt fructum.

15. Quod autem in bonam terram : hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientiâ.

16. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtùs lectum ponit : sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.

17. Non est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur, et in palam veniat.

18. Videte ergo quo modo audiatis. Qui enim habet dabitur illi ; et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

19. Venerunt autem ad illum mater et fratres ejus, et non poterant adire eum præ turbâ.

20. Et nuntiatum est illi : Mater tua et fratres tui stant foris, volentes te videre.

21. Qui respondens, dixit ad eos : Mater mea et fratres mei hi sunt qui verbum Dei audiunt et faciunt.

22. Factum est autem in unâ dierum, et ipse ascendit in naviculam, et discipuli ejus, et ait ad illos : Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt.

23. Et navigantibus illis, obdormivit, et descendit procella venti in stagnum, et complebantur et periclitabantur.

24. Accedentes autem, suscitaverunt eum, dicentes : Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum, et tempestatem aquæ, et cessavit; et facta est tranquillitas.

25. Dixit autem illis : Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes : Quis putas hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei?

26. Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam.

27. Et cùm egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.

28. Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum, et exclamans voce magnâ, dixit : Quid mihi et tibi est, Jesu, Fili Dei Altissimi? obsecro te, ne me torqueas.

29. Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis, et compedibus custoditus, et ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.

30. Interrogavit autem illum Jesus, dicens : Quod tibi nomen est? At ille dixit : Legio : Quia intraverant dæmonia multa in eum.

31. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent.

32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis.

33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intra-

étouffée par les sollicitudes, par les richesses et par les plaisirs de la vie; de sorte qu'ils ne portent point de fruit.

15. Enfin ce qui tombe dans la bonne terre, marque ceux qui, écoutant la parole avec un cœur bon et sincère, la retiennent, et portent du fruit par la patience.

16. Il n'y a personne qui, après avoir allumé une lampe, la couvre d'un vase, ou la mette sous un lit : mais on la met sur le chandelier, afin que ceux qui entrent en soient éclairés.

17. Car il n'y a rien de secret qui ne doive être découvert, ni rien de caché qui ne doive être connu, et paraître publiquement.

18. Prenez donc bien garde de quelle manière vous écoutez ; car on donnera à celui qui a déjà ; et pour celui qui n'a point, on lui ôtera même ce qu'il croit avoir.

19. Cependant sa mère et ses frères étant venus le trouver, et ne pouvant l'aborder à cause de la foule du peuple,

20. Il lui fut annoncé : Votre mère et vos frères sont là dehors, qui désirent vous voir.

21. Mais à ceux qui le lui annoncèrent, il dit répondant : Ma mère et mes frères sont ceux qui écoutent la parole de Dieu et qui la pratiquent.

22. Un jour, étant monté dans une barque avec ses disciples, il leur dit : Passons à l'autre bord du lac. Ils partirent donc.

23. Et comme ils passaient, il s'endormit; et un grand tourbillon de vent vint tout d'un coup fondre sur le lac; et leur barque s'emplissant d'eau, ils étaient en péril.

24. Ils s'approchèrent donc de lui, et le réveillèrent en lui disant : Maître, nous périssons. Jésus, s'étant levé, parla avec menace aux vents et aux flots agités : ils s'apaisèrent, et le calme revint.

25. Alors il leur dit : Où est votre foi? Mais eux, remplis de crainte et d'admiration, se disaient l'un à l'autre : Quel est donc celui qui commande de la sorte aux vents et aux flots, et qui s'en fait obéir?

26. Ils abordèrent ensuite au pays des Géraséniens, qui est sur le bord opposé à la Galilée.

27. Et lorsque Jésus fut descendu à terre, il vint au-devant de lui un homme, depuis longtemps possédé du démon, qui ne portait point d'habit, et ne demeurait point dans les maisons, mais dans les sépulcres.

28. Aussitôt qu'il eut aperçu Jésus, il jeta un grand cri, et vint se prosterner à ses pieds, en lui disant à haute voix : Jésus, Fils du Dieu Très-Haut, qu'y a-t-il entre vous et moi? je vous prie, ne me tourmentez point.

29. Car Jésus commandait à l'esprit immonde de sortir de cet homme; car il le possédait depuis longtemps, et quoiqu'on le gardât lié de chaînes, et les fers aux pieds, il rompait tous ses liens, et était emporté par le démon dans les déserts.

30. Jésus lui demanda : Quel est ton nom? Il lui dit : Je m'appelle Légion; parce que plusieurs démons étaient entrés dans cet homme.

31. Et ces démons le suppliaient qu'il ne leur commandât point de s'en aller dans l'abîme.

32. Mais comme il y avait là un grand troupeau de pourceaux qui paissaient sur la montagne, ils le prièrent de leur permettre d'y entrer; et il le leur permit.

33. Les démons donc sortant de cet homme, en-

verunt in porcos; et impetu abiit grex per præceps in stagnum, et suffocatus est.

34. Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in villas.

35. Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Jesum; et invenerunt hominem sedentem à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sanâ mente, ad pedes ejus, et timuerunt.

36. Nuntiaverunt autem illis et qui viderant, quomodò sanus factus esset à legione.

37. Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est.

38. Et rogabat illum vir, à quo dæmonia exierant ut cum eo esset; dimisit autem eum Jesus, dicens:

39. Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus.

40. Factum est autem cùm rediisset Jesus, excepit illum turba, erant enim omnes exspectantes eum.

41. Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, et ipse princeps synagogæ erat; et cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus,

42. Quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim, et hæc moriebatur. Et contigit, dùm iret, à turbis comprimebatur.

43. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari:

44. Accessit retrò, et tetigit fimbriam vestimenti ejus, et confestim stetit fluxus sanguinis ejus.

45. Et ait Jesus: Quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt. et dicis: Quis me tetigit?

46. Et dixit Jesus: Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exiisse.

47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, et procidit ante pedes ejus: et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo, et quemadmodùm confestim sanata sit.

48. At ipse dixit ei: Filia, fides tua salvam te fecit: vade in pace.

49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua: noli vexare illum.

50. Jesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere: crede tantùm, et salva erit.

51. Et cùm venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum et Jacobum, et Joannem, et patrem et matrem puellæ.

52. Flebant autem omnes, et plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere: non est mortua puella, sed dormit.

53. Et deridebant eum, scientes quòd mortua esset.

trèrent dans les pourceaux; et aussitôt le troupeau courut avec impétuosité se précipiter dans le lac, où ils se noyèrent.

34. Ceux qui les gardaient, ayant vu ce qui était arrivé, s'enfuirent, et s'en allèrent le dire à la ville et dans les villages.

35. Or, plusieurs sortirent pour voir ce qui était arrivé. Et étant venus à Jésus, ils trouvèrent cet homme dont les démons étaient sortis, assis à ses pieds, habillé et en son bon sens, ce qui les remplit de crainte.

36. Et ceux qui avaient vu ce qui s'était passé leur racontèrent comment le possédé avait été délivré de la légion.

37. Alors tous les Géraséniens le prièrent de se retirer de leur pays, parce qu'ils étaient saisis d'une grande frayeur. Jésus monta donc dans la barque pour s'en retourner.

38. Et cet homme, duquel les démons étaient sortis, le suppliait qu'il lui permît d'aller avec lui; mais Jésus le renvoya en lui disant:

39. Retournez en votre maison, et racontez les grandes choses que Dieu a faites en votre faveur. Et il s'en alla par toute la ville, publiant les grâces que Jésus lui avait faites.

40. Jésus étant revenu, le peuple le reçut avec joie, parce qu'il était attendu de tous.

41. Et voilà qu'il vint à lui un homme appelé Jaïre, qui était chef de synagogue; et se prosternant aux pieds de Jésus, il le suppliait de venir dans sa maison,

42. Parce qu'il avait une fille unique, âgée d'environ douze ans, qui se mourait. Et comme Jésus y allait, et qu'il était pressé par la foule,

43. Une femme qui avait une perte de sang depuis douze ans, et qui avait dépensé tout son bien à se faire traiter par les médecins, sans qu'aucun d'eux eût pu la guérir,

44. S'approcha de lui par derrière, et toucha le bord de son vêtement, et au même instant sa perte de sang s'arrêta.

45. Et Jésus dit: Qui est-ce qui m'a touché? Mais tous assurant que ce n'était pas eux, Pierre et ceux qui étaient avec lui, dirent: Maître, la foule vous presse et vous accable, et vous demandez qui vous a touché?

46. Mais Jésus dit: Quelqu'un m'a touché; car j'ai reconnu qu'une vertu est sortie de moi.

47. Cette femme donc se voyant découverte, s'en vint toute tremblante se jeter à ses pieds, et lui déclara devant tout ce peuple pour quel sujet elle l'avait touché, et comment elle avait été aussitôt guérie.

48. Et Jésus lui dit: Ma fille, votre foi vous a guérie; allez en paix.

49. Comme il parlait encore, quelqu'un vint dire au chef de synagogue: Votre fille est morte: ne donnez point davantage de peine au Maître.

50. Mais Jésus ayant entendu cette parole, dit au père de la fille: Ne craignez point; croyez seulement, et elle sera guérie.

51. Etant arrivé au logis, il ne laissa entrer personne avec lui, sinon Pierre, Jacques et Jean, et le père et la mère de la fille.

52. Et comme tous ceux de la maison la pleuraient et se lamentaient, il leur dit: Ne pleurez point; elle n'est pas morte; elle n'est qu'endormie.

53. Mais ils se moquaient de lui, sachant bien qu'elle était morte.

54. Ipse autem tenens manum ejus, clamavit, dicens : Puella, surge.

55. Et reversus est spiritus ejus, et surrexit continuò. Et jussit illi dari manducare.

56. Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

54. Jésus donc la prenant par la main, lui cria : Jeune fille, levez-vous.

55. Et son âme étant revenue, elle se leva à l'instant; et il commanda qu'on lui donnât à manger.

56. Alors son père et sa mère furent remplis d'étonnement; et il leur commanda de ne dire à personne ce qui était arrivé.

COMMENTARIA.

VERS. 1. — ET IPSE. Redundat *et*, ut etiam alibi.

PER CIVITATES ET CASTELLA, vel, ut est in aliis libris, conformiter Græco, *per civitatem et castellum*, quod est, per singulas civitates et castella sive vicos. Κώμη inter alia castellum significat : castellum enim verâ significatione, non arcem, sed vicum aut oppidum declarat, cæterùm parva illa et mœnibus cincta; porrò κώμη quemvis vicum etiam mœnibus non cinctum denotat, quo modo Interpres et castellum accepit. Peragrabat civitates omnes et vicos Galilææ ; nam de Galilæâ hìc potissimùm sermonem esse arbitror. Nihil movetur Salvator pessimâ malevolorum calumniâ, quò minùs in prosequendo munere suo diligenter et studiosè pergat. Nam quòd *circuibat*, summo id studio faciebat prosequendi muneris suscepti ; suæ, felicissimæ hominibus, legationis exercendæ. Porrò istud per occupationem dictum est ut sciamus non hìc totum Christi ministerium sigillatim describi, quando quidem in suâ functione assiduus fuerit, ut ubique salutis doctrinam et publicaret et miraculis additis sanciret, omnium curam gerens, nullum quantùmvis humilem præteriens locum.

PRÆDICANS ET EVANGELIZANS REGNUM DEI. Prædicans ubique et annuntians regnum Dei ; prædicans ubique Evangelium regni Dei, faustum instantis regni Dei nuntium, regni, quo in hominibus Deus regnaturus sit, et in Deo homines, de quo latiùs supra tractavimus.

ET DUODECIM, et duodecim illi, nimirùm apostoli quos elegerat. Ita enim vocantur antonomasticè οἱ δώδεκα, duodecim.

CUM ILLO, scilicet erant ; nam quò formaret illos, et suo doceret exemplo, quî se ipsi in prædicationis negotio, quod brevi ipsis committendum erat (infra 9, v. 2) gerere deberent ; secum illos quòcumque pergebat, duxit.

VERS. 2. — ET MULIERES ALIQUÆ, scilicet cum illo erant, quæ et ipsæ sequebantur peragrantem Galilææ oppida et castella singula, ipsum, posthabitis negotiis domesticis, cum invidiâ multisque incommodis, per diversa incertaque hospitia, sequi malentes, quàm delicatâ quiete in propriis ædibus frui.

ET INFIRMITATIBUS, quas, vel liberaverat à spiritibus malis, vel à morbis sanârat ; locupletes proinde testes virtutis Jesu.

QUÆ VOCATUR MAGDALENE, vulgari et celebri cognomine. Id addit quò ab aliis distinguatur Mariæ nomine appellatis ; unicam igitur agnoscit Lucas Mariam cognominatam Magdalenem seu Magdalenam. Ea creditur è Judæâ oriunda fuisse, unà cum Lazaro fratre et Marthâ sorore, ex castello seu vico Bethaniæ, Joan. 11, v. 1 ; sed nupsisse viro in Galilæâ, in castello Magdalum nomine, haud procul à mari Tiberiadis sito, ubi ipsa habitaverit Domino in Galilæâ prædicante, undeque nomen sumpserit Magdalenæ ; viduâ autem factâ, secuta tandem fuisse Dominum, nam viduam eam appellat auctor Commentarii in Marcum D. Hieronymo ascripti, enarrans Marc. 15, v. 40. Potuit et aliis quàm matrimonii occasionibus in Galilæam è Judæâ migrâsse, sive liberiùs vivendi, sive Christi videndi et sanitatis à dæmonum obsessu impetrandæ.

DE QUA, è quâ, quam unam septem dæmones occupârant, quos Jesus Salvator exegerat. Fuerat à Deo dæmonibus tradita, ob sua, verisimile est, crimina ; quos ubi ex eâ profligâsset Dominus, reliquit vitia, admissorum obtinuit veniam, supra 7, v. 47 ; virtutem amplexa est, facta est Christi discipula, denique et contubernio ipsius honorata.

SEPTEM. Cùm mox in genere dixisset *quæ erant curatæ à spiritibus malignis*, hìc numerum exprimit malignorum spirituum qui miseram hanc occupârant, uti etiam Marcus, cap. 16, v. 9. Nec enim mirum esse debet septem unam invasisse, cùm mox sequatur de quodam quem legio possederit ; infra, v. 30. Quanquàm septenarium numerum Scriptura nonnunquàm pro multitudine accipiat, ut Jerem. 15, v. 9 : *Infirmata est quæ peperit septem*, quod annotat Theophylactus scribens in Marcum.

VERS. 3. — UXOR CHUZÆ. Fuit igitur, non ipsa

VERS. 2. — ET MULIERES ALIQUÆ, supple, cum illo erant ; quæ sequebantur eum, oppida Galilææ peragrantem : QUÆ ERANT CURATÆ A SPIRITIBUS MALIGNIS, corporaliter eas possidentibus, ET INFIRMITATIBUS corporis. Sequebantur itaque in testimonium gratitudinis. Erant autem MARIA QUÆ VOCATUR MAGDALENE, vulgari scilicet et celebri nomine, ut ab aliis Mariis distingueretur : proinde unicam tantùm agnoscit Lucas Mariam Magdalenam. Orta putatur ex vico Bethaniæ in Judæâ, Joan. 11, v. 1 ; habitâsse tamen subinde Galilæam, in castello Magdalum dicto, sitoque juxta mare Tiberiadis, unde Magdalena dicta est. Viduam vocat Auctor Comment. in Marcum apud Hieron. in vers. 40, c. 15. DE QUA SEPTEM DÆMONIA EXIERANT, Christo scilicet ejiciente, ut testis est Marcus, cap. 16, v. 9 ; Tertull., lib. de Animâ, c. 25 ; et Ambr. de Salomone, c. 5. Hoc ad litteram intelligunt de septem dæmoniis obsidentibus ; illa enim propriè ejiciuntur. Quod longè verisimilius, quàm id, quod Greg., hom. 33 in Evang., et Beda putant, universa vitia significari, et numerum certum pro incerto poni.

VERS. 3. — ET JOANNA UXOR CHUSÆ, PROCURATORIS seu œconomi HERODIS, qui tetrarcha erat Galilææ. Indicat itaque et hanc, sicut et *Susannam*, fuisse vel à spiritibus malignis, vel ab infirmitatibus liberatam. Nominat autem solùm celebriores ; unde de reliquis addit : ET ALIÆ MULTÆ, QUÆ MINISTRABANT EI DE FA-

tantùm, verùm etiam maritus ejus, animo Christo devoto : nec enim absque mariti consensu sivisset eam Christus esse in comitatu suo. Brugense manuscriptum habet, *Chuza.*

Procuratoris, administratoris, nimirùm rei familiaris. Syrus, *Rabbaitho,* præfecti domûs, œconomi.

Herodis, tetrarchæ tunc Galilææ, ita ut in aulâ quoque regiâ, virtutis ac doctrinæ Christi fama celebrari posset, atque omnibus in locis ab omnibus hominum ordinibus cognosci.

Et aliæ multæ, omnes Christi discipulæ, et notæ feminæ, quanquàm præ cæteris tres illæ nominatim recensitæ, quarum conditio, et vitæ genus ac valetudinis, insignia fuerant antea, et præsens status, quantùm ab illo differret priori, cognosci poterat.

Ministrabant. Cùm divites essent, curabant et suppeditabant vitæ necessaria pauperibus, Christo atque apostolis ejus, urbes et rura peragrantibus, spargendæ evangelicæ sementis gratiâ. Idcircò ergo permisit eas Christus in suo comitatu esse, ne quid deesset rerum necessariarum assiduè vagis et uni negotio intentis : maluit enim ab his jam fidei domesticis sumptum accipere, quàm oneri esse, ipse tanto comitatus discipulorum numero, eis ad quos accedebat extraneis, quin potiùs ut prorsùs gratis illis, et Evangelium annuntiaret, et beneficia conferret. Porrò istæ, cùm ultrò se (non dubium est) ad hanc rem obtulissent, perlibenter id faciebant à Salvatore admissæ, inprimis quò animi gratitudinem declararent suam, erga eum à quo beneficia et spiritalia, et corporalia, ingentia acceperant ; tum quò frui possent concionibus ipsius divinissimis et suavissimâ præsentiâ ; denique quò ipsarum præsentiâ magis celebraretur Christi gloria. Nam ut erant ipsæ celebres, et celebre unde Christi beneficio liberatæ essent, non dubium est quin digito passim monstratæ fuerint, ac Christi præsentia instar theatri fuerit ad eas spectandas. Cæterùm pudorem suum palàm exstare non recusârunt, ne suppressa, Christi gratia lateret : quin potiùs ut illustre esset hujus spectaculum, libenter humiliari sustinuerunt, liberatorem suum, contemptâ mundi ignominiâ, sequentes.

Ei, Christo, sub quo intelligitur comitatus ipsius, quanquàm Latini quidam codices, cum Syriacis et multis Græcis, legant *eis,* nempe Christo et duodecim. Cùm enim divites essent et multæ, facilè suppeditabant sumptum frugalissimo magistro et ipsius comitibus. « Ministerium quod feminæ, quæ Jesum « sequebantur, præstabant, ait Victor Antiochenus « Marcum tractans, aliud ferè nullum erat, quàm « quòd de pecuniis suis, ipsi ipsiusque discipulis, « sumptus faciebant. » « Ministrabant Domino de sub« stantiâ suâ, adnotat Beda ad Marcum, ut meteret « earum carnalia, cujus illæ metebant spiritualia. » Nam, quod D. Hieronymus hìc scribit, « consuetudinis « Judaicæ fuit (nec ducebatur in culpam, more gentis « antiquo), ut mulieres de substantiâ suâ victum atque « vestitum præceptoribus ministrarent. » De his mulieribus Euthymius hoc loco dicit : « Chorus erat « discipularum, apud Dei matrem conjunctarum, et « expensas de suis facultatibus suppeditantium. » Hæ igitur, ut non deseruerant Jesum in vitâ, quòcumque iret sequentes ac ministrantes ei ; ita nec in morte deseruerunt, sed mœrore licèt confectæ, et unà cum Jesu fixæ, magnâ animi firmitudine assiduè astiterunt crucifixo ad redditum usque spiritum Deo, et corpus terræ mandatum.

Vers. 4. — Convenirent. In aliis libris est singulare *conveniret,* Græco conformiter.

De civitatibus ; Gr., omnibus qui oppidatim, id est, qui *ex* aut *in* singulis civitatibus erant. Syrus *ex omnibus civitatibus.*

Properarent, scilicet turba plurima, vel positum est pro properaretur. Græcè, *proficiscerentur ;* Syrus *venirent.* Frequens hominum conventus Salvatori occasionem dedit sequentis parabolæ depromendæ.

Per similitudinem, per parabolam, non nudè et apertè, sed sub similitudinum et comparationum involucris : parabolæ enim vox comparationem seu collationem significat, quâ res diversæ asseruntur re aliquâ similes esse, dicta à παραβάλλω, *comparo, assimilo ;* quanquàm non tam ob comparationem sive collationem parabolæ dicantur eæ quas Salvator hic affert (certè prima nullam exprimit collationem) quàm ob involutam et obscuram aliarum rerum per alias significationem, cujusmodi propriè sunt ænigmata et allegoriæ. Cur autem parabolis sit usus Salvator, ratio mox datur v. 10, cui et aliæ accedunt, ut quòd is docendi modus, prophetis familiaris, auditores et attentiores reddat et intelligendi curiosiores. Ita enim fit ut quæ docentur, per exempla, à rebus notissimis, omnium etiam idiotarum sensibus, sumpta, jucundiùs irrepant in animos hominum, permoveant efficaciùs, tenaciùs hæreant, denique vehementiorem

cultatibus suis : suppeditantes vitæ necessaria ipsi et apostolis, urbes et rura assiduè peregrinantibus. Notat autem Hieron. in cap. 27 Matth., consuetudinis Judaicæ fuisse, ideòque sine culpâ vel scandalo, ut mulieres de substantiâ suâ victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc Paulus 1 ad Corinth. 9, v. 5, inter gentiles in se fieri non admisit, sive scandali inter eos vitandi causâ, sive studio perfectionis. Christus verò admisit, ut more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, sic ostenderet quid Dei ministris deberetur, ut, si quis eo uti nollet sicut Paulus noluit, amplius impenderet Ecclesiæ, inquit August. de Opere monachorum, cap. 5.

Vers. 4. — Per similitudinem, id est, parabolam. Parabola Græcè est propriè comparatio ; sed usu Scripturæ sæpè sumitur pro sermone obscuro, qui aliud sonat, aliud innuit, cujusmodi sunt ænigmata et allegoriæ. Causa utendi parabolicis istis sermonibus datur infra. Modus ita docendi Syris maximè familiaris est, et ad hoc utilis, quòd res per exempla sensibilia jucundiùs irrepant animis hominum, moveant efficaciùs, hæreant tenaciùs, obscuritas autem reddat auditores attentos, et ad intelligendum curiosos. Unde August. 12 contra Faustum, c. 7, et alibi sæpiùs tradit obscuritatem illam ænigmatum, in Scripturis adhiberi, propter exercitationem quæren-

intelligendi cupiditatem accendant. Hanc igitur primam parabolam proponit ne existimaretur, aut ipsum sibi placere de tantâ confluentium auditorum frequentiâ, aut auditores omnes ejusdem esse mentis, eamdemque omnibus animorum ad audiendum Dei verbum apparationem; parabolam eam primam profert, quâ docet, non in omnibus fructuosum esse sacræ doctrinæ semen dùm spargitur, non omnes meliores reddi audito Dei verbo, non verbi sive seminis vitio, sed quòd multi impedimenta afferant, per quæ fiat ut ipsorum animi tantâ careant utilitate. Impedimenta itaque illa dùm explicat, docet præmonetque hâc primâ rursùs parabolâ, quâ ratione fructuosè Dei verbum audire queant, nemini suum studium otiosum esse volens.

Vers. 5. — Exiit, domo in agrum.

Qui seminat, Græcè *seminans*, id est, seminator, agricola quidam. Participiis loco nominum utuntur Hebræi.

Seminare. Græca phrasis pro ad seminandum.

Dum seminat, dùm longè latèque spargit semen in universum agrum, contingit cadere.

Secus viam, juxta viam publicam. Via in medio sita propriè judicatur, ubi et tritissima et tutissima est. Itaque juxta viam dicit, pro, in oram viæ, in quam faciliùs quàm in mediam viam contingit semen cadere, dùm jacitur in fulcos agri conterminos. In oram igitur viæ, quam et ipsam homines iter facientes pedibus continuè calcant, quæ ceciderint seminis grana, cùm cadant in incultam, duram, et minimè aptam suscipiendo semini terram, nullam spem fructûs relinquunt, eòque minùs, quòd, ut sequitur:

Conculcatum est. Præter hoc quòd semen nudum jaceret à terrâ, duo alia incommoda passum est, protritum itinerantium pedibus et ab aviculis devoratum, ita ut omnis ex eo fructus esset desperatus.

Coeli, aeris.

Vers. 6. — Supra petram, super petram, in loca petrosa, silicibus lapidibusque abundantia.

Aruit, ad teporem solis, non valentem penetrare terræ intima, quippe à saxis reflexum ac proinde geminatum.

Supra se non tegebantur profundâ terrâ quæ servaret condita semina in tempus suum; infra minùs erat liberæ profunditatis ob saxa contigua: quare cùm deorsùm radices agere non possent, sursùm necesse ac facile fuit ut erumperent calore accedente. Ex his seminis granis spes aliqua fructus fuit, quia germen et herba, sed tenuis, ante tempus enata, quæ et facilè proinde periit; ita ut hìc verum apparuerit quod dicitur: *Quod citò fit, citò perit.*

Vers. 7. — Inter spinas, inter spinarum semina, in terram spinarum feracem.

Simul exortæ, simul enatæ è terrâ, sed quæ celeriùs assurgerent.

Suffocaverunt illud, semen jam in culmum excretum; præcluserunt ei usum auræ liberioris, suppresserunt illud ita ut excrescere et emergere non posset. Hìc major etiam affulserat spes, quia radix, quia germen, quia culmus, sed quæ conciderit spinis in latum ac longum se condensantibus. Triplex igitur hìc designata est terræ infructuosæ differentia.

Vers. 8. — In terram bonam, non itinerantium pedibus duratam, non lapidosam, non spinosam, excultam autem et omni ex parte præparatam.

Centuplum, copiosum: multùm enim cultura facit ad percipiendorum fructuum copiam atque præstantiam. Cæterùm non hyperbolicè loquitur Christus de fructu centuplo, ut tunc fuit quarumdam regionum fœcunditas. Nam Libyphœnicum nominatim regionem, testatur Plinius, lib. 5 Hist. nat., cap. 4, ita eximiæ esse fertilitatis, ut cum centesimâ fruge agricolis fœnus reddat terra.

Qui habet, qui utitur, cui datum statutumque est uti auribus.

Audiendi, ad verbum, *audire*, id est, ad audiendum, ad agendum id ad quod à Deo creatæ sunt aures, ad quod constitutus est sensus auditûs, quod utique est, audire ea quæ auditu digna sunt, eo animo quo audire oportet, cum conamine intelligendi et obediendi voluntate; ea certè inprimis quæ eò pertinent ut Deo placeas. Qui non audit, aut audita non conatur intelligere quæ debet, aut audit quæ non debet, aut quo animo non debet, ut calumniandi vel irridendi animo, is non utitur auribus ad audiendum (quales adfuisse quosdam auditorum, Christus subindicat hìc, et postea explicat etiam clariùs), perversum est enim hoc aurium officium. Igitur qui eo animo ac studio venerat ut audiret ex ore Christi verbum Dei ad suam utilitatem et salutem, is habebat aures audiendi, dociles scilicet et obedientes: simplicissimus enim usus sensûs ac sine ullo vitio exigitur à Christo.

Audiat hæc, auditu cumprimis digna ac salutaria, et simplici animo consideret scruteturque ut intelligat. Excitat hoc sibi familiari epiphonemate Salvator auditorum animos ad attentiorem parabolæ considerationem:

Vers. 9. — Quæ esset, quid sibi vellet. Græcè *dicentes* præcedit, sed videtur superfluere. Similitudines, quæ perpetuam metaphoram continent, ænigmaticæ sunt, et rem allegoriis involvunt; ubi verò additur expositio, rem de quâ agitur illustrant; ut enim plus energiæ ac ponderis habet figuratus sermo simplici mixtus, ita et magis perspicuus est. Et cùm parabo-

tium, et delectationem invenientium. Quâ de causâ et Christus post parabolam de seminante, quâ varietatem auditorum in istâ turbâ confluente indicaverat familiari suo epiphonemate omnes ad diligentem animadversionem excitat.

Vers. 8. — Qui habet aures audiendi audiat, id est, desideret, coneturque intelligere et dijudicare, ex quo genere auditorum sit, et ita satagere, ut inter optimos sit. Aures enim audiendi hìc est donum intelligendi et obediendi. Dicendo autem: *Qui habet aures*, indicat non omnes habere, nempe quia non omnibus dantur, ut est Deuter. 24, v. 4.

lam non intelligerent ipsi, facilè arbitrabantur et populo esse obscuram.

VERS. 10. — VOBIS, quibus paratus sum pro more tenebras parabolarum elucidare, habentibus aures ad audiendum, cupidis audiendi simul et intelligendi doctrinam sacram, qui simplici discendi et obsequendi animo me sequimini.

DATUM EST, singulari Dei Patris munere : nam et usum aurium ad hæc audienda non nisi Deo donante habetis, Psal. 39, v. 7.

NOSSE, clarè audire et intelligere absque parabolarum involucris. Docetur fidem esse Dei donum.

MYSTERIUM, Græcè, *mysteria,* sacra arcana, quæ naturæ communi facultate inveniri per se non possunt, nisi eorum auctor ipse Deus doceat et exponat.

REGNI DEI, pertinentia ad regnum Dei quod prædico. Hujus generis sunt, arcana de humanæ salutis et cœlestis regni ratione ac perfectione, et quæ ad hæc pertinent sacrorum librorum oracula ac sententiæ, et similitudines huc facientes tam ex naturâ quàm ex arte et consuetudine petitæ.

CÆTERIS AUTEM, extraneis, qui nobiscum non sunt, qui non sunt discipuli sectatoresque mei, licèt audiant verba facientem : videntur opponi, qui foris sunt iis qui circa ipsum. Intelliguntur reprobi auditores, qui disciplinæ Jesu verè et ex animo sese familiares tradere nolunt, sed vel curiositatis novarum rerum, vel etiam calumniandi et irridendi studio aguntur; in Matth., *illis,* turbæ seu multitudini illi, cujus pars longè major non habet aures ad audiendum : eorum enim alii non desiderant Dei verbum ex me audire, sed videre prodigia; alii curiosè tantùm cognoscere cupiunt quid dicam, auditaque negligunt nec curant intelligere; alii contemnunt etiam et irrident, quidam scientes prudentes calumniantur, indigni proinde quibus divina mysteria simpliciter credantur. Significat Salvator plerosque omnes illius multitudinis reprobos fuisse (ut Dei judicio reprobata Judæorum ejus temporis gens fuit) et, si ex numero electorum aliqui, illorum res eodem adhuc fuisse statu quo cæterorum.

IN PARABOLIS, non est datum nôsse nisi *in parabolis.* Syrus habet : *Cæteris autem illis per parabolas dictum est;* sub velamine parabolarum, obscurè; indigni enim sunt sancto et margaritis nudè propositis; nec usus aurium ad audiendum Dei verbum illis datus est, Deut. 29, v. 4. Gratiam itaque discipulis factam Christus amplificat, quia peculiariter illis sit datum quod aliis negatum est. Si quis roget quæ hujus discriminis causa, unde hoc dignitatis privilegium discipulis Christi, potiùs quàm cæteris Judæis? non in aliam id referendum est originem, quàm in gratuitam Dei electionem, qui illos quidem misericors elegit, hos autem suæ mentis perversitati justus reliquit; q. d. : Vos magnificis Dei donis gratis augemini; illi quales sunt relinquuntur.

VIDENTES, opera divina, et miracula manifesta quæ edo.

NON VIDEANT. Non vident, quia non considerant, non dijudicant, nihili faciunt, contemnunt, non intelligunt quid sibi velint, non vident ex eis Messiæ præsentiam, non cernunt salutis suæ procurationem. In summâ, non habent oculos ad videndum ea quæ Dei sunt et salutis ipsorum.

ET AUDIENTES, Dei verbum,

NON INTELLIGANT; non intelligunt quia non curant intelligere, calumniari potiùs et irridere. Posterius hoc est explicatio prioris. Visus et auditus hominibus dati sunt, non eo tantùm fine quo bestiis, ut naturæ noxa fugiant, conducibilia amplectantur; verùm præcipuè, ut ea quæ vident et audiunt, intelligant si merentur, ut ea quæ sensibus hauserint ad mentem transmittant, considerent, dijudicent, intelligere conentur, si intellectu sunt digna ut est inprimis verbum Dei. Qui igitur audit quidem prædicari verbum Dei, sed intelligere aut ad mentem transmittere non curat, is audit et non audit; audit, quia verba auribus percipit; non audit, quia ad proprium finem auditionis rerum hujusmodi non agit; prorsùs similis bestiæ, quæ et ipsa sonos verborum quibus Dei verbum prædicatur, audit, sed quia ad se nihil judicat pertinere, ut neque noxios carni neque conducibiles, negligit. Sic se res habet et in visu. Sententia igitur verborum Christi est : Ideò parabolicè seu ænigma-

VERS. 10. — VOBIS, credentibus, et intelligendi obsequendique cupidis, DATUM EST, singulari Dei dono, NOSSE MYSTERIUM REGNI DEI, id est, clarè, sine obscuritatum involucris, audire et intelligere arcana, ad regnum cœlorum pertinentia. Non enim hìc loquitur de præceptis evangelicis, quæ quia omnes nôsse debent, omnibus etiam turbis clarissimè exposuerat c. 5, 6, 7. CÆTERIS AUTEM, nempe non credentibus, seu non habentibus aures audiendi, utpote vel prodigia sectantibus, vel sciendi tantùm, non obediendi curiosis, vel irridentibus, vel etiam calumniantibus, IN PARABOLIS, id est, ita obscurè, ut non intelligant. Significat ergo istis verbis, causam istius discretionis pendere à gratuitâ gratiâ Dei, penes quem æquitatis tam secretæ ratio est, et excellentia potestatis, cùm utrisque dare potuisset mysteriorum cognitionem, et utrisque negare. Sed tamen infra indicat, in istâ doni istius discretione habitam fuisse aliquam rationem præcedentis dispositionis, etsi respectu primæ gratiæ nulla fuerit.

UT VIDENTES, oculis corporis miracula mea, NON VIDEANT, oculis cordis quid sibi velint, innuant et suadeant. ET AUDIENTES, apertissima verba mea corporis sensu, NON INTELLIGANT. Significat igitur se eis in pœnam incredulitatis obscurè loqui; q. d. : Quia clarissimis miraculis quæ vident, et sermonibus apertissimis quos audiunt, nolunt credere et obedire, justo judicio eis per parabolas loquor. Qui enim videre nolunt, cùm possunt, Deo puniente, etiam cùm volunt, videre non possunt. Nam ut August. de Nat. et Gratiâ, c. 22, prævaricatorem legis dignè lux deserit veritatis, quâ desertus utique fit cæcus, et plus necesse est offendat, et cadendo vexetur, vexatusque non surgat, et ideò tantùm audiat vocem legis, quò admoneatur implorare gratiam Salvatoris.

Sed difficultas oritur ex eo quòd Matthæus dicit : *Quia videntes non vident, et audientes non audiunt.* Marcus autem et Lucas per particulam finalem dicunt Christum eis in parabolis loqui, *ut videntes non videant,* etc. Cui respondetur Matthæum causam sup-

ticè loquor eis, ut sermonem meum attemperem statui illorum. Is autem status eorum est, ut si nudam eis veritatem proponerem, audirent verba, sed rem intelligere non curarent, irriderent potiùs et contemnerent, ut canes sanctum et margaritas porci. Parabolas itaque adhibeo, quas nec intelligere possunt, nec exponi sibi desiderant, ut omninò sint quales esse volunt, audientes et non audientes, itaque pro meritis puniantur et magis ac magis excæcentur Dei judicio.

Vers. 11. — Hæc parabola, hæc parabolæ expositio.

Semen est, per semen significatur.

Verbum Dei, sermo à Deo profectus, quem Deus vult hominibus ad ipsorum salutem beatitatemque profectum, salutare Evangelium, quod ego, aliique à me missi mecum, hominibus prædicamus, et longè latèque spargimus tanquàm seminatores. Quadruplex verò terræ genus variè semen excipiens, significat quadruplex auditorum genus, diversimodè Dei verbum corde excipiens : ita Salvator. Porrò *verbum Dei* seu *regni*, ideò semen vocatur, quia quod semen est terræ ad procreandas ejusdem speciei fruges, id verbum Dei est auditoribus ad producendas omnis generis virtutes ac bona opera verbo tradita, quibus reddantur filii regni seu Dei : et ut absque semine terra vix aliud quàm spinas et tribulos et steriles herbas profert, ita homo absque verbo Dei, noxia duntaxat aut inania. Cætera, in quibus similitudo consistit, ex subsequentibus intelliguntur.

Vers. 12. — Secus viam, scilicet seminati sunt, id est, qui significantur per eam terræ portionem, quæ cùm sit juxta viam publicam, semen excepit. Ratio est, quia numero quidem ac loco jungunt se auditoribus verbi Dei, ut ora viæ confinis est agro; sed re, viæ non agri, contemptoris non auditoris, naturam referunt : quandoquidem cor illis sit instar viæ publicæ patens vitiosis quibusvis affectibus, incultum, nullo proscissum, ut aratro, desiderio quærente Deum; durum, quod longâ peccandi, et continuâ vitiosarum affectionum aliarum aliis succedentium vestigia ferendi consuetudine, obduruit callumque obduxit; siccum denique et sterile, et cujus nulla est præparatio ut intelligat aut *suscipiat in mansuetudine insitum verbum*, juxta monita Jacobi Apostoli cap. 1, v. 21. In hujusmodi itaque auditorem irritus est jactus verbi Dei : nihil in eo, utpote inepto prorsùs, efficit prædicatum Dei verbum.

Audiunt, verbum Dei.

Venit diabolus, apud Matthæum, malus, ille malus, ille desperatè malus, semper vigil ut malefaciat, cujus voluntas immutabilis est à malo in bonum, id est, aliquis ex numero malorum dæmonum, qui semper præstò sunt, et mox ut observant quempiam contemptim aut neglectim audientem nec in cordis penetralia recipientem Dei verbum, metuentes ne si vel memoriæ pergat inhærere, tandem præ eâ quâ est ponderis soliditate insidat in animum, et fructificet, summâ velocitate advolant. Dæmones docet parabolicè à se per *volucres cœli* designatos fuisse, eâ de causâ, quòd et ipsi versentur in hoc cœlo sive aere terræ proximo, Ephes. 6, v. 12, unde infestent homines instar noxiarum volucrium, et signanter insidientur melioribus initiis, ut famelicæ aves jactis seminibus, summâ subtilitate, agilitate, pernicitate, voracitate ac superbiâ præditi. Nunquàm satiantur malis hominum, omne bonum hominibus invident, et cùm nihil ipsi habeant boni, præter naturam cujus auctor est Deus, altissimè tamen superbiunt.

Tollit verbum, supple ex parabolâ, *conculcatum*, id est, contemptum et neglectum callo obducto in vulgaris vitæ consuetudine et admittendis omnis generis vitiosarum cogitationum turbis. *Tollit verbum* diabolus, procuratâ oblivione, alia vana animo objiciens quibus novit hominem delectari.

De corde eorum, inculto et duro, cui superjacet, tanquàm in viâ, quòd verbum, prædicationis ministerio, per sensum auditûs, cecidit super cor illorum durum, intrò minimè susceptum.

Ne credentes tandem verbo Dei; Græcè cùm crediderint. Metus diaboli est, ne, si diutiùs sinatur verbum Dei duro cordi superjacere, tandem suo pondere perfringat duritiem, illoque intra cor suscepto.

Salvi fiant, ad pœnitentiam, justitiam, Dei regnum, denique et salutem æternam, adducantur. Fidei tribuitur salus, ut cæterarum omnium virtutum radici.

Vers. 13. — Nam qui supra petram; ad verbum :

plicii meritoriam, alios non causam finalem, sed eventum exprimere, quasi dicerent : Ex quo fiet, ut videntes adhuc minùs videant. Quanquàm non desint, qui etiam finem significari velint. Sicut enim verum est Deum quosdam propter peccata velle damnare, et reipsà damnando nolle etiam ut salvi fiant; ita etiam verum est propter peccata quibusdam obscurè loqui, ne Dei mysteria intelligant. Idque in quibusdam, quia non vult illis dare gratiam convertendi, atque ita eos converti, et salvos fieri, quos justo judicio jam ad interitum mox inferendum adjudicavit; in quibusdam verò, ut salvi fiant. Nam aliquibus, per misericordiam Dei, ipsa cæcitas in salutis occasionem vertitur, ut scilicet quemadmodùm ait August., quæst. 14 super Matth., cæcitate suâ sibi displicentes, et se dolentes, atque ex hoc humiliati, ad confitenda peccata converterentur, veniamque mererentur; sicut nonnullis usque ad deicidium excæcatis post passionem contigit. Quorumdam enim superbia debet ipsâ cæcitate, et peccatis inde consequentibus, edomari et frangi.

Vers. 12. — Secus viam, portio illa terræ, juxta viam publicam sita, et pedibus prætereuntium calcata atque indurata. Significat homines qui non curant intelligere seu non meditantur verbum; cor illorum est instar viæ publicæ peccandi consuetudine induratum, nullo fructificandi desiderio velut aratro scissum ac præparatum, ideòque semen verbi Dei auribus, non animo recipiens. Diabolus, immutabiliter malus, per volucres cœli aptè significatur, tum propter locum, in quo versatur, tum propter velocitatem, superbiam, et perpetuam sedulitatem, quâ insidiatur semini. Et tollit, procuratâ oblivione, vel detorto in alias curas animo.

Vers. 13. — Qui supra petram est, id est, qui significantur per terram inter petras excipientem se-

Qui autem super petram, scilicet seminati sunt, hi sunt.

Cum gaudio. Mirâ alacritate exsultant ob Evangelium sibi revelatum, delectati illius pulchritudine, illius luce, rectitudine et utilitate, quòd hominem et justum reddat, et ad æternam adducat salutem. Hujusmodi gaudium solidè conceperat ille, Psal. 18, v. 9 : *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda,* etc.

Suscipiunt, in cor recipiunt, mente concipiunt, considerant, probant. Adde (nam et hoc intelligitur) quo fit ut Evangelio credant, et fidei quædam opera edant; illud enim mox germinat fidem, et in bona quædam fidei specimina tanquàm herbam erumpit, perfusum gaudio et affectum fervore illo quo exceptum est.

Radices. Non habent cor aptum in quod verbum radices agere queat, quia petrosum seu lapidosum est. Non prorsùs est durum instar tritæ et callosæ viæ, habet aliquid terræ mollis ac bonæ ejusque aratro proscissæ, sed raræ ejusque mixtæ silicibus et lapillis; id est, habet aliquid bonitatis et integritatis, habet desideria quædam bona et affectiones pias, sed majorem cordis partem occupantibus inveteratis vitæ prioris affectibus; unde fit ut nequeat semen vitæ cor totum solidè penetrare, et radices stabilis pietatis constantisque propositi agere. Hoc autem cùm nequeat, sursùm præcociter erumpit in herbam, fidem, inquam, et fidei quædam opera; sed quia in intimos affectus radicem non egit, quæ ex profundiore corde vitalem succum et perennem sancti Spiritûs humorem suggerat; quia non penitùs auditor ille imbibit nec seriò imbutus est veræ pietatis affectu; quia non certo ac firmo consilio constituit sibi summum bonum in regno verbi adipiscendo; fidei non suppetit continuus humor ad perseverantiam. Huic igitur auditori deest, *in fide charitateque,* ut Apostolus loquitur Ephes. 3, v. 17, *radicatum ac fundatum esse.*

Ad tempus aliquod, rebus prosperè succedentibus, credunt, verâ Evangelii fide præditi sunt, et præditos se esse factis quibusdam probant; quanquàm hujusmodi fides non sit quæ solidum collegerit robur; quemadmodùm verum est germen, et verum germinis indicium herba, quæ ex semine in petrosa jacto nascuntur; tenella licèt sint.

Tentationis, persecutionis seu tribulationis propter verbi observationem exortæ; quæ idcircò *tentatio* dicitur, quòd ab hominibus quidem excitetur ut ad peccatum adducant, abstrahant à verbi observatione; à Deo autem permittatur, ad examinationem et periculum faciendum de iis qui verbi professionem amplexi sunt, an solidis fidei et charitatis fundamentis innitantur. Vide infra, 11, v. 4.

Recedunt à fide aut fidei professione, atque adeò ab exercitationibus et documentis iis quæ ex verbi præscripto iniri et præstari debent. Tentatio manifestum facit quàm fuerint isti tenellâ fide præditi; ut enim solis æstus segetes radicatas perficit, non radicatas exurit; ita tentatio firmos roborat magis, infirmos dejicit. Quisquis ergo ferre non potest adversa, quæcumque propter fidem ferenda occurrunt, non perveniet ad evangelicam frugem; sed neque pervenisset iste, etsi nulla adversitas orta fuisset, ut nec semen inter petras germinans, etsi sol non efferbuisset; verùm tribulatio manifestum eum fecit, ut fervor solis germen illud præcox. Ab hujusmodi igitur auditore exceptum verbi semen, præbuit quidem spem aliquam fructûs, sed auditoris vitio in primâ herbâ aruit.

Vers. 14.— Quod autem, illud autem semen quod in terram spinarum feracem cecidit, significat eos qui

Audierunt, sedulò, et conceperunt mente, considerârunt, probârunt, piis desideriis Deum quæsierunt, ut culti aratro; vacuos se præbent vitæ prioris affectibus, tanquàm petris. His itaque nihil deest in partibus terræ bonæ, nisi id quod sequitur, videlicet, quòd spinarum cùm sint feraces, non resecent enascentes unà cum verbo spinas. Et quidem si spinarum tantùm esset ferax homo hujusmodi, non ideò vitiosæ terræ compararetur (nam et optimi quique, qui bonæ terræ comparantur, sunt hujusmodi); sed quia ita est ferax, ut etiam ferat, quia non exstirpat, aut saltem resecat, enascentes spinas, id vitium est, et fructuum impeditivum. Itaque cùm in hunc jacitur semen verbi, fieri potest ut nihil sit in eo vitii, nam et idcircò germinat, radices agit, excrescit in herbam et culmum : sed admittitur vitium antequàm maturescat.

Divitiis, præsertim sollicitudine acquirendarum aut conservandarum divitiarum seductricum. Seductrices

men, eo sensu quo versu præcedente. Suscipiunt cum gaudio, id est, mox ut audiverunt prædicationem, delectati illius veritate, pulchritudine, rectitudine, in animum recipiunt, probant, credunt, et in opera nonnulla velut herbam erumpunt. Radices, id est, profundum et constans propositum, quod Apostolus ad Ephes. 3, v. 17, vocat *non esse in charitate radicatum et fundatum;* quod optimè significatum fuit semine non habente terram multam, seu quod intùs latentibus petris solâ superficie terræ tegebatur. Nam illa affectio pietatis superficialis est, neque intima cordis ipsius penetralia seu affectus mutati sunt, sed instar saxorum duri manent, et ideò *est temporalis,* id est, ut Lucas, *ad tempus* credit, quamdiù scilicet nihil eorum tangitur quæ inveteratis et intimis illis ac profundis cordis affectibus diligit. Unde in tempore tentationis, id est, propter fidei vel justitiæ professionem, veluti ad æstum solis humore consumpto, *recedit,* id est, etiam solo timore amittendi quæ diligit offenditur, ac deserit fidem aut justitiam. Nam ut æstus solis herbas humore et radicibus destitutas enecat, radicatas maximè promovet, ita persecutio infirmos dejicit, firmos perficit.

Vers. 14. — Quod autem in spinas, id est, terrâ spinosâ figuratum, in quibus ex parte terræ nihil deerat; neque enim vel prorsùs indurati erant, sicuti primi; neque prioris vitæ vitiis tanquàm petris pleni, ut secundi. Audierunt; supple, et intellexerunt, atque in animum immiserunt, ut profundas radices agant. Præferuntur enim hi præcedentibus, neque germinatio, aut radicatio, aut culmus aliquis, sed solus eis fructus deest. Sollicitudinibus. Sub his comprehenditur quidquid anxii homines in hoc mundo quasi innocenter consectantur, præter regnum Dei, ut honores, splendores familiæ, lites pro temporalibus, voluntates, etiam divitiæ, fallaces et sedu-

autem dicuntur, quia cùm expetantur et amentur plurimùm, tum ut necessariæ, tum ut utiles, facilè abducunt hominem à recto, sive ut comparentur, sive ut conserventur. *Qui volunt divites fieri,* inquit Apostolus, *incidunt,* etc., 1 Tim. 6, v. 9, 10.

Euntes, conversantes, ut exponit Euthymius : id est, dùm in quotidianâ vitæ conversatione animum his plus æquo applicant.

Suffocantur. Dùm sinit homo hujusmodi sollicitudines liberiùs crescere, dùm non exstirpat illas, aut resecat saltem, et modum illis ponit; celeriùs, ut solent lolia, assurgunt quàm bonum verbi semen, quod simul quidem, sed tardiùs excrescit, et tanquàm spinæ in longum ac latum se condensantes, sibique invicem cohærentes atque implexæ (una enim aliam parit) lætam alioqui segetem, è verbo inter ipsas enascentem, dùm in culmos assurgit, opprimunt, ita ut nequeat emergere. Tanta crescit hæretque animo sollicitudo de his quæ sunt mundi, ut obruatur tandem atque extinguatur conatus, cura, et affectus omnis vitæ melioris, tametsi is et in cor radices egerit et foràs in plura opera bona excreverit. Ut porrò sollicitudo de his quæ sunt Dei, hominis mentem colligit, sanat, serenat, ita è contra, sollicitudo de his quæ sunt mundi, instar spinarum, lacerat sive distrahit, vulnerat, turbat. Verbum suffocatur, quod et ipsum animo ab eis conceptum assurgebat in spicam, et vitam illis salutemque proximè pollicebatur. Suffocatur autem tanquàm à spinis oppressum : non enim sollicitudines solùm, sed et voluptates mundi hujus, veræ spinæ sunt, inutiles, infructuosæ, damnosæ; si non aliter, aculeo quem infixum relinquunt, animum mordentes ac lacerantes : quæ si tempori non resecentur, usque adeò invalescunt, ut omne semen vitæ obruant.

Referunt fructum, τελεσφοροῦσι fructum perferunt, verbum compositum à τέλεος quod est perfectus et φέρω, declarans fructum perfectum et absolutum ferre, id est, eò usque ut maturuerit. Non parùm profecerat in his Dei verbum, sed impeditum est à maturitate, à fructuum consummatione. In tertio hoc auditorum genere, ampliùs profecit verbum quàm in primo aut secundo, sed et hìc tamen auditorum culpâ præpeditur ne fructum nativum assequatur.

Vers. 15. — Terram, scilicet cecidit.

In corde; superest Latinè præpositio *in*.

Bono et optimo, bono, imò optimo, id est, valdè seu egregiè bono. Græcè est καλῇ καὶ ἀγαθῇ, quod κατὰ πόδα vertas, *pulchro et bono*, sive honesto et bono; illud autem est, quod non modò videri bonum, verùm etiam reipsà esse studeat (ut καλός ad externam vitæ speciem, ἀγαθός ad animi virtutes referatur); quod prorsùs desideret proficere, et se re ipsâ, proximos exemplo ædificare. Nam cùm alia sint externa, fortunæ scilicet (ut vocant) et corporis, alia verò animi bona, hominem utrisque ornatum Græci καλὸν κ' ἀγαθόν dicunt; quamvis τὸ καλόν interdùm latiùs pateat. Hoc itaque epitheto distinguitur quartum istud auditorum genus à tribus superioribus, quorum primum nec externa curat nec interna, secundum et tertium externam quamdam speciem fructûs præ se ferunt initio, sed ad bonam frugem non perveniunt : de quibus etiam exstat proverbium, inutilem esse pulchritudinem absque bonitate.

Audientes, Græcè, cùm audierint.

Retinent, intellectum ac susceptum, quibus verbis priores evangelistæ utuntur. Manifestum est igitur ex Evangeliis ipsis tria ista jungenda, intelligere, suscipere et retinere. *Retinent* autem, id est, cordi infixum servant; mentem ac sensum verbi Dei, id quod docetur verbo Dei, sic cordi infixum tenent, ut per gratiam Dei abeat quodammodò in ipsam naturam, jactis vivis radicibus ita ut nullâ tentatione queat evelli. Nam et hoc indicatur retinendi voce, non absque luctâ et certamine bonum istud semen asservari, carne scilicet et diabolo agentibus ut ex animo evellant illud et à fructu impediant.

Et fructum afferunt. Sensus est : Et ita se comparant omni ex parte ut etiam fructum ferant. Quâ parte distinguitur quartus iste auditorum ordo, ab omnibus quidem tribus præcedentibus, sed signanter à tertio, qui, cùm sit proximus ferendo fructui, excidit tamen à fructu, quòd non omni ex parte sibi intendat, quòd curam non adhibeat resecandi assurgentes spinas. Quartus itaque hic ordo, terræ bonæ comparatur, id est, præparatæ, ita ut ex concepto verbo fructum queat producere; non enim durus et incultus est, ut primus ille ordo, aut certè si fuerat, esse desiit; nec temporarius et inconstans, ut secundus; nec denique negligens suî, ut tertius; sed contrariis præditus virtutibus, idoneus est multiplici fructui ex audito verbo ferendo. Cæterùm aptitudinem seu præparationem hanc ex se suâque naturâ non habet, *sed sufficientia ejus ex Deo est,* 2 Cor. 3, v. 5, non minùs quàm incrementum et fructus. Fructum itaque hic affert et edit maturum, perfectum et absolutum; non ita reliqui. Primò enim perit verbi semen, nihil in eo operatur; in secundo germinat et præcociter erumpit in herbam, fidem producit et opera quædam bona viridis fidei specimina : in tertio etiam radicem agit firmi consilii, et assurgit in culmum spei, complura edens bonorum operum exempla. Quartus hic solus culmen imponit, spicas granis gravidas reddit et maturitate perficit, operum bonorum copiam accumulat et charitate absolvit : atque hic demùm est maturus et perfectus fructus verbi regni, opus, in-

ctrices divitiæ, quæ blandâ spe promittunt id quod præstare non possunt, quietam scilicet beatitudinem, cùm tamen curis in acquirendo et conservando præsentem maximè turbent, futuram plerùmque auferant. Porrò hæc omnia spinæ sunt, quia sollicitudo rerum divinarum delinit animam, serenat, colligit. *Suffocat verbum,* quia totus affectus, vigor et conatus animæ in illâ derivatur, et ita obruitur atque extinguitur affectus vitæ melioris.

Vers. 15. — In bonam terram. *Bonam* vocat non naturâ tantùm, sed et cultu; id est, quæ et pinguis, et aratro subacta, et petris spinisque purgata est.

quam, bonum, ut ex fide et spe, ita et ex charitate promanans. Semen tritici fert grana suæ naturæ ac speciei; verbum regni producit quod in se habet, docet et tradit, opera scilicet bona regno digna, id est, cum fide, spe, et charitate conjuncta; ex fide pullulantia, spe in Deum erecta, charitate perfecta; his enim solis fit ut Deus in nobis regnet, his solis reddimur filii præsentis regni et hæredes futuri. Sunt et opera bona quæ charitas non informat, quæ et ipsa ex verbo nascuntur (id enim videre licuit in secundo et tertio auditorum generibus), sed germina sunt; herba, culmus, fructus non sunt, aut certè imperfecti minimèque maturi, nec satis digni proindè Deo regnante, neque meritorii æterni regni. Quæritur an hoc quartum auditorum genus, certum de salute sit, nec possit tribulationibus superari, ut secundum genus, aut regno quâvis ratione excidere? Certum est quidem superari posse, et salute excidere (nam et maturam messem contingit perire ita ut in horreum non colligatur); hinc enim monentur singuli, *tenere quod habent, ne alius accipiat coronam ipsorum,* Apoc. 3, v. 11, denique *cum metu et tremore salutem suam operari,* Philip. 2, v. 12; sed rariùs id accidit, eò quòd sint hujusmodi *in fide et charitate fundati, ac radicati, corroboratique virtute in interiorem hominem,* ut Apostolus loquitur, Ephes. 3, v. 16, 17. Illud porrò secundum auditorum genus eo modo se habet, quo non possit consistere, et adversùs tentationes maximè, tenellum, absque radice, etc.

In, cum, patientia. Suffulti patientiâ sive constanti malorum tolerantiâ cum exspectatione meliorum : id enim est ὑπομονή; vide infra 21, v. 19. Terra excepto semine gravida, priusquàm fructum producat, multa patiatur necesse est tam hiemis quàm æstatis incommoda : ita auditor verbi, qui quidem fructum edit, multa constans tolerat à visibilibus et invisibilibus inimicis, verbi ejusque fructûs osoribus (*omnes enim qui piè volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur,* 2 Tim. 3, v. 12), animum accipiens ex consideratione exspectationeque instantis messis, quando, fructibus in manipulos collectis, dives virtutum operumque sanctorum, intrabit in gaudium Domini sui.

Vers. 16. — Nemo autem, q. d. : Sed ne quod dixi, vobis datum esse nôsse mysteria regni Dei, cæteris autem non nisi in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant, ita interpretemini, quasi velim parabolas meas et regni Dei mysteria, populo nunquàm explicari, semperque manere occulta; scitis quid sibi velit vulgare illud dictum : *Nemo accendens lucernam,* etc., quod ut est rationi maximè consonum, ita hâc quoque in re, in doctrinâ, inquam, meâ, locum habere existimare debetis.

Accendens, Græcè, postquàm accenderit, scilicet vesperi aut noctu.

Subtus, adverbium positum pro præpositione *subter.*

Supra, pro, *super.*

Ut intrantes, ut ii qui intrant sive domum sive cubiculum, ubi candela imposita candelabro constituta est, videant lumen, eoque illustrati juventur ad agenda ea quæ ipsis incumbunt. Hoc eodem proverbio usus est Dominus, Matth. 5, v. 15, et Marci 4, v. 21 (sæpiùs enim eo usus est, pro loco, et ut se docendi materia offerebat, quod diximus), quibus locis à nobis expositum est, eo sensu in quem fuerat illùc à Domino allatum. Hùc verò in hunc sensum affertur, ut discipulos suos doceat non esse suæ mentis ut parabolæ et mysteria regni Dei, quæ ipse obscura Judæis non intelligentibus proposuerat, privatim autem discipulis jam explicuerat, remaneant occulta et obscura, ita ut non majorem homines ex eis fructum accipiant, quàm Judæi isti, qui audientes non audierant, etc., sed ut aliquando, omnibus exposita ac manifesta, utilissimum doctrinæ lumen mundo universo præbeant; q. d. : Sicut non fiunt lucernæ eo fine, ut accensæ occultentur, sed ut lumen præbeant præsentibus omnibus, manifesto candelabro impositæ : ita parabolæ istæ non sunt à me conditæ eo fine, ut quæ eis continentur mysteria regni cœlorum, maneant occulta, nec intelligantur ab hominibus, sed ut, quemadmodùm à me vobis sunt explicata, ita toti mundo proposita et exposita, doctrinam hominibus præbeant maximè utilem ac salutarem, quâ tanquàm lumine illustrati, optimè se gerant et felicissimè peragant quæ ipsis agenda sunt.

Vers. 17. — Non est, nullum est.

Quod non manifestetur, id est, quod non sit manifestandum.

In palam, in manifestum, in publicum *veniat,* venturum sit, præsertim si rectè factum fuerit; nam si malè, etsi non ex mente ejus qui fecit, tamen ex ordinatione divinæ Providentiæ, factum est ut aliquando publicetur. Bimembris sententia, idem eodem sensu repetens. Proverbium Salvator proverbio accumulat, quo alibi quidem aliis occasionibus est usus, hìc verò, ut id quod mox dixerat confirmet, parabolas à se Judæis non intelligentibus propositas, et discipulis duntaxat privatim edissertas, non remansuras occultas, ita ut mysteria regni Dei eis contenta à nemine aut certè à paucis intelligantur, sed ita publicas et apertas futuras, ut nemo non eas et intelligat et usurpet. Quia si omne occultum, sive bonum sive malum, suo tempore est manifestandum, profectò et harum parabolarum intelligentia, optima illa atque utilissima, in lucem tandem est proditura; quemadmodùm et Paulus dicit, Evangelii mysterium, æternis temporibus tacitum, in hoc divinitùs ordinatum fuisse, ut suo tempore revelaretur, et patefieret cunctis gentibus, Rom. 16, v. 25, 26. Est igitur sententia Salvatoris : Nunc quidem multa celamus multitudinem, vel quia non est idonea, vel quia tempus nondùm advenit; verùm ubi tempus advenerit, nihil est inter nos tam absconditum, quod tunc non sit patefaciendum, neque quidquam tam arcanum quod non sit palàm omnibus prædicandum. Quare alibi Dominus proverbio huic à se adducto subjungit : *Quod dico vobis in tenebris,*

dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta, Matth. 10, v. 27. Admonet inprimis discipulos suos, ut ea quæ dixerat de parabolis suis in lucem proferendis, mente retineant, eo fine, ut cùm id viderint reipsà factum per ipsorummet prædicationem, animadvertant quàm vera fuerit præceptoris prædictio. Admonet deinde etiam non minùs nos, qui post, adeòque post tot annorum centurias, visuri eramus nostris oculis veritatem dominicæ hujus prophetiæ, quì parabolæ istæ etiamnùm celebrentur publicè et collaudentur, atque ex mente Domini clarissimè simul et utilissimè in Ecclesiâ ipsius explicentur. Quare rectè hìc scribit Victor Antiochenus : « Ubi nunc sunt, qui Christi virtutem elevant, fidemque eidem habere recusant? Audiant hæc, et oraculi vim admirati, Domini virtutem adorent. Nam « ut hoc fiat, auditorum attentionem excitat, subdit « enim : *Si quis habet aures audiendi, audiat.* » Quæ ultima verba Jesus immediatè subdit, secundùm Marcum.

Vers. 18. — Ergo. Quia *ergo* vos ii esse debetis, per quos doctrina mea omni mundo publicetur; ad hoc enim vos elegi; videte quomodo audiatis doctrinam meam, animum advertite et satagite ut eam intelligatis, et intellectam memoriâ retineatis, denique ex retentâ fructum vobis aliisque procreetis, cùm hujus seculi tum futuri. Attendite ad ea omnia quæ à me auditis, parabolas earumque explicationem et cætera quæ à me docemini : *Nullum ex dictis meis vos fugiat,* ait Theophylactus. Prædixerat sua omnia in lucem suo tempore proferenda ac divulganda; et quia mens ipsius erat ut hoc fieret per ipsius discipulos, seriò admonet eos ut doctrinam ipsius attentis animis quàm diligentissimè audiant, tum ut rectè intellectam docere queant, illam ipsam, nihilque aliud ab eâ, tum ut memoriâ complexi omnia, nihil omittant eorum quæ didicerint. *Instanter nos docet,* inquit Beda, *verbo auscultare, quatenùs et nostro illud pectore continuè ruminare, et alieno ructare sufficiamus auditui.* Quanquàm conjunctivus, *audiatis,* Latinior sit, indicativus tamen *auditis,* est in optimis quibusque manuscriptis, Græco conformiter. Porrò *quomodo* non est hìc mutandum cum *quid :* hoc enim Marci, illud Lucæ est.

Qui enim, quicumque enim, habet doctrinæ meæ cognitionem et lucrum ex eâ in se aliisque, tum hujus vitæ tum futuræ, dabitur illi etiam ampliùs et inter alia auctior etiam beatitudinis gradus quàm promeritus fuerat. Vulgare proverbium est, et quidem verissimum, ditioribus dari, pauperibus auferri. Id ut vulgò locum habet, ita, inquit Salvator, habet et in regno cœlorum meo. Vos multis hactenùs donis cumulati estis, vocatione consuetudineque Filii Dei, fide, obedientiâ, animi simplicitate, vitæ integritate, recto sensuum usu, aurium ad audiendum Dei verbum, etc. Additur his cognitio mysteriorum regni, quæ est scientia vitæ : quin etiam alia longè et plura et majora addentur. *Ei enim qui habet,* scilicet quod debet; quem à se electum semel cœpit Deus Pater formare suisque ornare beneficiis.

Dabitur ei; illum magis ac magis assiduè exornabit. Et id quidem continuum ad perfectionem usque : nec cessabitur à largitate donec cumulatissimè abundet, donec beneficentiam suam Deus ad cumulum usque erga eum compleverit. Quasi enim Deum suæ liberalitatis intuitus ad continuum largitatis fluxum provocat; et sicut inexhaustæ sunt ejus divitiæ, ita in filiis suis locupletandis nunquàm fatigatur. Nonne hoc jam cernere est in apostolis completum, cæterisque quos ad se Deus accepit electis, quos tanquàm per gradus et incrementa paulatim provexit (non enim primo die perfectos reddidit), donec tandem expolierit in summam perfectionem? Et nos igitur, quoties altiùs provehimur, meminerimus, quidquid nobis quotidie beneficiorum accedit, ex illo fonte manare, quòd liberalitas Dei inchoatum nostræ salutis opus velit absolvere.

Quicumque non habet, scilicet quod debet; quem à se reprobatum permittit Pater sibi, relinquit eo statu quo est, nullis exornat donis quibus salus ipsius æterna promoveatur, quibus justus Deoque acceptus reddatur, aut si quibus, ad quoddam duntaxat tempus continuat ei influxum gratiæ suæ.

Quod putat se habere, *quod videtur habere,* quo modo vertit Interpres Matthæi, 25, v. 19, et quidem rectiùs; *putat* enim unicum sensum admittit, *videtur* autem plures. *Videtur,* sive sibi, sive aliis, sive utrisque. Non solùm nihil dabitur, verùm etiam id quod habet donorum sive gratiæ sive naturæ, auferetur ei. Aliquando accidit ut præclaris etiam dotibus excellant reprobi, imò ad tempus quoddam justi sint et Deo placeant; sed nec potest homo subsistere, nisi plurimis Dei donis fultus. Cæterùm, ut id quod ad breve tempus est, vix esse censetur, ita quamdiù non habet homo hujusmodi dona quibus Deo placeat, nihil habere judicatur : reliqua enim nihili reputantur à Deo, nihil est solidum, evanidum est omne, quando animus veræ pietatis vacuus est, quantus quantus foris fulgeat splendor. Idcircò Salvator *non habet,* dicit et *habet.*

Auferetur ab illo. Sic ab hâc turbâ, ab hoc populo, non habente fructum regni Dei, auferetur regnum Dei quo hactenùs gloriatur. Non habenti rectum sensuum facultatumque naturæ usum, usum aurium ad audiendum Dei verbum, etc., non solùm

Vers. 18. — Qui enim habet id quod habere debet, sive fidem, sive discendi studium, sive obedientiam, sive bonum usum donorum Dei (generalis est enim hæc sententia), dabitur illi, magis atque magis, ita ut continuis donorum incrementis ad summam perfectionem perducatur. Reverà enim sic Deus non modò cum apostolis, sed cum omnibus electis agit, ut paulatim eos, jam benè utentes primis donis, continuâ beneficentiâ cumulet. E contrario autem, quicumque non habet id quod habendum est, ut supra dictum est, etiam si quid habet reliquum, eò quoque in pœnam privabitur, sicut videmus hoc Christum exponere Matth., c. 25, v. 28 et 29. Sæpiùs est enim usus hâc sententiâ, utpote proverbiali, et

non datur mysteriorum regni cognitio, verùm etiam omnis usus sensusque et facultates ipsæ auferuntur, ita ut, cùm audire se aliquid existimârit quod ad rem faciat, nihil tamen audierit; cùm videre, nihil viderit. Namque audire et non intelligere quæ audias, perindè tibi fuerit ac si surdus esses : audis sonum verborum, sed significationem, nisi pro concupiscentiis tuis faciat, non magis intelligis, non magis te afficit aut movet, quàm jumentum. Ergo sensus naturalis humanus quem habebas, quoque uti poteras, versus est tibi in bruti sensum : unde jam devenitur ad incrassationem cordis, hebetationem sensuum, atque omninò ad vitæ animæque usum longè minorem quàm natura humana sortita sit. Auferuntur igitur reprobis si quæ sunt illis Dei dona, frequenter hâc in vitâ, sive omnia sive aliqua, semper verò omnia in alterâ vitâ. Hâc in vitâ dona gratiæ auferuntur, quia charitas reprobis vel tandem extinguitur, si quidem habent; quâ extinctâ, fides mortua est, reliquaque omnia otiosa et sine fructu. Donorum autem naturæ humanus sæpè illis usus aufertur, dùm ingenio et sensibus ad nihil aliud utuntur, quàm ad quod bestiæ, ad edendum, inquam, bibendum, subandum et cæteras corporis voluptates. In alterâ vitâ, omnia omninò gratiæ dona, quibus nondùm privati prorsùs fuerint, tollentur ab eis; fides, spes, scientia, et quidquid est cæterorum; nec relinquentur eis naturæ dona, nisi quatenùs facient ad subeundam pœnam eam quam Dei judicio promeruerint. Contrariâ igitur ratione quàm electi, in deterius semper ruunt reprobi, donec prorsùs exinaniti in suâ inopiâ extabescant.

Vers. 19.—Ad illum, concionantem quodam tempore domi suæ, seu in hospitio suo in Capharnaum.

Fratres, scilicet cognatione, ut docet B. Hieronymus contra Helvidium, fratres patrueles, nepotes Joseph ex Mariâ Cleophæ sorore aliisque fratribus aut sororibus. Mariam enim matrem Domini, putamus unigenitam fuisse. Obtinuit usus Hebraici Syriacique sermonis, ut nomen fratrum propinquos significet, eosque omnes qui de unâ familiâ sunt, Gen. 13, v. 8, et 14, v. 14, et 20, v. 12, et 29, v. 15, et aliis locis à B. Hieronymo adductis.

Adire, convenire, Syrus *loqui cum eo,* id est, agere cum eo.

Præ turba, propter turbam, tum propter densitatem, tum propter præsentiam turbæ.

Vers. 20. — Et nuntiatum est illi : Sequitur Græcè, dicentibus, scilicet nonnullis.

Volentes te videre, invisentes te et expetentes copiam tuî. Advenerant ex Nazareth. Id prætexebant fratres, quod haberent de quo cum illo loquerentur; at propositum illis erat manus in prodeuntem foràs injicere, et ab officio abstractum domum secum in Nazareth abducere, atque illìc continere, quòd dicerent eum *in furorem versum esse,* ut narrat Marcus cap. 3, v. 21. *Neque enim fratres ejus credebant in eum,* Joan. 7, v. 5. Majoris autem auctoritatis causâ matrem ejus adduxerant, quam quidem celaverant consilium suum; quanquàm et illa, cùm magnâ teneretur sollicitudine de filio, quem intelligebat multorum odiis insidiisque expositum, lubens inviseret eum, nepotum comitatu se offerente.

Vers. 21. — Hi, οὗτοι, isti; discipuli mei et alii his similes; extendebat enim manum in discipulos, Matthæo teste. Hi sunt quos matris et fratrum loco hìc agnosco, quorum salutis negotium ago, et tam præfero humanis parentum sive affectibus sive negotiis, quàm solent homines his alia omnia postponere.

Qui, seu quia.

Audiunt, ut sciant. Commendat auditum, sine quo Dei verbum à plerisque vel non cognoscitur, vel non recolitur memoriâ, vel non amatur ita ut *faciant*, id est, observent et opere impleant. Qui facit voluntatem Patris mei ille à me agnoscitur et frater et soror et mater; ille horum simul omnium mihi instar est : tam est mihi unus ille, propinquus et charus, quàm sunt homini frater, soror, et mater, personæ homini omnium et conjunctissimæ et amabilissimæ. Propinquus est autem, non carne quidem, sed spiritu; verùm spiritus quantò carne præstantior est, tantò mihi ille quàm hi magis est curæ. Quocirca, dùm illi erudiendo ac formando, multisque fratribus ac necessariis ad regnum Dei parandis atque instruendis, qui quidem Deo Patri filii, mihi autem fratres cohæredes fiant, incumbo; longè abest ut, negotio hoc omnium maximi momenti, quod à Patre mihi injunctum est, relicto, ad ea me convertam quæ mater et fratres carne proponere desiderant. Loquitur Salvator juxta

vulgi non solùm sermone, sed et usu agendi tritâ. Verissimum est enim ditioribus magis dari, pauperibus semper auferri.

Vers. 19. — Fratres dicuntur hìc non naturâ, quia nullos habuit, nec gente, quia sic omnes Judæi astantes fratres erant, nec ex primâ uxore Joseph, ut quidam Græci putaverunt; sed cognatione, quia de unâ familiâ; sicut Abraham et Loth dicuntur fratres, Gen. 13, v. 3; et Sara dicitur soror Abraham, Genes. 20, v. 12. Unde Matth., c. 15, v. 55, Jacobus et Joseph, Simon et Judas dicuntur fratres ejus, cùm tamen Jacobus et Joseph essent filii Mariæ Cleophæ, ut patet Matthæi 27, v. 56, collatio cum Joan., 19, v. 25.

Vers. 20. —Volentes te videre. Quæ causa fuerit tam importunæ interpellationis alii aliam conjectant : Chrysost. ac Theophyl. vanitatem, ut scilicet tanti viri viderentur cognati; auctor Imperfecti instinctum diaboli, ne Christus visis carnalibus fratribus crederetur Deus; recentiores, ut caperent eum tanquàm in furorem versum. Sed omnia ista à pietate saltem matris ejus aliena sunt. Importunitas interpellationis potiùs suadet fuisse sollicitudinem de salute ejus, ut vel indicarent ei consilium inimicorum de perdendo eo, vel ut specie evocationis elaberetur, ne in ipsâ apprehenderetur concione. Et hinc est quod potiùs evocant eum per aliquem quem submiserant, ut Marcus narrat, quàm quòd aliquis eorum conaretur intrare.

Vers. 21. — Mater mea, etc., non quòd fastidiret matrem, aut puderet eum cognationis suæ, sed, ut Ambr. quòd paternis se ministeriis ampliùs quàm maternis affectibus, debere cognosceret. Cœlestia enim negotia carnis et sanguinis affectui præferenda

opinionem auditorum, existimantium parentes invisere illum, velleque eum conventum de rebus aliquibus familiaribus; cæteroqui non ignorabat ipse consilium fratrum suorum. Hìc itaque Christus, carnis et sanguinis propinquitatem extenuans, et spiritali cognationi longè postponens, discipulos suos omnes in eum honoris gradum recipit, in quem homines eos qui ipsis inter consanguineos primi sunt, imò in matris et fratrum illos locum substituit. Detestanda est igitur nostra ingratitudo, nisi posthabitis omnibus carnis votis, Christo adhæreamus. Pendet autem hæc sententia ex Christi officio; significat enim non paucis quibusdam à Patre se datum esse, consanguineis, inquam, et agnatis, sed multis, quos eò adducat ut voluntatem Patris faciant, et illius filii, ipsius verò Christi fratres fiant, eâ nativitate quæ ex Deo est, Joan. 1, v. 13. Porrò non hìc Jesus Mariam discipulis suis posthabet; sed considerans matrem ex solâ carne, uti homines solent, spiritalis cognationis vinculum, quod ex mandatorum Dei observatione nascitur, sanctius habet. Cæterùm, ut, si quæ laus matribus jure accedit ex præstantiâ filiorum quos in lucem ediderunt, Maria omnes excellit, quæ orbi terrarum Filium Dei, omnium Salvatorem, virgo peperit; ita quidquid veræ laudis, quidquid perfectionis, quidquid spiritalis cum Christo cognationis aut prærogativæ, ii assequuntur qui faciunt voluntatem Patris cœlestis; Maria omnes longè superat, quæ omnium et accuratissimè et absolutissimè Dei Patris voluntatem implevit.

Vers. 22. — In una dierum, quodam die.

Et ipse, cùm ipse, vel quòd ipse.

In naviculam, Græcè navim, navigium. Interpres ferè vertit diminutivum, *naviculam*, tanquàm si esset in textu Græco, quòd persuaserit sibi, id quod facilè creditu est, non admodùm magna navigia fuisse, quòd ferè soleat parvorum, sive ad trajectum, sive ad piscationem, usus esse. Naviculam autem verisimile est conductam fuisse.

Transfretemus trans stagnum. Græcè, *transeamus in ulteriora stagni*, in ulteriorem ripam lacûs Genezareth.

Et ascenderunt, Græcè, et provecti sunt, scilicet in altum.

Vers. 23. — Obdormivit. Non hoc est cœpit dormire (videtur enim, ex Marco, dormivisse priusquàm proveherent), sed Græcum ampliùs quiddam significat quàm dormire, altum nimirùm profundumque soporem dormivit. Non fingebat somnum, sed verè somnum capiebat, spontè tamen; ut non poterat invitus somno opprimi; partim pro naturæ diurnis laboribus fessæ recreatione, partim ut retegeretur quæ latebat fidei discipulorum exiguitas. Nam si vigilâsset, parùm aut nil timuissent, confisi in carnali magistri vigilantis præsentiâ, in quâ toti defixi erant.

Descendit, aquæ enim, et terrâ proximâ, et aere, quo in venti nascuntur, humiliores sunt.

Stagnum vocat, quod Matthæus et Marcus *mare*.

Complebantur, scilicet fluctibus, catachresis. Non enim discipuli, sed navis complebatur. His verbis licèt paucissimis atram cœli intemperiem, ventorum furentes flatus, et fluctuum undique se in altum extollentium, magnoque cum fragore invicem se collidentium, tantùmque non naviculam undis implentium, ac mergentium, furorem, naviculæ denique afflictissimam jactationem, comprehendit.

Vers. 24. — Accedentes. Agunt ipsi donec extremum discrimen urgeat; tunc eos consternat immodicus timor, nec putant se fore salvos nisi expergefiat Christus.

Præceptor; vide supra, 5, v. 5. Multi porrò Græci codices cum Syricis, geminant hoc verbum, quo altus Christi somnus, et confusa discipulorum trepidatio significatur.

Perimus, nisi tu nos adjuves, præsentis est temporis. Pia, uti videtur, precatio eatenùs ex fide profecta, quatenùs ad Christum opis gratiâ confugiunt; sed ex infidelitate, quòd existiment dormientem nullam gerere ipsorum curam, ut cæteri homines dormientes nullam gerunt alicujus rei curam; aut juvari et servari se à dormiente non posse: sic enim eorum verba hìc intelligenda, ex Marco perspicuum est. Effecit porrò magna ista animi apostolorum consternatio, ut miraculi magnitudo appareret, ejusdemque memoria pectoribus diutiùs inhæreret.

Increpavit. Eadem est vox quæ apud priores evangelistas, de quâ superiùs egimus.

Tempestatem, fluctuationem.

sunt. Unde spiritalem discipulorum cognationem carnali præferebat quantò spiritus præstantior est carne. Nam et ipsa B. Virgo magis beata et dilectior mater ejus fuit, quia mente quàm quia carne tulit, ut ipse indicat, Lucæ 11, vers. 28. Itaque et maternum nomen, quia terrenum erat, in comparatione cœlestis propinquitatis abjecit; et quo rursùm consortio generali Virgo illa cum cæteris sanctis cohæret, ostendit, inquit August., epist. 38. *Eum qui audit et facit*, fratris et sororis et matris loco habet, et affectu diligit. Nova quippe spiritûs nativitas, sicuti novæ et præstantioris cognationis vinculum affert, ita et majoris mutuæ dilectionis incentivum. Quanquàm Greg., hom. 3 in Evang., singula magis mysticè explicando, fratrem et sororem fieri unumquemque in utroque sexu velit credendo, matrem prædicando, quia Christum auditorum mentibus infundendo quasi parit. Allegoricè verò idem et Hieron. atque Hilar. significatum putant synagogam et populum Judæorum, Christo in Ecclesiâ docente præ turbis gentium credentibus non intrare, eosque à Christo non agnosci.

Vers. 23. — Obdormivit, vero quidem somno, ad probandam naturæ susceptæ veritatem, sed tamen voluntario: ne, si eo vigilante contigisset tempestas, vel non timerent discipuli, vel eo invito contigisse, vel ab eo non posse sedari suspicarentur. Ipsos verò immodicè trepidantes increpat.

Descendit procella venti in stagnum, sive lacum, Galileæ, idque non fortuitò, sed ipso Christo faciente, ut ita discipuli compellerentur ad invocandam opem Dei, ad Christi potentiam, suæque fidei infirmitatem agnoscendam. His enim de causis solet Deus etiam tentationes justis probandi causâ excitare.

Vers. 24. — Increpavit, apud Marcum, *comminatus est*; quæ propriè in creaturis ratione præditis locum

CESSAVIT, cessaverunt, quieverunt, scilicet ventus et tempestas aquæ ; distinctè enim Marcus refert Salvatorem compescuisse ventum, et mare deinde. Porrò in duobus Græcis exemplaribus, est ita ut in Latinâ editione, *cessavit,* eodem sensu.

ET FACTA EST, quamprimùm ille jussit, ita ut non posset naturæ ascribi, sed miraculo deberet.

TRANQUILLITAS. Non solùm sedata est tempestas, verùm etiam mare ita tranquillum redditum, ut ne vestigium quidem tempestatis esset cernere, cùm aliàs multo adhuc tempore à tempestate soleant undæ fervere. Facta est autem tranquillitas, non nullo vento, sed secundo, eoque lenissimo ; nam, *enavigaverunt ad regionem Gerasenorum.*

VERS. 25. — FIDES VESTRA in me. Sub fide fiducia intelligitur, quæ nascitur ex fide ; q. d. : An non oporteret vos credere vos à me etiam dormiente servari posse ; itaque confidere in me, neque ita animis consternari ? Expedit interdùm, nos, veluti à Christo neglectos, in extrema discrimina venire, ut, et ipsius potentiæ, et nostræ imbecillitatis, eò certius experimentum habeamus.

QUI. Cum discipulis eos intelligit quorum erat hæc navis ; illos præterea qui erant in cæteris navibus quas Marcus dicit fuisse socias.

AD INVICEM. Postponitur istud Græcè et Syriacè participio, *dicentes ;* certò igitur ad illud referendum est, non ad verbum, *mirati sunt.*

IMPERAT. Interpretatio ejus quod priùs dictum est *increpavit.* Hic fructus est miraculorum Christi, ut majorem de eo homines opinionem concipiant, proficiantque in fide ; hanc autem confessionem effecit miraculum è Jesu repentè editum, tantò illustriorem quantò magis pugnantem cum metu et fidei exiguitate, quibus infirmitatibus non laboraverant : non tantùm morbi quicumque et dæmones, verùm etiam et venti et mare, quæ nulli obedire solent, quorum vim nemo cohibet.

OBEDIUNT EI. Inanimium creaturarum non est obedientia propriè dicta, sed obedire idcircò dicuntur, quia, pro arbitrio Creatoris, ita mox agunt, operantur, mutantur ; id quod facit efficacitas voluntatis ipsius.

VERS. 26. — ET NAVIGAVERUNT, vel potiùs, ut est in optimis manuscriptis, *enavigaverunt autem,* quod est, secundo vento devecti sunt, appulerunt ; hoc est enim καταπλεῖν, quod Syrus reddidit duobus verbis : *Navigaverunt et venerunt.*

AD, sive *in.*

GERASENORUM. Græcus et Syrus, *Gadarenorum.* Latinus, *Gerasenorum* dixit, ut alibi. *Gargasi* sive *Gergesa* (utroque enim modo apud Hieronymum effertur), *civitas trans Jordanem* (nam quæ erat trans mare Genesareth, erat et trans fluvium Jordanem, cùm hic in illud influeret) *juncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse. Hæc esse nunc dicitur Gerasa, urbs insignis Arabiæ,* inquit D. Hieronymus, libro de locis Hebraicis ; quin et sub finem Commentarii in Abdiam : *Benjamin,* ait, *cunctam possidebit Arabiam, quæ priùs vocabatur Galaad, et nunc Gerasa nuncupatur.* Interpres itaque, ubi vertit Gerasenorum, illud nominis dedit, quod suâ ætate celebrius erat. Porrò *Gadara, altera fuit urbs ejusdem regionis trans fluvium Jordanem, metropolis illìc validissima,* quod Josephus ait lib. 5 de Bello Judaico, cap. 3, *contra Scythopolim et Tiberiadem, ad orientalem plagam sita in monte,* quod Hieronymus, libro de Locis Hebraicis. Eadem ergo regio nunc ab hâc, nunc ab illâ civitate nomen accipit. Cæterùm nomen *Gargasi* sive *Gergesa* à gentis Gergesæorum sive Gergesenorum (qui fuêre ex numero septem illarum gentium quas præceperat Deus Israeli ut extirparet, Deut. 7, v. 12) nomine deductum est, qui illìc olim Jordani fluvio ultra citraque assederant, quâ parte aquæ Maron et lacus magnus Genesareth sunt, auctore Ariâ Montano, libri de Chanaan cap. 7.

CONTRA GALILÆAM. Græcè, opposita Galilææ, ad ripam lacûs oppositam ripæ cui adjacet Galilæa.

VERS. 27. — ET CUM EGRESSUS ESSET AD TERRAM. Græcè, *egresso autem ipsi in terram,* scilicet è navi.

VIR QUIDAM ; sequitur in Græco et Syro, *ex urbe,* vel ex eâ urbe, scilicet vicinâ, ad quam pergebat Christus, sive Gadara sive Gerasa, sive aliâ regionis Gadarenorum aut Gerasenorum. Cæterùm non ex urbe venit, quem Matthæus et Marcus narrant ex monumentis occurrisse, et Lucas toto contextu significat in solitudine vixisse ; sed intelligendum ex eâ urbe oriundum fuisse, vel, priusquàm Christus propiùs ad urbem accederet, ex parte urbis illum se medium obtulisse. Matthæus duos memorat ; Marcus et Lucas unum, sævitiâ celebriorem illum, haud dubiè (multis

habent. Hìc autem tantùm significant vocem ejus, quâ imperat et increpat, fuisse efficacem, ita ut ventus et mare auctoritati et voluntati ejus obedierit, ut sequitur, non quidem sentiendo, sed motum ex imperio impressum suscipiendo et sequendo. ET FACTA EST TRANQUILLITAS, ne vestigio quidem turbationis reliquo, ut post tempestatem fieri solet.

MIRATI SUNT ; tam discipuli, quàm ii qui erant in aliis navibus, quas Marcus adfuisse dicit c. 5, v. 36. *Dicentes,* etc.; quasi dicerent : Profectò longè alius est, et major, quàm hactenùs eum existimavimus, nempe dominus ventorum et marium, utpote quæ arbitrio ejus subjacent. Præclarus typus est hæc historia rerum futurarum, quem August., tum alibi sæpiùs, tum in Psal. 25, exposuit : Tropologicè enim stagnum hæc vita est ; tempestas, tentatio ; Jesus dormiens, fides sopita ; evigilatio, invocatio ; tranquillitas, liberatio. Allegoricè Tertull., lib. de Baptismo, c. 12 : Navicula est Ecclesia, mare seculum ; fluctus, persecutiones et tentationes, somnus Domini patientia. In fine sanctorum precibus excitatus seculum compescet, et suis reddet tranquillitatem.

VERS. 27. — MONUMENTIS ; monumenta enim Judæorum erant extra civitatem, ne præsentiâ eorum polluerentur, ac ferè in montibus et desertis locis, 4 Reg. 23, v. 16. Idque vel in speluncis, ut sepulcrum Abrahæ fuit ; vel instar cubiculorum spatiosorum in rupibus excisa, ut Christi Domini. Eò loci dæmoniacos illos dæmones adegerant, ut scilicet dignum esset principe mortis habitaculum ; ut tantò major esset horroris ac sævitiæ species ; ut denique errorem illum perniciosum hominibus persuaderet, animas hominum in dæmones commutari, ut notat Chrysost., hom. 28. Nam hoc sensisse Plotinum et Platonicos tradit

enim in amplificandâ illius sævitiâ insistunt), quippe in quo erat quidam quasi dæmonum exercitus : in quo proindè propter mali atrocitatem magis illustre miraculum fuit, maximaque enituit Jesu virtus, cui tanta dæmonum multitudo, vis et concordia, resistere non posset : nam singularium dæmonum victorum et expulsorum exempla jam plura à Jesu fuerant edita. Occurrerat illi, ut solitus erat aggredi atque invadere illàc iter facientes, quanquàm fieri possit ut non tam spontè venerit quàm arcano Christi tractus imperio.

DÆMONIUM, *Dæmonia ;* ita est in exemplaribus Græcis : collectivè itaque accipias *Dæmonium* numero singulari.

MULTIS, ad verbum, *sufficientibus ;* q. d. : Jam satis diù.

MANEBAT, habitabat.

IN MONUMENTIS. Habebant Judæi, et hi, haud dubiè, Judæorum vicini, qui et terram olim Judæorum occupabant, monumenta sua ferè in montibus aut desertis locis, Gen. 23, v. 9, 20 ; 4 Reg. 23, v. 16 ; in civitatibus nequaquàm, ne illæ mortuorum sepulturâ contaminarentur : ut enim cadavera tam hominum quàm bestiarum , ita et sepulcra Judæis , lege contagiosa erant : patet Num. 19, v. 16. Habebant familiæ lautiores monumentum singulæ suum, ex rupibus excisum vel lapideo aut lateritio opere cameratum, eâ altitudine et latitudine exstructum, ut multi in eo sepeliri pluresque simul erecto corpore illud ingredi atque egredi possent : perspicuum est vel ex Salvatoris monumento. Hìc ergo latebant dæmonia. Digna certè rege ac principe mortis regia ! Monumenta idcircò incolebat quò sævitiam hominibus declararet suam, nihil morantis loca quæ illi horrent, utque miseros illos homines quos obsederat continuo terrore ob tristem mortis conspectum lancinaret ; denique ut viatores illinc aggressus majori horrore percelleret.

VERS. 28. — PROCIDIT ANTE ILLUM, accidit illi ad pedes. Coactus et victus virtute Jesu, supplex factus est ei, adulans, ut ne quid ei præter voluntatem accideret ; per hominem inquam illum, ipsi dæmones qui in illo erant.

ET EXCLAMANS. In Græco et Syro hujusmodi est verborum series : *Is autem cùm vidisset Jesum et exclamâsset, accidit ei, et voce magnâ dixit. Exclamavit* autem dæmon per hominem, eò quòd torqueri se censeret.

QUID MIHI ET TIBI EST ; subaudi, *rei,* aut *commune.* Frequens est Hebræis hic loquendi modus exponendus pro ratione subjectæ materiæ, ut jam diximus.

FILI DEI, id est, Messia, Christe ; cujus confessionis causas latè supra exposuimus. ALTISSIMI, aliàs vertitur, *summi.* Deus altissimus sive summus vocatur, non quòd sint alii dii ipso inferiores, sed quia inter eos qui dii sive habentur duntaxat, sive suo etiam modo sunt, multò minùs inter alios, non est quisquam ei conferendus potentiâ, sapientiâ, bonitate, cæterisque perfectionibus. *Non est similis tuî in diis, Domine,* ait psalmographus, Ps. 85, v. 8, *et non est secundùm opera tua ;* et Ps. 88, v. 7 : *Quis in nubibus æquabitur Domino ; similis erit Domino in filiis Dei?* Quocirca *Deus deorum* vocatur Ps. 49, v. 2 ; hoc est , Deus altissimus.

OBSECRO. Secundùm Marcum, *adjuro,* quæ vox est religione aliquem obstringere, metu religionis ac pietatis temeratæ exspectandæque ultionis divinæ, ac si jurejurando constrictus sit, adigere ad aliquid faciendum ; divini nominis auctoritate interpositâ aliquid imperare, 3 Reg. 22, v. 16 ; Matth. 26, v. 63 ; Act. 19, v. 13 ; 1 Thess. 5, v. 27. Quoniam noverat dæmon, suis meritò precibus nihil tribuendum , tentat, si, divini nominis auctoritate interpositâ, quam gravissimam esse Christo sciebat, consequi queat quod velit, pro se abutens adjuratione, cujus usus est contra ipsum. Hærebat anceps inter timorem et audaciam. Nam quòd adorabat, quòd Filium Dei prædicabat, quòd supplex rogabat, timoris erat ; quòd expostulabat et adjurabat, audaciæ.

TORQUEAS. Verbum Christi adeò efficax erat, ut dæmonem fortissimâ naturâ constantem torqueret.

VERS. 29. — MULTIS ENIM TEMPORIBUS ; ita est ad verbum, quod est, à multo tempore : *jam pridem* quidam vertunt, quidam *frequenter.* Datur ratio cur ægrè adeò dæmonia ista cederent, cur etiam Jesus ampliùs vellet ea cedere.

ARRIPIEBAT, *corripuerat.* Syrus, *captivum detinebat.*

ET VINCIEBATUR CATENIS ET COMPEDIBUS CUSTODITUS. Sensus est, participio cum verbo et verbo cum participio commutatis : Et, vinctus catenis et compedibus, custodiebatur.

ET RUPTIS, sed dirumpens, *et* pro *sed,* quod non est infrequens apud Hebræos.

AGEBATUR, agitabatur, cum impetu impellebatur, ut eques calcaribus equum agitat. Vires, potentiam, regnum atque ingenium Satanæ exercentis fortitudinem suam in dæmoniaco, et denique dæmoniaci mi-

August., lib. 9 de Civit., c. 11, et Origeni ascribit Hieron., epist. 59, et Tertulliano idem August., Hæresi 86. Quomodo verò tropologicè peccatores in sepulcris habitent, et sæviant, vide latè tractantem Chrysost., hom. 29, in fine.

VERS. 28. — QUID MIHI ET TIBI rei aut negotii est ? Quid tibi molestus sum ut rebus meis te interponas , aut mihi molestus sis? Sunt enim verba expostulantis et conquerentis cum eo , quem non lædebat , sed venerabatur , quia præcipiebat ei exire. Phrasis est usitata Hebræis, et Scripturis frequens. JESU FILI DEI. Nam, ut alibi dicit Lucas, c. 4, v. 41, dæmones sciebant eum esse Christum, tametsi antea in deserto jejunantem non cognovissent. Sciebant autem eum per quædam temporalia divinæ virtutis effecta, et occultissimæ signa præsentiæ , quæ angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potiùs quàm infirmitati hominum possunt esse conspicua ; quæ quando paululùm supprimenda judicavit Christus , et aliquantò altiùs latuit, dubitavit de illo dæmonum princeps, ut explicat August. 9 de Civit. , c. 21. Christus enim tantùm eis innotuit, inquit, quantùm voluit ; tantùm autem voluit, quantùm oportuit. NE ME TORQUEAS? Tum quia tormentum est dæmonibus eos relinquere quos affligunt ; tum quia metuebant, ne in abyssum relegarentur, ubi, præter supplicium, quod ubique circumferunt , privarentur grassandi in homines licentiâ.

seriam describit evangelista, ut eò major postea cernatur potentia ac misericordia Christi.

VERS. 30. — QUOD TIBI NOMEN EST ? explica quis tu sis (nominibus enim noscuntur res), an unus aliquis duntaxat dæmon, id quod ex modo loquendi tuo ita apparet ? Sciebat Jesus multos esse, sed voluit rei veritatem diabolo exprimere, ut virtutis et gratiæ suæ magnitudo præsentibus commendaretur. Cujus enim non erat misericordiæ hominem plus millies perditum, à totidem exitiis eripere ? et magnificè in eo refulgebat virtus Christi, quòd voce suâ, non unum dæmonem, sed multam turbam repentè profligaret, ita ut reipsà apertè doceret, totum diaboli regnum sibi subjectum esse.

Legio. Dictionis Latinæ usus est etiam Græcè et Syriacè ; tunc temporis vulgaris, Romanis Judææ dominantibus, eamque præsidiis militum continentibus. Est legio nomen militare, significans exercitum sex millium, ut minimùm ; ut summùm, quingentorum et duodecim millium militum : variant enim auctores. Legio cohortes decem, cohors quinquaginta manipulos, manipulus viginti quinque milites, continuisse docetur, qui simul omnes faciant duodecies mille quingentos. Dæmonia autem usurpant nomen militare, simiæ angelorum lucis, quorum exercitibus quòd præsit Deus, idcircò frequenter vocatur *Dominus Sabaoth,* sive *exercituum.* Porrò ut serviunt bonorum angelorum exercitus nobis servandis, ita malorum exercitus nobis oppugnandis student, in nostram perniciem spurca colluvies conjurata. Animadverte autem quàm miserum animal sit homo, ubi Dei tutelâ destituitur ; nempe, unusquisque, non tantùm singulis dæmonibus patet, sed ingentis turbæ est receptaculum, quò magis sollicitè excubare nos decet, ne tanta hostium turba nos circumveniat.

MULTA. Dæmones, cùm spiritus sint incorporei, innumeri facilè uno loco, eoque parvo definiri queunt.

VERS. 31. — NE IMPERARET ILLIS, ne cogeret illos. Victos se et deditos apertè indicant.

IN ABYSSUM. Significat abyssus, Hebraicè *tehom,* Syriacè *tekoumo* dicta, immensæ profunditatis voraginem, immensæ altitudinis aquam, quasi absque fundo, nam βύσσα fundus dicitur. Accipitur autem pro eo ipso loco quem idem Lucas infra, 16, v. 23, ᾅδην vocat ; Petrus 2 Epist. 2, v. 4, τάρταρον ; nos Latinè *infernum,* id est, loco puniendis in æternum reprobis destinato, quòd in profundissimo terræ loco situs, reprobos ita penitùs absorbeat, ut emergere nunquàm possint. Eo in loco jam nunc quidam dæmonum agunt, Apoc. 20, v. 3, cum animabus eorum qui in impietate decesserunt, id quod ne profani quidem scriptores ignorârunt : sed non plus illi pœnarum luere videntur, quàm ii qui hoc in inferiori aere sunt, in quo plerique sunt, Apostolo inprimis doctore, Ephes. 2, v. 2, et 6, v. 12. Extremo porrò Christi judicio, Apoc. 20, v. 10, et hi in abyssum detrudendi sunt. Quod ergo abyssum deprecantur, eò spectat, quòd ipsis volupe sit inter homines versari, quò illos seducant, et ad se plures semper pertrahant : id quod in abysso non possunt, ubi nulli sunt quos seducant, sed seducti duntaxat, quibus, secum puniendis, præsint. Nam hoc unum studium dæmonibus est oberrare inter homines, leonum instar, ad venandam prædam. Dolet illis in solitudinem relegari aut in abyssum demergi, ubi ablata sit lædendi et perdendi facultas : hoc enim sunt ingenio, ut nihil magis appetant, quàm in exitium quàmplurimos homines trahere. Amare autem videntur regiones illas præ aliis, in quibus mores hominum, propter longam consuetudinem, perspectiores habent, ac ubi major est eis nocendi occasio et spes.

VERS. 32. — IN MONTE. Ut erat magnus grex, ita facilè fieri potuit, ut pars in monte fuerit, quod Lucas habet, pars apud montem, quod Marcus ; aut fuisse potuerunt in inferiori montis planitie, ubi mons in campos diffundi cœperat, sub asperiora montis et sublimiora.

PERMITTERET. Observa ne immundis quidem ac fœdis brutis nocere posse nisi Dei permissu : quantò ergo minùs hominibus ? Ejiciendi rogant Dominum, non scelerum veniam aut gratiam aut præclarum aliquid donum, sed ut in porcos sinantur ingredi ; nullibi enim pro ingenio satanico commodiùs sibi esse videntur, quàm ubi hominibus noceant : tanto hominum odio flagrant. Videntur autem eò maximè respexisse ut regionis incolæ, porcorum jacturâ exasperati, Christo maledicerent, neque aut eum aut prædicationem ipsius susciperent, id quod etiam ex parte ita evenit.

PERMISIT. Christus annuens non eorum vota exaudit, sed *permittit,* tanquàm Judæus qui porcorum carnes nihili facit, inprimis quò appareat verè dæmones ex hominum istorum corporibus exivisse et monstraretur verum esse quod dixerant, magnam se esse in uno homine dæmonum turbam ; deinde atrociora eos in homines quàm in porcos commissuros fuisse, nisi à Deo prohibiti fuissent ; tertiò ut doceat nullam fortunarum jacturam comparandam cum hominis à dæmone possessione ; quartò, ut latiùs spargeretur miraculum in gloriam Dei. Hujus enim damni occasione factum est ut quasi puncto temporis illuxerit virtus Christi per omnem regionem illam. Quintò refutatus est Sadducæorum et aliorum quorumdam error, qui dæmones, non essentiales spiritus, sed pravas corporum et animorum hominum affectiones esse fingunt. Postremò ostendit quales essent animis

VERS. 32. — ET PERMISIT ILLIS. Annuit itaque petitioni dæmonum, non ut pœnas homines darent neglectæ legis, quòd porcos alerent, ut putat Jansenius in Concordiâ ; sed ut esset testimonium, verè dæmones egressos esse ; ut constaret ipsis liberatis beneficii magnitudo, tum liberationis ex tantâ multitudine dæmonum, tum conservationis ex illo furore et strage, qui similem in se exercuissent, nisi Deus vetuisset ; ut fama miraculi latiùs spargeretur in gloriam Christi : ut convincerentur Sadducæi, negantes esse spiritus, quod Hilarius notavit ; denique, ut August., tract. 9 in Epist. Joan., ut ostenderet diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt.

Geraseni, immundi et fœdi, congrua dæmonum habitacula; facilèque opprimi et perdi à dæmoniis, Deo permittente, eos qui porcorum more vivunt.

Vers. 33. — Intraverunt in porcos. Ex monumentis in immundos porcos migrant, ne scilicet usquàm deesset digna tanto rege, seu aula seu regia.

Per præceps, à præcipitio. Corruerunt è rupe, sive præcipitio montis mari imminentis ad quem pascebantur.

In stagnum, Genesareth, quod superiores evangelistæ mare vocant, et hoc etiam loco Syrus. Propè illud contigisse hoc ejectorum dæmonum miraculum patet, quia dæmoniacus occurrerat Salvatori mox ut ille navi egressus pedem posuerat in terram.

Suffocatus est. Non enim porcos invaserant dæmones ut in eis manerent, sed duntaxat ut præcipitarent eos in stagnum et submergerent, itàque nocerent eis quorum porci erant.

Vers. 34.—Fugerunt, partim territi spectaculo, partim nuntiaturi rem omnem dominis suis et civitati universæ, quò constaret nequaquàm ipsis imputandum id quod acciderat damnum. Ita verò divulgatum est miraculum et longè latèque prædicata Jesu virtus, doctrina, efficacitas, misericordia, divinâ sapientiâ astutias Satanæ insigniter fallente.

Villas, Græcè, *agros*, uti apud Marcum. Cæterùm villæ pagique intelligi aut comprehendi videntur.

Vers. 35. — A quo dæmonia exierant, qui ita efferus fuerat dæmoniis agitantibus.

Vestitum. Nudus enim cogebatur incedere quando à dæmonis agebatur, supra, v. 27.

Ac sana mente. Ad emphasim miraculi dicitur esse jam sanâ mente eum qui non solùm singulari dæmoni, sed legioni obnoxius fuerat: opponiturque sanâ mente præditus, obnoxio legioni insanorum dæmonum; sicuti in superiori membro, dæmoniacus, id est, miserrimè à dæmonio vexatus, adeò ut immanissimæ belluæ similior esset quàm hominis, opponitur sedenti et vestito, id est, quieto et composito: neque tamen duo homines inter se comparantur, sed ejusdem hominis dispares atque adeò prorsùs contrarii habitus.

Ad pedes ejus, docentis ipsum eosque qui aderant verbum salutis.

Timuerunt, expaverunt. Religioso metu tacti sunt, agnoscentes divinam vim et efficacitatem.

Vers. 36. — Et qui viderant, etiam ii qui viderant.

Sanus factus esset a legione; *liberatus esset is qui fuerat dæmoniacus;* ita est Græcè et Syriacè: interpres sensum dedit.

Vers. 37. — Omnis multitudo, universa multitudo præsens.

Regionis, circumjacentis regionis, et cives nimirùm et agricolæ, omnes unanimiter. Hìc enim cives ipsi Geraseni sive Gadareni comprehenduntur, quos Matthæus disertè expresssit, cap. 8, v. 34.

Gerasenorum, Gadarenorum, ut supra.

Ut discederet. Non expulerunt exacerbati, sed rogârunt perculsi, partim religione, partim damni accepti dolore ac majoris metu. Agnoverunt virum sanctum et divinâ virtute præditum cui nec dæmonia obsistere possent, timuerunt ne vel ipse vel propter ipsius præsentiam Deus ipsos, gentes ab ipsius, qui Judæus erat, religione alienas, aut perderet aut majoribus affectas damnis attenuaret: non absimiliter viduæ illi Sarephtanæ, quæ, mortuo filio suo, dicebat Eliæ, quem hospitio exceperat, 3 Reg. 17, v. 18: *Quid mihi et tibi, vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum?* Existimant enim peccatores homines viros sanctos sibi damnosos aut incommodos esse eò quòd non possit vitium cum virtute unà commorari. Namque virtus suo splendore vitium perstringit, calore urit, maximè si sit divina virtus, ut Dei ipsius, aut angeli à Deo missi; et ex collatione illius cum suâ vitiositate, metuunt sibi periculum. Eò itaque isti profecerant, ut timere, suspicere, et revereri inciperent, in Christo refulgentem Dei majestatem ac potentiam, sed nondùm eò ut amarent et susciperent beneficentissimum Salvatorem hominum assertoremque è dæmonum tyrannide, pluris suas facientes facultates, quàm veritatis cognitionem et suarum salutem animarum: adeò verum est quod alibi Salvator docuit: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, infra, 14, v. 23.

Reversus est in Galilæam. Vix enim ingressus fuerat regionem hanc; hærebat adhuc apud stagnum: nam mox ut egressus navi pedem posuerat in terram, occurrerat ei Dæmoniacus; vide supra, v. 27, et Matth. 8, v. 32.

Vers. 38. — Et rogabat, Græcè, rogabat autem, tunc rogabat.

Vir, ille vir.

Ut cum eo esset, ut liceret ipsi esse apud eum, sive, cum ipso versari; esse in comitatu ipsius, tum quòd metueret ne, absente Domino, iterùm à dæmonibus invaderetur, tum quòd diligeret sanitatis suæ auctorem, paratus ingratos suos cives relinquere, quò ipsi adhæreret. Unde apparet, quantùm intersit inter notitiam divinæ bonitatis et divinæ potentiæ. Potentia enim formidinem incutiens, à Dei aspectu homines fugat longèque dispellit; bonitas autem suaviter allicit, ut sibi nihil optabilius esse homo statuat, quàm Deo esse unitum. Animadverte mutationem consiliorum et curarum atque actionum hominis à dæmonio liberati.

Dimisit, ablegavit, non tanquàm indignum, sed quòd cum majore Dei gloriâ, et uberiore cum fructu, apud gentiles suos mansurus esset. Nam, quod Victor Antiochenus ait, *præsentia miraculi magnitudinem elevat; absentia autem vim illius clariùs demonstrat.*

Vers. 39. — Civitatem, illam ad quam Christus visus fuerat ire voluisse, in quâ domus ipsius erat, è quâ et ipse oriundus erat (nam et Marcus addit: *Vade in domum tuam, ad tuos*); neque per illam tantùm civitatem, quod etiam Marcus insinuat, sed et per universam Decapolin.

Narra, renuntia illis. Repulsus à Gerasenis Dominus, illos quidem in præsens, uti meruerant, deseruit:

quoniam autem nondùm desponderi salus eorum potuit, reliquit eis apostolum, se illis paulò gratiorem.

Quanta, ὅσα, id est, quàm immensa et quàm mirifica. Nam ὅσον et ἡλίκον sæpè permutantur : et verior est sensus, si ad qualitatem potiùs quàm ad multitudinem referas.

Deus. Deo sua omnia Christus ascribit (quemadmodùm à Deo Patre sua habet omnia), ut verò Dei propheta habitus docendi obtineat auctoritatem, sicque paulatim erudiat rudem populum, cui nondùm cognita erat ipsius divinitas.

Vers. 40. — Rediisset, à Gerasenis, trajecto rursùs freto, in Galilæam.

Excepit, gratulati sunt ei reditum; reditus ejus gratus acceptusque fuit multitudini.

Exspectantes magno desiderio eum, reditum ejus à Gerasenis, votis omninò contrariis ac Geraseni.

Vers. 41. — Et ecce, quodam die, non ita diù post reditum hunc. Intercesserunt ea quæ Lucas supra narravit, cap. 5, v. 18, et deinceps ad finem usque capitis.

Jairus. Penultima producenda est Latinè. Nominat autem virum pro historiæ certitudine.

Et ipse, pro, *qui*.

Princeps synagogæ, ejus quæ in Capharnaum, verisimile est; accidit enim istud in littore maris vicino Capharnaum, Marci 5, v. 21 et 22. Porrò erant archisynagogi (plures enim præerant uni synagogæ) præfecti synagogæ, ad quos spectabat synagogæ et eorum quæ in eâ gerebantur populique eò convenientis primaria cura ac moderatio, infra, 13, v. 14; Act. 13, v. 15. Erat autem hæc primaria apud Judæos dignitas.

Cecidit ad pedes. Secundùm Matthæum *adorabat;* quæ adoratio hìc pro genuflexione sive corporis prostratione accipitur; neque enim divinum Christo honorem exhibuit; sed coluit eum ut virum Dei eximium. Hoc autem ad Pharisæorum confusionem, quorum de factione verisimile est archisynagogas plerosque fuisse, quòd hic salute desperatâ nescierit unde præsentius peteret auxilium quàm à Jesu.

Ejus, ipsius rogantis.

Vers. 42. — Unica, unigenita.

Annorum duodecim. Ideò charior quia proles unica, et jam grandior ac florescens ætate.

Et hæc, id est, *quæ*, moriebatur, agebat animam; Syrus, *propè erat ut moreretur.* Matthæus habet : *Modò defuncta est;* Marcus : *In extremis est.* Matthæus, studio brevitatis omittit quod Marcus et Lucas narrant; hi accuratiores sunt in historiis recensendis; Matthæus in verbis Domini. Jam proficiscentibus Jesu et archisynagogo nuntiatam fuisse archisynagogo filiæ mortem et cætera quæ hinc sequuntur prætermittit Matthæus. In ipso exordio ponit quod in progressu factum est. Non enim est verisimile primo accessu eam hujus viri fuisse fidem, ut crederet vitæ à Jesu restitui posse filiam mortuam, cui allato mortis filiæ nuntio, animus à Christo addendus fuit, ut crederet, Marci 5, v. 36. Postquàm animus illi additus fuit, tum concepit fidem fiduciamque hujusmodi, et rogavit Dominum, id quod Matthæus refert, si non voce ac verbis, at desiderio non minùs disertè quàm verbis se rebus ipsis declarante, dùm fidem adhibuit verbis Christi, comitatus est eum, deduxit domum suam, domi sivit ejicere è conclavi amicorum lugentium turbam; ita enim reipsà locutus est, idem se petere quod petierat initio, ut veniret imponeretque manum ei, et sperare se victuram eam. Sic itaque historia texenda est, quòd primò petierit sanitati restitui filiam extremè laborantem; deinde etiam à morte in vitam restitui postquàm allato mortis nuntio animum illi Christus addidit.

Dum iret, inter eundum.

A turbis comprimebatur, turbæ coarctabant eum. Ut magna est populi ad res insolentes spectandas curiositas, ita cupiebat quisque videre miraculum, nemoque non satagebat Christo esse quàm proximus, acuente rogantis nobilitate spectandi desiderium, ità ut premerent et afflictarent eum sectatores et spectatores potiùs quàm justi auditores. Hìc autem mihi observa Domini humilitatem, ita absque omni fastu inter vulgus conversantis, ut sinat se ab eo premi, cùm essent ipsi discipuli, qui cinctum liberum facilè à pressurâ servare potuissent.

Vers. 43. — Et, tum, inter eundum. Interrumpitur historia cœpta, et inseritur quod in itinere accidit miraculum; nunquàm otiosus, nunquàm cessat benefacere Jesus.

Mulier, quam Eusebius Cæsariensis, libri 7 eccles. Hist. cap. 14, dicit civem fuisse urbis Cæsareæ Philippi, et, ob acceptum beneficium, Jesu statuam erexisse, ac proindè gentilem fuisse, aut certè mixtæ religionis.

Quædam erat, οὖσα, *quæ erat,* atque hanc verisimile fit interpretis esse scripturam.

In fluxu sanguinis, id est, quæ tenebatur morbo fluxionis sanguinis, quo modo loquendi significatur perpetuum fuisse morbum. Laborabat infirmitate internâ membrorum vitalium, ita ut alimentum propè omne converteretur in sanguinem ineptum ad nutritionem, quem nec posset, propter summam virium infirmitatem nativa virtus in venas digerere, itàque effluere cogeretur per partes secretiores, fœdus ac pudendus morbus.

Ab annis duodecim. Temporis diuturnitas infirmitatis consuetudinem in naturam ferè converterat; itaque à morbo jam victa erat, et ideò incurabilis omninò; id quod facit ad miraculi exaggerationem.

Erogaverat, impenderat, insumpserat in medicos facultates omnes suas; itaque bis erat misera, posteaquàm malæ valetudini accesserat inopia.

Nec ab ullo potuit curari. Propriè redditum est hìc *curari,* cùm agatur de remediis quibus ad curandos

Vers. 43. — Et. Interponitur hìc alia historia, quâ confirmaretur fides vacillantis Jairi, et ostenderetur, nunquàm à benefaciendo otiosum fuisse Christum.

morbos utuntur medici. Nihil fuerat adjuta mulier, nec remedio nec consilio; sed ut è Marco discimus, in deterius venerat; auxerant enim vitium, corpusculi imbecillitatem, plura genera medicamentorum variè adhibita. Signum naturæ à morbo superatæ, et à medicinæ arte desperatæ. Pertinent hæc narrata ad miraculi amplificationem : nihil esse tam desperatum ac deploratum, quod non possit Christi virtus sanare.

Vers. 44. — Accessit. Postquàm cœpit mulier diffidere medicis, cœpit esse saluti vicinior; factaque est illi salus *nullam sperare salutem*. Deus enim nulli libentiùs opitulatur quàm quem humana destituêre præsidia.

Retro, à tergo. Ut enim non accederet palàm rogaretque quemadmodùm archisynagogus, obstabat tum pudor, tum metus; pudor sexûs, ob morbi fœditatem; metus ne à turbâ, cui se admiscuerat, abjiceretur, quippe lege immunda et contagiosa, Levit. 15, v. 25.

Fimbriam, oram, extremitatem. Syrus, *carno*, cornu, eodem sensu. Latinè porrò fimbria propriè extremitas vestis est cæsuratim incisa, unde fit ut vetus interpres hoc modo appellet funiculos seu fila, ex nodo uno complura egredientia, qualia Judæi de quatuor angulis palliorum suorum, quò dignoscerentur à gentibus, suspendere jussi fuerant, Deut. 22, v. 12, quæ *sisith* illìc vocantur. Cæterùm non respexisse hanc mulierem ad legales illas fimbrias, nec in illis fiduciam posuisse, sive contigerit illas, sive non, ex Matthæo, cap. 9, v. 21, manifestum fit, ubi nihil aliud quàm vestimentum, non fimbria vestimenti, ponitur.

Vestimenti, summi. *Pallii* non malè, opinor, hoc loco vertas, quæ propria est vocis significatio; quanquàm frequenter pro omni vestimenti genere accipiatur, ut jamjam diximus.

Et confestim stetit fluxus sanguinis ejus. Sistebat profluvium sanguinis, subitò correcto liquore qui velut è perenni fonte solitus erat emanare; adeò enim invaluerat ille morbus, ut in fluxum naturalibus simillimum erupisset. Ex fluxu illo debilitatio infirmitasque totius corporis nascebatur; cuilibet enim evacuationi virtutis casum annexum esse medici affirmant. Illo igitur fluxu sistente, restituta est virtus toti corpori, sanguine subitò emendato et in venas coacto, non exspectatâ morâ refectionis, quæ longa esse solet in morbis arte naturæque virtute curatis; id sensit mulier, Marci 5, v. 29. Geminum itaque miraculum hìc virtute Jesu editum est. Destituta à medicis, à quibus fuerat magnâ mercede vexata, repererat alium medicum, qui gratis, subitò levique negotio, plenam conferret salutem.

Vers. 45. — Quis est qui me tetigit. Gaudebat mulier beneficium, ipso Christo inscio, quod putabat, assecuta; verùm ut non expediebat hoc mulieri persuasum esse, ita noluit Christus celari gloriam Dei et tam insigne fidei latere exemplum. Idcircò interrogabat, requirens eam ut spontè in medium prodiret; nec enim congruebat ut testis sui ipse miraculi esset.

Negantibus omnibus, quòd ex proposito eum tetigissent; nam ex impulsu multi tangebant.

Et qui cum illo erant, et collegæ ejus, discipuli, non intelligentes quid sibi præceptor vellet.

Comprimunt et affligunt, coarctant et opprimunt. Verùm apparet per hyperbolem fuisse id de Christo dictum, propterea quòd tam graviter premebatur ut penè opprimeretur.

Et dicis : Quis me tetigit? cùm à tam multis tangaris. Eam tetigisse Salvator censet quæ ita tetigerat ut se efficacitas virtutis ipsius in illam exeruisset, nimirùm quæ fide mediante tetigerat. Cæteri premebant potiùs quàm tangebant.

Vers. 46. — Tetigit me aliquis, ex proposito, idque non vulgari modo.

Novi virtutem. Facilè novisse poterat, cùm exire virtus non posset nisi ipse sciens ac prudens eam emitteret. Duobus autem modis accipi hìc virtus potest. Si accipias pro virtutis effectu (quomodò non rarò miracula *virtutes* appellantur), sensus est, novisse Christum quid miraculi operatus esset in muliere. Propriè autem si sumas virtutem, erat in Christo homine, quippe etiam Deo, virtus omnipotens, quæ tum

Vers. 44. — Accessit retro, quia prohibebat palàm accedere pudor et metus : pudor ex morbi fœditate et sexu; metus ex ejus immunditiâ, ne velut legaliter polluta et omnes polluens à Judæis repelleretur. Et tetigit fimbriam vestimenti ejus, scilicet supremi sive pallii. Fimbriæ istæ erant fila dependentia in quatuor oris seu extremitatibus pallii; cujus modi fimbrias gerebat Christus more gentis Judaicæ, ex præscripto legis, Num 15, v. 38. Potiùs autem fimbriam quàm ipsam vestem tetigit, sive ex humilitate, sive quòd fimbria peculiariter esset insigne distinctionis illius gentis à cæteris, et nota sanctitatis, ut indicatur satis loco Num. cit., et Zachar. 8, v. ult. Unde eas magnificabant Pharisæi, et ægroti volunt tangere etiam Matth. 14, v. ult. Mira fuit fides mulieris de Christi sanctitate et potestate, similis fidei centurionis, quia nec vocem ejus nec manûs impositionem, et ne quidem scientiam morbi sui, sed solius vestimenti contactum credebat sufficere ad sanitatem suam.

Vers. 45. — Quis est qui me tetigit. Nolebat enim vel gloriam Dei in hoc facto, vel excellentem mulieris fidem celari, vel ei persuasum esse, quòd se vel ignorante vel nolente res ista contigisset. Intelligit autem Christus non quemvis promiscuum tactum, ut ex responso discipulorum patet, sed talem, qui operationem suæ virtutis provocaverat, hoc est, qui fiebat imperante fide. Nam cæteri non tam tangebant quàm premebant Christum, ut August. hâc de re loqui solet, de quo vide serm. 6 de Verbis Dom., cap. 3, et serm. 155 de Temp., c. 3 et 4, quibus sicut et aliis locis per, *tangere*, intelligit credere, seu tactum per fidem, istamque mulierem gessisse figuram credentium, cæteros Judæos incredulorum; illi fide tangunt Christum, et vestem seu corpus ejus Ecclesiam, hi premunt et affligunt. Non igitur ignorabat cui fidem illam donaverat, quam interiùs ad se traxerat, quam exteriùs sanaverat, sed humano se habebat more, ut et interrogatione et circumspectione perculsa mulier, seipsam spontè proderet, et miraculum fateretur, ut sic esset commendatius.

Vers. 46. — Virtutem, id est, virtutis effectum, seu sanationem miraculosam, quam operatus erat. Unde in idem redit, si virtutem intelligas, ipsam

ex illo exisse dicitur cùm in alios sese exereret; sed adeò efficax, certa ac præsentanea, Christo ipso faciente, fuisse significatur erga eos à quibus fide petebatur, ut sponte suâ fidem ipsam sequi, excipere amplectique videretur. Dicit porrò istud Salvator, quò doceat virtutem in se esse servandi, et non tantùm Deum suâ virtute per ipsum, sed et ipsum per se propriâ virtute salutem conferre. Sermonem autem accommodat ad turbæ captum, tanquàm in ipsius corpore sita sit corporalis sanandi virtus, quam eliciat fides, uti verè erat corpus ejus salvificum; sed ex divinitate conjuncta.

De me, à me, ex me.

Exiisse. Si virtutem accipias pro virtutis effectu, propriè accipe *exiisse*, tanquàm effectum ex causâ. Si virtutem propriè accipias, exire accipe pro eo quod est extra operari, in alium se exerere.

Vers. 47. — Quia non latuit, se non latuisse, vel rem non latuisse, uti desiderabat, tametsi furtim fecisset.

Tremens venit. Locus iste cùm miris modis hæreticos urgeat, injurios sacris sanctorum reliquiis, mirum quàm ridiculè eo se conentur expedire, nominatim Calvinus in Matthæum scribens. Ait inprimis « singularem fuisse Spiritûs sancti impulsum, quod « hæc mulier cogitat, si modò tetigerit Christi vestem, « se protinùs fore sanam; singulare fuisse exemplum, « neque ad communem regulam trahi debere. » Atqui, in exemplum tractum est à compluribus benè citò, ipso adhuc Christo in terris agente, admittente, et rebus ipsis probante, Matth. 14, v. 36, ut omittam tot alia Scripturarum exempla, de umbrâ Petri, sudariis Pauli, ossibus Elisæi, etc.; hâc itaque ratione sibi non satisfaciens, aliud comminiscens addit: « Fieri etiam potest, ut mulieris fidei aliquid « vitii et erroris fuerit admixtum, quod Christus per « indulgentiam tolerat et ignoscit. Certè quòd postea « sibi malè conscia formidat et tremit, talis dubitatio, « cùm sit fidei contraria, excusatione caret. » Et paulò post: « Fide duce ad Christum accessit mulier: quòd « autem in veste hæsit potiùs quàm ut se illi sanan- « dam precibus offerret, fortè zelo inconsiderato pau- « lulùm à viâ deflexit; præsertim cùm paulò post « ostendat dubitanter et perplexo animo id tentâsse. » Atqui, non ideò malè sibi conscia formidavit, tremuit, perplexa mulier fuit, quòd persuasa fuisset sanandam se vel vestis Christi tactu, cùm hâc jam ratione sanitatem assecuta esset, fidesque ejus, quæ Domini ore laudatur, hæc ipsa fuerit: *Quòd si vel vestimentum ejus tetigero*, Marci 5, v. 28; sed quòd præter opinionem videret se à Christo perceptam fuisse et prodi cùm latere voluisset, quòd clanculùm accessisset et beneficium inscio quasi suffurari tentâsset, denique fortassis etiam quòd immunda cùm esset Christi vestimenta tetigisset; ob hæc timebat ne objurgaretur à Christo, aut etiam ne iratus ille beneficium repeteret suum.

Ob quam causam, sanitatis causâ, quam sperabat assequi vestis tactu, non audens morbum palàm aperire.

Indicavit, declaravit ei.

Coram omni populo, audiente universo populo, metu pudorem excutiente.

Et quemadmodum, et quomodo sanata fuisset illicò, à morbo fœdo quo duodecim annos laboraverat, frustra sudantibus medicis.

Vers. 48. — At ipse, ipse autem.

Filia, *confide filia;* ita est Græcè et Syriacè. Noli metuere, sis secura et bono animo; metuebat enim.

Filia. Modus suaviter appellandi etiam ignotos: Filiam etiam vocat, ut fidelem.

Fides tua. Illa utique quæ mox expressa est: *Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero,* Matth. 9, v. 22; excellens nimirùm de Christo opinio, firmâ cum fiduciâ conjuncta. Tanta fuit huic mulieri fides quanta non facilè alii, ut, quæ nullum remedium, nullum medicum, ipsi opem ferre posse, jam longo experimento cognoverat, crediderit per Christi meritum, nullo adhibito naturali remedio, nullâ medicâ arte, sed solo vestimentorum ejus tactu, id quod naturale esse non potest, repentè sanari omninòque restitui se posse. Solent qui multa experti frustra sunt, minùs credere quam qui nondùm quidquam sunt experti; ideò major hujus feminæ fides quàm si nondùm periculum factum fuisset medicæ efficacitatis. Porrò, dicit potiùs, *fides tua*, quàm, *virtus mea*, ad commendationem fidei, per quam efficimur participes virtutis ipsius: id quod hìc doctum voluit signanter archisynagogum præsentem.

Salvam fecit, servavit, sanavit, attulit tibi eam quam assecuta es sanitatem: per fidem enim cætera impetrantur. Confirmat sententia sua beneficium, quod mulier clanculùm quasi suffurata erat.

sanandi potestatem, quæ erat in Christo: quæ exire dicitur ab operante, quando operatur, phrasi videlicet ad captum mulieris et rudiorum accommodatâ, qui ex Christo velut vase pleno virtutis et efficaciæ apprehendebant sanitates fluere, cùm eas ipse sciens et prudens non naturæ necessitate, sed voluntate operaretur, quando vellet, et ubi vellet.

Vers. 47. — Tremens, etc., non quia malè credidisset se vestis tactu sanandam, ut vult Calvinus in Matth., sed quòd beneficium cùm quasi ignoranti suffurari voluisset, præter opinionem esset detecta, quòd immunda mundum tetigisset, quòd hinc se increpandam, beneficium fortassis à se repetendum vereretur.

Vers. 48. — Fides tua salvam te fecit, quia tanta fides miraculum impetraverat et promeruerat; nam effectivè hoc fecerat virtus Christi. Fidem tamen magis quàm suam virtutem expressit, ut illa apud archisynagogum minùs credulum magis commendaretur. Vade in pace, animo scilicet tranquillo et corpore sano (*pax* enim Hebræis valde latè patet, et pro omni prosperitate corporis et animi sumitur), nihil timens, auferendum tibi esse beneficium. Hinc Catholici invictum argumentum pro reliquiarum usu petunt: quem quamvis mordeat et vellicet Calvinus, velitque hoc exemplum esse singulare, quod ad imitationem valere non debeat, potiùs tamen hinc impietas ejus redarguitur, qui audeat mulierem hanc indiscreti zeli et superstitionis arguere, cujus fidem Christus ipse laudat, et sanitatem impetrâsse testatur. Eam fuisse Martham, sororem Lazari et Mariæ, videtur sentire Ambros., lib. de Salomone, capite 5, sed longè veriùs tradit Eusebius, fuisse ex Cæsareâ

Vade in pace, id est, cum pace, cum prosperitate, incolumitate, salute, tranquillitate (hæc enim omnia pacis nomine Hebræis significantur), abi feliciter læto tranquilloque animo. Benè precantium est abeuntibus, ut 1 Reg. 1, v. 17.

Vers. 49. — Ad principem synagogæ. Græcè *à principe synagogæ*. Diù quæsita, inventa est tandem genuina hujus loci lectio, in manuscripto ecclesiæ nostræ continente quatuor Evangelia, F. litterâ insignito, quod habet non, *ad principem*, casu quarto, ut vulgò, sed, *à principe*, casu sexto; sic enim esse legendum, Græca et Syra clamant, mutatione factâ ab iis qui non intellexerunt hanc loquendi formam, uti et secundùm Marcum, cap. 5, v. 35, mutaverant, *ab archisynagogo* cum *ad archisynagogum*. *Ab archisynagogo* igitur et Latinè legendum est; id Syrus explicat: *Ab ædibus principis synagogæ*, uti in Marco. Vel potiùs, *ex domesticis*: ad verbum in Syro est, *ab iis qui domûs*, scilicet sunt; qui verus sensus est; nam archisynagogus ipse apud Jesum erat. Sic Terentius etiam in Phormione loquitur: *Quæ hæc est anus exanimata, à fratre quæ egressa est meo*, quod est, à domo fratris, ut Donatus explicat.

Vexare, defatigare, molestiâ afficere, frustra. Siquidem nihil aliud illi credebant esse Jesum quàm veluti medicum insignem, qui vivæ quidem salutem dare posset, mortuæ autem vitam reddere non posset; et ideò supervacaneum esse judicabant ad exanimem jam accersere.

Illum, magistrum, quo modo est etiam Syriacè, nisi quòd ex Marco videri queat acceptum. Hic appellandi modus honorificentior, ille contemptibilior.

Vers. 50. — Audito, Græcè, cùm audisset.

Hoc verbo, id est, hoc. Græcè Syriacèque non leguntur hæ duæ voculæ, *hoc verbo;* et fortè ex Marco Latinè sunt additæ.

Respondit patri puellæ, ita est, et Syriacè: *Dixit patri puellæ*. Porrò Græcè est: *Respondit ei dicens;* id quod intelligendum videtur, respondit huic nuntio sive verbo, dicens archisynagogo seu patri puellæ; ita ut *ei* jungatur cum *dicens*.

Crede tantum, me subvenire tibi posse. Exigit fidem per fiduciam operantem. Vidisti mox mulierem ab incurabili morbo fidei interventu sanatam (eò enim videtur respexisse Salvator; et idcircò voluisse miraculum illud sanatæ mulieris manifestari, quò archisynagogus, ubi hic nuntius afferretur, faciliùs persuaderetur), tu similiter, crede duntaxat in meâ id esse potestate quidquid est, et consequeris. In te situm est ut valeat filia: non refert quantum sit malum, sit mors ipsa, sed quàm firma sit fides tua. Hâc enim voce, *crede tantùm*, significat non defore sibi virtutem, modò eam Jairus credens admittat; et simul hortatur ut securè animum suum dilatet, quia timendum non sit ne fides ejus latiùs pateat quàm immensa Filii Dei virtus. Vetat igitur incredulitate et diffidentiâ præcludere aditum gratiæ cui mors obstaculo futura non sit.

Salva erit. Fides patris proderat filiæ ut impetrans filiæ resuscitationem; sed non minùs ipsi patri, cui gravis adversitas mors filiæ erat. De quo diximus supra.

Vers. 51. — Et cum venisset, Græcè, ingressus autem.

Domum principis synagogæ.

Intrare, in cubiculum ubi puellæ jacebat funus.

Secum addidit explicationis gratiâ interpres.

Et Jacobum et Joannem. In Regio et quibusdam aliis libris Græcè præponitur Joannes, quippe dignior: verùm Jacobus ut senior etiam à Marco præpositus est. Hi cum Petro testes fuerunt gloriæ Jesu in monte. Tres autem assumpsit, quot poterant sufficere ad ferendum testimonium: ternarius enim numerus legis censurâ ad rem probandam idoneus pronuntiatur, Deut. 19, v. 15. *Petrum*, quem statuerat præficere Ecclesiæ suæ, suo terras relinquentis loco; qui dedit ipsi Jesu testimonium Filii Dei vivi, doctus occultâ Patris inspiratione; qui ipse suis oculis vidit Jesum indutum gloriâ decenti Filium Dei vivi, et audiit auribus disertam Dei Patris Filium suum agnoscentis vocem. *Jacobum*, filium Zebedæi, quem Majorem vocamus, qui primus apostolorum pro Christo perditurus erat animam suam, Act. 12 v. 2. *Joannem*, fratrem Jacobi, qui, ut erat reliquis omnibus apostolis futurus longævior, ita ipsum congruebat testem esse potentiæ Jesu. Hos tres solos hìc ad spectandam puellæ à morte suscitationem admisit, coram solis his tribus agonem cum mortis imminentis horrore iniit, Matth. 26, v. 37, denique hos tres testes esse voluit eorum omnium quæ gessit, quippe quibus à principio à se vocatis, ad majora statuerat uti: id quod novis illis nominibus, quæ his tribus imposuit quando creavit apostolos, Marc. 3, v. 16, 17, satis declaravit. Alios omnes non permisit intrare in cubiculum ubi puella jacebat. Prætermittit Lucas quod narrant Matthæus et Marcus Jesum ejecisse omnem istam turbam tumultuantem de quâ versiculo sequenti. Cur paucos adeò testes suscitationi hujus puellæ voluerit adesse Dominus una causa fuit: Non adhibet Christus arbitros ad pompam et inanem gloriam, à quâ aliena esse debet charitas et benefaciendi voluntas: satius fuit puellam, de cujus morte constabat, cujusque cadaver conspectum fuerat, repentè vivam, et vigoris plenam, ante hominum oculos prodire. Altera, ad æmulorum invidiam declinandam. Tertia, ut ne nimiùm sibi conciliaret populi favorem; *nondùm enim venerat hora ejus,* ut vel ab illis pateretur, vel ab his glorificaretur. Nam futurum erat istud præ cæteris insolens factum, quale nunquàm hactenùs

Philippi. Nam gratitudinis ergo erexit Christo statuam æneam in illâ civitate ante fores suas, ad cujus pedes pascebatur herba, quæ cùm fimbriam æneæ statuæ crescendo attigisset, morbis cujusque generis medendi vim habebat. Hanc statuam se vidisse testatur, lib. 7 Historiæ, c. 14.

Salvator ediderat, quo se mortis Dominum esse monstraturus erat, præcipuum quod de ipso sciri poterat : quod factum quanquàm sciret brevi evulgandum, aliud tamen erat vidisse morti imperantem, ut maximè permovet visus. Noluit autem mox ab initio totus innotescere; sed ordine quodam, quem ipse sciebat congruum et à Patre definitum, se etiam discipulis revelavit. Quare nec discipulos suos omnes hùc adhibet, sed paucos quosdam et eos selectos qui opportuno tempore idonei essent conspecti miraculi testes.

VERS. 52. — FLEBANT AUTEM. Cùm autem flerent eam omnes et plangerent, ut verè mortuam omnibusque conclamatam, dixit ipse, etc.

PLANGEBANT. Græcum propriè est cædere et ferire; translatum est ad mores funera lugentium, quòd illic tales esse soleant gestus, ferientium semetipsos. Compertâ morte, ut apud nos graves campanarum soni, ita apud Judæos tibicines, more, quod videtur, à gentilibus accepto, adhibebantur ad luctum (*Cantabat*, inquit ille, *mœstis tibia funeribus*), ad quorum modos, conductitii histriones canebant funebria carmina, tundebant pectora, ejulatusque lugubres edebant, et amicis ac vicinis utrinque dolor ambitiosè provocabatur : id quod etiam similitudo illa à Salvatore allata Matth. 11, v. 17, declarat : *Lamentavimus et non planxistis.*

NON EST MORTUA. Non negat vérè mortuam esse secundùm naturam, sed ita loquitur quomodò se habebat res ista in oculis ipsius, non ut se habebat in oculis eorum qui mortuam lugebant. Sibi ipsi mortua erat puella, parentibus, et huic turbæ tumultuanti, imò orbi universo; sed Christo Filio Dei, cui vivunt omnia, non erat mortua.

SED DORMIT, suscitationem ipsius exspectans, cui erat facilius à morte eam quàm hominibus à somno excitare. Dormire pro mori in sacris litteris frequens usurpatur, Act. 7, v. 60; 1 Cor. 15, v. 6; 3 Reg. 14, v. 20 et 31; verùm hìc Christus aliter videtur accipere : peculiariter enim inter somnum et mortem discernit, ut spem vitæ mox restituendæ faciat; ac si diceret : Non est mortua ut maneat in morte, sed dormit ad breve tempus : somnus est, non mors : statim namque expergefactam videbitis quam lugetis mortuam.

VERS. 53. — ET DERIDEBANT EUM; nec enim tenebant consilium Domini, stupidi et crassi homines, toti in profano luctu occupati. Fecit hoc ad confirmationem amplificationemque miraculi, quòd de morte nihil dubitationis apud eos restaret.

SCIENTES, quòd scirent esse mortuam.

VERS. 54. — IPSE AUTEM TENENS. Græcè : *Ipse autem cùm ejecisset omnes foràs et apprehendisset,* omnes scilicet præter mox nominatos, discipulos suos tres et parentes virginis, ita est et Syriacè. Porrò Latinè non leguntur hæc verba, *ejectis omnibus foràs, et;* viderique possint ex Matthæo et Marco hùc adjecta, nam Lucas satis istud intelligendum dedit superiori versu 51.

CLAMAVIT. Tanquàm alto somno pressam excitans. Clamore enim isto, et animæ absentiam, et mortis potentiam, sed vi vocis suæ inferiorem, significavit. Nam tametsi naturaliter clamor hic ad excitandos mortuæ sensus nihil proderat, vim tamen suæ vocis magnificè ostendere voluit, quò magis homines assuefaceret ad doctrinam suam audiendam, reque ipsâ monstraret quod alibi dixerat : *Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent,* Joan. 5, v. 25. Indè igitur apparet quàm efficax sit vox Christi, quæ ad mortuos usque penetrat, ita ut sit in ipsâ morte vivifica.

PUELLA, SURGE. In Marco est : *Talitha cumi, quod est interpretatum : Puella, surge.* Verba Syriaca sunt ambo, non tantùm prius, sed et posterius : quare et Syriaca editio ad eum planè modum habet : *Talitho coumi.* Syris et Chaldæis *tali* puerum significat, *puellam talitha.* Erat autem lingua Syra Chaldaicæ affinis admodùm, tunc vernacula Hebræis (unde etiam Hebraica dicebatur), quâ proindè et Salvator vulgò utebatur, ad popülum præsertim verba faciens. Gaudet porrò peculiariter Marcus, verba Domini, quibus miraculi aliquid operatus est, eâdem linguâ quâ pronuntiata sunt, referre, lectorem quasi in rem præsentem adducens; non quòd vis aliqua, aut efficacitas verbis eâ linguâ insit, sed contra potiùs, quò vim efficacitatemque omnem Salvatori adscribendam constaret; quippe qui usus sit vulgaribus verbis, è medio vulgi sermone petitis, ad differentiam ab incantatoribus, qui susurris, murmure, verbis, carminibusque obscuris, hoc est, invocationibus dæmonum, quædam aliquando admiranda faciunt. Propria itaque hoc loco et certa Jesu etiam ad mortuos excitandos virtus declaratur, cui tam ea esset in promptu, quàm alicui

VERS. 52. — NON EST MORTUA PUELLA : scilicet, sicut vos putatis, ut in morte maneat, sicut cæteri mortui, neque sit spes reviviscendi. SED DORMIT, quia mox expergefactam videbitis, quam lugetis ut mortuam; somnus igitur est, non mors. Unde quod multi dicunt : *Non est mortua,* quia omnia vivunt Deo, non videtur huic loco convenire; sic enim nullus mortuus diceretur, cùm tamen aliquid peculiare videatur Christus de hâc puellâ dicere, quod non de omnibus. Unde nec illo modo dicitur hìc puella *dormire,* quo omnes mortui, Dan. 12, vers. 2, vel peculiariter sancti dicuntur in morte dormientes, propter spem futuræ resurrectionnis; sed potiùs ad illum planè modum, quo, Joan. 11, vers. 11, dicit Christus : *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut à somno excitem eum.* Quod cùm non intellexissent, addit, *mortuus est,* indicans se eum à mortuis velle suscitare. Usus est autem hìc isto loquendi modo eâdem de causâ, quâ mox præcepit ut nemo sciret, videlicet ut hâc urbanâ ambiguitate minùs miraculum turbis innotesceret.

VERS. 53. — ET DERIDEBANT EUM; quia ignari istius consilii divini, et apud quos de verâ morte puellæ nulla erat dubitatio.

VERS. 54. — PUELLA, SURGE, ut ipso quodammodò gestu, et voce ageret tanquàm cum dormiente, quem manu et voce excitare solemus. Unde eâdem facilitate, quâ è somno excitata SURREXIT, ut Marcus, *ambulabat,* ET JUSSIT ILLI DARI MANDUCARE, ne phantasma putaretur.

nostrùm excitare dormientem : nam hujusmodi actione et oratione excitare solemus dormientes corpore sanos, apprehensâ manu et voce additâ : Petre, surge. Porrò *cum*, Syris, ita est surgere, ut stes ; qui situs viventium et valentium est, oppositus situi jacentis mortui.

Vers. 55. — Et, *tunc*.

Spiritus ejus, idem ille quo ante vixerat (manifestè enim hìc adstruitur animæ immortalitas), qui jam longè aberat à corpore, audivit tamen vocem Jesu revocantis, ejusque imperio accitus mox præstò fuit, adeòque celeriter reversus, in corpus totum denuò sese insinuavit, ita ut puella continuò surgeret è lecto, non modò rediviva, sed etiam ab omni morbo liberata.

Et surrexit, nullo majori negotio quàm si ex somno excitata et prehensa manu elevata fuisset.

Continuo. Qui profundo somno premuntur, nonnunquàm expergefieri non possunt, etiamsi semel atque iterùm inclames ac vellices : nec statim evigilant excitati, sed diù semisomnes, oscitantes, distendunt brachia, nutant capite, nonnunquàm et mento pulsant pectus, et nisi instes relabuntur in somnum. Hæc mortua confestim, ad vocem vocantis et excitantis Jesu, surrexit : faciliùs revixit ad vocem appellantis, quàm quis expergiscatur ad vocem excitantis. Agnovit enim animula, quæ pulsa morbo corpus reliquerat, vocem conditoris sui, et nihil cunctata reversa est in domicilium unde demigrârat.

Jussit illi dari manducare, ut non modò vivere, sed etiam benè valere ostenderetur et omnibus vitæ muniis rectè uti. Non enim solùm vitam ei subitò Salvator reddidit, sed et sanitatem. Ad hoc voluit etiam ut daretur illi quod ederet, ut certiorem redderet excitationis veritatem, ne videretur phantasma esse ; unde et dare noluit, sed jussit ut parentes ipsi hoc facerent. Porrò non de vitâ tantùm, sed et de prosperâ valetudine puellæ voluit hoc modo constare, declarans ipsam esurire, quod pueri grandiores à somno excitati solent cùm valent ; statim namque cibum petunt, quem, si non valent, recusant. Marcus addit, *et ambulabat*, quæ verba magis etiam indicant cum spiritu reversas esse vires et alacritatem. Geminum itaque hìc rursùs miraculum virtute Jesu editum est, quòd et anima in corpus sit revocata, et corpus sanitati restitutum quod ex ægritudine fuerat mortuum : potuisset enim anima etiam in ægrotum aut languidum corpus revocari ; sed utrumque præstitit, qui utrumque fuerat rogatus, nec voluit negare minus qui dedit majus.

Vers. 56. — Et stupuerunt, tantæ virtutis nec nisi divinæ tam efficacis tamque præsentis spectaculo.

Quibus præcepit. Græcè, *ipse verò præcepit eis.*

Ne alicui dicerent, ne quis id resciret ex ipsis. Sciebat enim non iri celatum, imò longè latèque sparsum iri, id quod ita factum Matthæus narrat (et quî poterat celari, quod puella ipsa, quam constiterat mortuam, eo ipso quo vivere conspiceretur, proderet?). Sed præcepit ex causâ duplici : una, ut vitaret ipse suspicionem affectatæ gloriæ, id quod potissimùm apud synagogæ primores agendum erat, qui nihil non faciebant ad laudem humanam emerendam ; altera, ut illi vel tantisper tacerent dùm ipse indè discessisset. Non enim gaudebat applausu populi, qui erat illìc rei eventum expectans magnâ turbâ.

CAPUT IX.

1. Convocatis autem duodecim apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent.

2. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos,

3. Et ait ad illos : Nihil tuleritis in viâ, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

4. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et indè ne exeatis.

5. Et quicumque non receperint vos : exeuntes de civitate illâ, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.

6. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique.

7. Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, et hæsitabat eò quòd diceretur

8. A quibusdam : Quia Joannes surrexit à mortuis : à quibusdam verò : Quia Elias apparuit : ab aliis autem : Quia propheta unus de antiquis surrexit.

9. Et ait Herodes : Joannem ego decollavi. Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.

CHAPITRE IX.

1. Or, Jésus ayant assemblé ses douze apôtres, leur donna puissance et autorité sur tous les démons, avec le pouvoir de guérir les maladies.

2. Puis il les envoya prêcher le royaume de Dieu, et rendre la santé aux malades ;

3. Et il leur dit : Ne portez rien dans le chemin, ni bâton, ni sac, ni pain, ni argent, et n'ayez point deux habits.

4. En quelque maison que vous soyez entrés, demeurez-y, et n'en sortez point.

5. Lorsqu'il se trouvera des personnes qui ne voudront pas vous recevoir, sortant de leur ville, secouez même la poussière de vos pieds, afin que ce soit un témoignage contre eux.

6. Etant donc partis, ils allaient de village en village, annonçant l'Evangile, et guérissant partout les malades.

7. Cependant Hérode le tétrarque entendit parler de tout ce que faisait Jésus, et il était dans une grande perplexité, parce que les uns disaient

8. Que Jean était ressuscité d'entre les morts ; les autres, qu'Elie était apparu ; et d'autres, qu'un des anciens prophètes était ressuscité.

9. Mais Hérode disait : J'ai fait couper la tête à Jean. Qui est donc celui-ci de qui j'entends dire de si grandes choses? Et il souhaitait de le voir.

10. Et reversi apostoli narraverunt illi quæcumque fecerunt: et assumptis illis, secessit seorsùm in locum desertum, qui est Bethsaidæ.

11. Quod cùm cognovissent turbæ, secutæ sunt illum: et excepit eos, et loquebatur illis de regno Dei, et eos qui curâ indigebant, sanabat.

12. Dies autem cœperat declinare: et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant, et inveniant escas: quia hìc in loco deserto sumus.

13. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quàm quinque panes, et duo pisces: nisi fortè nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas.

14. Erant autem ferè viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.

15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes.

16. Acceptis autem quinque panibus, et duobus piscibus, respexit in cœlum, et benedixit illis: et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.

17. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt: et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

18. Et factum est, cùm solus esset orans, erant cum illo et discipuli; et interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ.

19. At illi responderunt, et dixerunt: Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii verò quia unus propheta de prioribus surrexit.

20. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei.

21. At ille increpans illos: præcepit ne cui dicerent hoc.

22. Dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati, et reprobari à senioribus, et principibus sacerdotum, et scribis, et occidi, et tertiâ die resurgere.

23. Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidiè, et sequatur me.

24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.

25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum suî faciat?

26. Nam qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ, et Patris et sanctorum angelorum.

27. Dico autem vobis verè: sunt aliqui hìc stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.

28. Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, et assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem ut oraret.

10. Les apôtres étant revenus, racontèrent à Jésus tout ce qu'ils avaient fait; et Jésus les prenant avec lui, se retira à l'écart dans un lieu désert près de Bethsaïde.

11. Lorsque le peuple l'eut appris, il le suivit, et Jésus les ayant accueillis, leur parlait du royaume de Dieu, et guérissait ceux qui avaient besoin d'être guéris.

12. Comme le jour commençait à baisser, les douze vinrent lui dire: Renvoyez le peuple, afin qu'ils s'en aillent dans les villages et dans les lieux d'alentour pour se loger, et pour y trouver de quoi vivre, parce que nous sommes ici dans un lieu désert.

13. Jésus leur répondit: Donnez-leur vous-mêmes à manger. Ils lui repartirent: Nous n'avons que cinq pains et deux poissons; si ce n'est peut-être qu'il faille que nous allions acheter des vivres pour tout ce peuple.

14. Or ils étaient environ cinq mille hommes. Alors il dit à ses disciples: Faites-les asseoir par troupes, cinquante à cinquante.

15. Et ils firent ainsi, et les firent tous asseoir.

16. Et Jésus prit les cinq pains et les deux poissons; et levant les yeux au ciel, il les bénit, les rompit, et les donna à ses disciples, afin qu'ils les présentassent aux peuples.

17. Ils en mangèrent tous, et furent tous rassasiés; et on remporta douze paniers pleins des morceaux qui étaient restés.

18. Et il arriva que, comme il priait en particulier, ayant ses disciples avec lui, il leur demanda: Qui le peuple dit-il que je suis?

19. Ils lui répondirent: Les uns disent Jean-Baptiste, les autres Elie, les autres que c'est quelqu'un des anciens prophètes qui est ressuscité.

20. Et il leur dit: Mais vous, qui dites-vous que je suis? Simon Pierre, prenant la parole, dit: le Christ de Dieu.

21. Jésus leur défendit avec menace de dire cela à personne;

22. Car il faut, leur disait-il, que le Fils de l'homme souffre beaucoup; qu'il soit rejeté par les sénateurs, par les princes des prêtres, et par les scribes; qu'il soit mis à mort, et qu'il ressuscite le troisième jour.

23. Il disait aussi à tout le monde: Si quelqu'un veut venir après moi, qu'il renonce à lui-même, qu'il porte sa croix tous les jours, et qu'il me suive.

24. Car celui qui voudra sauver sa vie, la perdra; et celui qui perdra sa vie pour l'amour de moi, la sauvera.

25. En effet, que servirait à un homme de gagner tout le monde aux dépens de lui-même, et en se perdant lui-même.

26. Car si quelqu'un rougit de moi et de mes paroles, le Fils de l'homme rougira aussi de lui, lorsqu'il viendra dans sa gloire et dans celle de son Père et des saints anges.

27. Je vous dis en vérité, il y en a quelques-uns de ceux qui sont ici présents, qui ne mourront point qu'ils n'aient vu le royaume de Dieu.

28. Environ huit jours après qu'il leur eut dit ces paroles, il prit avec lui Pierre, Jacques et Jean; et monta sur une montagne pour prier.

29. Et facta est, dùm oraret, species vultûs ejus altera, et vestitus ejus albus et refulgens.

30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias,

31. Visi in majestate: et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.

32. Petrus verò et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros qui stabant cum illo.

33. Et factum est cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hìc esse: et faciamus tria tabernacula, unum tibi, et unum Moysi, et unum Eliæ: nesciens quid diceret.

34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos; et timuerunt, intrantibus illis in nubem.

35. Et vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite.

36. Et dùm fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.

37. Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

38. Et ecce vir de turbâ exclamavit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi:

39. Et ecce spiritus apprehendit eum; et subitò clamat, et elidit, et dissipat eum cum spumâ, et vix discedit dilanians eum:

40. Et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, et non potuerunt.

41. Respondens autem Jesus, dixit: O generatio infidelis et perversa, usquequò ero apud vos, et patiar vos? Adduc hùc filium tuum.

42. Et cùm accederet, elisit illum dæmonium, et dissipavit.

43. Et increpavit Jesus spiritum immundum, et sanavit puerum, et reddidit illum patri ejus.

44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei; omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.

45. At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud; et timebant eum interrogare de hoc verbo.

46. Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset.

47. At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, et statuit illum secus se,

48. Et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est.

49. Respondens autem Joannes, dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.

29. Et pendant qu'il priait, son visage parut tout autre; ses habits devinrent blancs et resplendissants.

30. Et voici deux hommes s'entretenaient avec lui: c'étaient Moïse et Élie,

31. Qui parurent pleins de majesté; et ils parlaient de sa sortie du monde, laquelle devait arriver dans Jérusalem.

32. Cependant Pierre, et ceux qui étaient avec lui, étaient accablés de sommeil; et s'étant éveillés, ils le virent dans sa gloire, et les deux hommes qui étaient avec lui.

33. Et comme ils se séparaient de Jésus, Pierre lui dit: Maître, nous sommes bien ici: faisons-y trois tentes, une pour vous, une pour Moïse, et une pour Élie: car il ne savait ce qu'il disait.

34. Il parlait encore, lorsqu'il parut une nuée qui les couvrit; et ils furent saisis de frayeur, en les voyant entrer dans cette nuée.

35. Et il en sortit une voix qui fit entendre ces mots: C'est ici mon Fils bien aimé: écoutez-le.

36. Pendant qu'on entendait cette voix, Jésus se trouva seul. Et ses disciples tinrent ceci secret, et ne dirent rien pour lors à personne de ce qu'ils avaient vu.

37. Le lendemain, lorsqu'ils descendaient de la montagne, une grande troupe de peuple vint au-devant d'eux.

38. Et un homme s'écria parmi la foule: Maître, jetez les yeux sur mon fils, je vous en supplie, car je n'ai que ce seul enfant.

39. L'esprit malin se saisit de lui, et lui fait tout d'un coup jeter de grands cris; il le renverse par terre; il l'agite par de violentes convulsions qui le font écumer; et à peine le quitte-t-il après l'avoir tout brisé.

40. J'avais prié vos disciples de le chasser; mais ils ne l'ont pu.

41. Alors Jésus prenant la parole, dit: O race incrédule et dépravée, jusqu'à quand serai-je avec vous, et vous souffrirai-je? Amenez ici votre fils.

42. Et comme l'enfant s'approchait, le démon le jeta contre terre, et l'agita violemment.

43. Mais Jésus ayant parlé avec menaces à l'esprit immonde, guérit l'enfant, et le rendit à son père.

44. Et tous furent étonnés de la grande puissance de Dieu; et lorsqu'ils étaient dans l'admiration de tout ce que faisait Jésus, il dit à ses disciples: Mettez bien dans votre cœur ce que je vais vous dire: Le Fils de l'homme doit être livré entre les mains des hommes.

45. Mais ils ne comprenaient point ce qu'il leur disait; et ce discours leur était tellement caché, qu'ils n'y entendaient rien, et ils appréhendaient même de l'interroger sur ce sujet.

46. Or il leur vint cette pensée dans l'esprit, lequel d'entre eux était le plus grand.

47. Mais Jésus voyant les pensées de leur cœur, prit un petit enfant, et le mettant auprès de lui,

48. Il leur dit: Quiconque reçoit cet enfant en mon nom, me reçoit; et quiconque me reçoit, reçoit celui qui m'a envoyé; car celui qui sera le plus petit parmi vous tous sera le plus grand.

49. Alors Jean prit la parole, et lui dit: Maître, nous avons vu un homme qui chasse les démons en votre nom; et nous l'en avons empêché, parce qu'il ne vous suit pas avec nous.

50. Et ait ad illum Jesus : Nolite prohibere : qui enim non est adversùm vos, pro vobis est.

51. Factum est autem dùm complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem.

52. Et misit nuntios ante conspectum suum : et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi.

53. Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.

54. Cùm vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes, dixerunt : Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos?

55. Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritûs estis.

56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum.

57. Factum est autem, ambulantibus illis in viâ, dixit quidam ad illum : Sequar te quòcumque ieris.

58. Dixit illi Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

59. Ait autem ad alterum : Sequere me. Ille autem dixit : Domine, permitte mihi primùm ire, et sepelire patrem meum.

60. Dixitque ei Jesus : Sine ut mortui sepeliant mortuos suos ; tu autem vade, et annuntia regnum Dei?

61. Et ait alter : Sequar te, Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi sunt.

62. Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retrò, aptus est regno Dei.

50. Jésus lui dit : Ne l'en empêchez point, car celui qui n'est pas contre vous, est pour vous.

51. Lorsque le temps auquel il devait être enlevé du monde était près de s'accomplir, il se mit en chemin avec un visage assuré, pour aller à Jérusalem.

52. Et il envoya devant lui des gens qui, étant partis, entrèrent dans un bourg des Samaritains, pour lui préparer ce qui était nécessaire.

53. Mais ceux de ce lieu ne voulurent point le recevoir, parce qu'il paraissait qu'il allait à Jérusalem.

54. Ce que voyant Jacques et Jean ses disciples, ils lui dirent : Seigneur voulez-vous que nous commandions que le feu du ciel descende, et qu'il les consume?

55. Mais Jésus se retournant, les reprit, en leur disant : Vous ne savez à quel esprit vous appartenez.

56. Le Fils de l'homme n'est pas venu pour perdre les hommes, mais pour les sauver. Ils s'en allèrent dans un autre bourg.

57. Comme ils étaient en chemin, un homme lui dit : Seigneur, je vous suivrai partout où vous irez.

58. Jésus lui répondit : Les renards ont leurs tanières, et les oiseaux du ciel leurs nids ; mais le Fils de l'homme n'a pas où reposer sa tête.

59. Mais Jésus dit à un autre : Suivez-moi ; et il lui répondit : Seigneur, permettez-moi d'aller auparavant ensevelir mon père.

60. Jésus lui repartit : Laissez aux morts le soin d'ensevelir leurs morts ; mais pour vous, allez annoncer le royaume de Dieu.

61. Un autre aussi lui dit : Seigneur, je vous suivrai, mais permettez-moi de disposer auparavant de ce que j'ai dans ma maison.

62. Jésus lui répondit : Quiconque ayant mis la main à la charrue regarde derrière soi, n'est point propre au royaume des cieux.

COMMENTARIA.

Vers. 1.—Apostolis. Græcè, discipulis, et addunt Græca pleraque exemplaria, *suis*. Syrus tantùm habet, *duodecim suis*.

Virtutem et potestatem ; potestatem et auctoritatem ; imperium et jus agendi, conjunctum virtuti ipsi effectrici : nam apud Deum conjuncta sunt potestas et facultas.

Super, *in*, omnia dæmonia, omne genus dæmoniorum. Non tamen absolutam potestatem accipiunt, ut illis quidvis cum dæmonibus agere liceat pro arbitrio, sed, quod Matthæus addit, *ut expellerent eos*, ut ne intelligeres dedisse potestatem qualem habent ipsi immundi spiritus. Sensus est igitur dedisse eum potestatem ejiciendi dæmones.

Languores, morbos. Dominum se Patri æqualem declaravit, quando non tantùm habuit ipse, verùm etiam aliis dedit, hujusmodi facultatem. Cæterùm non dedit illis virtutem intrinsecam seu inhærentem ad hæc præstandum, qualem habuit ipse ; sed auctoritatem dedit, cui ipse virtute sibi inhærente assisteret ut ne esset inanis. Solent monarchæ legatis suis ea addere, quæ ipsis auctoritatem apud illos concilient ad quos mittuntur. Quia ergo inter homines nullo ferè loco erant discipuli isti, legatio autem quam illis injungebat Christus divina erat ; deinde, cùm neque ingenio neque facundiâ pollerent, rei autem excellentia et novitas requirerent plus quàm humanas dotes ; ne deesset auctoritas, spiritûs eos potentiâ ornavit, instruxit cœlestis potentiæ insignibus, quæ fidem ac reverentiam apud populum conciliarent ; sigilla eis auctoritatis divinæ tradidit, nempe miraculorum efficiendorum facultatem (quo modo et cum Mose veteris legis præcone egerat Deus, Exodi 4) ; verùm non hujusmodi miraculorum, quæ ipsos redderent formidabiles, sed quæ convenirent cum legatione ipsâ, quæ de humanæ naturæ restitutione et perfectione, deque æternâ salute erat, quò beneficâ morborum corporalium sanatione, allicerent rudes ad ea quæ essent animi : sic enim et ipse Christus negotium instituebat.

Vers. 2.—Misit, emisit, sive potiùs emandavit. Siquidem id est propriè ἀποστέλλειν, cum mandatis emittere, à quo verbo dicti sunt *apostoli*. Hìc apostoli, nuper electi quò ad id muneris se præpararent, Marci 3, v. 14, et Luc. 6, v. 13 (nam Matthæus non electionem, sed missionem solam describit) mittuntur ad præsentem functionem, jubenturque se ad opus accingere. Priùs ergo destinabantur in spem futuri laboris : nunc horam venisse Christus denuntiat, quâ manus operi admoveant. Hactenùs Jesus per se solus

Evangelium prædicaverat, duodecim apostolos interim variis modis formans atque instituens, velut post acceptum Spiritum sanctum in prædicandi munus successuros. Verùm ut ipsi interim quoque specimen aliquod suî darent in tanti muneris functionem, et vivo adhuc magistro suî periculum facerent, misit illos ut leviori palæstrâ in Judæâ se exercitarent; interim hâc apostolorum discursione et Evangelii promulgatione effectum est, ne aliquis in Judæâ posset ignorantiam adventûs Christi prætexere.

Regnum Dei. Hoc illud idem est regnum, quod Matthæus dicit *regnum cœlorum,* nempe, ut scirent Judæi, primùm, se divinitùs restitui, non hominum beneficio; deinde, felicem fore ipsorum sub Deo rege statum; tertiò, non terrenam ac caducam felicitatem ipsis promitti, sed cœlestem et nunquàm finiendam. Sed de his jam egimus supra.

Infirmos, ægrotos.

Vers. 3. — In via, Græcè, in viam, ad iter, id est, cujusmodi gestare solent, qui aliquò proficiscuntur, nec sunt pecuniâ instructi.

Neque virgam, Græcè, neque virgas, quanquàm in aliis Græcis libris est numerus singularis, ut Latinè, cui etiam favere videntur Græci tractatores. In virgâ discrepare videntur evangelistæ : nam quæ apud Marcum permittitur, apud Matthæum et Lucam negatur. Verùm variè acceperunt evangelistæ virgam, Matthæus et Lucas, armorum loco; Marcus, scipionis sive baculi, qui viatores sustinet ac levat, itinerisque laborem alleviat; utilis etiam est ad trajicienda flumina quæ vadari possunt, et ad lamas atque alia difficilia loca saltu superanda. Non enim voluit Christus profectionem apostolis esse onerosiorem, quin expeditiorem. Ad iter verò faciendum, gestandi baculi morem fuisse antiquitùs, constat; unde meminit Scriptura virgæ Mosis, Exodi 4, v. 2, et baculi Elizæi, 4 Reg. 4, v. 29; et Gen. 32, v. 10, Jacob ait : *In baculo meo transivi Jordanem istum :* quibus verbis fatetur se vacuum nullisque cum divitiis venisse in Syriam : est enim virga viatorum pauperum ac nudorum signum, cùm alii equès curruve incedere soleant, aut pedès arma gestare. Luc. 22, gladium opponere videtur virgæ olim à se prohibitæ : nam est virga quâ te adversùs hostes defendas, aut eos etiam invadas; de quâ legis : *Reges eos in virgâ ferreâ,* psalmi 2, v. 9. Et : *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium,* etc., Isa. 14, v. 5. Armorum autem usus iis non convenit, qui divinæ tutelæ præcones testesque sunt. Mandatorum istorum, quibus Christus hoc capite instruit apostolos suos, quædam pertinent ad solam hanc particularem apostolorum in Judæam legationem, ut illud de non intrando civitates gentium aut Samaritanorum; quædam ad solam generalem illorum in universum terrarum orbem legationem, ut illa quæ de persecutionibus loquuntur. Occasione enim præsentis hujus et particularis legationis, instruit eos, quo modo et in futurâ illâ generali ac graviori, ad quam hâc particulari formabantur, ipsos se gerere oportebit. Quædam pertinent ad utramque legationem, et hanc particularem, et futuram illam generalem, ut pleraque omnia; quæ primùm quidem de hâc particulari, de quâ sermo instituitur, deinde verò et de universali, ubi eadem et major ratio militat, intelligenda veniunt. Inter hæc numeranda sunt ea quæ de non tollendis impedimentis agunt, quæ tamen aliter à Salvatore intellecta et præcepta videntur in hanc particularem, aliter in futuram illam generalem. Ad hanc enim profectionem præcisè voluit apostolos suos accingi Christus, absque omni pecuniâ, viatico et sarcinis; id quod docemur ex verbis ejus in ultimâ cœnâ, Luc. 22, v. 35, ubi de præteritâ hâc missione loquens ait : *Quando misi vos sine sacculo et perâ et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Quòd autem non præcisè et juxta litteram hoc semper præceperit apostolis suis, præter hoc quòd eadem illa secundùm Lucam verba non obscurè indicent, manifestum ex eo est, quòd neque apostoli, 1 Thessal. 2, v. 9; 2 Timoth. 4, v. 13; 1 Cor. 9, v. 5; neque Christus ipse, Luc. 8, v. 3; Joan. 13, v. 29; hoc semper observârunt, qui et loculos habuerunt, et mulieres sorores à quibus alerentur ac curarentur circumduxerunt. Relata igitur hæc de impedimentis præcepta, ad perpetuum apostolorum officium (ut referenda etiam sunt), intelligenda sunt vetare studiosam de his rebus necessariis prospectionem, quâ vel impediri possit Evangelii prædicatio, vel minui ministerii evangelici auctoritas, vel non tale exemplum contemptionis rerum terrenarum præberi, quale præberi congruum est à præconibus regni cœlorum. Atque hoc est quod veteres Patres volunt, quando hæc tanquàm perpetua præcepta interpretantur. Nam et hùc respicit Christus, apostolos suos hâc vice omninò nudos de industriâ abs se emittens, ut non modò nullis impedimentis retardentur, quos vult totos vacantes delegatæ functioni intra paucos dies Judæam lustrare et statim ad se reverti; sed etiam, quâdam divinæ Providentiæ, curam gerentis fidelium verbi præconum, quasi degustatione, ad futuram illam in universum terrarum orbem legationem præparentur : quò pendere discant totâ fiduciâ de providentiâ Dei, et sciant, etiamsi nihil aliquando adsit eorum quibus præsenti vitæ opus est, quinimò immineant hostilia et adversa omnia, non eis defuturam principis Christi, à quo legati missi sunt, prospectionem, modò gnaviter et sincerè munus obeant suum; itaque abjiciendam semper anxiam et diffidentem, imò omnem rerum necessariarum sollicitudinem, quâ prædicationis negotium impediatur. Idcircò enim quærit ex ipsis postremò secum cœnantibus quod mox recitavimus : *Quando misi vos sine sacculo et perâ et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt : Nihil. Dixit ergo eis : Sed nunc,* etc. Ex quibus verbis primùm patet præceptionem illam nudè intellectam fuisse temporariam; deinde, ad hoc institutam fuisse, ut discipuli experirentur quod dictum est, esse Christo Domino operariorum à se in opus missorum curam, idque experti non distinerentur sollicitudine de rebus ad vitam ne-

cessariis quando Evangelii divulgandi causâ mundus esset obeundus; hic scopus fuit omnium.

Neque peram, vobis comparate. Peram viatoriam intelligit, quâ panem et aliquid obsonii gestare viatores solent; sub quâ intelligit et poculum viatorium, quo vinum. Continens accipiendum est pro contento.

Neque duas tunicas, id est, tunicas mutatorias, quarum alterâ in itinere, alterâ in locis ubi hæreatis, utamini, vel plures tunicas quàm in præsentem usum sit necessarium. Sub tunicâ autem, et cætera vestimentorum genera, vetat assumi mutatoria; aut certè tunicam pro quovis vestimenti genere accipit. Duas, ἀνὰ δύο, binas singuli; nam particula ἀνὰ distributionem declarat hoc loco; deerat autem in Octavo codice. *Duas* sive binas, nempe, unam indutam, alteram in sarcinis; unam necessariam, alteram superfluam.

Habeatis, ἔχειν habere; id est, ἔχετε, enallage Græcis familiari; quamvis sanè dura sit hoc loco, cùm præcedat αἴρετε, et μένετε subsequatur. Itaque in quodam codice scriptum erat ἔχετε, in alio verò simpliciter, μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας, ita scilicet, ut αἴρετε repetatur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ.

Vers. 4. — Intraveritis, scilicet divertendi seu hospitandi causâ.

Ibi manete, hospitamini apud illum, dignum scilicet quem inveneritis, non mutantes hospitium, quasi vel leves sitis, vel appetentes mensæ lautioris, cujuscumque ordinis facultatisve sit hospes; sed contenti iis quæ vobis ille ministraverit, utimini iis parcissimè summoque cum temperantiæ exemplo, ne videamini vestra commoda quærere potiùs quàm aliorum.

Ne exeatis. Græcè et Syriacè omittitur negatio : quæ Hebraica dicendi est forma, quasi dicas, illic manete quando domi manendum fuerit, et inde exite quando domo exeundum fuerit, quamdiù scilicet in eo oppido hærendum putaveritis. Cæterùm intelligi possit eadem esse sententia sive addatur sive omittatur negatio. Nam, omissâ negatione, jubet ut oppidum aut victum relicturi, ex eâ domo exeant in quam primùm diverterint; quod priores evangelistæ dicunt : *Ibi manete donec exeatis;* additâ verò negatione, vetat ne ex eâ domo quam hospitii loco semel elegerint exeant ad quærendum aliud hospitium. In summâ, prohibet ne hospitium mutent. Infra 10, v. 7, clariùs dicit discipulis 70 quos similiter emittit : *Nolite transire de domo in domum. Ne exeatis* igitur, civitate illâ aut castello, donec Evangelii illìc vulgati negotium hortabitur aliò demigrare. Si longa alicubi mora trahenda esset, posset occurrere causa mutandi hospitii, ut, ne unus quispiam, præsertim tenuioris fortunæ, nimiùm gravaretur; sed non facilè mutandum est, *ne hospitalis necessitudinis jura prædicator regni cœlorum violet,* quod in Lucam ait Ambrosius.

Vers. 5. — Pulverem pedum vestrorum, qui adhæserit pedibus vestris ex domo illâ aut civitate. Signum et actionis genus longâ oratione significantius et efficacius, quo jussi sunt uti apostoli, quò significarent, tantùm abesse ut terreni commodi venandi gratiâ ipsos accesserint, ut nullo vel levissimo commodo, imò vel communissimâ re, cum ipsis qui Evangelium Dei rejiciunt, quippe maledictis, communicare velint. Jussi autem sunt uti hujusmodi protestatione, aut, ut ita dicamus, detestatione, partim ad terrorem istorum, partim ad consolationem suî. Ad consolationem suî, ne frangerentur animis propter contemptum doctrinæ suæ, neve illis remoram afferret mundi ingratitudo; hoc enim præcipuè consilium Salvator habuit, sicubi respueretur eorum doctrina, justo ipsorum dolori et tædio solatium adhibere, ne in medio cursu fatiscerent, quin animosè despicientes omnem hominum contumaciam, per media obstacula constanter pergerent, ut qui Deo obsequentes ac placentes hominum favore non indigerent. Ad terrorem autem contemptorum repulsorumque Evangelii jussi sunt apostoli hoc actionis genere uti, excussione pulveris è pedibus; quia anathematis signum est, maledictionis condemnationisque quæ incolas, adversùs quos fit, maneat, ob quam nihil sibi velint apostoli cum ipsis esse commune, ne quâ fortè re communicantes, et maledictione communicent; idcircò enim solemus omnia hujusmodi hominum abominari. Porrò hìc observandum est, nullum esse idoneum cœlestis doctrinæ magistrum, nisi qui sic affectus erit, ut ejus contemptu crucietur atque uratur; nam ut quis, hujusmodi exsecrationis formâ denuntiet horrendum exitium, quod eos manet qui oblatam salutis gratiam suâ ingratitudine respuunt, fieri non potest, quin acerrimo doctrinæ, quam prædicat, asserendæ zelo flagret.

Supra, adversùs, illos, quo testamini illis nihil rerum ipsorum à vobis quæri aut desiderari, adeòque nihil vos velle vobis commune esse cum ipsis, quippe maledictioni jam proximis. *Jam enim securis,* etc., Matth. 3, v. 10.

Vers. 4.—Ne exeatis; alienum est enim, ut Ambr., à prædicatore regni cœlestis, cursitare per domos, et inviolabilis hospitii jura mutare : nam levitatis vel appetentiæ mensæ lautioris speciem habet, et hospes primus contristari aut offendi solet.

Vers. 5. — Etiam pulverem pedum vestrorum excutite. Quod Augustin., quæst. 7 super Matth., juberi putat, vel ad contestationem terreni laboris, quem pro illis inaniter suscepissent; vel ut ostenderent, usque adeò se ab ipsis nihil terreni lucri quærere, ut etiam pulverem de terrâ eorum sibi non paterentur adhærere; quas duas rationes et Chrysost. tangit. Proximè tamen videtur hoc fieri in signum anathematis ac maledictionis eorum, utpote cum quibus, velut maledictis, nec pulverem quidem velint habere communem. Hoc est enim quod ait, *etiam pulverem,* scilicet rem vilissimam et minimam, et quia Paulus et Barnabas ad litteram hoc observantes, Act. 13, v. 51, dicuntur excussisse pulverem pedum in eos, id est, contra eos, manifestum est, hanc cæremoniam adhiberi, quemadmodùm Marcus ait, *in testimonium,* et ut Lucas *in testimonium supra illos,* nempe rebellionis et condemnationis eorum, atque ita ad terrorem rebellium : talis enim actio significatior et efficacior est, quàm verba.

Vers. 6. — Egressi, scilicet ex eo loco quo erant cum Jesu, quando hæc mandata dabat. Porrò Matthæus silentio transit quid egerint apostoli acceptis hujusmodi à Christo mandatis : Marcus autem et Lucas referunt injunctam sibi provinciam promptè obiisse; quin etiam eà peractâ ad Christum esse reversos ; infra, v. 10.

Circuibant, peragrabant, obibant per castella, singula castella seu vicos, scilicet terræ Israel. Matth. 10, v. 6.

Evangelizantes, prædicantes pœnitentiam regnumque cœlorum.

Curantes, sanantes. Evangelium sanitatum miraculis astruentes.

Ubique, in castellis omnibus ad quæ divertebant.

Vers. 7. — Tetrarcha, Galilææ, de quo supra 3, v. 1.

Ab eo, Jesu, per se maximè, tum etiam per discipulos. Syrus, *in manu ejus,* id est, operâ ejus.

Hæsitabat, pendebat animi dubius, perplexus atque ancipitis consilii. Syrus : *Mirabatur.* Mirum videri posset jam demùm à morte Joannis ab Herode audiri res gestas Jesu, quæ celebres erant etiam vivente Joanne, Matth. 11, v. 2, 5, nisi, quod Chrysostomus notat, consideretur crassa hujus, ut ferè principum, negligentia, quibus curæ non est quid viri virtute conspicui prædicent, quo à vitiis homines ad virtutem adducant; vel enim omninò non referuntur ea ad illos, ut quæ parvi faciant, vel certè si referantur, audiunt oscitanter, ita ut animum non adjiciant. Certum præterea est Herodem hoc tempore bellis occupatum fuisse adversùs Aretham regem, ulciscentem filiæ suæ repudium. Ad hæc, ante repudium istud et bellum Romam fuisse profectum testatur Josephus, libro 18 Antiq., cap. 2. Cæterùm eâ tandem celebritate inclaruit nomen Jesu, ut vi in Herodis aulam irruperit, illamque ita penetraverit, ut turbârit universam, nec ultra potuerit tyrannum latere. Hoc igitur eo consilio evangelistæ referunt, ut sciamus non obscuram fuisse Evangelii prædicationem, sed regibus, tyrannis, et omni populo notam, ita ut nemo ignorantiam potuerit prætexere.

Joannes. Aliorum primùm fuit hæc sententia, eorum qui ante Joannis mortem Jesum non noverant, è quorum numero cùm esset Herodes, ivit et in eorum sententiam, quòd neminem nôsset Joanne sanctiorem, quòd eamdem intelligeret esse Jesu quæ fuerat Joannis doctrinam : *Pœnitentiam agite,* etc.; præcipuè verò timere adductus quem commissi in Joannem sceleris conscientia genuit; timore, inquam, ne aut graviùs reprehenderetur, aut vindictam divinam, Joanne jam multò quàm antea fortiore, efficaciore et diviniore ex resurrectione redeunte experiretur, populo in se concitato aliisve modis. Quemadmodùm igitur trepidæ vacillant malæ conscientiæ, et, dùm pessima quæque præsumunt, ad quamlibet auram flectuntur, Sap. 17, v. 11 ; ita quod metuit tyrannus facilè concipit, creditque id quod timet, et perturbatus, consilii capiendi causâ, confert rem cum ministris familiaribus suis, ut refert Matthæus.

Surrexit. Quemadmodùm cadere dicitur qui moritur, ita surgere qui reviviscit.

A mortuis, inter quos erat, è quorum numero erat, phrasis sacræ Scripturæ familiaris. Vix menses aliquot præterierant ex quo interfecerat Joannem, et tamen resurrexisse eum arbitratur; erat enim Judæorum de resurrectione scientia rudis admodùm quæ ante Joannem et Jesum non perinde clarè docta fuerat. Joannis porrò sanctitati hoc tribuit cum aliis Herodes, quòd statim à morte redierit ad vitam. Testatur enim Josephus Pharisæorum fuisse opinionem animis bonorum facilem esse ad vitam reditum, libro 18 Antiq., cap. 2. Intelligebat ergo Herodes quòd anima Joannis redire potuisset in corpus nuper occisum, faciei lineamentis vocisque sono tanta rerum mutatione variatis.

Vers. 8. — Elias. Ex personæ gravitate, prædicationis libertate, et miraculorum famâ, interpretabantur eum esse Eliam, maximè cùm Scripturis prophetarum accepissent Eliam rediturum, nec mortuum, sed raptum, Malach. 4, v. 5, 4 Regum 2, v. 11, 12.

Propheta unus de antiquis, à morte rediit in vitam. Non certo nomine, sed verè tamen unum aliquem antiquissimorum illorum ac miraculis celeberrimorum prophetarum redivivum apparere credebant, eorum præsertim quibus florentibus maximè rerum mutationes à Deo paratæ fuerant. Cujusmodi Moses, Josue, Samuel, Jeremias, fuêre. Nam ut sibi persuaderent novum esse prophetam suæ ætatis, majora erant ea quæ gerebat ac patrabat, quàm ut permitteret invidia in æquales. Tantùm igitur homines, ex miraculorum, virtutis, doctrinæ ac integritatis vitæ Jesu observatione, asseculi hactenùs fuerant : quorum cùm variæ sententiæ essent, nulla tamen ultra propheticam dignitatem processerat. Erant qui eò profecerant ut Christum esse crederent (ut illi qui ipsi acclamaverant, *Fili David*), sed pauci, et quidem obscurè, nec sine errorum admixtione plurimorum; nam plerique, quominùs ipsum crederent Christum,

Vers. 8. — Quia Joannes surrexit a mortuis. Fides enim de resurrectione etiam apud Judæos erat, quamvis informis ante Christi prædicationem. Unde quidam putant, hic per resurrectionem intelligi Pythagoricam metempsychosin, eò quòd Joseph. dicat lib. 2 de Bello Jud. c. 7, Pharisæos tradidisse, quòd animæ bonorum in alia migrarent corpora; sed intellexisse videntur alia corpora, quantùm ad qualitatem, sicut et Christiani credunt. Unde idem Joseph., Pharisæorum sententiam tradens, 18 Antiquit. c. 2, dicit juxta Pharisæos animabus bonis facilem esse ad vitam reditum; et Lucas, in Actis cap. 23, v. 8, apertè ait Pharisæos resurrectionem confiteri. Elias, propter personæ gravitatem, reprehendendi libertatem, et operandi efficaciam. Eliam enim Judæi rediturum credebant. Propheta unus de antiquis, cui sit similis, vel qui etiam resurrexerit à mortuis.

desiderabant in eo regiæ dignitatis splendorem, offensi ipsius humilitate. Nulli verò eò usque assurrexerant, ut aliquid humanâ naturâ præstantius de ipso sentirent.

Vers. 9.—Et ait, variis populi opinionibus auditis.

Audio; q. d. : Joannes esse non potest, licèt ea sit quorumdam opinio. Ita locutus est Herodes apud alios quos noluit conscios esse timoris sui, ne fortè cum Joanne adversùs ipsum conspirarent : pueris verò suis, id est, ministris familiaribus, aperuit sententiam eam in quam propendebat, rebus exactiùs apud se discussis timoreque impellente, quam Matth. c. 14, v. 2, et Marc., c. 6, v. 16, narrant. Sic schola Græcorum.

Quærebat, cupiebat. Neglexit tamen, nec vidit nisi Jerosolymis sub mortem Jesu, infra 23, v. 8.

Videre; nam Joannem visu probè noverat, eâ formâ quâ nuper vixerat.

Vers. 10. — Et reversi. Reversi autem, ex itinere, quod à Christo missi iniisse leguntur supra, v. 6.

Quæcumque fecerunt. Narraverunt et quas audierant Herodis vulgique de ipso opiniones ; sed præcipuè quæ egerant. Mandatis à Christo acceptis discesserant concorditer alii in alias Judææ partes, ut in unius nomine pariter agerent quidquid agerent; ad eumdem concorditer redeunt, magnâ alacritate commemorantes quàm res ex animi successisset sententiâ, cupientes scire an ea probaret Jesus, et an satisfecissent ipsi officio ad quod fuerant ab ipso emissi. Horum exemplo et nobis semper ad Christum est recurrendum, eique nos et omnia nostra probanda deferre oportet; nam qui vel docent vel agunt quæ Christo non probantur, cæci illi sunt et duces cæcorum. Laus denique omnis et gloria, illi ipsi, agenti bona et præclara per nos, tribuenda est.

Et, pro tunc.

Secessit, ut quietem illis præstaret à laboribus; nam quiete interpositâ et animus et corpus ad novos labores vegetiora redduntur.

Qui est Bethsaidæ, Græcè urbis quæ vocatur Bethsaida. Syriacè est ut Latinè. *Bethsaidæ desertum* dicitur, quòd situm esset in agro sive territorio urbis Bethsaidæ; et quidem ultra eam urbem venientibus Capharnao, inter Bethsaidam videlicet et Tiberiadem.

Quod cum, Græcè, sed cùm hoc.

Et, ipse autem, excepit eos, benigno vultu, quòd cerneret eorum fervorem, fessus licèt quiete opus haberet.

De regno Dei, amplectendo, et quæ eò pertinent mysteria.

Sanabat. Matthæus solius sanationis, Marcus solius doctrinæ, Lucas utriusque meminit, ut quas semper junxerit Christus.

Vers. 12. — Accedentes, ex monte, in quo permiserat eos requiescere et cibum sumere interea dùm curat ipse populum. Tantus erat utrinque fervor et Christi et populi ut discipuli existimarent nec Christum ipsum necessitatis populi meminisse. Capiunt itaque ipsi cordi curam ejus rei.

Divertant. Syrus addit, *in eis*.

Escas, frumentationem, cibaria. Meminerant fortassis apostoli, quo in periculo fuerint Moses et Aaron, quando eductis in desertum populis deerat panis; arduum est enim ad ventrem verba facere qui caret auribus; fames et mora bilem in nasum conciunt.

Deserto, ubi nullus suppetit cibus. Locus aptus mox edendo miraculo, ut ne quis diceret ex vicino oppido aliquid ad illam mensam fuisse conductum. Præterea, in hoc tempus distulit Dominus miraculum quod in animo habebat edere, primùm ut discipuli animis essent ad illius considerationem erectis, deinde ne videretur citra necessitatem ad miraculi operationem prosilire, insuper ut turbæ esurientes majori miraculi sensu moverentur, ad hæc ut eò illustrius esset miraculum, quò copiosiore cibo opus erat ad sedandam majorem famem, denique ut declararet quàm semper habeat in promptu opem, quâ eorum qui in ipso fiduciam collocant, necessitatibus subveniat.

Vers. 13. — Vos. Non dicit : Ego illos pascam, quod arrogantis visum fuisset; sed, vos, inquit, date illis quod comedant. Exercendæ fidei discipulorum causâ ita ipsos alloquitur, ut, dùm agnoscunt ipsi inopiam suam, vel ad ipsius recurrant providentiam omnipotentem, vel ad miraculum saltem attenti reddantur. Nam cùm admirabile aliquid et repentinum, priorum nonnunquàm oblivionem adducere soleat, primùm eos propriâ confessione alligari voluit, ne ullo stupore obliviscerentur.

Non sunt nobis, etc.; q. d. : Non est hìc nobis possibile, ut quibus nihil ampliùs suppetat quàm...... Infirmi adhuc carnisque addicti mediis, monstrant suæ in Jesum fidei exiguitatem, quanquàm promptam præ se ferant voluntatem juvandi populi.

Quinque. Unus sufficere fortassè poterat nutriendis quinque ad summum aut sex; nam hujusmodi magnitudinis esse queant panes quinque, onus unius adolescentuli, Joan. 6, v. 9. Observa frugalitatem apostolorum et neglectum copiæ.

Pisces, haud dubiè paratos in cibum. Itaque non est nobis facultas pascendi illos.

Nisi fortè, modus loquendi quoties absurdum quidpiam aut impossibile significatur.

In omnem hanc turbam, qui toto huic populo sufficiat.

Escas, quod nôsti nobis esse impossibile, ut quibus desit tantùm nummorum.

Vers. 14. — Erant autem; Græcè, *aderant enim;* ita est et Syriacè. Reddit causam evangelista ob quam discipuli illud tam absurdum judicârint.

Viri, non comprehensis, ut addit Matthæus, mulieribus et puerulis; qui et ipsi comederunt et satiati sunt, sed extra numerum sunt. Putant quidam horum non minorem fuisse numerum quàm virorum : verùm, credibile est, deserti et prolixioris itineris

pedestris difficultate, hos majori ex parte fuisse revocatos, nec accurrisse nisi ex vicinioribus deserto locis.

Facite. Præceptum videbatur in speciem ridiculum, alimentis parvâ adeò copiâ suppetentibus, tantum invitare et accumbere facere convivarum numerum; sed probare Christus voluit, discipulorum, quos sollicitos esse videbat, obedientiam, eosque docere, ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt, sibi subdita esse, Rom. 4, v. 17. Porrò illi, tametsi nihil viderent apparatûs, tamen ad jussum Domini jubent turbam discumbere, velut jam apponendis epulis.

Discumbere. Sic enim conveniebat ut cibum sumerent, non confusè in turbâ, sed ordine collocati, quò manifestum esset miraculum. Voluit hìc Dominus reipsà confirmare suum illum dictum : *Quærite primùm,* etc. Matth. 6, v. 33. Nam idcircò non negligit eos, qui ipsius causâ sui fuerant obliti, quanquàm non perinde purè, sanitatem magis et signa, quàm Christum sectarentur, Joan. 6, v. 2. Porrò, qualis fuit simplicitas obediendi apostolorum, ut juberent discumbere, talis et facilitas obsequendi populorum, ut uno tantùm verbo jussi discumberent, de fine licèt incerti.

Per convivia, *discubitus,* per singulos et varios discubitus. Discubitus vocat Lucas quod Marcus convivia; sed quia non expressit Marcus cujusque discubitûs numerum, dixit, *convivia convivia,* qui Hebraismus est, pro, per singula seu diversa convivia, intervallo scilicet distincta. Hebræi enim pro distributivis, quibus carent, utuntur vocabulis geminatis, quo modo et Syrus hoc loco dicit, *ordines ordines.* Simile Marci 6, v. 7, et 4 Reg. 3, v. 16. Sensus est igitur ut discumbere facerent, non promiscuè simul omnes, sed distinctos per convivia et contubernia, id est, tot simul quot unum convivium seu convivantium contubernium, unâ mensâ, capere posse solet. Id jussit Christus, eo consilio, ut, ordinibus sic dispositis, ordinatiùs omnia fierent, magisque conspicuum esset miraculum, dùm numerari homines commodiùs possent, et alii alios respicientes sibi invicem testes essent cœlestis hujus gratiæ.

Quinquagenos, per quinquaginta, id est, in singulo quoque discubitu seu convivio quinquagenos. Syrus : *Quinquaginta ordines in ordine,* seu discubitu, scilicet uno. Ita statuit discipulis suis Christus : porrò illi, intellectâ præceptoris mente, prout ferebat locorum opportunitas, in quibusdam ordinibus centenos collocârunt, quod Marcus habet cap. 6, v. 40.

Vers. 15. — Et ita, ita igitur.

Et discumbere fecerunt omnes. Huic lectioni receptæ suffragatur Syrus dùm utitur verbo conjugationis *hiphil.* Quorumdam librorum lectio est : *Et discubuerunt omnes,* quâ quidem non repetitur res eadem, ut priore illâ. Græca similiter variant.

Vers. 16. — Acceptis in manus, coram omni multitudine, quò constaret et de miraculo et de se auctore.

In coelum, ad Deum Patrem, testatum faciens non aliunde se quàm à Deo Patre missum, ab eoque se habere potestatem his alimentis benedicendi, et se sua omnia illi accepta ferre, deque omnibus proinde gratias agere. Docens ad hæc non priùs mensam esse attingendam, quàm Deo gratias egerimus pro cibis datis (meretur enim gratitudo beneficiorum accumulationem) ejusque benedictionem cœlitùs traxerimus.

Benedixit illis. Benedixit autem, *benedictione augens illos ac multiplicans,* quod ait Origenes. *Panes enim illi tanquàm semina erant* (Augustinus ait), *non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata.* Benedixit igitur, id est, impartivit, dedit illis, multiplicationis virtutem, vim seminalem, vim, inquam, maximâ copiâ producendi ex se sibi simile. Benedicendi enim verbum, cùm ad homines refertur in sacro sermone, benè precari; cùm ad Dei Christique auctoritatem, benefacere est, et amplificationis vim facultatemque significat. Sic initio mundi benedixit animalibus Deus, cùm diceret : *Crescite et multiplicamini,* etc., Gen. 1, v. 22, 28. È converso *maledixit terræ,* cùm sterilem reddidit, Gen. 3, v. 17, Marci 11, v. 21, *maledixit ficui,* quando arefecit. Porrò benedicens panibus ac pisciculis Christus, etsi non est usus signo crucis (quod cavillantur hæretici), cujus virtus nondùm promulgata erat, verisimile est tamen exteriori aliquo signo usum, ut, sacræ ac vivificæ manûs impositione.

Et fregit. Paternus planè mos est frangendi sive, ut nostrate loquamur more, scindendi panis, Christo Domino usitatus, quo non est alius paterfamiliâs aut major aut liberalior. In hâc autem Christi fractione, cœpta est fieri multiplicatio, quæ aucta est in discipulorum distributione, perfecta autem inter manus edentium; ita enim et multitudini illi opportunè ministratum est, et singulis testatior facta est virtus benedictionis Jesu. Porrò non quinque panes multiplicantur in plures (sic enim de Dei tantùm illos suppeditantis, non de Jesu constitisset virtute), sed *fragmentis fragmenta succedunt, et fallunt semper præfracta frangentes,* Hilariis verbis utor. *Frangente enim Domino, seminarium fit ciborum,* ait Hieronymus. « Vidisses, Ambrosius inquit, incomprehensibili « quodam rigatu, inter dividentium manus, quas non « fregerant, fructificare particulas, et intacta fran- « gentium digitis sponte suâ fragmenta subrepere :

Vers. 16. — Acceptis, ut se miraculi istius et multiplicationis auctorem ostenderet, respexit in coelum, ut gratias ageret, Deo Patri, pro beneplacito faciendi tantum miraculum in salutem hominum tum corporalem cùm spiritalem. Matth. et Marc. insinuant hanc gratiarum actionem, per aspectum in cœlum ; Joannes verò sub eâ comprehendit benedictionem, non Dei, sed panum : nam Lucas expressè dicit : *Benedixit illis :* et Marcus ; *Benedixit et fregit panes,* ad effectum scilicet multiplicationis. Porrò facta est hæc multiplicatio panum, non de novo creando, sed materiam præjacentem aeris in panes vertendo, ut Iren. lib. 3, capite 11, ut ita declararet, inquit, se esse eumdem qui omnia ex nihilo creaverat. Multi-

« quemadmodùm videmus liquidis fontibus continuos « fluere successus, et quidquid de illis auferas usura- « rio quodam reparari meatu. » « Multiplicabantur « enim, ait Chrysostomus, in discipulorum manibus « quinque illi panes ac fontis in morem scaturiebant. » Vide infra.

DISTRIBUIT, plenis, credibile est, cophinis.

DISCIPULIS, ut his primùm testatum fieret miraculum, simul et decorum in ministerio servaretur. Nam quasi parùm esset oculatos esse testes, vult Christus suam ab ipsis virtutem palpari. Præparat deinde et illos et populum, ut illi quidem sciant se ministros fore, cibi spiritualis à Christo accepti, distribuendi populo, populus autem assuescat illis dispensatoribus mysteriorum Christi, 1 Cor. 4, v. 1.

TURBAS. Populo nil proponendum est, quod non sit acceptum à Christo.

VERS. 17. — MANDUCAVERUNT ex quinque illis panibus et duobus piscibus.

OMNES, nemine excepto.

SATURATI SUNT, ad saturitatem usque manducaverunt: multis enim cibus datur non ad saturitatem. Omni ex parte miraculum fit manifestum : primò quidem ex eorum saturitate qui epulati fuerant; mox verò ex escarum copiâ quæ superfuerant; postremò ex eorum multitudine qui ad saturitatem usque manducaverant.

SUBLATUM EST. Docemur hìc ne, reliquias bonorum quibus pasti sumus, suum more perdamus. Admonemur et frugalitatis: neque enim major Dei largitas, luxuriæ irritamentum esse debet.

QUOD SUPERFUIT, scilicet ex panibus et piscibus, Marci 6, 43. Ne putes, aut phantasma fuisse, aut parcè cibum suppetisse, ecce reliquias. Miraculo instructum convivium, numeris omnibus absolutum : nam potum miraculo præbere necesse non erat, qui è vicino mari suppetebat, dulcis illo et potabilis aquæ, teste Josepho, l. 3 de Bello Jud., cap. 18.

COPHINI DUODECIM. Verisimile est, præter fragmenta à discipulis in duodecim cophinos collecta, et alia non pauca à pluribus è populo reservata fuisse, tum in usum futurum, tum ad rei gestæ memoriam. Dives certè Christo penu, ita pascenti eos qui in se confidunt, ut non solùm satientur, sed et multa supersint, majoresque, quàm fuerat summa appositorum, colligantur reliquiæ, in futuras aliorum dierum necessitates. Vides et beneficentiæ exitum prosperrimum. Apostoli enim, qui Domino in communem usum quinque panes ac pisciculos duos impenderant, hos summâ liberalitate compensatos recipiunt. « Quin et aliâ quoque de causâ, ait Victor Antioche- « nus, tantam reliquiarum vim facere visum fuit, ni- « mirùm, quò publicè hinc constaret, tantam rerum « abundantiam magis provenisse, ad ostendendam fa- « cientis virtutem, quàm ad explendam præsentem po- « puli necessitatem. » Nam et idcircò cophinos reliquiarum, non plures neque pauciores, sed consultò pares esse fecit numero apostolorum, duodecim, inquam; ut Apostoli, futuri orbis magistri, dùm suis singuli manibus unum reliquiarum cophinum gestant, miraculum memoriæ tenaciùs infigentes, suo illud tempore orbi promulgent, eoque Christi Domini virtutem testatam faciant. Populus enim parùm hinc emolumenti accepit : mox namque oblitus, petit aliud signum, Joan. 6, v. 30. *Cophinus* Græca vox est quâ omnes evangelistæ utuntur; quam et interpres Syrus servavit, *Couphinin*, non minùs quàm Latinus, ut non dubium sit quin fuerit ea Christi Domini tempore Judæis usitata. Est autem mensuræ genus cophinus, iis qui de hoc argumento scribunt : verùm hìc accipitur procul dubio, pro eo genere corbis, quod Judæis pauperioribus foris agentibus, consuetum fuisse gestare, ad stipis rerumque necessariarum haud dubiè repositionem, Juvenalis poeta ridet satyrâ sextâ, nec non et tertiâ, quâ ait, *Judæis quorum cophinus fœnumque supellex;* nam quòd fœnum addit, ex eo esse non est veri dissimile, quod in cophino aliquid semper fœni paratum haberent, sive ad tegenda reposita, sive ad servandam interiorem cophini munditiam; quanquàm alii stratum intelligunt per fœnum. Hùc facit quod Josephus, l. 2 de Bello Jud., cap. 14, narrat de Judæis Flori avaritiæ illudentibus, canistrum eos circumtulisse, stipem ejus nomine postulantes. Facile itaque est creditu, postquàm mos hoc Judæorum habebat, in tantâ multitudine non paucos suppetîsse cophinos, quos libenter obtulerint singuli suos, ad colligendas tam admirabilis convivii reliquias; ut taceam non potuisse deesse unum aut alterum ipsi familiæ Christi. Porrò cophinos hujusmodi, licèt non essent publica rerum mensura, consuevisse tamen fieri certâ quâdam et eâ ferè æquali magnitudine, ita ut unius propemodùm ejusque publicitùs notæ essent capacitatis, ut est credibile; ita Evangelium non obscurè indicat, distinguens inter cophinum et sportam, Matth. 15, v. 37; 16, v. 9, 10; Marci 8, v. 8, 19, 20. Cujus porrò quantitatis capaces fuerint, liceat colligere ex onere, cujus probabile est capaces fuisse, tanto videlicet quanto non incommodè brachio ferri queat. Arias Montanus putat cophinum idem esse quod Hebraicè *sal;* cui D. Hieronymus in Genesim adstipulatur dicens *sal* rectiùs cophinum verti quàm canistrum, Gen. 40, v. 16, 17, quo ex loco videri

plicavit eos autem, partim in manibus suis, ut Augustin. hìc, partim in manibus discipulorum, ut Chrysost., partim in manibus discumbentium, ut Hilar., 3 de Trinit. Unde Ambr. in Lucam ea conjungit, in manibus distribuentium et comedentium.

VERS. 17. — SUBLATUM EST, primò, ut exstaret memoria abundantiæ suavitatis Domini, quòd ipse uberior sit in dando, quàm humanæ mentis angustia in sperando, secundò, ut magis commendaretur miraculi magnitudo: tertiò, *ne perirent;* id enim et œconomia bonorum Domini, et reverentia erga ejus liberalitatem postulabat. COPHINI DUODECIM, id est, canistra seu corbes (non enim significat hìc mensuræ genus, sicut aliquando) FRAGMENTORUM, non solùm ex panibus, sed et ex piscibus, ut Marcus addit. Itaque multò plus superfuit, quàm antequàm comedissent; quod non patuisset, nisi fragmenta recondi jussisset. Mysticum sensum hujus miraculi vide

possit, *sal* corbis genus esse, tanti capax quantùm esse possit onus virilis capitis; somnium est enim quod habet de tribus canistris. Quod porrò Septuaginta *cophinum* transtulerunt Psalmi 80, v. 7, alia est vox Hebraicè, nempe *doud*. Ad hujusmodi igitur immensam hominum turbam cibo explendam, Christi faciente benedictione, aucti sunt quinque illi panes et pisciculi duo : quemadmodùm aspicimus, ejusdem benedictione, augeri quotannis frumenti copiam, unde et in præsentiarum victus mundo suppetat, et in futurum semen. Sed hoc quidem paulatim, succedente tempore facit, ut ex unoquoque frumenti grano in terram jacto multa producat, illo, inditâ sibi virtute, ex vicinâ terrâ, materiam sibi adjungente, et alimenta exsugente, quæ in suam convertat naturam, quò fiat ut et crescat et multiplicetur : istud verò uno temporis momento fecit, eo quo durare potuit convivium illud, inditâ panibus ac pisciculis illis virtute, quâ, ex tempore, adjunctam sibi circumstantem aeris aliamve materiam, quam Deo placuit exhibere præsentem, possent in suam naturam convertere et sibi reddere similem. Nam ut simpliciter dicas additum Dei virtute fuisse similem panem ac piscem, absque eo ut primi illi quinque panes et duo pisciculi quidquam eam ad rem contulerint, non sit hoc saturare 5,000 virorum ex quinque panibus et duobus pisciculis, seu frangere quinque panes in quinque hominum millia (quo modo loquitur Scriptura, Matth. 16, v. 9; Marci 8, v. 19, et alibi), rursùs restare duodecim cophinos reliquiarum ex illis panibus et piscibus, Marci 6, v. 43; Joan. 6, v. 13.

VERS. 18. — ET FACTUM EST, post tot generum miracula edita.

SOLUS, seorsùm à turbâ.

ORANS Patrem pro discipulorum illuminatione, ut Pater revelaret eis cognitionem ipsius; est enim illa donum Patris, quod ipse docet, Matth. 16, v. 17, id quod et obtinuit in Petro.

ET DISCIPULI, discipuli tamen. Græcè et Syriacè rectiùs omittitur *et*.

ET INTERROGAVIT, postquàm orationem absolvisset. Interrogabat autem non discendi, sed docendi gratiâ.

QUEM. Non de morum sanctitate, aut vitæ integritate quærit, quæ notissima erat, sed de opinione dignitatis auctoritatisque suæ; et id quidem non propter gloriæ cupiditatem, quam ille non affectabat, sed ut discipulos, declarantes hominum de ipso judicium varium, doceret certius et majus aliquid sentire, in ipsorum aliorumque utilitatem.

TURBÆ. De primatibus Judæorum, adversariis, calumniatoribus, et persecutoribus suis manifestis plerisque omnibus, non rogat, ut quos constaret nihil de ipso boni prædicare : apud plebeios porrò benè audiebat. *Turbæ* ergo, seu populi terræ, qui biennio jam et eo ampliùs doctrinam meam audierunt, vitæ institutum doctrinæ conforme observârunt, miracula conspexerunt, plerique etiam veritatem utilitatemque miraculorum reipsà senserunt, quorum de me opiniones audîsse potuistis à me emissi, et audire aliquando potestis iterùm.

VERS. 20. — VOS. Magna est in hoc pronomine emphasis, quâ discipuli opponuntur et separantur à vulgo hominum; q. d. Salvator : In varias de me sententias sectum est hominum vulgus, quemadmodùm retulistis; vos autem, qui perpetui fuistis, et operum meorum spectatores, et doctrinæ auditores, qui familiariter mecum publicè privatimque individui socii versati estis, qui in nomine meo plurimas ipsi quoque fecistis virtutes, quibus mysteria regni cœlorum nudè absque parabolarum ambagibus aperui, et omnia quæcumque audivi à Patre nota feci, quibus proinde meliùs certiùsque innotuisse debeo.

QUEM, quâ dignitate auctoritateque præditum : quousque nam profecistis vos fide in me?

DICITIS. Non ignorabat quid sentirent, sed ab iis inprimis qui aliorum erant doctores destinati, oris confessionem exigit, laudaturus siquidem rectè sentiant; sin minùs rectè, emendaturus.

SIMON PETRUS. Græcè non est aliud quàm *Petrus*; Syriacè non aliud quàm *Simon*.

DIXIT primus sententiam suam, ut qui et primus erat à Christo in hoc collegio, et cæteris erat ferventior. Silentibus haud dubiùm reliquis et hæsitantibus quid essent dicturi, Petrus, qui jam ardebat veritatis divinitùs sibi revelatæ amore, ante cæteros sententiam dicere voluit, eò magis quòd metueret ne quis eorum indignius aut abjectius quid proferret quàm Christi majestatem deceret. Suam dixit sententiam, non collegarum, cum quibus rem non contulerat, quorumque opiniones non erat rimatus; verùm id dixit quod sibi et omnibus tenendum esse credidit, quodque ut omnes sequerentur optavit.

CHRISTUM DEI. Additur Græcè articulus emphaseos nota : Christum illum Dei, illum unctum Dei, illum à Deo immediatè, nullo hominum adhibito ministerio, præque consortibus omnibus, unctum, regem, sacerdotem, et prophetam. Prophetam ad dandam scientiam salutis plebi ejus, sacerdotem ad reconciliandum

accuratè apud Augustin., tract. 25 in Joan.

VERS. 18. — INTERROGAVIT ILLOS; non inanis gloriæ vel discendi studio, sed docendi veritatem, ut, qui cum Unigenito Dei habitarent, tanquàm simplicem hominem non contemnerent, inquit Cyril., catechesi 11. QUEM ME DICUNT ESSE TURBÆ, seu vulgus, prout excludit primates populi et apostolos.

VERS. 19. — JOANNEM BAPTISTAM; cujus anima corpus occisum repetiverit. Fuit ista et Herodis sententia, supra, propter vitæ scilicet innocentiam et prædicationis similitudinem, de pœnitentiâ agendâ et regno cœlorum. ALII AUTEM ELIAM; qui tanquàm præcursor veri Messiæ, cujus tempus adesse suspicabantur, apparuerit, nempe propter personæ Christi severitatem, gravitatem, et miraculorum magnitudinem.

VERS. 20. — VOS AUTEM. Emphasin habet ista antithesis. Vos, inquit Chrysost., qui mecum semper versantes, plura me fecisse vidistis, qui meo nomine complures virtutes ipsi quoque fecistis, QUEM, seu cujus auctoritatis ac dignitatis, ME ESSE DICITIS? Omnibus autem reticentibus, RESPONDENS SIMON PETRUS DIXIT, tanquàm ferventioris fidei, quàm cæteri, ut

illos Deo; regem ad protegendum illos et ornandum. Et quia divina planè erat redemptio, quam per Filium suum exhibere Deus statuerat, idcircò oportuit illum, absque hominum operâ, Dei unctione præ aliis omnibus insignem, à cœlo prodire. Nihil ferè commune habet hoc Petri testimonium cum illis quæ apostoli ex hominum opinione retulerant : illic enim humana omnia, quamvis sanctissima; hic omnia divina, profunda, admiranda, fidei, spei, et consolationis plena, indicantur. Brevis, sed ingens sensu responsio. Hæc mea de te, quem video oculis meis, auribus audio, manibus contrecto, quicum familiariter hactenùs versor, sententia fidesque est.

Vers. 21. — At ille, ille autem. Post laudatam Simonis fidem, et, ob fidei excellentiam, honorum eminentiam illi promissam; ne arbitrarentur discipuli, hoc idem sibi non tantùm sentiendum, verùm etiam mox divulgandum omnibus ac prædicandum, hòc prohibuit.

Illos, apostolos concilio præsentes.

Dicerent, aperirent, aut persuadere conarentur suam de ipso sententiam ac fidem priusquàm ipse permitteret. Prohibet apostolis, non sibi ipse; ipse enim, et pro concione illud docuit non obscurè, quando noverat ipse expedire (Joan 5, v. 18, et 8, v. 58, et 10, v. 30), et mortem denique subiit pro confessione hujus veritatis, Marci 14, v. 61, 62, 64; Joan. 18, v. 37; 1 Timoth. 6, v. 13. Voluit Jesus mox à principio ea agere, per quæ rebus ipsis ostenderet se esse Christum Filium Dei vivi, hominumque animos ad eam fidem recipiendam præpararet : voluit tandem et apostolos illud scire certòque cognoscere, quod jam vidimus, ut majori cum attentione opera verbaque ipsius omnia observarent, et illum etiam gravissimè usque ad crucem et mortem oppressum colerent, testes postea futuri et admiratores divini consilii. Cæteros prorsùs omnes ab apostolis noluit latere hanc veritatem (videmus quî Marthæ exposita fuerit Joan. 11, v. 27, nec dubium quin et Mariæ aliisque similibus domesticis fidei), imò voluit ab adversariis sciri atque intelligi quòd se haberet pro Christo Filio Dei, partim ex suis ipsius sermonibus, partim ex Judâ proditore et exploratoribus, verisimile est, Luc. 23, v. 2; Joan. 19, v. 7, et hujus rei tanquàm criminis voluit accusari et condemnari, quod diximus; sed noluit adhuc ab apostolis suis illud divulgari et prædicari persuaderique passim cuilibet, non tam quòd nondùm illi idonei essent ad hanc rem, ut nondùm erant, quàm ne tenella fides hominum animis insita, imminentis passionis tempestate subverteretur atque eradicaretur absque omni spe restitutionis. Alienissimum enim erat ab omnium tam opinione quàm exspectatione Christum à suâ gente reprobari et occidi, quod nec in Deum cadere posse, sententia erat omnium longè etiam receptior. Constat autem, quod jam radices egit, si evulsum fuerit, non facilè posse iterùm plantatum pullulare; hominesque qui in summâ aliquem habuerint æstimatione, si semel exciderit ille, difficillimè posse ad pristinam de illo opinionem reduci. Atverò mysterio crucis omnique passione consummatâ, et scandalis omnibus de medio sublatis, quando nihil restaret quod retundere aut perturbare multitudinis fidem posset, imò quando primis miraculis postrema gloriosissimè responderent, tunc opportunum futurum erat Jesum esse Christum Filium Dei vivi mundo prædicari et sinceram atque immobilem fidem omnium animis imprimi, ut etiam tunc maximè post toleratam humiliter atque obedienter mortem crucis, opportunum futurum erat *Christum intrare in gloriam illam suam,* infra, 24, v. 26. De quâ Apostolus, Philipp. 2, v. 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Alii alias afferunt causas hujus præcepti Jesu; sed hæ duæ, quarum priorem exponit schola Chrysostomi, loco sunt propriæ si proximum versum consideres.

Vers. 22.—Dicens, addens silentii præcepti causam.

Quia oportet, quòd oporteat, vel certè omittendum *quia. Oportet,* necessarium est, ad satisfaciendum prophetarum vaticiniis, Patrisque mandato, ac suo ipsius consilio, id est, ad præstandum Christi officium et redimendum humanum genus. Necessitas intelligitur, non coactionis, sed finis; et omninò consequentiæ, quod aiunt dialectici, non consequentis.

Filium hominis, qui idem est Christus Filius Dei, id est, se, quod habet Matthæus.

Multa, multas verborum rerumque injurias, quas infra historia passionis explicat. Non suffecit Christo mortem pati, sed exposuit se etiam ferendis impiorum injuriis multiformibus, ipsâ morte nihil levioribus, tum ut plenissimè satisfaceret justitiæ Dei pro nobis è peccati servitute redimendis et sanctæ æternæque vitæ asserendis, tum ut absolutissimum nobis relinqueret patientiæ ferendarumque æquo animo adversarum rerum exemplum.

Pati. Horum enim ea perversitas erit ut inferant mala, Patris autem illud consilium ut feram.

Reprobari, ut inutilem, imò perniciosum, ut lapi-

Hieron., in c. 14, v. 28, tanquàm os Apostolorum, et vertex consortii totius, ut Chrysost. hic, tanquàm princeps apostolorum, et summus Ecclesiæ præco, ut Cyrillus, cateches. 11. Christum Dei, Græcè longè efficaciùs additur articulus, *Tu es ille Christus,* id est, Tu es ille singularis Christus seu unctus, et verus Messias; et quamvis hominem esse videamus, simul tamen es naturâ, non adoptione, ut cæteri sancti : ille unicus Filius Dei, non cujuslibet, sed Dei *vivi,* ut additur secundùm Matthæum, cui propriè competit generatio : quo epitheto Deus verus à diis gentium, idolis aut mortuis hominibus distingui solet. Ex quo patet, quàm perfecta fuerit ista Petri confessio. Si qui enim Filium Dei vel Messiam antea confessi fuerant, non aliter hoc intelligebant quàm communi vulgi sensu, scilicet quòd esset Filius Dei adoptivus, ut alii sancti, tametsi cæteris præcellentior, et Messias carnaliter Judæis magnâ cum gloriâ regnaturus.

Vers. 21. — Præcepit ne cui dicerent hoc, id est, suam illam sublimem de divinitate suâ fidem promulgarent; quia, inquit, oportet Filium hominis multa pati, id est, quia brevi à scribis et populo Judaico

dem structuræ ineptum atque incommodum ab ædificantibus : alludit enim ad illud Psalmi 117, v. 22 : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*, etc., quod disertè etiam citat ipse Marci 12, v. 10.

Senioribus. Ii sunt presbyteri quos Latinè *senatores*, penes quos auctoritas ; sed de hoc egimus supra. Vide etiam quæ diximus de *principibus sacerdotum et scribis*. Si à plebeiis motu populari incitatis ferendum aliquid fuisset, minùs probrosum fuisset, quàm si ab iis qui plebi præerant, et quidem omnibus ordinibus conspirantibus, judicum, doctorum, summorum sacerdotum. Populum enim, facile fuisset credere, levi insolentià agitatum, innocentem injustè vexâsse ; at de his quorum erat jus dicere, et insontes tueri, non facile esse poterat hujusmodi quid persuaderi. Cùm faceret igitur hæc ignominia ad passionis suæ exaggerationem, et turbare non leviter discipulos posset, explicuit illam Jesus. Nihil enim minùs consentaneum erat, quàm gratiam peculiariter Judæis promissam, à gentis ducibus reprobari.

Et occidi. Etiam occidi ab illis adhibito gentium ministerio ; vide infra 20, v. 15. Occidi ab his Christum necessum erat, quia tanta erat eorum malitia, quanta non ferret vitam benefacientis omnibus Christi. Mori autem Christum necessum erat, ex definito Patris suoque ipsius consilio, ad humani generis redemptionem. Suppetebant quidem omnipotenti Deo plures aliæ rationes redimendi humani generis, qui uno voluntatis suæ jussu poterat rem omnem conficere ; sed mortem Filii sui hominis facti judicavit rationem esse omnium aptissimam. Debebatur hominum peccatis æterna mors, justitià exigente ; illorum nullus pro aliis satisfacere idoneus erat, cùm omnes æquè mortis essent rei ; quin et si eorum aliquis fuisset innocens, non tamen suffecisset is, ut nec ulla alia creatura, cujus virtus omnis finita est, satisfacere justitiæ pro peccatis admissis in majestatem Dei infinitam mortemque promeritis æternam ; justitià enim postulante, non alium, sed hominem pro homine luere. Quare oportebat ut, si congruâ maximè ratione redimendus esset homo, innocens Dei Filius factus homo mortem subiret, qui, et ut homo mori proque fratribus satisfacere pro morte morte redditâ posset, et ut Deus tantam dignitatem virtutemque, infinitam, inquam, operibus humanæ naturæ in unitate personæ sibi unitæ tribuere, quanta necessaria esset ad satisfactionem. Hoc Dei consilium ut discipulis suis Jesus integrè tandem aperiret, postquàm docuerat illos veritatem tam divinæ in se quàm humanæ naturæ (judicavit enim paulatim et servatò ordine quodam docendos), cœpit jam illis et passionem suam mortemque prædicere, ne quid ignorarent eorum mysteriorum, quæ ad officium Christi, et procurandam humani generis salutem pertinerent. Noluit illis ante persuadere futuram occisionem suî, quàm firmâsset illos in fide deitatis suæ ne persuasa mors obstaculum præberet fidei in Deum immortalem ; sed postquàm Deum se esse confirmaverat, ne continuò abriperentur in eam opinionem in quam cum plerisque omnibus propendebant, fore ut Christus regnum hoc in mundo felicissimum iniret, atque eò felicius quò Deus ipse adversa omnia facilè posset avertere, et suo omnes dominatui subjugare, voluit subjicere mortis brevì sibi inferendæ prædictionem ; simul illos muniens adversùs procellam illam tempestuosam, ne, dùm reprobari, affligi, occidi, morique ipsum cernerent, à fide in ipsum ac spe deficerent, postquàm viderent omnia longè ante ab ipso præscita fuisse, ac proinde facilè ab ipso caveri potuisse, nisi certo suo Patrisque consilio ultrò hisce malis se ad tempus exponeret.

Tertia die, scilicet à suî occisione ; vide infra 11, v. 30.

Resurgere, suscitari, scilicet à morte ; divinâ, in quam mors non cadit, humanam naturam suscitante. Suscitandi verbum metaphoram habet à somno ; resurgendi à casu sumptam : mors enim nunc casui nunc somno comparatur. Necessarium fuit Christum à morte resurgere ; frustra enim mortuus fuisset, nisi mortem suâ morte vicisset ; vicisse autem mortem non poterat, qui in morte ipse remaneret : quare *impossibile fuisse*, ait Petrus, Act. 2, v. 24, *ut ab inferno ille detineretur*. Resurgere autem oportuit, non quovis modo, sed nunquàm ampliùs moriturum, ad vitam, inquam, immortalem et regnum æternum. Voluit porrò addere Salvator hujus suæ à morte resurrectionis significationem, ne dejicerentur animis discipuli, si audirent illum ad mortem et quidem probrosam tendere, nec intelligerent quid mortem consecuturum esset : quasi nihil aliud esset Jesu propositum, quàm docere aliquandiù, et doctrinam miraculis stabilire, deinde mori, et morte finem accipere ; quod certè non fuisset Christum Dei Filium hominumque Salvatorem se præstare. Admonet itaque, ubi visuri essent morientem, forti animo diem exspectare tertium, quo visuri sint superatâ morte viventem.

Vers. 23. — Ad omnes. Superiora solis discipulis locutus fuerat ; hæc omnibus, sed præcipuè ut discipulorum suorum mentibus imprimeret indubitatam suæ passionis mortisque quam prædixerat exspectationem ; docet omnes, etiam turbas consultò advocatas

crucifigendus sum. Nempe ne id, quòd paucis accidit, Matth. 27, v. 40, et seqq., omnibus accideret, hoc est ne tanto scandalo crucis et mortis ejus, quo et discipuli et ipse Petrus perturbati sunt fidem perderent. Nam, ut Chrysost., id quod radices jam egit, si evulsum fuerit, non tam facilè potest iterùm plantatum pullulare. Hæc ergo prædicatio gloriæ Christi servabatur post resurrectionem, sublatis è medio omnibus scandalis.

Vers. 23. — Abneget semetipsum, id est, in periculis vitæ, et carnis afflictionibus ita afficiatur, quàs alius illa pateretur, nullam scilicet suî vitæque curam habeat. Quod Chrysostomus, homiliâ 56, intelligi posse monet ex abnegatione aliorum, quos tunc abnegare dicimur, cùm eos negligimus, et eorum vitam pro nihilo ducimus. Hòc Luc. vocat *abnegàre animam suam*, ut distinguatur contra *abnegare patrem*, *matrem*, etc., et est aliquod supremum in vitâ spirituali, supponens abnegationem affectuum suorum. Et tollat crucem suam, id est, quamcumque afflictionem e

(quod Marcus habet), quid sapiendum hujusmodi in negotio, ut sapias quæ Dei sunt, nimirùm, non sibi tantùm, sed et suo exemplo ipsi Petro et prorsùs omnibus, mortem cæterasque adversitates forti animo ferendas ubi à Deo immittantur; quas etiam suâ causâ plerisque inferendas dat intelligendum.

Si quis. Quisquis, sit princeps, sit plebeius; sit senex, sit juvenis; sit vir, sit femina.

Vult. Loquitur tanquàm liberum relinquat unicuique, ut suaviùs attrahat; cæteroqui, etsi in liberâ hominis voluntate sit positum non sequi Jesum, ei tamen qui servari velit necessarium est sequi.

Post me venire, me sequi, non pedibus, sed imitatione; discipulus verusque sectator meus esse, et fieri civis regni cœlorum quod à me prædicatur et promittitur.

Abneget, ἀπαρνησάσθω. Plus habent emphaseos verba ista composita quàm simplicia: omninò neget se nôsse, habeat se tanquàm qui prorsùs non nôrit, id est, tanquàm qui omninò non amet, non diligat.

Semetipsum, non tantùm sua. *Qui me desiderat, se abjiciat,* ait sanctus quidam. Syrus, *animam suam;* ita enim consuevit uti animæ voce pro hujusmodi pronominibus. Quo loquendi modo et nos legimus, Luc. 14, v. 26, *odisse animam suam,* idem unum cum eo quod hìc habemus, *abnegare semetipsum.* Semetipsum autem quando abnegare jubetur discipulus Christi, non id quod est creatione intelligitur abnegare debere, sive corpus, sive animam (quorum non minima illi injungitur cura), sed id quod est aut esse potest suâ voluntate. Nam quia voluntas inter facultates humanæ animæ principatum gerit, totumque adeò hominem gubernat et regit, idcircò abnegare semetipsum sive animam suam dicitur, qui abnegat voluntatem suam. Suam autem non quamcumque jubetur abnegare (nec enim hominem agat qui voluntate non utatur), sed ita suam, ita propriam, ut non consonet voluntati Dei, proprium omne velle quod à Dei lege aut certè Dei voluntate discrepet: quod ut frequens, ita varium et multiplex est in unoquoque hominum, à corruptione præsertim naturæ. Itaque *abneget semetipsum*, id est, constans rejiciat ac repudiet omne id quod ita voluntati naturæ suæ humanæ jucundum gratumque est, omne id in quod ita propendet voluntate propriâ, ut Dei voluntati non sit consentaneum, considerans non quid sibi bonum, sed quid Deo gratum sit. Hoc ut faciamus eò spectat oratio illa: *Fiat voluntas tua,* Matth. 6, v. 10, ex cujus proinde expositione hujus præcepti petenda est expositio. Hoc autem qui facit, judicatur ab hominibus *abnegare semetipsum,* non nôsse, non diligere semetipsum, cùm reverà maximè is diligat semetipsum, et qui contra agit, verè abneget oderitque seipsum; nam ab hominum vulgari judicio sumpsit hanc loquendi rationem Servator.

Tollat. In humeros, supponat lubens humeros cruci. Nam quanquàm Deus cruce oneret tam malos quàm bonos, non tamen crucem accipere dicuntur, nisi qui humeros libenter subjiciunt. Crucem quidem naturâ rejicimus; sed cùm humili æquoque animo quidquid Deus imponit patimur, crucem accipimus.

Crucem, mortem, cruciatum, afflictionem, adversitatem quamcumque, etiam gravissimam, qualis est mors crucis. Tertium addit affectum humanum omnium potentissimum, nimirùm hominis erga seipsum, quem et ipsum cedere oporteat amori Christi. Igitur à specie ad genus Salvator progreditur, ut sciamus non fore nos ipso dignos, nec aliter nos posse in ejus discipulis censeri, nisi ad omnes ærumnas ferendas compositi simus. Si nos torquet atque excruciat, quòd fidei causâ nobis est cum patre vel uxore vel liberis dissidium, veniat oportet nobis in mentem ista conclusio Christum omnes suos discipulos cruci addicere. Nam quia crux supplicii genus erat, omnium vilissimum ac dirissimum, quodque in se uno cætera omnia quasi comprehenderet, familiare est Salvatori, quamvis afflictionem, cruciatum, mortem, per illam denotare; respicienti simul ad hoc, et hoc quasi præludio significanti, se crucem aliquando pro salute nostrâ passurum. Ad imitationem enim suæ crucis, quâ omnem afflictionum tolerantiam absoluturus erat, crucis voce utitur; ostendens non solùm leves quasdam afflictiones, sed et planè extremas discipulis suis esse ferendas.

Suam, divinitùs sibi destinatam, quam impii Deo permittente ipsi propter Christum intulerint. Crux cujusque propria est, quidquid Evangelii aut justitiæ aut exercendæ virtutis causâ, unicuique ferendum Dominus destinârit. Facile est ei qui seipsum abnegârit ferre æquo animo crucem adversitatemque quamcumque, quam consideret à Deo sibi destinatam.

Quotidiè, quandocumque à Deo imponitur, etiam quotidiè, quod plerùmque usu venit piis, Rom. 8, v. 36; 1 Cor. 15, v. 31. Magnum subest huic dictiunculæ pondus: quâ significat Christus, fore ut, sicut dies diem consequitur, ita crux crucem excipiat; nullum denique adversitatum finem fore, donec è mundo hoc exiverimus; ut ne quis existimet se defunctum cruce ferendâ, si unam æquo animo tulerit: pluribus enim toleratis, ad novas ferendas parent se singuli oportet, nec unquàm fatigentur, etiamsi quotidiana sit crux, sed perseverent ad finem usque donec cursum consummaverint, Matth. 10, v. 22.

Et sequatur me, id est, meo exemplo, qui memetipsum abnego et crucem meam fero. *Descendi,* inquit, *de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me,* Joan. 6, v. 38. Et cùm de

cruciatum, etiam ipsum supplicium crucis, omnium dirissimum et ignominiosissimum, sibi divinitùs destinatum. Videtur enim alludere ad crucem, quam ipse humeris portaturus erat; q. d.: Paratus sit mecum etiam crucifigi; hoc enim sibi videtur velle id, quod

adjicit: Et sequatur, id est, imitetur, me, tam in cruce ferendâ, quàm ferendi modo; ut scilicet patienti, æquo, imò libenti animo, et justitiæ causâ propter Deum ferat. Multi enim ut fures et latrones crucifiguntur, et crucem ferunt sine fructu.

cruce propriè dictâ ageretur : *Non,* ait Patri, *sicut ego volo, sed sicut tu,* Matth. 26, v. 39. In his igitur qui sequitur Jesum, est ille discipulus Jesu, hæresque promissionum illius, sapiens quæ Dei sunt, non quæ hominum. Porrò alludere videtur ad id quòd ob Evangelium prædicatum bajulaturus aliquando sibi ipse crucem esset quâ interficeretur, Joan. 19, v. 17, atque ita reipsà monstraturus se libenti animo accipere crucem suam, quo modo etiam totâ vitâ fecerat, suoque nobis exemplo præire. Addit autem istud partim solandi nos gratiâ, partim docendi modum quo crux ferenda. Nam dùm mentem subit hæc consolatio, nos in ferendâ cruce, Christi esse socios, fit ut facilè mitescat omnis acerbitas. Modus autem ferendi crucem, ut salutariter feratur, est ut ad Christi exemplum feratur, nempe æquo, patienti libentique animo, ad hæc justitiæ causâ, denique propter gloriam Dei ut finem. Cruci suæ non minùs affixi sunt reprobi, nec eam quantùmvis luctentur excutere queunt ; sed quia extra Christum crux maledicta est, manet eos infelix exitus. Quare hæc duo simul connectenda sunt, ut fideles et crucem suam tollant et sequantur Dominum, hoc est, ad ipsius exemplum se conforment, et tanquàm comites ipsius adhæreant vestigiis. Semper igitur aspiciendus nobis est dux noster. Unde Paulus Apostolus ad Hebr. 12, v. 2 : *Aspicientes in auctorem fidei,* etc.; et Petrus, 1 Epist. 2, v. 21 : *Quia et Christus passus est pro vobis,* etc. Summa ergo doctrinæ et imitationis Christi est illius jussa omnibus rebus mundi jucundis præponere, omnibusque molestiis, difficultatibus, periculis atque incommodis, mutare.

Vers. 24. — Qui enim, quicumque autem.

Animam suam. Non existimo animam hoc loco pro vitâ accipiendam (ut plerique), sed propriè, animam quæ corpori vitam præbet et à quâ præcipuè salus hominis utraque, et temporaria scilicet et æterna, pendet. Cæterùm synecdochen esse animæ pro homine, partis nobilioris pro toto : qualis ut est frequens Hebræis in veteri Testamento (nusquàm non occurrit in libris Mosis : *Anima quæ peccaverit,* sive *obtulerit,* etc.), ita à Syro passim usurpatur in novo Testamento, ac signanter ubi Græcè Latinèque usus est pronominum istorum demonstrativorum simul et discretivorum, *meipsum, seipsum,* et reliquorum hujusmodi. Matth. 16, v. 8, ubi nos habemus : *Quid cogitatis inter vos?* Græcus, ἐν ἑαυτοῖς ; Syrus dicit : *Quid cogitatis in animis vestris?* C. 22, v. 39 : *Diliges proximum tuum sicut teipsum;* pro, *sicut teipsum,* Syrus *sicut animam tuam.* C. 27, v. 40, pro, *salva temetipsum,* scribit : *Salva animam tuam;* sic et v. 42 subsequente. Simili phrasi Amos 6, v. 8, Hebraïcè dicitur jurâsse Deus *in animâ suâ,* pro eo quod nos dicamus, per semetipsum, ut post Septuaginta etiam alii transtulerunt. Et quod propriè ad hunc locum spectet, Matthæi 16, v. 24, 25, 26, ubi evangelista eamdem hanc sententiam repetit, connectitque cum alterâ præcedenti : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum,* ibi Syrus pro, *abneget semetipsum,* habet, *abneget animam suam;* et versu subsequenti, ejus loco quod hic evangelista dicit : *Animæ verò suæ detrimentum patiatur;* ipse Lucas scribit cap. 9, v. 25 : *Se autem ipsum perdat et detrimentum suî faciat;* quod Lucæ rursùs Syrus pro suo loquendi more vertit : *Animam autem suam perdat illiusve jacturam faciat.* Quare manifestum evadere videtur, hoc loco aliisque similibus, animam poni pro ipso homine, synecdoche familiari linguis Hebraicæ et Syriacæ : quanquàm agnoscendum sit Salvatorem libenter hâc loquendi figurâ usum esse, ut doceret quæ sit nobilior hominis portio, cujus, præ alterâ portione, quæ est corpus, prima et quasi solius habenda sit cura ; quâ perditâ totus pereat homo, salvâ totus sit salvus. Qui igitur morti cæterisque rebus adversis salvum se eripuerit. Subaudiendum hìc est, primùm ex illo Joan. 12, v. 25, *in hoc mundo;* deinde ex præcedentibus hìc et consequentibus, crucem divinitùs sibi dispensatam humeris excutiendo rejiciendove, me negato coram hominibus. Porrò per concessionem dicit hunc servâsse animam suam sive seipsum, ex vulgi opinione, qui nullam agnoscunt aut certè nullam magni faciunt salutem aliam quàm hujus vitæ, tanquàm si pereat et intereat totus homo ubi corpus moritur. Nam quia anima, postquàm à corpore separata fuerit, nullo percipi potest sensu, nec ullum mortuus ordinariè præbet mortalibus superstitibus vitæ aut existentiæ suæ argumentum, periisse putatur ab hominibus carni ac sensibus addictis, quippe qui futuram vitam aut non credunt aut parùm de eâ cogitant.

Salvam facere, salvare, servare, scilicet in hoc mundo, crucem divinitùs sibi impositam abjiciendo, sibique parcendo atque indulgendo, me negato aut Dei obedientiâ justitiâve relictâ.

Perdet illam, subaudi in futuro seculo, ubi sicuti est vera, æterna, solida salus, ita est vera, æterna extremaque pernicies. Sensus est ergo : Qui me abnegato, sibi et suî similibus visus fuerit, seipsum in vitæ salutisve temporalis discrimen propter me adductum, invenisse ac servâsse quàm optimè, verè non invenit neque servavit seipsum, qui brevi sit in seculo futuro æternùm periturus : nempe ubi mo-

Vers. 24.—Qui voluerit animam suam salvam facere, scilicet, in hoc mundo, ut alibi additur, negatione scilicet nominis mei, seu qui nolendo crucem suam sibi destinatam accipere, seipsum salvum in hoc mundo morti et rebus adversis eripuerit, perdet illam, id est, in futuro, in æternum, seipsum perditurus est. Et qui perdiderit animam suam, scilicet in hoc mundo, id est, qui vitæ temporalis jacturam fecerit, et ita carnalium hominum oculis seipsum perdiderit, propter me; addit Marcus, c. 8, v. 35, *et Evangelium,* quod Matth. c. 5, v. 10, dixerat, *propter justitiam;* Martyrem enim Christi facit non pœna, sed causa. Salvam faciet eam : id est, seipsum salvum lucrifaciet in futuro.

Eædem vel similes sententiæ repetuntur Matth. 16, Marc. 8, Lucæ 9, et 17, et Joan. 12, simili sensu : in

riendum erit, ut semel idque brevì erit; et manifestè quidem, inspectante toto orbe terrarum, in novissimo magni judicii die, quando abnegatus vicissim à me coram Deo Patre et sanctis angelis, tam corpore quàm animâ addicetur æterno et supplicio et exitio: vide infra. Ita qui terrenæ vitæ salutisque nimis sunt cupidi, dùm se eximunt omnibus periculis, fidei aut justitiæ causâ occurrentibus, et inani fiduciâ sibi placent, quasi cauti ac providi benè sibi consuluerint, se ipsi perdunt.

Qui perdiderit animam suam, scilicet in hoc mundo. Rursùs per concessionem id dicit, pro eo quod sit: Qui fortiter morti occumbens, extremave adversa ferens, et cruci suæ humeros libens supponens, temporalis vitæ salutisve suæ jacturam fecerit, ac proinde hominibus carni ac sensibus addictis seipsum perdidisse totusque periisse visus fuerit.

Propter me, meâ causâ, quem confessus fuerit coram hominibus. Quod hìc dicit, *propter me,* alibi dicit *propter justitiam,* Matth. 5, v. 10; justitiæ enim omnis doctor auctorque Christus est. Addit autem particulam hanc, quia reperiuntur interdùm, qui temerè, et ambitionis, desperationis vel furoris causâ, vitam profundant. Hujus porrò particulæ contrarium subaudiendum venit in priori istius sententiæ membro.

Salvam faciet illam. Non perdidit seipsum, sed contra lucrifecit, sed contra seipsum faciet salvum in futuro seculo seu vitâ æternâ, id est, exemptus è mille periculis, hâc in mortali vitâ (agentibus, mundo, carne, diabolo) insidiantibus vitæ æternæque saluti, illâ eo in seculo securâ solidâque cum felicitate fruetur. *Salvam faciet* autem, non postquàm multis seipsum seculis perdiderit, sed mox ut se visus fuerit perdidisse; mox à morte corporis, præcipuâ suî parte, animâ, salvus et beatus erit, securus de corpore quoque tandem in ejusdem beatitudinis societatem gloriosè coram toto mundo recipiendo. Aptissima consolatio, quòd vitam sibi verè acquirant, qui spontè mortem pro Christo obeunt. Opposita etiam comminatio ad vellicandam carnis ignaviam plurimùm valet, cùm vitæ cupidos hoc tantùm proficere admonet, ut mortem incurrant. Ab eo igitur quod maximè nos retrahebat, amore scilicet nostrî ipsorum nostræque salutis, hortatur nos Dominus ad mortis adversitatumque contemptum. *Cur enim,* ait, *teipsum despicere non vis? an quia teipsum diligis? ideò ergo quia teipsum diligis, despice: sic enim summoperè tibi ipse profueris, et quæ sunt verè amantis demonstraveris.* In hæc ferè verba Chrysostomus.

Vers. 25. — Quid enim. Quasi diceret: Nec parvi faciendum est homini damnum seu perditio suî ipsius.

Proficit, juvatur.

Universum mundum, universi mundi bona, totius orbis imperium, opes, delicias, et si quæ sunt alia illius bona, prosperam valetudinem, vitam longævam, etc.

Seipsum. Explicat evangelista, ut supra diximus, quid intelligatur modo illo loquendi Syriaco, *animam suam:* Nam et hunc ipsum locum eodem modo, cùm alio non posset, vertit interpres Syriacus, *animam autem suam perdat,* aut damnet.

Et. *Aut* est et Græcè et Syriacè; sed disjunctiva est loco copulativæ.

Et detrimentum sui faciat, scilicet in seculo venturo, ubi declaratus exsul regni cœlorum æternis addicatur suppliciis, ubi, nec alibi, est veri nominis ut salus ita et perditio. Q. d. Salvator: Nihil prodest, non est æstimabile damnum hoc totius mundi lucro, omninò inæstimabile est damnum. Et quidem fatentur omnes, hominem ipsum longè præstare cunctis mundi opibus: sed interea excæcat plerosque carnis sensus. Quid dabit homo cujus permutatione redimat animam suam, perditam in altero seculo? Nihil: damnum enim est irrecuperabile. Nihil est in rebus mundi, quin neque omnes simul res mundi queant hominem, qui se ipse perdiderit, inque exitium futuri seculi adduxerit, perditione exitiove eripere. Itaque, cùm nec æstimabile nec recuperabile sit suî unius in futuro seculo damnum, totius hìc mundi lucro, forti animo, quidquid hic mundus habet expetendum, honores, divitiæ, voluptates, sanitas, adeòque ipsa corporis vita, posthabenda ac contemnenda sunt, et mors adversaque omnia in hoc seculo ferenda, nec sibi parcendum, potiùs quàm à me aut justitiâ discedens, suî ipsius damnum patiatur, aut seipsum quis perdat in altero seculo; quemadmodùm ego, potiùs quàm non obediam mandato Patris, mortem statuo alacris subire.

Vers. 26. — Me erubuerit, seu quem meî puduerit. Me erubuerit, ita scilicet, ut aut me Christum Filium Dei agnoscere, aut agnitum confiteri vereatur; sive ipsum pudeat vilitatis meæ, sive pudeat persecutionum, quas etiam pro nominis mei confessione subire probrosum judicet.

Et, vel.

Meos sermones; Evangelium meum, doctrinam meam.

Filius hominis, cujus ipsos puduit, fortassè quia Filius hominis erat, propter infirmitatem scilicet susceptæ carnis. Utitur tertiâ personâ de se loquens, ad declinandam arrogantiæ opinionem, ut plerùmque; et quidem vocabulo *Filii hominis,* notat præsentem vitæ suæ conditionem: ego, qui nunc vivo in carne mortalis homo, vilis, abjectus, ac mundo contemptus, mox etiam conculcandus ab omnibus, et pro verme, potiùs quàm homine habendus.

quibus *anima* non potest accipi pro vitâ corporis; quia etiam qui in futuro perdunt animam suam, vitâ corporis vivent. Itaque alii accipiunt pro animæ salute, sive corporali, sive æternâ. Nos commodissimè accipi posse judicavimus per synecdochen pro toto homine, phrasi apud Hebræos et in veteri Testamento usitatissimâ, ut patet Levit. 5, v. 2, 4, 5, etc. Et hâc de causâ sæpè in novo Testamento, ubi nos legimus, *teipsum, seipsum,* et similia, translatio Syriaca usitato suo idiotismo legit, *animam tuam, suam.*

ERUBESCET; pudebit et Filium hominis illius, id est, non cognoscet illum Filius hominis pro suo.

CUM VENERIT, cùm rursùs adveniet, ad judicandum terrarum orbem, non ut Filius hominis, humilis et contemptus, sicut nunc, sed ut Filius Dei *in gloriâ Patris sui.* Gloriam secundi sui adventûs opponit humilitati primi, propter quam quosdam hìc ipsius pudet.

IN MAJESTATE, in gloriâ, SUA ET PATRIS. Eadem est Patris quæ Filii gloria, et è contra, nempe, quòd et Pater et Filius Deus sit; nisi fortè suam intelligat, quòd judex futurus sit mundi universi, vivorum et mortuorum; Patris autem, quòd agnoscendus sit Deus quemadmodùm Pater, et divina ipsius gloria toti orbi clarè manifestanda. Venturus est ergo conspicuus gloriâ, amplitudine, magnificentiâ. Ne ex præsenti aspectu discipuli æstimarent ipsius regnum, gloriam Patris et angelorum commemorat, longè alium se fore promittit, cùm adveniet mundi judex: longè aliâ specie se videndum præbebit.

PATRIS. Eâ quâ Pater ipsius est nobilis, id est, *ut beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem,* 1 Tim. 6, v. 15. Non quidem rejectâ Filii hominis formâ (eâ enim hominibus reis videbitur), sed affectâ unigeniti Filii Dei manifestâ gloriâ, quæ dùm judicem tam potentem quàm justum declarabit, piis quidem solatio, impiis verò terrori erit. Eadem porrò cùm sit Patris et Filii gloria, eadem est et natura, ut rectè ex hoc loco colligunt veteres, suffragante Apostolo, Philip. 2, v. 11.

ET SANCTORUM ANGELORUM, quam angeli sancti ipsi afferent præsentiâ atque obsequio suo; qui ut nunc solium Dei cingunt, ita tunc præstò futuri sunt ad ornandam Filii Dei majestatem. Syrus habet: *In gloriâ Patris sui cum angelis suis sanctis,* ut in Marco. Comitatus, non, ut modò, paucis duntaxat ac tenuibus discipulis, sed innumeris sanctorum angelorum, nobilium illorum ac virtute potentium spirituum, turmis, qui visibili formâ judicantis majestatem cingent atque ornabunt, præstò *ad audiendam vocem sermonum ejus;* quorum si unus aliquando unâ nocte fundere potuit potentissima Assyriorum castra, cæsis centenis et octuaginta millibus, 4 Reg. 19, v. 35, quid non subversuros atque domituros credas, ubi omnes conjunctis copiis ac viribus cum Domino ad judicandum venerint? Angelorum ministerio Filius hominis adducet finem mortalium rebus. Hi ignem excitabunt, quo innovati qui tunc fuerint reperti vivi, mortalem vitam cum immortali commutent, et conflagret quidquid superest operum à mortalibus relictorum aut mortalium usibus servientium, exuranturque sordes quibus mundum illi contaminârunt: mortuos quotquot unquàm fuerint homines revocabunt in vitam, simul omnes vivos et mortuos cogent ad judicium, et in caminum ignis projicient quos ille non agnoverit pro suis. Vide Matth. 13, 39, 40, et 24, 31. Angeli autem sancti vocantur, distinctionis causâ à spiritibus immundis, quòd munditiei omnisque virtutis studiosi cultores sint, procul ab omni peccatorum immunditiâ, quâ se oblectant dæmones. Jam intelligendum hìc relinquit evangelista à contrario: *Qui autem me confessus fuerit;* etc., *et Filius hominis confitebitur eum,* etc., ad probationem alterius partis versûs 24: *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam.* Quem integrum versum Matthæus unâ generali sententiâ confirmat: *Reddet unicuique secundùm opus ejus.* Nam Lucas, ut etiam Marcus, particulatim monstrat, quomodò eis quos pudet ipsius, reddet secundùm opus ipsorum, quòd scilicet et ipsum pudebit illorum.

VERS. 27. — VERE, in Matthæo, *amen.* Ne disceptantes apud se discipuli longum esse diem illum novissimum quo promittat manifestationem gloriæ suæ et præmium laborum, imminentia verò esse pericula quæ suâ causâ velit subiri, animis dejicerentur, propiore eos fiduciâ erigit, quòd scilicet futuræ gloriæ suæ specimen brevì daturus sit. Ut ergo interim discipulos suos sustentet Dominus, confirmationem temporis intermedii illis proponit, ac si diceret: Ut certiores vos faciam gloriæ et regni ejus quod me apud Patrem manet, orbi aliquando manifestandi, cujus participes futuri vos cæterique imitatores mei sitis, illud prædico vobis, et habete pro certo.

HIC STANTES. Qui hìc, adsunt seu præsentes sunt, sederint licèt fortassè. Memineris adfuisse cum Apostolis turbam populi, Marci 8, v. 34.

NON GUSTABUNT MORTEM, non sentient mortem, non morientur: metaphora sumpta est, pro sacræ Scripturæ more, à calice, qui tanquàm propinetur morituro, mortem continente. Porrò quòd dicit non morientur, non ideò dicit quòd longum adhuc futurum esset id quod promittit, demùm scilicet sub finem vitæ apostolorum; sed quòd nollet mox omnibus id in-

VERS. 27. — ALIQUI HIC STANTES, id est, quidam adstantium seu præsentium non morientur, DONEC VIDEANT REGNUM DEI, id est, donec videant meipsum oculis suis apparentem in eâ gloriâ et majestate, quâ in regno meo appariturus sum. Quod de die judicii, et de Joanne evangelistâ, citra mortem superstite, quidam olim intellexerunt. Sed ab ipso Joanne satis refutatur cap. 21, v. 23. Alii satis verisimiliter de gloriâ resurrectionis ejus, quæ usque ad ascensionem omnibus discipulis manifestata est. Sed quia illud, *aliqui*, paucorum discipulorum privilegium videtur indicare, et statim illis verbis subjungunt tres evangelistæ transfigurationem ejus: hinc omninò verior est omnium penè veterum sententia, Orig., Chrysost., Hilar., Theophyl. et Hieron., in hunc locum, quòd gloriam transfigurationis quibusdam revelandam promittat; quam *regnum* vocat, quia regni sui futuri erat imago seu significatio, ut August. in v. 9, c. 2 ad Galat. Unde Nazianzenus, orat. 51: Talis veniet, scilicet ad capessendum regnum suum, qualis in monte obiter monstratus est, divinitate carnem superante. His ergo verbis erigit discipulorum animos, de morte ejus contristatos, et gloriæ brevì futuræ promissâ manifestatione certos facit de eo quod dixerat, se venturum judicem in gloriâ Patris, ut illâ spe erecti non vererentur tollere crucem suam, etc., prout hoc notat Hilar. initio cap. 17.

notescere ; quare nec nominare voluit quinam illi forent.

Donec videant, usque dùm viderint, suis oculis.

Vers. 28. — Post hæc verba, post hanc promissionem : *Sunt aliqui hìc stantes*, etc. : cæteroqui enim liceat ex Hebraico idiotismo accipere, *post hæc verba*, pro, *post hæc*.

Ferè dies octo, scilicet intercesserunt. Matthæus et Marcus dicunt, *post dies sex assumit;* non enim numerant illum diem quo promissio illa facta fuerat. Lucas eum annumerans, *ferè*, inquit, *dies octo*, quia sub finem diei septimi, quando instabat octavus dies, quod demùm et perfecta fuit historia subsequens. Sub vesperam diei septimi, ascendit Salvator cum tribus è discipulis suis in montem ; ipsâ nocte, cujus medium fuit initium diei octavi, transfiguratus est; habes enim discipulos fuisse somno gravatos, infra v. 32, denique totâ illâ nocte mansit in monte ; nam postridiè demùm ad reliquos discipulos descendit, infra v. 37.

Et assumit, et cùm assumpsisset, scilicet secum, relictis aliis apostolis ad pedem montis; non assumpsit omnes, ne res ante tempus divulgaretur ; certè filium perditionis Judam adesse non congruebat. Tres autem tantùm assumpsit, quòd tres sufficerent ad ferendum testimonium.

Et Jacobum et Joannem. Quidam præponunt Joannem ut celebriorem ; alii Jacobum ut seniorem.

Et ascendit. Non est Græcè *et*.

In montem. Vulgaris opinio est fuisse montem Thabor. Atqui Thabor mediâ in Galilæâ situs fuit, in campo magno Galilææ ; constat autem extra Galilæam rem istam gestam fuisse, ex eo quod in fine historiæ dicat Marcus evangelista, Matthæo suffragante, Jesum ejusque discipulos inde profectos, esse prætergressos Galilæam : vide Marc. 9, v. 30. Verisimile itaque fit, salvo meliore judicio, ut superiora, ita et hæc consequentia, in partibus Cæsareæ Philippi contigisse, illìcque egisse Jesum octo plus minùs diebus, quibus in partibus, inter alios, Libanus mons erat, sacris litteris celebratissimus, de quo Isaias cap. 35, v. 2 : *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron : ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri.* Mons Thabor celebris fuit apparitione Christi Domini redivivi, de quâ Matth. 28, v. 16.

Ut oraret. Postquàm interdiù populo serviit, sub vesperam secedit ut Deo serviat, pernoctetque in oratione Dei, quod alibi dicitur, exemplo nobis relicto.

Vers. 29. — Dum oraret, dùm ipsius mens tota Deo se immergeret. Orabat haud dubiè id quod hìc reipsâ obtinuit, ut discipulis divinitatis ac gloriæ suæ visibile spectaculum exhiberetur ; non quòd vel præcariò id aliunde petere opus haberet, vel dubia esset Patris voluntas ; sed quia toto humilitatis suæ cursu semper ad Patrem retulit quidquid divinitùs egit. Quòd autem inter orandum transformatus fuit, id ostendit, et nos orantes quodammodò in Deum transformari : quo certè cupidiùs cum Deo colloqui, id est, orare deberemus.

Species vultus ejus altera, alia, planè diversa. Apud Matthæum et Marcum, *transfiguratus* est ; vox eadem est quâ poetæ nominant vanas fabulosasque deorum suorum metamorphoses, in varias naturas figurasque transmutatorum. Atqui sacrâ istâ metamorphosi non subtracta est Jesu pristina faciei corporisve sive forma sive figura, multò minùs substantia humani corporis ipsius transiit in spiritus aeris aut alterius naturæ substantiam : sed ea quâ inter homines versabatur, obscura, humilis, infirmaque, ut cæterorum hominum, tum faciei tum corporis species, mutata est in cœlestis divinæque majestatis specimen. Figuræ faciei corporisque familiari ac notæ discipulis, accessit insolens splendor et gloria mirifica ; ideò transfiguratus dicitur, non quòd character lineamentave faciei aut corporis mutata sint ; *sed,* inquit Theophylactus in Marcum scribens, *quòd, manente charactere qualis priùs, ineffabilis lucis factum sit augmentum.* Figuræ igitur vox, in hoc transfigurationis nomine, pro specie accipienda est : quâ voculâ usus Lucas clariùs dixit : *Facta est species vultûs ejus altera.* Quin et Matthæus, quod obscuriùs dixerat, *transfiguratus est*, explicuit subsequentibus verbis : nam quasi quæras quomodò transfiguratus sit, respondet : *Et resplenduitfacies ejus sicut sol, vestimenta autem,* etc.

Vestitus. Ne putes solam splendore hujusmodi affectam faciem fuisse (quanquàm illa inprimis fuerit, quæ summum dignissimumque in corpore obtinet locum), vestimenta ejus facta sunt alba, nimirùm, reliqui corporis splendore, penetrante ac tingente ea quibus tegebatur vestimenta.

Albus. Lux in suo fonte, sole, inquam, aut igne, nullo interposito velamine visa, aurea fulvaque apparet ; transparens autem per velamen seu rem mediam aut visa in re alterâ excipiente à fonte, alba apparet sensibus. Hâc ratione luna alba videtur, et ipse quoque sol objectis nubibus. Eâdem ratione vestimenta Jesu alba sunt visa, facies verò fulva aureaque.

Et refulgens. Optima nostra manuscripta legunt

Vers. 28. — Itaque, ut Christus promissum solveret, *post sex dies*, ut Matth. ; ut ferè post dies octo, ut Lucas ; ubi vel confusè tantùm tempus notat, vel, ut alii hìc et August. lib. 2 de Consensu evang. cap. 56, Matth. solos dies intermedios computavit, Lucas simul extremos, id est, eum quo Christus loquebatur, et eum quo visionem exhibuit. Assumpsit Petrum et Jacobum et Joannem, tanquàm præcipuos apostolorum, cæterisque capaciores, quos ideò secretis maximis adhibere solebat. *Jacobus* autem iste non est frater Domini, episcopus Jerosolymorum, auctor Epistolæ catholicæ, ut August. putavit; sed ille, qui dictus est *Major*, ab Herode occisus, quia Joannem vocabat *fratrem ejus*. Tres assumit, ut in ore trium testium constaret rei tantæ testimonium, non omnes, ne res divulgaretur. Ut oraret ; in montibus enim Christus, ubi solitudo major, et cœli conspectus liberior, orare solitus fuit, ut Marci 6, v. 46, et Lucæ 6, v. 12, et rebus magnis orationem præmittere : Mons iste, teste Hieron. Epist. 27 ad Eustochium, fuit Thabor; Jose-

absque conjunctione *et, albus refulgens,* albus simul et refulgens. Græcè est quasi dicas *effulgurans,* id est, emicans. Omnium colorum splendidissimus est albus. Secundùm Matthæum est, *sicut nix,* nive enim nihil est in rebus naturæ albius, nec proinde splendidius, at Græcè et Syriacè, eodem in loco legitur : *sicut lux,* quod idem est quod *albus refulgens;* sicut lux, scilicet à sole in aerem, lunam, remve aliam diffusa ; nam faciei quidem splendor, soli ; vestimentorum autem, luci sive lumini à sole diffuso, comparatur. Quali itaque splendore corporis est in regno suo et ad judicandum venturus est Jesus, quali rursùs ornaturus est corpora sectatorum suorum (*reformabit enim corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ,* Philip. 3, v. 21), talem jam ad breve tempus induit discipulisque monstravit, non æqualem tamen, sed mortalium discipulorum captui accommodatum. Neque enim fuit hæc solida cœlestis gloriæ exhibitio ; sed symbolis, quæ carnis modo congruerent, ex parte gustandum præbuit, quod totum percipi nondùm poterat : nam à morte demùm *videbimus eum sicuti est,* 1 Joan. 3, v. 2. Porrò is splendor non foris Jesu accessit, quemadmodùm Mosi, Exodi 34, v. 29, *ex consortio sermonis Domini,* sed ex divinâ ipsius naturâ in humanam, ex animâ in corpus profluxit, beatitudine eâ quâ divina ipsius natura per se, rursùs eâ quâ anima ipsius ex divinæ naturæ visione beata erat, in corpus exundante ; internâ, inquam, virtute et gloriâ cum externo habitu communicatâ. Docemur itaque, ex internâ beatitudine externam oriri, contra quam mundus opinatur : et ipsi Jesu, quamdiù in formâ servi versatus est in hoc mundo, nihil fuisse detractum, quia spontè se exinanierit, sub carnis infirmitate majestatem occultans.

VERS. 30. — ECCE rem magis etiam miram. Res admiratione aut observatione dignas narraturi, voculam hanc prophetæ atque evangelistæ frequens solent præmittere, ut lectorem attentum reddant.

LOQUEBANTUR CUM ILLO : ERANT AUTEM MOSES ET ELIAS, ille à mille quingentis annis mortuus, hic à mille ex hominibus raptus. Jesus vitæ mortisque Dominus huc illos suæ nutu voluntatis evocaverat, partim ut spectaculum suâ præsentiâ ornarent, partim ut testimonium perhiberent veritati ; illi mortuo, reddito ad breve tempus corpore ; hoc, ex eo in quem curru igneo avectus fuerat loco, adesse jusso. Decebat, Jesu cœlestem gloriam induto, et futuri adventûs sui ad judicium imaginem exhibenti, adesse aliquod cœleste consortium ; ut porrò robur adderetur discipulorum de Jesu fidei, nulli congruentiùs accersiri poterant quàm duo isti, Moses et Elias ; tum quòd ipsi futuri essent præcursores adventûs Christi ad judicium ; Elias omnium, Moses quorumdam opinione ; tum quòd plurimi fierent ab omnibus Judæis. Moses enim legis promulgator, qui severissimè in transgressores animadverterat, Elias autem propheta maximus, qui pro Dei honore et gloriâ magno zelo decertaverat, ambo, visâ in monte Horeb Dei gloriâ, et præclaris rebus gestis, cæteris omnibus prophetis sanctisque viris illustriores, præsentes ad ornamentum simul et obsequium Jesu, reipsà declarârunt, non legis transgressorem aut blasphemum, rapientem æqualitatem Dei, esse Jesum ; quæ calumnia erat scribarum et Pharisæorum ; sed nec Eliam aut aliquem veterum prophetarum esse Jesum, quæ vulgi erat opinio ; sed Eliæ et cæterorum omnium veterum prophetarum esse dominum, adeòque Christum Filium Dei vivi ; qualem Petrus confessus fuerat ; quem, lex in Mose ut legislatore repræsentata, variis figuris adumbrârit ; prophetæ (inter quos Elias, etsi non scriptis relictis, rebus tamen gestis post Mosen proximus eminebat, incomparabilis legum vindex atque assertor) vaticiniis suis descripserint. Non tam itaque ad privatas Mosis et Eliæ personas apparitio ista referenda est, quàm ad legationem, cùm eam quæ olim ipsis injuncta fuerat, tum eam quæ in fine seculi injungenda sit. Quærat quis, unde apostolis notitia Mosis et Eliæ quos nunquàm conspexerant ? responsio facilis est, cùm Deus in medium eos produceret, notas etiam et signa dedisse quibus innotescerent, sive illa fuerint monimenta aliqua rerum nobilissimarum ab ipsis gestarum, sive habitus

pho Itaburius dictus, in mediâ Galilæâ, non procul à Nazareth. Quâ de causâ peregrinatione etiam tum à Constantini temporibus et templo celebris fuit ; ut sanè nova videri debeat suspicio cujusdam recentioris putantis esse Libanum. Nam quod Marc. dicit cap. 9, v. 29, eos inde profectos et prætergressos Galilæam, nihil aliud significat quàm transivisse Galilæam.

VERS. 29. — FACTA EST SPECIES VULTUS EJUS ALTERA. Transfiguratio non fuit figuræ, sive faciei sive corporis mutatio, sed externæ tantùm speciei, manente figurâ eâdem. Et Matth. explicans transfigurationis modum : *Resplenduit facies ejus sicut sol,* etc., fulgore illo tum ex insidente Dei majestate, tum ex animi beatitudine in faciem totumque corpus dimanante, sicut fiet omnibus sanctis in cœlo. Nam, ut August., epist. 56, ad Dioscorum, tam potenti naturâ Deus fecit animam, ut ex ejus plenissimâ beatitudine redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor, sub quâ omnes ejus dotes comprehendit. Itaque fulgor iste faciei ab intrinseco venit, non ab extrinseco, ut olim Moysi. Nec tamen erat dos claritatis, quia erat passio transitoria, cùm dos significet stabilitatem, ut divus Thomas, 3 p., q. 43, art. 2. VESTITUS EJUS ALBUS REFULGENS, Græcè *coruscans,* vel propriè *effulgurans,* seu *fulgur emittens,* quasi radiis ex corpore per vestimenta, velut per rimas ; aut nubem erumpentibus. Albedo igitur ista vestium non albedo propriè, sed luminis transparentis fulgor erat, qualis ferè est nubium soli subjectarum directè. Itaque sicuti nascendo subtilitatis, ambulando in fluctibus agilitatis, ita hic claritatis corporis gloriosi aliquod specimen dedit, ut spem nostram firmaret, quòd reformabit etiam corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

VERS. 30. — MOYSES ET ELIAS : uterque in vero et proprio suo corpore. Nec enim est ratio, cur aereum fuisset Moysis corpus, cùm eâdem facilitate proprium ei reddi potuerit, neque fucum aliquem adesse tanto testimonio conveniret. Sed cur hi præ cæteris? Vera et à veteribus communiter notata causa est, August. Sermone 69 de Diversis, et aliis in hunc locum, ut per Moysen lex, per Eliam prophetæ significarentur ; et utrosque in Christum tendere ac terminari, et ei

ipsorum sacris litteris descriptus, 4 Reg. 1, v. 8, sive verba vel ipsorum vel Jesu de rebus olim ab ipsis gestis, sive denique alia. Nam nec veridissimilis est illorum opinio, qui putant Mosem et Eliam etiam cum apostolis esse locutos. Cum Jesu autem loquebantur, tanquàm cum majore atque eo ipso de quo ipsi vaticinati fuerant ut prænuntii. Uterque rationes muneris à se quondam obiti cum Jesu communicabat tanquàm illius minister et testis, ita ut præsentibus apostolis significaretur apertè, illos Jesu causâ legatione olim functos fuisse, ipsorumque ministerii finem Jesum Christum fuisse ; namque ille, ut divini negotii pontifex summus, ab utroque observabatur. Itaque colloquium Mosis et Eliæ cum Jesu, est consensus legis et prophetarum cum Jesu ejusque Evangelio, Rom. 3, v. 21 ; oportebat enim apostolos confirmari non esse novam religionem quam Jesus prædicabat, sed testatam in lege et prophetis, quibus duobus consuevit Salvator totam ipsam veterem Scripturam intelligere. Venerat ut adimpleret legem et prophetas, ut promissa ac prophetias legis et prophetarum opere reque ipsâ exhiberet, ut præcepta morum, iis quæ ad perfectionem deerant aut deesse putabantur expositis, perficeret; ut consilia evangelica, utilissima illa ad perfectissimam legis observationem, adderet : denique, ut cognitioni agendorum quam lex præstabat, gratiam facultatemque agendi, quam non præstabat, adderet. Porrò, quæ ad cæremonias in lege pertinent, dùm ea ad quæ futura aliquando adumbranda et præfiguranda illa instituta fuerant, repræsentavit, id est, præsentia oculis obtulit, dùm illorum spiritalem observationem docuit, spiritûs litterâ tecti medullâ proditâ, dùm illorum quod ad litteram observationem sustulit, id quod lex ipsa, è Dei sententiâ, ubi Christus venisset, futurum prædixerat (quod in Hebræis suis Paulus docet), denique dùm pro temporariis præmiis et suppliciis substituit æterna, nihil aliud quàm absolutissimè omnique ex parte implevit. Lege D. Thomam, primâ-secundæ, q. 107, a. 2. Hinc itaque facile est intelligere quâ de re Moses et Elias collocuti fuerint cum Jesu, cùm tanquàm testes missi à Deo declarare voluerint Jesum legis et prophetarum finem scopumque esse. Porrò Lucas singulariter collocutos fuisse ait de eâ quam brevì morte suâ confecturus erat expeditione ; id quod notandum diligenter est, ut observes, quomodò Jesus ita semper studuerit docere discipulos suos dignitatem suam, ut non ignorarent humilitatem ; et vice versâ ita humilitatem, ut non obliviscerentur dignitatem, quòd perfici non posset redemptio nostrî si deesset altera. Probatâ Petri sententiâ quòd ipse esset Christus Filius Dei vivi, ne discipuli procul animum revocarent ab omni opinione ferendæ ipsi adversitatis, prædicit passionem mortemque suam, atque adeò constanter, ut non tantùm sibi, sed et discipulis suis omnibus similia suo exemplo ferenda prænuntiet. At ne tanta asseveratio obeundæ mortis, rursùs in dubium adduceret fidem illorum de ipsius divinitate , promittit apparitururum se aliquando orbi paternâ gloriâ illustrem judicem vivorum et mortuorum, cujus gloriæ etiam brevì coram electis testibus specimen edere pollicetur. Quando jam illud edit, ne rursùs testes illi abrepti spectatæ gloriæ abundantiâ omnem mortis exspectationem abjicerent , jubet spectaculum gloriæ imminentis mortis testificatione misceri, cùm ut mortis mentio voluptatis magnitudinem temperaret, tum ut discipuli visuri obeuntem mortem, recordarentur ejus quam vidissent gloriæ ; vide supra v. 22.

Vers. 31. — Visi, qui visi, scilicet discipulis. Per anticipationem narrat istud Lucas : nam præcessit id quod sequitur proximo versu 32.

In majestate, in gloriâ, id est, cum gloriâ sive majestate. Magnam auctoritatem præ se ferebant in hoc spectaculo, ita ut planè agnosceretur, alter legislator à Deo constitutus magnâ cum dignitate, alter legis interpres et prophetico spiritu plenus, ad docendum instructus magnâ animi constantiâ. Cæterùm uterque apertè declarabat se non esse summum illum et perfectissimum Dei legatum, sed indicem et prædictorem ac prædicatorem Jesu qui præsens aderat. Quocirca quemadmodùm sequitur, *dicebant excessum ejus,* etc. Docti sunt hìc discipuli, non solùm Jesum gloriâ coronandum ; sed et fideles ministros ipsius, gloriæ ipsius fore consortes.

Et dicebant. Græcè absque *et* conjunctione jungitur istud sequentibus : qui visi in majestate dicebant. *Dicebant* autem, id est, prædicebant, sive loquebantur de excessu, etc.

Excessum ejus, *exodum ipsius,* id est, expeditionem atque exitum. Allusio est ad expeditionem sive exodum, quam Moses olim gesserat, educto Israel ex Ægypto. Fuit et exodus Eliæ ex hoc mundo, non obscura figura exodi Jesu in cœlum, quanquàm exodi nomine minimè celebrata.

Quem completurus erat, quem futurum erat ut impleret, ut perficeret, veritate reque ipsâ suâ morte allatâ, quam Moses olim cœperat in figurâ et umbrâ. Complendi vox ad figuras prophetiasque et veritatem Dei pertinet.

In Jerusalem, metropoli Israelitarum ; loquebantur cum Jesu de expeditione illâ quam brevì in Jerusalem perfecturus erat, redempto eductoque humano genere

testimonium perhibere doceremus. Alias alii peculiares addunt. Chrysost., ut reipsà refutarentur duæ falsæ opiniones : prima vulgi, putantis Christum esse Eliam, aut aliquem ex antiquis prophetis, quorum princeps Moyses ; secunda Pharisæorum, eum criminantium, tanquàm prævaricatorem legis, cujus tamen Moyses erat lator et Elias zelator maximus. Ut Christus se vitæ et mortis dominum ostenderet, unum adducit vivum , alterum mortuum suscitat ; ut discipulis mansuetudo Moysis et Eliæ zelus imprimeretur.

Vers. 31. — Dicebant excessum, seu exitum ejus, quem completurus erat in Jerusalem, id est, disserebant de passione et morte ejus, seu redemptione humani generis, tanquàm scopo et complemento legis ac prophetarum, et antitypo totius œconomiæ veteris Testamenti. Causæ esse poterant, ut sic Petrus et apostoli mortem ejus horrere , et absurditate offendi

è servitute dæmonis et peccati in libertatem et hæreditatem filiorum Dei, morte resurrectioneque suâ, quemadmodùm olim Moses in hujus rei figuram eduxerat populum Israel ex Pharaonis atque Ægypti servitute per mare Rubrum in libertatem hæreditatemque populi Dei. *Decebat*, ait Apostolus, *Deum, ut multos filios in gloriam adduceret, auctorem salutis eorum per passiones consummare; qui unam offerens pro peccatis hostiam*, corpus, inquam, suum, *consummavit in sempiternum sanctificatos, æternâ redemptione inventâ*; Hebr. 2, v. 10, et cap. 10, v. 12. Jesum cum Mose, redemptionem nostri per mortem Jesu cum egressu Israel ex Ægypto per mare, requiem vitamque æternam cum requie sive terrâ promissâ, variis locis confert Apostolus, ut veritatem cum figurâ: Hebr. capitibus 3, 4, et 1 Cor. cap. 10. Potuit itaque Moses, Eliâ suffragante, Jesum allocutus fuisse hunc in modum: Quod ego servus, Dei jussu operâque in figurâ olim in Ægypto gessi, id tu Filius, Patre adspirante, reipsà proximè in Jerusalem præstiturus es, mortem patiens primùm, mox redivivus mortem calcans; ut scilicet eductum humanum genus è delictis suis asseras libertati justitiæ vitæque æternæ, quemadmodùm ego eductum Israel è domo servitutis corporalis asserui in libertatem corporalem et promptum introitum in terram promissam. Age igitur, exhibe reipsà id quod Deo agente prænuntiavimus nos prophetæ tui, tum hàc aliisque similibus figuris, tum variis oraculis: omnes enim id exspectamus et summis votis desideramus. Nam donec tu pro hominum peccatis te ipsum Deo Patri sacrificium in odorem suavitatis obtuleris, et devictis hostibus nostris resumptoque corpore penetratos cœlos nobis aperueris, manemus omnes in tenebris, exsules regni lucis, in quo Dei facies, nostra beatitudo, videri à nobis queat. At si tu semel mediatoris partes, teipsum pro nobis tradens, obieris, non solùm nos tecum ex inferno in cœlum evehes, verùm etiam innumerabilem multitudinem electorum Dei, quam mox tua mors colliget, è peccatis in justitiam, et è mundi miseriis rectà in cœlestis regni beatitudinem educes, certâ etiam resurrectionis spe tam illis quàm nobis relictâ.

Vers. 32. — Petrus vero, interea dùm Moses et Elias adveniunt.

Et qui cum illo erant, id est, et socii ipsius Joannes et Jacobus.

Somno, ita ut dormirent. Hinc verisimile fit nocte contigisse transfigurationem Jesu. Jesu ad orationem se componenti junxerunt seipsos apostoli: dùm simul orarent Deum, observârunt apostoli vultum vestimentaque Jesu splendescere (nam et cæteri evangelistæ aiunt Jesum *transfiguratum coram eis*; et hìc, interea dùm oraret, speciem vultûs ejus mutatam fuisse), sed Jesu orationem in multum tempus extendente, discipuli, ut nox erat, et somnus premebat oculos fessorum laboribus diurnis, inciderunt in somnum. Interea accesserunt Moses et Elias; quos discipuli viderunt experrecti, et audierunt colloquentes cum Jesu de excessu seu exodo ipsius. Observa, hinc Apostolorum infirmitatem, somno servientium dùm vacaret Jesus orationi; hinc Jesu benignitatem, non abjicientis sed tolerantis foventisque infirmos, donec paulatim eos refingat ut perfectiores evadant.

Et evigilantes, cùm evigilâssent autem. Syrus addit, *vix*, seu *difficulter*.

Majestatem, gloriam, decus immensum. Viderant antea splendescere faciem vestimentaque orantis: jam viderunt, absolutâ, immensâ, atque ineffabili quâdam gloriâ, solis instar (quod Matthæus ait) fulgentem. *Regem in decore suo viderunt*. Isa. 33, v. 17.

Et duos viros, et duos illos viros, Mosem, inquam, et Eliam, quos ante non viderant.

Qui stabant cum illo, et colloquebantur: surrexerat enim Jesus ab oratione ut cum illis colloqueretur, id quod mox dictum est. Viderunt autem illos et simul gloriam magnificam quâ ornati erant, de quâ similiter dictum est; sed nihil illorum gloria ad illam quâ Jesus perfusus erat, ut nihil stellæ claritas ad solis claritatem; ideò non repetit hìc quidquam evangelista de illorum gloriâ. Nec viderunt tantùm illos, sed et audierunt cum Jesu colloquentes de excessu seu exodo ipsius: non enim aliò pertinebat colloquium Jesu cum illis, quàm ad discipulorum eruditionem.

Vers. 33. — Cum discederent; *illi* additur Græcè, scilicet duo viri, Christo Deoque jubente. Syrus, *cùm cœpissent discedere*, id est, cùm pararent abitum; valedicentes haud dubiè, omnemque ipsi auctoritatem cedentes, precati ut eâ usus redemptoris brevi munus strenuè impleret.

Ab illo, Jesu.

Ait Petrus, veritus ne illis discedentibus intercideret suave illud beatumque spectaculum, cujus dulcedine captus, haud satis suî potens erat.

Ad Jesum. Quamvis Moses et Elias adessent, Jesum tamen ut præcipuum et summum, à quo res omnis penderet, interpellat: viderat enim Mosis et Eliæ erga Jesum ut Dominum observantiam.

Bonum, jucundum, beatum.

Nos hic esse, id est, nobis hìc esse, ubi scilicet frui datur aspectu gloriæ tuæ ac sanctorum. Non recedant, obsecro, Moses et Elias, sed

Faciamus, extruamus. Futurum quod Syriacè legitur ambiguum est ad *faciemus* et *faciamus*.

desinerent. Addit idem Lucas, Petrum, et qui cum illo erant, gravatos fuisse somno, tempore scilicet orationis Christi, et antequàm transfiguratus esset: nam, ut idem, cùm evigilâssent, viderunt majestatem ejus, et duos viros cum ipso. Itaque

Vers. 33. — Bonum est nos hic esse, id est, permanere, nempe propter spectaculi et voluptatis magnitudinem, quia velut suî ipsius oblitus et ebrius erat. Unde, ut felicitas illa sit perpetua, faciamus tria tabernacula, id est, tentoria ex frondibus, more Judaico, nempe ad retinendos Moysem et Eliam, jam parantes discessum. Forsan etiam manere omnes volebat ex horrore mortis Christi, de quâ disserebant. Uterque verò Marcus et Lucas adnotant, eum nes-

TABERNACULA, umbracula, tentoria, qualia ex arborum ramis et frondibus excitari solent.

UNUM TIBI. Præponit Jesum Petrus, jam doctus Jesum et Mose et Eliâ et prophetis omnibus majorem adeòque Filium Dei vivi esse.

ET ELIÆ UNUM, ut liceat hìc sedem figere et perpetuò manere, perpetuâ frui visione gloriæ tuæ ac sanctorum, nec reverti ad mundum, tumultibus, timoribus, miseriis plenum. Nihil de se dicit et sociis, arbitratus si modò Jesu et sanctis patribus manere illìc persuasisset (nihil autem ad manendum desiderari aliud judicabat, quàm tabernacula adversùs solis ardores aerisque injurias exstructa, aliarum rerum omnium oblitus), se sibi et sociis, si opus foret, facilè de tabernaculo prospecturum. Atqui scire oportebat Petrum, iis quos cœlestis gloria vestit et protegit, nullis opus esse tabernaculis manufactis ac caducis; sibi verò non quærendum esse triumphum ante victoriam, aut coronam ante certamen, sed nec hanc, quæ jam ipsi cernenda dabatur, eam esse gloriam in cujus visione esset conquiescendum; ut verò ea fuisset, non sibi soli et paucis sociis, retinendum fuisse Christum in monte, qui à Patre destinatus erat Salvator mundi, cui proinde Jerosolyma abeundum erat mundi redimendi regnique morte parandi causâ. Præposterum itaque fuit Petri votum, erravitque quòd finem visionis non teneret, æternam optans eam, quæ temporarii speciminis loco ostensa erat gloriam; indicio tamen hoc ardoris sui, dedit intelligendum, quàm beata futura sit æterna explicatæ Dei et Christi gloriæ visio in angelorum hominumque sanctorum omnium consortio, quem visa ad horam humanitas Christi transfigurata in societate duorum è sanctorum Patrum choro (gutta una immenso illi mari comparata) tantâ affecit dulcedine, ut rebus aliis omnibus spretis sola illius fruitio ipsi sufficeret. Hoc porrò discrimen est novæ legis à veteri, in quâ contra omninò quàm hìc, terribilem se exhibebat Deus, usque adeò ut populus ille refugeret visionem colloquiumque Domini, Exodi 20, v. 18, 19. Deut. 5, v. 24, et 18, v. 16.

VERS. 34. — LOQUENTE; adhuc Petro loquente verba ista. Nullo responso dignatus est Jesus propositionem multis modis incongruam; quare et novâ re submissâ tanquàm abrupit Deus Pater Petri sermonem.

FACTA EST, cœlo delapsa est.

NUBES. Dei cum mortalibus aliquando propiùs ac familiariùs agentis vel colloquentis, sedes esse solent nubes, Exodi 16, v. 10, et 40, v. 32, 33, 34, 35, 36, Num. 11, v. 25, tanquàm è summâ sede suâ, cœlo, ubi lucem inhabitat inaccessibilem, ad nubes usque se demittentis, quòd imbecillitatis humanæ captus et intuitus majoris lucis et splendidioris gloriæ vim ferre nequeat. Quare Psalmographus nubem vocat *ascensum* seu vehiculum *Dei*, Psalmi 103, v. 3; Job, *tentorium* seu *tabernaculum Dei*, c. 36, v. 29. Neque verò præsentiæ solùm Dei, sed et efficientiæ, virtutis et gloriæ spectaculum, in nubibus esse solet, Psal. 67, v. 35, et 88, v. 7. Est itaque et hoc loco nubes apparens, cùm præsentiæ Dei Patris indicium, tum magnificæ gloriæ illius, ut D. Petrus loquitur, visibile exemplar: neque enim absque gloriâ Pater Filio gloriæ suæ specimen edenti testimonium attulit: nam et ideò fuit *nubes* lucida, ut habet Matthæus. Olim cùm ferretur lex vetus, apparuit Deus per nubem caliginosam, Exodi 19, v. 9, et 20, v. 21; quippe umbras proferens futurorum bonorum, et metuendum se declarans: jam cùm demonstrat novæ legis latorem, apparet per nubem lucidam, exhibitionis rei ipsius claræque veritatis, amoris rursùs et benevolentiæ argumento.

OBUMBRAVIT, operuit cinxitque instar umbraculi.

Eos qui præsentes aderant, Jesum, Mosem, Eliam, et tres discipulos (et Mosem quidem atque Eliam abstulit ex oculis discipulorum) nam illi quidem apud se mutuò erant, nubes autem non quælibet erat, sed lata profundaque, quod Chrysostomus ait, ab ipso cœlo ad terram usque haud dubium diffusa.

TIMUERUNT discipuli.

INTRANTIBUS ILLIS, dùm ingrederentur illi, scilicet præsentes omnes, Jesus, Moses, Elias, et ipsi discipuli IN NUBEM. Significatur nubes suaviter incidisse in illos omnes, illosque complexu cinxisse suo; ac Mosen quidem atque Eliam, qui jam valedixerant Jesu, abstulisse ex oculis, cui expositioni Euthymius suffragatur. Præsagiebant discipulorum animi, ex argumento inumbrantis nubis, novum aliquid, insolitum, et divinum: videbant nubem circa Mosen et Eliam densiorem auferre illos ex oculis (nam id Syrus quoque sentiens, paraphrasten hoc loco agit, et pro eo quod legimus, *intrantibus illis in nubem*, vertit: *Cùm viderent Mosen et Eliam, qui ingrediebantur nubem*); mox audiebant vocem è nube loquentis Dei: hæc omnia timorem illis incusserunt.

VERS. 35. — Vox audita est, vox, inquam, majestatis plena.

DE NUBE, ex illâ nube, è summo illius nubis, adeòque è cœlo ipso (quod Petrus ait 2 Epist. 1, v. 18) profecta, Deo Patre faciente.

ciisse quid diceret. Puerile enim erat votum, tabernacula pro tam gloriosis requirere, neque consonum eorum colloquio de futurâ Christi morte. Causa inconsiderantiæ istius erat quædam consternatio animi et obstupefactio, quia Marcus ait: *Erant enim terrore exterriti.* Unde ut reipsà voti istius incongruentia ostenderetur,

VERS. 34. — ILLO LOQUENTE FACTA EST NUBES, instar tabernaculi, ET OBUMBRAVIT EOS; id est, velut umbra quædam texit tres illas personas gloriosas; partim ut splendorem nube temperatum ferre possent; partim ut esset quasi sedes gloriosa divinæ majestatis, inde mox locuturæ. Sic enim et Christus in nube assumptus et ad judicium venturus dicitur, et in veteri Testamento passim Dei majestas in eâ loqui solebat, et apparere, tum in tabernaculo Moysi, tum in templo Salomonis; sed ibi tenebrosa erat, hìc lucida, secundùm Matthæum, ad indicandam diversitatem statûs utriusque Testamenti.

VERS. 35. — DE NUBE, velut ex throno Dei Patris. Facta est autem, cùm jam intrâssent Moyses et Elias in nubem, ac discessissent, adeòque, ut Lucas ait,

Dicens apostolis qui soli aderant præter Jesum (jam enim discesserant Moses et Elias) et soli docendi erant divinitatem ac magisterium Jesu.

Hic, Jesus, cujus gloriæ divinitatisque latentis specimen vobis monstratur, quem jam vidistis à Mose et Eliâ, inter omnes prophetas summis, probari, observari, Dominumque agnosci.

Filius meus, Dei vivi, qualem nuper confessi estis. Hæc est perfectio, hoc culmen gloriæ Jesu, quòd Deus agnoscat testeturque ipsum esse Filium suum. *Accipiens*, ait Petrus, 2 Epist. 1, v. 17, *à Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsâ ad eum*, etc. Hàc gloriâ ornatus venturus est judicare orbem terræ et regnabit in secula seculorum. Hanc denique gloriam reliqua omnis gloria et bona omnia consequuntur.

Ipsum audite, quem doctorem et legislatorem vobis atque humano generi dedi (hâc enim parte doctorem Ecclesiæ constituit), propiùs longè et familiariùs per ipsum vobis loquens quàm olim Patribus per prophetas. Ipsi, quæcumque docuerit aut mandaverit, etiamsi superent captum mentis vestræ, etiamsi humano judicio absurda aut carni inimica, fidem adhibete atque obedite, non aliter ac mihi; ipsi, inquam, non alteri cuivis qui ab eo vel tantillùm dissideat; cui jam vidistis legem et prophetas cedere suo munere defunctos; in quo uno exstant omnia et plenè et clarè, quorum non erat in lege et prophetis nisi umbra obscura; qui denique eos qui ipsum audierint ad talem gloriam perducet quali vos jam ipsum vidistis ornatum. Allusio autem hìc esse videtur ad prophetiam Mosis, Deut. 18, v. 15 : *Prophetam de gente tuâ et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*, etc. Reliqua ad paternæ vocis explicationem facientia quære supra 3, v. 22.

Vers. 36.—Dum fieret vox, Græcè, *dùm facta fuisset illa vox*, id quod jungitur cum verbo proximo, *inventus est*. Latinè, *dùm fieret vox*, jungendum est cum nomine *solus*: Inventus est tum solus adfuisse dùm fieret vox.

Inventus est, scilicet, statim à discipulis (qui, ut sonabat vox, mox proni in terram corruerunt) sublevantibus oculos et dispicientibus an fortè adhuc adessent Moses et Elias. Videntes Jesum solum certo certiores redditi sunt, voce illâ non alium quàm Jesum ipsum declaratum esse Filium Dei et præceptorem hominum, præter hoc quòd pluribus aliis argumentis hoc idem manifestum ipsis esset. Nam quanquàm discipuli antequàm Dei voce in terram prosternerentur vidissent Mosen atque Eliam discedentes, nube illos ex oculis auferente; tamen mox ut oculos ausi fuerunt sustollere, circumspexerunt an nusquàm iterùm illi adessent. Cæterùm non tantùm illos ampliùs non viderunt, sed neque nubem, neque gloriam vultûs aut vestium Jesu. Voce enim auditâ, mox disparuit et nubes, et Jesus resumptâ pristinâ faciei ac vestimentorum specie quali venerat in montem, propiùs accedens jussit surgere discipulos. Hoc rerum statu omnia, sublatis oculis, vidisse discipulos, intelligendum hìc est. Discedunt itaque Moses et Elias solo remanente Jesu, et quasi fiunt ex tribus unus, ut doceatur, legi ac prophetis temporariam fuisse gloriam, ut solum Evangelium conspicuum maneat. Non ampliùs auditur vox Patris è nube, quia ideò semel locuta est, ut semper deinde audiatur Filius. Occulit Jesus gloriam suam, resumptâ similitudine carnis peccati, dùm perficiat opus redemptionis nostrî. Denique spectaculum illud totum evanescit, relicto desiderio ac spe suî tempore opportuno æternùm videndi, ut interim ad pristinam militiam redeundum sibi esse discipuli sciant.

Tacuerunt; prohibuerat enim Jesus referri aliis quid vidissent, quia, vel incredibile foret pro rei magnitudine, vel post tantam gloriam sequens crux apud rudes animos scandalum faceret irreparabile. Vide supra, ubi eâdem de causâ prohibuit ne diceretur Christus. Id tamen quod jam aliis noluit dici, jam voluit his tribus ostendere, primùm ut solveret promissum supra 16, v. 28, factum, cujus ratio illìc data fuit; deinde ut hi capita arctiùs ipsi inhærerent, illorumque exemplo cæteri discipuli; cùmque visuri ipsum essent mortem obeuntem non prorsùs dejiceret ipsos infirmitas, quasi necessitate aut vi pati cogeretur, qui declaratus cœlitùs Dei Filius, nihilo difficiliùs posset corpus suum à morte eximere, quàm particeps reddere cœlestis gloriæ; denique ut cùm suo tempore discipuli isti prædicaturi rem essent, evidens fieret etiam quo tempore semetipsum Jesus exinanivit, deitatem gloriamque, licèt abscondita esset carnis velo, integram isti stetisse. Intelligi possit discipulos istos non sine vi quâdam ac labore hoc arcanum tamdiù tacuisse, cùm res esset relatu dignissima. Nam ut cæteri discipuli multùm his molesti fuerint, non est admodùm probabile, cùm res nocte gesta parvum reliquerit suspicioni locum : existimatus est enim Jesus sub noctem ad orationem cum his tribus secessisse.

Vers. 37. — In sequenti die. Hinc intelligitur Jesum cum tribus illis discipulis totâ nocte in monte mansisse.

Descendentibus illis, Græcè, cùm descendissent illi, scilicet Jesus tresque illi discipuli.

Occurrit illis, vel ut est in aliis libris et Græcè *illi*, scilicet Jesu, salutandi gratiâ et gratulandi adventum.

Vers. 38. — Vir de turba, quidam è turbâ, exclamavit

jam solus esset Jesus; ut sic, quemadmodùm Chrysostomus observat, non esset dubium de Christo solo vocem intelligi : hic, Jesus quem instar solis fulgentem à Moyse et prophetis agnitum, prophetatum, probatum vidistis, ipsum audite, scilicet loco omnis legis et prophetarum, quos ei velut officio suo functos jam cedere vidistis. Alludit enim ad verba Moysis, jam impleta, Deut. 18, v. 15: *Prophetam de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus, ipsum audies*, ei credendo, obediendo, serviendo, tanquàm ipsi verbo et sapientiæ divinæ legislatrici, quantùmcumque scilicet ardua, et præceptis legibus contraria docere videatur.

MAVIT, eâ occasione quam Marcus narrat cap. 9, v. 24; nam Lucas compendio utitur quemadmodùm Matthæus.

RESPICE IN FILIUM MEUM, sive ad filium meum, id est, miserere, adjuva filium meum; solemus enim respicere quos volumus adjuvare; avertere autem faciem, ab eis quos derelinquere.

UNICUS, unigenitus. Augebat hoc paterni cordis dolorem.

VERS. 39. — ET, scilicet quia subaudiendum est hìc repetitum, *quia* : Quia unicus est mihi et quia ecce spiritus, etc., q. d. : Quia, cùm sit unicus mihi, ecce spiritus eum miserè vexat.

SPIRITUS malus.

APPREHENDIT, capit, corripit, invadit, sæpè; usus temporis præsentis frequentiam consuetudinemque significat.

ET SUBITO CLAMAT, ita ut derepentè vociferetur puer, clamorem edens doloris argumentum.

ET ELIDIT, in terram abjicit, scilicet spiritus puerum. Cæterùm particula ista nec Græcè nec Syriacè exstat.

ET DISSIPAT EUM, et discerpit seu lacerat eum, convellit ei totius corporis membra. Secundùm Marcum vertit Interpres, *conturbat eum*, v. 20, *discerpit*, v. 26.

CUM SPUMA, spumâ ex ore ebulliente, quo horribilius est malum.

VIX DISCEDIT; *ab eo*, additur Græcè et Syriacè. Vix tandem discedit ab eo, ægrè discedit. Significat malum esse diuturnum.

DILANIANS, conterens, caput cæteraque membra terræ illidens totumque atterens; sic in morbo comitiali accidere solet.

VERS. 40. — ET ROGAVI, rogavi autem, te absente.

ET NON POTUERUNT. Hinc narrat Marcus fuisse argumentum contentionis scribarum cum discipulis. Cùm enim in medium, absente Jesu, productus esset puer dæmone agente lunaticus, rogatiquê discipuli ut expellerent dæmonem, tentâssent irrito conatu; plausibilis insectationis occasio scribis visa est, ac cupidè ab illis arrepta. Insultant itaque quasi victores, nec modò subsannant discipulos, sed proterviunt etiam adversùs Jesum, quasi vana esset potestas ea quam gloriarentur discipuli se ab Jesu accepisse, et omnis quoque illa virtus quâ Jesus ipse se præditum simularet; id enim patere ipso absente : nam præsens si quid faceret, dæmonis operâ facere aut malis artibus uti; nullâ verò virtute divinâ præditum esse, sed seductorem, omniaque illius dolo ac fraude esse plena. Hæc aut his similia scribarum cum discipulis contentio habebat, omnia contra Jesu gloriam directa. Sed Jesus, qui suos confundi nonnihil passus fuerat, in tempore ipsis adfuit, ne per scribas in speciem victi, ignominiâ et illi et ipse ipsiusque evangelium afficerentur. In versu sequenti Jesus adscripsit culpam incredulitati patris et adstantium; at Matthæi 17, v. 20, adscribit incredulitati discipulorum, volens allicere illos ad petendum fidei incrementum, infra, 17, v. 5; nam ad miraculi patrationem requiritur fides utriusque partis, et ejus quæ habet edere, et ejus cui editur miraculum; inprimis tamen et maximè ejus quæ edere habet (quanquam Jesu, qui propriâ virtute operabatur, nullâ fide opus erat); sed illos quidem, quorum peccatum manifestum omnibus erat, Jesus coram omnibus arguit; discipulos autem, quorum non item, seorsùm, ut illorum consuleret auctoritati. Non pauca enim aliàs dæmonia feliciter ejecerant, fide necessariâ instructi; sed cùm viderent hìc dæmonium adeò sævum, quod in juvene tot jam annis radices egisset, fide apud se fluctuare cœperunt, et timere ne major esset mali vis quàm ut eâ quam à Jesu acceperant virtute vinci posset; conturbati ad hæc scribarum præsentiâ paratorum ad calumniam quidquid tandem eveniret. Potestatis igitur ejiciendorum dæmonum, quam à Christo acceperant, usus per incredulitatem impeditus fuit. Et in citato Matthæi cap. 9, v. 21, alteram Jesus reddit causam non ejecti dæmonii : Hoc genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium.

VERS. 41. — GENERATIO, natio, gens. Exclamat Jesus in hominem istum lunatici patrem aliosque præsentes, maximè verò in scribas, quorum Marcus meminit, atque horum occasione in gentem totam (nec enim erant isti dissimiles reliquis plerisque omnibus), ut causam non sanati pueri.

INFIDELIS, incredula; quâ voce utitur interpres secundùm Matthæum. Defectu fidei hominum fit ut vera et magna beneficia in homines à Deo non conferantur : incredulitas divinam potentiam detinet quominùs efficientissimam in rebus etiam difficillimis sentiamus; ac præsertim, ubi, et is qui postulat miraculum incredulus est, et adstantes pro quorum salute edendum foret. Pater pueri hujus, cùm propter absentiam Jesu offerret illum discipulis, verebatur ne minor esset discipulorum virtus, quàm ut tam atroci spiritui expellendo par esset, cùmque jam reipsà se id comperisse putaret, cœpit et de Jesu virtute diffidere, cui plures alii præsentes astipulabantur, verisimile est. Scribæ, qui nunquàm crediderant in Jesum, jam etiam in infidelitate obdurabantur et exsultabant.

PERVERSA, distorta. Significat duros, præfractos, et pertinaciter incredulos, qui nihil ullâ ratione doceri se, nihil sibi quod rectum sit persuaderi patiantur. Plurima hactenùs ediderat Jesus miracula tam per discipulos quàm per seipsum, multa dederat sui documenta luce meredianâ clariora; atqui non tantùm ad fidem adducti non sunt Judæorum plerique, signanter autem scribæ, ut etiam ab obtrectando, calumniando et persequendo, non abstinuerint, imò deditâ operâ lucem ante oculos positam extinguere sint conati. Vetus est istud epitheton nationis Judaicæ, ab ipso etiam Mose illi attributum, Deut. 32, v. 5 : *Generatio prava atque perversa* : nam et tales se in egressu ex Ægypto præstiterunt.

USQUEQUO ERO APUD VOS. Quousque tandem ero vobiscum? Interpres neglexit particulam πότε, quæ

tamen hìc suam habet emphasin. Superiora valdè aspera, sed hæc longè asperiora sunt : quid enim accidere illis possit deterius, quam ut deserantur aut tanquàm desperati abjiciantur à Christo? verba sunt animi indignabundi, molestè ferentis se nihil proficere, se operam perdere in juvandis et docendis istis; arguentis tamen et objurgantis, tanquàm medici, non tædio victi, q. d. : Quid hìc ago vobiscum? quamdiù frustra versor apud vos? quamdiù hìc luctari pergam cum vestrâ pertinaciâ? Tot perpetratis hactenùs miraculis, tot beneficiis cumulatis, nihil proficio. Meritò certè vos deseram ut intractabiles. Hìc quodammodò Dominus Jesus secum ipse certat : justitia suadet ut deserat incorrigibiles; bonitas desiderat salutem illorum et cupit malitiam superare; itaque juxta æquitatem castigat excipitque eos pro meritis, ut vel hinc resipiscant. Non dubium est quin Christi animus eamdem semper moderationem retinuerit; interim tamen eorum malis sic ingemiscebat, ut magnis duceretur affectibus : nec enim parva animi ipsius afflictio fuit, illorum perversitas incurabilis.

Patiar vos? quousque tandem tolerabo vos? Quamdiù feram mores vestros intolerabiles?

Adduc. Ut demonstret se non ipsis sed vitiis ipsorum succensere, simul et ut virtutem suam, quæ in dubium vocata fuerat, ab opprobrio vindicet, nec existimetur rei difficilis præstationem objurgationis simulatione subterfugere, pergit benefacere jubetque adduci miserum; non quòd absentem curare non posset, sed ut, et mali gravitas, et sua virtus, ad Dei gloriam perspicuæ omnibus fierent.

Vers. 42. — Et cum accederet; Græcè, adhuc autem accedente eo; in ipso adhuc itinere, cùm adduceretur filius, mox sentiens dæmonium præsentem Filii Dei virtutem. *Adhuc*, additur, Græcè, quod tamen Syrus non magis agnoscit quàm Latinus.

Elisit, abjecit in terram. In quem sensum et Syrus hoc loco vertit *armo,* projecit, prostravit. Græcè est ἔῤῥηξεν, quod alii vertunt *laceravit*.

Dissipavit, discerpsit, ut mox, v. 39.

Et increpavit, sed increpavit, objurgavit, id est, imperiosè dirèque præcepit illi.

Sanavit, ejecto immundo illo spiritu, unàque profligatis malis omnibus quæ ille procurabat.

Ejus, suo, elevans manu suâ humi jacentem instar mortui, quod Marcus narrat.

Vers. 43.—In, super, magnitudine, τῇ μεγαλειότητι, magnificentiâ, magnificâ virtute. Nam ut solent mirifica illa facta vocari μεγαλεῖα (*magnalia* dicit interpres noster, Act. 2, v. 11), ita virtus cœlestis, istorum operum effectrix, μεγαλειότης dicitur. Quò miserabilius fuerat mali spectaculum, hoc magis admirati sunt, dæmonium tam pertinax solâ increpatione esse expulsum, et puerum multis modis læsum subitò restitutum sanitati. Erat illa non quævis, sed magnificentissima certè virtus.

Dei; manifestum enim erat non aliâ virtute quàm divinâ hæc geri; cæterùm non credebant Jesum propriâ virtute agere.

Mirantibus, laudantibus atque applaudentibus.

In omnibus, de omnibus, super omnibus.

Dixit ipse seorsùm ad discipulos. Ne putarent discipuli ipsum animo efferri ob hominum laudes, monstrat se meminisse odiorum quibus brevì deprimendus ab illis sit. Rursùs ne discipulos eò graviùs dejiceret imminens præceptoris passio, quo altiùs extulisset gloria, si, absque omni memoriâ adversorum, liberum gloriæ cursum permisisset; prædicit passionem suam, et præsentem gloriæ voluptatem prudenter temperat ignominiæ prophetiâ.

Vers. 44. — Ponite, reponite, vos; emphaticum est, q. d. : Sinite homines mirari et celebrare ea quæ à me geruntur; vos autem ne existimetis me illorum parùm solidâ gloriâ delectari, neque vos efferat præceptoris laus, sed attento animo considerate potiùs ea quæ jam instant, scitu necessaria non minùs quàm magnifica illa facta mea.

In cordibus; *in auribus*, quo modo est et Græcè et Syriacè, re eòdem redeunte. Attentè auditos conservate animoque revolvite. Attentos studuit reddere discipulos ad id à quo maximè abhorrebant.

Sermones istos, quos vobis dicam, multùm alienos ab hominum laude. Non avocat discipulos à consideratione rerum magnificè à se gestarum, sed à consideratione vanæ inconstantisque hominum laudis, ad ignominiæ quam brevì ab hominibus passurus esset.

Futurum est ut tradatur, ad verbum, *futurus est tradi,* scilicet ad necem. Cunctis signa admirantibus ipse prænuntiat passionem, non enim signa salvant sed crux beneficia præstat. *Ut tradatur :* scilicet proditione Judæ condiscipuli vestri, quanquàm illud nondùm aperiat, quod nec Judas adhuc meditatus fuerat; reservat autem ultimæ cœnæ. Frequenter prædicit discipulis passionem mortemque suam, quam non facilè illi credebant aut admittebant, ne inopinato periculo turbarentur, ne cùm adesset tristis illa rerum facies, labefactaret ipsorum fidem, memorum quàm sæpè quàmque asseveranter illa audissent prædicta, quæ et vitare utique potuisset ipse qui potuerat prædicere, nisi spontè certoque Dei consilio illa subire elegisset. Signanter autem jam repetivit, cùm per Galilæam adornaret iter in Judæam (vide Marc. 9, v. 30) ubi accidere ista oportebat, ut certissimam præscientiam suam deliberatamque voluntatem monstraret, qui prædiceret omnia explicatè, priusquàm illìc ageret ubi eventura illa erant, priusquàm odia in se inimicorum paterent, imò verò eò loci ubi gloriosè ipse celebrabatur et colebatur. Quoties verò rem istam prædicit, toties novam declarat circumstantiam quam ante non declarârat; quemadmodùm hoc loco tradendum inimicis se dicit, quod antea non dixerat, ut constaret, non tantùm mortem, sed et circumstantias singulas mortis accuratè ipsi exploratas expetitasque fuisse priusquàm contingerent.

In manus hominum, potestati hominum impiorum, id est, inimicis, persecutoribus suis, videlicet seniori-

bus, scribis et principibus sacerdotum, quos supra nominaverat.

Vers. 45. — Ignorabant, non intelligebant.

Verbum, hoc dictum, hunc sermonem, quanquàm semel atque iterùm auditum; non ex tarditate ingenii, sed ex amore potiùs præceptoris. Facilè enim assequebantur significationem verborum, quæ clara apertaque erant (hinc enim, Matthæo referente, contristati fuêre), sed ignorabant quomodò et quam ob causam, quo merito, quo fine, illud quod significabatur fieri posset aut deberet, quomodò constaret illud cum miraculis Jesu, cumque eâ quâ jam imbuti erant fide de Jesu, quòd esset Christus Filius Dei vivi, regnum Israel gloriosè initurus, idque brevì; vir sanctissimus, quod experientiâ nôssent, cui præter omnia facilè esset mortem evitare et hostes quoque ipsos disperdere: toti enim erant in consideratione mortis, nec magnifaciebant resurrectionem quam cædes Domini præcedere haberet. Non tamen fidem detrahebant verbis ejus, sed ut obscura simul et tristia non demittebant in pectora; fortè etiam imaginabantur ea parabolicè dici, alio sensu quàm primùm præ se ferrent. Relinquebantur adhuc à Deo hoc in negotio sibimetipsis, nec illustrabatur illorum mens ad mysteria mortis et resurrectionis Christi, quibus salus humana parienda erat, intelligenda; tanquàm pueri enim nondùm erant capaces.

Velatum ante eos, Græcè, *absconditum ab eis*, id est, occultum illis. Est enim hebraica phrasis, qualis, psalmi 68, v. 6: *Et delicta mea à te non sunt abscondita.*

Ut non sentirent, ita ut non intelligerent nec saperent illud.

Timebant, veriti increpationem, veriti et mœroris, quo constricti erant, Matthæo narrante, augmentum, si dilucidiùs res explicaretur. Non fuit laudabilis hic timor, qui, et perplexam dubitationem, et vitiosam tristitiam aluit; nec enim immodicè contristati fuissent, si rem intellexissent.

Vers. 46. — Intravit, ingressa est, subiit.

Cogitatio quam et verbis inter se declarârunt, et ambitiosâ disceptatione tractârunt, quod ex prioribus evangelistis constat.

Quis. Græcè: *De hoc, quisnam.* Omisit interpres articulum τὸ, qui hìc legitur.

Major, maximus: comparativus loco superlativi. Maximus, id est, Regi Christo, auctoritate, honore, dignitate proximus. Matthæus addit: *In regno cœlorum.* Frequens erat Jesu sermo de regno cœlorum, quod præterquàm quòd appropinquâsse palàm prædicabat, jam etiam intellexerant apostoli in foribus esse, ex eo quòd docuerat illos se, tertiâ à suâ morte, quam brevì obiturus esset, die, resurrecturum: nam et sic Matth. 20, v. 20, et Luc. 22, v. 24; tertiò, inquam, hoc ambitionis vitio adusti referuntur apostoli, eâdem unâ occasione mentionis mortis et resurrectionis, quid aliud foret resurrectio ignorantes, nisi instauratio quædam et possessio regni. Fingebant autem animis regnum hoc, quamvis in cœlis postea æternum foret, priùs tamen hoc in mundo surrecturum, splendidum, gloriosum, felix, cœlestique Dei virtute firmum, cujus Christus Rex, Christi studiosi cives forent, alii aliis honore ampliores, Christo Regi gratiores ac familiariores, auctoritate postremò dignitateque clariores, atque ex his unus ab ipso Rege primus, quemadmodùm fit in aliis hujus mundi regnis; nec dubitabant quin duodecim ipsi cæteris omnibus priores ac majores forent, ut primi et individui comites atque apostoli Christi Regis: sed è suo numero observaverant jam Christum Petro et duobus Zebedæi filiis familiariùs quàm reliquis ipsis uti, et his quidem nomen *filiorum tonitru*, illi *Petri* nomen imposuisse, tanquàm futuri primarii lapidis in eo quod moliebatur ipse Ecclesiæ ædificio, rursùs huic claves regni cœlorum et potestatem ligandi atque solvendi promisisse. Ut ergo suspicantes sunt admodùm quos occupat pravus regnandi ac dominandi affectus, cœperunt cogitare apud se, hos primates fore sibique præferendos esse in regno cœlorum, ac præsertim Petrum omnibus: id quod tamen non æquis animis poterant ferre, cùm essent inter ipsos, alii ætate majores illis, quique Christo priùs adhæserant, ut Andreas, alii qui Christo sanguine juncti essent, quod illi non erant, ut Jacobus Alphæi, Simon Cannæus, alii quos eruditio major et industria prudentiaque ad præfecturam aptior commendaret, ut Philippus et Bartholomæus. Hinc itaque contentio ipsorum ambitiosa. In Matthæo, cap. 18, v. 1, audent etiam interrogare Jesum ipsum, et quæstionem in medium proferunt generalem quamdam, quâ ita sperant se obtegere posse peccatum suum, tanquàm qui non de se solis, sed de omnibus quæsivissent, desiderantes scire id quod omnium intersit, quod non ambitionis utique, sed prudentiæ fuisset, ut tamen intelligant suæ controversiæ definitionem. Nam, si, exempli causâ, responderet Jesus: Natu maximus ex iis qui me sequuntur, vel conjunctissimus mihi sanguine, vel qui plura reliquit ut me sequeretur, vel qui assiduus mihi magis fuerit; ex hujusmodi aliquâ expositione putabant illi se posse statuere comparationum inter se ac distinctionum contentionumque finem. Hìc descri-

Vers. 46. — Quis major; Græcè *quisnam*, erit maximus dignitate, auctoritate, honore proximus Regi Christo futurus? Occasionem sumpserat ista ambitiosa contentio in viâ, et hæc quæstio ex eo, quòd dixerat superiùs se moriturum, et tertiâ die resurrecturum. Nam eodem prorsùs modo Matth. 20, vers. 21, filii Zebedæi, auditâ mentione resurrectionis ejus, petunt claudere latus dexterum et sinistrum Christi in regno ejus. Et Lucæ 22, cùm vers. 16 et 22, intellexissent traditionem Christi, et regnum instare mox, vers. 24, cœperunt contendere quis esset major. Valdè enim carnaliter videntur de isto regno, Rege, et dignitatibus, et præfecturis ejus more scilicet terrenorum regnorum cogitâsse. Æmulationis autem causa erat, quòd alii essent Christo carne propinquiores, alii vocatione priores, alii ætate, alii eruditione majores, alii in secretis familiariores; denique quòd Petrus cæteris per clavium promissionem et nuperrimè per tributi solutionem insolitam præferri videretur, ut notat Chrysost. et Hieron.

bitur apostolorum ut cæterorum hominum ambitione infectum ingenium, quò sanetur tam in nobis quàm in illis : in quibus quidem integrè adeò sanatum fuit, ut postea de postremo potiùs quàm de primo contenderint loco.

VERS. 47. — VIDENS; quod oculorum est ad animum transfertur.

COGITATIONES, hanc cogitationem, CORDIS ILLORUM; nam quamvis verbis inter se prodidissent cogitationem hanc suam, non tamen cognoverat eam Jesus, absens cùm fuisset, nisi divinitatis suæ, cordium secreta rimantis, virtute; quæstione enim illâ quam secundùm Matthæum proposuerunt, abscondere studuerunt contentionem suam.

PUERUM, puerulum, puellum : significatur admodùm puerum fuisse, etiam ex Chrysostomi sententiâ; ex eo tamen quòd advocatus est, Matth. 18, intelligitur pedibus vel mediocriter uti potuisse : infantem itaque accipe jam primùm balbutientem atque iturientem, bimulum, inquam, trimulumve. Facit ad emphasim diminutio, dùm non ad cujuscumque pueri, sed ad admodùm pusilli imitationem invitantur, qui ab omnibus passionibus omninò sit liber. Fieri possit filium fuisse ejus, cujus ea domus erat propria, vel qui eam administrabat Jesu absente; quem, non dubium est, fuisse cum familiâ suâ domesticum fidei.

STATUIT, collocavit, sedere fecit.

SECUS SE, juxta se, apud se, ante se. Hoc est quod alii Evangelistæ dicunt *in medio eorum;* nam et ipse Jesus sedebat in medio eorum, ibi æquè ab omnibus conspiciebatur; ut non verbis tantùm recitato, sed et reipsà ob oculos posito exemplo admodùm opportuno, efficaciùs moveret, altiùsque infigeret quod docere volebat. Usi sunt hujusmodi χρεία, actione simul et oratione constante, utilissimâ illâ ad permovendum, frequenter prophetæ; dùm, verbi gratiâ, captivitatem et transmigrationem, et verbis prædicunt, et in exemplum vivum, Isaias incedit nudus ac discalceatus, Isa. 20, v. 2; Jeremias vincula et catenas injicit collo suo, Jer. 27, v. 2; Ezechiel migrat in omnium conspectu, interdiù transfert supellectilem suam, et vesperi perfosso pariete ipse domo humeris effertur, Ezech. 12, v. 7.

VERS. 48. — SUSCEPERIT, hospitio. Hoc uno beneficentiæ, humanitatis honorisque officio omnia intelligit.

PUERUM ISTUM, puerulum talem, ætate, sed magis voluntate, humilitatis, inquam, ac modestiæ virtute, cujus consuetudinem mundus ut ignobilem aversatur. De utroque puerulorum genere videtur loqui, et eò quòd propriè hujusmodi est, et eò quòd metaphoricè sic appellat, significans eos qui depositâ omni altitudinis opinione ad subjectionem et modestiam se moresque suos componunt, qui omni superbiâ vacui nihili fieri pro nihilo ducunt. De his solis Syrus intelligens locum et hìc et secundùm Marcum vertit : *Talio aich hono,* tanquàm puerum hunc, quod est, similem puero huic.

IN NOMINE MEO, meâ causâ, quia discipulus meus est, et ex meâ doctrinâ hunc in modum se exinanit. Vel si et de puellis ætate loquatur, *in nomine meo,* quia meus est Sacramenti regeneratione, aut, ut educet eum in candore hujusmodi puerili juxta doctrinam meam.

ME RECIPIT, eo loco id habebo, non secùs remunerabor, quàm si me ipsum excepisset hospitio, aut aliis hujusmodi beneficentiæ, humanitatis, honorisque officiis prosecutus fuisset; hujusmodi enim apud me maximi sunt pretii, ut qui mihi simillimi sint et me proximè referant. Quia nova erat doctrina ista, aliena à consuetudine mundi, cui humiles sunt contemptui, declarat quanti faciat ipse illos quos sibi æquat, prædicitque non obscurè, fore et hoc in mundo à quibus honorentur illi et beneficiis afficiantur, dùm obliquè illos omnibus commendat, et quò se quisque magis exinaniet, eò plus honoris illi haberi præcipit, maximâ remunerationis spe datâ. Quâ simul ratione fideles omnes invitat, ut dùm se quisque subjicere studet, alii alios in pretio habeant, mutuamque foveant charitatem.

NAM. Reddit causam quare Deum Patrem Filiumque recipiat qui puerulum istum vel illi similem recipit, quia magnus sit, quia magni admodùm fiat à Deo, puerulus hujusmodi; non tamen illud exprimit, verùm illud quod consequitur majus, et quo definit præsentem apostolorum de primatu controversiam.

QUI MINOR EST INTER VOS OMNES, qui minimus est omnium vestrûm, id est, simillimus huic puerulo, quod est, humillimus; quod Matthæus ait : *Qui humiliaverit se sicut parvulus iste.* Qui se minimum omnium et judicaverit et gesserit, simplicitatem atque innocentiam, puerili ætati simillimam, vitâ ac moribus quàm proximè expresserit.

HIC MAJOR EST, hic est omnium maximus, hic omnibus præfertur, hic omnium maximi fit à me et Patre meo, adeò ut qui illum suscipiat, alterum me, alterum Patrem suscipiat. Contendite igitur omnium esse humillimi, modestissimi, obedientissimi Deo, et officiosissimi erga proximos, si omnium velitis esse maximi. Hujusmodi enim contentio tam fit apta regno cœlorum, quàm altera illa aliena est. Græcè et Syriacè pro, *est major,* legitur *erit magnus*, futuro tempore; quod et ipsum quidem verum est, videtur tamen magis propria Latina lectio. Nam positivum nihil dubium est superlativi esse loco.

VERS. 49. — RESPONDENS, id est, occasione ex verbis Domini Jesu acceptâ, subjecit ac proposuit.

JOANNES, apostolus. Quia dixerat Jesus, gratissimum

VERS. 48. — QUICUMQUE SUSCEPERIT, hospitio scilicet, quo tamen uno humilitatis officio omne beneficentiæ significatur; PUERUM qui videlicet se humiliaverit, sicut parvulus. Magis enim loquitur de figuratis per parvulos, quàm de figurâ, seu de ipsis parvulis, IN NOMINE MEO, id est, meâ causâ, quia meus est, et propter me exinanitus. ME RECIPIT, id est tanti facio, ac si meipsum susciperet, et ita remunerabor, quia mihi sunt simillimi.

sibi et Deo Patri esse, si quis parvulum aut humilem quemvis in ipsius nomine recipiat, foveat, juvet, jamque sæpiùs didicerat Joannes à Magistro, gratissima ipsi et ipsius Patri esse, quæcumque fierent in nomine ipsius; venit Joanni in mentem, quòd prohibuisset aliquando cuidam, ne in Jesu nomine ejiceret dæmonia. Veritus ergo ne minùs rectè fecisset, eò quòd impedivisset opus charitatis, quod parvulis miserisque exhibebatur in nomine Jesu : proponit Magistro rem, abrumpens licet propositum Magistri, ambitioni eradicandæ humilitatique commendandæ intenti, et tacitè interrogat, benè fecisset an malè : simulque ostendens, quòd et bono animo id fecisset, et paratus esset corrigi, si minùs rectè fecisset.

Vidimus, ego et quidam alii ex nostris, nuper cùm tuo jussu Judæam peragraremus prædicandi Evangelii causâ.

Quemdam. ignotum.

In nomine tuo, id est, per nomen tuum, appellato nomine tuo. Hinc discimus apostolos, cùm dæmonia ejicerent, usos fuisse appellatione nominis Jesu, quamvis adhuc mortalem inter homines vitam agentis, præcepisseque dæmonibus in nomine Jesu, ut exirent : nam illos iste est imitatus. Videns enim apostolos in nomine Jesu ejicere dæmonia, tentavit an non et ipse id posset, nomine Jesu adhibito : præsertìm cùm virtus omnis à Jesu nomine proficisci videretur. Simile legitur Act. 19, v. 14, de filiis Scevæ principis sacerdotum.

Ejicientem dæmonia. Pluralis numerus, *dæmonia*, intelligendum dat, quòd jam quædam dæmonia ejecerat ille reipsâ; ut certè non ea fuisset ratio prohibendi, si iste tentâsset quidem ejicere, sed frustra : ipse enim per se conatus frustratus, ipsi id prohibuisset. Cùm ergo vidisset Joannes illum, jam quidem ejecisse dæmonia quædam, pergere autem id ampliùs tentare, prohibuit eum.

Quia non sequitur nobiscum, scilicet te, id quod exprimitur à Syro. His verbis dat Joannes causam quare prohibuerit eum, eò quòd non esset de numero apostolorum, vel eorum discipulorum qui corpore Jesum quòcumque sequerentur, qui soli nimirùm acceperant à Jesu potestatem auctoritatemque dæmonia ejiciendi. *Quia tradiderat Salvator,* inquit Cyrillus in Catenam ad Lucam adductus, *potestatem apostolis, ut spiritus immundos ejicerent, putaverunt nulli aliorum quàm sibi solis licere concessam gerere dignitatem.* Hic ergo cùm Jesum non sequeretur, idque *propter asperum vivendi modum,* quod ait Euthymius, ac proinde non accepisset à Jesu id facultatis aut mandati, videbatur præter ordinem à Jesu constitutum agere nonnihilque injuriæ Jesu irrogare, quòd injussus, Jesu nomine, ad ejiciendos dæmones uteretur. Non invidiâ aut studio ambitionis ducti id prohibuerant discipuli, quasi *laborarent de asserendo honoris sui privilegio, et soli hoc jure potiri vellent,* quæ Calvini sententia est (nam si ita fuisset, non consuluissent Jesum an rectè fecissent, malè sibi conscii), sed *amore,* quod ait Ambrosius, et zelo ducti, licèt minùs prudenti; quòd consulere vellent auctoritati Jesu, ejusque conservare disciplinam, ne quis, cui ipse eam potestatem non fecisset, ipsius nomine uteretur vel potiùs abuteretur, ne vilesceret ipsius nomen et potestas ista, si omnes hoc tentarent. Notant hoc enarratores Græci, abfuisse à discipulis invidiam, non invidisse eos homini huic potestatem ejiciendi dæmones, sed indicâsse, non permittendum iis quibus Jesus id non mandaverat, ut in Jesu nomine dæmonia ejicerent; Theophylactus, Victor, Titus; quo ferè modo Josue arbitrabatur non permittendos prophetare, qui spiritum à Mose non accepissent, veritus ne Mosis majestas periclitaretur, Num. 11, v. 28. Porrò non dicit Joannes, *quia non credit in te*, aut *quia malè vivit*, non enim noverat hominem; et quamvis etiam à malis, adeòque ab incredulis, edi possint miracula in nomine Jesu, quemadmodùm discere licet ex Matth. 7, v. 22, 23, et Act. 19, v. 15, verisimile est tamen hunc, si non credidisse, certè alienum non fuisse à fide in Jesum, et pœnitentiâ quam Jesu prædicante didicerat (id quod responsio Jesu subsequens satis dat intelligendum), quanquàm à sequelâ Jesu, propter vitæ asperitatem, quod dictum est, fortassis abhorreret. Admiratus enim virtutem nominis Jesu, putavit etiam se, eo adhibito, posse dæmonia expellere; et profectò, credibile non est, Jesum in illis initiis id concessisse homini, ab ipsius doctrinâ et moribus prorsùs alieno. Cæterùm quamvis bono animo hic videatur apostolos imitatus, non sine temeritate tamen id aggressus est de quo nullam promissionem, nullum mandatum acceperat, quodam, quod Theophylactus et Euthymius aiunt, *vanæ gloriæ amore captus.* Sed successu audacia non caruit, quia, quamvis eam facultatem præsens unà cum reliquis discipulis à Jesu non accepisset, acceperat tamen absens, ab eo qui nullam sibi ipse legem præscripserat, quin tam secretè quàm publicè, tam absentibus quàm præsentibus, dona sua suo pro libitu posset distribuere. Nam et hoc modo placuit ei nominis atque evangelii sui gloriam propagari : ut et ii qui hujusmodi miracula in ipsius nomine operari tentarent, et ii qui ea miracula viderent aut audirent, admirandam ipsius, per absentes adeòque ignotos operantis, virtutem ipsâ experientiâ agnoscentes, faciliùs ad perfectam Evangelii fidem adducerentur.

Vers. 50. — Nolite prohibere, ne prohibeatis scilicet in posterum, si similis rursùs se offerat occasio, ut non debueratis hunc prohibuisse. Plures alloquitur Jesus, Joannes enim narraverat à se aliisque discipulis illum prohibitum fuisse. Porrò non reprehendit discipulos Jesus, quia animo bono, adeòque amore, quod ait Ambrosius, id fecerant, sed mansuetè docet atque instruit. Non debetis, inquit, hujusmodi prohibere, tametsi non sequatur vos.

Adversum vos, pro vobis est. Ita est et Syriacè. Græcè leguntur primæ personæ pronomina; quanquàm Titus, necnon Cyrillus in Catenâ citatus, Græci enarratores (si modò non est Cyrillus, idem qui Titus) secundam exponant personam. At sive primæ sive secundæ personæ pronomina legantur, sententia eòdem

recidit, eum qui nihil agat, quod Christi apostolorumque instituto, Evangelio, inquam, propagando, adversetur, pro Christi ac discipulorum, ipsiusque Evangelii fautore, habendum esse, ac proinde non prohibendum, idque à discipulis præsertim. Qui nihil agit quod vobis adversetur, quod obsit instituto atque officio vestro, prædicandi nomen meum, et multos homines Evangelio ac regno meo lucrifaciendi, eum pro vobis esse, vobiscum facere, vestroque instituto favere, credendum vobis est. Nemo enim præsumi debet malus, nisi contrarium doceatur, uti humanæ etiam leges definiunt. Jam verò quòd ejiciat quis dæmonia in nomine meo, etiamsi ille corpore me vobiscum non sequatur, nihil obest vobis vestrove instituto, aut nomini meo, imò verò prodesse id potest ad propagationem nominis et Evangelii mei. Quocirca non venit ille à vobis prohibendus hoc nomine, ut non est movendum bellum ei qui vos non lacessit : sed quod agit, in meliorem partem interpretemini oportet, ipseque æquissimâ hâc regulâ examinandus, et religiosâ interpretatione à vobis excipiendus est : *Qui non est adversùm nos, pro nobis est :* de singulis enim optimè sentiendum est, donec aliud appareat, nec in deteriorem partem accipiendum, quod rectè licet interpretari. Qui ergo non resistit Evangelio, nec oppugnat aut persequitur veritatem, ille saltem mente favere et animi studio propugnare veritatem, hoc est, aut in me credere, aut eò propendere existimandus est, idque eò magis, si certâ etiam actione veritatem promoveat, etiamsi vitam non ducat in externâ congregatione vestrâ. Jam hæc sententia non est contraria illi Matth. 12, v. 30 : *Qui non est mecum, contra me est :* illìc enim præcipuè de animo, hìc de opere; hìc de discipulis præsertim, illìc de seipso Christus loquitur. Illìc, ait, adversarium suum esse, quisquis non integro ac sincero animo se ipsi jungit, medium enim esse non licere : hìc discipulos suos docet, ut pro fautoribus habeant omnes qui non declarant se adversarios, præsertim eos qui quid agunt, quod promovere institutum ipsorum possit : nihil enim in deteriorem partem interpretandum, quod rectè liceat interpretari. Non igitur probat Jesus omni ex parte factum hujus exorcistæ, tanquàm ab omni vitio temeritatis et vanæ gloriæ alienum; sed, hujusmodi occultis Dei judicio relictis, non vult à discipulis suis prohiberi, externum opus, officio bonum, quod obesse quidem non potest, potest autem prodesse suo modo, ad illustrandum Jesu nomen, ad Evangelii fidem propagandam, denique ad promovendam salutem, tam eorum qui hujusmodi miracula operantur, quàm aliorum qui ea viderint intellexerintve; ferendum enim esse et gaudendum, si per quoscumque et quâcumque occasione glorificetur Deus. Quocirca scribit in hunc locum Victor Antiochenus Græcus auctor : « Ne prohibeatis eum, vel « hâc ratione ad virtutum incrementum animique per- « fectionem contendere. » Et clariùs Beda inter Latinos : « Docetur, neminem à bono quod ex parte habet « arcendum, sed ad hoc potiùs quod nondùm habet « esse provocandum. Hâc doctus sententiâ dicit Apo- « stolus : *Sed sive occasione, sive veritate, Christus an- « nuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Sed licèt « ille gaudeat etiam de his qui Christum annuntiant « non sincerè, et tales aliquando in nomine Christi signa « facientes, ob aliorum salutem censeantur non esse « prohibendi : non tamen ipsis per talia signa, secura « sua conscientia redditur, quin potiùs in illâ die, cùm « dixerint : *Domine, Domine, nonne in nomine tuo pro- « phetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in « tuo nomine virtutes multas fecimus?* responsum accipient : Quia *nunquàm novi vos. Discedite à me, omnes « qui operamini iniquitatem.* »

Vers. 51. — Dum complerentur, dùm laberentur paulatim, et appropinquarent fini; cùm non ita multi dies superessent, per mortem ascensuro in cœlum. Ex tribus annis, qui constituti erant prædicando per Jesum Evangelio, ante mortem et assumptionem ejus in cœlum; duo penè anni et dimidius jam lapsi erant, quibus in Galilæâ potissimùm prædicaverat, restabantque soli sex septemve menses quibus posset in Judæâ.

Dies, statutum tempus; statutum autem definitumque ab ipso simul et Patre, ac proinde ipsi exactè notum.

Assumptionis ejus, quibus assumendus esset, quibus sursùm recipiendus in cœlum, quibus *transiturus esset ex hoc mundo ad Patrem*, ut loquitur Joannes, cap. 13, v. 1. Nomine assumptionis intelligit Evangelista ascensionem (quo modo Syrus vertit), quemadmodùm et Act. 1, v. 2, *usque in diem quâ assumptus est :* quo verbo utens etiam paulò inferiùs, Act. 1, v. 11, et Marcus, cap. 16, v. 19, addit, *assumptus est in cœlum;* Paulus, 1 Tim. 3, v. 16, *assumptum est in gloriâ.* Quare Euthymius : *Dies assumptionis ipsius dicit, præfinitum tempus dùm à terrâ assumeretur in cœlum.* Cæterùm sub ascensione intelligit evangelista etiam passionem ac mortem, quæ præcedere debebat, tanquàm diceret cum Theophylacto : *Cùm instabat tempus, quo, postquàm sustinuisset salutarem passionem pro nobis, oportebat eum assumi in cœlum, et considere Deo et Patri.* Similia habet Titus. Sed assumptionem nominat potiùs quàm passionem, tum quòd assumptio magis deceret Christi majestatem, tum quòd Christus ipse, in hoc itinere ineundo, ob oculos sibi poneret assumptionem magis quàm passionem, Paulo attestante, quod *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ,* Hebr. 12, v. 2.

Vers. 51. — Factum est autem dum complerentur, id est paulatim impleri inciperent, dies assumptionis ejus, id est, statutum tempus assumpti muneris prædicationis et redemptionis, juxta illud Act. 13 : *Segregate Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Quanquàm verisimiliùs et phrasi congruentiùs accipi possint, dies assumptionis ejus in cœlum peractâ passione. Illa namque frequentissimè et absolutè assumptio Domini vocari solet, ut patet Act. 1, v. 2, et 11, et Marci 16, v. 19, et alibi, quomodò intelligunt Græci, Euthymius, Theophyl., Titus. Et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem : Obfirmato proposito rectà tetendit in Jerusalem omni deposito incommodorum Jerosolymis impendentium

Et ipse, tunc ipse faciem suam firmavit, etc., id est, *direxit*, quod ait Euthymius, *ne respiciendo quidem in tergum*, quemadmodùm Ezech. 4, v. 3, jubetur Ezechiel obfirmare faciem ad Jerusalem, id est, faciem suam constanter ad eam dirigere. Qui aliquò proficiscitur, eò convertat faciem necesse est; sed videtur evangelista, vocem Hebræam *con*, convertens per *firmare*, aliquid ampliùs intellexisse, nimirùm quòd toto exteriori habitu ac gestu præ se tulerit Jesus et declaraverit, statutum ac definitum sibi esse *ire in Jerusalem*. Non enim ex uno oppido aut castello in aliud evangelizandi causâ jam profectus est, ut consueverat, nec usquàm hæsit, sed continuè tenuit et prosecutus est viam illam quæ rectà ducit Jerusalem, donec Samariam superâsset. Sic Titus, Bostrorum episcopus: *Constituit Jerosolymam ascendere*, inquit, *nec ampliùs huc illùc divagari, vicosque et civitates obire*; et Theophylactus: *Decrevit non ultra hinc inde obambulare, sed ascendere in Jerosolymam. Itaque quòd obfirmavit faciem suam, hoc declarat, quòd stabilierit et firmârit sententiam, quòd velit ascendere Jerosolymam.* Est ergo, ac si dicat evangelista: È Galilæâ Jerosolymam versùs citra moram rectà profectus est, ita ut à quolibet etiam observari posset illius animi esse, præsertim cùm attigisset fines Galilææ vicinos Samariæ; nam ex Galilæâ, *non manifestè, sed quasi in occulto* egressus fuerat, Joan. 7, v. 10; Marci 9, v. 29. Samaritanis benè voluit notam esse suam in Jerusalem profectionem, quanquàm superatâ Samariâ, non rectà Jerosolymam ascenderit, sed transmisso amne profectus sit per Peræam in fines Judææ ab ortu, atque inde Jerosolymam ad diem festum Scenopegiorum (non enim voluit Jerosolymis apparere ante media Scenopegia, Joan. 7, v. 14). Vide Matth. 19, v. 1, ubi et profectio ista Jesu ex Galilæâ in Judæam, vocatur migratio, eò quòd ultima fuerit, Jesu non ampliùs in Galilæam ante mortem reverso. Porrò multi per obfirmationem faciei hìc intelligunt constantiam et magnanimitatem Jesu, quâ iter hoc, animo obfirmato, *obstinatâ atque imperterritâ mente*, quod ait Beda, deposito omni mortis timore, et insidiis inimicorum periculisque omnibus posthabitis, ingressus est. Nam paulò antequàm hoc iter Jesus iniret, scriptum est: *Ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere*, Joan. 7, v. 1. Non dubium quin caro Jesu, id est, appetitus inferior, abhorruerit ab hâc profectione, ob persecutiones et mortem, quas noverat Jesus Jerosolymis sibi tolerandas, antequàm assumeretur in gloriam; ipso Jesu in se admittente hujusmodi carnis horrorem: quem nunc magno et erecto animo, in ipso etiam vultu elucente, dicitur superâsse; *obfirmatione enim et fortitudine opus est, ad passionem spontè properanti*, ait Hieronymus, Epistolæ 151 ad Algasiam, quæstione quintâ. Simile quid legitur de postremâ Jesu è finibus Judææ Jerosolymam profectione, Marc. 10, v. 32: *Præcedebat illos Jesus, et stupebant, et sequentes timebant.* Hæc interpretatio respicit ad eam quæ est hoc loco, assumptionis, mortem in se includentis, mentionem (timebat enim Jesus mortem, sed timorem assumptionis contemplatione superabat); prior respicit ad id quod sequitur, v. 53, quòd Samaritani facilè observârint decretum Jesu esse Jerosolymam proficisci. Licet utramque interpretationem conjungere, et pleno sensu locum in hunc modum explicare: Cùm pauci jam superessent menses ante mortem ejus et assumptionem in cœlum, Jerosolymis perficiendam, ipse, propositâ sibi assumptionis gloriâ, mortis timorem viriliter superans, statuto definitoque consilio, animoque adversùs mala omnia ingruentia indurato atque obfirmato, quem exteriùs etiam ipso vultu præ se ferebat (ita ut discipuli possent animadvertere) ingressus est iter Jerosolymam versùs; clàm quidem Galilæis, sed cùm Samariæ fines attingeret, ita manifestè, toto suo exteriori habitu et modo agendi, ut Samaritani non difficulter observârint.

In Jerusalem, è quâ assumendus erat in cœlum mediâ morte; non statim tamen assumendus, neque hâc vice quâ ad Scenopegia profectus est, sed aliquot post mensibus, quod diximus, quando ivit ad Pascha; nec quòd jam manserit Jerosolymis usque ad assumptionem suî; peragravit enim vicos, oppida, et civitates Judææ, ad promulgandum evangelium (quemadmodùm peragraverat vicos, oppida et civitates Galilææ), donec tempus assumptionis suî advenisset. Dat ergo hìc intelligendum Lucas, se, postquàm descripsit gesta Jesûs in Galilæâ, jam ordiri describere gesta ejus in Judæâ, ut pleraque omnia quæ sequuntur, in Judæâ sunt gesta.

Vers. 52. — Et misit. Eo autem in itinere cùm præmisisset nuntios. *Hìc dictio*, ἀγγέλους, *simpliciter nuntios significat*, quod notat Euthymius.

Ante conspectum suum, ante faciem suam, ante se. Non dubium quin et aliàs Jesus id fecerit.

Et euntes, illi euntes, qui profecti.

In civitatem quamdam, *cujus nomen hìc non explicatur*, quod ait Richelius. Græcè in vicum, castellum seu oppidum. Sic legitur et Syriacè. Oppidum istud *in transitu situm erat*, quod notat Euthymius, obvium recto itinere proficiscentibus Jerosolymam.

Samaritanorum, in regione Samaritanorum.

Ut pararent illi, scilicet hospitium et cibum; sic ellipticè ponitur etiam verbum παρασκευάζειν, Act. 10, v. 10: *Parantibus autem illis*, scilicet cibum.

metu. Duo enim includit hæc firmatio faciei: primum constantem animi et faciei directionem in Jerusalem, ita ut non ampliùs hùc illùc vicos concionibus obeundo vagaretur; secundum, animi fortitudinem spontè properantis ad passionem, ut Hieron., quæst. 5 ad Algasiam. Quanquàm hoc iter non videatur multis fuisse prorsùs ultimum ad passionem, sed ad festum Scenopegiæ, quod septimo mense celebrabatur. Post quod ascendit adhuc iterùm ad encænia in hyeme, ac denique ad passionem, prout hæc videntur colligi ex Joan. c. 7, v. 3, et c. 10, v. 22.

Vers. 52. — Et misit nuntios, apostolos ante se ut pararent illi, hospitium videlicet, et ea quæ necessaria erant ipsi et comitibus ejus.

Porrò *illi*, et comitibus scilicet ejus, apostolis duodecim et mulieribus ministris, *quæ secutæ eum à Galilæâ* dicuntur, infra 23, v. 49; vix aliis videtur Jesus jam fuisse comitatus, quippe clàm è Galilæâ egressus, quod diximus versu superiore : vel huic tamen numero non poterat una paganica domus sufficere. Referendum est autem τὸ, *ut pararent illi*, tam ad verbum *misit*, quàm ad *intraverunt*. Porrò non sunt missi nuntii, ut lautas epulas instruerent, vel deligerent splendidum aliquod palatium, sed ut quærerent domos aliquas, quarum patresfamiliâs vellent Jesum ejusque comites unâ nocte excipere, et emerent panes in cœnam, cum levi aliquo obsonio, si inveniretur.

VERS. 53. — ET, pro *sed*, NON RECEPERUNT EUM, scilicet Samaritani illius civitatis aut pagi. Noluerunt eum hospitio excipere : jam fortè polliciti fuerant hospitium nuntiis, sed cùm exciti famâ adventantis Jesu, egressique ei obviàm, intelligerent et viderent faciem ejus esse euntis in Jerusalem, quod sequitur, repulerunt eum, nec voluerunt admittere. Hæc enim fuit repulsæ causa, *quia*, etc.

QUIA FACIES seu habitus et species, EJUS exterior ERAT EUNTIS IN JERUSALEM; Græcè, *vadens*. Interpres legit genitivum *euntis*, in eumdem sensum. Hebraismus, pro, *præ se ferebat se ire*. Syrus ad verbum, *eò quòd facies ejus versùs Jerusalem posita erat ad eundum*, quod Latinus Syri interpres clarè reddit : Quòd præ se ferret speciem proficiscentis ad Jerusalem. Sensus est, eò quòd exteriori habitu, gestu, et modo agendi ac proficiscendi præferret speciem proficiscentis in Jerusalem, quia nimirùm teneret rectam viam, nec usquàm hæreret, doceret, aut miracula ederet, solummodò iter faceret rectà Jerosolymam versùs, eo tempore quo consueverant Judæi illùc proficisci, Dei adorandi causâ. Nam cùm jam instaret, aut etiam ageretur Jerosolymis, festum Scenopegiorum, Joan. 7, v. 2; quo tempore Judæi undique Jerosolymam gregatim confluebant; certè fratres Jesu jam eò præcesserant, Joan. 7, v. 10; persuasi sunt non falsò hi Samaritani, et Jesum Jerosolymam tendere, ut Judæorum Scenopegia suâ præsentiâ honoraret simul et observaret. Ægrè tulerunt autem, quòd non potiùs ipsorum Scenopegia honoraret; nam et ipsi, easdem omnes solemnitates quas Judæi, observabant, 3 Reg. 12, v. 32; 4 Reg. 17, v. 41; Joseph., l. 11 Antiq., cap. 8, quanquàm tempora transposuissent, ne adversùs Judæos, ad suas solemnitates prætereuntes, ad pugnam provocarentur, prout aliquando contigerat, narrante Epiphanio, sectâ 11. Sed erat inter Judæos et Samaritanos præcipua quæstio de loco seu templo, ubi Deus oblatis sacrificiis et solemnitatibus observatis esset adorandus : Samaritanis contendentibus id faciendum in suo templo, sito in monte Garizin, Judæis in Jerosolymitano. Sic enim Josephus, lib. 12 Antiq., cap. 1 : *Pugnabant*, inquit, *inter se jugiter, dùm Jerosolymitani suum templum sacrosanctum esse affirmant, et victimas à Judæis non aliò mittendas; Samaritæ contrà, in montem Garizin eas mitti debere contendunt*. Sic et mulier illa Samaritana alloquitur Jesum quæstione propositâ : *Patres nostri in monte hoc adoraverunt; et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet*, Joan. 4, v. 20, quam Jesus docet, salutem ex Judæis esse, Samaritanos autem adorare quod nescirent, v. 22. Hi ergo Samaritani, cùm interpretarentur, profectionem Jesu ad Scenopegia Jerosolymitana, esse reprobationem suorum Scenopegiorum, suique templi (quod quasi profanum, Judæis detestationi esse, seque ab eis degeneres et adulterinos haberi Dei cultores noverant) stimulati contumeliæ dolore, negaverunt Jesu hospitium. Non consueverant quidem Samaritani, Judæis è Galilæâ Jerosolymam etiam ad solemnitates sui templi proficiscentibus, negare transitum aut hospitium : id enim si ita fuisset, non fecissent Jesus ejusque comites illàc iter; ut nec præsides Romani id permisissent, cùm Samaritani et Judæi uni pariter subessent Cæsari, nec possent absque veniâ Cæsaris hostiliter adversùs se mutuò agere. Sed quia Jesus, celeberrimus ejus ætatis doctor et propheta erat, adeòque Christus à plerisque credebatur, graviùs iniquiùsque tulerunt hi Samaritani, sacra sua ab Jesu reprobari, quàm à quovis alio Judæo. Quare hunc in modum ulti sunt injuriam, *quòd quasi Judæum atque alienum, et eum qui ad inimicos pergeret, suscipere noluerint*, ut Hieronymus ad Algasiam scribit.

VERS. 54. — CUM VIDISSENT AUTEM. Quia vidisse dicuntur, fit verisimile hos Samaritanos, egressos, reipsà prohibuisse ne Jesus in oppidum ipsorum intraret.

JACOBUS ET JOANNES, fratres; quidam suspicantur, nominatim Euthymius, hos fuisse nuntios.

DOMINE. Agnoscunt Dominum et Filium Dei, qui quidlibet possit.

VIS DICIMUS, *vis dicamus?* id est, placetne jubeamus? Non sunt persuasi sibi adesse hanc facultatem, nisi Jesu concedente. *Pulchrè vis? inquiunt*, ait Hieronymus, *nam ut Apostolorum sermo efficientiam habeat, voluntatis est Domini : nisi enim ille jusserit, frustra dicant apostoli, ut ignis* etc. Nec tamen dicunt *Domine, dic*, aut jube; quia eam noverant Domini mansuetudinem, ut per se id facturus non esset : offerunt ergo se ministros, paratos, ut si potestatem det

VERS. 53. — ET NON RECEPERUNT EUM, hospitio scilicet adventantem. Causa erat, QUIA FACIES EJUS ERAT EUNTIS IN JERUSALEM, id est, eò quòd exteriori habitu præ se ferret speciem proficiscentis in Jerusalem, ut clarè reddit Syrus. Erat enim summa contentio inter Samaritanos et Judæos de religione et loco adorationis, an esset Jerosolyma, an mons Garisim, ut patet ex Josepho, 12 Antiq., c. 1, et ex Joan. c. 4, v. 9, et 20. Itaque cùm intelligerent Samaritani Jesum ad festum Judaicum Scenopegiæ honorandum tendere, eum recipere noluerunt, putantes hoc esse injuriam suæ religionis. Ita ferè Hieron., quæstione citatâ.

VERS. 54. — CUM VIDISSENT AUTEM JACOBUS ET JOANNES; qui missi videntur fuisse ad parandum; ideòque atrociùs tacti illâ inhospitalitate, dixerunt : VIS DICIMUS. Non petunt ut Dominus faciat, quòd sci-

et consentiat Jesus, ipsi ignem devocent; non solùm enim potestatem petunt, sed etiam consensum Jesu requirunt, ejusque beneplacito se subjiciunt.

De coelo, de æthere.

Consumat, devoret, interficiat, in cineres redigat, illos et civitatem ipsorum. Hoc Jesu in manu esse, si vellet, credebant, non minùs, imò verò magis, quàm Eliæ; nam et Græcè ac Syriacè additur, *quemadmodùm et Elias fecit.* Quod etsi Latinus interpres non legit, non tamen ideò minùs intelligendi sunt apostoli ad Eliam respexisse, prout respexisse enarratores omnes tam Latini quàm Græci adnotant. Hieronymus, epistolæ 151 quæstione 5, ad Algasiam: *Apostoli,* inquit, *in lege versati, in quâ tantùm justitiam noverant, oculum pro oculo, dentem pro dente; ulcisci nituntur injuriam, et imitari Eliam, ad cujus vocem duos pentacontarchos militum ignis absumpserat.* Nam ut in quarto Regum libro narratur, Elias, duos quinquagenarios principes cum militibus suis, missos ab Ochoziâ rege Samariæ ad ipsum comprehendendum, si nollet ultrò venire, cùm irridentes eum cognominâssent hominem Dei, interfecit, dicens singulis: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eis;* 4 Reg, 1, v. 10, 11, 12. Cùm ergo judicarent filii Zebedæi, non minorem injuriam ab his Samaritanis fieri Jesu, quàm ab illis Eliæ, imò verò eò majorem, quò Jesus major erat Eliâ, quem Elias nuper in monte, ipsis præsentibus et videntibus Dominum agnoverat supra, v. 30 et 31; accensi zelo honoris Jesu, putârunt justum esse, ut et ista injuria divinitùs vindicaretur, et qui eam inferrent, cœlesti igne perirent; indignum enim esse, inhumanum, et plus quàm iniquum, negari Filio Dei sub noctem hospitium; *et quodam modo verbis aliis hoc loquuntur,* scribit Hieronymus ad Algasiam: *Si ad servi Eliæ injuriam ignis descendit de cœlo, et non Samaritas, sed Judæos consumpsit incendium; quantò magis ad contemptum Filii Dei, in impios Samaritas debet flamma sævire!*

Vers. 55. — Conversus ad eos (erant enim à tergo aut à latere) exhibito vultu severiore,

Increpavit, objurgavit, illos; non tam quòd culpabiles essent, quàm *quòd veteris consuetudinis imperfectioni adhuc obstricti,* quod ait Titus, Jesu magistri doctrinam non essent assecuti. Quòd enim non peccaverint graviter, facilè ex eo intelligitur, quòd nihil nisi quod justum esset proposuerint. Nam non minùs hi Samaritani incendium meruerant, quàm illi pentacontarchi, quod diximus; et si verum est, quod à præceptore auditum poterant quoque meminisse, quòd terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii tolerabilius erit, quàm illi civitati quæ apostolos non receperit, Matth. 10, v. 15; quantò intolerabilius illi quæ apostolorum Dominum excluserit! Justitiam ergo si exegerunt, et hoc à judice, nihil enim propriâ auctoritate tentare voluerunt, ad hæc in causâ non tam suâ quàm judicis, non ferendum judicantes contemptum ejus, cujus majestatem in monte perspexerant; denique cum eo moderamine, ut suam sententiam judicis sententiæ subjicerent, prout etiam auditæ acquieverunt infra, v. 56; quid peccârunt, ut stultâ fiduciâ elati, et præcipiti fervore ad impatientiam ferri, à Calvino notentur? Insigni zelo acti fuêre, sed qui non esset consentaneus ipsorum vocationi et præceptoris instituto, ac proinde nec secundùm scientiam. Quare objurgavit eos Jesus, *dicens,* etc.

Dicens, id est, hujusmodi verbis: Nescitis, etc., ignorantiam culpat in eis.

Cujus, *qualis,* spiritus. Hoc loco et pluribus aliis sacrarum litterarum, spiritus significat internum animi motum ad virtutes aut vitia, profectum, partim ab ipso animo, partim ab externâ vi spiritûs vel sancti vel immundi. Sunt autem varii hujusmodi spiritus, non solùm quòd alii ab immundo, ut spiritus superbiæ, fornicationis, etc., alii à sancto Spiritu proficiscantur, verùm etiam ab uno et eodem spiritu varii producuntur, utpote à Spiritu sancto, spiritus servitutis, spiritus timoris, spiritus severitatis, spiritus justitiæ, et, qui ab his multùm diversi sunt, spiritus adoptionis, spiritus amoris, spiritus mansuetudinis, spiritus misericordiæ ac gratiæ.

Estis, ad quem spiritum pertineatis, ad quem spiritum vocati à me sitis, vel cujus spiritûs esse debeatis. Additur Græcè et Syriacè *vos;* quod pronomen emphaticè intelligendum est, *vos* discipuli mei, ita ut opponatur Eliæ, cujus exemplum illi imitandum sibi proposuerant; q. d.: Nescitis vos alterius esse debere spiritûs, quàm fuerit Elias, vos alio moveri

rent longè abesse ab ejus mansuetudine, sed se ministros offerunt, dummodò permittere velit. Insinuatur ergo eos eamdem habuisse potestatem quam Elias, ut notat Ambr., ut scilicet ad eorum preces ignis descendat de coelo et consumat illos; quemadmodùm Elias fecerat, quod Græcè additur, et à plerisque Latinis animadvertitur. Itaque respexisse videntur apostoli vel ad vindictam, quæ lege permitti videbatur, ut sentit Hieron., q. 5, ad Algasiam, vel certè ad mandata, Matth. 10, accepta, ubi jussi erant pulverem de pedibus excutere, eoque facto tolerabilius fore terræ Sodomorum, quæ igne cœlesti arserant, quàm illi civitati.

Vers. 55. — Et conversus, quia à tergo videntur hæc suggessisse, increpavit illos, quòd non meminissent doctrinæ suæ in monte traditæ, et benignitatis evangelicæ, quæ jubet non resistere malo et inimicos diligere, ut Hieron., supra. Nam zelus eorum justus quidem fuit, quamvis non consentaneus vocationi eorum, cujus tamen executionem sententiæ judicis submiserunt; ut immeritò Calvinus hic Apostolorum tanquàm stultam fiduciam tam acriter carpat. Nescitis cujus spiritus estis, id est, ad quem spiritum pertineatis, et à me vocati sitis, nempe ad evangelicum benignitatis et mansuetudinis, non ad legalem severitatis, qualem Elias habuit. Nam Spiritus sanctus diversos effectus secundùm diversos hominum status operatur; sub Lege præcipuè timorem, et consequenter severitatem; sub Evangelio amorem. August. tamen contra Adiman., tum c. 17, putat apostolos adhuc

debere spiritu quàm Elias motus fuerit, vos à me vocatos et electos, ut alio inbuamini spiritu, quàm imbutus fuerit Elias. Elias motus fuerat spiritu severitatis et justitiæ. Sic enim congruebat hominibus illius temporis, statu seu conditione servis Dei, ac proinde pœnarum timore continendis. Vos, qui discipuli mei estis, meo spiritu duci debetis; id enim sequitur.

VERS. 56. — FILIUS HOMINIS. Græcè et Syriacè additur conjunctio *enim:* quæ Latinè rectiùs omitti videtur. *Filius hominis,* ego apparens in formâ mortalis vilisque hominis.

NON VENIT, in hunc mundum, non est à Patre in mundum missus.

ANIMAS, id est, homines. Græcè additur *hominum;* quod tamen nec Syrus legit. Significatur à parte totum. Homines autem, etiam peccatores, adeòque sui contemptores atque inimicos.

PERDERE, ut perdat, interficiat, morte pœnisve peccata eorum, etiam in seipsum commissa, puniat.

SED SALVARE, sed ut ad salutem vitamque æternam eos adducat, patientiâ, mansuetudine, beneficiis, longanimitate, ad pœnitentiam allectos. Hoc idem cum eo est quod Joan. 3, v. 17, Jesus Nicodemum docet: *Non misit Deus Filium suum in mundum ut judicet* (condemnet) *mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* « E regione, ait Hieronymus ad Algasiam, Dominus, qui non ad judicandum venerat, sed ad salvandum, non in potestate, sed in humilitate, non in Patris gloriâ, sed in hominis vilitate, increpat eos, quòd non meminerint doctrinæ suæ et bonitatis evangelicæ. » Declarat ergo his verbis Jesus, non congruere muneri suo, ut ipse concedat, quod apostoli postulaverant: suum enim non esse perdere peccatores, quod suo tempore justè fecerat Elias, sed veniam eis per pœnitentiam promittere, patientiâ, beneficentiâ, modisque amoris omnibus, ad salutem per pœnitentiam attrahere, et Dei filios reddere; ac proinde spiritu mansuetudinis, clementiæ atque amoris, duci se debere ac duci (fortè leg., *ducere*), spiritum misericordiæ ac gratiæ, suum esse spiritum; cujus spiritus etiam apostoli esse debeant, et eum sequi, simili, inquam, mansuetudinis clementiæque spiritu imbuti, peccatores suosque adeò inimicos, ad pœnitentiam vocare et longanimes exspectare; id enim congruere vocationi ipsorum, qui discipuli sint Filii hominis, et cooperarii destinati ad id ad quod Filius hominis venit, ad miserendum, inquam, et salvandum; hoc enim tempus, ex divinâ miseratione, misericordiæ esse et gratiæ, quo homines beneficiis provocentur, ut à peccatis conversi evadant filii Dei. *Et vos ergo,* inquit Beda, *cujus spiritu signati estis, ejus et acta sectamini.* Porrò cùm se nominat Filium hominis Jesus, tempus suæ humilitatis designat, tacitè relinquens intelligendum, quamvis jam non sit, venturum tamen olim tempus gloriæ suæ, quo rebelles, et qui Filium hominis Salvatorem pertinaciter rejecerint, justus judex pro meritis puniat.

ET ABIERUNT. Itaque abierunt Jesus et hi aliique ejus discipuli præsentes. Considera quomodò cesserint Jacobus et Joannes auctoritati Jesu, et monitis absque omni contentione auscultaverint.

IN ALIUD CASTELLUM, pagum, seu oppidum: quod et ipsum (verisimile est) erat Samaritanæ regionis, sed incolæ minùs pervicaces. Noverat Jesus se suosque repulsam passuros à priori castello; miserat tamen eò nuntios, ut doceret, quomodò se gerere deberent apostoli, quando peragrantes orbem terrarum, Evangelii divulgandi causâ, repulsam aliquibus locis passuri essent; nimirùm, patienter ferre, alioque divertere, et *insistentes vestigiis Domini,* quod ait Titus, *æquanimiter, ut sanctos decet, perdurare.*

FACTUM EST, accidit, quodam tempore.

AMBULANTIBUS, euntibus, ILLIS, Jesu et discipulis, IN VIA, per viam; pergente Domino cum discipulis ad lacum Genesareth quo eum trajiceret; id quod ex Matthæo perspicuum est, cap. 8, v. 18 et 19. Aug., l. 2 de Cons. evang., cap. 23. Possit τὸ, *in viâ,* sequentibus jungi: *In viâ dixit quidam ad illum.*

imperfectos odii et vindictæ cupiditate contra inhospitales motos fuisse, ideòque nescivisse, cujus spiritus essent, eò quòd sub prætextu zeli spiritu vindictæ moverentur, et eo se moveri non intelligerent.

VERS. 56. — FILIUS HOMINIS NON VENIT ANIMAS PERDERE, id est ut peccatores igne de cœlo misso perdat, sicut Elias suo tempore justè fecerat, SED SALVARE, id est, sed ut pœnitentiâ et benignitate ad pœnitentiam trahat. Significat ergo non convenire scopo sui primi adventûs, ut id concedat, quod postulaverant, ut Hieron. ad Algasiam. Primus adventus non est in potestate judicandi, sed in humilitate; non in Patris gloriâ, sed in hominis vilitate. Unde tacitè Christus innuit venturum tempus, quo rebelles ac pertinaces pro meritis perditurus est: nam potestate puniendi morte corporali rarò Christus ante ultimum judicii diem utitur; rarissimè apostoli usi sunt, propter clementiam novi Testamenti, idque non nisi post acceptum Spiritum sanctum, per quem potuerunt sine odio vindicare, ut August. loco citato.

VERS. 57. — SEQUAR TE, QUOCUMQUE IERIS, id est, paratus sum instar discipuli tibi adhærere, et quocumque volueris sequi. Ad cujus non tam verba quàm animum, *dixit Jesus.* VULPES, animalia licèt hominibus invita et noxia, FOVEAS HABENT, in quibus commodè lateant, dormiant, foveantur ab aeris injuriis, et iisdem de causis. VOLUCRES COELI NIDOS; Græcè *umbracula,* propriè ex frondibus et ramis, ut sunt avium nidi. FILIUS AUTEM HOMINIS, id est, ego seu Christus, Græcè est τοῦ ἀνθρώπου, genere masculino. Unde apud Justinum, quæst. 66, inferebant, Christum ex hominis concubitu natum. Verùm est Hebraismus seu periphrasis Hebraica, quâ simpliciter indicare solent hominem, ut patet Psalm. 8, v. 5, et Job. 25, v. 6: *Filius hominis vermis.* Sed tamen cum quâdam efficaciori expressione humanæ miseriæ, utpote cui magis obnoxius est, qui longâ serie ex homine misero miser nascitur. Et hâc de causâ nemo in Evangeliis vocavit Christum Filium hominis, nisi ipse seipsum; commendans nobis, tum quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis, inquit August., lib. 2 de Consensu evang., c. 1, nempe magnum illud incarnationis et exinanitionis suæ beneficium: tum etiam se esse illum, quem prophetæ carnem assumpturum prædixerant, eoque ipso nomine, Dan. 7, v. 13, Filium hominis appellaverant, ut notat Theodoret. in illum locum et Epiphan. Hæresi 57, num. 8. NON HABET, ne tantillùm quidem commodi aut pro-

SEQUAR TE, paratus sum ex discipulis tuis esse, illorumque more te sequi *quòcumque ieris.*

VERS. 58. — NIDOS, umbracula. Augustinus et Cyprianus legunt *diversoria,* hic libro 3 ad Quirinum, cap. 11; ille libri 22 contra Faustum, cap. 48.

FILIUS HOMINIS. Familiare est Christo Domino ita de se loqui in tertiâ personâ. De hoc in superioribus capitibus latè egimus.

NON HABET, ne tantillum quidem habet proprium.

UBI CAPUT RECLINET, fessus. Non tantùm privatæ commoditatis obtinet aut quærit, quantùm satis sit fessi capiti reclinando. Hâc responsione planè aperit Christus quid intùs animo celaverit et spectaverit interrogans (scriba, apud Matthæum); non enim ad verba, sed ad animum ejus respondet. Non dicit : Nolo ut me sequaris ; nec dicit : Benè est, veni ; sed ita respondet ut postea non libuerit illi comitem se præbere. Existimabat ille mollem et amœnam viam Christum ambulare, neque quidquam deesse corporalis commoditatis; quòcumque pergeret domi ipsum esse, quin magnas ab eo divitias parandas, fortassis etiam temporale regnum ineundum ; quorum omnium ille discipulos inprimis et individuos comites sperabat principes fore. Facilè autem obtineri posse credebat quidquid vellet viro tantâ potestate ad hominum gratiam conciliandam prædito, ultra doctrinæ excellentiam quam in illo agnoscebat. Porrò Christus nullum commodum temporale à se aut haberi aut quæri respondet, adeò ut cùm etiam nocivæ bestiæ latebras, et naturâ vagæ volucres proprios nidos apud homines obtineant, ubi tutò degant, seque reficiant ; ipse maximis laboribus ob hominum utilitatem exantlatis, non exiguum hospitiolum, imò nec terræ pedem possideat aut possidere quærat, quò suæ servire possit fessus commoditati ; non tantùm loci sibi adscribat, quantùm ad caput reclinandum satis esse possit ; imò moriturus caput in corpus suum inclinaturus sit. Dat itaque scribæ intelligendum, suorum commodorum rerumque terrenarum studio addictos, minimè idoneos esse ut Christi discipuli sint. Vivebat et in ædibus alienis degebat Christus precariò, neque semper suppetebant, uti accidit iis qui precariò vivunt, quæ humana natura, suâ pro commoditate, quin etiam necessitate, postulabat ; utque non ipsi, ita neque discipulis ejus. Hujusmodi ergo animo et studio instructum oportebat eum esse, qui Christum quòcumque euntem sequi vellet. Porrò hujusmodi vitæ conditionem in terris sibi delegerat Christus, ut, cujus erant, cœlum, terra, et plenitudo eorum, æternæ nativitatis jure, non ille in terrâ proprium quid possideret humano acquisitum jure, doceret autem nos terrena contemnere, et ad cœlestia aspirare, suâ denique paupertate cœlestium bonorum verè divites redderet, 2 Cor. 8, v. 9.

VERS. 59. — SEQUERE ME. Adhæreto mihi relictis omnibus ; relictis omnibus te mihi das ut mihi individuus adhæreas et pareas in omnibus. De quâ sequelâ superiùs fusè actum est.

ET SEPELIRE. Permitte me manere apud senem patrem, ejusque senectuti inservire donec moriatur ; ita Theophylactus in Lucam. Vocationi non resistit, sed commeatum sibi dari petit, donec pietatis officio functus fuerit erga patrem.

VERS. 60. — SINE UT MORTUI SEPELIANT MORTUOS SUOS, ut mortui mortuorum curam agant. Quasi diceret : Sunt alii qui illud faciant, et ejusmodi quibus illud maximè congruat, mortuis ut curent mortuos : tu vitæ cœlesti dedicatus et ad illam prædicandam vocatus, non debes, ut morti ministres, vitæ ministerium intermittere. Alludens ad modum loquendi quo ille fuerat usus : *Permitte me primùm ire et sepelire patrem meum.* Mortuum vocat patrem ejus tanquàm qui verè egeat ut sepeliatur, sed eam curam similiter mortuis vult relinqui ; mortuum autem animâ, quæ tum mortua est, cùm à Deo fuerit separata, quemadmodùm corpus mortuum est cùm ab animâ separatum fuerit ; nam ut anima corporis, ita Deus animæ vita est. Animadverte posthabenda omnia vocationi Dei.

VADE, Græcè, *profectus,* ubi abiveris.

ANNUNTIA, id est, abjectis impedimentis omnibus ad hoc te da, ut annunties, prædices, evangelizes aliis REGNUM DEI, æternam vitam, ad quam jam ipse vocatus, vivere cœpisti ; nolique, ut morti ministres, vitæ ministerium intermittere. Vocat discipulum ut sit minister ac præco verbi Dei : et egregiè opponit, officio sepeliendi mortuos, munus prædicandi vitam æternam.

VERS. 61. — ET AIT ALTER, ait autem et alter, vocatus etiam ipse ad sequelam, et ad annuntiandum regnum Dei, ut is de quo proximè præcessit. Primus

prii, *ubi caput reclinet :* ex itineribus lassus aut somno oppressus : q. d., inquit Hieron. : Quid me propter divitias et seculi lucra sequi cupis, putans me miraculis quæstum facere, cùm tantæ sim paupertatis, ut ne hospitiolum quidem habeam, nec proprio utar tecto ? August. tamen, quæstion. 5 in Matth., putat eum miraculis commotum voluisse sequi Christum, propter jactantiam, quam significavit Christus per volucres cœli : finxisse autem discipuli obsequium, quem dolum significaverint vulpes. Utrumvis verum sit, hâc responsione tacitè eum taxat, et à proposito deterret, nempe ut se mutatis moribus sequeretur.

VERS. 59. — SEPELIRE PATREM MEUM, id est, senectuti ejus inservire usque ad sepulturam, inquiunt aliqui, quasi pater adhuc vixisset. Sed rectiùs Chrysost., et August. serm. 7 de Verbis Dom., intelligunt verè mortuum fuisse, et à sepeliendo hunc prohibitum, quia Christus, inquit August., quando parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis hujus temporalisque pietatis. Amandus est enim generator, sed præponendus creator. Nam ideò adjecit :

VERS. 60. — TU AUTEM VADE, ET ANNUNTIA REGNUM DEI. Quasi diceret Christus : Ego ad Evangelium te voco, quod majus est, quàm id quod parentibus vis impendere, cùm non desint alii, qui opportuniùs id officium parenti impendent.

VERS. 61. — ET AIT ALTER : SEQUAR TE, DOMINE, id est paratus sum in unum discipulatum me penitùs tradere ; sed PERMITTE MIHI PRIMUM, antequàm me

ultrò se obtulerat, supra v. 57; reliqui duo vocati à Christo fuerant.

Sequar te, paratus sum ex discipulis tuis esse, eorumque more te sequi quòcumque ieris, et in omnibus parere.

Domine, nomen honoris tribuit Jesu, ut certè in summo apud populum honore erat.

Primum, priusquàm me sequelæ tuæ prorsùs addicam.

Renuntiare his quæ domi sunt, *meæ,* additur Græcè et Syriacè, declarare quòd renuntiem ac dimittam res meas, easque inter amicos ac notos dividere, aut quomodò visum fuerit de illis disponere. Alii libri legunt masculino genere, *qui;* id quod D. Augustinus, serm. 7 de Verbis Domini, intelligit: *Nuntiem meis, ne fortè (quomodò fieri solet) quærant me.* Huic lectioni favet Syrus, cujus versio est: *Ut proficiscar salutem precaturus* seu *valedicturus filiis domûs meæ, et veniam.* Græca ambigua sunt ad utrumque genus; sed quod Interpres hìc et infra 14, v. 33, tranfert *renuntiare,* alii plerique reddunt *valedicere:* proùt etiam ipse interpres *valefacere,* Act. 18, v. 18, 21; 2 Corinth. 2, v. 13. Cæterùm quia valefacimus seu valedicimus tam rebus quàm personis (nam et homines valere jubemus et voluptates), utrumque hìc intelligendum est, præsertim cùm adnotent complures, græcum verbum esse, valedicere datis mandatis; mandatis iis quæ velis, aliquem dimittere. Intellige ergo hunc petiisse, ut priùs domum suam redire posset, et ita domesticis, amicis, et rebus suis valedicere, ut simul statueret atque ordinaret quid de rebus suis fieri vellet.

Vers. 62. — Mittens, postquàm miserit, admoverit.

Ad aratrum, *paris boum,* addit Syrus.

Et respiciens retrò, et respiciens ad ea quæ retrò seu à tergo sunt.

Aptus, ad verbum, *benè dispositus,* est regno Dei promerendo et prædicando. Loco ejus ut diceret Jesus ad absolvendam metaphoram, *aptus est agro colendo,* exprimit id quod metaphora voluit significatum, *aptus est regno Dei,* quo ita interpretatur priorem metaphoræ partem, ut simul brevem, utilem, magnâque pollentem gratiâ sententiam absolvat. Similitudo hujusmodi est: Quemadmodùm, postquàm quis admoverit manum aratro, et cœperit aratrum ducere terramque proscindere, vel certè definierit apud se id facere proximus operi ineundo, si curiosè respiciat ad ea quæ à tergo sunt, ineptus est ad aratrum ducendum agrumque colendum, cùm aratorem industrium, non solùm manum admovere oporteat stivæ, verùm etiam oculos in anteriora intentos habere. Vel enim non incipit opus arandi qui retrospicit, sed differt aut omittit, vel incœptum intermittit, aut etiam deserit; vel si non obstante retrospectione pergat arare, inutiliter et infructuosè laborat, ducens sulcos nec rectos nec profundos, præter alia incommoda. Ita qui firmiter statuit animumque adjecit, vel etiam cœpit, sequi me, esse discipulus meus et individuus comes, cujus officium est, regnum Dei sibi inprimis promereri, deinde etiam aliis promulgare; interim verò ad earum rerum curam se convertit, quæ regno Dei contrariæ sunt, quarum studium, cura et sollicitudo cum studio regni Dei non consistit, non magis quàm retrospicere cum officio arandi; ille idoneus non est, sive assequendo, sive utiliter promulgando regno Dei, ac proinde neque ut sit meus discipulus; vel enim non aggreditur institutum sequelæ meæ, quamvis id statuisset, sed differt, procrastinat, aut omittit, vel aggressus intermittit aut deserit; vel denique si non deserat, velit autem utrisque se occupare, negotiis nimirùm et seculi et regni Dei, frustra laborat, nec regnum aut sibi assequitur aut aliis cum fructu prædicat. Regnum Dei seu cœlorum, est vita æterna, quod jam diximus. Huic assequendæ adversantur ferè amici facultatesque carnales: amici dehortantur ab angustâ viâ quam oportet ingredi, *et perfectioris vitæ institutum plerùmque non probant,* quod ait Titus: facultates, ad suî amorem, propositis temporariis oblectamentis et commodis, trahunt, per quæ fiat ut ab arctâ viâ declinetur. Multò autem magis adversantur prædicandæ vitæ æternæ, cujus aptum promulgatorem oportet esse liberum, expeditum, nullis aliis affixum curis, postremò contemptorem omnium temporalium. Hunc igitur qui jam decreverat Christum sequi, quomodò discipuli ejus et comites individui (quod præ se ferebant verba ejus) ad consequendum nempe regnum Dei, non sibi solùm, verùm etiam prædicandum aliis, castigat Christus, quòd valedicere priùs vellet amicis et rebus familiaribus, quòd verbis professus se fore Christi comitem, tergum illi verteret, donec satisfecisset terrenis negotiis, tanquàm retrospicientem et inidoneum, cujus affectus adhuc divisus sit, et ad contraria feratur, per quæ periculum sit ne revocetur à concepto consilio. Monet ergo, ut his à tergo

prorsùs tibi dedam, renuntiare his, quæ domi sunt. Græcum intelligi potest vel de personis, ut sit idem quod valedicere domesticis, ut videtur accepisse Syrus, et Augustinus, sermon. 7 de Verbis Domini, ubi exponit, ut nuntiem eis me sequi te, ne fortè, sicut solent, quærant me; vel aptiùs et secundùm textum nostrum, de rebus, id est, permitte mihi renuntiare bonis meis, ac de illis disponere, ut Cyril. in Catenâ D. Thomæ.

Vers. 62. — Et ait Jesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, id est nemo stivam arripiens, ut aret, rectosque sulcos ducat, et respiciens retro, id est, ad ea quæ à tergo sunt, oculos suos convertens: supplenda est altera pars parabolæ, videlicet, aptus est ad ducendum seu regendum aratrum, quia necesse est oculos habere ante se intentos in sulcum, ut rectus esse possit; quemadmodùm etiam, ut scribas, ut pingas, etc. Christus verò relicto cortice parabolæ significantis subitò transilit ad rem significatam. Aptus est regno Dei, promerendo et prædicando. Significat ergo parabola, quòd similiter, ut in arantibus contigit, nemo aratro ducendo convenit, qui à tergo respicere voluerit, ita nec aptus sit ad regnum Dei, id est, ad officium Christiani, religiosi,

relictis ac spretis, magno animo pergat in anteriora quò decrevit. An porrò Christi admonitionem hic secutus sit, necne, evangelista non declarat. Sententia autem notatu dignissima, congruit in eos omnes, qui christianæ vitæ institutum (cujus finis ultimus est regnum Dei) sive simplex sive perfectius, aggressi, aut quasi aggressi mentis definitione, sequuntur contraria, vel adeò diversa, ut simul cum instituto suo et regno Dei, consistere nequeant; hoc enim est retrospicere.

prædicatoris, qui cùm id susceperit semel, deinde ad alia negotia, curas et negotiationes distrahitur, quæ eum inde deducant. Nam Evangelii sectatorem et prædicatorem instar militis expeditum esse oportet, et liberum, et nullis aliis affixum curis. Unde eodem sensu Paulus, 2 Timoth. 2: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus;* et 1 Corinth. 9: *Qui in stadio currunt, ab omnibus se abstinent.* Militare enim Deo, et in stadio currere, hoc est idem quod mittere manum ad aratrum; quod qui fecerit, ea quæ retrò sunt, oblivisci debet, et in ea quæ sunt priora, se extendere, ut ait ad Philip. v. 13 et 14; hoc est non respicere retrò.

CAPUT X.

1. Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos; et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quò erat ipse venturus.

2. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

3. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis.

5. In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui.

6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur.

7. In eâdem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede suâ. Nolite transire de domo in domum.

8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.

9. Et curate infirmos qui in illâ sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite:

11. Etiam pulverem qui adhæsit nobis de civitate vestrâ, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.

12. Dico vobis quia Sodomis in die illâ remissius erit, quàm illi civitati.

13. Væ tibi, Corozaïn: væ tibi, Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent.

14. Verùmtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quàm vobis.

15. Et tu, Capharnaum usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris.

16. Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.

17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

18. Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.

19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra

CHAPITRE X.

1. Quelque temps après, le Seigneur choisit encore soixante-douze autres disciples, qu'il envoya devant lui, deux à deux, dans toutes les villes et dans tous les lieux où lui-même devait aller.

2. Et il leur disait: La moisson est grande, mais il y a peu d'ouvriers. Priez donc le maître de la moisson qu'il envoie des ouvriers en sa moisson.

3. Allez, voici je vous envoie comme des agneaux au milieu des loups.

4. Ne portez ni bourse, ni sac, ni souliers, et ne saluez personne dans le chemin.

5. En quelque maison que vous entriez, dites d'abord: Que la paix soit dans cette maison.

6. Et s'il s'y trouve quelque enfant de paix, votre paix reposera sur lui; sinon elle retournera sur vous.

7. Demeurez en la même maison, mangeant et buvant de ce qu'il y aura chez eux; car l'ouvrier est digne de son salaire. Ne passez point de maison en maison.

8. Et en quelque ville que vous entriez, et où l'on vous aura reçus, mangez ce qu'on vous présentera.

9. Et guérissez les malades qui s'y trouveront, et dites-leur: Le royaume de Dieu est proche de vous.

10. Mais si étant entrés dans quelque ville, on ne vous y reçoit point, sortez dans les rues, et dites:

11. Nous secouons contre vous la poussière même de votre ville, qui s'est attachée à nos pieds. Sachez néanmoins que le royaume de Dieu est proche.

12. Je vous assure qu'en ce jour Sodome sera traitée moins rigoureusement que cette ville-là.

13. Malheur à toi, Corozaïn; malheur à toi, Bethsaïde; parce que si les miracles qui ont été faits chez vous, avaient été faits dans Tyr et dans Sidon, il y a long-temps qu'elles auraient fait pénitence dans le sac et dans la cendre.

14. En effet, au jour du jugement, Tyr et Sidon seront traitées moins rigoureusement que vous.

15. Et toi, Capharnaüm, qui t'es élevée jusqu'au ciel, tu seras précipitée jusque dans le fond des enfers.

16. Celui qui vous écoute, m'écoute; celui qui vous méprise, me méprise: et celui qui me méprise, méprise celui qui m'a envoyé.

17. Or, les soixante-douze s'en revinrent pleins de joie, lui disant: Seigneur, les démons mêmes nous sont assujétis par la vertu de votre nom.

18. Jésus leur répondit: Je voyais Satan tomber du ciel comme un éclair.

19. Voici je vous ai donné le pouvoir de fouler

serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici : et nihil vobis nocebit.

20. Verùmtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur : gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.

21. In ipsâ horâ exsultavit Spiritu Sancto, et dixit : Confitebor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis. Etiam, Pater : quoniam sic placuit ante te.

22. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater : et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.

23. Et conversus ad discipulos suos, dixit : Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt.

25. Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, et dicens : Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?

26. At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est? quomodò legis?

27. Ille respondens, dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tuâ : et proximum tuum sicut teipsum.

28. Dixitque ille : Rectè respondisti : hoc fac, et vives.

29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus?

30. Suscipiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones qui etiam despoliaverunt eum : et plagis impositis abierunt semivivo relicto.

31. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eâdem viâ ; et viso illo, præterivit.

32. Similiter et levita, cùm esset secus locum, et videret eum, pertransiit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum ; et videns eum, misericordiâ motus est.

34. Et appropians, alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum ; et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit.

35. Et alterâ die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe ; et quodcumque supererogaveris, ego cùm rediero, reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones?

37. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter.

38. Factum est autem, dùm irent, et ipse intravit in quoddam castellum : et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam.

39. Et huic erat soror, nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium : quæ stetit, et ait : Domine, non est tibi cu

aux pieds les serpents et les scorpions, et toute la puissance de l'ennemi, et rien ne pourra vous nuire.

20. Néanmoins ne mettez point votre joie en ce que les esprits vous sont soumis ; mais réjouissez-vous plutôt de ce que vos noms sont écrits dans le ciel.

21. En cette même heure, Jésus tressaillit de joie par un mouvement du Saint-Esprit, et dit ces paroles : Je vous rends gloire, mon Père, Seigneur du ciel et de la terre, de ce que vous avez caché ces choses aux sages et aux prudents, et que vous les avez révélées aux petits. Oui, mon Père, parce que vous l'avez ainsi voulu.

22. Mon Père m'a mis toutes choses entre les mains ; et nul ne sait qui est le Fils sinon le Père, ni qui est le Père sinon le Fils, et celui à qui le Fils aura voulu le révéler.

23. Et se tournant vers ses disciples, il leur dit : Heureux les yeux qui voient ce que vous voyez ;

24. Car je vous déclare que beaucoup de prophètes et de rois ont souhaité de voir ce que vous voyez, et ne l'ont point vu ; et d'entendre ce que vous entendez, et ne l'ont point entendu.

25. Alors un docteur de la loi s'étant levé, lui dit, pour le tenter : Maître, que faut-il que je fasse pour posséder la vie éternelle?

26. Jésus lui répondit : Qu'y a-t-il d'écrit dans la loi? qu'y lisez-vous?

27. Il repartit : Vous aimerez le Seigneur votre Dieu de tout votre cœur, de toute votre âme, de toutes vos forces et de tout votre esprit ; et votre prochain comme vous-même.

28. Jésus lui dit : Vous avez bien répondu ; faites cela, et vous vivrez.

29. Mais cet homme voulant faire paraître qu'il était juste, dit à Jésus : Et qui est mon prochain?

30. Jésus prenant la parole, lui dit : Un homme qui descendait de Jérusalem à Jéricho, tomba entre les mains des voleurs, qui le dépouillèrent, et le couvrirent de plaies, et s'en allèrent le laissant à demi-mort.

31. Il arriva ensuite qu'un prêtre qui descendait par le même chemin, l'ayant aperçu, passa outre.

32. Un lévite étant aussi venu au même lieu, et l'ayant considéré, passa outre.

33. Mais un Samaritain qui voyageait, étant venu à l'endroit où était cet homme, et l'ayant vu, il en fut touché de compassion.

34. Il s'approcha donc de lui ; il versa de l'huile et du vin dans ses plaies, les banda ; et l'ayant mis sur son cheval, il le mena dans une hôtellerie, où il eut grand soin de lui.

35. Le lendemain, il tira deux deniers, qu'il donna à l'hôte, et lui dit : Ayez soin de cet homme ; et tout ce que vous dépenserez de plus, je vous le rendrai à mon retour.

36. Lequel de ces trois vous semble-t-il avoir été le prochain de celui qui tomba entre les mains des voleurs?

37. Le docteur lui répondit : Celui qui a exercé la miséricorde envers lui. Allez donc, lui dit Jésus, et faites de même.

38. Or, comme ils continuaient leur chemin, Jésus entra dans un bourg, et une femme, nommée Marthe, le reçut dans sa maison.

39. Elle avait une sœur, nommée Marie, qui se tenant assise aux pieds de Jésus, écoutait sa parole.

40. Mais Marthe était fort occupée à préparer tout ce qu'il fallait ; et s'arrêtant devant Jésus, elle lui

ræ quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet.

41. Et respondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.

42. Porrò unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.

dit: Seigneur, ne considérez-vous point que ma sœur me laisse servir toute seule? Dites-lui donc qu'elle m'aide.

41. Et le Seigneur lui répondit: Marthe, Marthe, vous vous inquiétez, et vous vous embarrassez du soin de beaucoup de choses.

42. Cependant une seule chose est nécessaire; Marie a choisi la meilleure part, qui ne lui sera point ôtée.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Posthæc. Post ea quæ superiori capite sunt narrata, notanter verò post profectionem Jerosolymitanam, de quâ v. 51.

Designavit, elegit. Syrus addit *ex discipulis suis*. Designavit autem, ad promulgandum Evangelium suum.

Dominus, declaratus pluribus signis adeòque testimonio divinæ vocis, supra 9, v. 25, dominus Ecclesiæ, et primus summusque Evangelii administer.

Et alios septuaginta duos, etiam alios. Nuper designaverat duodecim apostolos, supra 9, v. 1; jam etiam alios *septuaginta duos;* non apostolos tamen; neque enim id nominis unquàm acceperunt; imò verò secundo ab apostolis gradu distinctos fuisse, Ambrosius sermone 24 docet, adeòque Matthias, quem verisimile est ex numero septuaginta duorum fuisse, evectus est ad apostoli dignitatem, tanquàm ex inferiori ordine ad superiorem, Act. 1, v. 26. Magnus erat numerus discipulorum Jesu, qui summam Evangelii à præceptore docti apprimè caperent, ita ut non sit mirandum, si, præter duodecim, potuerit alios septuaginta duos ad prædicandum emittere. Porrò Græci hodiè et Syriaci libri scribunt *septuaginta* duntaxat, omissis *duobus*, nec plures septuaginta nominantur à multis veterum Patrum. Atqui scire oportet (si non est etiam in quibusdam libris mendum) id in discipulis istis nominandis accidisse, quod in Græcis veteris legis interpretibus; qui etsi citra controversiam fuerint numero septuaginta duo, à plerisque tamen et nunc et olim vocantur septuaginta, omisso numero minore, eoque fracto et imperfecto; nec enim id præter vulgarem morem loquendi fit, etiam sacræ Scripturæ, de quâ D. Augustinus quæstione 47 super Exodum: «Non «mirum est, inquit, si quadringentos et quinque an«nos, summâ solidâ quadringentos voluit appellari «Scriptura, quæ solet tempora ita nuncupare, ut «quod de summâ perfectioris numeri paululùm excre«scit aut infra est, non computetur.» Atque hoc historia Josephi, in numero dictorum interpretum, manifestè usurpat. Postquàm enim recitâsset delectos fuisse senos per tribus presbyteros, vocat dein eos semper septuaginta seniores, non septuaginta duos, lib. 12 Antiq., cap. 2. Ad eum modum, vocantur hi septuaginta discipuli, quamvis non dubium sit fuisse septuaginta duos. Quemadmodùm enim nuper Dominus designaverat duodecim apostolos, tanquàm duodecim tribuum duodecim patriarchas, tanquàm singulis tribubus unum patriarcham, apostolum, principemque magistrum præficiens, quorum operâ membra laceri dispersique corporis duodecim tribuum in unam Ecclesiam colligeret, ita nunc designat septuaginta duos secundi ordinis præceptores, ut loquitur Hieronymus, epist. ad Fabiolam, tanquàm è singulis tribubus senos, qui ipsi et duodecim apostolis essent auxiliares; idque ad imitationem Mosis, Dei jussu septuaginta duos seniores eligentis, qui onus populi cum ipso sustinerent, Num. 11, v. 16, 17. Quanquàm enim etiam illic soli septuaginta nominentur v. 16, 24, 25; paulò post tamen cùm narretur duos in castris remansisse, qui et ipsi descripti fuerint, nec minùs quàm cæteri spiritum acceperint, Num. 11, v. 26, manifestum est electos fuisse septuaginta duos; et cùm antè vocarentur septuaginta, eo modo loquendi fuisse id dictum quem mox adnotavimus; nec enim dubium esse potest, quin pari numero Moses, ex singulis tribubus sex elegerit; ne unam tribum majori quàm alteram favore prosequi videretur, aut suspicio in judices caderet. Atque hæc gubernandi ratio postea à Judæis observata ferè fuit; nam et Ezechielis cap. 8, v. 11, mentio est septuaginta virorum de senioribus domûs Israel; et Judæi è captivitate reversi, synedrion ex septuaginta duobus judicibus instituerunt, qui summo Pontifice præside, gravissima rei publicæ negotia tractarent, de quibus egimus supra. Horum collegium ad Herodem usque perduravit, à quo demùm sublatum est, teste Josepho, lib. 14 Antiq., cap. 17. Cùm itaque publicæ auctoritati inter Judæos quasi consecratus esset numerus iste septuaginta duorum, tot insignis exemplis, Jesus restaurationem collapsi rerum statûs promittens, et ipse septuaginta duos adventûs sui præcones et Ecclesiæ suæ ceu presbyteros ac seniores elegit. Horum nomina, etsi à quibusdam recenseantur, prorsùs tamen incerta sunt, nisi quòd quorumdam ex Actis verisimiliter colligantur; creduntur enim Matthias, Barsabas, Act. 1, v. 23; Stephanus cæterique diaconi, Act. 6, v. 5; Ananias, Act. 9, v. 10; Barnabas,

Vers. 1. — Post hæc autem; ergo etiam post iter Jerosolymitanum, versu 51 præcedentis capitis, susceptum, designavit Dominus, hoc est, ex credentibus jam sibi selegit, ad promulgandum Evangelium suum, alios; nam etiam nuper apostolos designaverat; septuaginta duos, qui inferioris erant ordinis quàm apostoli. Libri Græci et Syriaci scribunt septuaginta, et ita nominantur à multis veterum. Sed contigit hìc, quod in senioribus, delectis à Moyse Numer. 11, et in Scripturæ veteris interpretibus, qui cùm fuerint septuaginta duo, tamen plerùmque dicuntur rotundo numero septuaginta. Itaque in regno Christi duodecim Apostoli quasi repræsentabant duodecim patriarchas ac duodecim tribus, ut cuique quasi tri-

Act. 9, v. 27; Mnason, antiquus discipulus, Act. 21, v. 16; ex horum numero fuisse. Horum officium jam non aliud fuit, quàm propinquum Dei ac Christi regnum prædicare, et miraculis adstruere, quemadmodùm ex iis quæ sequuntur manifestum est : nec enim ad id sufficiebant apostoli, cùm Judæa universa, unà cum vicinis regiunculis, ante mortem Jesu (quæ non longè aberat) Evangelii prædicatione imbuenda restaret; id quod per hos septuaginta duos citò brevìque confectum est. Porrò ex his septuaginta duobus, postea duodecim apostoli, ordinârunt, alios apostolos, ut Matthiam, Act. 1, v. 26; Barnabam, Act. 13, v. 3; alios diaconos, Act. 6, v. 6; nec dubium quin alios quoque episcopos, alios sacerdotes : à quibus et nomen presbyteri in Ecclesiâ remansisse credibile est. Vide quæ dicemus infra, v. 17.

Misit, emisit illos, mandatis scilicet datis, qualia sequuntur.

Binos, hoc est, per paria, sive per juga, ut intelligas omnes septuaginta fuisse missos; sed per juga, sive paria, designata veluti præfectis quibusdam cuique pari suâ provinciâ. Binos autem mittere voluit ad commendationem fraternæ charitatis sine quâ nullus est Evangelii fructus, ad hæc ut essent mutuarum actionum testes, ut sibi mutuò auxilio, consilio, et solatio essent, denique ut firmius testimonium legitimè darent; nam quod à duobus palàm geritur publicum omninò confirmatumque censetur.

Ante faciem suam, ante se, in omnem civitatem et locum Judææ ac Perææ. Jam enim relictâ Galilæâ, in Judæâ versabatur Jesus, quam voluit, sicut antea Galilæam, Evangelii prædicatione excolere (quod hactenùs non fecerat, nisi fortè brevi tempore ante captivitatem Joannis, Joan. 3, v. 22), excurrendo etiam ex eâ ultra amnem, in conterminam Peræam, infra, 13, v. 31.

Quo erat ipse venturus, quò statuerat ipse venire seu subsequi. Ad stimulum muneris accuratiùs exsequendi, addidit Jesus quòd ipse esset subsecuturus. Statuerat ipse universam Judæam cum Peræâ peragrare; sed quia ipse, cui parùm temporis restabat properanti ad mortem, diù singulis locis hærere non poterat, ac proinde nec sanandis malè habentibus diù immorari, præmisit hos discipulos, qui ægrotos affectosque sanarent, summam Evangelii prædicarent, denique pararent populos, ad Jesum subsequentem faciliùs excipiendum fide et pœnitentiâ; nimirùm, ut præmissis nuntiis moniti, et sanitatum beneficiis deliniti, paratiores se præberent, avidiùs venturum exspectarent, venientem attentiùs cognoscerent, et certiùs atque consultiùs ad salutem reciperent. Duodecim apostoli jam videntur mansisse apud Dominum, tum quòd propter multitudinem adventantium, Dominus præsentiâ eorum opus haberet, tum quòd ipsos oporteret oculatos permanere testes eorum omnium quæ Dominus faceret et doceret.

Vers. 2. — Et dicebat. Dicebat autem illis septuaginta duobus, priusquàm eos mitteret; jam missurus dicebat illis ea quæ sequuntur, eadem propemodùm quæ nuper dixerat apostolis in idem opus emittendis. Nam, quod Augustinus ait lib. 2 de Cons. evang., cap. 30, *aliis atque aliis sermonum suorum locis, multa Dominus iteravit, quæ alibi jam dixerat.*

Multa, copiosa. Utitur allegoriâ sumptâ à re rusticâ. Multam messem vocat multitudinem populi inter Judæos jam albam ad messem, quomodò loquitur Joan. 4, v. 35, id est, maturam omninòque paratam ad accipiendam doctrinam evangelicam, per quam veluti demessus è synagogâ in Christi Ecclesiam transferatur. Seminaverant prophetæ; semina ab illis jacta erant; maturaverant messem Christus et Joannes. Restabat jam ut essent qui meterent, qui maturas fruges, populum proximè præparatum ut Christo incorporaretur, ex agris transferrent in aream, ex synagogâ in Christi Ecclesiam : *finis enim legis Christus,* Rom. 10, v. 3; cujus Ecclesia areæ est comparata, Matth. 3, v. 12; et seminationi, labor prophetarum; messioni, apostolorum, Joan. 4, v. 38. Apostoli igitur, in Judæis quidem messuerunt, in gentibus autem seminaverunt, doctore D. Augustino, serm. 42, de Sanctis, cap. 1. Cæterùm, ut non omnia quæ in aream colliguntur, in apothecam sive in horreum reconduntur; ita non omnes qui messoribus apostolis in Ecclesiam advecti sunt in regnum cœlorum admissi sunt. Proximum tamen est ut qui sincerum frumentum sunt admittantur, quemadmodùm, messe in aream advectâ, proximum est ut ea ventiletur, Matth. 3, v. 12 : *Cujus ventilabrum in manu suâ, et permundabit aream suam et congregabit triticum suum in horreum,* etc. Porrò quò meliùs exstimulet discipulos suos Christus ut operi gnaviter incumbant, pronuntiat multam messem esse, ac proinde ipsorum laborem non fore irritum, sed uberem profectûs materiam in quâ se exerceant reperturos.

Operarii. Operarios vocat messores eosque qui operam dent messi in aream advehendæ; significat autem eos qui evangelicam salutis doctrinam populo prædicent, fideliter et diligenter populum erudiant in pietatis negotio ac regni Dei mysterio, subeantque eorum quos mox requisiverat pastorum vicem; innuens ministerium et dispensationem Evangelii non otio, sed labore, adimpleri (nam et hinc Paulus perpetuò laboris meminit, Gal. 4, v. 11; Philipp. 4, v. 3; 1 Tim. 5, v. 17) jucundo tamen labore quia messis sit.

Pauci, soli propemodùm Christus et Joannes. Sa-

bui suus esset apostolus. Septuaginta verò duo discipuli exhibebant quasi synedrion septuaginta duorum seniorum. Nomina eorum incerta sunt, quamvis à nonnullis recenseantur; vide Epiphan. hæresi 20. Officium eorum fuit simile apostolico, scilicet propinquum Dei regnum prædicare, et miraculis asserere, cui rei apostoli per totam Judæam minùs sufficiebant. Et misit illos binos ante faciem suam, seu ante se. Binos misit, ut essent mutuarum actionum testes, mutuo auxilio, consilio, solatio, denique ut firmius esset eorum testimonium Est, et ille numerus duplicis charitatis sacramentum, ut notat August., lib. 2 Quæst.,

cerdotes et scribæ operariorum locum obtinebant, sed operariorum officio non fungebantur; legis doctorum et magistrorum titulis se jactabant, sed rem non præstabant. Præterea sub indicat non sufficere duodecim apostolos quos nuper ordinaverat, sed opus esse auxilio aliorum; ac proinde dat intelligendum quare jam augeat numerum prædicatorum Evangelii.

Rogate ergo, ne pereat tam copiosa messis. Rogandus est Dominus, non quòd ipsi non sit messis curæ, sed quia ingens populo donum est pastores sive operarios habere quales decet. Hìc mittendi rogare jubentur tam pro seipsis operariis quàm pro messe populi.

Dominum messis. Semetipsum tacitè significat, qui propriè Dominus noster, Dominus Ecclesiæ est, quam suo sanguine ex hostium potestate redemit (idcircò enim ubique ab Apostolo Dominus noster vocatur) cujus inprimis est de ministris et dispensatoribus fidelibus Ecclesiæ suæ providere, quanquàm una ipsius cum Patre et Spiritu sancto operatio legatioque sit.

Ut mittat; ipsius enim est mittere; nam qui se ingerunt ab ipso non missi, falcem in alienam messem mittunt. Ipsius est emittere in opus qui latebant quos ipse novit noscendoque facit idoneos. Cæterùm, ubi in cœlos jam se recepit, non per se ipse aut facit idoneos aut in opus mittit, sed hominum utitur ministerio eorum quibus in Ecclesiâ, sive ad instituendum gratiam, sive ad mittendum auctoritatem dedit. Græcum rectè vertitur *emittat* seu *mittat*; ad verbum tamen vertas, *ejiciat*, quæ est multorum antiquorum codicum hoc loco scriptura, quo significatur vel celeriter mittendos in opus Dei, vel etiam invitos et cunctantes eò extrudendos. Nam in hoc tam sancto opere sumus omnes tardissimi. Operarios, multos et illos idoneos, fideles suique muneris exercendi studiosos. Emphasis enim fiat oportet in voce, *operarios,* qui non titulo tenùs hujusmodi sint, sed rebus ipsis se præstent hujusmodi. Hoc enim quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur, 1 Cor. 4, v. 2. Fideles autem et idoneos qui faciat Christus ipse est, spiritu suo, de quo Apostolus, 2 Cor. 3, v. 6 : *Qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Ipsius itaque præcipuè est mittere hujusmodi, cujus est et facere, quanquàm, quod diximus, hominum jam ad hæc utatur ministerio, postquàm ipse terram conversatione deseruit.

In messem suam, qui maturas fruges demetant et in aream devehant, qui populum Christo maturum in Christi Ecclesiam colligant. Quoties igitur bonorum pastorum inopiam cernimus, ad Dominum oculos attollere, et ut remedium afferat hujusmodi precatione uti necesse est.

Vers. 3. — Ite. Tanquàm, rogatus emittere operarios, legat istos.

Ecce, sed, quod nôsse debetis, ego mitto vos sicut agnos, ut similes agnis, inermes, innoxii, mansueti ac simplices, studeatis omnibus prodesse, idque vestro etiam periculo, hoc est, inter lupos. Adnotat Euthymius, secundùm Matthæum, apostolis tanquàm perfectioribus, id est, patribus, ducibus, ac magistris, dici *sicut oves;* his autem *sicut agnos,* tanquàm tenerioribus, id est, filiis et inferioris generis discipulis : quanquam Syrus eâdem utrobique voce utatur.

Ego, Dominus messis, cui ea est, cum auctoritate mittendi, potentia et erga vos charitas, ut facilè vos à luporum rabie protegere et possim et velim. *Ego* qui novi quid faciam et quid expediat. Solatur eos suî mittentis respectu.

Mitto, emitto.

Sicut agnos. Agnis nihil est imbellius, simplicius, innocentius, mansuetius; ita apostoli integri erant et innocentes, inermes, et humanis præsidiis destituti, nullis malis artibus seipsos ulciscentes aut protegentes, sed à solius Dei pendentes protectione.

Inter lupos; significat quòd undique ipsis lupi imminebunt; insigniterque exprimit summum periculum quod ipsis impenderet. Sensus est enim : Versabimini in summis discriminibus, ut versentur pauci agni lupis multis cincti. Lupis nihil est inter quadrupedia crudelius, rapacius, voracius, et infestius ovibus maximè; significantur apostolorum persecutores, crudeles illi, sanguinarii, avari, voluptate, opibus, et singulariter sanguine ac cæde innocentum veritatis præconum inexplebiles, qui auditâ pastoris per oves voce adeò non mansuescebant, ut in majorem sævitiam exarderent. Hâc ergo lege apostolos mittit ut in istorum medio versentur, hoc est, ut multos habeant sibi infestos hostes, et multis undique periculis obsessi, inter obstacula, non sine difficultate, munere fungantur suo, nihilò robustiores vel magis pares ad vim hostium repellendam (nisi id faciat ipse à quo mittuntur), quàm sint oves contra luporum rabiem. Quòd ergo Dominus, qui truculentas bestias, quoties ita visum est, cicurat ac mansuetas reddit, quosdam non domat in Evangelii sui obsequium, sed eos relinquit in feritate ingenii sui, consultò hoc facit ut suos exerceat. Cæterùm durante primâ istâ et temporariâ legatione, Dominus apostolorum infirmitati parcens, continuit luporum

evang., quæst. 14, et Greg. in Homiliis, itemque concordiæ, quam prædicatores inter se servare debent. In omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus, eo scilicet consilio, quo Joannem Baptistam jam à principio præmiserat, ne veniret ad prorsùs imparatos, sed ut venturum avidiùs exspectarent, et venientem attentiùs cognoscerent.

Vers. 3. — Ecce ego, qui novi quid faciam, qui

luporum rabiem arcere, sistere, moderari, et in utilitatem patientium convertere scio : mitto vos, sicut agnos, quibus nihil imbellius, simplicius, innocentius, magis inerme, et ab omni præsidio defensionis imparatum. Explicare enim videtur quomodò mittantur sine virgâ. In medio luporum; quibus nihil est rapacius et ovibus magis infestum. Significat enim hâc phrasi, tum luporum seu persequentium undique

inter quos versabantur illi, sævitiam ne quid ipsis noceret : *Sollicitudo enim pastoris boni efficit,* inquit Ambrosius, *ut lupi in agnos audere nil possint.* Ante resurrectionem, præsente sponso, quasi nuptialiter habiti fuêre, Matth. 9, v. 15. Sed postquàm ab ipsis discessit ipse sponsus, in generali illâ ipsorum legatione, tam austera fuit eorum conditio, ut tunc sentirent non frustra hæc sibi prædicta fuisse.

VERS. 4. — NOLITE PORTARE, ne portetis, vobiscum, ad iter hujus vestræ legationis. « Hoc interdicto, » inquit Euthymius, « jubet ut de necessariis corporis spem in illum habeant qui ipsos emittit. » « Tanta enim prædicatoris debet esse in Deo fiducia, » inquit Gregorius in Catenam adductus, « ut præsentis vitæ sumptibus quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat ; ne dùm mens ejus occupatur ad temporalia, minùs provideat æterna. »

SACCULUM, marsupium, crumenam ; continens pro contento, id est, aurum, argentum, aut pecuniam, ut dicit secundùm Matthæum, 10, 9.

NEQUE PERAM, neque cibum perâ reconditum. Non enim agnorum aut ovium hoc est, sed pastoris ; ovium est ut de pastoris curâ ac sollicitudine totæ pendeant, sicut ovis illa quæ canebat : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit,* psalmo 22.

NEQUE CALCEAMENTA. Jubet esse accinctos, ut sine morâ celeriter negotium obeant.

ET NEMINEM eorum qui vobis occurrent PER VIAM SALUTAVERITIS. Non vetat signa honoris aut benevolentiæ, quæ occurrentibus inter transeundum, sive verbo sive facto exhiberi consueverunt : sed prohibet salutationem descendentem in confabulationes amicas, ac proinde cogentem hærere in viâ, et, ut Ambrosius ait, *impedientem ministerium, quod per moram sæpè trahit offensam.* Mandat igitur ne in viâ hæreant, addicentes se ac distrahentes rebus haud necessariis ; sed iter suum quàm celerrimè et diligentissimè conficiant, ut quàm citissimè eò se appellant, ubi commissum munus obeant, in quo vult eos esse totos. Ne divertamini, inquit, ad privatas amicitias et salutationes colendas ; nam tempus breve est, et opus magnum, cui diligenter sine ullâ cunctatione vacare debetis. Quando divina mandantur, paulisper sequestranda humana. Alludit audem Dominus ad mandatum Giezi ab Eliseo datum, 4 Reg. 4, v. 20 : *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum ; et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi ;* datum, inquam, eo fine, *ne,* ut Ambrosius ait, *confabulatione alicujus obvii, mandato reflecteretur à munere.*

VERS. 5. — IN QUAMCUMQUE, in quamcumque autem, DOMUM INTRAVERITIS, hospitii causâ ; PRIMUM ante omnia, DICITE : PAX HUIC DOMUI, id est, salutate eam, ut dicitur secundùm Matthæum. Familiaris est enim salutandi formula Hebræis : *Pax tibi aut vobis ; quâ significant quòd pacifici et amici advenerint,* quod ait Euthymius. PAX HUIC DOMUI, id est, his qui hujus domûs sunt, scilicet sit.

VERS. 6. — ET SI IBI FUERIT. Græcè et si quidem sit illic, quòd si in eâ domo *fuerit* aliquis.

FILIUS PACIS, id est, dignus pace ; quemadmodùm, 2 Reg. 12, v. 5, *filius mortis*, dignus morte. Dignus autem pace sive salute, salute, inquam, evangelicâ, non tam suis meritis, quàm Dei electione et prædestinatione ; quem scilicet constituerit Deus Pater vocare et salute dignum reddere. Sic enim D. Augustinus exponit libri de Correptione et Gratiâ, capite 15, filium pacis hìc dici, qui Dei prædestinatione sit hujusmodi, nondùm reipsà.

REQUIESCET, *veniet* ait Matthæus ; diffusa nimirùm ex ore vestro, vobis interim nequaquàm amittentibus. *Non ore solùm dicunt,* inquit Augustinus, serm. 42 de Sanctis ; *quo pleni sunt fundunt : prædicant pacem, et habent pacem : non sunt tales de quibus dictum est : Pax, pax, et non est pax.*

SUPER ILLUM. Scilicet filium pacis, ita ut in domum vos recipiat aut recipi curet. In aliis Latinis libris iisque antiquis, est pronomen femininum *illam,* ut subaudias *domum :* nam quod Græcè est ἐπ' αὐτὸν, potest et ad υἱὸν, *filium,* referri, et ad, οἶκον, *domum :* utrumque enim, ut præcedit, ita masculini generis est. V. Bedam in proprio commentario, et D. Gregorium, homiliâ 17 in evangelia, legisse pronomen femininum, docet commentarius ipsorum, quo dicunt, pacem requiescere in domo si in eâ fuerit filius pacis, intelligentes pacem requiescere super domum propter filium pacis eò quòd in eâ sit quispiam filius pacis : quod quidem satis consonat Matthæo, referenti in hunc modum : *Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam : si autem non fuerit digna. Digna,* inhabitante scilicet eam filio aliquo pacis ; *non digna,* nullo eam inhabitante filio pacis. Nam et hìc et secundùm Matthæum, de domo magis agitur quàm de singulis è domo ; eratque consequens, postquàm moniti essent discipuli pacem precari domui, ut audirent an pax domui contingeret necne : ut certè propter

circumdantium multitudinem ; tum persecutionum futurarum crudelitatem, tum defensionis impotentiam et imparitatem.

VERS. 4. — NEQUE CALCEAMENTA : nempe duplicia. Ita Cajet. et Maldonat., et olim cecinit Juvencus poeta ; vel veriùs fortassis vetat non calceamentis indui, sed non possideri seu portari calceamenta in viam ; curam scilicet prohibens, inquit August., quâ ideò portanda cogitantur, ut non desint.

VERS. 5. — PAX HUIC DOMUI. Formula salutandi est Hebræis usitata, inquit Hieron. : *Pax tecum* : quæ subinde significat adventum esse pacificum, sine animo bellandi aut nocendi, ut patet Genes. 43, v. 23, et Judic. 6, v. 23. Plerùmque verò per eam omnia læta prosperaque imprecantur, sicut Latini dicendo *Ave* et *Salve*. Pax enim est omnium desideriorum finis : Christus autem vulgi verbis intelligi cupit evangelicam, quam prædicabat, et æternæ vitæ pacem.

VERS. 6. — SI IBI FUERIT FILIUS PACIS, id est, dignus pace, sicut dicitur *filius mortis,* id est morte et supplicio dignus. Dignum autem intelligit August., lib. de Correct. et Gratiâ, c. 15, per prædestinationem divinam. Quo pacto enim evangelicâ pace jam

unum filium pacis inhabitantem, fit ut omnes inhabitantes domum fiant pacis salutisque participes, accepto in hospitium pacis prædicatore; multòque magis, si vel plures vel omnes sint filii pacis, qui domum inhabitant.

Sin autem. Sin autem minùs, quòd si nullus eam inhabitet filius pacis, sed omnes reprobi sint, et Deo pacique ac suæ saluti rebelles.

Ad vos revertetur, quæ non discesserat à vobis, et vos aliò deducet, ubi grati sitis.

Vers. 7. — In eadem autem domo. Græcè, in illâ ipsâ autem domo, scilicet in quam semel recepti fueritis.

Manete, diversamini, hospitamini, scilicet *donec exeatis*, quod addit Matthæus, civitate scilicet aut loco illo. Syrus *manete* accepit pro *sitis*.

Edentes et bibentes liberè et absque pudore, etiamsi nihil habeatis unde solvatis; nihil verecundati quasi oneri existentes illi domui.

Quæ apud illos sunt, *quæ ab illis*, scilicet offeruntur aut proponuntur. Interpres legit *quæ apud illos*, addiditque verbum substantivum *sunt*. Sententia eadem una est, quâ jubentur contenti esse cibo familiari ac simplici, qui fuerit oblatus, mensâ vulgari ac tenui, necessitati corporis sufficiente, non affectatis vitæ deliciis : quanquàm hoc præcipuè hìc agat Salvator, ut permittat eis vesci alieno, et liberum eis esse declaret, alieno sumptu vivere, posseque bonâ conscientiâ hospitum bonis uti, quamdiù hâc legatione funguntur. *Qui peram et sacculum portari prohibuit,* inquit Gregorius, hom. 17, *sumptus et alimenta ex prædicatione concedit : dignum est enim ut ab eis terrena stipendia consequamur, quibus patriæ cœlestis præmia offerimus.*

Dignus est enim. Nihil accipitis ab eis præter debitum : æquum est ut cibum vobis ministrent, in quorum gratiam laboratis. « Unde satis ostendit, » inquit Augustinus, lib. 2 de Cons. Evang., cap. 30, « cur eos « hæc possidere ac ferre noluerit; non quòd necessaria « non sint sustentationi hujus vitæ, sed quia sic eos « mitteb.it, ut eis hæc deberi demonstraret, ab illis « ipsis quibus Evangelium credentibus annuntiarent. »

Mercede sua, neque eâ minori quàm cibo familiari, ut explicatur secundùm Matthæum. Non dicit Salvator, mercedem laboris eorum qui Evangelium prædicant, esse cibum, quasi vel prædicandum aliquibus sit Evangelium propter cibum, vel cibi pretium respondeat merito dignitatique operis usque adeò sancti; absit; vilis enim merces redderetur labori pretiosissimo : *quid enim dant,* rogat Augustinus, conc. tertiâ in Psalmum 103, *quid accipiunt? dant spiritalia, accipiunt carnalia; dant aurun, accipiunt fœnum,* etc. Sed dicit Salvator, prædicatoribus Evangelii, cibum, non gratis dari ab auditoribus, at deberi, debitum esse, non gratuitum, nihilque minùs retribuere eos posse; id quod ostendit ex communi hominum sententiâ, similitudine ab operariis sumptâ. Nam si hominum judicio, inquit, non est operarius ita vilis, qui, modò operarium se reipsà præstet ad utilitatem conducentis, non mereatur ut minimùm cibum suum mercedis loco; multò magis vos, si in prædicando Evangelio operarios vos præstetis, ad utilitatem salutemque æternam audientium, cibum vestrum promerebimini, ac proinde pudere vos non debebit, si ab hâc illâve domo dies aliquot alamini. Simile est D. Pauli argumentum, 1 Corinth. 9, v. 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus : magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

Nolite transire, de, è, domo in domum, mutandi hospitii causâ, facilè scilicet et absque gravi causâ. Hæc est interpretatio ejus quod obiter præmiserat : *In eâdem domo manete.* Non necesse, inquit, habetis hospitium mutare, quasi plus æquo gravantes eos apud quos continuò manetis, quamdiù in Evangelio prædicando ipsis servitis. Nam et præter decorum foret hospitii mutatio. *Vagorum est,* inquit Titus, *mercedemque ambientium, et certè nihilominùs calumniæ exposita,* quasi, fastidito priori hospitio, lautius et instructius quæreretur; tanquàm mensæ lautioris, et commodioris apparatûs, essetis sectatores, *contristantes eos à quibus primùm suscepti fueratis,* quod addit Theophylactus. Quare D. Ambrosius monet, *servandam esse etiam in hospitali amore constantiam.*

Vers. 8.—Et in quamcumque; Gr., *et in quamcumque autem.* Interpretes Latinus et Syrus omiserunt *autem*, ut superfluum sensui, nec aliam habens vim, quàm ipsum quod præcedit *et,* continuandi, inquam, sicut *igitur* aut *itaque.* Repetit enim Dominus nonnulla eorum quæ jam dixerat, eo fine ut alia commodè adjiciat.

Susceperint vos vestramque prædicationem.

Quæ apponuntur vobis ab hospitibus vestris, contenti illis, ita ut nec superflua nec lautiora requiratis, sed vestram commoditatem negligentes, aliorum utilitatem diligenter pertractandam suscipiatis. Repetit Dominus ex professo, quod obiter dixerat versu superiori, his verbis, *quæ apud illos sunt.*

Vers. 9. — Curate, sanate, infirmos, ægrotos.

In illa, civitate, idque in argumentum veritatis Evangelii quod à vobis prædicatur.

Et illo signo apostolatus vestri edito, dicite illis; non infirmis solis, sed omnibus ejus civitatis, exponite Evangelii summam, quæ hæc est : *Appropin-*

dignus fuerit ante annuntiatam pacem? Si igitur digna domus fuerit, id est, talis, quam Deus ad pacem secum prædicaverit : proderit domui, quia Deus effectum dabit verbis vestris. Sin autem, pax vestra revertetur ad vos, id est, inquit August., vobis proderit hæc prædicatio; non autem illi. Quo sensu hæc dicta erant vel ad consolationem annuntiantium pacem, dùm viderint apud multos optato effectu carere verba sua : vel, ut S. Remigius, in Catenâ, ad explicationem dignæ domûs seu hospitis; q. d. : Salutate, offerendo pacem. Si domus fuerit digna pace Evangelii, quam annuntiatis, et consequenter hospitio vestro acceptabunt eam, Deo effectum benedictionis præstante; sin minus, vos ex illâ repulsâ nullum patiemini detrimentum.

quavit, etc., quo præconio voluit Christus erigi animos in spem propinquæ salutis.

Appropinquavit in vos, *ad* seu *super vos*, propinquum vobis factum est, adventat ad vos ac propinquum est vobis *regnum Dei* sive cœlorum; adeòque Rex ipse cœlorum Messias nos subsequens, idque magno bono vestro, si modò pœnitentiam agere et Regi ipsi credere ac nomina dare velitis.

Vers. 10. — Vos, neque prædicationem vestram.

Exeuntes, egressi, in plateas. In publicas vias.

Dicite, publicè palàmque coram omnibus.

Vers. 11. — Nobis, vestibus pedibusve nostris.

Extergimus, abstergimus in vos, *vobis*, ut scilicet eum vobis habeatis, abstergendo reddimus vobis. Salutis vestræ, non utilitatis nostræ causâ, huc missi veneramus; sed tantùm abest ut à vobis commodi aliquid expetamus, ut etiam pulverem qui ex civitate vestrâ nobis adhæsit, vobis restituamus, nullâque re vobiscum communicare velimus.

Tamen, nihilominùs hoc scitote, sive credere volueritis, sive non; quod appropinquaverit *in vos* (nam et hoc repetitur Græcè ac Syriacè) regnum Dei ejusque Rex Messias: id quod breviter denuntiare vobis volumus, quamvis à vobis contemnatur, ut officio nostro functi satisfaciamus. Magno enim vestro malo adventat, ad condemnationem vestrî, ut ad recipientium salutem. Plura dicta sunt supra facientia pro hujus versûs explicatione.

Vers. 12. — Sodomis, id est, civitati Sodomorum. Sodomam et Gomorrham frequenter Scriptura præ aliis sceleratis urbibus nominat, non tam quia extremis flagitiis alias omnes superaverunt, quàm quia singulari exitii genere divinitùs consumptæ fuerunt, ut seculis omnibus essent exemplum, et ipsa nomina earum abominationi.

In die illa, novissimâ scilicet.

Remissius; *tolerabilius* vertit in Matthæo. Mitiùs, minùs durè tractabitur. Tolerabilior erit conditio.

Quam illi civitati, licèt Israeliticæ, id est, quàm incolis civitatis seu loci cujuscumque, illis qui vos non receperint neque audierint. Habuerunt quidem Sodomitæ et Gomorrhæi reprehensorem Lot, qui revocaret ipsos à scelere; sed longè abfuit, ut tantâ auctoritate quanta fuit apostolorum à Christo apertè missorum tot miraculis, tot beneficiis ad pœnitentiam provocantium. Deinde ex repudiatâ promissione regni cœlorum ac salutis æternæ, quæ Sodomitis oblata nunquàm fuit, horum surgit gravissimum scelus. Nam cùm auctoritatem fictori suo et opifici negant homines, nec ejus vocem audientiâ dignantur, imò benignè vocantem repellunt et omnia liberaliter pollicenti fidem derogant, hæc impietas quasi supremus omnium scelerum cumulus est. Videmus hic itaque ut peccata peccatis graviora sunt, ita pœnas pœnis atrociores futuras, ne videlicet temerè peccata cumulemus.

Væ tibi, deplorantis et luitionem extremorum suppliciorum prædicentis est.

Corozain. In plerisque libris Græcis est *Corazin*: Syrum utroque potest modo legi. Erat autem civitas ad littus maris Galilææ sive Tiberiadis sita, ut et ea quæ proximè sequitur Bethsaida: sed Bethsaida quidem citra mare in Galilæâ; Corozain verò ultrà; media inter utramque et utrique vicina Capharnaum erat. Fuit Bethsaida civitas Philippi, Andreæ, et Petri, quod habes Joan. 1, v. 44, sic dicta Bethsaida, tanquàm piscationis vel piscatorum domus, quòd, ut erat mari vicina, plerique, verisimile est, illius incolæ piscatores essent: nam *beth* domus est; *saiada* piscatio, *saiade* piscatores, à *soud* piscari.

In Tyro et Sidone, vicinis gentium idololatrarum gentibus, de quibus supra fusè actum est. Horum quia, propter viciniam infamis apud Judæos erat impietas vitiositasque, datâ operâ hanc comparationem adducit Salvator, quò populares suos magis pungat, dùm malitiâ et insanabili Dei contemptu Tyrum et Sidonem à Corozain et Bethsaida asserit superari. Maledictionem ergo suam non parùm amplificat, cùm dicit plus sperandum esse correctionis ex illis locis in quibus nulla est religio, quàm appareat ex ipsis Judææ civitatibus; singularem enim obstinationem notat earum urbium in quibus frequenter egerat, docuerat, et miracula perpetraverat.

Virtutes, cum hujus modi doctrinâ conjunctæ, quæ pravam eorum vitam damnâsset.

In vobis, intra sive apud vos, à me scilicet.

In cilicio, *in sacco*, id est, cum sacco, operti saccis. Sacci vox omnibus ferè omnium nationum linguis eadem una est. Porrò rectè vertit interpres cilicium, tum hoc loco, tum aliis plurimis, etiam veteris Testamenti, quia significatur vestimentum, non vile tantùm, sed et durum, asperum, ac carnis afflictivum, quo luctûs atque anxietatis tempore vestiri mos erat, et interulæ loco constringere lumbos, exutis vel laceratis splendidioribus ac delicatioribus vestibus: tristis reorum atque lugentium habitus.

Et cinere, conspersi cinere: vult dicere, insignem acturos fuisse pœnitentiam. Solebant enim olim apud veterem populum, qui, vel pœnitentiam agebant solemnem, vel lugebant graviter, sacco se vestire et conspergere cinere, ita confitentes reatum suum, et testantes animi dolorem, seseque humiliantes, et iram deprecantes judicis: erat hic gravissimæ pœnitentiæ habitus, Jerem. 6, v. 26; Thren. 2, v. 10, quem gentiles quoque imitatos fuisse constat ex Jonâ, cap. 3, v. 6. Porrò ex hoc loco discere licet, pœnitentiam, aut, ut malunt hæretici, resipiscentiam, Salvatori non esse solùm novam vitam sive vitæ in melius mutationem.

Vers. 12. — Sodomis, etc., quam illi civitati. Quia illis pœnitentia ac promissio regni cœlorum et salutis æternæ non fuit prædicata, nedùm miraculis ac virtutibus confirmata; hæc tantam liberalitatem Dei, non fide tantùm, sed nec audientiâ dignatur, quæ impietas sine dubio est gravissima.

Sedentes, sive humi prostratæ; nam sedere, vel humi prostratum jacere proprius est lugentium situs.

Pœniterent, *pœnitentiam egissent*, quod longè abest à vobis. Intelligo simpliciter, cum D. Augustino, lib. 2 de Bono perseverantiæ, cap. 9 et 10, Dominum ex suâ loqui sententiâ, ut præscium futurorum; quanquàm auditoribus id non aperiret, qui intelligere poterant dictum à Domino, quid facturi fuissent Tyrii et Sidonii, quatenùs ex re ipsâ percipi humanitùs poterat. Nam quòd tam corrupti erant illarum urbium mores, ac tam effrenis dissolutio, ignorantiæ imputari poterat, quòd nulla illic vox Dei audiebatur, nec miracula fiebant, quibus admoniti resipiscerent; cùm contrà urbium Galilææ, quas Dominus objurgat, plus quàm ferream contumaciam loqueretur copia verbi Dei cum miraculorum conjuncta frequentiâ. Cæterùm hìc quæritur, quare Deus, iis posthabitis quos convertendos miraculis illis noverat, apud illos ea fieri voluerit quos noverat illis nihilo meliores, imò verò deteriores, effectum iri? Non est autem aliud quod respondeatur, quàm quod ait Apostolus Rom. 9, v. 18, 20: *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat. O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Quoscumque misericordiâ suâ non dignatur, justè exitio destinat; qui, si quibusdam verbum suum subducens eos perire sinit; alios verò ut magis inexcusabiles reddat, etiam hoc vel illo modo ad pœnitentiam sollicitat et hortatur, quis eum propterea iniquitatis insimulet? Ergo infirmitatis nostræ conscii, discamus altitudinem istam consiliorum Dei reverenter suspicere atque adorare.

Vers. 14. — Quam vobis, quibus ultra naturæ leges etiam scripta lex data est, et frequentes prophetarum ac meæ cum primis monitiones, divinissimorum miraculorum frequentiâ stipatæ. Omnes Deus opportunis ac sufficientibus rationibus ad pœnitentiam advocat, quosdam verò etiam superabundantibus. In Tyro et Sidone id agendum curavit Deus quod satis esset: in vobis multa fieri insuper ex abundanti misericordiâ. Dabitis ergo ambo pœnas, sed vos longè graviores.

Vers. 15. — Et tu Capharnaum. Apostrophe ista ad Capharnaitas facta magnam habet epitasim, veluti si quis cœtum aliquem perditorum hominum objurgans, tandem omnibus aliis præteritis, in certum aliquem, grandi impietate insignem, feratur. Sic nominatim compellat Christus urbem Capharnaum, Galilææ emporium.

Usque ad cœlum exaltata. Sensus est: Quæ præsentiâ, habitatione et miraculis meis, tanto honore tantâque gloriâ aucta es, ut ad cœlum usque excrevisse, cœloque caput inferre posse videaris. Exaggerandi causâ hoc dictum notat Augustinus, sermonis 42 de Sanctis, cap. 7, pro eo ac si dictum fuisset: *Nimiùm tibi felix videris, nimiùm potens, nimiùm superba es.* Num putas semper eo te honore ornandam, quem tibi præsentia, habitatio, et miracula mea attulerunt, ut, sublimis et clara perseverans, à futuris in perpetuum retrò seculis in cœlum laudibus feraris? Hæc certè incomparabilis erat dignitas, quòd Filius Dei regnum suum auspicaturus, sibi eam palatii et sanctuarii loco delegerat, in quâ ita fuerit assiduus, ut vocetur civitas ipsius, denique quam tam multis magnisque miraculis illustraverit, ut nullam æquè. Atqui, perinde ea in sordibus suis demersa erat, ac si nulla unquàm illìc stillâsset divinæ gratiæ gutta.

Usque ad infernum demergeris, deprimeris: nam significat Græcum, ab alio dejici, detrudi, prosterni. Sensus est, cadet fama tua, et vastata funditùsque excisa, extremâ ignominiâ afficieris, denique et æternorum suppliciorum damnationem subibis. Non est dubium quin cum reliquâ Galilæâ Romani et Ca-

Vers. 13. — Corozain erat in dimidiâ tribu Manasse, in ulterioris Jordanis ripâ; Capharnaum, in citeriori ripâ, in tribu Nephtalim; Bethsaida verò, unde orti erant SS. Petrus et Andreas, in tribu Zabulon, quæ tres tribus circa ingressum Jordanis in lacum Genezareth, sunt conterminæ: omnes sunt in ripâ istius lacûs Genezareth, omnes florentes opibus, omnes ex hâc Christi comminatione ita funditùs eversæ, ut Corozain tantùm ruinæ supersint, reliquarum vix septem domus aut tuguria. Quia si in Tyro et Sidone. Et hæ conterminæ sunt Galilææ, in tribu quidem Aser, sed nunquàm à Judæis possessæ, ideòque gentiles et idololatræ, in littore maris Mediterranei, mercimoniis totius orbis opulentissimæ, ideòque deliciis, Deique contemptu plenæ, de quibus vide Isaiæ 23 et Ezech. 26, et 27. Unde quia vicinæ, impietate, et vitiis nobiles, ideòque Judæis detestabiles, ut eos magis pungat Salvator, asserit eas tamen à Corozain et Bethsaida impietate superari; quia si in illis factæ fuissent virtutes, id est, miracula, sub quibus universam prædicationem suam, quam confirmabant, comprehendit: in cilicio et cinere sedentes pœniterent; id est, magnæ humilitatis pœnitentiam egissent. Ille enim erat vetus pœnitendi et lugendi ritus, ut induerentur cilicio, quod hic Græcè et semper Hebraicè vocatur *saccus*, veste nempe vili, rudi, asperâ et carnis afflictivâ, ad testandum dolorem et simul vindictam sceleris, et aspergerentur *cinere*, in humiliationis suæ testimonium. De his in Scripturis passim sermo est, et gentiles etiam ritum illum imitati sunt, Jonæ 3, v. 6. Ex quo apertum est, pœnitentiam aliquid aliud inferre, quàm novam vitam, ut hæretici contendunt. In his autem verbis docet August., lib. de Bono perseverantiæ, c. 9, altius nobis mysterium prædestinationis ostendi. Si enim quæritur, cur ergo non est Tyriis et Sidoniis cum tot virtutibus prædicatum, si credidissent et egissent pœnitentiam, respondet, eod. lib. 14, quia alto illo prædestinationis judicio non erant à perditione separati. Quia enim ut crederent, inquit, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum, hoc est, si tales, uti Tyrii, altiore Dei judicio à perditionis massâ non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.

Vers. 14. — Verumtamen, Tyro et Sidoni remissius erit; id est, tolerabiliùs seu mitiùs punientur, quia, ut Hieron., Tyrus et Sidon naturalem tantummodò legem calcaverant, Judæi verò et naturalem et scriptam, ac tot prædicationes Christi et miracula contempserant. Nam illa eorum infidelitas ac duritia non de ignorantiâ, sed de liberâ voluntate veniebat, ut August., ibid., c. 9.

Vers. 15. — Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata, nempe opibus, gloriâ (erat enim cæ-

pharnaum vastaverint, quanquàm Josephus libris de bello Judaico illius non meminerit nominatim.

VERS. 16.— QUI, quicumque. Reddit rationem eorum quæ præcedunt, cur præmio digni qui discipulos recepturi; cur supplicio, qui rejecturi essent; quia utrumque in Christum, et per Christum in Deum patrem, redundet, cujus auctoritate et potestate Evangelium prædicaturi essent.

Vos, à me missos, tametsi humilis conditionis.

AUDIT, præsens pro futuro audiet, recipiet doctrinam vestram eique obediet.

ME AUDIT, seu audiet, eo loco habebitur ac si meipsum audiret et meam doctrinam reciperet. Subauditur ex iis quæ sequuntur, *audit me*, qui misi vos, quia nimirùm ego misi vos, quia vos legati mei estis, vos meas in docendo vices geritis. Tam gratum erit si audierit vos, quàm si me in propriâ personâ loquentem audiret, quia ego per vos loquor vicarios meos, sustinentes personam meam. Quo autem loco sit habendus si quis Christum audierit, similiter intelligendum dat posterior versiculi pars, nimirùm, eum qui audit Christum, audire eum qui misit eum, id est, Deum patrem. Gradatio enim hìc observanda est, à discipulis ad Christum, à Christo ad Deum, et intelligendum, discipulos per Christum à Deo missos esse; nec tantùm Christi vices in docendo gerere, verùm etiam Dei, qui Christum misit, ac proinde qui eos audiat, etiam Deum audire. Jam relinquitur expendendum, quo præmio digni sint qui Deum audiunt, et colligendum eodem esse dignos qui Christi discipulos audiunt. Hoc intelligentes Thessalonicenses acceperunt verbum ab Apostolo prædicatum, *non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei,* 1 Thessal. 2, v. 13.

ET contra QUI vos à me missos SPERNIT, rejicit, reprobat, aversatur, noluerit audire, contempserit doctrinam à vobis prædicatam; nam vel nolle audire, est quidam prædicantis prædicationisque contemptus. *Rejectionem vocat incredulitatem et aversionem;* inquit Euthymius.

ME, qui vos misi, SPERNIT seu spernet, id est, eo loco habebitur, ac si me et sonantia ex ore meo verba mandataque rejiceret, quia vos in nomine meo loquimini, ut fungentes legatione pro me, 2 Corinth. 5, v. 20. Quàm autem sit grave se loquentem spernere, declarat Christus eo quod subjicit :

QUI AUTEM ME SPERNIT seu rejicit, eo ipso SPERNIT etiam ac rejicit EUM QUI MISIT ME, id est, Deum, cujus legatum apud homines ago, qui per me hominibus loquitur, cujus personam circa homines gero. Haud dubiè enim regem spernit, qui spernit legatum, regis, non suo, nomine loquentem. Porrò Deum spernere, rejicere, reprobare, mendacem facere, quale scelus? qui et disertè olim minatus legitur in hæc verba, ubi de Christo agit : *Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam,* Deut. 18, v. 19. Injuria ergo, ait, seu contemptus vobis illatus, non hominibus illatus censebitur, sed mihi et Deo vobiscum communis erit. *Ne mærore afficiantur,* inquit Euthymius, *dùm spernuntur, dicit : Vestra injuria per vos in me recurret, qui misi vos ; per me autem in Patrem meum qui misit me.* Quare Apostolus, post admonitos officii Thessalonicenses : *Qui hæc spernit,* inquit, *non hominem spernit, sed Deum,* 1 Thess. 4, v. 8. Vult itaque Christus, eos quos ipse miserit, non aliter audiri, quàm si ipse, adeòque Deus Pater, præsens loqueretur, aut vox ejus è cœlo sonaret, id quod, ut missos animat ad munus obeundum, ita apud auditores missis conciliat auctoritatem. Semel autem hoc dictum ad septuaginta duos discipulos; nec dubium quin etiam ad duodecim apostolos; intelligendum est *fuisse dictum ad omnes præpositos, qui apostolis vicariâ ordinatione succedunt,* quod notat Cyprianus, epist. 69 ad Florentium. At dicat quis : Possit qui Christi vices gerit à Christo aliena docere. Respondeo quòd possit, non tamen relinquat Christus auditoribus facile ejus rei judicium, sed intelligendum det, sibi curæ fore ne id fiat; aut, si quando fiat, ut auditores ejus rei tempestivè certiores fiant, per alios ejusdem aut superioris ordinis legatos.

VERS. 17. — REVERSI SUNT, ex locis ad quæ missi fuerant, legatione peractâ, ad Dominum Jesum. Non dixit hactenùs evangelista, septuaginta duos profectos fuisse, et fecisse prout fuerat eis mandatum, sed indicat id intellectum à se fuisse, quando reversos ait. Sed quomodò dicit reversos discipulos ad Jesum, cùm Jesus discipulos subsequeretur, id quod astruere videtur versus primus hujus capitis; ac proinde illos potiùs inveniret in suis locis, quàm ipsi ad illum redirent? Respondeo quod quosdam potuit Jesus invenisse in illis ipsis locis ad quæ missi fuerant (eos nempe qui ad viciniora loca abierant), et illinc eos secum abduxisse; sed quia omnes simul abierant, et ferè simul eodemque tempore mandata exsequebantur (nisi quòd aliis longiùs proficis-

teris longè præcellentior), itemque præsentiâ meâ, prædicatione, miraculis. Numquid putas te semper sublimem divitiis et gloriâ in cœlum evehendam? Locutio enim est hìc hyperbolica. USQUE AD INFERNUM DEMERGERIS, deprimeris, vi prosterneris; quo quamvis urbis quoque desolatio, maximè tamen æterna civium damnatio significatur, cujus magnitudinem mox attexit.

VERS. 17. — REVERSI AUTEM SUNT SEPTUAGINTA DUO, ut Domino rationem redderent suæ legationis et successûs et fructûs. CUM GAUDIO; de felici scilicet prædicationis et miraculorum successu, quod futurum prænuntiaverat Isaias cap. 9, versu 3. DICENTES, scilicet inter cætera, quæ de successu exponebant. DOMINE, ETIAM DÆMONIA; id est, non solùm morbi, sed et dæmones, creaturæ spiritales, liberi arbitrii, summæ potestatis, SUBJICIUNTUR NOBIS, tanquàm servi dominis, ut ad nutum nostrum habitatione et loco cedant : non tamen nostrâ virtute, sed IN NOMINE TUO, id est, adhibitâ auctoritate tuâ, et invocatione nominis tui. Quo sensu totam gloriam Christo retulissent, nullâ elati prærogativâ, sed læti tantùm de prædicationis successu, prout sentit Theophyl. Nonnulli autem veteres putant discipulos hoc animi quâdam vanitate dixisse, ut Greg., 23 Moral., cap. 4, aliàs 7, quod satis congruit versu 20. Dominus autem

cendum esset quàm aliis), Jesus autem non eodem tempore ubique præsens erat, sed paulatim progrediebatur ex uno oppido in aliud; ideò reversi sunt plerique, antequàm Jesus ad ipsorum loca advenisset, præsertim cùm non esset ipsis injunctum munus, diù, prolixè latèque docendi (cujus nondùm erant capaces), sed solum promittendi adventum Jesu præceptoris, et prædicandi summam Evangelii: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum;* eamque stabiliendi sanatione infirmorum, qui in singulis locis se offerrent, supra, v. 9. Quare cùm brevì confecissent negotium, brevì quoque ad Dominum reversi sunt, inventum in uno ex his locis, quæ aliqui ex sociis ipsorum priùs inviserant (ut non poterat à famâ latere, quonam loco Jesus esset); quanquàm non sit verisimile omnes simul esse reversos, cùm aliorum iter longius fuerit quàm aliorum. Reversi sunt autem, ut gnesii discipuli ad præceptorem, legationis suæ rationem reddituri, quemadmodùm fecerant antea apostoli, Marc. 6, v. 30.

Septuaginta duo. Græcè et Syriacè septuaginta, ut supra, v. 1, Syrus hìc addit, *quos miserat.* De discipulorum istorum numero, nonnihil est controversiæ. Plerique enim omnes Græcorum codicum *septuaginta* fuisse scribunt, hi Syriaco textui conformes sunt. Volunt etiam eis auctores Græci, Euthymius, et Theophylactus, in hunc scribentes locum; præterea, Eusebius Cæsariensis, libri primi Ecclesiasticæ historiæ, cap. 14, ubi et Clementem, ex libro dispositionum quarto, *aliàs* quinto, citat, qui unum ex septuaginta discipulis Cepham fuisse dicat, cui in faciem Paulus restitit, Gal. 2, v. 11; ad hæc, B. Irenæus, cap. 13, libri 3 contra hæreses. Inter Latinos quoque Patres, B. Damasus, epistolâ 4, quæ est de Chorepiscopis, et S. Ambrosius Lucam enarrans, mentionem discipulorum non nisi septuaginta faciunt. Et Damasus quidem, etiam decimum tertium concilii Neocæsariensis canonem profert, in quo septuaginta duntaxat nominantur: Ambrosius verò, sermone de Quadragesimâ, qui est numero 24, septuaginta discipulos; quos, secundo ab apostolis gradu, propter salutem hominum, à Domino directos, Lucas Evangelista testatur; septuaginta palmis comparat, quæ in Elim juxta duodecim fontium aquas, creverant; ut est Exodi 15, v. 27, quibus, eos, et superiores, Euthymius ac Theophylactus, comparant. Illis, et à D. Hieronymo comparantur, epistolâ ad Fabiolam, quæ est de 42 Mansionibus Israelitarum; de sextâ namque mansione agens: «Juxta has aquas, inquit, 70 creverunt palmæ, quos «et ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, «Lucâ evangelistâ testante, duodecim fuisse apostolos, «et septuaginta discipulos minoris gradûs.» Porrò, Latini Evangeliorum codices, discipulos istos, numero septuaginta duos fuisse, constantissimè tradunt; quanquàm in uno scripto, quod Atrebatensis collegii est, priori loco *septuaginta viros,* posteriori *septuaginta viri,* nos invenerimus, id quod admiratione dignum est. Hi, libris quibusdam Græcis consonant. Notatum namque invenimus in D. Werneri exemplari, Bibliothecæ Vaticanæ Græcum apographum, priori hujus capitis loco *septuaginta duos* legere. Adnotârunt et Parisienses, priori quidem loco, etiam *septuaginta duo* scribi, verùm sine ullius citatione exemplaris; posteriori verò, β, secundum Græcorum codicum, illum nimirùm ex Italiâ transmissum, *septuaginta duo* habere. Insuper consentiunt Latini libri, ut posteriores Latinos enarratores prætercam, Bedæ, quodque amplius est, Augustino, libri secundi Quæstionum evangelicarum cap. 14: (*Sicut,* ait, *viginti quatuor horis totus orbis peragitur atque lustratur; ita, mysterium illustrandi orbis, per Evangelium Trinitatis, in* 72 *discipulos intimatur: viginti quatuor enim, ter, in septuaginta duobus ponimus*) aliisque in locis, atque inter scriptores Græcos, Epiphanio, sub finem tomi primi libri primi adversùs hæreses, ubi ait: *Emandavit verò et alios septuaginta duos ad prædicandum*; etc., ac tertio postea *septuaginta duos* vocat. Anacletus etiam, antiquitate, pontificatu et martyrio celeberrimus, epistolâ 3, quæ est de patriarchis, primatibus, et reliquis episcopis, dicit, *ad apostolorum adjumentum, electos à Domino discipulos septuaginta duos, quorum presbyteri locum tenent.*

Cum gaudio; *magno* addit Syrus, nimirum, quòd prosperè omnia successisse ipsis viderentur, ex mente Domini; gavisi sunt felici prædicationis et miraculorum successu.

Dicentes, multi eorum (nec enim omnes simul reversi sunt, quod diximus, sed alii post alios), nisi fortè tunc demùm hoc dixerint, quando omnes reversi fuerant. Dicentes autem, inter cætera, nec enim hoc solum dixerunt; retulerunt enim singuli, quomodò locis singulis res successisset: sed hoc solum commemorat evangelista, quod Jesus insigni responso dignatus est.

Etiam dæmonia. Explicant unam præcipuam causam gaudii. *Etiam dæmonia,* non tantùm morbi à nobis profligantur, verùm etiam dæmonia: parent nobis dæmonia non minùs quàm morbi. Hoc præ cæteris miraculis exprimunt, vel quia putarent, majoris potentiæ esse ejicere dæmonia, creaturas spiritales, rationales, libero arbitrio et viribus magnis præditas, quàm morbos sanare; vel quia Jesus ipsis expressè non dederat facultatem dæmonia ejiciendi; certè supra, v. 9, nihil aliud dixerat quàm, *curate infirmos;* sed cùm facilè crederent, ex mente Jesu fuisse, ut id etiam facerent, quod apostoli in suâ quoque lega-

ut jam erectos in superbiam ad modestiam revocaret, vel etiam ne lætitiâ inordinatâ in superbiam erigerentur, ait illis:

Vers. 18. — Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Hoc aliqui ad incarnationem Christi referunt; q. d.: Nihil novi mihi refertis, non ferri à dæmoniis nomen meum; hoc et antequàm vos mitterem, imò cùm in mundum venirem, futurum videbam, quòd scilicet satanicæ vires meâ potestate de gloriâ suâ ruerent. Ita Theophyl. Sed convenientior videtur sensus Ambr., libr. de Fugâ seculi, c. 7, et Greg. diversis locis, qui referunt ad casum angeli per

tione fecerant, tentârunt, et res pro voto successit.

Subjiciuntur nobis, ut servi dominis, loco habitationeque cedunt ad jussum nostrum. Non dicunt subjecta fuêre, credunt enim perseverare etiamnùm in se eam potestatem.

In nomine tuo, per nomen tuum, adhibito nomine tuo. Non solùm enim significare volunt, quòd auctoritate ac virtute Jesu ejecerint dæmonia, verùm etiam quòd adhibito nomine Jesu, dæmoniis non valentibus ferre vim nominis Jesu. Nec dubium quin hujusmodi verbis sint usi adversùs dæmonia : In nomine Jesu jubeo ut exeas; quin etiam adversùs morbos : Sanet te Dominus Jesus; aut similibus. Fiebant enim omnia, ad hoc ut Jesus agnosceretur esse Christus : quanquàm an ante mortem ipsius, disertè prædicaverint eum esse Christum hi aliive discipuli, dubius sum. Gloriantur ergo discipuli de subjectis sibi dæmoniis, verùm Jesu, non suæ virtuti, id ascribunt; Jesu, inquam, qui ipsis hanc facultatem largitus sit. *Vide,* ait Theophylactus, *quomodò non superbiunt; dicunt enim : In nomine tuo, tuâ gratiâ, non nostrâ virtute.* Videtur tamen aliquid κενοδοξίας φιλαυτίας've eos adusisse (quod plerique etiam veterum sentiunt); præsertim cùm Jesus, infra v. 20, repetens materiam gaudii ipsorum, simpliciter dicat : *In hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis,* omisso illo, *in nomine meo ;* sed levis culpa fuit, quæ ne gravis fieret (ut solet in hominibus, dona quibus instructi sunt considerantibus, et impensius ob ea lætantibus ac gloriantibus), cautione mox utitur Jesus.

Vers. 18. — Et ait, ait autem. Verba discipulorum præ se tulerant duo : unum, quòd mirarentur pertinacissimos dæmones cedere nomini Jesu; alterum, quòd gauderent id per se fieri. Ad prius respondet Jesus verbis hujus versiculi.

Videbam, visione mentis, clarâ et certâ, jam olim cùm in mundum veniens homo fierem, non tantùm cùm vos emitterem : *Videbam Satanam,* ait Euthymius, *postquàm videlicet humanitatem assumpsi.*

Satanam, adversarium illum gloriæ Dei et salutis humanæ, id est, dæmonia, spiritus immundos. Nominat eos tanquàm unum, propter exercitum cœtumque eorum, cujus ducem aliàs diabolum vocat; milites, angelos, Matth. 25, v. 41 ; de nomine Satanæ egimus alibi.

Sicut fulgur, instar fulguris. Fulgur de cœlo cadit subitò, violenter, velociter et manifestè; ita dæmones in nomine Jesu, jussu Jesu, ceciderunt subitò et præter exspectationem ipsorum aliorumque; violenter, quia inviti; velociter, quia citra moram; manifestè, quia spectante mundo universo. Euthymius : *Usus est autem fulguris exemplo, ostendens vehementiam et velocitatem casûs illius.* Nec malè fulguri dæmon comparatur, propter naturam spiritalem, igneæ proximam.

De coelo, è cœlo. Quidam hoc jungunt cum solo fulgure, *sicut fulgur de cœlo cadit :* plerique etiam ad Satanam referunt, *cadentem de cœlo, sicut fulgur de cœlo cadit :* verùm fulguris respectu, intelligendum est cœlum aerium ; Satanæ verò respectu, honor et sublimitas dignitatis quam obtinebat ante Christum, signanter verò quòd ut Deus à plerisque coleretur, et cœlos habitare crederetur; q. d. : cadentem de summâ celsitudine, de solio potestatis suæ.

Cadentem, *lapsum,* sed sive præsens vertas, sive præteritum, est loco futuri *casurum,* sed futuri non minùs certò eventuri, quàm si præsens aut præteritum esset. Nam *cadentem* vult dicere, prout jam coram vobis cadentem vidistis, idque in nomine meo seu virtute meâ. Sensus est : Nihil novi, inexspectati, aut incogniti, mihi refertis, quòd dicatis non ferri à dæmoniis nomen meum ; *hoc et ego sciebam* (habet Theophylactus); jam tum enim cùm vos postremùm, nuper duodecim emitterem, et antea cùm me ipsum ad Evangelium prædicandum accingerem, atque adeò cùm in mundum veniens homo fierem, videbam animo, prævidebam mente, id certò futurum, ut Satanicæ vires ruerent, efficacitate potestatis meæ, ut quoties jussurus essem et quandocumque vires exerturus meas, dæmonia corporibus hominum ejicerentur, nec minùs animis, paulatimque ita extenuaretur et deprimeretur regnum eorum, ut qui summo in honore inter homines fuerant, et imperiosè grassati fuerant in animas simul et corpora, tandem viles contemptique agnoscerentur et haberentur, conculcarenturque pedibus, etiam eorum qui supplices olim prostratique ipsos adoraverunt. In hanc sententiam Græci posteriores ex vetere Cyrillo locum exponunt. « Quidam sic intelligunt, ait Theophylactus, de cœlo, « id est, de gloriâ suâ, et de honore quem habebat. « Ante Christum enim ut Deus colebatur; nunc autem « de cœlo decidit, id est, de gloriâ suâ, ne colatur ut « Deus, neque habeatur perinde ac si in cœlo habitet. » Euthymius : « Ante incarnationem Salvatoris, inquit, « in sublime ferebatur, et tyrannum agebat ac potens « erat : cùm autem Deus in terrâ per carnem diversa- « retur, cecidit, non à cœlo (olim enim inde ceciderat, « nec ampliùs eò ascendit), sed à dictâ celsitudine, ty- « rannide, ac potentiâ. » Latiùs in eamdem sententiam Titus hunc locum tractat, qui et B. Cyrillum laudat ejus auctorem. Dedit ergo intelligendum his verbis Christus, suo nomine suisque viribus evertendum regnum Satanæ; prout manifestum est, brevì post Christi adventum, idololatriam per universum terrarum orbem regnantem, corruisse defecisseque.

superbiam, quem scilicet Christus viderit suâ se voluntate à splendore justitiæ avertentem ; et ita tacitè monuerit eos, ne simili superbiâ elati caderent. Quamvis possit casus intelligi non culpæ, sed pœnæ ; q. d. : Nolite mirari, dæmones vobis subjici in nomine meo : meum est enim hoc opus, non vestrum. Nam ego sum, qui etiam justo judicio satanam præcipitans, vidi eum de cœlo cadentem, instar fulguris, subitò, summâ vi, irreparabiliter. Et ita est argumentum quasi à majori ad minus : ad quem sensum congruenter adjicit Dominus :

Vers. 19. — Ecce dedi vobis; id est : Itaque ut

Erat autem frequens illa dæmonum ex hominum corporibus in Christi nomine ejectio, hujus rei prædudium.

VERS. 19. — ECCE autem DEDI, *do*, præsens absolutum à tempore, dedi ac dare pergo et continuo; nec enim revocare decreverat potestatem quam dederat cùm eos emitteret, quin potiùs confirmat.

VOBIS, quod paucis hactenùs aliis, donum magnum ac ratum.

POTESTATEM, auctoritatem, imperium CALCANDI SUPRA, proterendi, subjiciendi, metaphorâ à serpentibus sumptâ qui humi repunt; imperium quo ejiciatis eos ex hominum corporibus, et de principatu dejiciatis, repressis eorum viribus, ut qui olim cœlum occupaverant, jam pedibus vestris subjiciantur.

SERPENTES ET SCORPIONES, spiritales, seu *intelligibiles*, ut ait Euthymius, id est, dæmonum catervas, *omne genus immundorum spirituum,* quod ait Beda; dæmones comparantur serpentibus et scorpionibus, propter gravem multiplicemque virtutem, nec minùs proclivem libidinem, nocendi hominibus. Serpens naturâ est homini inimicus; sed diabolus multò magis, non naturâ tamen, sed pravâ voluntate. *Hoc autem inter serpentes qui dente, et scorpiones qui caudâ nocent, distare arbitror,* notat Beda, *quòd serpentes apertè sævientes, scorpiones clanculùm insidiantes significent,* quòd serpentes apertè ad peccatum trahant; scorpii occultè, ita ut vix percipiantur. Quidam animalia hujusmodi venenata hìc intelligunt; sed sermonem potiùs esse de variis dæmonum generibus, subindicat Salvator verbis proximi versûs, ubi pro omnibus hìc nominatis, repetit solum hoc *spiritus*. In quam sententiam Titus ait : « Quod de serpentibus et scorpionibus hoc loco « scribitur, hoc totum ad diabolum et dæmones, qui « unà cum illo, à Christi Dei nostri servis, à quo tan- « tam illi potestatem acceperunt, calcantur, referen- « dum est. »

ET SUPER. Non intelligas, et calcandi super (non enim est hìc ἐπάνω, ut mox); sed potestatem dedi super, ἐπὶ, adversùs.

VIRTUTEM, exercitum. Frequens est septuaginta Interpretibus, δύναμιν virtutem pro exercitu dicere, Psal. 43, v. 10; et *Dominus virtutum*, pro *Dominus exercituum,* Psal. 23, v. 10, eò quòd robur principis in exercitu situm sit. Ut autem bonorum, ita et malorum angelorum exercitus sunt; unde alibi de legione est sermo, sup. 8, v. 30; et sicut illi propugnandis, ita hi oppugnandis hominibus serviunt constantes non tantùm serpentibus et scorpionibus, de quibus mox, verùm etiam aspidibus, basiliscis, leonibus, et draconibus, de quibus Psalmus 90, v. 13.

INIMICI, κατ' ἐξοχὴν intelligitur diabolus, dæmonum princeps.

ET NIHIL, ita ut nihil eorum quæ illi machinari possint.

VOBIS, operam dantibus vocationi vestræ.

NOCEBIT, noceat aut resistat, quin repellere queatis omne nocumentum eorum, et à vobis ipsis, et ab aliis, vi nominis mei, auctoritate potestateque meâ.

VERS. 20. — VERUMTAMEN, quamvis rarum ac magnum sit hoc donum, mirabilis et magnifica hæc potestas, IN HOC, de hoc, nimis aut præcipuè NOLITE GAUDERE. Non prohibet quin de hoc gaudeant, quippe bono ac magno Dei dono, modò et donum ipsum et gaudium in Deum auctorem referatur : sed docet ac monet, neque nimis de eo gaudeant, ne ex considerato in se Dei dono in superbiam aut κενοδοξίαν efferantur, quæ est hominum fragilitas; neque præcipuè de eo gaudeant, quia sint alia potiora dona ac bona, de quibus solidè gaudere liceat.

SPIRITUS dæmoniaci SUBJICIUNTUR VOBIS, coguntur ad jussum vestrum cedere, à nocendo prohibiti. *Non enim vestrum est opus,* ait Euthymius, *sed mea gratia. In hoc ergo ne gaudeatis, ne tanquàm de egregio facinore gaudentes in elationem elevemini.* Deinde quia non ad vestram salutem spectat spiritus vobis subjici, sed ad aliorum : *alii enim sunt qui ex hoc beneficia capiant,* ait Theophylactus; *propter aliorum utilitatem vobis datum est,* quod habet Euthymius. Denique, quia, ut Beda inquit, *non est meriti ejus qui intelligatis nihil vos vobis hâc in re tribuere debere, ecce ego, penès quem dixi summam esse potestatem præcipitandi satanam, sum ille, qui dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones.* Quos ad litteram intelligunt quidam, ut sonant; quo modo Paulo nihil nocuit vipera, quemadmodùm Christus discipulis suis promiserat, Marci 16, v. 18. Rectiùs tamen metaphoricè intelligi videntur diversa dæmonum genera, hoc discrimine, quòd quia serpentes dente nocent, scorpiones caudâ, ideò illi significent dæmones apertè sævientes, hi clanculùm insidiantes. Ut ergo explicaret se de metaphoricis serpentibus, hoc est, de dæmonibus loqui, generaliter adjicit se iis dedisse potestatem SUPER OMNEM VIRTUTEM INIMICI, id est, super universum exercitum diaboli. ET NIHIL VOBIS NOCEBUNT, congredientibus cominùs cum ipsis. Ubi notandum in illis verbis : *Ecce dedi vobis potestatem,* quòd opus sit peculiarem accipere potestatem à Christo, ut invocatio nominis ejus effectum suum sortiatur. Itaque August., lib. 83 Quæst. Evang., q. 79, docet aliquando dæmones nolle cedere, ipso Deo occultis modis prohibente ne cedant, cùm id justum et utile judicat. Hoc autem facit vel ad confundendos malos, quemadmodùm Scevæ filiis contigit, Act. 19, v. 15, vel ad admonendos bonos, ut proficiant in fide atque ista non jactanter, sed utiliter possint; vel denique ad discernenda dona membrorum Ecclesiæ, sicut Apostolus ait : *Numquid omnes virtutes.*

VERS. 20. — VERUMTAMEN, quamvis magnum sit Dei istud donum, IN HOC NOLITE GAUDERE, nempe principaliter, et in eo hærendo, sicut superbientes, et sibi placentes, in gaudio de Dei donis hærere solent, QUIA SPIRITUS VOBIS SUBJICIUNTUR, existimantes, ut August., ibid., in talibus factis majora dona esse quàm in operibus justitiæ, quibus vita æterna comparatur. Unde optimè monet S. Antonius apud Athanas., in Vitâ ejus, ut magis nobis esset vitæ quàm signorum sollicitudo, nullusque signa faciens, aut ipse superbiâ intumesceret, aut despiceret eos qui facere non possunt. Nam signa facere, inquit, non est nostræ parvitatis, sed Domini potestatis, qui ad discipulos gloriantes ait : Ne gaudeatis, quia dæmonia vobis subjecta sunt, sed QUÒD NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN COELIS; hoc enim et solidum gaudium est, et solis Deum diligentibus vel à Deo dilectis competit. Nam nomina in

operatur dæmonia ejicere, cùm et à reprobis possideatur, Matth. 7, v. 22.

GAUDETE AUTEM de hoc præcipuè. Declarat quâ in re solidè gaudere liceat, eâ nimirùm quæ à nemine nisi justo ac Deo grato obtinetur, et ad æternam nostram ipsorum salutem facit.

NOMINA VESTRA, id est, vos : sed nominum meminit, ad significandam distinctissimam Dei de singulis providentiam ; q. d., singuli vestrûm nominatim.

IN CŒLIS, in libro cœli, continente nomina eorum quos Deus cœlis donare decrevit ; qui aliàs dicitur liber vitæ, Apoc. 21, v. 27, quòd in eo sint scripti qui ad æternam vitam sunt destinati : *Scripta sunt autem, non per calamum et atramentum,* ait Titus, *sed per Dei Opt. Max. memoriam, ejusdemque Dei gratiam et gloriam ;* et Euthymius : *Cives conscripti estis in æternâ civitate,* inquit, *non atramento, sed memoriâ, neque ut homines scribunt, sed sicut Deus ; non in remedium oblivionis,* quod addit Beda, sed quòd quasi litteris annotata nomina, Dei memoriæ æternùm et indelebiliter infixa sint. Nomina ergo eorum scripta esse in cœlis, est, singulos eorum nominatim, ita Deo cognitos, ut Deus ad cœlos è terrâ eos assumere, et cœlestium bonorum æternæque beatitudinis participes reddere, decreverit, sententiâ nunquàm mutandâ. Scripti enim dicuntur, propter constantiam divini propositi, ut scriptura permanens est. Numquid igitur omnes hi septuaginta duo discipuli, electi fuêre? nec enim aliorum quàm electorum nomina hoc modo sunt scripta in cœlis. Non hoc dicit Salvator, omnes ipsos septuaginta duos electos esse (nec enim consuevit hoc revelari) et ne quidem justos seu Deo gratos. Nam si inter duodecim apostolos unus fuit fur, proditor, diabolus, Joan. 6, v. 71, quanto magis esse potuit, inter hos discipulos septuaginta duos, impius aliquis? Et certè, ex horum discipulorum numero, putantur fuisse septem illi primi diaconi, Act. 6, v. 5, è quibus tamen unus, Nicolaus nomine *immunditiarum omnium et Nicolaitarum hæreseos auctor existisse refertur,* quod ait Hieronymus, epistolæ 48 cap. tertio. Non dicit Jesus, nomina ipsorum scripta esse in cœlis, sed per concessionem loquitur, gaudete quòd nomina vestra scripta sint in cœlis, prout, scilicet vos putatis et speratis. Plus tamen dicit quàm si diceret *gaudete si nomina vestra scripta sint in cœlis :* significat enim quòd non temerè id putent ac sperent, saltem plerique omnes ipsorum. Crediderant in Christum, prædicantem regnum cœlorum, reddiderant se familiares ejus discipulos ac sectatores, jam denique auxiliabantur Christo, ejus vice promulgantes pœnitentiam et regnum cœlorum ; hæc omnia non vana indicia erant, quòd ipsi ascripti essent regno cœlorum (non tamen indubitata) et sperare hinc optimè poterant, de numero se esse electorum, certitudine spei, non tamen fidei. De hoc ergo gaudete, ait Dominus Jesus, quòd confidere meritò possitis, nomina vestra scripta esse in cœlis, faciente vocatione vestrâ : cui si satisfacere pergatis et perseveretis, reipsà experiemini ita esse, nomina vestra in cœlis scripta esse. Nam conditio perseverantiæ hìc tacitè includitur, quemadmodùm in eo quod duodecim apostolis dictum fuerat : *Vos qui secuti estis me,* etc., *sedebitis super sedes duodecim,* Matth. 19, v. 28, supplendum est, si perseveraveritis, et nihil aliorum vobis defuerit. Monet ergo Salvator septuaginta duos, non tam de acceptâ potestate miraculorum, quàm de eo ipsis gaudendum, quòd res ipsorum eo essent statu, ut confidere possent, se, ut vocatos, ita et electos esse ; quia illud gaudium tumorem (quod ait Euthymius) et superbiam generare solet, hoc verò gratiarum actionem et omnis boni operis sollicitudinem.

VERS. 21. — IN IPSA HORA, eâ ipsa horâ sive momento.

EXSULTAVIT, scilicet Jesus, quod additur Græcè et Syriacè.

SPIRITU SANCTO, quo secundùm humanitatem plenus erat, movente, et exsultationem hanc simul et laudem ipsam suggerente. In plerisque libris Græcis non est aliud quàm spiritu, quod est, animo, discusso dolore, quem expressiore consideratione perditionis plerorumque suæ gentis, quorum ingratitudini sua beneficia exprobraverat, hauserat, effert se in lætam contemplationem judiciorum Patris justissimorum, per quæ, aliis rejectis, alios eligit, apostolos, inquam, ipsius et discipulos, aliosque ignobiles quos illi ad fidem et pœnitentiam suâ prædicatione adduxisse poterant, consilio longè dissimili humano.

CONFITEBOR TIBI, agnosco coram te, laudandus es mihi dicendæque tibi gratiæ. Nam Hebraicum verbum *iada,* cui respondet Syricum *ida*, positum in quintâ conjugatione, cùm Græci constanter verterint *confiteri*, non minùs significat laudibus celebrare et gratias agere. Unde illud frequens in Psalmis : *Confitemini Domino quoniam bonus*, etc. Testatur his verbis Christus, se in hoc Patris decreto, licèt ab humano sensu illud discrepet, acquiescere.

PATER. Apostrophe ista plurimùm momenti apud auditores discipulos habuit ; idem tamen sermone ad ipsos converso docentur Matth. 11, v. 25, et 13, v. 11, 14, 15, et Luc. 8, v. 10. Significatur autem voce Patris, affectus ex animo laudantis Deum. Et quidem Pater mundo opponitur, quod ad consiliorum diversitatem.

cœlis, hoc est, in Dei memoriâ esse scripta, dupliciter intelligi potest, vel ratione præsentis justitiæ, quæ psalmi 68, v. 29, dicitur *liber viventium,* potiùs, quàm vitæ ; ubi August. docet, eo modo omnes justos in cœlo esse scriptos ; vel ratione æternæ et immutabilis electionis ad salutem. Neutro verò modo Christus hìc revelat, omnes apostolos fuisse justos vel electos ; sed videtur per concessionem loqui, videlicet, sicut vos existimatis et meritò confidere debetis. Itaque quia discipuli in lætitiâ privatâ et temporali mentem posuerant, quando de miraculis gaudebant, revocantur hic de lætitiâ privatâ ad communem, de temporali ad æternam. Discipulis enim veritatis gaudium esse non debet, nisi de eo bono, quod commune cum omnibus habent, et in quo finem lætitiæ non habent, ut Greg., lib. 9, epist. 58.

Domine coeli et terræ. Significatur non fieri Dei impotentiâ, quòd sapientes Evangelio non obediant; fieri autem pro arbitrio voluntatis Dei, quòd parvuli obediant. Totius enim orbis cùm sit Dominus, facit quæcumque vult, sapientibus idiotas præfert, etc.

Quod abscondisti, quòd absconderis. Abscondit, non quia, visu facilia cùm sint, facit ne visui objiciantur (neque enim homini visu facilia sunt), nec quia non proponit videnda (Christus enim omnibus promiscuè se doctorem obtulit), sed quia non revelat; quia oculos non aperit ita ut videant, quia mentes non illuminat ita ut credant. Non igitur de externâ prædicatione loquitur, sed de internâ Spiritûs sancti illuminatione.

Hæc, mysteria regni cœlorum, et magnifica gratiæ tuæ munera per Evangelium à me et discipulis meis promulgata.

A sapientibus, qui ingenio et doctrinâ pollent. Per concessionem loquitur; eò quòd sapientes à mundo habeantur; non enim laudabilem illam cœlestemque sapientiam intelligit, sed hanc quæ seculari doctrinâ præstatur.

Et prudentibus, intelligentibus. Hujusmodi erant sacerdotes, scribæ et Pharisæi, cæterique periti legis qui habebantur, in Capharnaum et aliis Judææ civitatibus, quibus Evangelium Christus prædicavit; horum enim pauci crediderunt. Eruditio ingeniique acumen nullius est momenti ad fidem obtinendam : è contra inscitia non obstat misericordiæ Dei, quominùs rudes et crassos homines cœlesti sapientiâ illustret.

Et revelasti, et revelaveris : illustrans mentes interno Spiritûs tui lumine, corda aperiens ut prædicationi acquiescerent.

Parvulis, ad verbum, *infantibus,* id est, idiotis, iis qui nullo sapientiæ titulo clarent, qui nullius fiunt à mundo, non pluris quàm pueri infantes. Fortè alludit ad illud Davidis : *Ex ore infantium,* Psal. 8, v. 3. Hujusmodi erant apostoli et discipuli plerique omnes Salvatoris; quos hâc divinæ laudis celebratione, et solatur quia parvulos, et animat ut vocatos, et reprimit ut Dei revelatione non suo studio fidem assecutos. Hoc modo se habebat Ecclesia et apostolis postea prædicantibus; vide 1 Cor. 1, v. 26 et seq., ubi etiam ratio hujus divini consilii exprimitur, de stercore erigentis pauperes. In quo consilio Christus hìc sibi placet et gratulatur, ut ne quis vilem tunc et obscurum Ecclesiæ statum despicere auderet. Revelatio magnarum rerum, non studio nec merito suo discipulis concessa fuit, sed Dei dono. Illud intelligendum illis dabat, ne magnum quid de se crederent atque inflarentur, quia dæmonia eis obtemperarent.

Etiam, vel *rectè,* Pater. Sic profectò fecisti, et quidem rectè, ô Pater. Nominandi enim casus Græcis est pro vocandi, ut et Marci 15, v. 34. Repetitio autem ista, vehementer approbantis est, ut nefas sit negare aut damnare, quod tantâ asseveratione confirmatum est : simile Luc. 12, v. 5.

Ante te, pro tibi. Verè et rectè, ô Pater, fecisti, quia sic placuit tibi. Non dicit quâ ratione sic ei placuit, sed tantùm quia placuit. Laudat Patris factum Christus, et rectum ostendit, eâ solâ ratione quòd ipsi sic placuerit; non delectatus malo reproborum, sed justo Patris judicio. Docet itaque nos, non discutere Dei judicia, illos reprobantis, hos eligentis, sed laudare ea et prædicare, vel hâc solâ ratione, quòd Deo sic placeat, cujus voluntas definita, quando nobis cognita est, pro summâ ratione et justitiâ celebranda; beneplacitum, pro mille rationibus amplectendum est; quamvis interim non prohibitus sit dolor quem, ex consideratione mali proximos occupantis, sancti concipiunt, nisi modum excedat, et in contentionem aut murmurationem vertatur. Nec reprobationis igitur, nec prædestinationis, hominum ex damnatâ progenie natorum, horum, præ aliis, causa quærenda est alia, quàm Patris cœlestis voluntas per se ipsa rectissima; quo rursùs documento discipulorum suorum Christus animos à fastu præmunit, dùm intelligunt, electionem suî, non ipsorum meritis, sed gratuito Dei beneplacito ascribendam.

Vers. 22. — Omnia mihi. Mutat sermonem, ita tamen ut intelligi possit mansisse vultu ad Patrem in cœlos defixo. Ne existimarent discipuli auditores, Patre inferiorem esse Filium, ut qui Patri gratias agat, Dominum cœli et terræ agnoscat, et, aliorum excæcationem, aliorum illuminationem, soli ipsius beneplacito ascribat; dicit, homo licèt sit, à Patre tamen sibi data ea omnia quæ Pater habet, naturam, inquam, Dei, et quæcumque illam comitantur, potentiam, dominium, facultatem gubernandi salvandique homines, etc., quo modo et Joan. 16, v. 15, dicit : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.*

Tradita sunt. Non per alienationem, sed per communicationem, quæ facta est ab æterno per generationem, cui nihil deperiit etiam tum cùm accessit humana generatio. Significat itaque æqualem se esse Patri; ac proinde unam et communem sibi esse cum Patre potentiam, voluntatem, atque operationem, quâ aliis rejectis, aliis revelat regni cœlorum mysteria, quibus visum fuerit, non prædicando extrinsecùs in aures, quod ipsius erat secundùm humanitatem, sed mentes intrinsecùs illuminando. Quare et discipulorum animos anxios (quales esse poterant ex eo quòd intelligerent, pro cœlestis Patris, lucem habitantis inaccessibilem, arbitrio, citra discrimen meritorum, alios prædestinari, reprobari alios) exhilarat, dùm Patrem nihil operari docet absque ipso, qui per humanitatem expositus omnibus est, mediator Dei et hominum constitutus. Observa itaque à Christo Domino hìc notari duplicem naturam suam, unam quâ Patri æqualis est, alteram quâ homo hominibus expositus.

Et nemo, nullus autem. Occurrens objectioni illi quam aliquando audivit : Tu de teipso testimonium perhibes, ne existimetur temerè sibi arrogare summa ista, explicat nulli se nisi Patri notum, ac proinde non mirandum, si non credant in ipsum, nisi ii quorum mentes Pater secretâ illustratione dignatus fuerit. Nulli autem notum se dicit, subaudi creaturæ,

nullus à Patre essentiâ distinctus novit; non enim excluditur Spiritus sanctus, multòque minùs ipse Filius, quibus est eadem una cum Patre natura. Cæterùm parca est in Evangeliis mentio de Spiritu sancto, ante discessum Salvatoris : prima enim cura Salvatori fuit, Patris et Filii cognitionem discipulorum mentibus imprimere : postea verò ubi discessum pararet, etiam ea docere quæ sunt Spiritûs sancti : non enim simul omnia capi à rudibus poterant. Ut itaque vetus Testamentum unum Deum; ita novum, Deum Trinitatem nos docet : illud enim priùs inculcandum fuerat hominum cordibus.

Quis sit filius, quis sim ego; me Dei Filium esse, divinam meam generationem, naturam ac majestatem, Patris naturæ ac majestati æqualem. Filius et Pater, generatio naturaque divina, omnem creatæ cognitionis vim transcendunt : nec nisi revelatione cognosci possunt.

Nisi Pater, qui illum genuit. Ille solus novit perspectumque habet Filium unicum ex suâ substantiâ à se esse genitum, ille solus intelligit et comprehendit hujus generationis mysteria.

Quis sit Pater. Ante Christi prædicationem, *notus in Judæâ Deus, in Israel magnum nomen ejus,* sub ratione Dei, non sub ratione Patris : quo modo interpretatur B. Augustinus illud Joannis 17, v. 6 : *Manifestavi nomen tuum hominibus,* de nomine Patris.

Nisi Filius, ante Luciferum ex illius utero genitus. Æqualitas Filii cum Patre, ex mutuæ et æqualis cognitionis secreto.

Et cui voluerit; nam pro voluntatis suæ beneplacito, non pro meritis hominum, revelat Filius quemadmodùm Pater.

Filius revelare, mentem illius donans hujus rei lumine. Agnosce iterùm æqualem Filii cum Patre virtutem in revelandis secreto afflatu fidei mysteriis. Non enim de externâ prædicatione etiam miraculis confirmatâ hìc agitur : ad illam enim multos admittebat Christus, quibus tamen Patrem non revelabat, eò quòd intùs illos non doceret, hoc est, intellectum illorum suæ doctrinæ non subjiceret : hoc enim inprimis necessarium est. Hujusmodi porrò distinctio, ut Pater quidem revelet Filium, Filius autem Patrem, servit docendis rudioribus, cùm alioqui Patris et Filii eadem una sit in omnibus operatio. Igitur et Filius Patrem novit, et is cui Filius Patrem revelat, sed discrimen immensum est inter utriusque notitiam, cùm ille naturæ æqualitate, hic revelantis dignatione cognoscat : ille notitiâ comprehendat omnem abyssum perfectionum paternarum, hic non ampliùs cognoscat quàm gratuito Filii dono illi reveletur, ut nec totius est capax.

Vers. 23. — Dixit. Græcè et Syriacè additur *seorsùm :* quod quidem, et ad *conversus* referri potest, ut refert Syrus, et ad *dixit;* estque id quod Marcus ait c. 4, v. 10, *cùm esset singularis;* facilè verò intelligitur, etiamsi Latinâ editione non exprimatur. Quocirca non existimandum est, hoc, continuo post præcedentia sermone dictum esse, præsertim cùm Matthæus narrare videatur opportunissimam occasionem quâ dictum sit.

Qui vident corporis simul et animi sensu, ita ut suspiciant et amplectantur. Beati vos aliique hujus ætatis vobis similes, quibus contigit hoc bonum, ut præsentem videant et recipiant Christum.

Vers. 24. — Multi prophetæ. Gratiam discipulis factam aliâ comparatione ampliùs etiam extollit. Non illorum tantùm reproborum conditione, vestra melior est; sed et plurimorum electorum Dei, et eorum Dei donis inter homines celebrium. *Multi* enim *prophetæ;* non dicit *omnes,* non quia non omnes, sed quia non necesse sit scire an omninò omnes. Prophetæ inprimis conscii fuerunt futuri adventûs Messiæ et eorum quæ per eum gerenda erant ad redemptionem generis humani.

Et reges, et inter justos plurimos quidam etiam regno clari, David inprimis, quod Psalmi loquuntur.

Voluerunt, summis votis desiderârunt, ita tamen ut se Deo submitterent in temporis plenitudinem. Nec verò fieri aliter potuit, quin sub onere maledictionis, quo oppressum est genus humanum, promissæ liberationis desiderio toti arderent. Sciamus ergo quasi famelicos ad Christum suspirâsse; et tamen tranquillam fuisse eorum fidem, ita ut Deo non obstreperent, sed patienter animos suos suspenderent usque ad maturum revelationis tempus.

Videre, suis oculis præsentia, quæ futura credebant, Christum, inquam, Dei Filium caro factum, mundi salvatorem, ejusque opera admiranda quæ ad servandum hominem, patraturus erat, promissionum denique impletionem. *A longè hæc aspexerunt et salutârunt,* quod Apostolus ait ad Hebr. 11, v. 13; voluissent autem ea propè videre et præsentia fieri, non tantùm pro oculorum recreatione, verùm multò magis pro animi : longè enim majorem afferunt animo voluptatem, res ex promisso præsentes, quàm futuræ, tum propter desideratum effectum præsentem, tum quia perfectiùs intelliguntur et comprehenduntur, cùm futura omnia obscura sint humanæ menti; ut omittam, dùm res præsens exhibetur, plurima singularia ferè apparere, quæ non fuerint cum re præcipuâ prophetiis declarata.

Quæ videtis, quotidiè : absolvitur à tempore.

Et non viderunt, quia nondùm advenerat temporis plenitudo.

Et audire me regnum cœlorum ejusque mysteria prædicantem, explicantem atque tradentem : ut quæ ipsis in figurâ aut parabolis et similitudinibus tradebantur prædicenda et exspectanda, ab ipso tantorum mysteriorum pontifice narrata et expedita explicataque perciperent, Hebr. 1, v. 2, et 2, v. 3.

Vers. 25. — Et ecce. Ecce autem quodam tem-

Vers. 25. — Et ecce quidam legisperitus surrexit. Alius videtur fuisse ab eo quem Matthæus introducit c. 22, quærentem quod sit mandatum magnum in lege, sicut probabilius arbitratur August., et multis probat lib. 2 de Consensu, c. 73, *tentans illum,* id est, tam scire volens veritatem, quàm expe-

pore. Non est intelligenda continua series hujus historiæ cum præcedentibus.

Legisperitus, id est, scriba, profitens scientiam legis, et verba quidem legis tenens, sed vim legis ignorans.

Surrexit, postquàm sedens audîsset ipse aliquandiù docentem in synagogâ Jesum, surrexit tandem ut aliquid interrogaret.

Tentans eum, experiri volens an non esset aliquid à lege alienum responsurus (id enim ex Domini responsione manifestum fit), ut quasi apostatam et impiæ defectionis auctorem exagitaret.

Et dicens, id est, hujusmodi verbis, propositâ hujusmodi quæstione.

Quid faciendo, per quæ tandem opera. Eadem est quæstio hujus scribæ, quæ principis adolescentis, de quo infra 18, v. 18; quanquàm alio atque alio animo proposita, quàm Matth. 19, v. 16, et Marc. 10, v. 17. Quid faciendum mihi doces, ut eam quam semper prædicas et promittis æternam vitam obtineam?

Vitam æternam, vitam æternò beatam (nam quæ æternò misera est, mors esse censetur, non vita), regnum cœlorum, quod tu prædicas et promittis. Utilissima quæstio, præ se ferens conjunctam eam obediendi promptitudinem quam desideres. *Audierat, credo,* ait Venerab. Beda in Marcum, *iste quæsitor vitæ æternæ à Domino, tantùm eos qui parvulorum sint similes, dignos esse introitu regni cœlestis : atque ideò curam gerens tractatûs certioris, poscit sibi, non per parabolas, sed apertè, quibus operum meritis vitam æternam consequi possit, exponi.*

Vers. 26. — Dixit, ostendens cognitam sibi dolosam versutiam ipsius.

In lege Mosis quid scriptum est, ut primum et maximum omnium mandatum? quid præcipuè faciendum præcipit lex Mosis? quomodò legis illic in summâ præceptum? Q. d : Non existimes me dicturum aliquid contrarium legi. Ex lege petendam doceo hujus solutionem quæstionis. Tu igitur qui legis scientiam profiteris, ipse responde quid lex præcipuè requirat ab hominibus; hoc enim ego dixero tibi faciendum, ut acquiras vitam æternam. Non quærit quid in lege scriptum sit, aut quid in eâ legat, de vitâ æternâ, de quâ nihil expressè scriptum est aut legitur in lege; sed quid potissimùm lex exigat, quid præcipuè requirat, quid in summâ faciendum præcipiat. Reipsâ igitur rogat hìc Jesus, id quod ipse postea rogatus fuit : *Quod est mandatum magnum in lege?* Matth. 22, v. 36. Quare etiam Lucas omittit illam Matthæi et Marci historiam.

Ille respondens. Ille gaudens sibi occasionem dari, ostentandæ non vulgaris suæ in lege peritiæ, illicò respondit.

Diliges; q. d : Hoc in lege scriptum est, ut primum et maximum omnium mandatum; hoc præcipuè faciendum præcipit lex, hoc caput et summa est eorum omnium quæ in lege præcipiuntur, in hoc enim cætera omnia legis præcepta continentur. Hinc intelligitur, non prorsùs ignotum fuisse scribis, quod esset maximum inter legis mandata (quam quæstionem proposuerunt Jesu, Matth. 22, v. 36), sed controversum fuisse inter illos, aliis opinantibus esse hoc præceptum dilectionis, ex quibus fuit iste; aliis præceptum sacrificiorum.

Diliges, futurum indicativi, loco imperativi, *Dilige,* more Hebraico. Alloquitur Moses populum Dei. *Dilige* ut filius patrem, non time ut servus Dominum; *Dilige,* inquam, id est, benevolo ac suavi amoris affectu complectere in pretio habitum. Cæterùm non interior tantùm amoris actus hìc præcipitur, sed et exterior qui ab interiore proficiscatur; nec actus solùm, verùm etiam habitus, ut si quando actu non ames Deum, nihil tamen agas quod adversetur amori ejus, quodque nolis ad ipsius amorem et honorem esse relatum.

Dominum. Utitur hìc Moses nomine tetragrammato, Deo proprio, perinde ac si diceret : *Diliges Jesum.* Illud autem cùm sit nomen essentiæ Dei, causam simul continet ob quam diligendus sit Deus, et quidem *ex toto corde,* quod sequitur, id est, super omnia et propter seipsum : quia videlicet est ipsum primum ens summumque bonum, omnis entis omnisque boni principium, ac proinde primum summumque quod diligi et amari mereatur.

Deum, qui est unus solus verus Deus, creator, conservator, gubernator, et judex, totius mundi hujus.

Tuum, qui te in populum peculiarem elegit atque adoptavit, qui te vicissim diligit, defendit, ornat, et innumeris beneficiis incessanter aflicit, quem et tu denique solum colendum recepisti. Hìc iterùm aliæ causæ suggeruntur amoris, et priore quidem nomine, *Dominus,* significatur amore dignum esse ex propriâ naturâ; hoc verò, *Deus tuus,* ex beneficiis in nos collatis, quia prior ipse dilexit nos, ita ut non tam amari à nobis quàm redamari jubeatur; nihil est enim facilius quàm redamare amantem. Denique innuitur, si illi colendo nos ipsi obstrinximus, hunc cultum inprimis exigi, ut ipsum diligamus.

Ex, *in* legitur Græcè et Hebraicè, in hoc quemadmodùm in sequentibus membris; quanquàm utrumque tam *in* quàm *ex* Latinè supervacaneum est.

Toto corde tuo. Non satis habet lex præcipere ut diligatur Deus, sed addit, *ex corde,* ut eum vero, sincero solidoque amore prosequaris; nec hoc satis, verùm adjungit etiam, *ex toto corde.* Qui diligit Deum non ex corde (quales illi de quibus psalmus 77, v. 36 : *Dilexerunt eum in ore suo, et linguâ suâ mentiti sunt ei : cor autem eorum non erat rectum cum eo*) hypocrita est : qui diligit corde non toto, aliud dili-

riri utrùm aliquid à lege alienum traditurus esset, ut eum argueret; ideòque Dominus non ei respondet directè, sed ipsum rogat vicissim, ut ipse sibi responderet, et cùm rectè respondisset, addit : hoc fac et vives, id est, possidebis vitam æternam, quod à me quæsivisti. Tantumdem hoc est atque illud Matthæi 19, v. 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

git, non Deum, Dei enim dilectio cor totum sibi vendicat, non capitur nisi corde toto. Opponitur autem cor totum cordi diviso seu dispertito, opponitur et cordi remisso ac languido. Ut opponitur cordi diviso, toto corde diligendus est Deus, quia nihil diligendum est, nisi vel Deus ipse vel id quod Deo placet. Qui aliquid quod Deo displicet cum Deo diligit aut facit, vel amat partim ea quæ Deo placent, partim ea quæ displicent; corde non toto seu integro, sed dissecto ac dispertito in amorem alienum, Deum diligit, ac proinde nec diligit: exemplum est Deut. 13, v. 3, et 4 Regum 10, v. 31. Diliges itaque Dominum ex toto corde tuo, id est, Dominum diliges et omnia quæ Dominus diligit quæque Domino placent, nihil autem eorum quæ Dominus odit vel quæ ipsi displicent. Hoc est autem reverà, solum Dominum Deum dilige, Deum nimirùm propter seipsum, cætera autem omnia propter Deum, vel quia Deus ea diligit diliges, vel quia odit oderis. Porrò ut opponitur cor totum cordi remisso, toto corde diliges Deum, id est, totum te des totusque incumbas diligendo Deo, quod est, nihil æquè tibi sit curæ ac Deum diligere, et studere ut ipsi placeas, nihil tanti facias quanti amorem Dei: sic enim communi modo loquendi totum animum libris sacris applicat, cui nihil æquè est curæ ac studium sacrorum librorum. Jubemur amorem Dei et studium placendi Deo, præferre rebus omnibus, studiosissimè diligentissimèque huic rei incumbere, nihil magis aut æquè diligere ac Deum; non quidem secundùm intentionem, quanquàm hoc Deo sit dignum (fit enim ut homo justus majori amoris ardore feratur in parentes aut liberos quàm in Deum), sed secundùm pretium et æstimationem, ita ut nihil sic habeamus in pretio ut Deum, nihil tanti æstimemus aut faciamus quanti Deum, semper parati jacturam omnium etiam vitæ nostræ pati, potiùs quàm admittere aliquid contrarium dilectioni Dei. Hoc est autem quod dici solet, Deum super omnia diligendum. Nam qui diligit aliquid plus quàm Deum, aut æquè charum habet ac Deum, non ille toto seu perfecto corde diligit Deum, sed corde remisso ac flaccido pusilloque animo, ac proinde nec diligit. Posterior hæc ratio totius cordis versatur circa modum diligendi, prior circa res dilectas: utraque paucis clarisque verbis sic explicatur: Diliges Dominum Deum tuum propter seipsum super omnia: cætera vel diliges vel oderis propter ipsum.

Tota anima, toto animo.

Omnibus viribus, alibi vertit, totâ *virtute* seu *fortitudine*.

Mente, sive cogitatione. Hebraicè Moyses loco *mentis* scribit *fortitudinem;* Marcus et Lucas evangelistæ, quin et Syriacum Matthæi Evangelium, utrumque exprimunt, *et mentem et fortitudinem.* Porrò non sunt tria hæc, cor, anima, mens, anxiè distinguenda: cordis enim nomine, et affectus declaratur qui dicitur anima, et intellectus qui dicitur mens. Majoris explicationis causâ, nunc tria, nunc quatuor, exprimuntur in hoc loquendi genere, postquàm interdùm duobus solis, ut 4 Reg. 23, v. 3, sæpè unico hoc, *ex toto corde,* nihil minùs Scriptura velit significatum. Ad epitasin igitur vehementiamque declarandam idem hìc tertiò repetitum est, in quo omninò tibi significetur et inculcetur, ut Deum solidè, quantùm potes, super omnia diligere studeas, certus, quantumcumque, etiam extremum, studium adhibeas, semper illum mereri majus, nec fieri posse ut modum excedas si dignitatem ipsius consideres: nam, quod quidam ait, *modus amandi Deum sine modo est.* « Lex ista, » ait Victor Antiochenus in Marcum, « ejusdem verbi circa eamdem materiam repeti« tione præ cæteris abundat; habet enim: *Ex toto « corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ mente « tuâ, et ex totâ virtute tuâ.* Facit hoc autem, quò « hominem tanto Dei amore flagrare debere demon« stret, ut nihil prorsùs in ullam omninò animæ fa« cultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum di« lectionem excludat aut diminuat aut aliò transferat; » hæc Victor. Cæterùm non præcipitur hâc lege extremus ille amoris gradus quo Deus dignus est, ut quem nec angeli assequantur; nec mandatur ut continuo perpetuoque amoris affectu atque actu feraris in Deum, citra omnem distractionem animi cordisque divulsionem, hoc enim non est nisi beatorum; nec jubetur denique ut careas concupiscentiâ carnis legi Dei rebellanti, quod non est in potestate hominis mortalis; sed præcipitur ut, pro conditione hominis mortalis, quoad ejus fieri potest ab homine mortali (est enim sermo ad hominem mortalem), diligas Dominum Deum tuum propter seipsum super omnia, si non actu semper, at habitu; ita nimirùm animo semper comparato, ut nihil tanti facias quanti Deum, omniaque tua ad ejus honorem velis esse relata, paratus quidvis pati potiùs quàm admittere quid quod ejus dilectioni adversetur, quemadmodùm jam explicuimus. Prava concupiscentia, quæ occupat appetitivas hominis vires, nisi regat hominem, seductâ parte utente ratione, non reddit reum transgressi hujus mandati; imò quò viriliùs constantiùsque illi resistit homo, eamque refrenat et subjugat, eò magis in Dei amore exercitatur et proficit. Quocirca Scriptura etiam ipsa testatur, ab hominibus mortalibus præceptum hoc observatum fuisse. Scribit enim inprimis de Josiâ Rege, 4 Reg. 23, v. 25: *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in totâ animâ suâ, et in universâ virtute suâ, juxta omnem legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi.* Rursùs de Davide, 3 Reg. 14, v. 8: *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Atqui David transgressus est hoc præceptum quando adulterio homicidium conjunxit. Rectè quidem, sed semel transgressus præceptum, non est censendus nunquàm observâsse, præsertim transgressionis veniâ à Deo impetratâ. Quòd si angelis hominibusque beatis ferenda esset lex charitatis (ut cæteris destructis *charitas nunquàm excidit,* 1 Cor. 13, v. 8), non aliis

verbis opus esset eam ferre, quàm quibus hìc fertur; quæ quidem tunc pro conditione angeli hominisque beati interpretanda forent : Dominum Deum tuum, primum principium et finem ultimum summumque bonum tuum, quo tibi, ipsius dono, frui datur, suavissimo charitatis affectu complectere, hunc solum, neglectis cæteris omnibus rebus, cogita, contemplare, desidera, dilige incessanter, omnes cogitationes tuas, omnem vitam, et omnem intellectum, in eum confer à quo habes ea ipsa quæ confers, denique omnibus animi ac naturæ viribus in ejus amorem æternum rapere, eoque inflammare et delectare, nec sit in te quod repugnet aut adversetur. Sed quando fertur lex ista mortalibus, intelligi debet pro conditione modoque mortalium; sic tamen ut debeant intelligere mortales, quantùmcumque in hujus mandati observatione exerciti sint, semper superesse profectui locum.

Proximum tuum, quemlibet alium hominem, quantùmvis vilem, barbarum, aut incognitum tibi, etiam inimicum : D. Augustinus, epistolâ 52 : *Proximus sanè hoc loco,* inquit, *non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in quâ socii sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit, quantò magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis?* Quæras : Quare igitur non dixit legislator : Diliges quemlibet alium hominem, sed dixit : *Diliges proximum tuum?* Ut nomen proximi simul suggereret tibi legis ipsius rationem; idcircò enim diligere juberis quemlibet alium hominem sicut teipsum, quia ille proximus sive socius tuus est, quia est id quod tu, homo, à quo nihil humani alienum est, ratione præditus, ad imaginem Dei factus, æternæ beatitudinis et summi boni, quod Deus est, capax. Quâ igitur ratione moveris ut teipsum diligas, moveris autem consideratione naturæ illius tuæ propriæ, eâdem æquum est movearis, ut quemlibet alium hominem naturæ societate communioneque tibi conjunctum ac proximum diligas. Nec enim est tam barbarus aut impius, qui non sit nobis conjunctus hoc vinculo, quod sacrosanctum et inviolabile est, nec ullius pravitate aboleri potest. In naturâ igitur communi, et in Deo communis naturæ auctore ac fine, considerandi sunt.

Sicut teipsum; subaudi, *diligis.* Syrus suâ phrasi, *sicut animam tuam.* Non præcipitur amor suî ipsius, sed ponitur ut certus et indubitatus, quem spontè, naturâ ipsâ duce, citra præceptum omne geramus. Cæterùm non quivis amor suî ipsius intelligitur; est enim qui passim damnetur, et in amando seipso excedat modum, cujus duo præcipua sunt vitia, unum quo diligit homo seipsum secundùm exteriorem maximè hominem, obsequendo concupiscentiis suis; alterum quo se solum diligit neglectis aliis. Intelligitur autem hic amor suî ipsius sobrius seu ordinatus, ejusmodi qui sequitur, non corruptum perversumque judicium, sed dictamen rectæ rationis, quo sollicitus est homo ut se conservet, et bonum congruum sibi procuret malaque adversantia repellat : quibus quidem de rebus non est opus ut lex homini feratur. Dicit ergo lex, *sicut teipsum* diligis, quibus verbis duo vult : Primùm corrigere vitium illud philautiæ seu amoris tui, quo tibi ipsi nimiùm deditus, aliis neglectis tuî solius curam geris; nam q. d. : Tu non solùm teipsum, quod soles illiberaliter, verùm etiam proximum diliges, in eumque diffundes amorem tuum. Deinde præscribere vult modum quo proximum diligas, ne vel excedas vel desis. Quocirca non dicit, *ex toto corde tuo,* nam ille amoris modus soli debetur Deo; nec dicit, *plus quàm teipsum.* Deum enim plus quàm nos ipsos diligere jubemur, sed proximos, quanquàm aliquando laudabiliter possumus, non tenemur, ubi agitur de ejusdem ordinis bonis, aliquando nec possumus. Rursùs non dicit, *propter teipsum,* quia diligere proximum propter teipsum, non est nisi diligere teipsum, quemadmodùm diligere proximum propter Deum, est diligere Deum, id quod superiori mandato præceptum non repetitur hìc. Denique non dicit, *æquè ac teipsum,* sive, *quantùm teipsum;* sicut enim non teneris æquè benefacere proximo ac tibi ipsi rebus ipsis externis, quando scilicet aut impedit aut non urget necessitas; ita nec æquali animi ardore teneris benè velle; quanquàm non possis invidere aut nolle ipsi æquè benè esse, aut etiam meliùs quàm tibi; nam et tu hoc damnes in aliis erga te, ut in paupere divitias tibi invidente. Dicit ergo, *sicut teipsum,* quod est, simili modo quo teipsum diligis, ad exemplum et formam dilectionis tuî, ut quemadmodùm teipsum diligis verè et sincerè, bonum tibi ipsi volendo ac faciendo, malum nolendo atque avertendo, idque non contemptim ac viliter, sed propter tuum ipsius bonum, simili modo te habeas erga proximum. Itaque *diliges proximum tuum sicut teipsum,* hoc idem est quod Matth. 7, v. 12, Salvator aliis verbis extulit : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis*; quodque huic ex opposito respondet, Tob. 4, v. 16 : *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Ea est enim regula dilectionis,* ait Augustinus libri de verâ Religione cap. 46, *ut quæ homo vult sibi bona provenire, et proximo velit; et quæ accidere sibi mala non vult, et illi nolit.* In summâ, amor suî ipsius, naturalis ille et sobrius qualem diximus, datur nobis regulæ et exempli loco, ad quem exigere oporteat amorem proximi; ut quâvis re natâ, si scire velis quomodò te erga alium gerere debeas, consideres quomodò simili re natâ velles alium se gerere erga teipsum.

Vers. 28. — Dixitque; *Jesus* addit Syriaca editio.

Rectè. Nam *in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ,* Matth. 22, v. 40.

Hoc fac. Quæris *quid faciendo* vitam æternam possidebis? *Hoc fac* quod duobus istis quæ recitâsti mandatis præcipitur; hoc opere præsta, non enim sufficit scire.

Et vives vitâ æternâ, id est, hoc faciendo vitam æternam possidebis. Vitæ æternæ initium in hoc seculo, et perfectionem in altero, adducit charitas,

qualis illis duobus præceptis exigitur. Ut eadem est quæstio, quod diximus, hujus scribæ et adolescentis divitis, ita eadem est responsio Jesu. Nam *hoc fac et vives,* tantùmdem est, quantùm illud, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* Matth. 19, v. 17.

Vers. 29. — Ille, laudatus quidem à scientiâ, sed admonitus facere quod sciebat, observare nimirùm et opere implere præcepta charitatis quæ protulerat.

Justificare seipsum, justum se probare et declarare, seipsum à justitiâ commendare, *ut* scilicet *justus haberetur et deputaretur,* quod ait Augustinus, libri de Spiritu et Litterâ cap. 26; tanquàm qui observaret illa præcepta ut oporteret, nec opus haberet ejus rei admoneri. Sic legimus infra, 16, v. 15; *Vos estis qui justificatis vos* (pro justis vos venditatis) *coram hominibus; Deus autem novit corda vestra.* Tactus hic legisperitus responso Domini, quòd verba legis teneret potiùs quàm faceret, quoniam tumebat opinione propriæ justitiæ, noluit agnoscere vitium suum, quin potiùs ab omni vitio culpâque se expurgare.

Et continuantis sermocinationem est.

Meus proximus, quem illo præcepto jubear diligere sicut meipsum? id est, sincero animi amore complecti, et, si indigeat, ipso opere juvare, quemadmodùm velim mihi ab alio fieri; hoc est enim diligere sicut seipsum. Hoc rogat, non tam ut discat, quàm ut appareat, ex eâ proximi definitione, quam, vel Jesus, vel requirente Jesu, ipse daturus esset, ipsum proximi non minùs quàm Dei dilectione probatum esse. Nam cùm persuasus esset, se observatâ et Dei et proximi dilectione justum esse; magis tamen de proximi quàm de Dei dilectione ab Jesu aliisque hominibus posse dubitari (nec enim facilè vir probus Deum non diligere videri possit), sperat proferendam hujusmodi descriptionem proximi, quâ fiat evidens, nec ad proximum diligendum quidquam ipsi deesse. Nam si in ipsum Jesus rejecisset hanc quæstionem, quemadmodùm priorem, dicturus erat, proximum opponi inimico. Fuisse enim legisperitorum opinionem, licere odisse inimicum, manifestum ex eo fit, quòd huic præcepto : *Diliges proximum tuum,* addiderint, tanquàm expositionis causâ, *et odio habebis inimicum tuum,* Matth. 5, v. 43. Inimicos autem intelligebant, qui vel non essent Israelitæ, vel inter Israelitas impii; solos Israelitas, eosque justos ac probos, reputabant proximos; cæteros, exteros et alienos, quos odisse liceret, nec quidquam in eos beneficii conferre. Mens igitur istius est : Ego Deum inprimis, tum viros omnes probos meæ gentis, diligo, quid mihi deesse putes, vel ad proximi vel ad Dei dilectionem? Dicit igitur hic secundùm rem, idem quod adolescens ille infra 18, v. 21 : *Hæc omnia custodivi à juventute meâ;* quanquàm paulò aliâ mente.

Vers. 30. — Suscipiens, scilicet vices respondendi. Euthymius, excipiens sermonem. Quidam vertunt, *respondens,* sed videtur paulò ampliùs significari, nimirùm, responsionem latiorem accuratioremque fore, tanquàm ex professo docentis. Non hìc detulit Jesus legisperito partes respondendi, conscius erroris quo laborabat; verùm ipse suscepit respondendi partes, quòd quæstio utilis esset, et legisperitorum circa eam error meritò confutandus.

Homo quidam, natione Judæus seu Israelita, quod ait Augustinus, serm. 37 de Verbis Domini; adeòque Jerosolymitâ, quod Beda in Commentario. Fit verisimile, quòd non tantùm res possibilis sit, quam docendi gratiâ hìc ponat Jesus, verùm etiam historia et res gesta. Nam, præterquàm quòd tanquàm rem gestam narret, si conficta fuisset, non fuisset legisperitus constrictus ad respondendum, quomodò respondit infra, v. 37; sed dixisset, commentum esse nunquàm eventurum, confictum in invidiam sacerdotum et Levitici generis hominum.

Descendebat, proficiscebatur causâ negotiorum suorum.

Ab Jerusalem, sitâ in locis Judææ montosis.

In Jericho, extimam Judææ civitatem ad fluvium Jordanem.

In latrones, ut erat via latrociniis obnoxia, præsertim circa locum Adomin ideò dictum, *quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incursibus,* quod ait Hieronymus, epistolâ 27, quæ est Epitaphium Paulæ.

Qui etiam, qui non solùm ceperunt eum captivum, et abstulerunt ei quidquid haberet nummorum aut rerum pretiosarum, verùm etiam despoliaverunt.

Despoliaverunt, exuerunt eum vestibus.

Plagis impositis, inflictis vulneribus. Hoc solent

Vers. 29. — Ille autem volens justificare seipsum, id est, ostendere, quàm esset tenax ac studiosus justitiæ tam cognoscendæ quàm faciendæ. Videtur enim putâsse proximum à Christo definiendum esse more Pharisaico amicum, ut sic justus esse videretur, qui amicos tanquàm proximos diligeret. Dixit itaque : Et quis est meus proximus? Non petit quid proximo impendendum sit : nam in hoc non multùm differebat lex ab Evangelio, sed quis sit proximus : quàm latè enim ille pateret et intelligendus esset non erat veteris Testamenti tradere, ut August., lib. 83 Quæst. Evang., q. 53. Cùm ergo proximus possit dici gente, vel amicitiâ, vel consanguinitate, vel humanæ naturæ communione, Christus ut legem perficeret, quæstionem illam ut tempestivam arripiens,

Vers. 30. — Suscipiens, scilicet sermones seu vices respondendi, dixit, per modum parabolæ : homo quidam, natione Judæus, ut August., serm. 73 de Verbis Domini; videtur enim vel vera historia, vel certè parabola ex eventis illius temporis verisimilis. Nam via à Jerusalem in Jericho latrociniis erat obnoxia, ut Hieron., tum in cap. 20 Matth., tum epist. 27, ubi dicit locum Adomim inde vocatum, quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebantur incursibus; qui præterquàm quòd ceperunt eum, etiam despoliaverunt eum, id est, vestibus exuerunt, ut Græcè sonat, et plagis, seu vulneribus, impositis, abierunt semivivo relicto, hoc est, in miserrimo statu, in quo necesse erat perire, si nemo succurreret.

facere latrones, ne is quem spoliârint, citò fugiens ad loca vicina, prodat ipsos, et auxilium ad persequendum invocet.

Abierunt, fugerunt in sylvas semivivo, semimortuo, seminece, relicto in viâ. Syrus mutatis participiis in verba clarè vertit : *Et irruerunt in eum latrones, et spoliârunt eum, et vulneraverunt eum, et reliquerunt eum cùm vix subsisteret in eo anima, et abierunt.* Describitur miserrimus hujus viatoris status, multis nominibus dignus miseratione, atque omninò hujusmodi, quo necesse esset eum perire ac mori, si nemo succurreret aut auxiliaretur.

Vers. 31. — Accidit, per casum, casu, fortè. Casus, hominum consilium et deliberationem excludit : nam divinæ Providentiæ respectu, nihil casu aut fortuitò fit.

Sacerdos, de genere Aaron.

Ut descenderet, descendebat, iter faciebat eadem via. Jerichuntem versùs.

Præterivit ἀντιπαρῆλθεν, ex adverso præterivit. Nam præpositione ἀντί significatur sacerdotem non modò non accessisse propiùs ad miserum illum, verùm etiam retrorsùm abiisse, et pedem retulisse, ac de viâ reflexisse, ne propiùs accederet, sive quòd exterritus esset plagarum magnitudine, sive quòd horreret videre moribundum; adnotant hoc Theophylactus et Titus. Ab isto, sacerdos cùm esset, quem religio pium et misericordem reddidisse debuerat, quippe cujus esset legem docere et facere, sacrificia quoque offerre, cùm ad Dei honorem, tum pro salute populi, meritò exspectari debuerat ut Judæum fratrem, afflictum, et extremâ in necessitate constitutum, suâ ope, quoad ejus posset, juvaret. Atqui tantùm abfuit ut juverit, ut longiùs recesserit, et sine ullâ commiseratione præterierit. Notat hic igitur ac perstringit Salvator feram sacerdotum Judaicorum inhumanitatem, fidentium sacrificiis et cæremoniis, quod verò præcipuum est, charitatem, crudeliter negligentium, nec solùm non alienigenas, verùm ne suos quidem gentiles pro proximis agnoscentium. Sacerdos enim hic, vel non existimavit se proximum esse hujus miseri, sed fortè superiorem, contempsitque eum præ se; vel si existimavit, non dilexit eum sicut seipsum.

Vers. 32. — Levita, minister altaris etiam ipse, quanquàm inferioris ordinis, alitus ex oblationibus et decimis populi.

Cum esset, cùm præsens factus esset.

Secus locum, *apud* seu *juxta* eum locum, ubi scilicet Judæus ille saucius jacebat.

Et videret eum, Græcè, *et venisset ac vidisset*, scilicet eum. Latinus Interpres videtur non legisse ἐλθών.

Pertransiit, ut versu superiore. Qualis sacerdos, talis Levita : minor sequitur majoris exemplum.

Vers. 33. — Samaritanus, natione ac genere alienus, adeòque Judæis exosus; oderant enim Samaritas Judæi, etiam plus quàm alios ethnicos, eò quòd Israelitæ haberi vellent, et populus Dei, suumque templum cum Jerosolymitano conferrent, cùm essent profani et degeneres, nulloque modo ex sanctis patribus oriundi; lege Josephum in calce libri undecimi Antiquitatum. Samaritani ergo signanter exemplum profert Christus, ut confutet legisperiti arrogantiam, qui solos justos aut Israelitas exspectabat declarandos esse proximos suos.

Iter faciens, illàc.

Secus eum, juxta eum, eò loci ubi ille jacebat, cùm enim jacentem hominem videret, propiùs accessit.

Videns eum, in suo sanguine volutari, quod ait Origenes; *videns eum* misero adeò vitæ rerumque statu constitutum.

Misericordia motus est, misertus est, doluit vicem ejus, etsi Judæi, immemor ejus quæ inter Judæos et Samaritanos esset contentionis. Hìc plenè docemur, non solùm quis sit proximus noster, verùm etiam quo diligendus modo. Primùm omnium enim requiritur affectus misericordiæ, et condolentia animi, ut existimemus aliorum calamitates ad nos pertinere, juxta illud Apostoli : *Mementote vinctorum, tanquàm simul vincti, et laborantium, tanquàm et ipsi in corpore morantes;* Hebr. 13, v. 3.

Vers. 34. — Appropians, accedens, appropinquans, manum admovens, postquàm ex jumento descendisset, non sine itineris sui dispendio.

Alligavit, obligavit fasciis. Non hic præterit ex adverso, quemadmodùm fecerant sacerdos et Levita, sed accedit proximè ad saucium; nec verbis lugubribus imprecatur ei sanitatem, suas interea ad res conficiendas properans; sed manum admovet, vulnera obligat, et quod necessitas poscit quodque potest ipse facit. Fortassis, etiam sacerdos et Levita, miserti fuisse dicentur; sed non satis est, charitatem et misericordiam affectu ostendere, nisi etiam conatu et effectu id fiat, quantùm in nobis est. Nostram

Vers. 31. — Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via; versùs Jerichontem, demissiori scilicet loco quàm Jerusalem sitam, prope Jordanem fluvium : *et viso illo præteriit*, Græcè ἀντιπαρῆλθεν, ex adverso seu contra præteriit. Quo significatur non solùm eum non accessisse, sed potiùs retrocedendo transivisse, quòd scilicet horreret accedere, ut Theophyl. notat, et ita perstringitur fera sacerdotum inhumanitas. Idem dicitur in Græco eodem modo de Levitâ; moribus enim sacerdotes et Levitæ similes erant.

Vers. 33. — Samaritanus autem quidam, genere et religione alienus, et Judæis maximè invisus, eò quòd Samaritani soli vellent haberi populus Dei, et verum Dei cultum, verumque templum se habere jactitarent. Hic ergo videns eum, misericordia motus est, tanquàm qui existimaret calamitatem ejus tanquàm proximi ad se pertinere, immemor omnis antiquæ contentionis.

Vers. 34. — Et appropians, trahente scilicet eum propiùs intimo miserationis affectu, alligavit vulnera ejus, id est, fasciis obligavit, ne medicamentum infusum respuerent : infundens, id est, postquàm antè infudisset oleum et vinum, quæ viatici loco

enim ipsorum commoditatem, non affectu tantùm, sed studio et conatu prosequimur. Porrò quòd alligaverit vulnera, fuit, partim ne ex circumstante aere deteriora redderentur, partim ut labiis compressis medicinam retinerent, faciliùsque coalescerent. *Confossa loca ligantur,* inquit Chrysostomus, *ut intra semetipsa retinentia medicinam, operante medicamine sanitati reddantur,* sermone in hunc locum edito.

Infundens, postquàm infudisset, priùs enim infudit quàm obligaverit, oleum et vinum, quæ secum sumpserat in viam, oleum loco obsonii ad panem, vinum potûs loco. Præsentibus utitur, donec suppetant medicamina certiora; non incommodis tamen, cùm vinum purget vulnera, oleum leniat. Priùs ergo lavit vulnera vino, quod valet putridum sanguinem abstergere, et humores peccantes arrodere, denique constringere vulnera; deinde oleum adhibuit, quod lenit vulnerum dolorem, et mollificat divisam carnem, ita ut faciliùs redeat in naturam.

In jumentum suum, quo ipse vectus fuerat. Syrus, *super asinum suum.* Omnia quæ habet, miseri usibus concedit, suum etiam fraudans genium. Descendit enim ex jumento cui inequitârat, et ejus usum afflicto permittit, quin sublatum suis manibus è terrâ, defectum viribus jumento imponit.

Duxit. Ipse pedes incedens, jumentum freno prehensum duxit, misero factus viæ dux; quem cùm in proprias ædes non posset, duxit in stabulum.

In stabulum, in diversorium, in hospitium, quod pandochion Græcè dicitur, quasi quorumvis susceptaculum, quòd omnes se offerentes sine discrimine excipiat; Latinè *stabulum,* à stando, quòd viatores ex itinere fessi illìc stent, id est, quiescant à progressu ad horam.

Et curam ejus egit. In hospitio rursùs, neque impensis neque laboribus parcit: ipse enim miseri curam agit, de strato et congruo cibo prospiciens; quòd in diversoriis, languentium res ferè segniùs curentur; et advocatis consultisve medicis, accuratiorem adhibet medicinam.

Vers. 35. — Altera, id est, posterâ die, postridiè, cùm urgeret eum itineris necessitas. Syrus, *mane diei.* Sequitur Græcè, *exiens* seu *abiens*, cùm scilicet ad iter se pararet: quod tamen non Syrus magis legit quàm Latinus.

Protulit, deprompsit.

Duos denarios, didrachmum, aut certè tetradrachmum (docuimus enim duplicis generis esse denarium, unum drachmæ pondere, alterum didrachmi) quantùm ad reditum usque suum sufficere posse putavit.

Stabulario, hospiti meritorio, viatores pretio excipienti.

Curam illius habe. Hos nummos habeto ad fovendum et curandum hunc miserum, donec restitutus sit sanitati. Discessurus commendat miserum hospiti, nec relinquit eum hospitis sumptu curandum, sed de suo dat hospiti unde curetur; ita tam absens quàm præsens providet egenti.

Supererogaveris, supra impenderis, præterea in sumpseris, quod ultra summam appensam insumpseris, ad hujus curam ac necessitatem. Euthymius: *Si etiam de tuo quippiam insumpseris, quod in ejus cedat utilitatem.*

Reddam tibi, bonâ fide. Fide jubet, quin et reditum pollicetur, et credibile est notum fuisse hospiti, eò quòd sæpiùs illàc transiret; jamque statuisse ad hoc hospitium, post diem unum aut alterum, redire, quando confectis Jerichunte negotiis, per Jerusalem in Samariam esset reversurus. Certè declarat se non quieturum, donec videat saucium incolumem. Observare hìc licet modum dilectionis pulcherrimum, simul et plenissimum: nihil enim hic Samaritanus omisit, eorum quæ ad juvandum proximum opis indigum, videri poterant requiri. Hanc porrò historiam, etsi eo fine potissimùm afferat in medium Jesus, ut doceat quis sit proximus noster, quemadmodùm patebit duobus consequentibus versiculis; nihil obstat tamen, quin et parabolam esse voluerit continentem mysterium, tum lapsûs, tum reparationis humani generis: quemadmodùm jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ, christiani tractatores docuerunt, atque inter eos quidam laudatus ab Origene, homiliâ 34 in Lucam, his verbis: « Aiebat quidam de presbyteris, « volens parabolam interpretari, hominem qui de« scendit, esse Adam; Jerusalem, paradisum; Jeri« richo, mundum; latrones, contrarias fortitudines; « sacerdotem, legem; Levitam, prophetas; Samari« tem, Christum; vulnera verò, inobedientiam; ani« mal, corpus Domini; pandochium, id est, stabu« lum, quod universos volentes introire suscipiat, « Ecclesiam interpretari. Porrò duos denarios Patrem « et Filium intelligi, stabularium, Ecclesiæ præsi« dem, cui dispensatio credita est. De eo verò quòd « Samarites reversurum se esse promittit, secundum « Salvatoris figurabat adventum. Hæc cùm rationabi« liter pulchrèque dicantur, » etc. Hactenùs Orige-

secum sumpserat; *oleum*, ut obsonium ad panem, *vinum* loco potûs. Et oportunè quidem: vinum enim purgat vulnera, arrodit putrida, constringit purgata: oleum lenit, fovet, et sanat. Et imponens illum in jumentum suum, quo ipse venerat, duxit, ipse pedes, dux viæ factus, in stabulum, seu diversorium, et curam ejus egit, accuratiorem in hospitio. Significatur ergo omnia quæ habuit, et potuit, afflicti istius necessitatibus impendisse.

Vers. 35. — Et altera die, cùm itineris perficiendi necessitate premeretur, protulit duos denarios, expendendos in curationem saucii, et ait stabulario seu hospiti: Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, super impensam tibi traditam, seu de tuo, ego cum rediero, reddam tibi; quo declarat se non quieturum, donec sanatum viderit. In quâ historiâ non solùm præclarè lucet pulcherrimus et plenissimus dilectionis modus, dùm nihil omittit eorum quæ ad proximum juvandum requiri poterant, sed etiam mysterium lapsûs et reparationis humani generis, quod in eâ omnes penè veteres adnotârunt. Videri poterunt Ambros. et Theophyl. et alii in hunc locum, Chrysost., hom. hâc de re, et latè August., serm. 37 de Verbis Domini. breviùs verò lib. 2 Quæst. Evang., q. 19. Succinctissimè complexus est pleraque Orig., hom. 34 in Luc., tanquam ab antiquiore presbytero

nes, quanquàm alii commodiùs duos denarios interpretentur duo testamenta. Verùm hæc ad mysticum sensum pertinent, nos litteralem prosequimur.

Vers. 36. — Quis, quis ergo, horum trium, sacerdos, Levita an Samaritanus.

Proximus fuisse, proximum se agnovisse, exhibuisse, ac præstitisse.

Illi qui incidit, illius qui inciderat. Cùm prima legisperiti quæstio fuerit : *Quis est meus proximus*, supra, v. 29, quem scilicet illo legis præcepto tenear diligere ut meipsum ; videri possit Jesus hìc interrogare debuisse : *Cui vel cujus horum trium proximus fuit is qui incidit in latrones?* nimirùm ut manifestum evaderet quis esset legisperiti proximus, quem ille diligere et consequenter juvare egentem deberet. Sed quia ad hanc interrogationem respondisset haud dubiùm legisperitus, fuisse proximum sacerdotis et Levitæ, eò quòd genere ad eos pertineret ; volebat autem Jesus eum cogere ut fateretur Samaritanum fuisse proximum illius ; conversis verbis quæsivit : *Quis horum trium proximus fuit illius?* Nec tamen extra sententiam primò propositæ quæstionis interrogavit, quia, ut ait D. Augustinus libri primi de Doctr. Christ. cap. 30, *proximi nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus, nisi proximo potest.* Quare si fateretur legisperitus, prout fatetur versu proximo, Samaritanum esse proximum illius Judæi qui in latrones inciderat, consequenter fateretur Judæum qui in latrones inciderat, esse proximum illius Samaritani. Interrogat ergo *quis horum trium*, etc., ut ex legisperiti ore eliciat responsum quo eum damnet, et doceat, non solos Judæos, sed etiam extraneos, habendos esse pro proximis. Non enim poterat respondere legisperitus sacerdotem illius proximum fuisse aut Levitam ; quia non simpliciter quærebatur quis genere aut cognatione, vel etiam ex legis mente, fuerit proximus, sed quis ita fuerit proximus, ut impleverit legem : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, id est, quis saucium illum agnoverit pro proximo, ita ut proximum se illius exhibuerit ac præstiterit, ita ut proximi officio functus erga illum fuerit. Id dubio procul non fecerant sacerdos et Levita, nequaquàm se ut illius proximos gesserant, aut se illius proximos esse ostenderant ; et quanquàm ex legis mente, reverà illius proximi essent, non tamen circa eum legem observârant illi : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, sed ut alienos se habentes prætererant miserum.

Vers. 37. — Ille, legisperitus.

Qui fecit misericordiam, seu beneficentiam, qui misertus adjuvit, opitulatus est.

In illum, cum illo, erga illum qui inciderat in latrones. Non dicit, *Samaritanus*, quòd durum ipsi videretur id respondere ; quia tamen rem fateri cogebatur, nisi carere se omni judicio proderet, loco nominis proprii causam affert. Nam eo ipso quòd Samaritanus Judæo illi saucio benefecerat, declaraverat se proximum illius esse, id est, quòd se proximum illius agnosceret. Ergo quia opere ipso Samaritanus se ostenderat illius esse proximum, ut qui proprium proximi officium erga eum implêsset, non potuit elabi hic doctor quin fateretur Samaritanum proximum fuisse, et legem de diligendo proximo circa Judæum observâsse, quæ non solùm id præcepit, ut interiori animi affectu diligas, sed multò etiam magis, ut circa eum, sicut circa teipsum, datâ opportunitate, exteriori opere id declares. Cùm autem fateretur legisperitus Samaritanum fuisse proximum illius Judæi qui inciderat in latrones, consequenter fatetur Judæum proximum fuisse illius Samaritani (proximi enim nomen reciprocum est, quod superiori versu ex Augustino docuimus), non tamen ut benefactorem, sed ut eum cui benefactum esset.

Vade, ex Hebraicâ phrasi, est responsionem absolventis et dimittentis à se.

Et tu, etiam tu fac similiter. Probat Jesus responsionem scribæ, monetque eum ut se ipse ad suam responsionem accommodet. Nec tamen docet eum, proximum ejus esse qui ipsi benefecerit, tanquàm soli benefactores habendi et diligendi pro proximis sint (nihil enim Judæum, erga Samaritanum benefactorem suum, egisse, et vel redamâsse amantem, narraverat Jesus) ; quin potiùs docet proximum ejus esse, qui misericordiâ aut auxilio ipsius indigeat.

Fac similiter, scilicet misericordiam, ut ille Samaritanus cum Judæo ; si Dei de proximo sicut teipsum diligendo velis implere mandatum. Samaritanus agnovit se esse proximum Judæi illius, necnon è diverso Judæum illum esse proximum suum, ac pro-

sibi tradita, jam inde scilicet ab initio nascentis Ecclesiæ. Dicebat ille, inquit, *hominem, qui descendit*, esse Adam, *Jerusalem*, paradisum, *Jericho*, mundum, *latrones*, contrarias fortitudines, id est, dæmones, *sacerdotem*, legem, *Levitam*, prophetas, *Samariten*, Christum, *vulnera*, inobedientiam, *jumentum*, corpus Domini, quo incarnatus est, *pandocheum*, id est, stabulum, quod universos volentes introire suscipit, Ecclesiam interpretari. Porrò *duos denarios* Patrem et Filium intelligi, *stabularium*, Ecclesiæ præsidem, cui dispensatio credita est ; *reversionem Samaritani*, secundum Salvatoris adventum. Cum quâ expositione ferè convenit illa August. loco cit., qui tamen per *Jerusalem* intelligit civitatem cœlestis pacis, *Jericho*, mortalitatem, *duos denarios*, duo præcepta charitatis, alii duo Testamenta.

Vers. 36. — Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? id est, agnovisse se illi et præstitisse proximum : per charitatis officia, nam, ut Aug., tract. 43 in Joan., Samaritanus saucio se præstitit proximum, quem non putavit alienum. Ex hoc autem colligendum relinquit Christus, illum saucium fuisse etiam proximum illius Samaritani, quia, ut idem August., lib. 1 de Doctr. christianâ, c. 39, proximi nomen ad aliquid est ; nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Sic ergo indirectè solvit quæstionem legisperiti, quis esset ejus proximus, circa quem deberet implere legem de diligendo proximo, nempe quoslibet opis indigentes, etiam extraneos.

Vers. 37. — At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum ; nam ipso opere dilectionis declarabat

inde ut impleret legem sive Dei sive naturæ, dilexit eum, non affectu tantùm aut verbis, verùm etiam rebus ipsis, adeòque plenissimis amoris officiis, sicut seipsum; ita tu, simili re natâ, ostende te proximum esse cujusvis hominis tibi obvii et vicissim quemvis hominem proximum esse tuum circa quem observandum sit tibi Dei de proximo sicut teipsum diligendo præceptum; nullâ habitâ ratione an Samaritanus sit, an Israelita, an Judæus, an Græcus, an amicus, an inimicus, an justus, an impius, an cognatus, an extraneus, quemadmodùm Samaritanus ille nullam horum rationem habuit. Rogaverat legisperitus: *Quis est meus proximus?* Jesus proponit ei imitandum exemplum Samaritani, qui in censendo proximo, nullam generis, patriæ, aut amicitiæ, sed solius communis humanæ naturæ rationem habuerat; docens eum omnem hominem esse ipsius proximum, etiam inimicum et à Deo ac verâ religione alienum; quem, ut Dei præceptum observet, animo diligere et pro re natâ ipso opere adjuvare debeat, quemadmodùm velit sibi fieri ab alio. In hanc sententiam scribit D. Augustinus, lib. de Doctrinâ christianâ, cap. 30: « Cui « Dominus ait: *Vade, et tu fac similiter,* ut videlicet «eum esse proximum intelligamus, cui vel exhiben- « dum est officium misericordiæ si indiget, vel exhi- « bendum esset si indigeret. Ex quo est jam conse- « quens, ut etiam ille à quo nobis hoc vicissim « exhibendum est, proximus sit noster. Proximi « enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proxi- « mus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum « esse cui misericordiæ denegetur officium, quis non « videat, quando usque ad inimicos etiam porrectum « est, » quales erant inprimis Samaritani Judæis. In eamdem sententiam Theophylactus: « Salvator, in- « quit, quoniam conditor ipse erat, sciens nos om- « nes unam creaturam, non operibus neque digni- « tatibus, sed naturâ definit proximum, etc. Omnes « enim, inquit, qui ejusdem naturæ sunt, proximi tui « sunt. Sis igitur vicissim et tu illis proximus, non « loco, sed affectione et studio erga illos. » Similia habet Titus. Ratio proximi in communi hominis naturâ fundatur: hominem enim hominis causâ creavit Deus, cunctosque ita inter se devinxit, ut se mutuò diligere juvareque teneantur, nullo habito respectu justitiæ, amicitiæ, generis, patriæ, nationis, aut quorumvis aliorum; quanquàm sit ordo, si pluribus concurrentibus, nequeat unus omnes juvare. Egregiè ergo hic legisperitus, propriis verbis convictus docetur quis proximus ipsius sit, et quem datâ opportunitate proximum esse suum, ipso opere debeat ostendere; omnis, inquam, homo, etiam inimicus, adeòque exosus ob religionem perversam, qualis est Samaritanus. Nec minùs egregiè retunditur illius arrogantia, quâ putabat perbellè observatum hactenùs à se illud de proximo sicut seipsum diligendo præceptum, nec oportuisse ut Jesus ipsum ejus rei admoneret, eò quòd neminem ex Israelitis fratribus, præsertim probis ac justis, læderet aut odisset: cùm doceatur, si velit legem implere, et obtinere vitam æternam, etiam inimicos et alienigenas sicut seipsum diligere debere, id quod certè hactenùs non fecerat. Porrò non perinde constringeret hæc Jesu conclusio legisperitum, si res ficta tantùm esset, quam hactenùs narrârat, non etiam gesta: videtur enim non verbo tantùm velle docere ipsum, verùm etiam exemplo movere, eoque à Samaritano sumpto, cujus pudere ipsum deberet, quòd inventus sit Samaritanus, in verâ pietatis dilectionis proximi ratione, superior iis qui primas religionis in Judaico populo tenerent. Alludere enim Jesus ad illud videtur, quod aliàs his hominibus objecerat: *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum cœlorum,* Matth. 21, v. 31.

Vers. 38. — Factum est autem, alia historia.

Dum irent, dùm iter facerent, dùm proficiscerentur, scilicet Jesus ejusque apostoli, per castella et loca Judææ, ad quæ præmiserat electos discipulos septuaginta duos, prout dictum fuit supra, vers. 1.

Et ipse intravit, ut ipse intraret; non dubium quin cum apostolis; sed solus ipse nominatur, tanquàm viæ Dominus, ex cujus arbitrio penderet, quòd castellum unum post aliud, vellet apostolos secum ingredi.

Castellum, pagum, vicum, nomine Bethaniam, quæ Joannis 11, v. 1, vocatur castellum Mariæ et Marthæ; id adnotavit etiam Euthymius.

Excepit, suscepit; magno cum amore et honore.

In domum suam, id est, hospitio, *quemadmodùm suscipi solent peregrini,* ait Augustinus, sermone 26 de Verbis Domini, quanquàm in propria venientem: *Suscepit enim famula Dominum, ægra Salvatorem, creatura creatorem, spiritu pascenda in carne pascendum, dignatione non conditione.* Felix tanto hospite mulier, eò commendanda magis hospitalitatis virtute, quòd Judæorum primatibus exosum, immeritò sanè, susciperet.

Vers. 39. — Et huic, cui erat.

Samaritanus, se proximum esse Judæo saucio, et consequenter illum sibi; itaque respondit ei Dominus: *Vade, et tu fac similiter,* ut censeas tibi proximum esse non solùm genere, patriâ, amicitiâ, religione conjunctum, sed quemvis hominem, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret, inquit Augustinus, loco cit. Omnis enim homo est omni homini proximus, nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis, ut idem concione 8 in Psal. 118.

Vers. 38. — Factum est autem dum irent, id est, dùm pergerent Jerosolymam; nam hæc in eodem itinere videntur contigisse. Intravit in quoddam castellum; Græcè, *pagum quemdam,* qui videtur fuisse Bethania; nam hæc, Joan. 11, vocatur castellum Mariæ et Marthæ. Et mulier quædam Martha nomine excepit illum, sive quòd major esset natu, ut Bernard., serm. 3 de Assumpt., fuisse putat, sive quòd ipsa rem familiarem communemque procuraret et administraret; et ideò dicitur eum excepisse. In domum suam, quamvis et Maria et Lazarus in eâ habitarent.

Vers. 39. — Et huic erat soror, etc., quæ etiam sedens; q. d., non obiter, sed ex composito, ut Aug.,

Soror. Ambæ, *non solùm carne, sed et religione germanæ, ambæ Domino cohæserunt, ambæ Domino in carne præsenti concorditer servierunt,* quod ait Augustinus, sermone 26 de Verbis Domini.

Nomine Maria, cognomine Magdalena. Syriacè est *Mariam*, quo modo etiam Græcè scribit aliàs evangelista. Cur ergo vocata est domus Marthæ potiùs quàm Mariæ? Fortè, ex divisâ hæreditate, domus Marthæ erat, non Mariæ; aut si utriusque, Martha familiam alebat, non Maria, sive quia Martha esset senior natu, sive quia Maria jamdiù à Judææ abfuisset, secuta Jesum ex Galilææ; vide supra, 8, vers. 2.

Audiebat, auscultabat, avidè excipiebat.

Verbum, sermonem, doctrinam **illius**, loquentis de regno Dei. Jesus, ne domi quidem alienæ hospitio exceptus, intermittit docendi studium: verùm interea dùm prandium paratur, ne quid temporis elabatur sine fructu, docet et evangelizat, edisserens Mariæ, apostolis aliisque qui præsentes esse poterant, quæ ad animarum salutem conferrent: priùs hospites suos spiritaliter pascens, quàm ab ipsis corporaliter pasceretur. Docemur igitur Christum, quòcumque accessit, non sibi privatim fuisse deditum, nec sua commoda, quietem, aut lautitias sectatum, sed hoc unum ei studium fuisse, ut aliis prodesset, utque munus obiret sibi à Patre injunctum. Quare Chrysostomus in Catenam adductus ait: « Exemplo « suo docet discipulos, qualiter se gerere debeant in « domibus eorum qui eos suscipiunt; ut scilicet applicantes ad domum, non resupini quiescant, sed « potiùs repleant suscipientes sacris et divinis doctri- « nis. »

Etiam sedens. Audiebat verbum illius, non quovis modo, non stans et quasi aliud agens, non genu flexa et subinde ad negotia domestica exiliens, sed sedens, id est, composito ad hoc corpore, totam se audiendo discendoque addicens, huic uni rei incumbens, aliis omnibus ex professo neglectis. Sessione significatur, quies, attentio, diligentia et assiduitas.

Secus, ad, juxta **pedes**. Sedere ad pedes, habitus est, non tantùm mulieris, sed et discipulæ, et humilitatem atque erga docentem reverentiam declarat; quæ duo, quies, inquam, et humilitas, ad contemplationem necessaria sunt. *Quantò humiliùs ad pedes sedebat,* inquit Augustinus, serm. 27 de Verbis Domini, *tantò ampliùs capiebat: confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.* Delectabatur ergo Maria dulcedine divinarum rerum quæ à Jesu docebantur, usque adeò ut præ his cætera omnia negligenda putaret.

Vers. 40. — Martha autem. Maria quieta sedebat, uni intenta verbo Jesu; contra Martha

Satagebat, distrahebatur, occupabatur negotiosa, et tanto excepto hospite sollicita erat, quâ ratione illi satisfaceret, et pro dignitate tractaret.

Frequens, multum, varium.

Ministerium, pertinens ad corporis refectionem. *Præparabat quæ necessaria erant ad convivium,* ait Euthymius, *et ad obsequium ejus ac discipulorum.* Cupiebat ex officiosâ charitate, Domino et iis quos secum Dominus adduxerat, diligenter omnia, affatim et accuratè administrare; ideò distrahebatur circa varia ministeria, dùm assiduè oporteret eam interesse iis quæ præparabantur, et manus admovere, ut rectè essent curata omnia. Et sanè ipsius tanquàm matrisfamiliàs et hospitis, magis quàm sororis, intererat, curare ut nihil deesset hospiti dignè excipiendo; sed interim distinebatur et ab audiendo verbo Jesu avocabatur. Par utrique sorori pietas in Jesum, sed diversa pietatis functio erat; eadem pietas, duas sorores in Jesu diligendo concordes, ad res diversas agebat: Maria, vacans à domesticis externisque negotiis, assidebat ad pedes Jesu, audiens eum res divinas salutaresque docentem. Contra Martha, sollicita de apparatu convivii, hùc illùc cursitabat, satagens ne quid deesset, quod ad Jesum pro dignitate excipiendum pertineret. Eadem igitur erga Dominum charitas, Mariam quidem non patiebatur ab ejus pedibus divelli, Martham verò sursùm ac deorsùm agebat, nec patiebatur Domino adhærere.

Quæ stetit et ait. Quidam vertit, *superveniens igitur ait;* Syrus, *et venit et dixit.* Martha non laboris pertæsa, sed cùm non sufficeret omnibus obeundis, quæ ipsi apparanda videbantur, tandem venit eò ubi docebat Dominus, et astans interpellansque sermonem ejus, dixit ei, propositâ tanquàm coram judice de sorore querelâ:

Domine. Magna erat harum sororum erga Jesum reverentia.

Non est tibi curæ. Non incusat Jesum, quod quidam adnotant, sed excitat ad suî respectum; q. d.: Non te miseret meî, oppressæ negotiis? non dubito quin ita. Sciebat Martha quòd Jesus non teneretur id curare; sed confidenter loquitur, fiduciam ei suggerente, tum labore pro Jesu assumpto, tum humanitate Jesu.

Solam ministrare, ut sola ministrem, ut sola ap-

serm. 26 de Verbis Domini, notat, nempe cum quiete, attentione, diligentiâ, assiduitate, quæ per sessionem innuuntur. Secus, seu juxta, pedes, prout et Paulus *juxta pedes Gamalielis*, eruditus fuit, nam iste habitus est discipulæ, humilitatem et reverentiam erga docentem declarantis. Unde Augustinus ibidem: Quantò humiliùs ad pedes sedebat, tantò ampliùs capiebat: confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis. Audiebat verbum illius, loquentis de regno Dei, simul ac domum ingressus fuit, ne quid temporis sine fructu laberetur.

Vers. 40. — Martha autem satagebat, Græcè, distrahebatur, circa frequens ministerium, id est, sollicita erat in variis ministeriis ad convivium et ad obsequium Christi ac discipulorum ejus pertinentibus, ne quid talibus hospitibus deesset. Quæ stetit, nempe tandem vel lassata, ut Basil. in Const. monast. c. 2, vel obeundis ministeriis omnibus non sufficiens, et interpellans Dominum concionantem ait: Domine non est tibi curæ, per temetipsum: verba videntur subaccusantis incuriam, vel certè excitantis ad respectum sui: Quod soror mea reliquit me solam ministrare, in apparandis convivio necessariis: Dic

parem quæ ad prandium necessaria sunt. Videbatur ei à ratione alienum, quòd Maria ipsam desereret, nec ob Christi honorem et hospitum multitudinem sorori suam operam offerret. Accusat itaque sororem.

ERGO, si tibi curæ sum, de quo non dubito, DIC, jube. Non jubet ipsa aut rogat sororem, partim quia sciebat eam sacræ doctrinæ ita addictam, ut nisi jubente Jesu non posset avelli; partim quia cùm sedere ad pedes Jesu docentis videretur, nixa permissu et auctoritate Jesu, non deceret ut, præterito Jesu, citra veniam Jesu, ipsa sororem ab audiendo Jesu avocaret. Quare Euthymius, *dic*, inquit, *tanquàm præceptor*.

UT ME ADJUVET, ut mihi vicissim opituletur, *ut unà mecum ministerio manum admoveat*, ait Euthymius; est enim metaphora ab oneribus sumpta quæ utrinque admotis manibus sublevantur. *Adjuvet* autem, non in inferioribus ministeriis obeundis, quæ per ancillas fiebant, sed in curâ gerendâ; cùm enim ipsa sola non sufficeret omnibus intendere, vult sororem obire partem curæ. Mota, quod diximus, pio erga Dominum Jesum affectu, cupiebat sumptuosum convivium et multis abundans ferculis, lautè et mundè parare: id autem curam affert et sollicitudinem, exercetque totam domum, ita ut domesticorum nullus subtrahere se possit et gravioribus occupari. Cupit ergo Martha, ut surgat Maria, et relicto ad tempus studio audiendi divina, secum incumbat eis quæ inpræsentiarum judicat necessaria: non quòd præferat administrationem familiarem studio verbi, sed quòd hoc tempore judicet magis necessariam, arbitrata judicium Jesu suo consonum fore.

VERS. 41. — RESPONDENS. Maria *causam suam judici maluit committere, nec in respondendo voluit laborare*, ait Augustinus, sermone 26, quod sæpè aliàs faciens, semper Jesum patronum sensit, sup. 7, v. 40; Matth. 26, v. 10; id enim meruit suâ taciturnitate, quam ex historiâ evangelicâ licet observare, quæ proprietas, eos decet, qui contemplationis rerum divinarum studium profitentur.

MARTHA, MARTHA. *Repetitio nominis, est indicium dilectionis, aut fortè movendæ intentionis, ut audiret attentiùs;* verba sunt D. Augustini, serm. 26 de Verbis Domini; et conjungenda est utraque causa.

TURBARIS, quidam vertunt tumultuaris. Sed *tumultus hoc loco, distractio est et turbatio*, ait Euthymius. Turbatio autem fuit, non reprehensibilis et immoderata, sed qualis consequi solet sollicitudinem de rebus pluribus uno tempore curandis.

ERGA PLURIMA, circa multa; varia enim parari jubebat genera ferculorum, et variam supellectilem disponebat, ut convivium exhiberet tanto hospite dignum. Revocat Jesus Martham à tantâ distractione, admonetque deponere sollicitudinem non necessariam, quia multis non sit opus, quod sequitur.

VERS. 42. — PORRO UNUM EST NECESSARIUM, uno autem est opus. Pericopen hanc multi ad sequentia referunt; nos cum aliis item multis, præcedentibus connectere malumus; præsertim cùm subsequens pericope, suam Græcè et Syriacè habeat conjunctionem adversativam. Rationem ergo addit Jesus, cur dehortetur Martham à multis tantâ curâ parandis, quia uno solo sit opus, quia unum ferculum, unum cibi genus, sufficiat, ad usum vitæ unicum sufficiat ferculum. Basilius, quæstione 20, inter fusiùs explicatas, citans hunc locum: *Paucis*, inquit, *vel uno est opus, paucis quidem ad apparatum videlicet, uno verò scopo ut necessitas expleatur.* Similiter Titus: *Non eâ de causâ hùc venimus, ut supervacaneis escis ventrem impleamus, natura enim paucis contenta est.* Denique Theophylactus: *Uno nobis opus est, nempe ut comedamus qualitercumque, non variis.* Non requirebat Jesus lautam et opiparam mensam, vulgari ac parabili cibo contentus erat, quæ ejus erat temperantia. Sed quamvis apparatio plurium necessaria non esset, neque Jesus illam requireret; non tamen ingratum fuit Jesu varium ministerium Marthæ, neque peccavit illa ob superfluum apparatum aut sollicitudinis excessum; quia licèt Jesus non requireret varium cibum, quippe non necessarium, rectè tamen Martha illum paravit et obtulit Jesu, ut suam erga Jesum fidem charitatemque declararet, et ostenderet quanti faceret Jesum, quem agnoscebat se pro dignitate excipere non posse, quantùmcumque conaretur accuratè. Multa in se ipsis considerata parvi aut nullius fiunt à Jesu: quæ tamen ex fide pioque affectu oblata, gratissima sunt: exemplo sit unguentum illud pretiosum, sub mortem Jesu à Mariâ Marthæ sorore in caput recumbentis effusum, Matth. 26, v. 7. In hanc sententiam scribit Augustinus, sermone 27 de Verbis Domini: « Putamus reprehensum esse ministerium Marthæ, quam cura hospitalitatis occupaverat, quæ ipsum Dominum hospitio receperat? quomodò rectè reprehendebatur quæ tanto hospite lætabatur? » In eamdem sententiam Ambrosius: « Nec Martha, inquit, in bono ministerio reprehenditur, sed Maria quòd meliorem partem sibi elegerit antefertur. » Sed et Cassianus, collat. 1, cap. 8: « Cùm laboraret Martha, piâ sollicitudine ac dispensatione distenta, solam se videns ad

ERGO ILLI, saltem à me admonitus, UT ME ADJUVET. Dici hoc vult à Domino, eò quòd se frustra id Mariæ dicturam existimaret, vel indecens videretur, eam à docente avellere citra veniam.

VERS. 41. — ET RESPONDENS DIXIT: MARTHA, MARTHA; quâ geminatione nominis compescit Martham, ac turbationem sedat, et tacitè subreprehendit; quanquàm August., serm. illo 26, repetitionem nominis velit esse indicium dilectionis, aut fortè, inquit, movendæ intentionis, ut audiret attentiùs. SOLLICITA ES ET TURBARIS ERGA PLURIMA; eâ turbatione quali consequi solet sollicitudinem de pluribus rebus uno tempore curandis.

VERS. 42. — PORRO UNUM EST NECESSARIUM. August. ad sequentia hoc referre solet, ut significetur contemplationem illius unius deitatis esse necessariam, quam opponit multis ministeriis hujus vitæ bonis quidem, sed carnalibus, quibus occupabatur Martha. Alii unum intelligunt illud quod Maria factitabat, scilicet audire verbum Dei; quod in idem ferè redit. Non incongruam tamen interpretationem dant plerique Græci, Titus, Theophyl. et inprimis Basil. in Reg.

« tantum ministerium non posse sufficere, adjutorium « sororis à Domino postulabat, dicens : *Non est tibi « curæ*, etc. ; utique non ad vile opus, sed ad laudabile eam ministerium provocabat. Et tamen quid « audit, » etc. Quid ergo est quòd Jesus vult Marthæ dictum, si nihil in eâ reprehendit ? facientem benè, admonet ut meliora sequatur, aut si non admonet ut sequatur, certè ponit ei meliora ob oculos, sororis quietem præferens ipsius occupationi, iis quæ sequuntur verbis : *Maria optimam partem*, etc. *Non opus reprehendit*, ait iterùm Augustinus, *sed munus distinxit* ; et Beda : *Ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur*. Quare non priùs quidquam Marthæ Jesus dixit, quàm illa conaretur sororem à studio divini verbi ad corporis ministerium abstrahere : quòd si illa animo ad varia apparanda distracto peccâsset, suâ illam Jesus sponte ejus rei admonuisset, et ut se sorori ad audiendum verbum jungeret, jussisset.

Maria. *Maria autem*, quomodò legitur Græcè et Syriacè. Conjunctio adversativa pericopen hanc à præcedenti separat, quemadmodùm paulò antè diximus.

Partem, functionem, studium, genus vitæ ; nimirùm, discendis et contemplandis rebus divinis incumbere : quâ phrasi legimus psalmi 118, v. 57 : *Portio mea, Domine, custodire legem tuam*. Atque omninò frequens est in sacris Litteris, ut quod alicui obtigit continuè possidendum, agendum, tolerandum, electione, sorte aut merito pars ejus dicatur, metaphorâ sumptâ à partitione hæreditatis. Thren. 3, v. 24 : *Pars mea Dominus*. Job. 27, v. 13 : *Hæc est pars hominis impii*, etc. Psalmi 10 v. 7 : *Ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Psalmi 15 v. 5 : *Dominus pars hæreditatis meæ*.

Optimam, *illam bonam*, quod interpres plenissimè expressit, *optimam*. Et quia certum est hìc fieri comparationem, conferrique inter se functionem Mariæ et functionem Marthæ, hoc enim veteres omnes intelligunt ; hinc fit, ut D. Augustinus, sermone 26 et 27 de Verbis Domini, Ambrosius in Commentario, et Cassianus collationis primæ capite 8, non solùm intelligant, verùm etiam aliquoties legant, *meliorem*. Ambrosii verba mox dedimus. Augustini sunt : *Non tu malam, sed illa meliorem*. Cassiani hæc : « Cùm « Martha sancto utique ministerio deserviret, utpote « quæ ipsi Domino ejusque discipulis ministraret, et « Maria spiritali tantummodò intenta doctrinæ, Jesu « pedibus inhæreret, præfertur tamen à Domino, quòd « meliorem elegerit partem. » Confert igitur inter se Christus, partem Mariæ et partem Marthæ, ut pudere debeat Calvinum, qui negat ullam hìc fieri comparationem : nam et partis nomen nonne ad aliquid est ? et nonne quæstio hìc et inter Martham et Mariam, utrùm Maria, relictâ suâ parte, transire debeat ad partem Marthæ, necne? Quare iterùm Cassianus illo loco : « Nam cùm dicit : Maria bonam partem elegit, « licèt taceat de Marthâ, et nequaquàm eam vituperare videatur, illam tamen laudans, hanc inferiorem « esse pronuntiat. » In eumdem sensum interpretantur Græci, Titus, Theophylactus, Euthymius, ut Marthæ quidem virtus magna et bona, Mariæ autem major et excellentior fuerit ; ex quibus Euthymii verba sunt : « Bonam partem dixit, non quòd altera mala sit, sed « bonam hìc appellat eam quæ melior est. Potest « enim fieri, ut duorum bonorum, unum altero melius sit. » Sed ecquænam est pars illa optima Mariæ ? Sedere ad pedes Jesu et audire verbum ejus, discendis et contemplandis rebus divinis incumbere (quod diximus), Deo vacare, et posthabitis iis quæ corporis sunt, totum in iis esse quæ sunt animi. Hæc est pars optima, pars, inquam, est, eorum qui eam elegerint sibi in hâc vitâ sectandam, quibus decretum est huic præcipuè rei in hâc mortali vitâ incumbere. Nam qui aliquando duntaxat id faciat, is non habeat hoc sibi pro parte. Quam ob rem sequitur hìc verbum, *elegit*.

Elegit, quo significatur Mariam Magdalenam, non solùm nunc intentam esse Dei verbo, verùm etiam id præcipuè functionis sibi delegisse in vitâ obeundum. Atque hæc est pars optima, id est, longè melior eâ ad quam Martha Mariam conabatur attrahere, curare, inquam, ea quæ facerent ad reficienda corpora Jesu ejusque discipulorum, melior hospitalitate et corporali pauperum curâ, quantò spiritale præstat corporali, et cibus mentis cibo ventris. *Per alterum enim corpus pascitur, per alterum anima vivificatur*, ait Theophylactus. « Bonum est hospitalem esse, « inquit Euthymius, verùm melius Deo assidere : illud « enim corporale est, hoc autem spirituale. » « Maria, « inquit Chrysostomus, non ministrabat, sed discipula « hìc etiam erat, et spiritalibus magis afficiebatur ; « neque enim ministrabat tanquàm vocata, neque « communi vacabat ministerio, sed soli Jesu honorem « impendit, neque tanquàm homini adest, sed tanquàm Deo. » Hanc autem partem minùs bonam, an sibi præcipuè in vitâ sectandam elegerit Martha, non expressè dicit Jesus ; possit enim intelligi, Mariæ pars melior dici eâ cui Martha inpræsentiarum incumbit : videtur tamen id insinuare, præsertim cùm et postea disertè de Marthâ legamus quòd accumbente Jesu ministraverit, Joan. 12, v. 2 ; ita ut videatur hæc ejus fuisse propensio adeòque vocatio, sacris piisque functionibus, sed corporalibus atque exterioribus

fusiùs disputatis, quæst. 20, juxta quam Christus significet unum esse necessarium, ut scilicet necessitati corporis fiat satis, ad quod paucis vel uno opus est cibo, quia natura paucis contenta ; ut ita unum tacitè opponatur pluribus ferculorum generibus, quibus Martha parandis intenta erat. Maria optimam partem elegit ; Græcè, *bonam*, sed cum articulo emphasin significante, q. d., illam bonam seu excellenter bonam, quod noster *optimam* dixit et consequenter meliorem quàm Martha, sicut legit August. Itaque non opus Marthæ reprehendit, sed partem, id est functionem, studium, genusque vitæ Mariæ prætulit. Non tu malam, inquit August., serm. 27 de Verbis Dom., sed illa meliorem. Pars autem illa est sedere ad pedes Jesu, et audire verbum ejus, hoc est, discendis et contemplandis rebus divinis incumbere, quod

vacare. *Unusquisque enim proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic;* 1 Cor. 7, v. 7. Præfert ergo Jesus functionem Mariæ functioni Marthæ, et otium illius hujus negotio, malens, attentè, cæteris postpositis rebus, audiri, quàm lautis cibis tractari; quasi dicat: Non est quòd queraris de sorore, quòd te solam relinquat ministrare, quasi minùs benefaciat in eo, quòd tecum non curet ea quæ ad corporis mei refectionem faciant: scito optimam partem ab ipsâ electam. Ministerium tuum bonum est quidem et mihi gratum; sed quod illa agit, melius est, mihique gratius. Judicium longè ab humano diversum. Dicerent homines Martham pro Christo laborare, nimirùm prandium Christo esurienti parare; Mariam verò, Christo neglecto, sibi vacare et quieti suæ. Atqui testatur Dominus, functionem Mariæ, cui non usque adeò curæ erat quali convivio Dominus exciperetur, meliorem esse sibique gratiorem, gratius sibi esse eorum studium qui avidi sunt ad audiendum verbum Dei, quàm eorum qui solliciti sunt ut ipsum corporaliter pascant; scilicet ab illis quàm ab his, suaviùs se refici et ampliùs honorari.

QUÆ proinde NON AUFERETUR AB EA, quæ cùm sit optima, et melior tuâ, non auferetur ab eâ, ut ad tuam transeat; *non auferetur*, me auctore, neque nunc neque in secula. Addicat se audiendo et meditando verbo Dei rebusque cœlestibus, quantùm velit et possit hâc in mortali vitâ (ubi interdùm servire oportet corporis necessitati); ego nunquàm ei præcipiam, ut hâc functione relictâ, transeat in partem sollicitudinis tuæ, parantis mihi convivium splendidum; nunquàm jubebo, ut spiritali hâc functione intermissâ, te adjuvet in his rebus externis minùsque necessariis; quòd si etiam necessariæ sint, erunt alii qui eis incumbent. Nec enim id quod est melius et perfectius, dimittendum est ob id quod minùs bonum minùsque perfectum est. Imò si perseveret tua soror, totam vitam divinarum rerum contemplationi impendere, ne vitâ quidem hâc finiente auferetur ab eâ hoc studium, vel me vel quovis alio faciente, quin potiùs augebitur et perficietur. Tuum ministerium locum non habebit in æternâ vitâ; hæc sororis tuæ functio poterit esse æterna. « In hâc vitâ « augetur, in aliâ vitâ perficietur, nunquàm auferetur, « ait Augustinus, serm. 26 de Verbis Domini: à te « auferetur aliquando onus necessitatis; æterna est « dulcedo veritatis. » « Activa enim vita, inquit Beda, « cum corpore deficit: contemplativa autem hìc inci« pit, ut in cœlesti *patriâ* perficiatur. » Cùm ergo Maria suaviter audiret verbum dulcissimum, et corde intentissimo pasceretur; interpellato Domino à sorore suâ, quomodò putamus eam timuisse, ne diceret ei Dominus: Surge et adjuva sororem tuam? Mirâ enim suavitate tenebatur, quæ profectò major est mentis quàm ventris. Excusata est, sedit securior: ipse enim ejus factus est advocatus, qui judex fuerat interpellatus. Notum est cujus utar verbis. Postremò monent rectissimè hìc plerique omnes catholici tractatores, in his duabus sororibus figuratam à Domino duplicem vitam bonam, seu duplex genus vitæ bonæ futuræ in suâ Ecclesiâ; secundùm tropologiam quidem, activam vitam et contemplativam; juxta anagogen verò, præsentem et futuram (nec enim exstat in hâc mortali vitâ, vita purè contemplativa), Marthâ quidem activæ et præsentis, Mariâ verò contemplativæ et futuræ, typum exprimente: de quibus latè Augustinus, illis jam sæpè laudatis sermonibus de Verbis Domini.

Maria elegerat, id est, toto vitæ studio tanquàm partem seu sortem sibi propriam sectandam ceperat, sicut è contrario Martha officia pietatis corporalia, de quo etiam Joan. 12, v. 2. QUÆ NON AUFERETUR AB EA, neque in hâc vitâ, neque in futurâ. Auferetur enim aliquando onus necessitatis, seu corporalis hospitalitatis; æterna est dulcedo veritatis, inquit August. Per hoc ergo Dominus dat rationem cur melior sit pars Mariæ, sicut et Apostolus charitatem dicit esse majorem fide, et spe, eò quòd his transeuntibus illa maneat in æternum. Hoc ergo signum est corporalia exercitia non per se intendi à Deo, sed ut media, per quæ ad optimam partem, hoc est, ad scientiam charitatemque veritatis veniatur. Notant autem plerique Patres, et inprimis August., serm. 26 et 27 de Verbis Dom., duas vitas in his mulieribus figurari, tropologicè quidem activam et contemplativam, anagogicè verò præsentem et futuram, laboriosam et quietam, ærumnosam et beatam, temporalem et æternam. Vide August. latiùs.

CAPUT XI.

1. Et factum est, cùm esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos.

2. Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum;

3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè;

4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis; et ne nos inducas in tentationem.

5. Et ait ad illos: Quis vestrûm habebit amicum, et ibit ad illum mediâ nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,

6. Quoniam amicus meus venit de viâ ad me, et non habeo quod ponam ante illum;

CHAPITRE XI.

1. Un jour, comme il était en prière en un certain lieu, après qu'il eut cessé de prier, un de ses disciples lui dit: Seigneur, apprenez-nous à prier comme Jean l'a appris à ses disciples.

2. Et il leur dit: Lorsque vous prierez, dites: Notre Père, que votre nom soit sanctifié; que votre règne arrive;

3. Donnez-nous aujourd'hui notre pain de chaque jour;

4. Et remettez-nous nos offenses, car nous remettons aussi nous-mêmes à tous ceux qui nous sont redevables; et ne nous abandonnez point à la tentation.

5. Il leur dit encore: Si quelqu'un d'entre vous avait un ami, qu'il allât trouver au milieu de la nuit, et auquel il dît: Mon ami, prêtez-moi trois pains,

6. Parce qu'un de mes amis, qui est en voyage, vient d'arriver chez moi, et je n'ai rien à lui donner;

7. Et ille deintùs respondens, dicat : Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili : non possum surgere, et dare tibi.

8. Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, et si non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.

9. Et ego dico vobis : Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.

10. Omnis enim qui petit, accipit ; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur.

11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem : numquid pro pisce serpentem dabit illi ?

12. Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?

13. Si ergo vos cùm sitis mali, nôstis bona data dare filiis vestris : quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?

14. Et erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum ; et cùm ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.

15. Quidam autem ex eis dixerunt : in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

16. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.

17. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

18. Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodò stabit regnum ejus ? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.

19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideò ipsi judices vestri erunt.

20. Porrò si in digito Dei ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei.

21. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

22. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

23. Qui non est mecum, contra me est : et qui non colligit mecum, dispergit.

24. Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem : et non inveniens, dicit : Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et cùm venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam.

26. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se; et ingressi, habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

27. Factum est autem cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.

28. At ille dixit : Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

7. Et que cet homme lui répondît de dedans sa maison : Ne m'importunez point ; ma porte est déjà fermée, et mes enfants sont couchés aussi bien que moi ; je ne puis me lever pour vous en donner :

8. Si néanmoins l'autre persévérait à frapper, quand celui-ci ne se lèverait pas pour lui en donner à cause qu'il est son ami, je vous assure qu'il se leverait à cause de son importunité, et lui en donnerait autant qu'il en aurait besoin.

9. Je vous dis de même : Demandez, et il vous sera donné ; cherchez, et vous trouverez ; frappez, et on vous ouvrira.

10. Car quiconque demande reçoit ; et qui cherche, trouve ; et on ouvrira à celui qui frappe.

11. En effet, qui est le père parmi vous qui donnât à son fils une pierre, lorsqu'il lui demanderait du pain, ou qui lui donnât un serpent, lorsqu'il lui demanderait un poisson,

12. Ou qui lui donnât un scorpion, lorsqu'il lui demanderait un œuf?

13. Si donc vous autres, tout méchans que vous êtes, vous savez néanmoins donner de bonnes choses à vos enfants, a combien plus forte raison votre Père, qui est dans le ciel, donnera-t-il le bon esprit à ceux qui le lui demandent !

14. Et Jésus chassa un démon qui était muet; et le démon étant sorti, le muet parla, et tout le peuple fut ravi en admiration.

15. Mais quelques-uns d'entre eux dirent : C'est par Béelzébub, prince des démons, qu'il chasse les démons.

16. Et d'autres pour le tenter, lui demandaient un prodige dans l'air.

17. Mais Jésus connaissant leurs pensées, leur dit : Tout royaume divisé contre lui-même sera détruit, et toute maison divisée contre elle-même tombera en ruine.

18. Si donc Satan est divisé contre lui-même, comment son règne subsistera-t il? Cependant vous dites que c'est par Beelzébub que je chasse les démons.

19. Or, si c'est par Béelzébub que je chasse les démons, par qui vos enfants les chassent-ils? C'est pourquoi ils seront eux-mêmes vos juges.

20. Mais si c'est par le doigt de Dieu que je chasse les démons, assurément le royaume de Dieu est venu jusqu'à vous.

21. Lorsque le fort armé garde sa maison, tout ce qu'il possède est en sûreté.

22. Mais s'il en survient un autre plus fort que lui, qui le surmonte, il lui enlèvera toutes ses armes dans lesquelles il mettait sa confiance, et il partagera ses dépouilles.

23. Celui qui n'est point avec moi est contre moi, et celui qui ne recueille point avec moi, dissipe.

24. Lorsqu'un esprit immonde est sorti d'un homme, il s'en va par des lieux arides, cherchant du repos ; et comme il n'en trouve point, il dit : Je retournerai dans ma maison d'où je suis sorti.

25. Et y venant, il la trouve nettoyée et parée.

26. Alors il s'en va prendre avec lui sept autres esprits plus méchants que lui ; et entrant dans cette maison, ils en font leur demeure, et le dernier état de cet homme devient pire que le premier.

27. Lorsqu'il disait ces choses, une femme élevant sa voix du milieu du peuple, lui dit : Heureux le ventre qui vous a porté, et les mamelles que vous avez sucées.

28. Jésus lui dit : Mais plutôt heureux sont ceux qui écoutent la parole de Dieu, et qui la pratiquent.

29. Turbis autem concurrentibus, cœpit dicere : Generatio hæc, generatio nequam est; signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.

30. Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis; ita erit et Filius hominis generationi isti.

31. Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis : et ecce plus quàm Salomon hìc.

32. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hâc, et condemnabunt illam; quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ; et ecce plus quàm Jonas hìc.

33. Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio : sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.

34. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, corpus totum lucidum erit : si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

35. Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.

36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

37. Et cùm loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se; et ingressus, recubuit.

38. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.

39. Et ait Dominus ad illum : Nunc vos, Pharisæi, quod deforìs est calicis et catini, mundatis : quod autem intùs est vestrûm, plenum est rapinâ et iniquitate.

40. Stulti, nonne qui fecit quod deforìs est, etiam id quod deintùs est, fecit?

41. Verùmtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis.

42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis judicium et charitatem Dei : hæc autem oportuit facere, et illa non omittere.

43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro.

44. Væ vobis, quia estis ut monumenta quæ non apparent, et homines ambulantes supra nesciunt.

45. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi : Magister, hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis.

46. At ille ait : Et vobis legisperitis væ : quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas.

47. Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum : patres autem vestri occiderunt illos.

48. Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum : quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra.

49. Propterea et sapientia Dei dixit : Mittam ad illos prophetas et apostolos, et ex illis occident, et persequentur :

29. Et comme le peuple s'amassait en foule, il commença de dire : Cette race est une race méchante : ils demandent un signe; et il ne leur en sera point donné d'autre que celui du prophète Jonas.

30. Car comme Jonas fut un signe pour ceux de Ninive, ainsi le Fils de l'homme sera pour cette nation.

31. La reine du Midi s'élèvera au jour du jugement contre les hommes de cette nation, et les condamnera, parce qu'elle est venue des extrémités de la terre, pour entendre la sagesse de Salomon; et cependant il y a ici plus que Salomon.

32. Les Ninivites s'élèveront au jour du jugement contre ce peuple, et le condamneront, parce qu'ils ont fait pénitence à la prédication de Jonas; et cependant il y a ici plus que Jonas.

33. On n'allume point une lampe pour la mettre dans un lieu caché, ou sous un boisseau, mais on la met sur le chandelier, afin que ceux qui entrent voient sa lumière.

34. Votre œil est la lampe de votre corps : si votre œil est net, tout votre corps sera éclairé; et s'il est mauvais, votre corps sera dans les ténèbres.

35. Prenez donc garde que la lumière qui est en vous ne soit elle-même que ténèbres.

36. Si donc tout votre corps est éclairé sans avoir aucune partie ténébreuse, il sera entièrement éclairé, comme lorsqu'une lampe vous éclaire par sa lumière.

37. Pendant qu'il parlait, un pharisien le pria de dîner chez lui. Il y entra : et s'étant mis à table,

38. Le pharisien commença de dire en lui-même : Pourquoi ne s'est-il point lavé avant le dîner?

39. Mais le Seigneur lui dit : Vous autres Pharisiens, vous avez soin de nettoyer le dehors de la coupe et du plat; mais le dedans de vos cœurs est plein de rapines et d'iniquités.

40. Insensés que vous êtes, celui qui a fait le dehors n'a-t-il pas fait aussi le dedans?

41. Néanmoins donnez l'aumône de ce que vous avez; et toutes choses seront pures pour vous.

42. Mais malheur à vous, pharisiens, qui payez la dîme de la menthe, de la rue et de toutes les herbes, et qui négligez la justice et l'amour de Dieu. C'est là néanmoins ce qu'il fallait pratiquer, sans omettre ces autres choses.

43. Malheur à vous, pharisiens, qui aimez à avoir les premières places dans les synagogues, et à être salués dans les places publiques.

44. Malheur à vous qui ressemblez à des sépulcres qui ne paraissent point, et que les hommes qui marchent dessus ne connaissent point.

45. Alors un docteur de la loi prenant la parole, lui dit : Maître, en parlant ainsi, vous nous déshonorez aussi nous-mêmes.

46. Jésus lui dit : Malheur aussi à vous autres, docteurs de la loi, qui chargez les hommes de fardeaux qu'ils ne peuvent porter, et qui ne les touchez pas même du bout du doigt.

47. Malheur à vous qui bâtissez des tombeaux aux prophètes, et ce sont vos pères qui les ont tués.

48. Certainement vous témoignez assez que vous consentez à ce qu'ont fait vos pères, puisqu'ils ont tué les prophètes, et que vous leur bâtissez des tombeaux.

49. C'est pourquoi la Sagesse de Dieu a dit : Je leur enverrai des prophètes et des apôtres; et ils tueront les uns, et ils persécuteront les autres,

50. Ut inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione istâ,

51. A sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem. Ita, dico vobis, requiretur ab hâc generatione.

52. Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ : ipsi non introïstis, et eos qui introibant, prohibuistis.

53. Cùm autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi et legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis,

54. Insidiantes ei, et quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

50. Afin qu'on redemande à cette nation le sang de tous les prophètes, qui a été répandu depuis la création du monde,

51. Depuis le sang d'Abel, jusqu'au sang de Zacharie, qui a été tué entre le temple et l'autel. Oui, je vous déclare qu'on en demandera compte à cette nation.

52. Malheur à vous, docteurs de la loi, qui vous êtes saisis de la clé de la science, et qui n'y étant point entrés vous-mêmes, l'avez encore fermée à ceux qui voulaient y entrer.

53. Comme il leur parlait de la sorte, les pharisiens et les docteurs de la loi commencèrent à le presser fortement, et à l'accabler de plusieurs questions,

54. Lui tendant des piéges, et cherchant à tirer de sa bouche quelque chose qui leur donnât lieu de l'accuser.

COMMENTARIA.

Vers. 4. — Esset orans, Latinè *oraret.* Frequens est Christo oratio, tum ut humanam naturam suam in omni virtutum genere exerceat, tum ut nobis exemplum det frequenter cum Deo colloquendi, mentemque in cœlum subvehendi, discussis rerum terrenarum curis et phantasmatibus omnibus : quo nihil utilius est ad servandam vitæ sanctæ integritatem. Oravit autem Deum, si quidem pro se oravit, perseverantiam (plenus enim cæteroqui erat donis Spiritûs sancti) et corporis à morte gloriam, non ut dubius aut incertus, sed ut qui agnosceret Dei in se gratiam : nam potissimùm pro nobis oravit, quorum salutem in se receperat procurandam : oravit haud dubium inter cætera, ut, cùm turba de carnali regno cogitaret, peteret à Patre ea quæ ad spiritale regnum cœlorum in hominum animis confirmandum pertinerent. Cæterùm non petitionem tantùm complectitur oratio, sed et meditationem, laudem, gratiarumque actionem. Docuit autem exemplo suo, à prædicatione, ad vitandam gloriam vanam, secedendum esse doctori, et colligendam in Deum mentem, neque semper multitudini adhærendum, commendandum verò seorsùm Deo prædicati verbi profectum in auditoribus.

In quodam loco, in quem secesserat hunc in finem.

Ut cessavit. Syrus, *ut finivit.*

Unus, quidam. Putant aliqui fuisse ex septuaginta discipulis unum.

Doce nos. Frequenter nobis commendas orationem et verbo et exemplo ; *doce nos* igitur, qui divinarum rerum doctor es absolutissimus, orandi formam, et doctrinæ tuæ et professioni nostræ congruam, quæ Deo gratissima sit : quò, ut par est, ex tuo præscripto fiant à nobis discipulis tuis omnia.

Joannes, in cujus tu locum successisti.

Docuit, dùm viveret. Joannes quemadmodùm jejunia præscripserat discipulis suis, supra 5, v. 33 ; ita et composuerat, ex præceptis suæ de pœnitentiâ instanteque regno cœlorum doctrinæ, opportunas precationes, quibus excitaret suorum animos in spem redemptionis per Christum promissæ, et præpararet ad excipiendam.

Vers. 2. — Et ait illis, scilicet respondens. Omnes alloquitur, rogaverat enim discipulus, non se solùm, sed omnes doceri.

Cum oratis, cùm vultis orare.

Dicite, hâc utimini formulâ, quæ ex sacris Scripturis petita, omnium expetendorum summam continet. Eamdem orandi formam hìc tradit, quam capite 6 Evangelii secundùm Matthæum. An igitur repetiverit Christus quam semel docuerat ? nihil video sequi incongruum si hoc dicatur. Sed utrùm priùs discipulos seorsùm, quod hìc dicitur, docuerit, postea verò in monte cum discipulis turbas, quod Matthæi 6 ; an contra, priùs in monte omnes docuerit, postea seorsùm inculcârit discipulis, res manet incerta. Fieri potuit ut discipulus iste rogator, vel

Vers. 1. — Cum esset in quodam loco orans, ut cessavit ; neque enim fuit ausus discipulus ille orantem interpellare, cùm oratio tanquàm colloquium cum Deo doctrinæ longè præferenda sit, nisi necessitas aliud postulet. Dixit unus : Domine, doce nos orare, præscriptâ, scilicet, certâ quâdam orationis formulâ. Quæ petitio congruentissima fuit auctoritate Augustini, tract. 7 in Joan. Qui enim habent causam, inquit, et volunt supplicare imperatori, quærunt aliquem jurisperitum, à quo sibi preces (id est, libellus supplex) componantur ; ne fortè si aliter petierint quàm oportet, non solùm non impetrent quod petunt, sed et pœnam pro beneficio mereantur. Itaque *doce nos orare*, id est : Jurisperite noster, assessor Dei, imò concessor, compone nobis preces, seu libellum supplicem, inquit ibidem August. Sicut docuit et Joannes discipulos suos. Ex quo constat Joannem aliquam certam et antè non usitatam orandi formulam suis tradidisse, ut et illi de proprio magistri sui instituto aliter Deum orarent, inquit Tertul., 4 contra Marcionem, c. 20. Religionis enim pars non infima est oratio, quam propterea etiam novam inferre solet, quisquis religionem innovaverit.

Vers. 2.—Cum oratis dicite. Eadem est hæc oratio, quantùm ad substantiam, cum eâ quam tradidit Matth. 6. Græcè etiam quantùm ad verba. Suppletur enim in singulis petitionibus non solùm id quod explicationis gratiâ apud Matth. additur, sed etiam supplentur petitiones duæ, quæ Latinè omittuntur. Verùm quia exemplaria Latina etiam antiquissima illis carent, verisimile est à nonnullis quamvis perperàm fuisse Græcè inserta, ne fortassis manca hæc oratio videretur. Quinque igitur tantùm sunt hìc petitiones, tertia verò et septima deficiunt, notat August. in Enchiridio,

non audierit sermonem in monte, vel orandi formam, inter plurima alia salutis documenta auditam, oblitus fuerit. Quidquid sit, nihil mirum, si Christus, non bis, sed sæpiùs, hanc exactissimam orandi formam repetierit, cujus voluit inter suos usum esse quotidianum.

Pater. Græcè et Syriacè additur, *noster qui es in cœlis;* quemadmodùm etiam mox : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terrâ.* Latinus interpres qui hæc Græcè non legit, videtur verioribus codicibus usus; cui suffragatur D. Augustinus Enchiridii capite 116, dùm declarat Lucam Evangelistam, in Oratione Dominicâ, petitiones, non septem, ut Matthæus, sed quinque complexum esse. Fit enim verisimile, à notariis aliquibus fuisse hæc Lucæ adjecta, ne Oratio Dominica à Lucâ scripta, manca appareret, dùm non per omnia respondet, sive ei quæ à Matthæo scribitur, sive ei quæ à fidelibus vivâ voce accepta quotidiè recitatur. Atqui non curavit Christus, dùm hanc orandi formam repetivit, eadem semper verba numerare : non enim tam verbis suos astringere voluit quàm docere, quid, quâ ratione, et quibus affectibus, orandum esset. Et quanquàm formulam explicatissimam exactissimamque tunc dictavit, quando secundùm Matthæum discipulos simul et populos in monte docuit, quam proinde etiam meritò sequitur fidelium usus; non tamen necessariò opus fuit omnibus ac singulis articulis tunc additis, cùm quidam in quibusdam possent contineri, et alii ex aliis intelligi. Inprimis enim quod ad voculam *noster,* illa satis intelligitur, cùm in progressu ubique usus est similis pronominis : *Panem nostrum,* etc. Porrò, *qui es in cœlis,* non potest non occurrere oraturo, qui modò cogitet quîcum loqui parat. Jam verò *fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terrâ,* tam facilè intelligi potest ex præcedentibus quàm abundè illìc contineri ; nec enim sanctificatur à nobis nomen Patris, nisi fiat à nobis voluntas ejus; neque desiderat regnare Patrem in cœlo et in terrâ, qui non ardentissimè desiderat ejus fieri voluntatem in cœlo et in terrâ. Quare ut disceremus in oratione, non tam de verbis esse solliciti quàm de rebus ; nec tam de voce quàm de spiritu ac mente, non eisdem semper verbis Salvator tradidit orandi formam, etiam eam quam voluit nobis esse quotidianam.

Pater. Nullum elogium, quo Dei bonitas commendetur, ita convenit oraturis, ut elogium Patris : *Quanquàm hoc nominis nemo nostrûm in oratione auderet attingere,* Cyprianus ait, *nisi dignationis ejus et bonitatis ubertas id permisisset.* Hoc enim elogium, ut omnia complectitur Dei erga nos beneficia, creationem, conservationem, redemptionem, peccatorum veniam, pœnarum interitum, justificationem, sanctificationem, filiorum adoptionem, hæreditatem Dei, fraternitatem cum Unigenito copulatam, sancti Spiritûs dona largissima, denique glorificationem vitæ æternùm beatæ (verè enim hæc Patris sunt beneficia, imò multò plus quàm Patris : nam, cùm Dei erga nos charitas beneficentiaque, in immensum excedat cujusvis patris erga filium, idcircò duntaxat Patris nomen in usu est, cùm de Dei in nos bonitate est sermo, quòd aliud non sit apud homines quo major veriorque exprimi charitas queat)ac proinde oraturi animus ut amore Dei flagret valet efficere (et quid sit bonis filiis charius patre?), ita et maximam addit impetrandi fiduciam (quid enim neget filiis justa petentibus pater?), et insigni curâ animum afficit, ne qui Deo dicit *Pater,* eo Patre inveniatur indignus, quin potius par gratiæ præstet et studium. Judæus, ut sub lege servus, doctus erat Deum in oratione Dominum appellare : Christianus spiritu adoptionis donatus, clamat : *Abba Pater,* Gal. 4, v. 6. *Meminisse itaque,* ait Cyprianus, *et scire debemus quia quando Patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut quomodò nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat et ille de nobis* filiis. Alloquimur porrò Patrem Salvatoris nostri Jesu Christi; quem consuevit ille et suum et nostrum Patrem vocare, ad eumque referre omnia ; sed oramus nihilominùs et Salvatorem ipsum, et Spiritum sanctum, quippe qui sciamus eos unà facere ac donare quidquid facit ac donat Pater. Nam et sic in sacrificio, solum Patrem alloquimur, toti tamen Trinitati sacrificamus : tres enim personæ, sunt unus Pater noster, unus exauditor, unus gratiarum largitor.

Sanctificetur nomen tuum. Hæc prima petitio est, digna prorsùs eo qui Deum Patrem appellavit, quippe qui, ut ingenuus filius, pro nullâ re priùs, quàm pro patris gloriâ, quam solam ei optare potest, supplicet : omnia verò reliqua, secundo loco ducat, infraque honorem et gloriam ipsius numeret. Sciamus ergo oportet, tunc nos demùm ad ritè precandum fore comparatos, si non tantùm de nobis et nostrâ utilitate erimus solliciti, sed priorem locum Dei gloriæ dabimus; neque satis nos magno divinæ gloriæ studio flagrare, nisi nostrî quodammodò obliti, illi ante omnia operam demus : est enim nimis præposterum, curare tantùm quæ nostra sunt, majestatem autem Dei, quæ omnibus aliis curis suo merito longè præferenda est, negligere. Porrò, nomen Dei hìc intelligitur, Deus ipse ut inter homines nominatur, ut inter homines cognoscitur. Cognoscitur autem et nominatur ab operibus et virtutibus suis, nempe, potentiâ, sapientiâ,

cap. 116, quia septima in sextâ utcumque comprehenditur, sicut et tertia in primâ et secundâ. Nam nomen Patris à nobis sanctificari non potest, neque regnum ejus seriò optari, nisi velimus fieri voluntatem ejus : et à præcipuo malo liberatur, qui remissis debitis in tentationem nullam inducitur, cui liberatio à reliquis malis suo tempore velut merces dabitur. Itaque, ut disceremus in oratione non tam de verbis quàm de rebus esse anxii, ac de spiritu orationis, diversis verbis orationem tradidit, quam fidelibus quotidianam esse voluit. Nam circumstantiarum et apud Matth. tanta diversitas est ut videatur Christus illas orandi formulas diverso tempore tradidisse, utram priùs non constat. Hæc oratio omnia omninò petenda complectitur, ut Cyprian., lib. de Orat. Dominicâ. Ut idcircò Tertull., lib. de Orat. c. 1, vocaverit *totius Evangelii breviarium.* Hinc August., epist. cit., c. 12 : Liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tamen orando, dicere, sed non debet esse liberum alia dicere. Deinde, quantùm ad ordinem petendi, ordine pulcherrimo id quod supremum in affectu hominum esse debet, hoc præcedit, inferiora sequuntur. Denique nulla in eo bat-

justitiâ, misericordiâ, veritate. Hanc ergo majestatem, his in virtutibus refulgentem, hujusmodi operibus nobilem, sanctificari petimus : non ipsam in se sanctam fieri, cujus absolutissimæ sanctitati nihil aut accedere aut decedere potest; verùm ut ab omnibus sancta habeatur, sancta prædicetur et sanctè colatur, id est, ab omnibus agnoscatur, ab omnibus laudetur, magnificetur, celebretur, glorificetur, omnisque ei honor habeatur. Porrò hoc fit, si qui à Dei cognitione et cultu, à verâ fide et religione, alieni sunt, Judæi et gentiles convertantur, hæretici revertantur; si fideles, qui populus sunt Dei, vitam ducant integram et inculpatam ; si bonis operibus luceant et virtutibus proficiant; si studiosi sint laudis et gloriæ Dei, sua omnia eò instituentes, bona omnia ipsi ascribentes; si ei ut veraci credant, in eo ut potenti et largo sperent, ut justum timeant, ut bonum diligant, si recta et sancta habeant ac censeant omnia opera ejus; si linguâ majestatem ejus prædicent, et corde pio venerentur; nunquàm de ipso loquantur aut cogitent sine summâ veneratione offensionisque timore; denique, nihil habeant eo sanctius, augustius, magisque colendum et observandum. His ferè modis sanctificari contingit nomen Dei, cùm ab illis quorum hæc sunt, tum ab aliis qui hæc in illis observant, probant, laudant, imitantur. De illo, Isaias capite 8, v. 13: *Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester et ipse terror vester;* et Petrus prioris Epistolæ tertio capite, v. 15, Isaiam imitatus: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* De hoc, Matth. 5, v. 16, Salvator: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est;* et Apostolus Petrus prioris epistolæ secundo capite, v. 12: *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut* etc., *ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Cæterùm, his modis sanctificant homines nomen Dei : sanctificat autem et Deus ipse nomen suum, juxta quod loquuntur complura Scripturæ loca, Levit. 10, v. 3; Isa. 5, v. 16; Ezechiel. 20, v. 41, 42, et 38, v. 23, nimirùm, cùm, novis magnisque operibus, declarat hominibus, facitque ut agnoscant, misericordiam, justitiam, sanctitatem, majestatem ipsius; id quod etiam hâc petitione intelligendum est comprehensum; idcircò fortassis generaliter dictum est: *Sanctificetur nomen tuum;* ut intelligas : fac ut sanctificetur modis omnibus. Huic sanctificationi nominis Dei opponitur ejusdem nominis pollutio sive profanatio, cùm scilicet detrahitur sive majestati sive operibus ejus, vel minùs reverenter et honorificè quàm merentur ea homines suspiciunt. Id quod frequenter Scriptura tribuit vitæ non bonæ eorum qui se profitentur populum Dei. Isaiæ 52, v. 5; Ezech. 36, v. 20: *Et ingressi sunt ad gentes ad quas introierunt, et polluerunt nomen sanctum meum, cùm diceretur de eis: Populus Domini iste est, de terrâ ejus egressi sunt,* et cætera plura illic hanc in rem; item 43, v. 7, 8; denique Rom. 2, v. 23. Deus ipse quoque aliquando dicitur polluere nomen suum, nimirùm, cùm pollui ab improbis sinit, neque se ipse declarat: locum habes Ezech. 39, v. 7. Hæc à contrario deprecamur, cùm dicimus: *Sanctificetur nomen tuum.* Fit itaque manifestum, primâ hâc petitione, respicere nos quidem ante omnia in Dei gloriam; cæterùm ex consequenti et pro nobis ipsis ac fratribus, hominibus omnibus, orare, ut in nobis et per nos ea Deus operetur, per quæ nomen ejus sanctificetur; sunt autem ea quæ mox exposita sunt, cumprimis nobis necessaria et salutaria : quæ, quia ex nobis ipsis non valemus, sed ex Dei gratiâ; idcircò, ut Deus ea in nobis operetur, rogamus. Ergo, summa hujus petitionis est, ut Dei gloria in mundo reluceat, qualisque est inter homines noscatur et celebretur, atque ita ut meretur, colatur et honoretur. Observandum est autem gratiarum actionem hìc contineri. Nam, cùm Dei nomen ubique et semper sanctificari desideremus, omnium illi bonorum laudem tribui cupimus; itaque omnia illi accepta ferendo, quibus sanctus habeatur, ejus erga nos beneficia grati agnoscimus. Porrò, non hâc cum vitâ desinet sanctificatio nominis Dei, neque intrâ hujus vitæ terminos sese continet prima ista Dominicæ Orationis petitio; sanctificabitur ab electis nomen Dei in alterâ vitâ, tantò integriùs, quantò ab iniquitate et corruptione alieniores erunt : facilè enim dabunt gloriam ex omnibus Deo, quibus non erit ab iniquitate periculum ut sibi aliquid ascribant; imò verò, tum demùm sanctificabunt nomen Dei ita ut dignum est, quando non sanctificabunt nomen Dei auditum et creditum, sed Deum ipsum visum; quando non celebrabunt majestatem Dei in operibus suis et virtutibus refulgentem, sed ipsum in se coram fulgentem; quando fruentur aspectu ejus, videbuntque eum sicuti est, nec nominabitur eis ex eis quæ operatur et agit, sed ex eo quod est atque esse oculis cernitur. Tunc non aliquando sanctificabunt nomen Dei, sed hoc solum, perpetuum, atque æternum erit

tologia, sed brevitas incomparabilis, ut scilicet non agmine verborum, ut ibid. Tertull., Deum adeundum putemus, sicut ethnici faciebant.

Pater. Procemium est, non petitio, in quo latet divina quædam rhetorica ad conciliandam Dei benevolentiam : est enim appellatio extremæ bonitatis, pietatis, et potestatis, ut Tertull. supra. Nam *Pater* vocatur, tanquàm fons omnium beneficiorum, creationis, regenerationis et maximè adoptionis per baptismum, quæ comprehendunt omnia reliqua. Est enim hæc oratio renatorum propria, non Judæorum, at fidelium, ut notavit Tertull. et Cyprian., lib. de Orat. Dominicâ et August., serm. 48, de Diversis. Et quamvis Christus ferè soleat Patrem vocare primam personam, nihil tamen incommodi est, si enim tota Trinitas, utpote æqualiter omnium beneficiorum fons, intelligatur à nobis. Unde virtute est summæ laudis, atque dignationis Dei, summæ gratiarum actionis, et summæ fiduciæ compellatio. Quâ de causâ Cyprian. Hoc nomine, inquit, nemo nostrûm auderet attingere nisi dignationis ejus, et bonitatis ubertas id permisisset. Est enim hæc vox, *Pater,* novi Testamenti et amoris Dei propria, sicut, *Dominus,* Testamenti veteris et timoris. Unde simul his verbis et charitas erga Deum excitatur, quid enim charius filiis quàm pater, et supplex affectus, et impetrandi præsumptio, et cura,

illorum opus, ipsaque eorum beatitudo, perpetuò Dei nomen sanctificare, celebrare, laudare, et clamare cum Seraphim, Isa. 6, v. 3 : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth :* juxta illud Psalmographi psalmo 83, v. 5 : *Beati qui habitant in domo tuâ, in secula seculorum laudabunt te.* Qui enim vel ad momentum fruatur aspectu Dei, fieri non possit quin mox in laudem erumpat, atque extra se raptus suìque prorsùs oblitus in eo laudando sit totus; ejusmodi est illa suprema essentia. Jam qui perpetuò eâ fruuntur, non possunt non perpetuò illius occupari laude, cujus nunquàm satis capit admiratio : quin demersi in illam pulchritudinis abyssum, suîque obliti, in illius quasi vertuntur toti transmutanturque laudem, fiuntque nihil aliud quàm Dei mera laus. Hic finis est noster, ad quem creati et redempti sumus, *ut simus*, quomodo Apostolus loquitur Ephes. 1, v. 12, *in laudem gloriæ ipsius :* hunc flagitamus, primâ hâc Dominicæ Orationis petitione, ad summam Dei ex nobis gloriam, et summum nostrum ex Deo bonum.

Adveniat regnum tuum. Græcè est simplex *veniat ;* sed idem unus est sensus utriusque. Secunda Dominicæ Orationis petitio, quâ pergit liberaliter institutus filius patri precari honorem. Porrò, est regnum Dei generale, quo dominatur Deus toti universo, servans, auferens, ordinans, gubernans, singula pro arbitrio. Hoc cùm ab initio creaturæ perduret (*Regnum tuum regnum omnium seculorum,* ait Psalmus 144, v. 13, et *dominatio tua in omni generatione et generatione*), ac proinde optari non possit ut veniat id quod præsens est, non venit hoc loco intelligendum. Est aliud Dei regnum singulare, quo ipse in servis suis et servi ejus in ipso, hìc, adversùs communes hostes, carnem, mundum et diabolum, regnant, per fidem, divinorum mandatorum observationem, justitiam, pacem, et gaudium in Spiritu sancto, quæ Apostolus, Rom. 14, v. 17, vocat *regnum Dei.* Sed neque de isto regno hìc sermo est, partim quia et istud, præsens semper cùm adsit in aliquibus, non perinde convenienter optetur advenire; augeri potiùs et propagari; partim quia mox illud petitur. Est tertium Dei regnum, quod antonomasticè id nominis habet (ad quod secundum illud παρασκευαστικὸν præparatorium est), pacatum prorsùsque tranquillum, quo in sanctis suis absque alicujus hostis infestatione, Deus æternùm singulariter regnat : id quod mox à morte inchoatur in eorum spiritibus qui reatûs omnis expertes decedunt, perficiendum in electis omnibus à resurrectione. Mox enim à corporis morte aufertur sanctis illis spiritibus corruptio omnis ex humanâ tracta origine, augentur perfectâ scientiâ, donantur absolutâ charitate et justitiâ, honorantur aspectu faciei Dei et fruitione majestatis ejus, denique unus fiunt cum Deo spiritus, et deiformes divinique adeò, ut nihil in eis sit quod Dei non sit; quare verè regnat in eis Deus. Quod autem à morte animabus obtingit, id à resurrectione etiam corpora assequentur, ut nihil in eis restet quod Dei non sit, nulla peccati labes, nulla corruptio, nullum exterminii medicamentum, sed, unita suis jam ante beatis animabus, immortalia fiant, incorruptibilia, pura, gloriosa, et cœlesti naturæ proxima. Neque eorum tantùm corpora, quorum animæ reatûs omnis expertes ex vitâ hâc mortali excesserint, sed electorum omnium et corpora et animæ eo qui descriptus est felici statu in resurrectione donabuntur. Quare tunc Deus perfectè in sanctis suis regnabit, et singulis, et universis, quando, nihil in illis existente quod illius non sit, *erit ipse omnia in omnibus,* quo modo Apostolus loquitur, 1 Cor. 15, v. 28; ille enim demùm verè et perfectè aliquibus regnat, qui ita eos regit, ut totos adeò possideat, ut sit ipse in eis omnia, nihil ei in eis obsistat contrarium, nihil sit quod contranitatur. Hoc illud erit regnum Israel, de quo quærebant Act. 1, v. 6, discipuli : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* et de quo Christus ipse dicit : *Cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei,* Luc. 21, v. 31. De ipso hæc Dominicæ Orationis petitio intelligenda est. Itaque, dùm oramus ut adveniat regnum Dei, partim petimus ut in animabus nostris corpore exutis regnet Deus; præcipuè verò perfectum illud Dei à resurrectione regnum, quando erit ipse omnia in nobis omnibus, desideramus. Porrò aderit illud quidem statuto die, sed, ut honoris Patris nostri studiosi, qui tum demùm etiam perfectè sanctificabitur, desideramus et oramus ut citò illud ipse adducat; desiderando autem digni reddimur, qui in regni societatem à Patre assumamur, cujus ea ergà nos dignatio est, ut, per preces cæteraque virtutum opera, nos sibi velit, in regno illo parando condendoque, cooperarios esse. Huic regno Dei opponitur Satanæ regnum, seu tyrannis potiùs et confusio : *perdicis enim instar* (quod habet Jeremias cap. 17, v. 11), *fovet quæ non peperit, facit divitias, et non in judicio,* quosvis colligit, dissimillimos adeò adversantesque sibi mutuò. *Ipse princeps potestatis aeris hujus,* Ephes. 2, v. 2; *mundi rector tenebrarum harum,* Ephes. 6,

ne tanto Patre indigni simus; quæ notavit August. hìc.

Sanctificetur nomen tuum. Prima petitio et filiorum cura est gloria Patris. Nam nomen Dei est Deus ipse, qui nominatur, majestas et auctoritas ejus. Petimus ut illud sanctificetur, non quasi in seipso non sit semper sanctum, sed, inquit hic August., ut sanctum habeatur ab hominibus, hoc est, ut illis innotescat Deus; ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Fit hoc autem non solùm Deum cognoscendo, et voce celebrando, sed et vitæ integritate velut sanctum habendo. Sic enim è contrario nomen Dei blasphemari et pollui dicitur, cùm sine reverentiâ tractatur, et velut sordidum contemnitur sive vitâ sive voce. Suspensivâ autem enuntiatione non dicentes, sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus, inquit Tertull., hoc est, petimus illud, non à nobis vel christianis tantùm, sed in omnibus gentibus sanctificari, seu gloriam ejus in universo mundo clarescere et celebrari.

Adveniat regnum tuum; non illud, quo dominatur Deus universæ creaturæ : hoc enim habuit à constitutione mundi; nec aliud regnum spirituale, quo in cordibus credentium et sanctorum regnat in mundo, de quo Lucæ 17, dicitur : *Regnum Dei intra vos est :* nam hoc petitur petitione primâ, et ex parte etiam tertiâ;

v. 12; denique *hujus seculi Deus* 2 Cor. 4, v. 4, *excæcat mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, operatur in filios diffidentiæ, ut ambulent in desideriis carnis suæ, captivos tenet eos qui pereunt ad suam voluntatem,* 2 Tim. 2, v. 26, cæterosque quos captivos non tenet, oppugnat incessanter ut teneat, et complures quidem expugnat, alios verò plerosque omnes crebris afficit vulneribus, quippe cui confœderata sit indomita concupiscentia, domesticus singulorum hostis. Hoc Satanæ est regnum, quod hoc in mundo majori ex parte obtinet; hoc oramus à contrario ut destruatur, ut è medio auferatur, quando oramus : *Adveniat regnum tuum;* nisi enim deturbato penitùs prostratoque inimico regno, non erit Dei regnum suis omninò partibus absolutum. Id autem fiet, ubi advenerit regnum Dei. Diabolus et angeli ejus, et qui fuerint partis illius reprobi, universi destituendi sunt omni principatu, potestate et virtute, 1 Cor. 15, v. 24, neque tantùm non ampliùs Deum vel Dei populum oppugnaturi sunt, verùm redigentur etiam in scabellum pedum Dei, agnoscentque inviti ac genuflectent regno Dei; neque id satis, legibus regni Dei coercebuntur, *pœnas dantes in interitu æternas à facie Domini et à gloriâ virtutis ejus*, 2 Thess. 1, v. 9. Ita igitur oramus, ut aboleatur Satanæ regnum, et teneat solum Dei regnum, Patris nostri. Dùm autem hunc in modum, honori patris nostri studemus, nobis ipsis maximè prospicimus. Nam, præterquàm quòd filii paternorum bonorum sunt hæredes, meritòque existimant sibi accrescere quidquid auctoritatis et dignitatis accrescit patri; Deum regnare, quod precamur, est Deum nobis seu in nobis regnare, in nobis autem regnare Deum, est, quod diximus, à Deo nos possideri, Deum esse in nobis omnia, plenos nos esse bonorum Dei, deiformes et divinos esse totos : quo quid optemus, aut melius, aut amplius? Huic autem conjunctum est, ut et ipsi cum Deo regnemus, dùm bonorum omnium copiâ affluimus, animæ vires pro arbitrio regimus, corpus solâ vi spiritûs vivificamus, Deo (quod naturæ nostræ ratio exigit) integrè subsumus, bonos omnes amicos habemus, malos inimicos sub pedibus. Porrò, quia regnum istud Dei ac nostrum, non aderit, nisi dùm venerit Dominus noster Jesus Christus, ad judicandum vivos et mortuos, et reddendum unicuique juxta opera sua; ideò, dùm regnum Dei advenire oramus, oramus simul advenire secundum Christi ad judicium adventum. Itaque, sicut ante Christi primum adventum, in omnium sanctorum votis hoc erat, ut Christus veniret in carnem, et homo factus hominum salutem operaretur; sic, postquàm illam operatus, ascendit in cœlum, omnium vota in hoc sunt, ut ad judicium redeat (Aug. conc. 20 in Psalm. 118), flagrantissimo desiderio *exspectantium beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi*, Rom. 8, v. 23, Tit. 2, v. 13; nimirùm dùm hoc orant: *Adveniat regnum tuum;* omnium enim sanctorum quotidiana isthæc oratio est. Cæterùm, ne temerè optemus terribilis illius exactique judicii diem, nobisque ipsi malum accersamus, consultò nos docet Salvator mox addere: *Fiat voluntas tua*, Matth. 6; quò, per mandatorum Dei observationem digni regno Dei, ad judicium illud subeundum parati simus, nec parati tantùm simus, sed et *fiduciam in illo habeamus,* 1 Joan. 4, v. 17. Impii itaque, miseri, et maledicti illi sunt, ad rerum sperandarum sensum stupidi, si non etiam fide vacui, adversarii Orationis Dominicæ, qui velint præsentem hanc vitam, qualibuscumque bonis auctam, sibi esse perpetuam; parati sint Deo cœlos relinquere, et quæ illìc reposita creduntur bona, si paratus foret Deus in terrâ ipsis relinquere præsentia.

Vers. 3. — Panem. Hactenùs ea precati quæ ad veram, solidam, perfectamque faciunt Patris gloriam; nunc ea humiliter petimus, quæ, pro hujus vitæ miseriâ, nobis necessaria sunt; quæ quasi secunda est tabula formæ orandi, quam nobis Christus dictavit; sic enim initio, docendi gratiâ, decalogo Dominicam Orationem componebamus. Cæterùm, quemadmodùm, dùm ea precati sumus, quæ ad Dei gloriam faciunt, nostra ex consequenti petivimus bona, in quibus sita est Dei gloria; ita, dùm nostra petimus bona, in Dei gloriam, ut finem ultimum, respicimus. Nunquàm enim propriæ utilitatis studio sic nos occupari fas est quin primatum semper Dei gloria teneat. Porrò, bona nostra, in quibus sita est summa Dei gloria; summa atque æterna bona nostra sunt, Dei nomen sanctificare, Dei regno potiri, conformes esse voluntati Dei, quanquàm tertium istud, ut est hujus vitæ, ita est ad illa assequenda medium bonum. Hæc itaque precati superioribus petitionibus, hâc infima bona petimus, ea quibus ad hanc vitam temporariam transigendam opus nobis est. *Panis* enim nomine, ea omnia comprehenduntur, quæ ad ducendam hanc temporariam vitam necessaria sunt, inprimis quidem

sed regnum intelligitur illud perfectissimum, de quo dicit : *Venite, benedicti, percipite regnum*, etc., quo scilicet post resurrectionem destructo peccato, morte, diabolo, omnibusque adversariis, Deus tranquillissimè in corpore et animo gloriosissimè regnaturus est. Itaque hìc quasi apprecantur filii patri suo regnum pacificum, et victoriam adversùs omnes inimicos. Et quamvis hoc omninò adventurum sit, voluit tamen Christus, ut istud peteremus : partim ut tanquàm filii affectum nostrum ostenderemus, ut, quod semel venturum est, citò veniat, velut optantes maturiùs regnare, et quasi festinantes ad spei nostræ complexum, inquit, Tertull. lib. de Orat. c. 2, partim ut, desideria nostra ad illud excitando, nobis adveniat, atque in eo nos quoque regnare mereamur, ut August., epist. 121. Itaque sicut olim sancti postulabant adventum Christi in carnem, ita nunc in regnum suum, et consequenter in judicium. Unde Tertull. ibid. Votum Christianorum, confusio nationum, exultatio angelorum. Tacitè itaque monemur tam sanctæ esse conversationis, ut digni simus stare ante conspectum Judicis Dei, venientis in regnum suum. Ut itaque non temerè hoc petiisse videremur, statim subjungitur modus parandi se adventui et regno ejus.

Vers. 3. — Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Per *panem* nonnulli veteres intellexerunt solum Christi corpus, ut Hieron., et ex professo Ambros., l. 5 de Sacramentis, c. ult. Sed non excludi cibum

victus, tritâ sermonis Hebraici synecdoche, tum verò etiam reliqua, amictus, habitatio, prospera valetudo, et cætera. Nam id oramus, ut, quam Deus nobis in mundo hoc vitam dedit, tueatur, quamdiù ipsi placet, ac foveat; et quia multis indiget subsidiis, subministret ipse quidquid necessarium esse novit.

Nostrum. Nostrum dicimus, non quasi noster sit proprio jure, quem scilicet Deus nobis debeat, sed quia vitæ nostræ deputatus est à Patre, eâ providentiâ quâ omnia bonus conservat. Simul autem ex hoc verbo colligere licet, si divinitùs pasci cupimus, alieno esse abstinendum: se enim, nihil nisi quod suum vocare possint, appetere, testantur omnes Dei alumni, quoties hâc precandi formâ utuntur. Suum autem vocare non possint non tantùm quem sibi rapinâ aut furto comparent, verùm etiam quem circumeundo domos et sectando mensas alienas otiosi manducent, id quod Apostolus docet, 2 Thess., 3, v. 11, 12, 1 Tim. 5, v. 13.

Quotidianum; *supersubstantialem* vertit secundùm Matthæum, id est, qui substantiæ sive naturæ nostræ alendæ sufficiat, minimè scilicet exquisitum, sed *quotidianum,* qualis vulgo hominum quotidiè in usu est, vel qualis quotidiè necessarius est nobis nutriendis.

Da. Hactenùs, ubi pro Dei gloriâ contendit oratio, longè fidentiùs sonuit, tertia imperativi, *Sanctificetur, Adveniat, Fiat;* nunc, ubi rem propriè agit orantis, submissiùs secunda, *Da, Dimitte, Ne nos inducas, Libera.* Fatemur hìc omnem vitæ nostræ sustinendæ rationem, nobis ab almo Patre Deo esse, ab illo nos pendere, et gratuitâ ipsius beneficentiâ ali, sine quâ nihil efficiat universa nostra industria.

Nobis. Perseverat charitas, persistitque oratio communis, et ubi pro temporariis, et ubi pro æternis, et ubi pro spiritualibus, et ubi pro corporalibus, supplicat bonis.

Hodie. Græcè est *in diem,* panem quanto in hunc diem opus est; quo modo volucres, ad quarum exemplum nos revocat Christus, præsentis tantùm cibi memores, dicuntur vivere in diem; vel *in singulos dies,* quod est *quotidiè,* quo modo Syricus interpres vertit. Latinæ interpretationis exemplaria variant, aliis *hodiè,* aliis *quotidiè* hìc legentibus. Matthæus habet *hodiè,* cum quo concordat illud, *in diem,* multòque magis quod est in Latinis multis codicibus, *hodiè;* sed nec discordat *quotidiè,* si modò intelligatur, ita ut debet, non peti annonæ aut opum unam semel copiam tantam quanta quotidiè, seu in omnes vitæ nostræ dies, corporibus nostris alendis sufficiat; sed tantùm panem in dies singulos, quantus diebus singulis necessarius est. Et quidem hâc ratione extenditur cura orationis nostræ ultra diem eum quo funditur, quod non fit dùm dicitur *hodiè;* sed quamvis hoc perfectioris fortè sit mentis, non tamen vitiosè de crastino sollicitus est, qui crastini necessitates ita Deo commendat, ut non recuset aut fastidiat cras orationem iterare, præsertim cùm animo sit diurno pane contento, quotidièque cibum suum à Deo exspectare volente, nec desiderante quæ reponat in annos plurimos.

Hoc adverbium, frenandæ aviditati, eximendæque anxiæ sollicitudini, Salvator addit, *ut ne in longum,* ait Cyprianus, *desideria nostræ petitionis extendamus, neque ulterioris diei* (Chrysostomi sunt verba) *cura nos conterat,* juxta id quod præscribit alibi: *Nolite solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.* Docetur Christianus, diurnum duntaxat panem petere, et in diem, cibum eaque quibus ad transigendam vitam opus est, orare, nimirùm, ut quotidiè ad Patrem recurrere, et ab illius beneficâ providentiâ pendere discat, anxiis procul abactis curis. Quocirca manifestum fit voluisse Salvatorem, hanc nobis orationem familiarem et quotidianam esse. Cùm enim necessariis vitæ quotidiè indigeamus, et nunquàm se ultra eum diem quo funditur oratio extendat, quotidiè repetatur necesse est, si quidem à Deo pasci, Deumque suâ nos gratiâ pascentem agnoscere, velimus. Sed quæstio occurrit, an nunquàm possit ad proximi diei necessitates oratio excurrere. Et quidem, ut certum est quòd sic, modò non avaro, anxio, aut iterandæ orationis fastidioso, id fiat animo; ita perspicuum est, ad quod cœlestis philosophiæ culmen suos Christus adducere voluerit; scilicet, ut quibus vita semper incerta est, non ii in eo ponant curam, ut victum assequantur vitâ certiorem, sed, ut pendet vita à Deo, ita et victum Deo permittant, cui ut minimum est illum largiri; ita facile est ab ipso quotidiè impetrare, dùm quærendo regno ipsius et sectandæ justitiæ prima opera datur. At si quis à Deo consecutus sit id quod et huic et multis ab hoc diebus sufficere possit (ut ferè nostra vincit vota Dei munificentia, quanquàm

corporis, suadet tum genuina vocis significatio; tum quòd corpus Christi nondùm esset in Sacramento institutum, quando hæc oratio tradebatur. Unde alii volunt panem corporalem tantùm peti; sed quia oratio ista perfectissima est, non est verisimile ea esse prætermissa quæ animæ sustentandæ necessaria sunt. Itaque verisimiliùs videtur, nomine *panis* Hebraicâ synecdoche primariò omnem cibum corpori necessarium significari, à parte quæ excellit, inquit August., totum significando. Sed sicut sub cibo corporis intelliguntur omnia corpori sustentando necessaria, ut plerique notant, ita valdè congruum videtur, ut sub eodem intelligatur omnis cibus, qui ad animam in hâc peregrinatione sustentandam requiritur, maximèque corpus Christi, quia eodem *panis* nomine usitatissimè vocatur, et speciebus ejus tegitur; ut ita sit quasi duplex sensus, unus litteralis et alter quasi mysticus, sed æquè principaliter intentus. Et hinc est, quòd vix ullus veterum corpus Christi excluserit, utpotè qui verè sit panis filiorum; sicut et hæc oratio filiis propria est. Plerique autem utramque expositionem conjunxerunt, ut Tertull., lib. de Orat., Cyprian., de Orat. Dominicâ; Theophil. hìc; August., sæpissimè, ut sermone 9 de Diversis, ubi dicit: Sanè duobus modis intelligenda est ista petitio, sive pro necessitate carnalis victûs, sive etiam pro necessitate spiritualis alimoniæ; item, serm. 48 de Diversis, epist. 121, c. 11; libro verò 2 de Sermone in monte, c. 7, expressè dicit: Si quis etiam de victu corporis necessario, vel sacramento Dominici corporis istam sententiam vult accipere, oportet ut conjunctè accipiantur omnia tria, ut scilicet quotidianum panem simul petamus et necessarium corpori, et Sacramentum visibile, et invisibile verbum Dei. Dicitur autem *noster,* id est, nobis ne-

sit hoc donorum ipsius minimum) quæritur an huic orandum sit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè?* Exempli gratiâ, domus ei suppetunt, agri, opes, annona in annos, reditus omnis generis bonorum affatim copiosi, annui, adeòque æterni. Clarum esse arbitror quid responso opus sit. Quid enim si non serventur ipsi à Deo quæ à Deo ipsi sunt data, sed, aut pereant, Deo manum subtrahente; aut furibus, raptoribus, tyrannis, à Deo permittantur? Et servata, quid si usum amittant suum, excidatque quæ illis ingenita est ad alendum vis, ita ut, inter opes et ciborum apparatus, Midæ instar, fame miser pereat? Adhæc, servatis etiam iis à Deo integris, quid si corporis ea sit constitutio, ut iis nequeat uti? præterea, ut sit etiam corporis bona constitutio, quid si suam ipsi homines, Deo faciente, operam negent, quî ipsius ipsi serviant bona? Usque adeò non est dives, cui, ut pascatur et in vitâ sustentetur, ad quod unum faciunt opes omnes, non multis sit opus, quæ cùm in ipsius non sint facultate, à Deo quotidiè petenda sint; ita ut meritò Salvator, ad cœlestem nutritium, promiscuè omnes, et divites et pauperes, quotidiè remittat. Denique, ut nihil sit eorum quæ dicta sunt, ut sit quispiam ejusmodi, cujusmodi non est, cui sint vitæ necessaria certa à Deo omnia; præterquàm quòd etiam illum oratione deceat agnoscere gratiam Dei, habet inopes fratres innumeros, pro quibus hoc orare quotidiè debeat: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Porrò, animæ panis, quo anima nostra, spiritus noster, opus habet ut pascatur et sustineatur, non hâc propriè petitione intelligendus videtur, siquidem exacta petitionum servanda distinctio est; sed facere voluntatem Dei, ipse cibus vitaque animæ est, juxta illud quod Salvator discipulis dicebat Joan. 4, v. 34: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Hoc est enim animam vivere, pasci et sustineri, justitiæ voluntatique divinæ constanter adhærere; nec ad aliud serviunt sacrosancta Eucharistia, sacra Scriptura verbumque Dei. Ut verò plena exactaque hæc esset ritè orandi forma, ea complectens omnia quæ à Deo rectè petantur; fovendæ autem vitæ ratio, ut est à Deo, ita à Deo rectè petitur, in quem curas nostras omnes jubemur conjicere, Psal. 54, v. 23; 1 Pet. 5, v. 7; idcircò ad sublevationem innumerarum præsentis vitæ necessitatum, petitionem hanc Salvator attexuisse videtur, verùm ita restricto eo quod petitur sensibili, ut proximè ad spiritalia accedat. Nam si nihil amplius quærimus, quàm panem nostrum, et eum hodiè, spiritalis animi et sapientis est, uti pulchrè annotavit Chrysostomus, homiliâ in Joannem 42. Cæterùm, hìc præsertim se subjiciat oportet oratio beneplacito Dei, ut noverit quisque cum Apostolo et satiari et esurire, Phil. 4, v. 12, ita ut Patri visum fuerit, qui solus scit quid filiis suis, quod ad temporalia ista, sit utile, Rom. 8, v. 26.

Vers. 4. — Et dimitte. Hactenùs bona precati, dehinc deprecamur mala, quòd nondùm sint res nostræ eo statu boni, quem nullum infestet malum. Quia autem summa mala, peccata sunt, quippe quæ à Deo Patre nos separent; quo nihil est gravius ingenuo filio; indignationem ejus ut incurramus faciant, et cæterorum omnium quorumcumque malorum prima causa sint, idcircò ante omnia à commissis peccatis ut liberemur, orare nos Christus docet. Intelligendum autem nobis dat, neminem nostrûm absque quotidianis peccatis hanc vitam ducere, quantùmcumque sit justus, quantùmcumque sanctus (neque enim humilitatis docuit quàm veritatis esse observantiores, dùm suis omnibus quotidianam hanc orandi præscripsit formam), ut, nostræ nobis infirmitatis fragilitatisque conscii, minimè efferamur. Cæterùm, ut ne etiam ob frequentia adeò delicta desperemus, Patris nobis ostendit semper patere misericordiæ viscera veniam rogantibus: neque enim præcipiat quotidiè à Deo petere, id quod nolit Deus quotidiè dare. Porrò, quò intelligatur quî dimittat nobis peccata Deus, observandum est tria quædam concurrere in unoquoque peccato, actum quo fit peccatum ipsum, maculam quam ex actu animus contrahit, pœnam quam actus maculaque merentur; quorum trium, actus transit, macula manet, pœna debetur. Nam, quod ad maculam, cùm peccatum ipsum non fiat nisi ita dictante animo, afficiat illum alteretque necesse est, et, ea cui contrarium est Dei gratia, quâ comprimis pulcher est animus, aut pulsa aut læsa, maculam ei inurat; quæ id efficit, quod loquuntur Scripturæ, ut sit immundus ac sordidus peccator et ablutione emundationeque opus habeat. Tunc itaque dimittit peccatum Deus, quandò actum habet eo loco ac si non fuisset; maculam, restituto suo nitori atque integritati animo, eluit; et pœnam debitam remittit. Istud omne hìc oramus, ut de peccatis nostris omnibus ita agat Dei Patris misericordia. Cæterum, contingit aliquando, ut ita dimittat peccatum Deus, ut non continuò pœnam

cessarius, non solùm pauperibus, sed et divitibus: illis, ut habeant, his, ut non amittant. Quod enim eis non deest, misericordiæ Dei est, non potentiæ ipsorum, inquit August., serm. 48. Da nobis hodie. Hoc August. solet exponere pro toto præsentis vitæ tempore: sed nihil obest quin pro præsenti etiam die accipiatur, ut ita Christus doceat, inquit Cyprian., diurnum cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere, juxta id quod expressè infra, c. ult., prohibet, sollicitum esse de crastino.

Vers. 4. — Et dimitte nobis peccata nostra. Hæc dimitti nobis petimus, hoc est, eorum culpas deleri, ita ut Deus nobis propter ea non ampliùs offensus maneat; sicut hoc patet ex conditione sequenti, quæ non de castigationis, sed offensarum remissione loquitur. Et ita exponit August., tum hìc, cum alibi passim: nam pro pœnæ remissione potiùs ultimâ petitione deprecamur. Itaque hæc oratio est quotidiana quædam mundatio baptizatorum à peccatis levioribus; ut ita semper memores vivant et infirmitatis suæ, quâ peccatis obnoxii sunt, ne in superbiam efferantur, et paternæ misericordiæ, ne desperent.

Omni debenti nobis, id est, illis qui in nos peccando nos offenderunt: non enim agitur vel de pecuniæ vel pœnæ remissione, sed injuriarum. Nam qui dimissâ peccati offensâ, quâ læsus est, tamen emendat verberibus eum in quem potestas datur, vel coercet aliquâ disciplinâ, eleemosynam præstat, non solùm

omnem temporariam quam meretur dimittat, ac proinde, actum non omninò adhuc eo habeat loco ac si non fuisset, dùm, scilicet, productiorem esse vult pœnam quàm culpam, ne parva habeatur culpa, si cum ipsâ finiatur et pœna. Id dùm fit (fit autem in gravibus peccatis à baptismo admissis ut plurimùm), rectè etiam tum, pro impetrandâ omnis pœnæ remissione, oratione hâc utimur : *Dimitte nobis peccata nostra,* quia non integrè prorsùs dimissa sunt, quorum adhuc aliquid restat.

Siquidem et ipsi, etenim ipsi, nam et ipsi. Dùm hunc nobis orandi modum Christus præscripsit, *certâ nos conditione et sponsione constrinxit*, quod ait Cyprianus, ut si nostris in Deum peccatis veniam à Deo impetrare volumus, veniam demus ipsi fratrum in nos peccatis. Æqua certè conditio, ut qui à se majore petit veniam offensarum graviorum, donet ipse æquali minorum : atque eò æquior, quòd et ipse qui fratri ignoscit, homo cùm sit, subinde opus habeat ut ipsi frater ignoscat. Quia enim noverat Christus Dominus infirmitatem nostram, fieri haud facilè posse, ut sine mutuâ hìc offensione homines versaremur, voluit, ut mutuarum condonatione offensarum, charitas, sarta tecta, quod aiunt, servaretur, et ne aliquando, assiduè condonando, fatigaremur, hoc nobis in quotidianam intexuit orationem, ut cùm ipsi Dei, in quem quotidiè delinquimus, quotidiè imploramus misericordiam, non eam nobis audeamus polliceri, nisi et ipsi erga fratres benevoli perseveremus. Observa quanta sit Dei *philanthropia,* cui ita curæ est nostra erga nos mutuò charitas; et quantum peccatum sit odisse fratrem, quo fiat ut nulla dimittantur peccata. Oratio, quandoquidem eâ, aut justitia petitur, aut quod ad justitiam facit, ex amore erga Deum proficiscatur oportet. Porrò Deum non amat qui fratrem odit quem videt et quem jubet Deus amari. Caveat ergo ne fratrem oderit, qui suam velit Deo gratam orationem. Ut autem cumprimis odium in fratrem facit ne Deo sit accepta oratio : ita cumprimis charitas erga fratres (etsi sola non sufficit) Deo commendat orationem, et, quod compluribus locis sacræ litteræ dant intelligendum, singulariter eam quâ peccatorum ambitur remissio, Luc. 11, v. 41; Jac. 5, v. 20; 1 Petr. 4, v. 8. Sunt porrò multa charitatis opera, sed illo nullum majus, quo ex corde dimittimus quod in nos quisque peccavit. « Minùs enim magnum est, » ait B. Augustinus Enchiridii cap. 73, « erga eum esse « benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil « fecerit. Illud multò grandius et magnificentissimæ « bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et ei « qui tibi malum vult, et si potest facit, tu bonum « semper velis faciasque cùm possis. » Hoc ergo quia maximum est operum charitatis, sub quo cætera facilè intelligi queant, et ejusmodi est quod à nemine non possit præstari, quippe quod solam injuriæ oblivionem et cordis erga fratres suavitatem desideret, Salvator ei quam docuit orationi adjecit. Porrò signanter adjecit huic quintæ petitioni, quâ peccatorum remissionem oramus, ut, ubi eam quæ maxima est, Dei erga nos gratiam, poscimus (nulla enim major Dei erga nos gratia remissione peccatorum, quæ adeò etiam virtutum superat præmiationem), atque eam nobis pro hujus vitæ statu ita necessariam, ut doceat augustissimum illud inter veteres doctores os, lib. 19 de Civit. Dei, cap. 27, *nostram hujus vitæ justitiam, magis peccatorum remissione quam virtutum perfectione constare;* illic, ejus quæ maxima est, nostræ erga fratres gratiæ, quæque necessaria est ut sit nobis animi erga fratres et Deum Patrem affectio integra, meminerimus, quò memores præstemus alacriùs. Non enim tum demùm condonemus injuriam oportet, cùm illatæ frater pœnitentiâ ductus veniam rogat; verùm etiam dùm pertinax persistit, quin injuriam injuriâ cumulat. Semper enim sua animo erga fratres suavitas salva maneat oportet, nec vindicta expetita unquàm amarescat admittendum est, qualescumque illi tandem erga nos sint. Id Marci 11, v. 25, ipse illud oraturo cumprimis necessarium esse testatur, cùm ait : *Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversùs aliquem.* Cæterum, exterior condonatio, non nisi rogantibus debetur : quam ferè neque expedit iis qui pertinaces haud petunt offerri, ne conversi porci dirumpant margaritam præbentes. Ergo hìc monemur, qualem animum oporteat erga fratres afferre, dùm Deo cupimus reconciliari; quem qui afferat, magnâ is possit cum fiduciâ Dei misericordiam implorare.

Dimittimus, peccata, offensas, injurias, et quidem ex animo. Nos peccatum dimittimus, quando actum eo habemus loco ac si non fuisset, et pœnam, quam

injuriam dimittendo, sed etiam eamdem pœnâ plectendo, ut August. in Enchiridio, c. 72. Non enim ordo vel charitatis vel justitiæ hâc oratione tollitur, sed odium et vindictæ cupiditas; ut scilicet suavitas animi erga fratrem in quotcumque et quantiscumque delictis semper salva maneat, sine vindictæ amaritudine, etiam adversùs inimicos. Non est hic accurata similitudo, nec est regula dimissionis (non enim Deus nos, sed nos Deum in dimittendo imitari debemus, cùm nobis ille incomparabiliter plura dimittat, juxta parabolam Matth. 18), sed est conditio quædam præparatoria, et æquissima, id est, quandoquidem et nos dimittimus, æquum est, ut et tu dimittas nobis. Unde Cyprian. Certà nos conditione et sponsione constrinxit ut sciremus, impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi et ipsi paria faciamus. Similia habet August., serm. 48 de Divers., c. 9. Itaque statuit hanc legem Christus, ut, quia nos quotidianâ peccatorum remissione indigemus, esset quasi fortissimum quoddam vinculum, imò necessitas conservandæ fraternæ dilectionis, quandoquidem pro humanâ infirmitate prorsùs sine offensis aliquibus intercurrentibus esse non posset. Unde qui non dimittunt, et mentiuntur Deo, et suam de se sententiam dicunt. Et ne nos inducas in tentationem; id est, ne nos induci sinas, efficiendo scilicet ne tentationi succumbamus. Non ergo petitur ne tentemur, sed ne tentationi consentiamus. Tentari enim plerùmque utile est ut probemur, ut exerceamur, ut nos ipsos cognoscamus, ut in humilitate contineamur : *qui enim non est tentatus, quid scit?* Eccles. 34, v. 9. Efficit hoc Deus duobus modis : partim tentationes juxta vires hominis moderando, ut possit sustinere : partim suâ novâ gratiâ animum roborando, ut resistat. Inducit autem Deus in tentatio-

vero vel præsumpto jure exigere possemus, omnem remittimus, ita ut nec ipsi nos vindicare, nec ab alio, etiam Deo ipso, vindicari cupiamus; neque enim amplius aliquid possumus, et id solum eatenùs, quatenùs nos offensa læsit; nam quatenùs Deum læsit, Dei est remittere. Porrò non se vindicat qui aut corrigit aut corripit delinquentem, id dictante sive justitiâ sive charitate; nec qui damnum repetit aut exigit, offensâ seu injuriâ dimissâ: non enim ita mox damnum dimittere tenemur, ut injuriam.

Debenti nobis, ei qui nos offendit, qui in nos deliquit. Hic loquendi modus, quo peccator debitor et peccatum debitum vocatur, frequens evangelicis litteris, Matth. 18, v. 27; Luc. 13, v. 4, ex Syrico sermone, quo Salvator est usus, profectus est. Syri enim, debitorem et peccatorem, rursùs debitum et peccatum, eodem appellant nomine, hæc *haubo,* illos *haiob* (quibus nominibus etiam hìc in Oratione Dominicâ utuntur), à *hob,* quod primò est debitorem esse, obligari, teneri; deinde peccare, iniquè agere. Hìc mihi jam ad extremum considera, quantum eorum est crimen, qui hâc utuntur prece, odium servantes in fratres, et mentientes proinde Deo. Mentiuntur Deo, sed suum ipsi mendacium hactenùs justi puniunt, dùm in seipsos sententiam dicunt, ut meritò non remittat ipsis peccata Deus, qui fratribus nolunt in se commissa remittere, et divinam in se invocant ultionem, ut ad vindictam armetur peccatorum, quæ meritò non remittit. Ob hanc causam, invenias hodiè, qui, priusquàm debitoribus suis dimittere velint, relictâ hâc Dominicâ precandi formâ, alias precatiunculas usurpent, bis hoc uno nomine peccatores, et quòd evitent orandi formam, quam Salvator, ut docuit, ita præscripsit, et quòd perperàm orent: nulla enim bona oratio est, quæ, quod hæc pericope, vel non addat, vel non intelligat.

Et ne nos. Commissorum peccatorum precati veniam, recto ordine ea peccata deprecari jubemur, quorum in continuis versamur periculis, hâc in vitâ constituti, quæ tota, juxta sententiam Job, cap. 7, v. 1, tentatio et militia est. Admonemur itaque infirmitatis et imbecillitatis nostræ, quòd sine Dei auxilio periculis superiores evadere non possimus: utque omnis timor noster et devotio atque observatio ad unum Deum convertatur, docemur nihil contra nos adversarios posse, nisi Deus antè permiserit.

Inducas, *inferas* legit B. Augustinus: quòd quidem ad vocem Græcam accedit propiùs, sed illud, uti idem benè censet, tantùmdem valet.

In tentationem. Duplex est genus tentationis; unum, quo tentamur, hoc est, experimentum nostri capitur, cùm ut ea quâ præditi sumus manifesta evadat virtus, tum ut amplior illa et ampliori præmio digna reddatur. De hoc tentationis genere ait Apostolus Jacobus cap. 1, v. 2: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Ob hoc igitur cùm gaudere oporteat, non illud est quod hìc deprecari docemur. Alterum est tentationis genus, quo ita sumitur experimentum virtutis nostræ, ut detur simul opera, quò, eâ labefactatâ, ad peccatum pertrahamur. De isto idem ille Apostolus ait cap. 1, v. 13: *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Priori tentationis genere nos tentat Deus; posteriori hostes Dei et nostri; atque eodem opere fit ut et Deus nos illo, et hostes nos isto genere tentent. De posteriori igitur quod à Deo non est, hâc Orationis Dominicæ parte sermo est. Itaque tentatio hìc intelligitur ad peccatum sollicitatio: sollicitamur autem ad peccatum, et extrinsecùs, et intrinsecùs, idque nunc prosperarum rerum dulcedine, nunc adversarum molestiâ. Extrinsecùs nos sollicitant diabolus veterator, qui antonomasticè, *is qui tentat* vocatur 1 Thess. 3, v. 5, ejusque mancipia homines impii. Intrinsecùs, concupiscentia nostra prava, de quâ Jacobus Apostolus c. 1, v. 14: *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ, abstractus et illectus.* Huic qui dominatur domesticæ hosti, nihil illi ab illis timendum est; et prosperarum rerum dilectione qui non capitur, non ille adversarum molestiâ frangetur. Porrò non id propriè hìc oramus ut non tentemur, sed ut in tentationem non inducamur vel inferamur, quod est, uti loquitur Apostolus Rom. 1, v. 24, *ut in desideria cordis nostri non tradamur.* Oramus *ne tentemur supra id quod possumus,* 1 Cor. 10, v. 13, ne superemur à tentatione quâcumque. Hunc ad modum monet Salvator apostolos instante passione suâ, infra 26, v. 41: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem,* hoc est, ne imminens scandali tentatio vos superet et dejiciat. Cæterùm ut non superemur à tentatione, agit hoc Deus duobus modis, uno, dùm, parcens infirmitati nostræ, tentationem nobis moveri non sinit; altero, dùm, majore misericordiâ, facit ut motam nobis tentationem vincamus. Inducere autem in tentationem nem, id est, induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit. Itaque hoc petimus, inquit August., epist. 121, c. 11, ne deserti Dei adjutorio, alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti, nempe aut luce carendo, quâ peccatum tentationisve fallaciam cognoscamus, aut dilectione justitiæ, quâ peccati blanditiis aut cruciatibus resistamus: de quo August. 2 de peccatorum Meritis, c. 19.

Ex his patet, cùm oratio sit interpres desiderii, hâc oratione omnia omninò desideranda postulari, idque prorsùs eo ordine, quo desideranda, non quo exsequenda sunt. In desiderando autem primum est finis, deinde media. Finis omnium est Deus: in quem fertur affectus noster dupliciter, vel ipsius gloriam in seipsâ diligendo, vel nos in ipso Deo. Primò itaque petitur sanctificatio nominis ejus, ut scilicet gloria ejus in universo mundo clarescat; deinde ut regnum ejus adveniat, id est, gloriâ ejus completâ, et ad gloriam istam perveniendo nos in ipso, et cum ipso regnemus. Ad istum verò finem aptamur, per se quidem bonis velut mediis, ad consecutionem ejus utilibus, per accidens verò carendo malis, velut à beatitudine nos prohibentibus. Itaque inter media primum et proximum est gratia Dei, et meritum hominis, quæ petuntur eo ipso quo petitur ut fiat voluntas Dei (Matth. 6, 13); subserviunt illis omnia quæ ad sustentationem sive corporis sive animæ pertinent, et in pane quotidiano postulantur. Mala verò, quæ nos à consecutione finis

dicitur Deus, non quòd ipse, ut motæ nobis ab adversariis tentationi succumbamus, faciat, qui nec peccati, nec tentationis sive sollicitationis ad peccatum, est auctor; sed, quòd neget nobis, suo pro justo judicio, gratiam suam, quâ destituti, fiat ut succumbamus, ut in tentationem inducamur atque inferamur. Non enim eâ virtute sumus ut solis viribus nostris, tentationes superare possimus: singulari opus est gratiâ à Deo. Fieri aliquando potest ut non consentiamus motæ nobis tentationi, utpote dùm plus addicti vitio contrario, unum altero pellimus; exempli gratiâ, tentationem ad fornicationem laudis amore retundimus; rursùs, dùm aliis mens occupata, negligit objectas phantasiæ ad peccata sollicitationes; sed, ut vincamus, et feliciter superiores tentationibus evadamus, absque Dei singulari gratiâ fieri non potest. Quemadmodùm ergo, is qui extremè ab aquis periclitantem aliquamdiù juvet ne absorbeatur à gurgite, tandem verò deserat, et, sibi relictum, mergi sinat, id quod sit ut sequatur, rectè illum dicatur in mortem tradere; ita Deus rectè in tentationem et peccatum inducere, dùm negat gratiam suam, quâ dùm nos dignatur, peccata vitamus tentationesque devincimus, dùm verò negat proximum est ut tentationibus subjecti in peccata ruamus. Pendemus enim ex naturæ corruptione, proni in peccata, atque ad assiduos casus et ruinas proclives; opusque est suâ nos manu Deus sustineat: id quod hoc loquendi modo Salvator voluit indicatum. Cæterùm non hoc solum est, quòd neget nobis Deus gratiam suam, et nos nobis relictos permittat cadere, ita ut ex corruptæ naturæ imbecillitate est ut sequatur; fit enim ut non deserendo tantùm, sed et potentiâ, id quod B. Augustinus contra Julianum Pelagianum libri 5 capite tertio docet, in tentationem et peccatum Deus inducat, quando, ita dictante justitiâ suâ (lege August. de Grat. et lib. Arbitr., cap. 20, 21), vel inclinat malas dæmonum atque hominum voluntates eò, ut quosdam tentent præ aliis, vel offert, donat aut servat id homini, ad quod eum novit offensurum, quo eum novit abusurum, sive ponens offendiculum coram eo, quo modo Ezechiel loquitur cap. 3, v. 20, sive exaudiens iratus preces quas non exaudiat propitius, sive conferens aut servans munera iratus, quæ non conferat aut servet propitius, in quibus omnibus et bonus perseverat et justus; bonus, quia non se miscet peccato; justus, quia peccata punit, ita ut æquum est, peccatis. Hinc itaque ille loquendi modus, cui sunt alii complures in sacris litteris similes, quo in tentationem Deus inducere atque inferre dicitur. Summa ergo petitionis hujusce est, ne agat nobiscum Deus suâ pro severâ justitiâ, ut ne destituti adjutorio ejus, eumque nobis patientes iratum, alicui tentationi, *vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti,* Augustin., epist. 121, cap. 11.

Post: *In tentationem*, addunt Græci et Syrici codices: *Sed libera nos à malo*, quemadmodùm reliqua superiora addiderunt, ne quid hìc deesset Orationi Dominicæ eorum quæ recitat consuetudo orantium. Latina editio, non magis istud quàm superiora agnoscens, videtur sanior: cùm enim in proximè præcedenti articulo: *Et ne nos inducas in tentationem,* iste includatur, saltem ex parte, eâque potiori, omisit illum hâc vice Christus. Nam qui in tentationem non inducitur, is procul dubio à malo liberatur; et qui orat ut à peccato, quod et summum malorum, et omnis alterius mali origo est, præservetur, is reipsà precatur aut certè meretur ut ab omni malo liberetur.

Vers. 5. — Et ait, dixit etiam, ad illos, discipulos suos hoc. Postquàm docuit quid, quâ formâ, orare debeant, docet etiam quomodò orare debeant, non remissè scilicet aut negligenter, sed ardenter et perseveranter, ne fatiscant animis, si non statim votis potiantur, ne continuò cessent, si non mox exaudiantur. Annotant hoc Titus et in Catenâ Chrysostomus.

Quis vestrum, quis ex vobis. Interrogatio loco conditionis: Si quis vestrûm habeat amicum, et adiens eum mediâ nocte dicat, etc. Docendi gratiâ fingit parabolam, similitudinem, seu exemplum, sumptum de medio, ex iis quæ fieri solent, adeòque ex illis ipsis quibuscum loquitur, ut ex seipsis conjecturam faciant, et intelligant quanta sit vis perseverantis orationis.

Media nocte, tempore maximè incommodo; facit hoc ad illud quod petitur impetrandi difficultatem.

Dicet, *dicat*, quanquàm in aliis Græcis libris legatur futurum, prout Latinè.

Illi roganti quis pulset ostium.

Amice. Captat benevolentiam, ut etiam fiducia obtinendi in eo est, quòd amicus sit.

Commoda, mutuò da; nam commodare propriè de iis rebus dicitur, quæ numero eædem possunt restitui, ut mutuum dare de iis quæ usu consumuntur.

Tres panes. Fatetur hic, nihil panis familiæ suæ

prohibent, tria sunt: primum et maximè omnium peccatum; deinde peccati tentatio; denique universa vitæ præsentis pœnalitas, velut omnium tentationum et peccatorum seminarium. Hæc tria prohibentia eodem planè ordine removeri petimus tribus ultimis petitionibus. Nam in illis tribus deprecamur mala, sicut in quatuor primis precamur bona: ita tamen ut ea tria quæ in æternum permansura sunt præmittantur, ultimum verò sit panis quotidianus, qui soli temporali vitæ competit. Vide de illis August., l. 2 de Serm. in monte, c. 10, et D. Thom., 2-2, quæst. 83, art. 9.

Vers. 5. — Et ait ad illos. Hactenùs de orandi formulâ; nunc de orandi modo, ardore, et perseverantiâ, de quibus per parabolam subjungit: Quis vestrum habebit amicum? q. d.: Cui habenti amicum non id eveniet, quod dicturus sum? Multò ergo magis eveniet oranti amicum Deum; est enim argumentum à minori ad majus, sicut et v. 13. Et ibit ad illum media nocte; quæ intempesta dici solet, ut Aug. notat, conc. 29, in psalmum 118, quia ad agendum importuna est. *Mediâ ergo nocte,* hoc est, importunissimo tempore, quod ad impetrandi difficultatem spectat. Et dicat illi: Amice, commoda mihi, id est, da mihi

superfuisse à cœnâ superiore; ideò panes ab amico petit, et quidem tres (è qualibus unus solet uni apponi), unum hospiti suo, alterum sibi, tertium, si fortè duo non sufficerent.

VERS. 6. — QUONIAM necessitate premor.

AMICUS MEUS quem deserere non possum.

VENIT, præteritum est.

DE VIA, ex itinere, fessus et famelicus.

AD ME, hospitandi causâ.

ET NON HABEO panem, nec permittit tempus ut emam; habebat fortassè obsonia quædam.

PONAM ANTE ILLUM, apponam illi.

VERS. 7. — ET ILLE. Ille autem prior amicus.

NOLI MIHI MOLESTUS ESSE, ne mihi molestiam exhibeas.

JAM, importunum est.

OSTIUM domûs meæ CLAUSUM EST, et pessulis ac repagulis subditis obfirmatum : quod non sine labore et incommodo, fortè etiam non sine periculo, queam intempestâ nocte aperire.

ET PUERI MEI, Græcè et *puerult mei;* Syrus et *filii mei.*

MECUM SUNT, quiescimus omnes.

IN CUBILI, in cubiculo, vel etiam in lecto, prout vertit Syrus; utrumque enim potest intelligi : ut et moris apud quasdam gentes fuisse videtur, ut parentes prolesque simul omnes, in eodem non solùm cubiculo, sed et cubili seu lecto cubarent, amplo illo ac lato. Excusat igitur quòd dare non possit quod rogatur, *ne filios expergefaciat,* quod ait Euthymius; quia tota familia secum è somno excitanda et turbanda foret.

NON POSSUM, quia incommodissimum mihi et familiæ sit.

DARE TIBI, panes.

VERS. 8. — ET SI, quòd si ILLE ex vobis seu vestrûm. Ita enim cœperat : *Quis vestrûm,* v. 5; PERSEVERAVERIT PULSANS, id est, pulsare ostium, in modum rogantis tamen; non vi aut jure extorquere volentis. Si non discedat excusatione territus, sed instet, pulset, urgeat. Tota hæc pericope non legitur sive Græcè sive Syriacè : sed suppleta videtur ab interprete, eò quòd veniat intelligenda, necessaria ad explendam sententiam; quanquàm commodiùs fortè collocata fuisset post, *dico vobis.*

DICO VOBIS, prædico vobis, ut per se quoque manifestum et extra dubium vobis fit, considerantibus hominum proprietatem.

ILLI vestrûm.

EO QUOD AMICUS, præcipuè causâ amicitiæ, seu motus amicitiæ ratione.

TAMEN, at, certè, certè quidem.

PROPTER IMPROBITATEM EJUS, propter impudentiam seu inverecundiam ejus, id est, propter importunitatem ejus, propter urgentem et inverecundam perseverantiam. Improbus dicitur, qui nullo responso abigi potest, quo minùs molestè urgeat; qui urget, nec cessat, ut quasi tædio affectum cogat. Improbitatem ergo intellige, perseverantem atque assiduum rogandi fervorem. Augustinus sermonis 5 de Verbis Domini capite 5 : « Quid est propter improbitatem? quia « pulsare non destitit, quia et cùm esset negatum, « non se avertit. Ille qui nolebat dare, quod petebatur fecit, quia ille in petendo non defecit. Quantò « magis dabit Deus bonus, qui nos hortatur ut petamus; cui displicet si non petâmus? » Hujusmodi impudentiæ seu improbitatis exemplum exstat Matth. 15, v. 22, in muliere Chananæâ.

QUOTQUOT HABET NECESSARIOS, seu *opus,* quotquot requirit, etiam plures tribus, ne fortè iterùm ad lectum reverso molestus fiat. Tantùm valet inter homines perseverantia rogandi, ut nonnunquàm impetret, quæ amicitia impetrare nequit, eaque uberiora ac majora quàm fuerant petita. Vult ergo dicere Jesus : Si inter homines rogandi importunitas extorquet, quod spontè non esset quis facturus; non est quòd dubitemus, exorabilem nobis fore Deum, si constanter ac ferventer in orando perstemus, id enim significat verbis proximi versûs.

VERS. 9. — ET EGO, cui de Patris erga vos benevolentiâ certissimè constat. Suâ auctoritate nos urget ad sollicitandum precibus Patrem.

DICO, suadeo, moneo et promitto.

commodatò, seu mutuò; quod spectat ad petentis verecundiam, et petitionis mediocritatem, quia minùs est, quàm si dari peteret TRES PANES, unum scilicet hospiti, alterum sibi, tertium utrique communem, si unus uni non esset satis; est enim parabola ex usu communi sumpta.

VERS. 6. — QUONIAM AMICUS MEUS VENIT DE VIA, etc., fessus scilicet et famelicus, ET NON HABEO QUOD PONAM ANTE EUM, cùm nec tempus permittat emi. Duas ergo causas allegat impetrandi; quòd non sibi petat, sed amico, quem iniquum est deserere, et quòd sibi etiam panis sit penuria. In utroque elucet petentis verecundia et humilitas.

VERS. 7. — ET ILLE RESPONDENS DICAT, hoc est, vel quamvis ille responderet : est enim hypothesis, licèt non omninò verisimilis, tamen apta ad ostendendum, quantùm valeat ad impetrandum importuna perseverantia. JAM OSTIUM CLAUSUM EST, pessulis videlicet firmatum, ut aperiri molestum sit, et fortè intempestâ nocte periculosum. ET PUERI, id est, filii, ut Græca insinuant, et Syrus explicat, *mecum in cubili,* sive cubiculo, sive etiam lecto, ut vertit Syrus, qui proinde expergefieri deberent. Pertinent hæc omnia ad ostendendam justitiam repulsæ.

VERS. 8. — ET SI ILLE PERSEVERAVERIT PULSANS, id est, quòd si nihil territus excusatione instet rogando, urgeat, ac tundat ostium : PROPTER IMPROBITATEM TAMEN EJUS, Græcè, *inverecundiam* seu *impudentiam,* hoc est, propter importunam et molestam perseverantiam, quâ etiam post primam amici excusationem rogare, imò pulsando instare non destitit. Hoc enim cujusdam improbitatis speciem habere videbatur; quo sensu dicitur labor improbus omnia vincere. DABIT ILLI, et non solùm accommodabit; neque solùm tres dabit, sed QUOTQUOT HABET NECESSARIOS, id est, etiam plures quàm postulaverit.

VERS. 9. — ET EGO DICO VOBIS, hoc est, ad illum eumdem modum. Est enim accommodatio parabolæ ad propositum, quâ includit similes in petendo conditiones adhibendas erga Deum, verecundiam, humilitatem, et inprimis perseverantissimam instantiam. Nam ad hoc pertinent illa tria : *Petite, quærite, pulsate,* sicut ex August. 1 Retract., c. 19, patet. Delectatur enim Deus sibi quodammodò vim ab orantibus

PETITE à Patre vestro cœlesti, simili cum perseverantiâ, quovis tempore, ea quibus opus est vobis. Accommodat parabolam proposito.

ET DABITUR ab ipso VOBIS, quidquid illud fuerit, modò consentaneum illi quam mox docui orandi formulæ; multò magis quàm ab amico illo dormitabundo. Argumentum est à minori : Si amicus ille, etsi à dando alienissimus propter nocturnum tempus, victus tamen est perseverantiâ orantis; quantò magis orandi perseverantiâ vincetur Pater vester cœlestis, qui nunquàm neque dormit neque dormitat, Psalm. 120, v. 4, sed semper vigil paratus est vos et audire et exaudire? cui nullæ preces importunæ aut molestæ esse possunt, cui nunquàm ingrata est orantis improbitas, delectatur potiùs eâ, et idcircò nonnunquàm differt dare quod petitur, ut probet perseverantiam vestram, ut accenso assiduæ orationis ardore, et ipse id quod petitis donet uberiùs, et vos illud chariùs habeatis quod improbis precibus impetraveritis.

QUÆRITE, id est, sedulò intentèque petite. Quia lenti et pigri ad orandum sumus, et ferè parùm liberaliter de Patris nostri beneficentiâ sentimus ac fidimus, tribus loquendi formis eamdem rem iterat atque urget; docetque *non obiter* aut defunctoriè orandum esse, *sed cum sedulitate multâ,* inquit Chrysostomus, *ac magnâ intensione,* et constantiâ *ardoreque vehementi.* Nam sedulitas quidem et intensio, quærendi voce; ardor autem et constantia sive perseverantia, pulsandi, intelligenda dantur : nam sonitum fervidum edit qui pulsat, et quasi vim facit postquàm clamans non exauditur (non enim nisi tandem pulsus adhibetur, ubi clamor nihil proficit), *qui autem quærit, cuncta alia mente projiciens, sedulò in unum intendit illud quod requirit. Nam longè meliùs* (quod B. Augustinus docet libri Retract. primi capite 19) *ad instantissimam petitionem hæc omnia referuntur.* Non vult Deus dona sua nimiâ inveniendi facilitate vilescere; pretiosa et concupiscibilis merx cupidum amatorem et avidum negotiatorem requirit. Quod dare vult differt, ut amplius desideres dilatum, ne vilescat citò datum. Porrò quærendi metaphorâ Salvator est usus, quòd nos lateat ubi sint, quæ necessitas nostra postulat, nec suppetunt; pulsandi verò, quòd sensus carnis imaginentur clausa esse, quæ ad manum non adsunt, propiùsque urgendum quasi esse, qui non perinde statim exaudiat clamantis vocem.

PULSATE, id est, petite ardenter et perseveranter, ut qui extorquere velitis tanquàm ab invito, violentiâ quasi adhibitâ. Hæc omnia orandi ardorem et perseverantiam præscribunt, et tria ipsa unum hoc declarant. Orate perseverantissimè, certoque certiùs impetrabitis. Hæc est enim improbitas, quâ veluti vinceretur et expugnaretur Deus, si etiam difficilis foret. Tanta autem perseverantia adhiberi debet pro re quâque, quanta res est ipsa quæ petitur.

VERS. 10. — OMNIS ENIM. Ne intelligeres solis apostolis aut aliis nescio quibus promissam esse exauditionem, confirmat promissionem generali sententiâ, quâ, tantâ constantiâ et fide, Patris gratiam omnibus precantibus offert, ut intelligendum relinquat, justas ignaviæ suæ dare pœnas, quotquot rebus ad salutem necessariis destituuntur. Apud hominem, inquit, nonnunquàm incassùm funduntur preces, vel quia non potest præstare quod rogatur, vel quia non vult roganti. Verùm apud Deum, qui et omnipotens et optimus est, omnis qui petit accipit; *Omnis,* sine exception e, sit dives, sit pauper, sit parvus, sit magnus, imò sit justus, sit peccator, neminem excipit Deus, modò non sit ejusmodi, cui propositum peccandi perseveret. De hoc enim scriptum est Prov. 28, v. 9 : *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.* Nam in promissionibus ejusmodi generalibus, ferè subaudiendum est, quantùm hâc ex re est; nisi aliunde impedimentum adferatur.

ET PULSANTI APERIETUR. Ferventes constantesque preces nunquàm irritas fore pronuntiat : non enim tria ista seorsùm singula accipienda sunt, sed conjunctim, quod diximus, ferventes constantesque preces significant : quæ quidem probant, Dei dona, quemadmodùm decet, æstimari, optari, atque expeti, ac proinde Dei gratiam conciliant, videntis, non contemptionem, sed contentionem eorum qui ipsius dona petunt.

VERS. 11. — QUIS AUTEM EX VOBIS PATREM PETIT PANEM. Græcè ad verbum est : *Quem autem vestrùm patrem petet filius panem?* Similiter Syriacè : *Quis enim ex vobis pater, quem petit eum filius ejus panem.* His accedit D. Augustini lectio sermone de Verbis Domini 29 : *Quis est vestrùm à quo petit filius suus panem?* sed quocumque horum modorum legas, durè incommodèque sequitur : *Numquid lapidem dabit illi?* Cæterùm sensus non prorsùs obscurus est : sed hoc reliquis incommodior Versio vulgata, quod legat *quis* pro *quem,* et omittat vocem *filius.* Interpres videtur

inferri. Vis autem illa non in solâ petitione sita est, sed etiam in aliis orationis adjumentis : inter quæ primò est continentia, de quâ Hieron., epist. 22 ad Eustochium : Nisi, inquit, vim feceris, cœlorum regnum non capies : nisi pulsaveris importunè, panem non accipies sacramenti. An non tibi videtur violentia, cùm caro cupit esse, quod Deus est, et illuc, unde angeli corruerunt, angelos judicare conscendit? Secundò, pœnitentiæ quædam austeritas, de quâ Tertull. in Apologetico, c. 40. Nos jejuniis aridi, omni continentiâ expressi, ab omni vitæ fruge (id est, deliciis) dilati in sacco et cinere volutantes, invidiâ cœlum tundimus, Deum tangimus, et misericordiam extorquemus. Tertiò, concordia orantium, de quâ ibid., c. 39. Corpus sumus de conscientiâ religionis, et disciplinæ unitate, et spei fœdere, quo imus in cœtum et congregationem, ut ad Deum quasi manu factâ precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Ita Tertull. Ne quis verò peccator terreretur, putans impetrationem illam esse justis propriam, occurrunt illi suspicioni verba parabolæ; *Et si non dabit illi, quod amicus ejus sit, etc.,* sicut notat Basil. in Const. Monast., c. 2, ubi monet, et si complures anni in petendo prætereant, perseverandum esse tamen, donec impetretur. Unde Judith meritò reprehendit Oniam, quòd non ultra quinque dies auxilium exspectandum esse judicaret, Judic. 8, v. 11 et 12.

Græcè legisse, τίς δὲ ὑμῶν, ac proinde de industriâ omisisse vocem *filius*, ut quæ satis intelligatur ex voce *patrem*. Porrò ut sensus elucescat, subaudiri oportet conjunctionem *si*, quæ in proximis membris exprimitur, et nomen *pater* : Si *quis autem ex vobis, patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi* pater?

Aut piscem. *Si et piscem*, si etiam piscem. Syrus : *Et si piscem rogaverit eum;* obsonii loco.

Serpentem, qui non vitam sustineat, sed mortem inferat. Pulchra oppositio piscis et serpentis, rursùs panis et lapidis : figurâ enim sibi mutuò cùm persimilia sint, ad hominis usum ex diametro distant.

Vers. 12. — Scorpionem, quo ictus intereat? Solent nonnunquàm scorpii, vacuo ovi putamini inclusi, insidiosè iis dari quorum mors quæritur.

Vers. 13. — Cum sitis mali, tametsi mali sitis. Malos vocat homines omnes, etiam justos : nam quos malos, eosdem mox filios Dei nominat, cùm addit : *Pater vester,* id quod B. Augustinus notavit capite 3, lib. 3, contra duas epistolas Pelagianorum. Malos autem vocat, non ex naturâ ipsâ, sed ex naturæ corruptione, quippe quâ fiat, ut proclives ad malum omne omnes sint, et sine frequentibus delictis nequaquàm vivant. Priorem rationem Augustinus, ex Hilario tractante Psalmi 118 litteram *samech*, habet libro in Julianum secundo ; posteriorem, libri primi contra adversarium Legis et Prophetarum capite 22.

Bona data, dona bona ; ubi proximius esse videatur, ut mali mala detis, neque omninò annuatis id quod postulant boni. Temporaria enim licèt sint, et ad vitam istam caducam pertinentia, sunt tamen bona, ejusmodi, quæ quando mali dant, non sua dant, sed Domini, cujus est terra et plenitudo ejus.

Vestris, nimirùm, quia filii sunt, paterno affectu malitiam superante.

Pater vester, omnis malitiæ expers, solus absolutè bonus, cujus natura bonitas est, ipseque ipsum summum bonum : *Nemo bonus nisi solus Deus,* Luc. 18, v. 19.

De coelo, qui ex cœlo, id est, cœlestis. Cæterùm, cùm non propriè Deus Pater ex cœlo, sed in cœlo esse dicatur : verisimile est, adjectitium esse articulum ὁ (certè interpretes Latinus et Syrus eum non reddiderunt), et *de,* seu ex *cœlo,* jungendum esse cum verbo *dabit.*

Bonum, sanctum, quo modo etiam Syriacè legitur. Per spiritum autem bonum sive sanctum, intelliguntur dona Spiritûs sancti, non solùm septem illa celebria, verùm etiam quævis dona Dei, etiam corporalia ad spiritum modò ut ad finem relata, quæ omnia Spiritui sancto, propter peculiare bonitatis epitheton, solent attribui, nec possunt non esse bona salutiferaque. Spiritus bonus, est id omne quod oratione rectè petitur à Deo, quod quidem omne superiori Oratione Dominicâ comprehensum fuit.

Petentibus se, filiis suis bona? vobis filiis suis qui bona petitis ab ipso? Nam lapidem aut serpentem, mala aut noxia vobis, si fortè petatis, non sinat paternus affectus ut ea det vobis, nisi, si non ut filios, sed ut inimicos vos gerentibus, justus judex iratus det, quæ propitius negaret. Docet itaque oportere filios esse eos qui petunt, ac proinde nihil petere, nisi quod et patrem dare et filios deceat accipere.

Vers. 14. — Et erat ejiciens. Quodam autem tempore dabat se, expellendo dæmonio ex quodam.

Mutum, quia mutum reddebat eum quem occupabat.

Cum ejecisset. Græcè et Syriacè est *cùm exiisset;* fierique possit ut interpres ita verterit.

Mutus, is qui dæmonio agente mutus fuerat.

Admiratæ sunt tantam potentiam.

Vers. 15. — Ex eis, ex numero turbarum. Scribas et Pharisæos Lucas sub turbis comprehendit, quos alii distinguunt adversùs turbas, solum vulgus hominum turbarum nomine intelligentes.

Beelzebub. Ita legendum est Hebræo et Syro suffragantibus, non ut Græcè in plerisque codicibus legitur Βεελζεβοὺλ, *Beelzebul.* Est autem nomen compositum ex *Beel* sive *Baal* (utrovis enim modo ut legas, sinunt Hebraicæ litteræ בעל), quod dominum, et *zebub,* quod muscam significat. *Baal,* Dominum vocabant gentes Judæis vicinæ singulæ Deum sive idolum suum, aliquando autem, ad distinctionem diversorum, addebant nomen alterum, ut *Baal* sive *Beel phegor,* quod erat idolum Moabitarum, Num. 25, v. 3. Ita ergo et *Baal* sive *Beelze bub,* quod idolum erat Accaronitarum, 4 Reg. 1, v. 2; sic dictum, dominus muscæ sive muscarum, sive quòd, propter victimarum copiam, muscarum examinibus ipsius templum scateret : sive quòd incolæ opem ab illo postulare soliti fuerint adversùs muscas quæ loco infestæ essent. Quare non fuit ex suâ origine nomen probrosum ; sed Judæi sancti, in odium ac detestationem idoli, nomen illius ad dæmonem, eumque primarium significandum transtulêre (videtur enim *Beelzebub* apud Philistæos inter primos Deos fuisse in honore), quemadmodùm aliàs nomen gehennæ, quò locus abominandus infamiâ notaretur, ad inferos denotandos. Judæi itaque reprobi, Christi ætate, ut Christum detestabilem redderent populo, eum quàm probrosissimè potuerunt vocarunt *Beelzebub,* id est, principem dæmoniorum, tanquàm maximum Dei et religionis hostem. Nam quia non erat aliud convicium probrosius, idcircò illud in exemplum Christus attulit. Vel certè, *Beelzebub,* dicuntur Christum vocitâsse, quòd dicerent Beelzebub operâ ipsum uti ad pellendos dæmones, quippe socium et amicum Beelzebub, principis dæmoniorum.

Vers. 16. — Et alii tentantes. Alii cùm nollent eum in modum maledicere, tamen ac si non satisfacerent eis miracula ista sanitatum, quibus dæmonum terram incolentium præstigiæ se queant miscere; *tentantes,* hoc est, non eo fine ut crederent in Jesum; sed ut turbarent aut irritarent eum, et viderent quid esset facturus dicturusve. Nam si fateretur se non posse dare, persuaderent illi rudi populo ipsum nihil habere auctoritatis à cœlo.

Signum, miraculum aliquod insigne de coelo, ex cœlo proficiscens, ubi Deus habitat, et unde diabolus

pulsus est, quo manifestè declararet se à Deo missum.

Quærebant, petebant.

Vers. 17. — Ut vidit, cùm sciret.

Cogitationes, multòque magis verba quæ locuti fuerant populo. Jesus virtute divinâ intellexit blasphema verba, quæ illi longiusculè ab ipso positi populo insusurrabant; intellexit et mentem quâ id facerent, dùm non inscitiâ aut temeritate, sed datâ operâ et dolo malo, contra dictamen suæ ipsorum conscientiæ, convicium fabricarent, et impugnarent quod rectum erat, diabolo ascribentes quod cernebant Dei opus esse, ad hoc ut à Christo et Evangelio populum abstraherent. Quia itaque blasphemia ista ex professo Dei gloriam hominumque salutem impugnabat, et Jesus conceptæ intùs malitiæ judex ac testis erat, ideò pluribus eam accuratèque refutavit, summâ tamen usus mansuetudine.

Dixit. Exemplis aliquot à rerum naturâ et experientiâ sumptis refutat adversarios; et primùm quidem ostendit non se uti operâ dæmonis.

Omne regnum, quamvis amplum et invictum.

Et domus supra domum. Ita est ad verbum, *domus super* (seu adversùs) *domum;* obscurè, tum ex eo quod Hebraico more repetitur antecedens loco relativi, pro eo quod dicas : Domus adversùs semetipsam; tum ex eo quòd subaudiendum relinquatur participium *divisa :* Domus adversùs semetipsam divisa seu partita; ille itaque genuinus est sensus quem expressit etiam Syrus.

Cadet, vel ut est in aliis libris Græco conformiter, *cadit,* mox necesse est cadat, non potest subsistere.

Vers. 18. — Divisus est, Satanas, sive corpus Satanæ, turba dæmonum : pugnant dissidentque inter se dæmones, dùm alii lædere, alii liberare homines student. Nam si quando inter se colludant, et spontè cedant unus alteri, ita se vinci simulant, ut iidem ipsi nihilominùs triumphent; atqui Christus aperto Marte illos aggressus est, ut illos prorsùs dejiceret ubicumque se offerrent, nec quidquam illis faceret residuum, ita ejiciens ex hominibus, ut homines sanos et integros Deo restitueret. Et collusio quidem sive voluntarius egressus simulatâ expulsione velatus, locum habere queat semel aut iterùm; sed ubi tot numero quot se Christo quotidiè dæmoniaci offerunt expelluntur, idque summâ cum facilitate simul et auctoritate, ab eo qui rebus ipsis manifestè se diaboli inimicum undequaque declaret, fieri non potest ut fiat operâ dæmonis, quin egregiè inter se discordent et tumultuentur dæmones. Quamvis enim sit inter dæmones alius alio superior : non tamen patiantur inferiores se exturbari amatis et multis sæpè laboribus acquisitis possessionibus, quin adversùs superiores rebellent, superbiâ omnes cùm certent inter se, obedientiâ vacui, in hoc unum concordes ut hominibus noceant, quæ et unica quâ se oblectent voluptas est.

Stabit, quomodo igitur curæ est Satanæ ut firmum stet

Regnum ejus? Diabolus summâ calliditate ab initio occupavit in homines regnum, seu propriè loquendo tyrannidem, dùm illos ad peccatum pertraxit. Quo quidem regno, superbus ille adeò elatus et oblectatus est, ut nihil prius illi fuerit, quàm summâ semper curâ illud stabilire, amplificare, hominesque sub peccati miseriarumque jugo tenere, suffragantibus et cooperantibus angelis suis. Quòd si jam ipse passim exigat angelos suos ex hominibus (quâ non est illis gratior habitatio), summas procul dubio movet discordias, acuitque illos in seditionem adversùs se, et omninò dissident in partes contrarias, dùm hi regnum continent et tuentur, ille verò stultissimè exspoliat ac destruit; nam depereunt regno tot homines, quot à dæmonum occupatione liberantur, minimùm, ut non tantùm subjecti sint quantùm fuerant. Pessimè itaque consulit regno suo, dividens illud atque exspolians; brevì enim hujusmodi dissidiis corruat necesse est. Cæterùm cùm id nullo modo credibile sit de astutissimo hoste, cui è contrario ante omnia cordi est regnum tueri et augere, hominesque sibi mancipare; evadit manifestum, quàm absurda calumnia sit dæmonia à me illius operâ ejici.

Vers. 19. — Filii vestri. Alterum argumentum ab auctoritate et experimento, quo ostendit etiam ampliùs quàm eo quod præcedit, se, inquam, Dei virtute ad expellendos dæmones uti. Per filios autem intelligit exorcistas gentis Judæorum, quales erant septem illi filii Scevæ, principis sacerdotum, de quibus Act. 19, v. 14, quos à Salomone accepisse rationem conjurandorum dæmonum perhibet Josephus, lib. 8 Antiq., cap. 2. Filios autem vocat Pharisæorum et scribarum, quia Pharisæi et scribæ, qui inter Judæos tanquàm patres habebantur, hos ut filios agnoscebant et probabant, cùm Jesum è contra detestarentur.

In quo ejiciunt? per quem, cujus operâ aut virtute expellunt dæmones? Responsum ab ipsis peti vult, tanquàm diceret, in confesso esse quid responsuri sint, illos nempe invocato nomine Domini, virtute Dei, ejicere dæmones.

Judices vestri erunt, collatis inter se ipsorum et meis gestis, reipsà condemnabunt vos invidiæ atque odii in me concepti, et perfidæ in Deum blasphemiæ, quòd idem unum opus ejectionis dæmonum, in illis quidem divinæ virtuti, in me autem, in quo illustriora fulserunt divinæ præsentiæ argumenta, diabolo ascripseritis. Hæc enim inæqualitas ostendit, quod æquum et rectum est non valere, sed cæcum erga Christum odium dominari; dùm in hoc damnant, quod in suis laudi ducunt.

Vers. 20. — In digito Dei. Deo operante, superest *in.* Operatur autem Deus et virtutem suam exerit per Spiritum suum; ideò quem Spiritum Dei Matthæus dixit, Lucas metaphoricè digitum Dei vocat; quò alludit Salvator ad illud Exodi 8, v. 19 : *Digitus Dei est hoc;* ubi digitus Dei, adversarius esse perhibetur præstigiis dæmonum ac magorum. Simul et remittit nos ad historiam illam Exodi, significans se regni Dei legatum, ducem ac ministrum, non minoribus, sed

majoribus confirmatum signis, quàm patribus illorum Moses fuerit agnitus, captivitatis ac tyrannidis Ægyptiacæ vindex, et regni ac populi terreni minister. Explicuimus autem aliàs plures rationes ex veterum libris depromptas, ob quas Spiritus Dei vocetur digitus Dei, quia consubstantialis ex Patre et Filio procedat, quia eo Deus operetur ut homo digitis, quia diversitas partitioque donorum per eum detur, quia Deus illo inungat ea quæ sanctificat, quia monstret viam rectam et veritatem doceat, quia scribat legem in fidelium cordibus, etc.

Regnum Dei; eripiuntur enim homines diaboli imperio, multi corporaliter, plures spiritualiter (illud enim hujus typum gerit), et impletur illud Scripturæ: *Ipse conteret caput tuum,* Gen. 3, v. 15. Ita destructo diaboli regno, surgit Dei regnum, cui ingrati et miseri vos opponitis, eligentes à partibus diaboli esse, potiùs quàm Deum apud vos regnare, et oblatam regni illius salutem amplecti. Quid sit regnum Dei, vide supra.

Vers. 21. — Cum fortis, aliquis armatus, omnis generis armis egregiè instructus.

Atrium, aulam, palatium, domum, nemine scilicet ipsum aggredi aut turbare audente. Atrium sive aula propriè est apertus et vacuus locus, ante potentium ædes expositus; sed accipitur synecdochicè pro palatio ipso, ut etiam hoc loco, nam alii evangelistæ domum vocant.

In pace sunt ea quæ possidet, tranquillè ac beatè frui potest iis quæ possidet, hoc est, bonis suis. Nam est Græcè, ad verbum, *suppetentia sibi,* ea quæ habet ipse, bona ac facultates ipsius.

Vers. 22. — Superveniens, ex improviso adveniens. Quidam vertunt *aggressus* ex ἀπελθών.

Universa arma. Una vox est quâ Græci declarant quidquid ad justum apparatum armati viri pertinet.

Spolia ejus, sive quæ fortis ille ab aliis, sive quæ fortior ab hoc, abstulerit.

Distribuet, vel, ut in aliis est libris, Græco conformiter, præsenti tempore, *distribuit,* scilicet servis atque amicis suis. Ita scilicet agitur in præsenti negotio. Ab initio mundi usque ad temporis plenitudinem, Satanas regnum suum, validis munitum præsidiis, servavit incolume, et tranquillè hominum dominatus est, quos sibi mancipatos, compedibus variis ita ferè constrinxerat, ut servitutem cui addicti erant, foverent potiùs, quàm ad libertatem ullo modo aspirarent. Denique nihil obfuit, quò minùs sine controversiâ in mundo dominaretur : non quòd opifice invito quidquam posset, sed quòd justâ Dei vindictâ, homines propter peccatum, ipsius tyrannidi subjecti essent. Nec enim erat in terrâ qui illum expugnaret, aut qui viribus armisve cum illo contendere auderet, quandoquidem hominibus nulla ad se juvandos suppetebat facultas. Adveni igitur ego, promissus è cœlo Redemptor, Satanæ inexspectatus, qui fortior, quippe Dei Filius, Satanam vinco, et armatâ illi manu extorqueo humanum genus, quod nunquàm nisi coactus dimittit. Arma illi aufero, in quibus illi spes omnis erat, ne pro libitu aut tueatur aut propaget imperium; hominesque, quos injustè ille, tyrannicè, ac præter naturam, sibi vindicârat, Deo creatori assigno, et sanctis angelis dirigendos ac custodiendos partior. Videtis me hæc ita feliciter adoriri, ex quotidianâ dæmonum ejectione, peccatorum conversione, et cætera plura visuri suo tempore. Ut fortior itaque dæmonia ejicio, non ut indigus opis illorum. Discamus hic, quòd obnoxii sumus omnes Satanæ, donec forti ac victrice Christi manu, ab infaustâ tristique tyranni servitute liberemur.

Vers. 23. — Qui non est mecum. Vulgatam certissimamque sententiam, quæ Hebraicè proverbii modo ferebatur, suo accommodat proposito, terrens auditores eos qui medii ita se gerebant, ut nec adhærere Christo, nec oppedere vellent, multò verò magis eos qui manifestè ipsum oppugnabant; quemadmodùm si rex, necessarium bellum gerens, dicat subditis suis : Quicumque vestrûm non est mecum, contra me est. Nam occasione belli quod sibi cum Satanâ esse dixerat pro redemptione generis humani, addit bellum esse universale, à quo nullus hominum subducere se possit quin stet à partibus alterutrius sive Christi sive Satanæ, principum nullo unquàm fœdere conciliandorum; medium neutrumve esse, ut nec cui adhæreas nec alteri, non licere : nam *qui mecum non est*, inquit, qui non est in parte meâ, non favet partibus meis, ad tyrannum hunc expugnandum illiusque regnum destruendum;

Contra me est, adversarius meus est, stat à partibus Satanæ, quas promovet, eo ipso quo se mihi, prout tenetur, non jungit; vel ipso animi consensu, si amplius nequit; depugnanti pro ipsius aliorumque hominum liberatione. Christus neminem pro suo agnoscit, qui non integro sinceroque animo ipsi adhæreat : diabolus omnes absque delectu ad sua castra admittit quantùmvis diversos atque adversos, qui modò Christo non faveant.

Non colligit; *non congregat* vertit secundùm Matthæum; eadem enim utrobique sunt proverbii istius Græca verba : non jungit se mihi.

Spargit, elongat se à me, abit in dispersionem cum Satanâ; adversarium se mihi constituit.

Vers. 24. — Cum. Hoc postremo simili terret Judæos, denuntians universæ genti pœnam quam ipsorum ingratitudo in hâc quoque vitâ meretur, quod oblata Dei gratia non sit illis curæ; nam mox locutus est de eâ quæ illos in futuro seculo manet, damnatione. Quanquàm enim generalis hæc doctrina sit, ut sciant quale sibi judicium accersant, qui, in vanum acceptâ Dei gratiâ, januam diabolo rursùs aperiunt; tamen ad Judæos primùm hoc dictum videre licet ex fine versûs sequentis in Matth. *Sic erit et generationi huic pessimæ.* Quare claritatis causâ totam hanc orationem ita possis construere : Accidet perversæ huic nationi, non secùs quàm accidit homini, ex quo spiritus immundus semel ejectus, in eumdem pluribus sociis comitatus revertitur. Sumpta est itaque similitudo ab homine obnoxio dæmonio malo, qui, postquàm liberatus est et suæ menti redditus, suâ ignaviâ dæ-

moni redeunti fenestram aperiens, longè graviùs laborat quàm laborârat priùs.

Exierit, divinâ fugatus virtute.

De homine, in quo sedem fixerat.

Ambulat, perambulat. Loquitur de diabolo tanquàm de homine.

Inaquosa, aquis carentia, ac proinde sterilia, deserta, et ad habitandum inepta : id est, quòcumque pergat, omnis illi extra hominem habitatio ingrata est, et tanquàm triste exilium ac squalido deserto simile.

Non inveniens requiem, quia tamdiù sibi displicet animoque torquetur ac discruciatur, quamdiù extra homines habitat nec illos infestat.

Dicit. Ingenium studiumque Satanæ nobis describitur, quòd nunquàm cesset à noxis, nunquàm quiescere aut à malo inferendo queat abstinere, sed assiduè satagat, seque hùc atque illùc verset, denique suos omnes intendat conatus et sensus excitet, ut domicilium recuperet quo pulsus est; ut enim superbissimus est, expulsi magis acuitur rabies ac nocendi libido, dolore ex amissâ prædâ concepto. Quare discamus, simul ac laqueis ejus Christi gratiâ erepti sumus, vehementius et acrius certamen paratum nobis esse; illum enim majore contra nos odio ardere, et magis hostili impetu adversùs nos ferri.

Revertar, omnem movebo lapidem ut revertar.

In domum meam, hominem intelligit. Misera hominis conditio, dæmonum esse habitaculum : quod quidem vitio Adæ omnes naturâ sumus.

Unde exivi. Non dicit pulsus sum, nec enim id vult superbus agnoscere; sed tanquàm spontè exierit, redibo, inquit, stoliditas enim mea, aut certè ignavia fuit, quòd exierim. Hoc modo se animat, et vires novas colligit, ad certamen miserique hominis de integro oppugnationem.

Vers. 25. — Invenit, præsens est, ut mox; ita sæpè fit ut inveniat : non enim semper invenit;

Scopis mundatam, versam. Nec solùm nihil invenit quod impediat, verùm etiam quod alliciat et oblectet. Eo modo paratam invenit ac si ipse invitaretur, et cupidè rursùs exspectaretur hospes; quo modo cupidè excepturus hospitem aliquem, parat, purgat, ornat domum, ut in illam libeat se recipere. Sensus est igitur, invenit hominem eo statu; ut diabolo rursùs commoda esse possit et delectabilis domus; similitudo enim ab hominibus sumpta est, quos mundities et nitor in hospitiis delectat. Nam spiritui immundo sola immunditia placet, et deformitas pulchra est; nihil ei benè olet præter fetorem et sordes, unde eversum est quidquid affectionum est cogitationumve piarum. Sparsa sunt autem aconita pro floribus, et tensa aulæa superbiæ omnisque impuritatis. Hæc enim ornamenta sunt domûs illius quæ diabolo placeat.

Vers. 26. — Tunc igitur.

Fiunt, vel ut in aliis libris est, *sunt.*

Pejora prioribus. Subaudiendum est hìc ex Evangelio secundùm Matthæum : *Sic erit et generationi huic pessimæ;* quâ ex pericope, proprius parabolæ sensus colligendus est. Interim verò, quod ad propositam controversiam faciat, dat intelligendum Salvator, tantùm abesse, ut ipse ope dæmonis dæmonem expellat, ut ingenio [prorsùs contrario, nihil æquè desideret dæmon, atque homines occupare, usque adeò ut si ex quo ejectus sit, modis omnibus redire studeat, et septem potiùs alios secum ingerat, quàm ut iterùm in expulsionis periculo versetur, aut unus solus de eo se ulciscatur quem semel relinquere coactus fuit.

Vers. 27. — Cum hæc diceret, cùm hunc in modum refutaret et revinceret adversarios suos, elevantes miracula ipsius.

Extollens vocem, ut ab omnibus, Jesu cæterisque præsentibus, posset audiri.

Quædam, ignota mulier, admirata sapientiam Jesu, simul et virtutem edendi miracula quæ viderat. Viris, aut blasphemantibus aut tacentibus; admirantibus licèt; una mulier, accensa fide et benevolo erga Jesum affectu, se continere non potuit quin admirationem suam clamore declararet, et in ejusmodi vocem erumperet, quâ Jesum palàm defenderet ac laudaret, nihil verita præsentium Jesu adversariorum auctoritatem.

De turba, constituta in mediâ turbâ.

Beatus, felix, honore cumulatissimus venter, quicumque ille tandem : nec enim verisimile est notam ipsi fuisse Jesu matrem. Qui te, talem tantumque virum, qualem quantumque verba et opera tua præ se ferunt; portavit, genuit, et ubera quæ te nutrierunt. Periphrasis est matris descriptæ à ventre et uberibus, non præter morem Scripturæ, infra, 23, v. 29, q. d. : Beata te filio mater. Tu hujus modi es, ut felix sit mater, quæcumque tandem illa te filium genuit et educavit. Laus est congrua personæ loquentis mulieris, à rebus videlicet muliebribus et fructu ventris laudare mulierem. Cæterùm non tantùm matrem Jesu prædicat beatam, sed et obliquè optat contingere sibi posse similem beatitatem. q. d. : O si hujusmodi filio me auxisset Deus, quàm beatam me reputarem! Cùm filium admiraretur hæc mulier, et virum præstantissimum, qualem non alium, agnosceret, meritò matrem ejus beatam exclamavit; beatam autem, non perfectè, sed quemadmodùm beati

Vers. 27. — Factum est autem, etc., extollens vocem quædam mulier, admirata scilicet sapientiam revincentem adversarios, miraculorum virtutem, verborumque vim, non potuit se continere, quin admirationem suam clamore et laudibus expromeret. Quo indicatur magnitudo affectûs ejus erga Jesum eo ipso tempore, quo calumniis Pharisæorum petebatur. Beatus venter qui te portavit et ubera quæ suxisti. Periphrasis est matris, ab iis partibus, quæ gignendo alendoque, Christum servierunt : q. d. ; O tali filio felicem matrem. Honor enim filii in parentes redundat; unde et ipsa sancta Virgo hanc beatitudinis precationem sibi futuram prophetavit in Cantico, dicendo : *Ecce enim ex hoc beatam me dicent,* etc. An autem hæc mulier solùm sensu muliebri hoc dixerit, sicut solent matres beatæ prædicari propter filios, an verò ex fide incarnationis Christi non constat. Illud postremum sicut sentit Beda, qui hanc mulierem typum

dicuntur in hâc vitâ, qui insigni aliquo bono excellunt. Filio ergo beatam prædicat; ut etiam ex Scripturæ more hæc benedictio celebratur, et singulare Dei donum reputatur, proles eximiis ornata virtutibus, præstantia enim filii quodammodò ascribenda est matri, ut effectus causæ, et honor filii in matrem redundat, adeòque honor et ignominia matri filioque communia sunt, propter arctissimam illam sanguinis naturæque communionem. Quare rectè hæc mulier prædicavit matrem Jesu beatam; quæ beatior etiam fuit quàm mulier hæc benè noverit; quantum enim beneficium, quantus honor, quanta dignitas, matrem esse Filii Dei! Quò respicientes archangelus Gabriel et Elisabeth, benedictam seu beatam dixerant in mulieribus, diù ante hanc mulierem, supra 1, v. 28, adeòque etiamnùm omnes generationes beatam dicunt, juxta propriam ipsius prophetiam supra, 1, v. 48. Sed quòd mulier matrem laudet potiùs quàm patrem (eadem est enim patris, quæ matris ratio, adeòque potior patris, in participandâ laude filii, Prov. 1, v. 105), facit non quòd noverit Jesum è matre virgine natum fuisse; sed quòd suo faveret sexui, velletque votis id assequi posse, ut similem pareret filium; quanquàm, ut non est dissimile vero actam Spiritu sancto sic esse locutam, ita possint verba ejus diviniùs accipi et exponi, quàm ipsa intellexerit. Cæterùm non tam mens ejus fuit laudare matrem Jesu, quàm ipsius Jesu excellentiam hoc elogio extollere; non enim per seipsam beatam dixit, sed quòd hujusmodi filium genuisset; consequens est autem, ut si beata sit mater propter filium, multò magis beatus sit ipse filius. Ergo cùm observaret hæc mulier, scribas et Pharisæos adversari Jesu, et sine justâ causâ damnare opera dictaque Jesu: ipsa suscipit ejus defensionem, et coram omnibus eum laudans, ut singularem, eximium, et divinum virum, reipsà dicit invidiâ agi eos qui ipsi obstrepant.

Vers. 28. — Dixit. Ad hanc mulieris vocem non potuit tacere Jesus, ne videretur sibi arrogare laudem quam illa tribuerat.

Quinimo, imò verò. Augustinus, lib. de sanctâ Virg., cap. 3, et tract. 10 in Joannem legit *imò*. Alii vertunt *certè*. Euthymius exponit, *verè dico vobis*. Syrus omittit, sine detrimento sententiæ. Responsurus mulieri Jesus, non reprobat aut corrigit elogium ab ipsâ prolatum, tanquàm falsum aut reprehensioni obnoxium, ne veritati adversetur; sed nec probat disertis verbis, ne se matremque suam ipse laudare videatur: sed ut qui dissimulet illud, et audire ac tractare nolit; tacet de eo, ingerit verò et opponit illi aliud elogium, tanquàm certius, potius et pluris faciendum; q. d.: Tu dicis, beatus venter, etc.; ego verò dico, beati qui, etc. Hoc posterius in medium profert, tanquàm potius, et pluris faciendum, duas ob causas; unam, quòd ad omnes pertineat, quòd posteriorem hanc beatitatem omnes assequi queant, ne vel ipsa illa mulier desperet beatæ nomen, etsi longè ab eo, ut sit mater Christi. Una enim sola potuit Christum utero gestare et lactare uberibus: sed beatitudo custodientium verbum Dei, potest omnium esse communis. Altera causa est quòd certiorem potioremque beatitudinis rationem in se contineat, custodire verbum Dei, quàm esse matrem Christi. Simile legimus Psalmi 143, v. 15: *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt: Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.*

Beati, quippe qui certiùs ac propiùs ad perfectam regni cœlorum beatitudinem accedant, quàm mater mea, ex eo quòd mater est. Matrem esse filii alicujus præclari, etiam Christi, beatitudo quædam est corporea et externa, quæ matris animum non facit ex se meliorem aut Deo gratiorem; ut nec valet per se adducere matrem ad regnum cœlorum, in quo vera beatitudo sita est. At custodire auditum Dei verbum, reddit hominem animo meliorem et Deo gratiorem, certumque est medium quo perveniatur ad beatitudinem æternam.

Audiunt; illud enim primum est, nam fides est ex auditu, Rom. 10, v. 17. *Audiunt* autem, ita ut credentes recipiant.

Verbum, doctrinam à Deo profectam, quæ à me post Mosen et prophetas prædicatur.

Et custodiunt, auditum cordeque exceptum observant atque opere perficiunt. *Custodia sermonis Dei,* inquit Euthymius, *ejus est adimpletio.* Non sufficit audire, nisi etiam facias; id quod supra c. 6, v. 46 Salvator ex professo docuit, et omnis Scriptura loquitur. Nec sufficit semel atque iterùm facere, sed consuetudine opus est ac perseverantiâ, quæ notatur verbis præsentis temporis *audiunt, custodiunt.* Occasione igitur acceptâ ab eo quod mulier dixerat, commendat Jesus Dei verbum quod ipse prædicabat, et ad illud audiendum observandumque omnes invitat, asserens potissimam beatitudinis rationem hâc in re sitam esse, et quasi respondens mulieri: Non sis anxia quòd tu talem filium non genueris, qualem me esse putas, quasi minùs beata sis matre meâ: dico tibi et præsentibus omnibus, potissimam beatitudinis hâc in vitâ rationem, non sitam in eo esse, ut filios quis habeat præclaros, sed ut auditum Dei verbum

Ecclesiæ gessisse notat; primum plerique posteriores.

Vers. 28. — At ille dixit: Quinimo beati. Græcum sonat, *imò verò,* quod Erasmus notat nec affirmare nec negare illud cui subjungitur. Aug., tract. 10 in Joan., et lib. de sanctâ Virginit., c. 3, legit *imò*. Videtur itaque Christus apertè nec admittere, nec negare id quod mulier dixerat, ne vel se et matrem laudaret, vel falsum diceret; sed aliud elogium subjicit tanquàm certius et potius, et pluris æstimandum; q. d.: Tu beatam prædicas matrem, etc.; ego verò dico: Beati qui audiunt verbum Dei; nam inde concipitur fides, quæ ex auditu est; et custodiunt illud, animo diligendo et opere adimplendo, quia hoc hominem facit meliorem, Deo gratiorem, veràque dignum beatitudine. Nam, ut optimè Aug., materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi feliciùs Christum corde quàm carne gestâsset: beatior enim percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi; cùm ergo non neget Christus matrem suam beatam, neque primo illo genere beatitudinis, qua-

custodiat et observet. Hoc qui perfectissimè facit, omnium beatissimus est. Ita docuit Jesus quod ex re erat præsentium omnium, laude beatitateque matris suæ silentio præteritâ, ne in ipsius ore sordesceret. Non tamen negat matrem suam ex eorum esse numero qui custodiunt verbum Dei : sed dat intelligendum, beatiorem esse eâ ex parte, si custodiat verbum Dei, quàm ex eâ quòd mater sit Christi Filii Dei. Id annotant Theophylactus in commentario, Chrysostomus in Catenâ, et Augustinus locis mox citatis, ubi inter cætera ait : *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi feliciùs Christum corde quàm carne gestâsset. Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.*

Vers. 29. — Concurrentibus. Alius vertit : *Condensantibus se ;* alius : *Cùm congregarentur apud eum.* Concurrit, verisimile est, et condensavit se turba, ut quisque quàm proximus Salvatori fieret, quando Pharisæos petentes audivit miraculum è cœlo, ut videret propiùs quid faceret Jesus, aut audiret quid responderet. Nam quòd iste evangelista per anticipationem narravit supra, v. 16 ; hoc loco accidisse Matthæus docere videtur c. 12, v. 38.

Generatio, natio, gens ; explicat, non eorum tantùm qui interrogaverant, sed et nationis totius, cujus illi erant capita, proprietates et ingenium. *Judæi enim signa petunt,* quod ait Apostolus, 1 Cor. 1, v. 22, et evangelistæ passim testantur : nam et frequenter repetiverunt hanc ipsam exactionem.

Nequam, *mala,* scelerata, domus exasperans jam olim : malum hominum genus et seculum perversum. Summâ libertate adulatoribus hypocritis respondet, in eosque invehitur, qui perverso, non simplici animo signum petebant ; *tentantes,* quod evangelista ait : præcipuè autem, quòd Deo ingrati, tot ejus virtutibus malignè spretis, subterfugium captarent ne obedirent. Cujus enim non socordiæ modò, sed malitiæ erat, ad tot edita hactenùs signa oculos claudere? Cæterùm non aliò tendebat consilium, nisi ut Christum impunè meritòque viderentur rejicere.

Quærit, requirit, sibi exhiberi pro suo arbitratu, non contenta hactenùs exhibitis.

Et, pro, *sed.*

Non dabitur ei, quale petit : nec enim quærit ut veritatem cognoscat ; nam et illa ut cognoscatur, sufficiunt quæ edita sunt. Deus non debet hominum voluntati obsequi, præcipuè depravatorum : sed homines oportet agnoscere et sequi id quod à Deo institutum est. Non destitit quidem posthàc Christus virtutem suam apud illos exerere, ac variis adhuc eos miraculis convincere, quò inexcusabiles redderet ; sed indignos intelligit, quorum impiæ cupiditati obtemperet.

Nisi. Conjunctio ista non excipit hoc loco, sed ponitur pro *sed,* ut Gal. 2, v. 16. Sensus est : Dabitur autem ei signum quod minimè desideret, non è summo cœlo, sed ex imâ terrâ, quo semel opprimatur, ita ut vel credat vel pereat. Resurrectio enim, ut erat summa Jesu gloria, ita summum erat tormentum inimicis ejus ; quæ prædicata et astructa, tanto illos pondere pressit, ut necesse haberent vel credere in Jesum vel conteri (*super quem enim ceciderit, conteret eum,* Matth. 21, v. 44), id quod et nationi exasperatrici tandem accidit : factus est enim *novissimus error pejor priore,* quod augurati fuerant.

Signum Jonæ, miraculum quale præcessit in Jonâ prophetâ, quod et aliàs illi assignavi, Joan. 2, v. 19.

Vers. 30. — Jonas, ex visceribus ceti, in quibus tres dies egerat, evomitus in terram.

Signum, miraculum ; non enim intelligitur hìc signum quod portendit aliquid, sed quod remotum est à consueto naturæ ordine. Miraculum itaque fuit.

Ninivitis, quibus prædicavit, quo, vel ad fidem prædicationi adhibendam et ad pœnitentiam commoverentur, vel obdurati et inexcusabiles subverterentur.

Filius hominis ex sepulcro ac morte redivivus, miraculum vivum, certissimum atque omnium maximum, quo vel ad fidem et pœnitentiam adducatur, vel obdurata et inexcusabilis exscindatur.

Generationi isti, nationi isti, cui maximâ cum spiritûs efficacitate per apostolos suos prædicabit, id quod per se Jonas Ninivitis : *Adhuc quadraginta dies et Ninive peribit.*

Vers. 31. — Regina. Affert alterum simile exemplum quo damnandi sint suæ ætatis Judæi.

Austri. Meridiei, regni seu regnorum ad meridiem sitorum Judææ respectu, Æthiopiæ et Ægypti, ut Josephus scribit lib. 8 Antiq., c. 2. Æthiopiæ autem regia, Saba dicebatur, cui postea Cambyses, Persarum rex, indidit nomen Meroes, de nomine sororis suæ : ita rursùs Josephus lib. 2 Antiq., c. 5. Hinc in tertio Regum dicta est ista, *Regina Saba ;* et Isaias cap. 43, v. 3, jungit sibi mutuò, Ægyptum, Æthiopiam et Saba.

Surget, à morte, judicanda.

Cum viris generationis hujus, cum hominibus hujus ætatis, cum Judæis.

Condemnabit. Multis enim rationibus clarescet, vos meritò damnari.

A finibus, ex longinquis oris, ex insulâ ac civitate Meroe.

Plus aliquid, cujus sapientia major, gravior, ac testatior. Non tot tantaque pericula fecit sapientiæ Salomonis regina Saba, quam tamen summoperè admirata confessaque est, quot quantaque generatio

tenùs mater ejus fuit, neque secundo, quatenùs Dei verbum audivit et custodivit, immeritò reprehendit Ecclesiam Calvinus, quòd illa mulieris verba : *Beatus venter,* etc., absolutè de Virgine Mariâ usurpet, sine adjectâ Christi correctione : non enim est correctio attributæ beatitudinis, sed extensio.

hæc fecit sapientiæ meæ, quam omnibus argumentis certissimam comperit. Subaudi, non tamen audior, recipior, aut magnifio. Comparatio igitur Judæorum cum reginâ Saba hujusmodi est : Mulier gentilis, in scholâ Dei minimè educata, regni verò amplissimi negotiis districta, famâ sapientiæ quæ de Salomone ferebatur excitata, difficillimum arripuit iter, ex remotissimis terræ partibus Jerosolyma, ut ejus sapientiæ periculum faceret : quam admirata supra modum, licèt non nisi de terrenis atque humilibus rebus dissereret Salomon, concilia excepit illius. Judæi, divinæ legis alumni, sacris litteris addicti, Christum Dei virtutem ac sapientiam, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi, summum suum unicumque doctorem, regni cœlorum æternæque salutis mysteria à seculis abscondita ac veram Dei sapientiam depromentem, ultrò se offerentem, rogantem, atque invitantem, non recipiunt, rejiciunt planè, etiam dato illo resurrectionis gravissimo signo, quando et sapientiam illam suam credentibus atque obedientibus sibi communicavit et impertivit : quare solus ipse admirandus est. Apertè docent exempla ista duo à Salvatore allata, unumquemque, pro mensurâ donorum Dei, quæ contempserit aut quibus non fuerit usus, puniendum.

Vers. 32. — Ninivitæ, itaque temporis Jonæ. Pergit in declarando signo Jonæ, quomodò non convertendi illo, sed condemnandi sint Judæi.

Surgent, resurgent, ex morte. Sermo est de carnis resurrectione.

In judicio extremo, judicii extremi tempore. Manifestum hinc evadit judicium cum resurrectione conjunctum fore; quod observavit D. Aug., lib. 20 de Civit. Dei, cap. 5.

Cum generatione hac, unà cum hâc hujus temporis natione. Resurgent ambo à morte, judicandi : simul enim resurgent omnes.

Et condemnabunt illam, sibi collatam, non judicandi potestate, sed comparationis exemplo. Factâ Judæorum cum Ninivitis comparatione, res manifesta vel inde erit, Judæos meritò æternæ morti addici. Simile Rom. 2, v. 27.

Pœnitentiam egerunt. Exemplo Ninivitarum ostendi potest quid vera sive pœnitentia sive resipiscentia requirat, conversi sunt enim de viâ suâ malâ, et jejunaverunt, vestitique sunt saccis, Joan. 3, v. 5, 10.

Jonæ, prophetæ, comminantis eversionem civitatis.

Ecce. Ita se res habet, quantumvis reprobetis et ingratum sit vobis audire.

Plus aliquid, res major, dignior, ac testatior etiam ante resurrectionis miraculum, sed præcipuè post illud datum. Ut minùs illos irritaret, genere neutro et tertiâ personâ modestè seipsum notat. Si de sapientiâ quæritur plus quàm Salomon; si de signis, plus quàm Jonas erat Jesus.

Jonas. Græcâ Latinâque formâ Jonas dicitur, qui Hebraicâ *Jona*.

Hic, hoc loco, apud hanc generationem. Rursùs est defectiva oratio, relinquit enim subaudiendum Dominus : Prædicans verbum Dei, non tamen ad pœnitentiam convertitur generatio ista. Id quod sic intelligendum est, ut etiam prædicat de suæ ætatis Judæis, quòd, nec viso resurrectionis suæ omnium maximo miraculo, convertendi sint : prædicit enim quid in extremum judicium proditurum sit. Collatio autem Judæorum cum Ninivitis hujusmodi est : Ninivitæ, barbari, à cultu Dei alieni, dùm audiunt Jonam, virum extraneum, unico miraculo commendatum, annuntiantem instans urbis ipsorum excidium, credunt, et aversi à viâ malâ pœnitentiam agunt in sacco et cinere. Judæi, professione cultores veri Dei, inter sacras litteras enutriti, audiunt Filium Dei, tribulem suum, Messiam sibi promissum omnium vaticiniis prophetarum, à Joanne Baptistâ demonstratum, miraculis innumeris, iisque irrefragabilibus, probatum, omni populo utilem ac beneficum, prædicantem pœnitentiam, promittentem regnum cœlorum, neque nisi secundo loco comminantem interitum, nec credunt, neque aversi ab animi sui pervicaci malitiâ pœnitentiam agunt, imò contra impiè rejiciunt benefactorem, afficiunt injuriis, blasphemant, denique morte mulctant, et ne quidem meliores evadunt, dùm præstat ille reipsà illud resurrectionis suæ omnium maximum miraculum, et suæ mortis ac resurrectionis vim virtutemque aliis communicatam effectis ipsis clarè ostendit. Nihil hujusmodi Jonas fecit : nulli enim alii communicavit sensum illum reditûs sui in lucem, nisi narratione tantùm; et quidem ille à balenâ absorptus vivus, vivus redditus est : Jesus autem terrâ conditus mortuus, vivus egressus est, nec tali vitâ qualem ante egerat, sed immortali.

Vers. 33. — Lucernam. Ita vocatur, vel instrumentum ipsum, puta lampas, cui oleum aut aliud quidpiam imponitur quod accendatur, vel id ipsum quod ardet, puta fax aut candela. In sacris litteris, sancti lucernæ vocantur, quò ab æternâ luce distinguantur, Joan. 1, v. 8, et 5, v. 35, lucerna enim, et aliunde lumen accipit, et acceptum potest amittere; quam rationem multis in locis Augustinus notavit, epist. 120, cap. 3; lib. 2 contra Epistolam Parmeniani, cap. 14; conc. 23 in Psal. 118; tractatu 54 in Joannem; sermone 30 de Verbis Apostoli, et alibi.

In abscondito, in occulto, in loco domûs qui non aut vix acceditur, qui à nemine frequentatur. Regius codex aliique legunt εἰς κρυπτήν, est enim crypta locus abditus sub terrâ, quam vulgo vocamus *une cave*.

Ingrediuntur domum.

Lumen, splendorem, videant, id est, ejus splendore seu lumine collustrati videant quò vadant et quid agant. Quamvis autem, ait, plerique generationis istius, obdurati, ut sunt, nihil sapientiâ et prædicatione meâ moveantur; non idcircò tamen debeo ego

sine fructu occulere sapientiam meam, et otiosus à prædicatione cessare: non enim eum in finem frustra me misit Pater, quin potiùs ut in mundum veniens, illuminem omnem hominem, ut publicè omnibus Evangelii doctrinam offeram et ostentem, quò suscipiant illam, et beneficio splendoris ejus fruantur, inque ejus lumine ambulent, si non omnes, certè qui velint, nullâ tenebrarum excusatione relictâ osoribus lucis. Hoc modo videtur proverbium istud hìc aptâsse proposito suo Jesus; quem non est imaginandum tam brevibus et concisis sententiis usum fuisse, quàm evangelistæ scribunt, ita ut nec declarârit qui suo servirent instituto.

Vers. 34. — Tui est oculus tuus. Ut à Græcis et Syricis, ita à quibusdam Latinis libris manuscriptis, absunt pronomina *tui* et *tuus*, legentibus: *Lucerna corporis est oculus;* ac certè videntur pronomina, suum sententiæ, in cujusvis hominis atque animalis corpore locum habenti, decorem auferre. Similitudine ab oculo corporali sumptâ, ostendit Jesus quantum malum sit corde esse terræ ac terrenis bonis addicto affixoque. Quod est, inquit, lucerna in domo, id est oculus in corpore; nempe, quemadmonùm qui in domo sunt, lucernæ beneficio; ita in corpore membra oculi beneficio, lumen accipiunt, quo absque errore ritè officium faciant suum. Jam, ut parabolam mox accommodemus ad rem: quod est oculus in corpore, id est in animâ cor, nimirùm ut affectibus omnibus, quæ sunt quasi quædam animæ membra (*Mortificate membra vestra,* Apostolus ait Coloss. 3, v. 5, *quæ sunt super terram, fornicationem,* etc.), lumen præbeat, præsit, et regat, ne cæci, ut ex sese sunt, errent, ferantur que quò et uti non debent. Intelligitur autem cordis nomine, tota animæ superior portio, id est, voluntas intellectui conjuncta, quæ cæteras animæ vires illustrat, id est, regit ne errent.

Si oculus, cùm igitur oculus.

Simplex, sincerus, purus, *sanus*, ait Euthymius, nullis infectus humoribus qui videndi potentiam offendant. *Lippientes solent lucernas videre numerosas: simplex oculus et purus, simplicia intuetur et pura,* Hieronymus hunc in locum ait.

Totum corpus tuum, omnia corporis tui membra illustrabuntur, membris omnibus tuis suum lumen impartiet, ita ut singula muniis ritè fungi queant suis. Si cor tibi fuerit simplex, mundum, purum, à pravarum cupiditatum dominio liberum, ad cœlum et solos in cœlo thesauros erectum; omnes affectus tui suas habebunt actiones ita ut decet compositas, apta dignaque erunt opera tua quæ ab omnibus videantur. Hoc orabat propheta regius Psal. 17, v. 29: *Tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas.*

Si autem, cùm autem. *Erit* seu *est* relinquitur Græcè subaudiendum. Nihil verò mirum, addit Salvator, quòd plerique generationis istius, cæci in tenebris permaneant, nec recipiant aut videant evangelicæ veritatis lumen, quod palàm ipsis ostento et propè ingero; cùm oculus mentis vitiatus ipsis sit, adeòque excæcatus, pravis affectionibus, ambitionis, invidiæ, odii, cæterorumque malorum. Quemadmodùm enim, ut videas oculis corporis, non sufficit lucerna domûs candelabro imposita, sed necessaria etiam est lucerna corporis, oculus, usque adeò ut si oculus tibi fuerit cæcus aut non sanus, nihil videas, etiamsi ante oculos proposita sit lucerna domûs ardens et lucens; sic ut videas oculo animi, non sufficit oblatum lumen veritatis, si ille animi oculus malitiâ excæcatus est. Quod cùm locum habeat in hujus ætatis hominibus, præsertim verò scribis et Pharisæis, hinc fit ut non tantùm non recipiant doctrinam meam, verùm etiam oppugnent, et manifesta quibus stabilitur signa Satanæ ascribant, cæcorum instar judicantes lucem tenebras.

Nequam, Græcè et Syriacè *malus,* vitiosus, sive lemâ obductus, sive malis ex humoribus depravatus, sive cæcus aut alio vitio laborans.

Tenebrosum erit, in tenebris versabitur, in tenebris palpitabit et errabit, in varios membra agentia ferentur errores. Si cor tuum fuerit avaritiâ aliâve cupiditate excæcatum, depravatum, inquinatum, si opibus aut voluptatibus terrenis addictum affixumque; omnes affectus tui tenebris involventur peccatorum, nihil agent rectè, in varia cæci vitia ferentur indigna luce. *Avaro,* inquit Sapiens, *nihil est scelestius. Nihil est iniquius quàm amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet,* Eccles. 10, v. 9, 10. Et Paulus, 1 Timoth. 6, v. 9, 10: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis:* ecce tenebras. Porrò id quod dixit Salvator avaritiæ occasione, æquè locum habet in cæteris vitiis, ubi ipsum obtinent cor. Occupatum enim à cupiditatis alicujus tyrannide, cor non cernit quid legi Dei aut rectæ rationi sit consonum, sed in hoc unum incumbitur, ut cupiditati illi satisfiat, eòque tendunt proinde affectus, opera, studia omnia; verùm id commodè intellige, uti et è contrario ubi simplex est oculus: nec enim hìc nulla opera, nec illìc omnia, necesse est peccent.

Vers. 35. — Vide, cave, adhibe curam.

Ne lumen quod in te est, ne id quod in te ipso est loco luminis, ne cor tuum oculus animæ tuæ.

Tenebræ sint, pravis affectionibus excæcatum sit. Sic enim totum corpus tuum tenebræ fuerint, omnes affectus tui tenebris involvantur peccatorum, et agant indigna luce. Alii vertunt: Considera ergo, num lumen quod in te est, tenebræ sunt, scilicet quòd si ita repereris, emenda, remedium adhibe, ne totum corpus tibi in tenebras vertatur.

Vers. 36. — Corpus tuum totum, affectiones tuæ omnes.

Vers. 36. — Si ergo corpus tuum. Reperitur ista comparatio apud Matth. Lucas hunc versum adjicit quo Matthæus caret, ac difficultatem facit, quia tautologiam videtur continere. Posset autem hoc modo ex-

Lucidum fuerit, oculo scilicet existente simplici, id est, illustrentur ac regantur ab oculo sive corde simplici seu puro, id est, pravarum cupiditatum dominio libero. Reliquis enim animi affectionibus præest cor, hoc est, superior animæ portio. Vide supra.

Tenebrarum, tenebrosam, cui dominentur tenebræ cupiditatum carnis.

Erit lucidum totum, erit bis lucidum, simplici scilicet oculo tuo, suscipiente lucem evangelicæ veritatis, quam ego offero, luce et extrinsecùs et intrinsecùs affulgente perfundetur.

Lucerna fulgoris, lucerna fulgida sive splendida illuminabit te, in luce constituet te, sicut si lucerna fulgida, oculo tibi existente sano, illustret te. Græcè est, *ut cùm lucerna fulgore illuminet te;* sic erit lucidum totum, ut si lucerna fulgore suo illuminet te, oculo sano præditum. Quare conjectura D. Jansenii est, Latinè, pro, *et sicut,* legendum esse, *ut si cùm.* Loci sententia est : Si igitur cor vobis fuerit à pravarum cupiditatum dominio liberum, facilè probabitur vobis doctrina mea; itaque, quæ à corde vobis procedent omnia, affectiones, verba, opera, humanâ simul et divinâ luce, et rationis et gratiæ lumine, clara illustriaque esse conspicientur.

Vers. 37. — Et cum loqueretur ; ad verbum, *in autem locutum esse.* Cùm vel postquàm autem locutus esset. Non enim interrupit loquentis sermonem, sed finitâ concione rogavit, etc. *Cùm loqueretur* autem non ea quæ immediatè præcedunt, sed alia quædam quodam tempore; cùm quodam tempore sermocinatus esset ad populum. Sic rectè Beda ex Augustino, lib. 2 de Cons. evang., cap. 39, urgente, quòd non dicatur, *cùm hæc loqueretur,* sed simpliciter, *cùm loqueretur.*

Rogavit, animo non usque adeò sincero, quod videri possit ex duriore increpatione factâ in mensâ, et subsecutâ molestiâ v. 53, 54.

Et ingressus. Acquievit Pharisæi invitationi, cupiens mensâ uti ad invitantis ejusque sociorum admonitionem, quod notant Græci; itaque ingressus cum eo domum ipsius,

Recubuit, accubuit mensæ, quando tempus id requirebat, simpliciter, non lotis manibus, nec curiosè servatis pharisaicis cæremoniis.

Vers. 38.—Cœpit intra se reputans dicere, quare. *Videns admiratus est quòd,* ita legitur Græcè et Syriacè, et clara sententia est. Porrò Latinæ lectionis sensus est : Cœpit apud animum suum cogitare et reputare, quare; cœpit tacitâ secum cogitatione quærere quid esset causæ; verùm non tam id studio indagandæ veritatis, quàm animo offenso, temerè Jesum peccati condemnante, ut transgressorem traditionis seniorum; sic enim Matth. 15, v. 2, interrogant Pharisæi Christum : *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cùm panem manducant.*

Quare non. Græcè et Syriacè additur *priùs.*

Baptizatus esset, lotus esset, præsertim manibus, quemadmodùm moris erat religiosi. Nam, quod Marcus habet cap. 7, v. 3 : *Pharisæi et omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus non manducant,* etc.

Antè prandium, antequàm accumberet mensæ. Magnam sanctitatem religionemque ponebant Pharisæi in lavandis mundandisque corporibus, neglectâ animi munditie; quâ de re ut occasionem haberet eos arguendi Jesus, de industriâ studioséque omiserat lotionem manuum ante accubitum.

Vers. 39. — Ait, respondet Dominus, intelligens quid animo volveret. *Qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit,* Prov. 24, v. 12.

Nunc. Hìc ut alibi aliquando, eam vim habet *nunc,* ut non aliud quàm efferendi præsentis sermonis opportunitatem notet; q. d. : Jam opportunum est ut vos hujus rei admoneamini, hujus, inquam, præposteræ vanæque religionis.

Vos, Pharisæi. Alloquitur non tantùm præsentes, sed et universum ordinem Pharisæorum.

Catini. Patinæ, paropsidis.

Quod autem intus est vestrum, illud autem vestrûm quod intùs est, quod est in calice et catino, id est, potus et cibus vester, plenum est, infectum, scatet rapina et iniquitate, malitiâ. In quem sensum clariùs

plicari, et connecti cum præcedentibus, ut per oculum, sicut in Matthæo, intelligatur mens hominis, ex intellectu constans et voluntate, quæ si munda fuerit, et soli intenta Deo, *totum corpus,* reliquarum scilicet omnium facultatum et affectuum participatâ luce justitiæ et munditiæ fulgebit. Quod si fuerit, ita ut non habeat aliquam partem tenebrarum, ita videlicet ut nihil pravæ cupiditatis ei adhæreat, erit lucidum totum. Non est hìc supplendum, *corpus,* sed est absoluta locutio, id est, quidquid inde proficiscetur, omnes scilicet actiones inde promanantes erunt rectæ: quasi d. : Si corpus tuarum facultatum et affectuum, totum fuerit mundum ac lucidum, nihil erit in te quod non sit lucidum. Et sicut lucerna fulgoris, seu fulgida, illuminabit te, supple, oculus ille tuus simplex : ille enim diffundit lumen suum instar lucernæ splendidissimæ super omnes facultates, et affectus et actiones.

Vers. 37. — Et cum loqueretur, videlicet præcedentia, quamvis August., lib. 2 de Consensu, cap. 39, incertum esse putet, utrum de præcedentibus intelligat, an de aliis alio tempore dictis, eò quòd non dicat : *Cùm loqueretur hæc,* sed absolutè : *Cùm loqueretur,* seu concionaretur, scilicet quodam tempore. Rogavit illum quidam Pharisæus, non satis fortassis sincero animo, propter durissimam increpationem Christi, quæ secuta est; et ingressus recubuit; statim scilicet, ne lotis quidem priùs manibus, ut ita etiam exemplo suo pharisaicam superstitionem destrueret.

Vers. 38. — Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere; id est tacitâ secum cogitatione cœpit quærere causam. Quod Græcè clarè dicitur, *miratus est;* quia admiratio ex causæ ignoratione nasci solet : Quare non baptizatus esset, id est, lotus ante prandium; transgrediens scilicet tam facilè traditiones pharisaicas. Nam in istis lotionibus cæremonialibus magnam ponebant religionem Pharisæi; neglectâ animi munditiâ, ut patet Marci 7, v. 3, et Matth. 15, initio.

Vers. 39. — Et ait Dominus ad illum, tanquàm cognitor cordis et humanorum secretorum testis. et

quidam vertunt ex Græco, pronomine ὑμῶν ad subsequentia per trajectionem relato: *Quod autem intùs est, vestrâ plenum est rapinâ et iniquitate.* Hoc modo expositus hic Lucæ locus, convenit etiam verbis cùm illo Matth. 23, v. 25; cæteroqui intelligendus est hic sermo Domini secundùm Lucam esse imperfectus, supplendus in hunc modum ex Matthæo: *Quod deforis est calicis et catini mundatis,* intùs autem pleni sunt rapinâ et iniquitate: sic et quidquid deforis est vestrûm mundatis, id est, exteriora vestra omnia, manus, corpora, utensilia; *quod autem intùs est vestrûm,* id est, interiora vestra, animi vestri, *plenum est rapinâ et iniquitate*, integrior ac potior vestrî pars illota scatet sordibus Deo abominandis, rapinæ amatæ, sive cupiditatis rerum alienarum per fas et nefas acquirendarum, et omnis malitiæ. Posterior hic sensus receptior est: uterque sua habet incommoda. Cæterùm uterque eòdem redit, postquàm extra controversiam est parabolicum esse sermonem, quo generaliter exteriorum mundandorum curiositas, interiorum autem neglectus, reprehenditur. Creditis vos inquinari, si biberitis ex illoto calice aut ederitis ex patinâ non lotâ: et puri vobis videmini, si, quod in calice ac patinâ est, rapinâ aut fraude sit partum; perinde ac si patinâ et calice exteriùs lotis, non curetis intùs sordida sint necne, unde tamen omne periculum est. Hic est primus hujus loci sensus: sed ulteriori sensu, mens Christi est generaliùs docere ac monere. Nam sub allegoriâ exterioris partis patinæ ac calicis, omnem externam speciem designat, et tanquàm dicit: Vobis nulla mundities curæ est, nisi exterior corporis; interiorem animi à peccatis munditiem, quæ præcipua est et sola prodest, contemnitis, intùs pleni impuritatibus omnis generis vitiorum.

Illud porrò hìc proprium est, quòd Jesus sermonis occasionem sumat à calicibus et catinis præsentibus ac mensæ cui assidebatur appositis; intelligens tamen, quod diximus, exteriora omnia ipsorum, non supellectilia tantùm, verùm etiam corpora. Cæteroqui enim non satisfaceret admiranti Pharisæo, quòd ipse propheta et sanctus vir habitus, mensæ accubuisset illotus. Maluit enim Dominus obliquè et consequenter revelare ac refutare Pharisæi cogitationem, quàm directè: quòd consultum non judicaret, domi, in mensâ, usque adeò admirandum se præbere, ut ipsissimas aliorum cogitationes in medium produceret. Respondet igitur ad cogitationem hospitis sui in hanc sententiam: Vos quidem, Pharisæi, curiosi estis exterioris munditiei, ut, antequàm comedatis, lavetis calices, catinos, corpora, manus, et omnia utensilia: interioris autem munditiei, ut animi vestri purgentur ab avaritiâ, invidiâ, cæterisque vitiis, estis negligentes. Dicat aliquis incivilem convivam videri Dominum et ingratum, qui loco actionis gratiarum perstringat vitia ejus à quo mensâ excipitur. Atqui non poterat Dominus, memor se doctorem esse veritatis, et medicum animorum, connivere ad hæc vitia eorum à quibus fuerat invitatus, ne ventris negotium ageret potiùs quàm Evangelii; nec poterat majores referre gratias, quàm ut sanaret hospitem suum malè habentem animo: qui quomodò curandus esset, dulcibusne an amaris, ipse optimè noverat, qui *sciebat quid esset in homine, nec opus erat ei ut quis testimonium perhiberet de homine*, Joan. 2, v. 25. Quare Augustinus, sermone 30 de Verbis Domini: *Quomodò,* inquit, *pepercit ei à quo fuerat invitatus? magis objurgando pepercit, ut correcto in judicio parceret.*

Vers. 40. — Stulti, amentes, insipientes, perversique judicii. Sic agnominat eos, non conviciandi aut exprobrandi, sed reprehendendi et corripiendi animo, quòd sequerentur opinionem absurdam et ab omni ratione alienam.

Nonne Deus qui fecit, creavit, quod deforis, foris, extra est, id est, catinum, calicem, corpus humanum, etiam quod deintus seu intus est, cibum, potum, animam humanam, fecit? Q. d.: Manifestum id est, nec potestis inficiari. Si ergo movet vos honor et cultus Dei, ad servandam adeò exactè munditiam exteriorem, quia nimirùm Deo gratum sit, creaturam, quam mundam creavit, mundè tractari ac servari; quomodò non idem Dei honor vos movet, ut interiorem munditiem sectemini, postquàm non exteriore solùm, verùm etiam interiore suî parte res omnes à Deo creatæ sunt? Est mundities à sordibus corporalis, est et à sordibus spiritalibus: si ab illis servare vos conemini, ut Deo placeatis; quomodo ita imprudentes estis, ut non videatis etiam à spiritalibus sordibus cavendum vobis esse? imò tantò magis ab his, quantò spiritus corpore præstantior est, et pluris faciendus?

Vers. 41. — Verumtamen. Docet legitimum mundandi modum, rejecto illo superstitioso; q. d.: Im-

judex, ut notat August. de Unitate Ecclesiæ cap. 5. Nam Pharisæus iste nihil adhuc dixerat unde mentem ejus colligeret, sicut nos facere debemus, antequàm vituperemus. *Nunc,* quod significat hìc opportunitatem præsentis reprehensionis: quasi d.: Nunc opportunum est, ut vos præposteræ vestræ religionis admoneam. Quod deforis est calicis et catini, seu disci, quibus continetur potus ac cibus, mundatis. Quo parabolicè significat eos externam manuum et corporis munditiem affectare, internam verò animi, qui in corpore velut calice aut catino continetur, negligere. Vide Matth. 23, 24.

Vers. 40. — Stulti, quia hâc in parte ab omni ratione alieni. Utitur illâ increpatione tam acerbâ non conviciandi, sed reprehendendi causâ, ut animus se dissimulans acrimoniâ istâ stimularetur, ad considerandam fœditatem suam, et præposteram munditiei curam. Nonne qui fecit quod deforis est, id est, corpus humanum, calice et catino significatum, etiam id quod intus est fecit? scilicet animum, mentem et conscientiam; q. d.: Si vos movet cultus Dei, ad servandam illam exactam corporis munditiem, quasi creaturæ Dei quomodò non sapitis etiam conscientiam seu animam multò maximè mundam esse servandam? Itaque post hanc increpationem suggerit Dominus modum legitimum obtinendæ dictæ munditiei, rejectâ superstitione pharisaicâ.

Vers. 41. — Verum tamen, id est, non obstante, quòd vos rapinâ et iniquitate plenos dixerim, non tamen est desperandum; sed quod superest, id est, quod unicum remedium restat, ut quodam loco Beda; seu si summam rei scire vultis: in quem sensum

purè quidem vescimini et impuri estis, atque alluci-namini magnoperè, prout nunc facitis; sed tamen huic malo remedium afferri potest.

Quod superest. Hoc olim à quibusdam omissum fuit, fortè quia obscurum est, et omissum sententiam non lædit. Græcè est *inexistentia*, quæ insunt, scilicet rei, ut id quod res habet dicam, si quod est rerum summa audire vultis. Syrus *beram medem dith*, *verum id quod est*, scilicet rei caput et conclusio. Id interpres Latinus dicit, *quod superest*, unicum scilicet remedium. Hæc una interpretatio est inter probabiliores quas judico, cui favet Beda his verbis, *quod tam multo scelere præoccupatis solum remedium restat.* Alterum est: *Quod superest*, τὰ ἐνόντα, pro, τὰ ἔσωθεν, seu, τὰ ἐντός (quâ voce Matthæus utitur c. 23, v. 26), quæ insunt, quæ intùs sunt, quæ intùs esse solent, in calice nimirùm et catino, id est potum et cibum. Opponi enim videntur ea quæ intùs sunt, externis. Cibum autem et potum, non eumdem illum qui injustè est comparatus, sed simpliciter cibum et potum, id est, partem eorum, eam scilicet quæ vestræ necessitati superest. Et hanc interpretationem attingit Beda, *quod superest*, exponens, *quod necessario victui et vestimento superest.* Denique tertia interpretatio est, *quæ insunt*, scilicet vobis, id est, quæ adsunt, quæ suppetunt, nempe facultates vestras, seu de facultatibus vestris, et quidem propriis ac justè partis; nam malè parta, cùm aliena sint, nobis non insunt. Hæc interpretatio est Euthymii ac Theophylacti, necnon Tertulliani, l. 4 adversùs Marcionem, c. 27, ubi citat hunc locum his verbis: *Date quæ habetis eleemosynam.* Ad hunc modum, quod Latinè est, exponas, *quod superest*, quod habetis ultra rapinam et iniquitatem; nam rapina et iniquitas, seu quæ rapinâ et iniquitate sunt comparata, nostra non sunt, nec tam eleemosynam admittunt, quàm restitutionem requirunt.

Eleemosynam. Juxta secundam et tertiam interpretationem, τὸ *eleemosynam* per appositionem jungitur τῷ *quod superest*: *Id quod superest date eleemosynam*, quod est, id quod superest date in eleemosynam, cibum, potum, facultatesque vestras, seu de cibo, potu et facultatibus vestris, date eleemosynam indigentibus. Pharisæis, *qui erant avari*, infra 16, v. 14, et rapinâ atque iniquitate immundi, præscribit eleemosynam tanquàm congruum quo mundentur remedium, quandoquidem contraria contrariis curentur, ut opposita est eleemosyna rapinæ.

Et ecce, quantùmvis intùs immundi sitis, rapinâ omnisque generis malitiâ.

Omnia, et interiora et exteriora, calix et potus, catinus et cibus, anima et corpus, nullâ etiam adhibitâ lotione per aquam. Interior munditia sufficit ut reddat hominem absolutè mundum, *omnia* enim *munda mundis* mente et conscientiâ, Tit. 1, v. 15; non item exterior: nam *quod intrat in os, non* magis mundat quàm *coinquinat hominem*, Matth. 15, v. 11. Munditia externa tantùm est honestatis; interna, necessitatis.

Munda, à rapinâ, injustitiâ, adeòque peccatis omnibus, ac proinde pura, incoinquinata, Deo grata; nihil enim est quod immundos vos reddere queat, nisi peccatum, Matth. 15, v. 19 et 20.

Sunt, præsens pro futuro *erunt*. Si id studium quod in manibus vasisque aquâ abluendis ponitis, in pauperum inopiâ manibus vestris sublevandâ ponatis, nihil in vobis immundum remanebit, etiam aquæ lotionem prætermittentibus. Eleemosyna est quæ mundare vos vestraque valet. In eumdem modum Isaias cap. 1, v. 17 et 18: *Subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quoniam *eleemosyna ab omni peccato et à morte liberat*, Tob. 4, v. 11; *et ipsa est quæ purgat peccata*, Tob. 12, v. 9; *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis*, Eccles. 3, v. 33; denique *charitas operit multitudinem peccatorum*, 1 Pet. 4, v. 8. Mundat autem et purgat eleemosyna à peccatis, non quòd sola, quasi fides et pœnitentia non requirantur, sed quòd fidem et pœnitentiam à Deo impetret, Deo facilè miserente ejus, qui aliorum miseretur, Matth. 5, v. 7; Act. 10, v. 4. *Ipsa purgat à peccato*, ait angelus, Tob. 12, v. 9, *et*, pro id est, *facit invenire misericordiam et vitam æternam.* Pœnitentia autem complectitur in se restitutionem, quod ad malè parta. Porrò signanter purgat eleemosyna à rapinâ et avaritiâ, quia animus revocatus ab hoc vitio ad liberalitatis charitatisque affectionem, facilè animadvertit illius vitii fœditatem, et non solùm piis lacrymis obtinere conatur illius remissionem quod ad culpam, verùm etiam continuis eleemosynis delere

Syrus hoc exponit. Alii explicant, *quod superest*, id est, id quod cultui et victui necessario superfluum est. Ita S. Thomas et Beda alio in loco; sed Græcæ phrasi magis congruit, ut subintelligatur *secundùm*; q. d.: Secundùm quod adest aut licet vobis, seu pro facultatibus vestris, ut quisque potest, *date eleemosynam*, factâ scilicet priùs rapinarum restitutione. Qui sensus Græcis placet, Euthymio, Theophyl., et inter Latinos, Tertull., 4 contra Marcionem, c. 27, qui legit: *Date quæ habetis eleemosynam*; hoc enim avaris hominibus optimum remedium est, ut curentur. Et ecce omnia, non solùm scilicet quod deforis est, seu corpus, sed etiam quod intùs est, seu anima, munda sunt vobis, id est, munda erunt à rapinis et omni iniquitate. Facit autem hoc eleemosyna, non quasi fides in Christum, et pœnitentia, et restitutio raptorum non requirantur, sed quia fidem in Christum, et pœnitentiam impetrat à Deo, facilè miserente ejus, qui miseretur aliorum; pœnitentia autem non est vera, nisi malè parta restituantur. Itaque angelus Tobiæ juxta hunc sensum, c. 12, v. 9, dicit: *Ipsa purgat à peccato, et facit invenire misericordiam.* August. tamen, serm. 30 de Verbis Domini et in Enchiridio, cap. 75, per *eleemosynam* intelligit opus misericordiæ generaliter, etiam erga seipsum. Illa quippe ordinatè facienda est, ut à seipso quisque incipiat, juxta illud Eccles. 3: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Itaque vult monere Christus, ut eleemosynam darent, à seipsis, recto misericordiæ et dilectionis ordine, incipiendo: quod fit per fidem,

reatum pœnarum quibus per id vitii se reddiderat obnoxium, et resarcire ac reparare omnem priorem inhumanitatem. Hoc animadvertere licet in Zachæo infra 19, v. 8; qui mox ut Christum receperat, non solùm pœnitentiam iniit et restitutionem promisit omnis alieni, verùm etiam dimidium bonorum suorum addixit pauperibus : nimirùm, dando propria, pensavit peccata quibus aliena rapuerat. Cùm igitur Pharisæi præposterè solliciti essent de mundandis exterioribus, Christus more suo ab externis cæremoniis ad charitatem et interiora eos revocat, pronuntians, si ex iis quæ suppetunt liberales sint in egenos, et qui aliena priùs injustè acceperant, jam è diverso sua tribuant necessitatem patientibus, fore ut ritè sint mundi et Deo grati, animo inprimis, et consequenter corpore, cibis, et reliquis omnibus, etiamsi nullam aquam adhibeant.

Vers. 42. — Sed væ vobis. Objurgationes quæ sequuntur, an in convivio isto prosecutus sit Dominus, an verò alio loco et tempore adduxerit, incertum est. Cæterùm quòd alio tempore quæ hìc Lucas, alio quæ capite 23 Matthæus refert, tametsi eadem, dicta fuerint, docere videntur versus 53, et 54, proximi, et versus 46 capitis 22 secundùm Matthæum, secum mutuò collati; nisi dicas à Matthæo servatum non fuisse ordinem temporis, quod ad omnia quæ refert capite 23. *Sed* ne gloriemini in decimis quas exactissimè persolvitis, tanquàm in eleemosynis, nihil illæ vobis prodesse possunt, ut nec ullæ aliæ eleemosynæ, absque judicio et charitate Dei.

Omne olus; omne genus oleris; sic Augustinus Enchiridii capite 103. Exactissimè decimatis omnia quæ possidetis, usque ad vilissima olera.

Et pro *sed*, præteritis, omittitis, negligitis, contemnitis, contra mentem Dei, judicium sive justitiam, id quod justum et æquum est. Tantùm hìc intelligitur solo judicii vocabulo, quantùm secundùm Matthæum judicii et misericordiæ : nam et misericordia sive beneficentia judicii est, præcipitur lege Dei ut justa et rationi ac æquitati consentanea.

Charitatem Dei, charitatem erga Deum, amorem qui debetur Deo. Secundùm Matthæum nominatur fides, hìc charitas; illa ut radix, hæc ut perfectio virtutum quibus Deus colitur, seu observationis præceptorum primæ tabulæ. Itaque judicium secundæ, charitas primæ tabulæ decalogi præcepta complectitur. *Dicendo enim judicium, indicat dilectionem erga proximum,* ait Theophylactus, erga homines quibuscum vivimus; *dicendo verò charitatem Dei, omninò significat* dilectionem et *generalem affectionem erga Deum.* Hæc vult Salvator dicere, judicium et charitas Dei, præcipua sunt legis; nam hùc maximè tendit lex, ut Deum ametis, erga proximos verò æqui sitis, quæ cùm securè negligatis, nihil vobis prodesse potest quòd observetis minora.

Et illa non omittere, suo tamen loco habenda sunt singula, nec graviora postponenda sunt levioribus. Fatetur quæcumque Deus mandavit servanda esse, nec quidquam omittendum : sed non obstare totius legis studium, quominùs in præcipuis capitibus præcipuè insistere oporteat, ac præposterè facere eos qui sese in minimis occupant, neglectis maximis à quibus æquum fuerat ordiri. Præoccupans igitur hâc parte Salvator, negat illos à se argui, quòd servarent minima præcepta, sed quòd curâ perversâ, cùm anxiè servarent minima, ut haberentur legis divinæ studiosissimi; audacter transgrederentur maxima, præposterè religiosi.

Vers. 43. — Diligitis, amatis, optatis, ambitis vanum hujusmodi honorem, tanquàm præcipuum aliquod bonum, et eo oblectamini, ad eumque studia vestra refertis.

Primas cathedras, primos consessus, primarum sedium honores, q. d., præsidentias.

In synagogis, quò convenitur ab omnibus audiendæ legis causâ (ubi proinde maximè regnare debet humilitas), aliisque publicis conventibus, eò quòd gloriosum sit primas ubique obtinere. Cæterùm, non dicit Salvator, obtinent aut collocantur loco honestiore, sed *amant;* non enim obtinere locum primum peccatum est ei cujus dignitati locus primus debetur : magistros primos sedere non vetat, quibus officii ordine competit; sed amare, affectare, ambire primum locum, certare et contendere pro primo loco, neque ferre posse æquanimiter ut alius, qui æqualis aut inferior sit loco, præcedat, hoc illud est quod à Salvatore reprehenditur, hoc ambitionis est vituperatione dignissimæ, et maximorum sæpè causa malorum. Non tam rem igitur reprehendit Salvator, quàm animum : fit enim, ut superiore loco constitutus, humili et modesto; inferiore, elato sit animo.

Salutationes, amatis; affectatis à pluribus magnâ cum reverentiâ salutari nudatis flexisque capitibus et curvatis genibus.

In foro, in foris et plateis, locis frequentibus, quò multus est hominum concursus; ut honor, et eò amplior sit quò à pluribus exhibetur, et eò celebrior quò spectantibus pluribus.

Vers. 44. — Væ vobis. Græcè et Syriacè additur : *Scribæ et Pharisæi hypocritæ,* quod nullam habet verisimilitudinem, et haud dubium supposititium est. Nam quòd scribas hactenùs non alloquatur Dominus,

dilectionem, pœnitentiam, restitutionem, superflui erogationem; cujusmodi eleemosynas facere non curabant. Itaque hâc consideratione notat August. Dominum subjecisse.

Vers. 42. — Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham et rutam, id est, decimam partem minutissimorum olerum scrupulosè in eleemosynas erogatis. Et præteritis judicium, id est, id quod æquum et justum est, aliena rapiendo, et charitatem Dei, et proximi; quæ tamen est eleemosyna et beneficentia, quam præcipuè erogare debebatis : nam hæc oportuit facere, judicium scilicet, charitatem et fidem, ut addit Matth. Et illa non omittere, quæ in corporales eleemosynas, decimas illas minutas dando, erogatis.

significat scriba versu proximo, objiciens : *Magister, hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis;* ut prætercam, quòd pro scribarum nomine ferè Lucas uti consueverit legisperitorum. Rectiùs itaque Latinè neutrum legitur, ut subaudias solos Pharisæos, quos solos hactenùs alloquitur.

Monumenta, sepulcra quæ non apparent, latentia, occulta, quod ad partem scilicet interiorem, id est, minimè aperta.

Et homines ambulantes supra. Hebraismus, pro, quæ ii qui ambulant super ea. Exponit quod dixerat τὰ ἄδηλα.

Nesciunt ea, non noverunt ea, scilicet, ex Matthæo, quomodò intùs se habeant, quàm fœda sint et immunda, plena ossibus mortuorum et omni spurcitiâ. *Nesciunt* autem, quia foris apparent speciosa, *specie fallunt visuque decipiunt,* ait Ambrosius. Relinquitur hìc subaudiendum, quod secundùm Matthæum exprimitur; sic et vos, quia latet animus vester, foris quidem apparetis hominibus quibuscum conversamini justi, sed nesciunt quàm intùs pleni sitis hypocrisi et iniquitate.

Justorum corpora dicuntur templa Dei, 1 Cor. 6, v. 15, 19; corpora peccatorum sepulcra, ut quæ anima mortua inhabitet; sic auctor Operis imperfecti.

Vers. 45. — Quidam ex legisperitis, ex legis interpretibus, id est, scribis, ad eamdem mensam præsens, studens cohibere libertatem Jesu.

Hæc dicens, adversùs Pharisæos.

Etiam nobis, legisperitis seu scribis, etiam ordini nostro scribarum, quorum doctrinâ et auctoritate res Pharisæorum firmantur. Nam Pharisæi non erant nisi rigidi observatores doctrinæ scribarum. Pharisæus ut Pharisæus nihil docebat, sed disciplinam observabat, aliosque exemplo magis quàm præceptis et institutis instruere profitebatur. Scribarum erat legem explanare, et quæ essent observanda docere. Cæterùm poterat idem unus esse et scriba et Pharisæus, quin etiam sacerdos, prout complures erant. Cùm ergo ex doctrinâ et præscripto scribarum Pharisæi studiosos se præberent munditiei manuum et vasorum ante cibum, et solutionis decimarum usque ad minutissima olera : scriba audiens Pharisæos hâc de re argui, interpretatur etiam se ac sui ordinis homines argui, et sibi non minùs quàm illis reliqua vitia exprobrari, idque non immeritò.

Contumeliam facis, probro seu injuriâ afficis, verbis honorem nostrum insolenter lædis. Non fert liberum sermonem malè sibi conscius animus, et exemplum libertatis in alios, metuit ne in se recidat. Reprehensionem et correptionem interpretatur ut contumeliam, cùm non ex odio instituta esset, sed ex justitiâ et charitate, non ut ipsi pudefierent solùm, sed præcipuè ut docerentur et emendarentur, aut certè, ut detractâ pietatis larvâ, minùs valerent ad abstrahendos homines à fide in Christum. *Redargutio quæ mansuetos transfert in melius, superbis intolerabilis esse solet;* ait Cyrillus in Catenâ : justus reprehensionem in beneficio ponit, impius in injuriâ.

Vers. 46. — Ait. Respondit. Datâ hujusmodi occasione deprimit et scribarum supercilium.

Et vobis, q. d. : Ne gloriemini aut putetis vos carere criminibus, quæ similem reprehensionem publicè institutam mereantur. Nam non Pharisæis solùm, sed et vobis exitium imminet, præterquàm quòd ab illis Pharisæorum vitiis non sitis immunes, cùm oneretis, etc., *ipsi uno,* etc.

Quæ portare non possunt, difficilibus portatu.

Uno digito vestro non tangitis. Ipsi non solùm humeris suis portare ea nolunt, ut suo exemplo promptiores illos reddant quorum humeris ea ferenda imponunt, sed ne digitum quidem adhibere dignantur ut ea vel dimoveant loco (opponit enim digitum humeris), id est, nihil ex his faciunt quæ aliis imperant. Similitudine ab eis sumptâ, qui gaudeant alios onerare iis quos collegerint fascibus, sed seipsos subtrahere oneri; qui cogunt homines ad humeros supponendos illis oneribus, ad quæ ferenda ipsi ne digitum quidem velint adhibere; ostendit Pharisæos, et præsertim scribas, quibus istud peculiariter improperatur, Luc. 11, v. 46 (nam Pharisæos observantes admodùm fuisse constat traditionum propriarum, et quidem magis quàm divinarum), studiosè quærere et colligere undique, quæ præcipiant, et complura gravissima observatuque difficillima mandata præscribere magno cum auctoritatis fastu subditis suis, ad quæ observanda ipsi ne minimum quidem conatum adhibere statuant : *dicebant enim* (quod notat Arias Montanus in hunc locum) *se scire quid facto opus esset,* ac proinde non erat eis curæ difficultas, quâ se eximebant. Nam verbo quidem *alligandi* declarat Salvator undique colligi præcepta, ex lege, ex traditionibus seniorum, ex propriâ sententiâ, quæ gravissima reddantur, primùm ob multitudinem, deinde ob molestiam plerorumque, ad hæc ob rigorem interpretationis divinorum, denique ob difficillimam veniæ impetrationem si quis ea transgressus esset. Hi enim, et varia congerebant onera præceptorum, et onera ipsa vel ex lege, vel ex ipsorum doctrinâ imposita, novis atque excogitatis circumstantiis accumulantes, graviora reddebant. Rigidè ad hæc nimisque austerè Dei præcepta interpretabantur, prout familiare est superbis hypocritis, ut

Vers. 45. — Respondens quidam ex legisperitis, legis interpretibus, qui scribæ dicebantur, ait illi : Magister, hæc dicens, adversùs Pharisæos, etiam contumeliam nobis facis, ordini scilicet scribarum, quem simul verbis istis contumeliosis lædis. Scribarum enim propriè erat ducere et explicare legem, Pharisæorum observare, doctrinæque traditæ insistere; rigidi enim observatores videri volebant legis doctores. Quamvis idem esse posset scriba et Pharisæus; unde Theophyl. Pharisæi, inquit, videbantur ut monachi, quia ab aliis se segregabant, quasi majoris sanctitatis professione; legisperiti verò doctores erant, qui solvebant quæstionem legis. Hæc ille. Itaque Christus per sequens, *væ*, redarguit etiam scribas, quòd gravissima docendo, onerarent homines, et nihil eorum facerent; præcedentia verò magis praxim legis et vitam spectant. Hæc ergò cùm diceret tantâ cùm severitate,

imperiosè ab aliis ad vivum flagitent quidquid debetur Deo sintque inexorabiles in urgendis officiis, sibi autem blandè remittant quæ tam severè injungunt et securè quidvis indulgeant. Considera præceptum de sanctificando sabbato, quàm rigidè fuerint interpretati, quot seniorum traditionibus, quot propriis constitutiunculis, arctârint et aggravârint; postremò quanti fecerint illius quæ videbatur transgressionem vel minimâ in parte. Porrò, *imponendi* verbo, jactantia notari à Salvatore videtur, quâ sibi in eo placuerint quòd aliis leges conderent et imponerent, quòd imperium in alios exercerent. Denique malitia significatur, cùm addit, quòd ne *digitum* quidem ferendis oneribus, ne minimum quidem conamen observandis præceptis, quibus alios onerant, adhibere velint. Non enim quia non possint præ infirmitate tanta onera ferre quanta alii, sed quia absolutè nolint vel minimo onere gravari, vel minimum ferre laborem, malitiosè subtrahunt se iis quas aliis præscribunt legibus. Verè igitur *dicunt et non faciunt;* eòque graviora etiam et magis onerosa reddunt præcepta: nam quando qui dicit facit, alleviat onera exemploque suo consolationem affert. « Duplicem itaque, ait Chrysostomus, hìc « nequitiam eorum ostendit, tum quia sine veniâ ex- « quisitissimè multitudinem vivere volunt, tum quia « nimiùm sibi ipsis indulgentes, magnam assumunt « licentiam: quorum opposita in optimo principe requi- « runtur, ut scilicet adversùs seipsum nullâ utatur « veniâ, sed severum se judicem exhibeat; erga subje- « ctos autem mitior et ad dandam pronior veniam sit. » Sic et quicumque timent Deum, quia suæ infirmitatis sibi conscii sunt, clementer ignoscunt infirmis; et quia in seipsos magis quàm in alios severi sunt, non tam præcisi sunt exactores. Hinc intelligitur illud inprimis, legislatorem suis ipsius teneri legibus; deinde et illud, non insolenter rejicienda nec iniquiùs ferenda esse subditis præcepta majorum, quantùmvis duriuscula et minùs necessaria videantur, quantùmvis occupationi sint potiùs ad majora intentis animis quàm saluti, denique quantùmvis majores ipsi ea non faciant et tam condendo quàm non observando peccent, modò pietati non obsint et majora legis mandata semper præferantur, ita ut hæc fiant, illa non omittantur.

Vers. 47. — Væ vobis. Hoc in omnes Judæorum principes dicit, non in solos legisperitos.

Qui ædificatis. Rectiùs Latinè legitur *qui,* quàm Græcè *quia:* non enim quia ædificabant et ornabant sepulcra justorum, ideò reprobantur. Sumptuosis structuris et sculpturis ambitiosè ornatis sepulcra ac memorias prophetarum aliorumque justorum, qui justitiæ causâ olim à majoribus vestris innocenter interfecti fuêre, propter prædicationem, inquam, verbi Dei et liberam vitiorum increpationem. Non est verisimile, quòd isti transtulerint sacra prophetarum cadavera ex uno loco in alium; sed quòd, cùm jacerent illa loco humili et obscuro, ipsi locum illustrârint, structuris, sculpturis, varioque ornatu. Quo fuco vulgi favorem captabant, et gloriam nominis immortalem quærebant, inscriptis nominibus propriis, tanquàm qui prophetarum memoriam reverenter colerent, et virtuti eorum qui interfecti fuerant faverent, ac proinde fidi essent eorum imitatores, majoribus longè dissimiles.

Patres autem vestri occiderunt eos. Hebraismus, pro, *quos patres vestri occiderunt.*

Vers. 48. — Profectò, nempe. Explicat quare dicat eis *væ.*

Testificamini, testamini, scilicet reipsà.

Quòd consentitis, ad verbum, *et consentitis,* id est, quòd consentiatis et comprobetis.

Operibus, sceleribus, parricidiis.

Ædificatis eorum sepulcra. Videri possit Salvator hoc accepisse, pro, conficitis eorum sepulcra, eò quòd is qui veteri sepulcro novas structuras addit, sepulcrum ædificare, impropriè licèt, dicatur. Sepulcrum autem conficitur homini sepeliendo: est igitur ac si diceret: sepelitis eos; vel, ut sepeliantur cooperamini. Consummatur autem mors sepulturâ, habenturque socii criminis qui occidunt et qui sepeliunt, ut auferentes, illi vitam, isti memoriam; sic enim solent latronum socii, à latronibus occisos, alio homicidii genere, ne reperiantur, sepelire. Ex eo igitur quòd sepeliant seu sepulcra conficiant, colligit eos approbare cædem. Alii putant Salvatorem accipere *ædificare,* pro ornare, quemadmodùm Matth. 23, v. 29, et interpretari, ornatum sepulcrorum fieri, non ad gloriam eorum qui occisi sunt, sed ad laudem eorum qui occiderunt, quemadmodùm tropæa statuuntur victoribus eo loco quo hostes peremerunt; sic Chrysostomus et Euthymius in Matthæum scribentes. Utravis porrò interpretatio est in partem pejorem: nam ex naturâ operis, licebat in bonam partem interpretari; opus enim est ex suo genere religiosum, eò quòd et ex humanitate scelus detestante, sæpenumerò sepeliantur qui ab aliis fuerint occisi, et sepulcra non raró ornentur, ad celebrandum quidem innocentiam eorum qui occisi sunt, exsecrandum autem impietatem eorum qui occiderunt. Sed quòd in pejorem partem interpretetur, quòdque merebantur ut ipsorum opera hoc modo in ipsos retorquerentur, monstrat Salvator per ea quæ subjicit: *Mittam ad illos prophetas et apostolos,* etc. Tanquàm igitur dicit: Vos ædificando atque ornando sepulcra prophetarum, videri vultis prophetas colere, et damnare vestros patres, qui ipsos occiderunt: atqui ego dico, vos crudelitatem patrum vestrorum approbare, et tanquàm sepulcra parare sepeliendis prophetis, quos gaudeatis à patribus vestris interemptos, aut certè monumenta exstruere ac tropæa erigere patrum vestorum fortitudinis adversùs prophetas, quos jure è medio abstulerint, alentes memoriam criminum paternorum, quæ fuerant tegenda nisi approbarentur. Id enim quivis dicat qui vos penitiùs introspiciat, et ex animo vos æstimet, quem declaratis erga hujus temporis prophetas, Christum ejusque discipulos, quos ad necem quæritis, ut patres vestri antiquos prophetas; in quos et deteriora molimini quàm illi olim patrârint in prophetas. Per opera igitur, quibus similes estis patribus vestris,

fit, ut perinde agere judicemini, ac si patribus vestris cooperaremini, aut in gloriam eorum ædificaretis : « Videremini siquidem, ait Euthymius, in honorem « eorum qui occisi sunt ornare monumenta, et ad accu« sationem patrum vestrorum prædicta facere, nisi « homicidium eorum imitaremini. »

Vers. 49. — Propterea, quia consentiebant illi operibus patrum suorum, quia approbabant tam reipsà quàm affectu cædes prophetarum à patribus suis perpetratas; utque hoc declararet : et, etiam, sapientia Dei, id est, Jesus dixit, prædixit; inter cæteras comminationes et hanc addidit, dùm scribis et Pharisæis sua vitia intrepidè constanterque aperiret. Prima hæc verba sunt evangelistæ, quibus Jesum vocat sapientiam Dei, ut mentes lectorum attollat ad considerationem dignitatis Jesu, omnium futurorum præscii et sapientissimi dispositoris, ne has exprobationes et comminationes temerè in scribas et Pharisæos hostes suos effutivisse putaretur à quoquam. Est autem Jesus sapientia Dei, secundùm divinam quidem naturam, quia Verbum Dei est, Joan. 1, v. 1; Verbum autem sapientia est; Verbum seu sapientia est, ex Deo procedens, ut verbum seu cogitatio hominis ex mente : secundùm humanam verò naturam, quia in ipso omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi sunt, quod docet Apostolus Colos., v. 3.

Ad illos, legisperitos et Pharisæos cæterosque Judæos. Mutatio personæ quam evangelista fecit : nam sapientia ipsa dixit, *ad vos*, quod ex Matthæo clarum est, nisi fortè bis istud dixerit.

Prophetas. Congruit prophetæ nomen generaliùs hìc accipere quàm secundùm Matthæum, ita ut et scribas complectatur; scilicet, non pro iis tantùm qui futura prædicunt, sed et pro iis omnibus qui voluntatis divinæ sunt interpretes.

Apostolos, legatos et præcones variis efficacibusque Spiritûs sancti donis instructos. *Observare enim hìc licet*, quod notat Hieronymus, *varia esse dona discipulorum Christi*, juxta Apostolum, 1 Cor. 12. Inter cœlestes præcones eminuerunt *apostoli, qui*, quod Hilarius ait, *et de futurorum revelatione prophetæ, et de Christi agnitione sapientes, et de legis intelligentiâ scribæ fuerunt.* Ex his Joannes prophetam se declaravit Apocalypsi, sapientem Epistolis, scribam doctissimum Evangelio, quæ scripta reliquit. Præter apostolos plures alii nominantur prophetæ et doctores seu scribæ. Act. 13, v. 1 : *Erant autem in Ecclesiâ quæ erat Antiochiæ, prophetæ et doctores, in quibus Barnabas, et Simon qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, et Saulus.* Rursùs Act. 11, v. 27, 28, inter cæteros prophetas Jerosolymis Antiochiam profectos nominatur *Agabus, qui prædixerit famem futuram sub Claudio*, quemadmodùm et Act. 21, v. 10, 11, prædixit captivitatem Pauli, quam etiam *per omnes civitates sibi prænuntiari* Paulus ipse testatur Act. 20, v. 23. Denique Act. 6, v. 10, describitur Sthephanus hujusmodi, cujus sapientiæ non poterant resistere adversarii plurimi numero cum eo disputantes. Quòd autem hos misit Christus, fecit ut extremùm tentaret an nequiret Judæos ad salutem adducere, quòd verò varios misit, valuit ad amplificationem gratiæ ejus. Sed dicat aliquis, videri non mittendos fuisse servos alios, postquàm Dominus ipse venerat nec quidquam profecerat; nam et Christo occiso, impletam fuisse malitiæ mensuram. Respondeo, Christi ejusque apostolorum cæterorumque præconum Evangelii missionem ad Judæos non nisi unam censeri : nam ut Christus parens se ipsum obtulit, ita discipuli postea non nisi Christum ipsum prædicaverunt. Non absolverat munus suum Christus antequàm mortuus esset et resurrexisset, morte et resurrectione suâ perfecit quod erat Redemptoris Salvatorisque mundi : à morte igitur resurrectioneque suâ, per alios perrexit salutem offerre Judæis, quod jam non decebat per ipsum fieri. Mortem, quam ipse indignè passus fuerat ab eis, cujus ipsi sacrilegè erant auctores et rei tenebantur obstrictissimè, offerri ipsis jussit in redemptionem peccatorum, etiam ejus peccati quo mortem ipsi intulerant, considerans non tam quòd ab ipsis quàm quòd pro ipsis et pro mundo universo à peccatis salvando mortuus esset; nec simpliciter offerri jussit, sed exhibito et efficaciter astructo illo omnium maximo resurrectionis suæ signo, quod mortalis promiserat (meminisse oportet *signi Jonæ Prophetæ*, promissi supra), astructo, inquam, per servos suos evidenter mutatos in viros alios et efficacissimis Spiritûs sancti donis ac virtutibus instructos : quos illi cùm interfecerunt et repulerunt non minùs quàm mortalem Christum, convincuntur desperatissimè Christum repulisse et summum obduratæ impietatis gradum attigisse, Christo et in se et in suis occiso ac repulso.

Et ex illis, sed ex illis, scilicet quosdam. Non tantùm non recipient eos, verùm etiam quosdam eorum.

Occident; hujus exemplum fuit, inprimis Stephanus protomartyr, quem illi lapidaverunt, Act. 7, v. 58; deinde Jacobus uterque, major, quem decollavit Herodes Agrippa, applaudentibus Judæis, Act. 12, v. 2, minor, quem è summo templo præcipitârunt illi, et fullonis fuste peremerunt, Eusebius, lib. 2 Historiæ, cap. 23. Quosdam etiam

Persequentur. Interpres legit διώξουσιν. At ἐκδιώξουσιν, quod est in plerisque libris, multò ἐμφατικώτερον est, q. d., ita insectabuntur ut tandem expellant injuriis suis.

Vers. 50. — Ut inquiratur, ut exquiratur aut requiratur, quo modo vertit versu proximo; ita ut requirendus sit sanguis, ita ut ratio reposcenda et pœnæ exigendæ sint sanguinis. Vindicta debita effusioni omnis sanguinis, ultio promerita omni effusione sanguinis. Hebraicum dicendi genus, *ut veniat super vos omnis sanguis*, pro, ut in vestrum caput redundet, in vos recidat omnis sanguis, ut rei sitis omnis sanguinis, ut vindicta de vobis sumatur pro omni sanguine. Similis phrasis 2 Reg. 1, v. 16; 3 Reg. 2, v. 32, 33. Huic opponitur illa phrasis, quâ amoveri dicitur sanguis innocens ab aliquo, 3 Reg. 2, v. 31.

Omnium prophetarum, qui Dei nomine populum ad

pœnitentiam invitaverunt. Generaliter hìc accipiendum esse prophetæ nomen, docent versus proximè præcedens et sequens.

Qui effusus est, Gr.: *qui effunditur,* præsens pro præterito: omnis qui injustè effusus est à quibuscumque majorum vestrorum, non solùm is quem vos manibus vestris effudistis et effundetis propediem, non solùm, inquam, sanguis meus legatorumque ac præconum meorum, verùm etiam ob meum et istorum sanguinem omnis sanguis sanctorum superiorum ætatum.

A constitutione, à creatione mundi, à primâ rerum origine.

A generatione ista, ab hominibus hujus generationis sive ætatis. Referenda est hæc particula ad verbum *inquiratur,* non ad *effusus est.*

Vers. 51. — Abel. Fuit Abel propheta, qui clariore rerum divinarum, ac præsertim venturi Salvatoris, cognitione à Deo et patre Adamo acceptâ, sacrificio quod obtulit mortem Christi præfiguravit, et sermonibus suis cum vitæ innocentiâ conjunctis, familiam patris sui ad Deum colendum et amandum provocavit.

Zachariæ patris Joannis Baptistæ; qui et ipse propheta fuit, edito vaticinio, quod sup. 1, v. 67, et deinceps recitatur, *qui* non ita pridem *periit,* è vita sublatus est, interfectus est.

Ædem, domum. Solum templum interius, complectens sanctum et sanctum sanctorum, domus formam præ se ferebat utpote solum tecto coopertum. Cæterùm hujusmodi periphrasi loci Salvator hìc utitur, *inter templum et ædem,* ut sævitiam amplificet eorum qui nec loci sanctitate absterriti fuerint à cæde justi. Vesana nimiùm rabies, quam altaris et templi conspectus sedare non potuit, quin sacrum locum nefando homicidio fœdaret. Porrò quòd locus iste intelligendus sit de Zachariâ patre Joannis Baptistæ, fuisse olim celebrem opinionem Græcorum, multis testimoniis docet Baronius Annalium tomo primo; et quanquàm Chrysostomi schola loquatur ambiguè, varias afferens opiniones, in hanc tamen magis inclinat. Cæterùm de causâ occisionis hujus Zachariæ, non perinde inter se conveniunt Græci. Plerique eam afferunt causam, quòd Mariam, postquàm Jesum peperisset, statuerit in loco virginibus ad orandum deputato, afferens eam virginitate illibatâ peperisse Christum. Atqui non est verisimile Deiparæ virginitatem divulgatam fuisse quamdiù convivebat illa marito Josepho, quem probabile est vixisse donec Jesus adolevisset in virum: minùs etiam verisimile est propalatum fuisse quis esset Christus aut ejus mater, ante tempus ostensionis Christi ad Israel. Petrus, Alexandrinus episcopus et martyr, citatus à Baronio, et Græcus quidam expositor à Catenâ Thomæ et Richelii Commentariis Lucam enarrantibus, eam dant causam, quòd cùm, Christo nato, inter cæteros infantes, jussisset Herodes et filium hujus (in cujus nativitate non ita pridem admiranda acciderant, *divulgata per omnia montana Judææ,* Luc. 1, v. 65) interfici, ille subtractum et in eremum à matre Elizabeth deportatum prodere noluerit. Id quod ita fit verisimile, Baronio expositore, ut credam etiam verum fuisse, quod Hieronymus hanc sententiam recitans nec probans ait, *quod propterea occisus sit, quia Salvatoris prædicarit adventum.* Quis enim dubitet, quin promissum Christum, verè, ut fama erat, advenisse prædicaverit, et ut Christi Regis ac Redemptoris persecutores redarguerit, eos qui ipsius filium cæterosque innocentes puellos ad necem quærebant? Quanquàm verò Herodes alienigena occidi jusserit hunc Zachariam; Judæi tamen, non dubium, Herodis ministri, eum occiderunt, faventibus et consentientibus aliquibus scribarum, Pharisæorum et sacerdotum, absque quibus non facilè patuisset violentiæ locus in templo: tametsi et Herodes non ut alienus hìc habendus sit, cooptatus in populum Israel. Mens itaque Jesu hoc loco fuit, nominare primum et ultimum justum, à populo, *super quem invocatum est nomen Domini,* non tamen manibus eorum quos alloquebatur aut æqualium, interfectum, omnesque simul his duobus extremis concludere. Sed quare igitur, loco patris, non nominavit filium, Joannem Baptistam, qui diù post patrem interfectus fuerat? Respondet Origenes, quia manifesta est res, quòd scribæ et Pharisæi non occiderunt Joannem, sed Herodes. Atqui è contra, manifesta est res quòd scribæ et Pharisæi cum Herode Joannem occiderint. Quare cùm vellet nominare Jesus primum et ultimum non ab his quos alloquebatur aut eorum æqualibus occisum, Joannem ultimum nominare non debuit, quem illi quos alloquebatur aut eorum æquales à biennio plus minùs occiderant. Nec Herodes iste tetrarcha à Judæis separandus est, quippe qui non proselytus solùm fuerit ut pater, sed et natus Judæus tam religione quàm patriâ. Joannem igitur voluit Jesus secum et cum apostolis ac discipulis suis intelligi, quos suis manibus occiderunt Judæi suæ ætatis; nam et congruebat malitiæ absolutæ, regem cum suis, non tantùm pedisequis, verùm etiam præcursore, è medio auferre. Jam ut intelligatur, quomodò futurum prædicat Jesus, ut de Judæis suæ ætatis vindicta capiatur cædis omnium justorum, non eorum tantùm quos ipsi suis manibus interemerint, Christi, inquam, ejusque comitum, verùm etiam omnium à majoribus ipsorum à condito mundo interfectorum, à primo ad ultimum usque, considerare oportet, quòd ab initio mundi, postquàm peccaverat Adam, Deus, relictis plerisque omnibus hominibus, adeòque universo propemodùm mundo, *ut ingrederentur vias suas,* unam saltem aliquam semper elegerit familiam, cui sui cognitionem et cultum dederit: hujusmodi fuit prima familia Adæ; quâ distractâ in varias familias, successit familia Seth, deinde Enos, Gen. 4, v. 26; demùm tempore diluvii familia Noe; à diluvio Sem, postea Heber, Abraham, Isaac, tandem Jacob, cujus familia etiam distracta in varias, adeòque in duodecim distincta, tota permansit cultrix veri Dei, et excreta in populum innumerabilem leges Dei colendi rectèque vivendi à Deo ipso accepit: qui populus ad

ipsa usque tempora JesuChristi perduravit, Deo illum regente et protegente adversùs reliquas omnes totius mundi incredulas gentes. Hæc successio est populi Dei ab orbe condito, censeturque unus *populus super quem invocatum fuit nomen Domini*. In hoc populo reperire semper fuit viros justos, qui cæteros ad justitiam colendam tum exemplis tum verbis invitarent (extra hunc populum vix ullus exstitit justus), quanquàm non omnes in eo justi fuêre, imò verò rari justi, plerique verò omnes injusti, perversi, Dei in quem credebant exacerbatores, et justorum qui Deo placebant ipsosque ad meliora adhortabantur persecutores adeòque homicidæ. Hoc manifestum fuit in primâ familiâ Adæ, in quâ Cain occidit Abelem; in familiâ Abrahæ, Ismael persecutus est Isaacum; in familiâ Isaaci, Esaü afflixit Jacobum; in familiâ Jacobi, Josephum cæteri fratres vexârunt; denique populus ex Jacobo, aliàs Israele, oriundus, semper infestus fuit prophetis cæterisque viris justis, à quibus officii erga Deum et proximos juxta leges à Deo latas admonebatur, usque adeò ut etiam plerosque eorum crudeliter occiderit, donec eò ventum est, ut, dùm natus esset, divinitùs ipsi promissus, Salvator Christus, quem semper exspectaverat ac desideraverat, illum ipsum Christum ad necem quæsierit, multis innocentibus puellis interfectis, inter quos cùm non reperiretur Christi prodromus, patrem ipsius sacerdotem sacrilegè in ipsis templi penetralibus trucidârit. Ob hæc scelera cùm potuisset justè Deus populum hunc auferre è medio, toleravit tamen eum semper, et pœnis mitioribus afflictum ad pœnitentiam invitavit, donec ad summum usque gradum malitia illius pervenisset, Christo Salvatore ejusque evangelistis morte mulctatis. Hoc scelus omnium maximum conferens justitia Dei cum continuâ serie similium scelerum ab orbe condito admissorum ab hoc populo, neque ultra ferendum ducens, decrevit populum hunc, non quovis modo punire, quo modo antea sæpè fecerat, sed delere et exstirpare, et *auferre locum ejus ac gentem*, eoque rejecto ac reprobato, in ejus locum assumere, quas hactenùs præ illo vilipenderat et deseruerat, reliquas sine discrimine totius mundi gentes. Hæc divina vindicta venit super Judæos quos Christus hìc alloquitur, id est, super Judæos ætatis Christi et proximos filios eorum qui perrexerunt persequi et è medio auferre præcones Christi. Nam anno à morte Christi, quæ hanc interminationem mox secuta est, quadragesimo, aut, ut alii volunt, tricesimo octavo, cùm *egresso in omnem terram sono apostolorum*, Evangelium inter gentes disseminatum esset, paulò post cædem Jacobi minoris fratris Christi, ab his ipsis Judæis factam ob prædicationem nominis Jesu Christi, *perdidit Deus homicidas istos, missis exercitibus suis*, ducibus Tito et Vespasiano, qui templum et Jerosolymam metropolim reliquasque omnes civitates eorum, succenderunt, vastaverunt, funditùs deleverunt, et peremerunt longè majorem sanguinarii hujus populi partem, paucis ignominiosè dispersis, nec unquàm ampliùs in populum unum coalituris, præter obdurationis et reprobationis pœnam, conjunctam cum invidiosâ surrogatione gentium, reliquis omnibus miseriis quas passi sunt majorem. Hæc porrò exstirpationis pœna, jam inde à mundi initio, quo cœpit populus hic condi, cœpta est promereri, tandemque promerita est, ab hoc populo, continuis cædibus et persecutionibus servorum Dei. Nolens enim ampliùs ludibrio haberi ab hoc populo Deus, sed ulcisci volens sanguinem servorum suorum omni ætate ac seculo ab eo effusum, semel eum delevit, totamque in eum iram suam effudit, spectaculo omnium severissimo atque gravissimo. Manifestum itaque fit, quomodò venerit super Judæos ætatis Christi omnis sanguis justorum effusus ab orbe condito à majoribus ipsorum, præter illum quem ipsimet suis manibus effuderunt; quandoquidem in ipsos inciderit excidium gentis, illatum à Deo pro omni illo injustè effuso sanguine. « Omnis enim gens « vel civitas, ait auctor Operis imperfecti, non cùm « peccaverint, statim punit eas Deus, sed exspectat « per multas generationes, et modò mandat, modò « minatur, interdùm ex parte castigat, ut quantò « diutiùs eos exspectaverit, tantò et Dei judicium « justius sit et illorum dignior pœna. Quando autem « placuerit Deo perdere civitatem illam aut gentem, « videtur omnium generationum præcedentium pec« cata reddere illis; quoniam quæ illæ omnes gene« rationes merebantur, hæc sola passa est. » Hactenùs ille. Sic Amalecitarum peccatum, quo restiterant Israeli egredienti ex Ægypto, gentis excidio demùm punivit Deus per Saülem regem, 1 Reg. 15, v. 2, 3, 7. Similiter, non manserant quidem impunita scelera patrum Judæorum; sed cùm insignem et publicam orbi universo vindictam mererentur tam longæ diuturnæque impietates, visum est Deo et de præsentium et de præteritorum impietatibus per Titum et Vespasiananum vindictam facere, gente funditùs exstirpatâ: exstirpatione enim illâ, non modo ultus est se Deus de Judæorum ejus ætatis, sed et de omnibus antè à reliquis patratis flagitiis. Quærat aliquis, quo jure quâve justitiâ, ultima ætas sola passa est, quod non sola promeruerat? Dicendum etsi non solùm ætas ultima promeruerat hujusmodi pœnam, promeruerat tamen, primò, quia majorum suorum crudelitatem imitata fuerat. *Malorum imitatio facit*, inquit Augustinus in priori expositione Psalmi 108, *ut non solum sua, sed etiam eorum quos imitati sunt, merita sortiantur*. « Quoniam, quod habet Chrysostomus in hunc locum, « qui multos propter peccata sua « vexatos esse non ignorat, neque idcircò factus est « melior, sed eadem committens non curat, illorum « quoque pœnas justè sustinebit. » Secundò, quia non tantùm imitata fuerat scelera majorum suorum, verùm etiam superârat *et iniquiora fœdioraque quàm cæteri omnes*, ait Chrysostomus, *perpetrârat, nec quidquam eos à malitiâ potuit revocare*, patrum crudelitatem non solùm referentes, sed et vincentes. Postremò, quia non superârant tantùm impietatem patrum suorum, verùm etiam consummârant et im-

pleverant, id est, ad summum usque impietatis gradum progressi fuerant, quem ultra pati non debebat longanimitas Dei, quin extremè ulcisceretur, Christo nimirùm Salvatore ejusque apostolis et præconibus è medio sublatis, cujus solius peccati enormitas meruit pœnam æquivalentem pœnis quas promeruerant unquàm simul omnes alii homicidæ justorum. Promeruerat itaque ultima ætas exstirpationis pœnam quam passa est; promeruerant autem etiam superiores ætates simul omnes, et passæ sunt, non in seipsis, sed in ultimâ; passæ, inquam, sunt quia posteritas earum deleta est et respublica radicitùs exstirpata in quâ illæ hactenùs vivebant et florebant; quemadmodùm è diverso Abraham acceperat promissam terram, non in se, sed in semine suo. Potuerunt porrò plura peccatorum genera concurrere, quibus Judaïcus populus excidium promeruerit; sed videmus præcipuum peccatum fuisse, homicidia continua eorum à quibus pietatem docti fuerant, maximè autem Christi.

Ita, profectò, certè, pro quo Matthæus *amen;* vehementer affirmantis est.

Requiretur, omnis ille sanguis.

Vers. 52. — Væ vobis, scilicet dixit et hoc, inter cætera hujusmodi, Sapientia Dei.

Tulistis. Hoc Græci interpretantur, sustulistis, abscondistis, obscurâstis, ita ut clavi è medio quasi sublatâ, maneat clausa janua; sic Euthymius, Theophylactus, et Cyrillus in Catenâ citatus.

Clavem scientiæ, clavem quæ præbet scientiam seu cognitionem, scilicet rerum ad salutem scitu necessariarum, quæ quidem solæ dignæ sunt quæ sciantur. Hæc clavis est Scriptura sacra, docens quæ credenda sint ut salvus fias: est autem clavis regni cœlorum, docens enim quæ credenda de Christo cæterisque divinis mysteriis sint, aperit regnum cœlorum, ita ut fide conceptâ liceat introire. Hanc clavem legisperiti, adversùs professionem suam (ipsorum enim erat Scripturam sacram populo enarrare) sustulerant, ita ut vix ullus maneret illius usus. Vel enim omninò non explicabant populo Scripturam sacram, sed in doctrinis mandatisque hominum, in traditionibus et constitutionibus majorum, parùm aut nihil ad veram pietatem facientibus, explicandis, toti erant; vel in illis sacræ Scripturæ rebus immorabantur, quæ minùs necessariæ erant, ut in observatione nudarum cæremoniarum, sine explicatione significationum, nec alios quidquam præter hoc solidum scire permittebant. Nam quæ de Christo, de ejus virtute et efficientiâ, de fide et pœnitentiâ, et cæteris quæ ducunt ad regnum cœlorum, in Scripturis exstant, quæ ut maxima inprimis tractari docerique oportebat, præteribant omnia: et ne provocati quidem sæpiùs à Christo ad harum rerum tractationem et Scripturarum de se perscrutationem, his attendebant, neque alios de his instruebant vel instrui patiebantur à Christo aut quovis alio, non permittentes ut quisquam de Scripturis ageret aut diceret quidquam, nisi se consultis et ex suarum interpretationum præscripto: quinimò perversâ interpretatione corrumpebant manifestas de adventu Christi jam præsentis prophetias. His itaque modis sustulerant illi fraudulenterque suppresserant doctam illam clavem, à Spiritu sancto donatam Israeli ad aperiendum regnum cœlorum. Hanc Christus restituere conabatur, eâque aperire Israelitis regnum cœlorum: verùm quantùm Christus aperiebat, tantùm illi simul et Pharisæi, claudebant regnum cœlorum ante homines, modis omnibus prohibentes et agentes, ne quis Christo crederet, id quod ipsis ulteriùs exprobratur Matth. 23, v. 13. Hic enim reprehenduntur, quòd sublatâ clavi non aperirent aut sinerent aperiri regnum cœlorum; illìc, quod etiam apertum jam regnum cœlorum, clavi à Christo restitutâ, clauderent in ora hominum.

Ipsi non introistis, nec introitis, scilicet in regnum cœlorum, quippe qui clavi, quæ vobis ad manum est, uti non vultis; nam Scripturas non scrutamini, neque Mosi magis quàm mihi creditis.

Et, quod pejus prorsùsque contrarium vestræ professioni est, eos qui introibant vel introeunt; græcè, *introeuntes;* qui parati sunt introire, aperto à me regno cœlorum eâ quam restitui clavi, qui parati sunt in me credere et Ecclesiæ meæ inseri, persuasi prædicatione meâ, et propositis à me Scripturis sacris.

Prohibuistis, ac prohibetis, scilicet introire, in me credere et Ecclesiæ meæ adjungi; prohibetis, inquam, perversis Scripturæ sacræ interpretationibus, blasphemiis doctrinæ operumque meorum, minis intentatis, et aliis omnibus quibus potestis modis: nam et jamdudùm conspiraverant, *ut si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret,* Joan. 9, v. 22. Est hæc duplex iniquitas, nec facilè alia gravior, similis satanicæ invidiæ, malefacere et alios prohibere benefacere: quam proinde gravissima manet vindicta Dei ex hâc Christi doctrinâ: « Hi « sunt, ait Chrysostomus, quos pestes transferendo « appellamus, qui ad corrumpendos alios studiosè « vigilantes, veris doctoribus ex diametro sunt op« positi. Si enim doctoris est errantes revocare: qui « ad salutem tendentes in errorem reducit, is perditus « omninò atque pestifer est. »

Vers. 53. — Hæc, subamara quidem, sed salutifera.

Diceret, dixisset, libertate divinam præ se ferente auctoritatem.

Cœperunt. Et si vindictæ ac mortis ejus cupidissimi, non sunt tamen ausi comprehendere, tum ob timorem populi, tum quòd deesset ipsis justa quam prætexere possent causa.

Pharisæi et legisperiti, offensi libertate reprehendendi...

Vers. 53. — Cœperunt Pharisæi et legisperiti, offensi tantâ reprehendendi libertate, quia æstimatio sanctitatis Pharisæorum, et auctoritas doctrinæ scribarum elevabatur, graviter insistere, id est, vehementer instando eum urgere; et os ejus opprimere, id est, loquentem reprimere, de multis, quæ dixerat;

hendentis; illi quòd sanctitatis suæ æstimationem minui, hi quòd doctrinæ suæ auctoritatem elevari, illâ Jesu oratione metuerent.

Graviter, vehementer, insistere, urgere, comprimere, constringere. Latinus interpres cum plerisque codicibus legisse videtur ἐνέχειν, imminere, instare, molesti esse: utrumque eòdem recidit.

Os ejus opprimere. Alii vertunt *ab ore interrogare eum*, alii, *allicere eum ad loquendum*, alii *captiosè eum interrogare;* Euthymius: « Significat, » inquit, « extemporales et non consideratas responsiones dolosarum interrogationum expetere. » Theophylactus: « Frequenter interrogare et perplexum facere: id quod fieri solet, quando plures interrogant unum de aliis atque aliis argumentis, ita ut perplexus reddatur nec possit respondere. » Huic suffragatur id quod sequitur *de multis* (quod præcedentibus aptiùs jungitur quàm sequentibus verbis), quod est, propositis multis variisque quæstionibus et objectionibus. Quare rectè Latinus interpres vertit, *os ejus opprimere,* quod non est, os occludere aut obturare, sed os ejus obruere, non ut taceret, sed ut coactus ad multa simul respondere, et proinde perplexus redditus atque hæsitabundus, alicubi laberetur et effutiret quod reprehensionem mereretur. Quin etiam rectè Arias Montanus, *os ejus opprimere de multis,* exponit verba ejus arguere, verba oris ejus, quibus in ipsos invectus fuerat, refellere, multis inde deductis consequentiis, quas si admisisset, reprehensioni accusationique fuisset obnoxius. Verbi gratiâ, unus occlamabat: Qui damnas lotiones præscriptas traditionibus seniorum, eâdem ratione damnas lotiones lege præscriptas, et munditiem, quam Deus testatus est sibi gratam, nihili facis. Alter: Qui reprobas exactam legis observationem, qualis est Pharisæorum in solvendis decimis, consequenter et legem reprobas: nam si illa sancta, quò servatur exactiùs, eò meliùs agitur. Tertius: Si negas Pharisæis et scribis primas cathedras in synagogis, pervertis igitur honorum et dignitatum rationes, nullosque vis esse magistros, sed omnes æquales. Alii denique alia objectabant, aut dolosè interrogabant. Hæc autem ad mensam Pharisæi illius, de quo supra, v. 37, accidisse videntur: nam post ea quæ Matthæus narrat similia cap. 23, nihil objecerunt aut quæsierunt scribæ vel Pharisæi, quibus paulò antè os fuerat obturatum, Matth. 22, v. 46.

Vers. 54. — Insidiantes ei, reddentes malum pro bono. Pestilentes homines, nihil æquè oderunt ac salutares increpationes.

Et, pro *id est,* quærentes, conantes, aliquid; singula ejus verba studiosè dolosèque observabant.

Capere, *venari*, captantes ex ore ejus, vel extortum errorem, vel verbum subitum aut ambiguum, quod in malam partem verti posset: objectionum et quæstionum perplexarum aucupiis insidias ei struebant, ut si quid contra Deum, legem aut Cæsarem protulisse videretur, nocerent ei et crearent periculum, *accusantes* apud Synedrion aut præsidem, tanquàm zelo justitiæ moti, non odii aut vindictæ privatæ. « Putabant, inquit Euthymius, repentè et de improviso in errorem omninò illum inducere: verùm sapientissimè dissolvebat omnia, facilèque respondebat. » Itaque reipsà hi ostenderunt, quàm vera essent ea de quibus Jesus ipsos increpaverat, crimina, dùm non tantùm non correcti sunt increpatione, verùm etiam pejores redditi, criminibus crimina cumulârunt: nempe, ut solent obdurati corde, quò magis reprehenduntur et ad salutem vocantur, hoc longiùs à salute recedunt. Accidit ipsis illud Jeremiæ cap. 5, v. 3: *Percussisti eos, et non doluerunt: attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti.* Sed quare incorrigibiles increpavit? ut si non ipsis prodesset correptio, saltem populus sibi ab ipsis caveret, ut hominibus impiis et adversariis fidei in Christum.

multa scilicet ex eis quasi consequentiâ captiosè interrogando, ut perplexus fieret, nec ad tot hinc inde interrogata respondere posset; vel etiam multa simul objiciendo, ut tot argumentis pulsatus aliquid minùs consideratè responderet, nimirùm ut sequitur.

Vers 54. — Insidiantes ei, et quærentes aliquid capere de ore ejus; quem tot interrogationibus et objectionibus vellicatum, minùs putabant fore oculatum et cautum ad respondendum, sicut hominibus contingere solet discursu et collatione, ideòque et tempore indigentibus, quorum non indiget scientia beatorum. Notat autem August., quamvis Matth. et Lucas eadem Christi verba narrare videantur, diversis tamen temporibus esse dicta, quia Lucas ea narrare videtur dicta in domo Pharisæi, antequàm venisset Jerosolymam, Matthæus verò Jerosolymis.

CAPUT XII.

1. Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hyprocrisis.

2. Nihil autem opertum est, quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur.

3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

4. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini

CHAPITRE XII.

1. Cependant une grande multitude de peuple s'étant assemblée autour de Jésus, en sorte qu'ils marchaient les uns sur les autres, il commença à dire à ses disciples: Gardez-vous du levain des Pharisiens, qui est l'hypocrisie.

2. Car il n'y a rien de caché qui ne doive être découvert, ni rien de secret qui ne doive être connu.

3. Car ce que vous aurez dit dans les ténèbres, se publiera dans la lumière; et ce que vous aurez dit à l'oreille dans une chambre, sera prêché sur les toits.

4. Je vous le dis donc à vous qui êtes mes amis;

ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent ampliùs quid faciant.

5. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui, postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.

6. Nonne quinque passeres væneunt dipondio? et unus ex illis non est in oblivione coram Deo.

7. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos.

8. Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.

9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.

10. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.

11. Cùm autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis :

12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsâ horâ quid oporteat vos dicere.

13. Ait autem ei quidam de turbâ : Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.

14. At ille dixit illi : Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?

15. Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritiâ : quia non in abundantiâ cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet.

16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens : Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit :

17. Et cogitabat intra se dicens : Quid faciam? quia non habeo quò congregem fructus meos.

18. Et dixit : Hoc faciam : Destruam horrea mea, et majora faciam : et illùc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea,

19. Et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare.

20. Dixit autem illi Deus : Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te : quæ autem parâsti, cujus erunt?

21. Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.

22. Dixitque ad discipulos suos : Ideò dico vobis : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.

23. Anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum.

24. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos. Quantò magis vos pluris estis illis?

25. Quis autem vestrûm cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis?

ne craignez point ceux qui tuent le corps, et qui après cela n'ont rien à vous faire davantage.

5. Mais je vais vous apprendre qui vous devez craindre : Craignez celui qui, après avoir ôté la vie, a encore le pouvoir de jeter dans l'enfer. Oui, je vous le dis, craignez celui-là.

6. N'est-il pas vrai que cinq passereaux se donnent pour deux oboles? et néanmoins il n'y en a pas un seul qui soit en oubli devant Dieu.

7. Les cheveux même de votre tête sont tous comptés. Ne craignez donc point : vous valez beaucoup mieux qu'une infinité d'oiseaux.

8. Je vous déclare que quiconque me confessera devant les hommes, le Fils de l'homme le reconnaîtra aussi devant les anges de Dieu.

9. Mais si quelqu'un me renonce devant les hommes, je le renoncerai aussi devant les anges de Dieu.

10. Si quelqu'un parle contre le Fils de l'homme, son péché lui sera remis; mais si quelqu'un blasphème contre le Saint-Esprit, il ne lui sera point remis.

11. Lorsqu'on vous mènera dans les synagogues, ou devant les magistrats, et devant les puissances, ne vous mettez point en peine comment vous répondrez, ni de ce que vous leur direz;

12. Car le Saint-Esprit vous enseignera à cette heure-là même ce qu'il faudra que vous disiez.

13. Alors un homme lui dit du milieu de la foule : Maître, dites à mon frère qu'il partage avec moi notre succession.

14. Mais Jésus lui dit : Mon ami, qui m'a établi pour vous juger, ou pour faire vos partages?

15. Puis il leur dit : Ayez soin de vous bien garder de toute avarice; car, en quelque abondance qu'un homme soit, sa vie ne dépend point des biens qu'il possède.

16. Et il leur dit cette parabole : Il y avait un homme riche, dont les terres avaient extraordinairement rapporté;

17. Et il s'entretenait en lui-même de ces pensées : Que ferai-je? car je n'ai point de lieu où je puisse serrer tout ce que j'ai à recueillir.

18. Voici, dit-il, ce que je ferai : J'abattrai mes greniers, et j'en bâtirai de plus grands, et j'y amasserai toute ma récolte et tous mes biens;

19. Et je dirai à mon âme : Mon âme, tu as beaucoup de biens en réserve pour plusieurs années; repose-toi, mange, bois, fais bonne chère.

20. En même temps Dieu lui dit : Insensé que tu es, on va te redemander ton âme cette nuit même; et pour qui sera ce que tu as amassé?

21. Il en est ainsi de celui qui amasse des trésors pour lui-même et qui n'est point riche en Dieu.

22. Puis s'adressant à ses disciples, il leur dit : Ne vous mettez donc point en peine pour votre vie où vous trouverez de quoi manger, ni où vous trouverez des habits pour votre corps.

23. La vie est plus que la nourriture, et le corps plus que le vêtement.

24. Considérez les corbeaux : ils ne sèment ni ne moissonnent; ils n'ont ni cellier ni grenier; cependant Dieu les nourrit. Or, combien êtes-vous plus que des corbeaux?

25. Et qui de vous peut imaginer le moyen d'ajouter à sa taille la hauteur d'une coudée?

26. Si donc les moindres choses mêmes sont audessus de votre pouvoir, pourquoi vous inquiétez-vous des autres?

27. Considerate lilia quomodò crescunt : non laborant, neque nent : dico autem vobis, nec Salomon in omni gloriâ suâ vestiebatur sicut unum ex istis.

28. Si autem fœnum quod hodiè est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quantò magis vos, pusillæ fidei !

29. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis ; et nolite in sublime tolli.

30. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt : Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

31. Verùmtamen quærite primùm regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis.

32. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

33. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam : facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

35. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris,

36. Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quandò revertatur à nuptiis; ut, cùm venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.

37. Beati servi illi quos cùm venerit dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quòd præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.

38. Et si venerit in secundâ vigiliâ, et si in tertiâ vigiliâ venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.

39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamiliâs, quâ hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

40. Et vos estote parati : quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.

41. Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes?

42. Dixit autem Dominus : Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram ?

43. Beatus ille servus quem cùm venerit dominus, invenerit ita facientem.

44. Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.

45. Quòd si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire, et cœperit percutere servos et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari,

46. Veniet dominus servi illius, in die quâ non sperat, et horâ quâ nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.

47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis :

48. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multùm datum est, multùm quæretur ab eò ; et cui commendaverunt multùm, plus petent ab eo.

27. Considérez les lis, comment ils croissent; ils ne travaillent, ni ne filent; et cependant je vous assure que Salomon même, dans toute sa magnificence, n'a jamais été vêtu comme aucun d'eux.

28. Si Dieu a soin de vêtir de la sorte une herbe qui est aujourd'hui dans les champs, et qu'on jettera demain dans le four, combien aura-t-il plus soin de vous, ô hommes de peu ne foi !

29. Ne vous mettez donc point en peine, vous autres, de ce que vous mangerez, ou de ce que vous boirez ; et ne vous laissez point emporter à ces soins ;

30. Car ce sont les gens du monde qui s'inquiètent pour toutes ces choses ; mais votre Père sait que vous en avez besoin.

31. Cherchez donc premièrement le royaume et la justice de Dieu ; et toutes ces choses vous seront données par-dessus.

32. Ne craignez point, petit troupeau ; car il a plu à votre Père de vous donner son royaume.

33. Vendez ce que vous avez, et le donnez en aumône; faites-vous des bourses qui ne s'usent point par le temps : amassez dans le ciel un trésor qui ne s'épuise jamais, d'où les voleurs ne puissent approcher, et que les vers ne puissent corrompre.

34. Car où est votre trésor, là est aussi votre cœur.

35. Que vos reins soient ceints, et ayez dans vos mains des lampes allumées;

36. Et soyez semblables à ceux qui attendent que leur maître revienne des noces, afin que lorsqu'il sera venu, et qu'il aura frappé à la porte, ils lui ouvrent aussitôt.

37. Heureux ces serviteurs que le maître à son arrivée trouvera veillants : je vous dis en vérité que s'étant ceint, il les fera mettre à table, et viendra les servir.

38. S'il arrive à la seconde, ou à la troisième veille de la nuit, et qu'il les trouve en cet état, heureux seront ces serviteurs.

39. Or, sachez que si le père de famille était averti de l'heure où le voleur doit venir, il veillerait sans doute, et ne laisserait pas percer sa maison.

40. Tenez-vous donc aussi toujours prêts, parce que le Fils de l'homme viendra à l'heure que vous ne pensez pas.

41. Alors Pierre lui dit : Seigneur, est-ce à nous seuls que vous adressez cette parabole, ou si c'est à tout le monde ?

42. Le Seigneur lui dit : Quel est, à votre avis, l'économe fidèle et prudent que le maître établira sur sa famille pour distribuer à chacun sa mesure de blé en son temps ?

43. Heureux ce serviteur que son maître à son arrivée trouvera agissant de la sorte.

44. Je vous dis en vérité, qu'il l'établira sur tous ses biens.

45. Mais si ce serviteur dit en lui-même : Mon maître n'est pas près de venir, et qu'il commence de battre les serviteurs et les servantes, de manger, de boire et de s'enivrer,

46. Le maître de ce serviteur viendra au jour où il ne s'y attend pas, et à l'heure qu'il ne sait pas; il le retranchera ; et il lui donnera pour partage d'être avec les serviteurs infidèles.

47. Car le serviteur qui aura su la volonté de son maître, et qui néanmoins ne se sera pas tenu prêt, et n'aura point exécuté ses ordres, sera battu de plusieurs coups;

48. Mais celui qui ne l'aura pas su, et qui aura fait des choses qui méritent châtiment, sera moins battu ; car on demandera beaucoup à celui à qui on aura donné beaucoup, et on fera rendre un plus grand compte à celui à qui on aura confié plus de choses,

49. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?

50. Baptismo autem habeo baptizari; et quomodò coarctor usquedùm perficiatur!

51. Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem.

52. Erunt enim ex hoc quinque in domo unâ divisi, tres in duos et duo in tres.

53. Dividentur: pater in filium, et filius in patrem suum, mater in filiam, et filia in matrem, socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam.

54. Dicebat autem et ad turbas: Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit; et ita fit.

55. Et cùm austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit, et fit.

56. Hypocritæ, faciem cœli et terræ nôstis probare; hoc autem tempus quomodò non probatis?

57. Quid autem et à vobis ipsis non judicatis quod justum est?

58. Cùm autem vadis cum adversario tuo ad principem, in viâ da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem.

59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

49. Je suis venu jeter le feu sur la terre; et que désiré-je, sinon qu'il s'allume?

50. Je dois être baptisé d'un baptême; et combien me sens-je pressé jusqu'à ce qu'il s'accomplisse!

51. Croyez-vous que je suis venu pour apporter la paix sur la terre? Non, je vous assure, mais la division;

52. Car désormais s'il se trouve cinq personnes dans une maison, elles seront divisées les unes des autres, trois contre deux, et deux contre trois.

53. Le père sera en division avec le fils, et le fils avec le père; la mère avec la fille, et la fille avec la mère; la belle mère avec la belle-fille, et la belle-fille avec la belle-mère.

54. Il disait aussi au peuple: Lorsque vous voyez un nuage se former du côté du couchant, vous dites aussitôt: Il va pleuvoir; et cela arrive ainsi.

55. Et quand vous voyez que le vent du midi souffle, vous dites qu'il fera grand chaud; et cela arrive.

56. Hypocrites, vous savez si bien reconnaître ce que présagent les apparences du ciel et de la terre, comment donc ne reconnaissez-vous point ce temps-ci?

57. Pourquoi n'avez-vous point aussi de discernement pour reconnaître de vous-mêmes ce qui est juste?

58. Lorsque vous allez au magistrat avec celui qui est votre partie, tâchez en chemin de sortir d'affaire avec lui, de peur qu'il ne vous mène par force devant le juge, que le juge ne vous livre au ministre de la justice, et que celui-ci ne vous mette en prison.

59. Je vous le dis, vous ne sortirez point de là que vous n'ayez payé jusqu'à la dernière obole.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Multis autem turbis. Loco conjunctionis *autem*, Syriacè legitur *et*; Græcè *in quibus*, inter quæ, inter ea, brevì posteà, paulò post discessum à Pharisæis, recenti adhuc memoriâ disputationis cum illis habitæ capite superiori. Rursùs pro, *multis turbis*, Græcè legitur *myriadibus turbæ*, quod est, infinita, immensa, permulta turba. Positus est enim definitus numerus pro infinito.

Circumstantibus, simul aggregatis, coactis.

Ita ut se invicem conculcarent, studio Jesum videndi et audiendi, propiùsque accedendi: namque hic mos turbarum est. Conabantur Pharisæi turbas abarcere à Jesu; at contra magis turbæ eum adeunt, adeòque in innumeras turbas colliguntur, quod notat Theophylactus.

Ad discipulos suos; sequitur Græcè et Syriacè *primùm*; quod, si præcedentibus jungatur, est, *maximè*; ad omnes quidem, sed ad discipulos suos maximè, vultu ad eos verso; si sequentibus, est, *inprimis*, ante omnia, *attendite*, etc.

Attendite, cavete vobis ipsis, a fermento Pharisæorum, à fermento quo Pharisæi infecti sunt, ne vel inficiamini simili fermento, vel certè incauti decipiamini eorum fermento. Quod Matth. 16, v. 6, privatim discipulos monuerat, id palàm publicèque hìc facit.

Quod est hypocrisis. Hypocrisis est simulatio virtutis; quando quis non verâ sincerâque virtute, quæ ab animo præcipuè pendet, conatur esse præditus, sed externâ virtutis imagine specieque contentus est. Hæc fermento comparatur, quia fermenti modo vitiat quidquid in homine esse potest boni, inficit hominem, non justificat, non implet sanctitate, sed inflat inani specie, fallens hominum oculos, coram Deo nihil continet solidi. Poterat quidem Jesus hìc discipulos admonere ut hypocrisin fugerent, etiamsi Pharisæos non nominaret; sed quia frequentissimus jam aderat populus, qui Pharisæos, virtutis justitiæque respectu plurimi faciebat, quanquàm illi contra non tantùm non essent animo virtute prædito, verùm etiam omnis generis vitiis intùs scaterent, et præter hæc palàm et ex professo adversarentur ipsi Christo Domini, ab eoque recipiendo omnes avocare pertinacissimè niterentur, reprehensionibus hactenùs non emendati, sed deteriores redditi; idcircò illos nominat, eorumque insignem hypocrisin retegit, ac nominatim traducit, non contentionis causâ (absit) sed, ne illi, sicut modis omnibus conabantur, populum à fide in Christum avocare valerent, id est, ut populus de fucatâ illorum hypocrisi factus certior, desineret eos admirari ac venerari sanctitatis nomine, itaque emergeret è periculo illos imitandi et Christum rejiciendi. Sic ergo alloquitur hìc Dominus discipulos suos, monetque fugere vitium hypocrisis (quo non facilè aliud detestabilius), ut simul obliquè quasique aliud agens, moneat præsentem multitudinem cavere, ne Pharisæorum hypocrisi, id est, auctoritate ornatâ inani specie virtutum, decipiatur, et à Christo recipiendo abducatur; eo fine, ut si seduci se sinat, prout tandem accidit, non possit sæpiùs præmonita excusationem afferre, qualem potuisset si hypocrisis illorum tutò latens, pro verâ sincerâque sanctimoniâ permissa fuisset haberi. Erat

itaque admonitio hæc, tum populo, tum discipulis, multis modis necessaria.

Vers. 2. — Nihil autem, etc. Plures sunt hujusmodi γνῶμαι sive sententiæ generales, familiares Domino Jesu, quæ ad varios usus ab ipso accommodantur. Ista hoc loco servire videtur, ad coarguendum hypocrisin, vitium quod studiosè occultatur, atque ita, ut eo cætera quoque vitia occultari posse putentur. Atqui pronuntiat Dominus nihil esse in hâc vitâ occultum, quod non sit, vel in ipsâ, vel ut minimùm in futurâ, revelandum. Vult hypocrita, malus quidem esse, bonus autem videri : frustrabitur sûa spe, dùm, Deo justo judice faciente, malitia ipsius toti mundo innotescet, magno ipsius probro, quemadmodùm evidenter accidit Pharisæis. Quare rectè scribit in hunc locum V. Beda : *Est ergo sensus : Attendite ne æmulemini simulatores : quia veniet profectò tempus, in quo et vestra virtus omnibus, et eorum reveletur hypocrisis.*

Quod non sciatur, quod non sit venturum in notitiam. Sententia proverbialis, significans nihil esse tam occultum quod tandem non patefiat; quæ est ad consolationem apostolorum, impiorum injuriis patentium. Quia enim ferè, felix scelus, justitia virtusque habetur, innocentia autem afflicta damnatur malitiæ, prædicit, licèt Evangelii causâ afflictiones varias patiantur, fore aliquando diem, qui occultam, et sinceritatem innocentiamque suam atque ipsorum, et persecutorum perversam malitiam, in lucem producat atque orbi revelet; et futurum id quod solet, ut diù pressa laus majore cum luce erumpat. Dies autem ille partim jam venit, partim extremus venturus est, *quando illuminabit Deus abscondita tenebrarum*, etc., 1 Cor. 4, v. 5. Altero modo sequentibus proverbium illud accommodatur, ita ut attulerit illud Salvator, ne apostoli prædicandi divulgandique in futurum Evangelii spem abjicerent, quòd obscurum illud et ignobile adhuc videretur, paucis cognitum et à paucioribus receptum, et prædicat venturum illius promulgandi tempus, latiùsque illud spargendum esse, ac quibuslibet hominum obstaculis superius fore, ut tandem palàm emergat : id quod scimus paulò post factum esse.

Vers. 3. — Quoniam. Confirmatio est sententiæ superioris, in quem sensum et Syrus vertit *nam*. Potest etiam reddi *propterea,* tanquàm hæc sententia ex illâ inferatur.

Quæ, quæcumque dixistis, dixeritis, vos aliive quicumque.

Dicentur, Græcè *audientur,* scilicet ab omnibus.

In aurem locuti estis, locuti fueritis, in cubiculis, in conclavibus, in intimis ædium penetralibus, id est, secretissimè. Exaggeratio est enim secreti, *in aurem* et præterea *in cubiculo.*

Prædicabitur. Observandæ antitheses, tenebrarum et luminis, locutionis in aurem et prædicationis, denique cubiculorum et tectorum : prædicare enim est rem palàm omnibus aperire atque annuntiare.

In tectis, ex tectis; *super tecta,* vertit secundùm Matthæum. Tecta, quæ suprema pars est domûs, patens et exposita omnium oculis, opponuntur cubiculis, quæ est pars domûs secretior. *Ergo prædicabitur in tectis,* inquit Beda; *cunctis audientibus palàm dicetur.* Cavete itaque, vult dicere Salvator, ne quid dicatis faciatisve aut cogitetis, etiam soli, quod nolitis aliquando ab omnibus sciri; quin potiùs vita vestra omni careat fuco. Nam et Pharisæorum simulatio suo tempore manifesta reddetur, notumque fiet omnibus quanta scelera texerint, eâ quam objiciunt hominum oculis imagine sanctitatis, præsertim verò odium injustissimum meî, missi ad ipsos universumque Israel salvandos.

Vers. 4. — Amicis meis, quos fallere nolim.

Ne terreamini, ne timeatis, ita scilicet ut injunctum vobis officium Evangelii prædicandi omittatis, ita ut à fidei confessione aut justitiâ præ timore excidatis; cæteroqui enim naturale est illos timere. Ne quis diceret infamiam cæteraque mala contemni posse, mortem autem omnium terribilium terribilissimum, (quod illi dixêre) hominis non esse contemnere; optimâ nunc ratione discipulos suos animat Salvator ad mortis contemptum, quòd temporariæ mortis metum, ubi ea obeunda est pro gloriâ Dei, pellere oporteat metu mortis æternæ, hominum timorem excludere timore Dei. Notanda est enim antithesis inter duos contrarios timores, quorum unum alteri remedii loco opponit.

Ab his, Pharisæis aut aliis quibuscumque persecutoribus.

Qui occidunt. *Occidunt* dicit, non, habent potestatem occidendi; quia nisi Deo permittente, nihil homines possunt (uti mox sequentibus versibus docet) quos constrictos Deus ita tenet, ut eorum sævitiam et violentos impetus, quoties ita visum est, coerceat. Sed dùm ipsis frena laxat, fit, ut potentiæ suæ fiduciâ inflati, quidvis audeant, et quidvis se posse existiment, Joan. 19, v. 10 : *Nescis quia potestatem habeo*, etc. *Occidunt* autem rursùs dicit, non perdunt : nondùm enim perdidit corpus, qui occidit.

Corpus, partem hominis viliorem, innumeris obnoxiam miseriis, quæ etiam illis non occidentibus brevi sponte occidet, et illis etiam invitis gloriosiùs reparanda est, ac rursùs animæ unienda et vitæ restituenda.

Amplius quid faciant, nihil majus possunt, nec quidquam amplius. Subindicat aliquid amplius, atque id majus, fieri posse; id quod versu proximo explicat; quanquàm non ab homine, ac proinde non esse corporis mortem, prout multi persuasi sunt, summum atque ultimum malorum; vilem et contemnendam reddens impiorum sævitiam, quæ etsi ad summum evaserit, nihil tamen pio afferre nocumenti potest, quod ad veram et perpetuam salutem attinet.

Vers. 5.— Ostendam, præmonstrabo. Præfatio rhetorica attentionem parans. De impendentibus periculis monet : quia scilicet improvisa, quod aiunt, vehementiùs feriunt; id notare videtur verbi præpositio.

Quem timeatis, quem timere meritò debeatis.

Occiderit, hominem, quod ad corpus.

Mittere, mittendi, injiciendi, scilicet hominem, et corpore et animâ.

In gehennam, in ignem suppliciumque æternum; cujus subjacet arbitrio et temporaria hæc hominis vita et æterna. Summa horum Christi verborum est: Apud illos qui hominum tyrannorum metu à fidei prædicatione aut confessione excidunt, mortuum esse timorem Dei, plusque illos hominibus deferre quàm Deo, denique illis pluris esse umbratilem corporis vitam, quàm æternum animæ statum, imò cœleste Dei regnum nihil illis esse præ fugaci et evanidâ præsentis vitæ umbrâ. Sic ergo resolvi debent verba: Agnoscite vobis datas esse immortales animas, quæ unius Dei arbitrio subjectæ, in hominum potestatem non veniunt; quin et corpora vestra aliquando à morte excitanda, ut suis animis iterùm conjungantur, et unà cum eis æterna, Deo judice, referant aut præmia, aut supplicia.

Ita, etiam. Magnâ cum emphasi confirmat repetitio ista sententiam; q. d.: Si timorem placet adhibere in consilium, certè hic unus meritò timendus est.

Vers. 6. — Dipondio, assariis duobus. Videtur interpres intellexisse asses, quales primùm cusi fuère, pondere unius libræ; ideòque vertisse dipondium. Prostabant passerculi duo, assario uno, ut Matthæus dicit; quinque, assariis duobus, ut Lucas, id est, uno asse semunciali; ita enim solent mercatores, quo plus mercium accipis, eò minoris singulas dare. Verisimile est variis opportunitatibus ac temporibus hæc eadem à Salvatore apostolis repetita, quò in animos illorum infigerentur.

Non est in oblivione. Non datur à Deo oblivioni, ut, ipso aut inscio aut non permittente, occidatur, lædatur vel capiatur.

Vers. 7. — Capilli. Miram hæc omnia habent emphasin. Nam cùm potuisset subjungere: Quantò magis non occidetur corpus unius vestrûm sine Patre vestro? non hoc facit; sed ut ostendat, non solùm vitam ipsorum quemadmodùm passerculorum, sed et minutissima quæque ipsorum, et quæ alioqui superflua habentur, et ab ipsis possessoribus non admodùm curantur, in Providentiâ Dei patris ipsorum comprehensa esse, dicit: *capilli*, etc. Id est: Tanto autem majorem vestrî præ passeribus curam habet, quippe quos ad illustrandam nominis sui gloriam, ex hominibus omnibus paucissimos elegit, ut omnes et capitum vestrorum pilos habeat numeratos. Quæritur an non etiam passerculorum plumæ, quæ illis pilorum sunt loco, Deo numeratæ sint? et dicendum est quòd sic: nihil enim est quod fugiat scientiam Providentiamque Dei; sed modus loquendi est, quo Salvator utitur ut significet singularissimam Deo esse ipsorum curam, etiam ad ipsos usque capillos, quippe quos omnes resurgentibus restituturus est, qui quidem ad corporis facient ornamentum.

Numerati sunt, illorum Deus numerum exactè novit, et sub numero eos custodit, ne vel unus pereat, veluti quæ sub numero alicui sunt commendata; nam quæ numerantur, ideò numerantur, ne quid ex ipsis depereat. Singularem igitur et præcipuam Dei erga ipsos et fideles omnes curam ostendit. Quò etiam spectat verbum præteriti temporis quo utitur; ac si diceret: Jam olim toti estis in ipsam Dei Patris Providentiam assumpti; nec solùm vita, corpora, et quæ majora in vobis sunt, sed pili quoque vestri, ut planè nullius æstimationis sint, tamen apud patrem vestrum numerati sunt; ita nihil in vobis est, cujus nulla sit apud ipsum ratio. Consideranda igitur nobis est Dei Providentia, ad hoc ut materia nobis fiduciæ suggeratur, et pendere discamus à paternâ curâ quam pro nobis Deus gerit.

Nolite ergo timere. Nunc confidenter concludit non esse ipsis metuendum, sed firmo celsoque animo injunctum munus obeundum, cùm tantoperè sint Deo curæ, et ne tantillùm quidem ipsis accidere possit, non interveniente Providentiâ ac decretâ voluntate Dei, adversùs quam pugnare sit impium, cùm nihil velit nisi quod optimum fore noverit, et diligentibus ipsum cooperans in bonum, Rom. 8, v. 28.

Multis, innumeris.

Vos. Hoc in genere verum est de cunctis hominibus, quorum gratiâ conditi sunt passerculi; verùm hìc ad filios Dei sermo est, qui alio quàm creationis jure excellunt, ex Deo ipso nati, Joan. 1, v. 13. Si igitur, inquit, multò pluris estis Patri innumeris passeribus, non est quòd metuatis, ne quid in vos possint homines ante tempus, aut secùs quàm illi visum est, qui jugem vestrî curam agit. Huic ergo vitæ mortisque vestræ curam relinquentes, nullo metu malorum, quæ possint homines inferre, deterreamini à prædicatione professioneque nominis mei, quamlibet mundo invisi. Itaque in periculis hæc nobis occurrat secunda consolatio, cùm Deus custos sit vitæ nostræ, tutò posse nos recumbere in ejus Providentiâ: imò fieri illi injuriam, nisi nos ipsos illi permittimus, quorum curam habere dignatur.

Vers. 8. — Dico autem vobis. Exprimit præmium quod illos manet qui constanter in persecutionibus se gesserint, pœnam quoque quæ luenda sit si defecerint.

Quicumque confessus fuerit me, id est, liberâ confessione agnoverit, ingenuè, disertè, et constanter fassus fuerit me Christum esse Filium Dei, Dominum esse suum et Salvatorem quem colat, et se adhærere mihi ac doctrinæ meæ. Non satis est Christo Domino, corde in ipsum credi: sed vult ut palàm se proferat fides, et confessio nominis sui falsis religionibus opponatur: id quod in præcipuo cultu habet et singulari pietatis exercitio. Porrò hinc, *confessores* Ecclesia vocavit eos qui fidei suæ professionem apud persecutores ediderant; et *confessiones*, quas ediderant Christiani suæ fidei professiones. Cæterùm certam regulam præfigere, ut definias, ubi, quando, quoties, quomodò, et quatenùs, confitenda sit fides, difficile est; sed

spectanda est occasio ne quisquam officio suo in tempore desit. Petendus etiam à Domino est prudentiæ et fortitudinis spiritus, quo directore sciamus quid facto opus sit, et fortiter exsequamur quod certum erit nobis mandari.

Coram hominibus, hostibus nominis mei, doctrinæ meæ. Ne putes operam te perdere, quia minùs idonei sunt auditores.

Et Filius hominis. Id est, ego, quem fuerit confessus, licèt Filius hominis, vilis hìc habitus et abjectus. Elevat discipulorum mentem, à conditione humanæ naturæ, cui pro suâ dignatione subjectus erat, ad considerandam majestatem Filii Dei venturi judicis: ut ne quidquam illos humanæ naturæ infirmitas à confessione remoretur.

Coram angelis Dei, qui judicantis majestatem cingent atque ornabunt, præstò ut afficiant gloriâ et in cœlorum regnum recipiant, quos ille suos declaraverit. Angeli Dei vocantur, quia nuntii sunt ac ministri Dei, Deo servientes, et inhærentes: opponuntur *Angelis Diaboli*, Matth. 25, v. 41.

Vers. 9. — Negabitur, abnegabitur, seu, ut est in quibusdam Latinis libris *denegabitur*.

Coram angelis Dei, præsto futuris, ut in tenebras exteriores ejiciant quos judex Christus abnegaverit.

Vers. 10. — Blasphemaverit, quemadmodùm is qui me fide cognitum negat, deserit et subdit se alteri. Docet Salvator blasphemiam in Spiritum sanctum aliis omnibus peccatis esse graviorem, quippe irremissibilem. Ex eo autem quòd Pharisæos et scribas hujus criminis notat, intelligere licet, speciem unam blasphemiæ in Spiritum sanctum fuisse quòd expulsionem dæmonum, quam manifestum erat fieri à Christo virtute Spiritûs Dei provocantis ad salutem, ipsi destinatâ malitiâ attribuerent satanæ hosti Dei. Blasphemia igitur in Spiritum sanctum ea esse videtur, quâ quis destinatâ malitiâ, contra proprium animi sui sensum, Spiritûs sancti gratiam ac virtutem Deique gloriam oppugnat; Dei virtutes sibi patefactas, aut in ipsis operibus relucentes ad salutem humani generis, in quibus celebrari Dei gloriam decebat, in ejus dedecus malitiosè convertit, inque divini nominis contumeliam datâ operâ prosilit. Sed quærat aliquis, an eò usque amentiæ prosilire queant homines ut Dei gloriam oppugnare scientes et volentes non dubitent. Respondetur audaciam istam prodire ex cordis cæcitate; nam Pharisæi invidiâ odioque excæcati erant. Est altera quæstio cur vocetur potiùs blasphemia in Spiritum sanctum quàm in Patrem et Filium, quibus tribus ut debetur unus honor, ita una infertur contumelia? Vulgatum est, sacram Scripturam, quò nobis innotescerent personæ in divinis, consuevisse singulis personis sua attributa adscribere, communia illa quidem in se omnibus, sed usurpatione uni propria; et quidem Spiritui sancto amorem, bonitatem, ac proinde dona, charismata, gratias, virtutes, miracula, lumen, quo, hæc et cætera hujusmodi, ad salutem humani generis à Deo Trinitate proficiscentia munera, cognoscuntur: quæ quidem blasphemus in Spiritum sanctum ingratissimus oppugnat, ut Pharisæi liberationem hominum à dæmonum servitute ac potestate, quæ proprio jure ac certissimo Spiritui sancto ascribi debebat, quippe beneficium in summorum bonorum genere ac definitione ponendum.

Non remittetur. Irremissibilis est, nunquàm fiet ut remittatur: non quòd hujus sceleris enormitas Dei sive potentiam sive bonitatem superet, sed quòd nunquàm aut certè admodùm raròfiat ut remittatur. Veræ quidem pœnitentiæ nunquàm admissi venia negatur: cæterùm hi, ut nunquàm ad remissionem, ita nec ad pœnitentiam perveniunt. Ratio est, quia directò oppugnant id sine quo ad pœnitentiam et peccatorum remissionem perveniri nequit, Spiritum sanctum scilicet, sive gratiam Spiritûs sancti; à quâ dùm manent alieni, excæcantur magis magisque, obdurantur, traduntur que in reprobum sensum, ita ut ad pœnitentiam nunquàm aspirent. Sic enim et morbus ille incurabilis dicitur, qui directè oppugnat id sine quo sanitas recuperari nequit; quia nec cessat conficere corporis vires, nec admittit cibum aut medicinam, Deo licèt curabilis sit. Simile est peccatum istud ei quo dæmones peccaverunt in Deum ut Deus est, obstinatâ malitiâ resistentes Deo; non mirum igitur si similiter sit irremissibile, tametsi non æquè.

Vers. 11. — Inducent, adduxerint, stiterint, scilicet homines, id est, cùm sistemini seu adducemini, scilicet propter prædicationem aut confessionem meî. Prædicit discipulis id quod eventurum erat, et futuri paulò post temporis imaginem ob oculos ponit.

In synagogas, ad synagogas Judæorum concilia; aut ad tribunalia gentilium, quæ per *magistratus* ac *potestates* significantur.

Nolite solliciti esse. Non quævis cogitatio meditatiove prohibetur, sed quæ cum immodicâ anxiâque sollicitudine conjuncta sit, quâ toti in hoc sint ut præmeditentur quî acturi sint causam suam, nihilque Deo commendent, tanquàm id soli ipsi curare debeant; cùmque metuant ut possint, angantur, et in diversa animo rapiantur, deficiant denique.

Respondeatis, pro defensione vestrî afferatis.

Spiritus, cujus negotium agitur. Ut non est vestrum nec humanum negotium quod geritis, sed divinum, cujus vos non auctores estis, sed ministri; ita ministerii virtus, non vobis à vobis, sed à Deo auctore, exspectanda erit.

Vers. 12. — Docebit, suggeret in ipsa hora, seu eo ipso momento, etiamsi ex improviso capti, nihil meditati sitis.

Quid oporteat vos dicere, vel potiùs, ut est in aliis libris, Græco consentaneè, *quæ oporteat dicere*, multòque magis quâ ratione. Ille advocatus vester erit, ille vobis verba dictabit, et formabit ac diriget linguas vestras ad confessionem defensionemque fidei aptam, sapientiam, eloquentiam, et constantiam, qualis necessaria erit, suggerens vobis exemplum, Act. 4, v. 13. Ostendit ipsorum esse pati et perseverare in tentationibus, adjuvante Deo: agere verò et vincere in disputationibus, Dei esse per ipsos loquentis. Solent dona,

tametsi sanctissimæ Trinitati communia, Spiritui sancto tribui, quippe qui in divinis charitas et donum sit, 1 Joan. 4, v. 8; Joan. 4, v. 10.

VERS. 13. — AIT AUTEM ei, tunc interpellavit eum.

QUIDAM ignotus, terrenis rebus intentus magis quàm spiritalibus, de quibus Christus disserebat.

DE TURBA, *è turbâ illâ,* vertunt quidam; nam supra 12, v. 1, dictum est, *multis turbis circumstantibus.*

MAGISTER, doctor, præceptor, titulus parùm conveniens rei petitæ.

DIC, jube, quâ polles auctoritate.

FRATRI MEO, qui communem solus occupat hæreditatem.

DIVIDAT, partiatur MECUM, partem hæreditatis, quæ jure mihi debetur, ejusque usum mihi relinquat. Non petit ut intercedat precibus apud fratrem, sed ut pro imperio jubeat. Credebat fortassè Jesum esse Messiam, ac proinde Regem et judicem à Deo constitutum ad jura reddenda petentibus, signanter autem vindicem pupillorum ac pauperum, de quo novisset scriptum : *Deus, judicium tuum Regi da, et justitiam tuam filio Regis : Judicare populum tuum in justitiâ, et pauperes tuos in judicio,* etc., psalmi 71 v. 2. Certè virum esse rerum intelligentem sentiebat, qui posset causam justam ab injustâ discernere, justum et sanctum, quem frater ditior muneribus haud posset corrumpere, ut fortè hactenùs alios judices, celebrem denique et potentem opere ac sermone, quem frater esset reveriturus.

VERS. 14. — HOMO. Ita compellat ignotum pro linguæ more; quemadmodùm Petrus infra 22, v. 58, 60 : *O homo, non sum ; homo, nescio quid dicis.*

JUDICEM litium, controversiarum de rebus terrenis.

DIVISOREM, partitorem, scilicet facultatum, opum, temporariarum.

SUPER, inter, vos aut quosvis alios; q. d. : Nullus, nec Deus nec homo. Id autem est : Non sum ego constitutus, missus aut delegatus, ad dirimendas controversias, quas vos aliive habere possitis de rebus mundanis. Non est hoc munus seu officium meum : sunt magistratus civiles quibus hoc injunctum sit. Rejicitur hujus petitio, tanquàm incongrua, quòd ab eo peteret decidi litem de rebus hujus mundi perituris, cujus non hoc esse officium, facilè poterat animadvertere. Audiebat totum in eo esse, ut ad terrenarum rerum adeòque mortis contemptum hortaretur, et à temporariis rebus ad æternarum amorem prosecutionemque omnes transferret; ipse verò de terrenis facultatibus ipsius ope consequendis quæstionem ingerit. *Benè terrena declinat,* inquit Ambrosius, *qui propter divina descenderat,* etc. *Unde non immeritò refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestium, gestiebat corruptibilibus occupare.* Quòd autem negat Jesus se judicem esse constitutum, non absolutè negat, cùm judex esset à Patre constitutus vivorum ac mortuorum, sed negat se ad judicium de rebus temporariis, ad nutum petentium nunc exercendum, constitutum seu missum esse. Non deerat quidem ei etiam nunc ea potestas; sed quâ uti nec vellet nec deberet, nisi raro, et ob causas singulares, ne videretur Judæorum errorem, terrenum Messiæ regnum fingentium, alere. Atqui hìc agebatur de concordiâ fratrum. Verum est quidem, sed quæ posset per alios procurari; minimè autem decebat, Christum avocatum à doctrinâ spiritali, quæ præcipuum ejus munus erat, se transferre ad dirimendas lites eorum quibus sola terrena cordi erant. Nam « quia iste, prætermissis utilibus et ad animæ salutem « facientibus, quæ eum vel inprimis inquirere opor- « tebat, de terrenis momentaneisque anxius, Christum « istiusmodi rerum sequestrem deposcebat, ait Titus; « ob hoc tanquàm importunum, neque quidquam ut « ea quæ scire debebat disceret sollicitum, à se dimi- « sit. » Similia habent Euthymius et Theophylactus.

VERS. 15. — DIXITQUE. Hâc occasione fratrum, de partitione hæreditatis contendentium, unius injustè sibi usurpantis quod commune erat, alterius quod suum erat immodicè atque importunè expetentis, dixit Jesus.

AD ILLOS. Syrus habet, *ad discipulos suos;* sed turbam quoque intelligere oportet, quin etiam fratres illos, si ambo aderant. Quasi autem dixit ei à quo fuerat interpellatus : Tantùm abest, ut ego intendam componendæ controversiæ vestræ de erciscundâ fa-

VERS. 13. — AIT EI QUIDAM terrenis magis quàm spiritualibus capiendis intentus : DIC, pro tuâ auctoritate, FRATRI MEO UT DIVIDAT MECUM HÆREDITATEM, quia videtur ille solus occupâsse totam. Itaque magnum quid de Domino sentiebat, à quo fratri suo hoc præcipi voluit; fortè ex opinione, quod Messiam crederet, qui pauperum causas esset defensurus. Reprehendit petitionem Christus, quia, ut Ambros., majoribus intento non est minoribus obstrependum.

VERS. 14. — AT ILLE DIXIT ILLI : HOMO, qui per terrena interrumpis aut abrumpis divina : nam *homo* in Scripturis subinde dicitur non ex naturâ, sed ex vitio, juxta illud Apostoli : *Nonne homines estis, et secundùm carnem ambulatis?* Unde Augustin. Qui enim pro magno habes istam hæreditatem, quid nisi homo es? Volebat eum avaritiam tollere, quod plus quàm homini est. Quanquàm sæpè etiam sit idiotismus linguæ de aliquo, cujus ignotum nomen est, ut patet ex phrasi Petri infra, c. 22, v. 58 et 60. QUIS ME CONSTITUIT JUDICEM, controversiarum de rebus terrenis, AUT DIVISOREM, hæreditatis? q. d. : Nullus, non quasi non posset defectu potestatis; sed quod non deceret eum, qui propter divina descenderat, terrenis occupari, quæ docebat esse spernenda, ut Ambr. latiùs. Sed difficultas est, quomodò hæc responsio sit ad rem, cùm non esset à Christi officio alienum, homines moneri officii sui de dividendâ hæreditate, quod alter petiverat. Videtur itaque plus vel verbo vel animo petivisse, quàm hìc exprimitur, ut videlicet, si frater recusaret, Christus ipse divideret, vel ortâ difficultate se judicem aut arbitrum interponeret. De his duobus redarguit importunum interpellatorem; primum verò indirectè præstitit, hoc ipso, quo dixit ad illos :

VERS. 15. — VIDETE ET CAVETE, id est, attentè cavete, seu videte, ut caveatis, AB OMNI AVARITIA, id est, immodicâ habendi cupiditate : nam, ut Basil., hom. 6, avarus est qui eo, quod satis esse debet, non

miliâ et dividundâ hæreditate, ut contra officium meum sit, te ad contemptum terrenæ hæreditatis hortari, ne fluxis istis caducisque rebus nimiùm sis deditus, nec propter has concertationem cum fratre ineas, sed injuriæ ultrò cedas, fratrique universam hæreditatem relinquas, potiùs quàm pro eâ, immodicâ cum habendi cupiditate, labores, memor illius quod aliàs docui : *Ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere,* supra 6, v. 29. Captabat Christus omnem occasionem avellendi homines à rebus terrenis, idque suarum partium hìc esse insinuat.

Videte rem quæ sese offert, discordiam fratrum ob hæreditatem, et avaritiam utriusque, quorum unus occupat quæ alterius sunt, alter plus nimio sollicitus quærit sua. Syrus omittit τὸ *videte :* lectum autem possit conjungi cum eo quod sequitur, ita ut *videte et cavete,* idem sit quod attentè cavete, attendite animum ad cavendum.

Cavete, custodite vos.

Omni. Id etsi plerique Græci codices omittant, nonnulli tamen addunt, ut Latini non solùm, sed et Syrici.

Avaritia, immodicâ habendi cupiditate. Avaritia videtur propriè id esse Latinis, quod Græcis φιλαργυρία, argenti cupiditas; avarus enim dictus putatur, quasi avidus æris; sed πλεονεξία latiùs patet, ad omnem cupiditatem acquirendi aut retinendi plus quàm necesse sit aut conveniat, sive pecuniam, sive supellectilem, domos, agros et cætera, quam Titus vocat insatiabilem habendi sitim; Joannes apostolus concupiscentiam oculorum, 1 Joannes 2, v. 16. Jam *ab omni avaritiâ* sive cupiditate, id est, tam à parvâ quàm à magnâ, tam ab occultâ quàm à manifestâ : non tantùm ab eâ quâ injustè expetitur aut occupatur quod alterius est, quod videre licet in uno horum fratrum; verùm etiam eâ quâ ad id quod suum est recuperandum, æquo ardentiùs quis fertur, quâ homo suis plus nimio inhiat; quod vitium est alterius. Hæc expositio est D. Augustini, serm. 28, de Diversis, cap. 3 : *Fortè tu avarum et cupidum diceres, ei quæreret aliena; ego autem dico, cupidè et avarè non appetas nec tua ; hoc est ab omni,* etc. *Non solùm avarus est, qui rapit aliena : sed et ille avarus est, qui cupidè servat* aut quærit *sua.*

Quia. Ratio cur cavendum à cupiditate habendi, quia non sic se res habeat, ut cupidi sibi persuadent.

Non in abundantia. Ad verbum, *non in abundare,* non cùm abundat, scilicet his quæ possidet seu opibus.

Cujusquam, cuipiam; potest hoc jungi ei quod præcedit, cùm abundant cuipiam opes; sed potiùs junge ei quod sequitur :

Cujusquam vita ejus est; sive, ut est in aliis libris, *alicui vita ejus* (sive *ei*) *est.* Phrasis est Hebraica, quâ, etiamsi antecedens expressum sit, relativum additur, quod Latinè ac Græcè superfluit. Frequens occurrit hæc phrasis. Psalmi. 10, v. 5 : *Dominus in cœlo sedes ejus.* Psal. 104, v. 26 : *Aaron quem elegit ipsum,* etc. Omisso igitur relativo, dicas, *cujusquam vita est,* seu hominis vita est, constat, consistit, aut pendet.

Ex his quæ possidet, ex iis quæ ipsi suppetunt, ex iis quæ habet, id est, ex facultatibus, bonis, seu opibus ipsius. Nam Græci τὰ ὑπάρχοντα, *ea quæ adsunt,* vocant, quod Latini facultates, bona, opes. Connectendum hoc autem est, cum eo quod præcedit proximè, *cujusquam vita ejus est;* hoc sensu : Non constat vita hominis ex his quæ possidet, etiamsi abundet quàm maximè. Non cùm abundat quis facultatibus seu opibus, vita ejus est, seu vita ipsi constat, ex facultatibus seu opibus. Plerique auctores, τὸ *ex his quæ possidet,* vel non explicant, quasi redundet, vel referunt ad id quod longiùs præcessit : Non in abundantiâ cujusquam, ex his scilicet quæ possidet, vita ejus est; et quanquàm sensus non admodùm diversus hâc ratione efficiatur, vitam non consistere in abundantiâ eorum quæ quis possidet, id est, bonorum seu divitiarum; quem Syrus, omissis dictiunculis, his claris verbis expressit : *Non in abundantiâ divitiarum est vita :* incommodior est tamen conjunctio horum duorum modorum loquendi, *in abundantiâ,* et, *ex his quæ possidet,* eò magis, quòd id quod minus est, quodque in eo quod præcedit includitur, postponatur. Quare intelligendum est hìc significari, ut quispiam sit locupletissimus, adeò ut omni opum genere abundet, tamen quod vivit, hoc minimè debere acceptum ferre opibus suis, nec vitæ fiduciam in opibus collocandam. Ut ab immodicâ opum cupiditate Christus deterreat, evertit fundamentum, quo avari plerùmque nituntur. Solent nempe, vitæ præsidia in bonis seu opibus collocare, adeò ut quo quisque ditior est, eò minùs famem, sitim, inediam, morbos, bella, et pericula semel omnia, adeòque mortem ipsam, reformidet, tanquàm opes, Dei instar, vitam tueri, et cuncta sanitati vitæque adversantia profligare facilè possint. Idcircò accumulandis illis student, persuasi, quò fuerint copiosiores, eò diuturniorem vitam constare sibi posse. Atqui negat Christus, vitam ex divitiis fluere. Hic est proprius verborum sensus; alter sensus, quem diximus esse vulgarem, etiamsi verba minùs

est contentus. Addit autem, *ab omni,* scilicet tam occultâ quàm manifestâ, tam retinendi cupidè sua, quàm appetendi aliena; ut August. exponit serm. 28 de Diversis, c. 3. Utrumque ergò fratrem simul his verbis sanare voluit Christus : nam si illis obtemperarent, nihil inter se de dividendâ hæreditate contenderent. Quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet, seu ex opibus ejus. Sensus est : Vita hominis non constat ex opibus quas possidet, cùm illæ abundaverint; q. d. : Non consistit vita hominis in opum abundantiâ quasi quisque quò ditior fuerit, eò diutiùs vivat, prout exponunt Theophyl., Euthym. et Bonavent. Itaque evertit fundamentum avaritiæ, quæ solet vitæ producendæ præsidia in opum abundantiâ collocare, cùm illa pendeat non ex divitiis, sed ex solo nutu Dei, quod mox declarat sequenti parabolâ : non enim historia, sed parabola videtur, ut vox Græca sonat; sed talis parabola, quæ facilè reipsâ potest contingere.

commodè explicet, reipsâ tamen ab hoc non recedit; quinimò in hoc includitur. Nam qui dicit vitam non esse ex divitiis, etiamsi abundet quis eis quàm maximè, dicit etiam, vitam non esse in seu ex abundantiâ divitiarum; non continuò eum vivere, qui abundet divitiis. Uno sensu, negatur divitias esse vitæ causam; altero, divitiarum abundantiam, quod minus est. Hunc secutus Theophylactus, interpretatur: *Non continetur vitæ mensura abundantiâ: neque enim qui multa possidet, diutiùs vivit, neque comitatur divitiarum multitudinem vitæ longævitas.* Euthymius: *Non quia homo quispiam divitiis abundat, vita ejus abundat ex tali abundantiâ: non secundùm hanc accedit vitæ mensura.* Denique inter Latinos Bonaventura: *Nullus propter abundantiam divitiarum vivere potest diutiùs. Abundantia vitam non prolongat, sed frequenter abbreviat.* Ac certè, etiam hoc vitio vanâque persuasione laborant qui divitiis abundant, quibusque omnia ex voto succedunt, ut de morte non cogitent, sed de opum fruitione, quibus oblectantur ac fidunt, ita ut videatur ipsis hæc vita diuturna adeòque æterna futura. Et hoc destruitur hâc Christi sententiâ, vitam ex opibus non pendere, etiamsi copiosissimè suppetant; quam interpellator ille, qui partitionem hæreditatis requisiverat, non fuerat assecutus, qui etiamsi nihil quod suum non esset peteret, quia tamen appetentiùs, non tam ad sustinendam quàm ad stabiliendam vitam concupisceret, notatus de avaritiâ seu *pleonexiâ* est. Verùm enim verò negans Christus vitam ex divitiis pendere, undenam pendere docet? Vult ut agnoscamus eam de solo Deo pendere, qui ut vitam dedit, ita eam et fovere et exstinguere, pro suo jure ac libitu, solus potest; id intelligendum dat proximâ similitudine.

Vers. 16. — Dixit, addidit, autem similitudinem, parabolam, exemplum, magno artificio, docendi gratiâ, confictum, hujusmodi tamen, quod facilè, aut evenisse potuerit, aut possit evenire; quo voluit declarare et illustrare quod docuerat, vitam ex divitiis non pendere, divitias nec prorogare nec afferre vitam etiamsi quis iis quàm maximè abundaverit.

Dicens, pleonasmus est Hebræis familiaris, pro quo Latinè dicas, *in hæc verba.* Syrus omittit.

Divitis, per se divitis, jam ante divitis.

Uberes fructus attulit, uno verbo dicas exuberavit, solito copiosiores exspectationeque majores proventus tulit, ità ut fieret etiam longè ditior.

Ager, regio, latifundium, non unus tantùm agellus, sed regio, quod notant Titus et Theophylactus; hujusmodi possessio est iis qui agrum agro copulant, de quibus Isaias, cap. 5, v. 8. Quasi ergo regio una, uberrimos fructus universa fuderat domino suo, ut non raro solent impiis, qui extra disciplinam sunt, nec pro filiis agnoscuntur, Heb. 12, v. 8, prosperrimè omnia evenire. Proponit exemplum in agriculturâ, maximè alienâ ab omni fraude, ut ostendat, non solùm non esse vitæ auctorem aut conservatorem, opes malè partas, sed neque opes honestâ atque inculpatâ ratione contingentes, adeòque nec frumentum, quantâcumque copiâ suppetat, quod tamen initium vitæ hominis habetur, Eccles. 29, v. 28.

Vers. 17. — Et, igitur ante messem cogitabat, ratiocinabatur intra se, in seipso, apud se; Syrus, *in animâ suâ*, nec enim facilè avari alios homines in consilium adhibent, ut dispiciant quid de divitiis suis facturi sint.

Dicens, id est, in hunc modum: Quid faciam, etc., verba sollicitì atque anxii; curam enim et sollicitudinem parit copia divitiarum, ut non mirum sit, si spinis comparentur, supra, 8, v. 14. *Hæret et angitur tanquàm admodùm pauper, quia nimiùm locuples*, inquit Euthymius: egebat nempe loco quo reconderet opes. *Non redditus fert ipsi terra, sed gemitus producit. An non et talem vocem edit, cui propter paupertatem angustæ res sunt?* verba sunt Basilii homiliâ in hunc locum scriptâ.

Fructus meos. *Nondùm collegit fructus*, ait idem, et *jam avaritiæ judicium incurrit*, suos vocans. *Quot enim pericula imminent ante fructuum collectionem! nam et grando sæpè confringit, et æstus ex mediis manibus rapit, et pluvia intempestivè è nubibus erumpens inutiles facit.*

Vers. 18. — Et dixit sibi ipse, apud animum suum respondens. Hoc cepit consilii, quod non charitas, sed avaritia suggessit. Charitas utique postulabat, ut quando tantùm suppetebat fructuum, ut ne locum quidem ubi poneret inveniret, quod superabat egentibus daret; atqui non charitatem iste, sed pleonexiam in consilium adhibuit.

Horrea mea, vetera.

Majora faciam, majora ædificabo. Syrus, *ædificabo et dilatabo ea.* Non enim detrectat sumptus avaritia, modò spes adsit lucri majoris.

Congregabo, cogam, colligam. Non addit si Deus voluerit, aut si vixero, quod monet Jacobus, cap. 4, v. 15; vitam sibi non minùs certam esse persuasus quàm opes.

Quæ nata sunt mihi, proventus meos, ex messe præsenti.

Vers. 16. — Hominis divitis uberes fructus ager attulit: Græcè, *regio* seu *latifundium*, quo significatur latissima possessio hominis, agrum agro copulantis.

Vers. 17. — Et cogitabat intra se, etc., quid faciam. Verba sunt anxii divitis: quarum magnitudine indicat propriam etiam exspectationem superatam. Unde Basil., hom. 6: Non ei fructus, sed gemitus terra producit. Similes sunt voces ejus, qui cum paupertate luctatur. Ex istis ergo verbis rectè notat, tùm maximè anxios fieri divites, cùm maximè abundant bonis.

Vers. 18. — Et dixit, adhibitâ in consilium non charitate, sed avaritiâ: Destruam horrea mea, vetera, et majora faciam, etc., cùm, ut monet Ambr., hom. 6, de Naboth, dicere debuisset: Aperiam horrea; ingrediantur qui famem tolerare non possunt, repleant sinus suos; ut quid ego abscondam, cui Deus facit abundare, quod largiar? Et illuc congregabo omnia, etc., ut solus meis divitiis incubem,

Et reliqua bona mea, quæ ex superioribus annis mihi supersunt, quibus vetera horrea jam implentur.

Vers. 19. — Et. Constabilitis autem et in tuto collocatis omnibus, securus dicam, consolabor, hortabor, congratulabor animæ meæ, id est, mihi ipsi; sic enim frequenter accipi vocem animæ, docuimus supra.

Anima, Francisce, Paule; alloquitur seipsum.

Bona. Mundi opes, pro veris bonis, adeòque pro summo bono, aut quod summo bono sit proximum, habet.

Posita, reposita, recondita, scilicet tuo usui ac fruitioni.

Plurimos, multos, quibus vivere possis per multos annos. Ecce, quomodò, cùm divitiis abundat, vitam sibi ex eis promittat, *quasi illa quoque, tanquàm reliqua humi nascentia, è terrâ decerperetur,* ait Titus. Magnus error et mentis cæcitas, quòd putet, cum ubertate ac multitudine fructuum, multitudinem annorum vitæ sibi datam, quibus frui illis possit, cùm ne ad collectionem quidem fructuum venturus sit.

Requiesce, à labore, non est quòd te laboribus, ut hactenùs, ampliùs conficias, omnia nunc affatim suppetunt.

Epulare, indulge genio, ad verbum *lætare, oblectare. Per hoc,* inquit Theophylactus, *affectiones declaravit libidinosas et intemperatas, quæ satietatem ciborum et potuum comitantur.* Hortari seipsum statuit ad sectandas omnis generis voluptates, quas ut aliquando posset assequi, ut in quibus collocâsset felicitatem suam, toto hactenùs vitæ tempore laborârat et congregârat. Igitur omnibus congregatis, credit securè se posse voluptatibus carnis per multos annos frui, omnia ad seipsum suumque solius commodum et usum referens, quemadmodùm ille de quo Ecclesiasticus, cap. 11, v. 19 : *Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus.*

Vers. 20. — Illi, hæc cogitanti et ordinanti dixit, immissâ febri aut alio morbo subitaneo nuntiavit; sunt enim morbi, mortis nuntii. *Hæc ei dixit,* inquit Euthymius, *per conscientiam : tunc enim conscientia mortem sentiens, talia disserit,* divino certè instinctu.

Deus. Ille apud se in strato suo loquebatur, verba autem ejus in cœlo examinabantur, quod notat Basilius.

Stulte, amens, fatue, malè consulte. « Cùm se « prudentissimum consilium invenisse arbitraretur, « de apothecis veteribus angustis dejiciendis, et amplioribus novis ædificandis, et omnibus suis fructibus colligendis et recondendis, ait illi Deus : *Stulte,* « ubi tibi sapiens videris, ibi *stulte,* etc. Non sic dicit « Deus, *stulte,* quomodò homo dicit. Tale in quemquam Dei verbum, judicium est. Numquid enim « Deus stultis daturus est regnum cœlorum? » Hæc Augustinus, serm. 19 de Verbis Apostoli.

Hac nocte, hâc ipsâ nocte, noctu enim, in strato suo, hæc animo versabat, ut solent avari, præ sollicitudine, noctes insomnes ducere.

Animam quâ vivis, seu vitam tuam. Allusio est ad id quod præcessit : *Anima, habes multa bona,* etc. *Animam tuam,* cui tu abblandiris, et multos annos hilariter beatèque transigendos polliceris.

Repetunt a te, illi quorum, id est, Deus præsertim; sed phrasis Hebraica est, pro, anima seu vita tua repetitur à te. Et præsenti quidem tempore significatur mors imminens : repetendi autem voce declaratur, alieni juris esse anima seu vita, quam dives in manu suâ esse ducebat. Commodata tibi fuerat à me vita ad tempus; tu verò quasi perpetua tibi foret, ita statuis de rebus tuis. Atqui noveris, quòd hâc ipsâ nocte eam abs te auferam, et morieris, nec vives in crastinum. « Eâdem nocte sublatus est, qui in re« rum sibi abundantiâ multa tempora fuerat præsto« latus; ut scilicet, qui in longum sibi subsidia colli« gendo prospiceret, subsequentem diem vel unum « minimè videret, » inquit Gregorius, lib. 22 Moral., cap. 2. Ecce stultitiam.

Parasti, thesaurizâsti, recondidisti. Nam quæ addere decreverat ex novâ messe, pro paratis habentur.

Cujus erunt? cui erunt, cui cedent? Incertum cui, fortè ei à quo maximè abhorres : certè tu illis non frueris, quemadmodùm præsumpseras animo, nec tecum eas asportabis. « Non solùm tibi non cedent, non « solùm tua non erunt, inquit Euthymius; sed nec « tibi manifestum est cujus erunt, utrùm hæredis an « peregrini, amici an inimici, quod ipsum etiam mœ« rorem adauget. » Porrò non dicit hìc Christus, *quæ autem parâsti manducabunt carnes tuas sicut ignis,* quemadmodùm Jacobus dicit, cap. 5, v. 3; contentus enim hìc est Christus, datâ similitudine declarare quod initio dixerat, vitam hominis ex divitiis non pen-

non tam ad usum quàm oblectamentum, sicut avaris proprium.

Vers. 19. — Et dicam animæ meæ; cujus vitam in corpore, nunc quasi securus per opes jam in tuto collocatas, prorogandam putabat : Habes multa bona posita, seu recondita in annos plurimos; quasi fruendi diuturnitas opum abundantiam sequeretur. Sed illa est cæcitas mentis, quâ Deus avaros percutit. Itaque requiesce, à laboribus, quibus te fatigâsti : epulare, q. d. : Hactenùs necessitati fecisti satis, nunc indulge genio et voluptatibus. Unde Basilius : O dementiam, inquit, singularem! si porcinam animam habuisses, quid ei aliud enuntiare potuisses?

Vers. 20. — Dixit autem illi Deus, eo quo solet, modo, sive per occultos instinctus in conscientiâ, quæ morbo urgente sibi mortem præsagit, sive, per angelos loquentes. Unde August., quæst. 47 in Numeros, hoc exemplo docet non esse gloriandum homini, si ei loquatur Deus; nam et impiis loquitur, quomodò novit talibus esse loquendum, ut in Balaam patuit : Stulte; in hoc ipso, ubi prudentissimum consilium tibi invenisse videris, inquit August., serm. 19 de Verbis Apostoli; vel *stulte*, quia futurorum improvide, hac nocte, quia, ut est apud Job, cap. 33, quando sopor irruit super homines, et dormiunt in lectulo, tunc instruit hominem disciplina, ut avertat eum ab his quæ fecit. Per *noctem* autem allegoricè designari tenebras mentis, in quibus erat, notat

dere, etiamsi abundet eis quàm maximè; quòd ne momento quidem temporis, ullæ bonorum copiæ, vitam hominis conservare queant, quin auferatur præter exspectationem, præsertim cùm opum præsidio probè munita putatur, nec agnoscitur à Deo pendere, apud quem solum humanæ vitæ mensura est.

Vers. 21. — Sic est. Accommodat similitudinem proposito. Interpres supplevit *est,* quod Græcè non legitur. *Sic est,* hujusmodi ingenii est, et hujusmodi sortitur eventum, huic similis est et similia ei eveniunt. Non enim historiam narravit Christus, sed proposuit exemplum, quo descripsit cupidorum hominum ingenium simul et finem, quomodò se gerere consueverint et quem exitum sortiri.

Sibi, suis solius usibus, suæ in futurum luxuriæ.

Thesaurizat, opes accumulat et reponit, toto animi affectu in hoc incumbit, ut divitias congerat.

In Deum, pro, in Deo; in seculo quidem, sed non in Deo, dives, et non in Deo ditescit, id est, non proficit, non augetur rebus quæ Deo faciant gratum, quas Deus magnifaciat, de qualibus Apostolus, 1 Cor. 1, v. 5, *in omnibus divites facti estis in illo.* Non est autem hæc restrictio, quasi sit qui sibi thesaurizet et sit in Deo dives. Nam qui dives in Deo est, vel nullas possidet in seculo opes, vel si possideat, non thesaurizat, id est, non accumulat et recondit eas, sed dispergit datque pauperibus; vel si thesaurizet, aliis thesaurizat, non sibi, ut parentes liberis. Porrò divitiæ, quas Deus magnifacit, et quibus colligendis homo efficitur Deo gratus, sunt opera virtutum, quod notat Euthymius : *Divitibus hujus seculi præcipe,* etc. Dicit ergo Salvator : Eum qui sibi suisque usibus thesaurum colligit, etiam ex propriis, non ex alienis, proventibus, similem esse homini illi diviti quem mox descripserat, totum videlicet in hoc esse, ut opes opibus accumulet, donec desiderio satisfactum aliquo modo putet : tunc verò cùm statuit collectis opibus securè frui per reliquos vitæ annos, fieri plerùmque antequàm fruatur, ut è vitâ eum Deus subitò eripiat, et cum vitâ opes ipsi auferat, profuturas incertum quibus. Unde constat, non ex opibus pendere vitam, etiamsi quàm cumulatissimæ sint; nec in rerum abundantiâ, vitæ fiduciam collocandam. Atqui ei qui in Deo est dives, non sic accidit, quia non præter exspectationem è vitâ eripitur, qui operibus bonis, ad mortem præ oculis versantem, semper se parat; nec relinquit sua incertis hæredibus, quia constante vitâ erogat in pauperes, quæ suis usibus supersunt.

Vers. 22. — Dixitque, etc. A cupiditate habendi superflua omnes dehortatus, ad solos discipulos se convertit, tradendæ ipsis, tanquàm capacioribus, provectioris sublimiorisque doctrinæ causâ, ne vel de necessariis ad vitam solliciti sint, necessariæ ipsis inprimis, quos deinde voluit in Evangelio mox per orbem terrarum promulgando totos esse, neglectâ aliarum omnium rerum curâ.

Ideo, quia res est Deo tam detestabilis cupiditas fiduciaque in divitiis, et in victûs vestitûsque copiâ vita minimè sita est, sed pendet de solo Deo.

Nolite solliciti esse, quia sollicitudine hujusmodi, eò homo adducitur, ut fixo in terrenas curas cæco corde, mammonæ serviat. *Sollicitudo,* Cicerone definitore in quarto Tusculanarum, *est ægritudo cum cogitatione :* et τὸ μεριμνᾶν derivant grammatici, παρὰ τὸ μερίζειν τὸν νοῦν, quòd animum rapiat in partes varias. Non itaque ait : Ne laboretis (nam laborandi incumbit necessitas), sed : Ne solliciti sitis (neque enim labori necessariò est sollicitudo conjuncta); sollicitudinem vetat, immodicam illam et anxiam, quâ totus in hoc est homo, ut de rebus vitæ necessariis sibi prospiciat, nihilque Deo commendet, nihil divinæ Providentiæ relinquat, tanquàm id solus ipse curare et possit et debeat; cùmque metuat ut possit, angitur et in diversa animo rapitur, spirituque vexatur, plerùmque etiam desperat, studiis se applicans recto haud consentaneis.

Animæ vestræ, de animâ vestrâ, hoc est, vitâ vestrâ (nam anima hìc vita intelligitur, Hebraico

Greg., 18 Moral., c. 11, aliàs 12. Animam tuam repetunt a te, id est, anima seu vita tua repetitur à te, est enim idiotismus linguæ, sicut dicimus *ferunt* pro *fertur.* Deus interim est qui reposcit animas per angelos, sive bonos sive subinde malos, tanquàm exsecutores judicii sui. Itaque significatur animam esse non proprii, sed alieni juris à Deo, non parentibus, datam, et manere post mortem; quod enim repetitur, manet, inquit Ambr., lib. de Bono mortis, c. 10, itemque ei ad tempus tantùm esse commendatam, quam sibi in longum promittebat. Quæ autem parasti cujus erunt? Certè non tibi, pro quo solo sollicitus videbaris, quia, ut Ambr., hìc sola virtus comes est defunctorum. Adde, *cujus erunt,* quia ignoras, ut Ecclesiastes ait, qualem sis habiturus hæredem. Porrò Deum dicere alicui, *stulte,* est eum tanquàm stultum, et regni exclusione dignum damnare, ideòque gravissima hæc pœna fuit, ut notat August., serm. illo 19 cit.

Vers. 21. — Sic est, id est, similem sortitur eventum ille, qui sibi thesaurizat, id est, suis solius usibus et luxui accumulat et recondit opes, et non est in Deum dives; Græcè, *non ditescit in Deum,* id est, non ditescit rebus ad Deum spectantibus, virtutibus scilicet et inprimis misericordiâ in pauperes, quâ divitias suas non recondat, sed dispergat, juxta consilium Apostoli, 1 ad Timoth. 6, v. 17 et seqq.; talis enim fœnerat Deo. Hâc ergo conclusione effecit Christus id quod postulatum ab eo fuerat, tacitè monendo fratrem, ut hæreditatem divideret. Si enim talis manet exitus eos qui tenaciter servant sua, quid exspectent, qui rapaciter detinent aliena, ut notat August.?

Vers. 22. — Ideo, quia scilicet cor non est in thesauris figendum, Mammonæque serviendum, sed soli Deo. Animæ vestræ, quid manducetis : non quasi anima manducet, sed quòd manducando in corpore conservetur : vel certè *anima* more Hebraico pro vitâ temporali sumitur, ut Job 2, v. 6, quæ scilicet manducando producitur, et fame exstinguitur. Itaque Christus excludit sollicitudinem pro rebus necessariis, quâ avaritia plerùmque velari solet, et cor terrenis curis implicari atque à Dei servitute divelli, et ad avaritiam disponi. Non vetat autem laborem pro

more, sicut Job 2, v. 6 : *Verùmtamen animam illius serva*), quo eam toleretis, neque de corpore, quo id tegatis.

Vers. 23. — Anima. Jam validissimis argumentis eximit animo sollicitudinem illam pessimam, docens, in Deo nobis ejusque almâ Providentiâ confidendum; et pleraque effert per interrogationes ac permissiones, quò magis increscat atque ardeat oratio. Ac primum quidem istud argumentum ductum est à minori ad majus.

Quam esca, quàm alimentum. Vita pretiosior et præstantior est quàm id quo alitur vita, et corpus quàm id quo tegitur corpus utique, ultra omnem comparationem. Qui ergo nihil sollicitis, quin neque existentibus in rebus, vitam corpusque dedit : dabit procul dubio et ea quibus vita et corpus sustinenda sunt, præsertim cùm his ipse voluerit vitam corpusque opus habere, qui rerum naturam alio poterat modo instituere. Nam qui majora ultrò dedit, declaravit se minora, eaque ad servanda majora quæ dedit, se auctore, necessaria, suggerere, et posse et velle. Dabit igitur, quamdiù ei visum fuerit naturam quam condidit servare; nam ubi eam ipsi tollere visum fuerit, cùm non in victu et vestitu illius vita consistat, nihil proderit quantavis illorum copia, sollicitudine vestrâ parta. Dabit autem, non quidem otiosis vobis, quos non ad otium creavit; sed sollicitudine vestrâ nihil opus est : eam sibi relinqui atque in se projici vult, 1 Petr. 5, v. 7.

Vers. 24. — Considerate. Alterum argumentum etiam à minore, sed cibo proprium, quo ad bruta animantia, quæ divinitùs citra omnem sollicitudinem pascuntur, descendit, ut vel in illis discamus divitias bonitatis et amplitudinem Providentiæ divinæ, in quam recumbamus. Hanc enim ut apertissimam faciat, non adducit altum in deserto quadraginta annos Israelem, Deut. 8, v. 3, 4; non laudat Eliam à corvis pastum, 3 Reg. 17, v. 6; sed objicit bruta animantia, idque non leones, elephantes, ursos, aut alia id genus grandia animalia, quæ et ipsa divinitùs pascuntur, Psalm. 103, v. 21, 27, 28, sed animalium minima, aviculas, quæ cantui ferè vacantia, et veluti obiter cibum sumentia, maximè à sollicitudine libera videntur. Summa ergo est, quòd nos hortatur ad fidendum Deo, qui nullas ex suis creaturis, quamlibet contemptibiles, negligit.

Corvos, volucres cœli, et nominatim corvos, ad quos frequenter Scriptura remittit.

Quia non seminant, neque metunt. Non sunt solliciti, quòd non faciunt tantùm quantùm vos pro victu parando; non quòd hoc nobis faciendum non sit, sed quòd eò minùs sollicitos esse oporteat, ubi illud etiam facimus. Serere, metere, et in horrea cogere, si velint aves, ea sollicitudo ipsis sit; id enim eis, pro eo in quo sunt naturæ gradu, haud convenit, exceditque vires earum; at homini, cui ex naturæ institutione id permittitur, non est ipsum in se sollicitudo, non magis quàm avibus facere id ad quod naturæ instinctu feruntur, hùc illùc volando victum quæritare. Monemur itaque ut ne immodicâ sollicitudine nos torqueamus, et, ubi ex Dei præcepto aut vocatione majoribus vel melioribus vacamus rebus, quàm sint eæ quæ ex professo ad victum parandum faciant, nihil metuamus, sed fidamus Providentiæ Dei, quæ una nobis sufficit, etiamsi cessarent omnia humana subsidia.

Pascit illos. Providentiæ suæ benefica curâ quòvis effusa absque his mediis alimenta illis subministrat. *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*, Psalmi 144, v. 15, 16.

Magis pluris estis illis! longè præcellitis illos. Majoris emphaseos gratiâ junctæ videntur duæ voces comparationem significantes. Nonne vos multò illis ipsius dono præstatis, quos ad imaginem suam creavit, quos in filios adoptavit, quos ad regnum cœleste æternumque vocavit, quorum gratiâ, illa ipsa, quin et cætera, condidit, ita ut meritò fidere debeatis, quod ad prospectum rerum ad victum necessarium, minimarum illarum, multò ipsi majorem esse vestrî curam, etiam ac maximè tunc, cùm, ut ipsius vacetis servitio, serendi, metendi, cæteraque seculi negotia, quibus victus paratur, reliqueritis? Magna est vis emphaseôn hoc uno in argumento.

Vers. 25. — Quis autem. Tertium argumentum à majori sumptum.

Cogitando; Græcè participium est verbi quod significat et aliquoties hìc vertit, sollicitum esse; ergo *cogitans*, id est, sollicitus existens, seu sollicitè cogitando, anxiâ suâ sollicitudine.

Cubitum unum? possit vel minimùm augere staturam suam? q. d. : Nullus, nisi Deus ipse faciat. *Cubitus humanæ staturæ mensura est*, Euthymius ait;

necessariis, vel etiam diligentiam, quæ laudabilia sunt, sed anxiam illam sollicitudinem, quâ animus in diversa distractus se vexat, et cum quodam metu non assequendi totus in eo positus est, ut sibi de necessariis prospiciat, nihil pendens à divinâ Providentiâ. Talis sollicitudo plerùmque plura congerit, quàm necesse sit et præpostera est, tempus præoccupans, ut indicatur vers. ult., et soli sibi seu diligentiæ atque industriæ suæ fidit, nihil Deo. Et quia hæc pro necessariis sollicitudo corruptis hominum moribus maximè usitata est, hinc in toto Evangelio nullus animi affectus tanto studio ac tot argumentorum machinis à Christo oppugnatur et evellitur.

Vers. 23. — Anima plus est quam esca? Hæc prima ratio est à majori; q. d. : Nonne vita est præstantior, quàm id quo alitur vita? et corpus quàm id quo tegitur corpus? Supplendum est autem : Deus verò dedit illa majora, ergo dabit et minora, quibus ipsemet vitam sustentari et corpus tegi voluit.

Vers. 24. — Non seminant, etc., id est non adhibent ne quidem illum laborem ac diligentiam, quam vos ex Dei instituto adhibetis; et tamen Deus pascit illos, Providentiam suam ad illa etiam minuta protendens. Quanto magis vos pluris estis illis! Id est, quantò vos, qui ad imaginem illius creati estis, in filios adoptati, et propter quos creavit reliqua, præcellitis volatilibus, et consequenter fidere debetis vos ab eo esse pascendos, cùm ex instituto ejus seratis et metatis? Est enim hæc secunda ratio efficacissima à minori.

Vers. 25. — Quis autem vestrum cogitando, id

idcircò *cubitum* dixit, cùm pedem, palmum, aut digitum potuisset. Nullâ industriâ aut sollicitudine augere queat aliquis staturam corporis sui, ubi semel assecutus est eam quam Deo placuerit definire : minuat potiùs sollicitudine staturam, arrodendi illa cùm habeat vim. Cæterùm pueri adolescentesque, ad hoc ut ad justam staturam perveniant, cooperari quidem possunt Deo ac naturæ, quæ ministerio virtutis vegetativæ ac nutritivæ incrementum efficit, pro ratione corporum ac geniture initio, atque locorum ac temporum varietate, sed tantùm abest ut sollicitudo adhibenda sit, ut contra obsit adhibita, nec feliciùs adolescere queant quàm, si omni sollicitudine vacui, utantur bonis quæ Deus suggerit, ut ferè faciunt, et nec cogitantes quidem de augmento, in tria nonnunquàm cubita triennio accrescunt : rarum est enim quòd sollicitudo infestet juvenes, quorum spes naturâ magnæ sunt. Addit perficiens argumentationem :

Vers. 26. — Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Si rem tantillam vestra sollicitudo non potest, augere nonnihil staturam corporis ; quomodò poterit corpus in vitâ servare, quantavis annonæ opumque congesta copia, nisi adspiret Providentia Dei? q. d : Inanis et irritus est labor omnis vester, nisi illum prosperet Deus. Quia ergo ita vult, ipsi alendi et in vitâ servandi corporis curam permittite, cui permittitis augendi, quique sine vestrâ id quàm decentissimè ac suavissimè facit curâ.

Vers. 27. — Considerate. À victu particulatim tractato ad vestitum descendit, qui et ipse necessitatis est, etsi minoris quàm victus ; est autem et elegantiæ sive decoris. Rursùs à rerum naturâ exemplum petit, sed ex alterius generis rebus, quò illustrior clareat Providentia Dei. Est autem iterùm à minori argumentum.

Lilia. In floribus præcipuè pulchritudo spectatur, quæ eis vestimenti est loco. Præ cæteris autem floribus, lilia singulari pollent decore et gratiâ.

Quomodo crescunt, quomodò crescentia eam pulchritudinem assequantur, ita fiant decora et gratiosa, ut oculis patet.

Non laborant, neque nent ; nihil sollicita sunt, non faciunt ad comparandum vestitum, ea quæ vos facitis, apud quos, *laborant* laboreque se fatigant viri, *nent* feminæ. Vos igitur, cùm laborare et nere possitis, quid de vestitu solliciti estis ? quòd si fortè non possitis, sive præ corporis imbecillitate, sive præ occupationibus melioribus, hæc æquè non possunt.

Dico autem. Attamen dico sive affirmo.

Nec Salomon. Quòd nec Salomon rex, amator ille præcipuus et studiosissimus perquisitor pulchritudinis omnis, qui reges omnes gloriâ superavit, antiquis, tam divitiis et deliciis, quàm sapientiâ celebris. Confert inter se longè dissimillima, magnificentissimi regis Salomonis, exquisitum atque ad miraculum usque ornatum, cultum, et sponte suâ nascentium, vilium, contemptorumque florum agri, decorem ; atque hunc illi longè præfert.

In omni gloria sua, quâ claruit toto gloriosissimi regni sui tempore.

Sicut unum ex istis, tam pulchrè quàm unum istorum. Rerum naturam, quæ à Dei Providentiâ est, hominum cura, hominum industriâ, imitari potest, assequi non potest. Vide, ut omnem mundi gloriam, unico agri flori postposuerit : ita superbum hominum ad vestitûs elegantiam studium reprimens.

Vers. 28.— Si autem. Colligit ex præmissis, arguitque à rei vilitate, ut eò faciat insigniorem divinæ Providentiæ liberalitatem, nobisque eò majorem fiduciam excitet.

Fœnum, herba.

Quod hodiè est, in rerum naturâ.

Mittitur, projicitur : demessum atque arefactum in ignem injicitur, ad clibanum seu furnum succendendum : hoc est, fragilissimam vilissimamque herbam.

Sic, tam pulchrè,

Vestit, idque nullâ exigente necessitate : ornatus, floribus, vestitûs est loco.

est, anxiâ illâ sollicitudine se excrucians ; potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Cùm potiùs sollicitudo staturam rodendo minuat. Perficit argumentationem hanc.

Vers. 26. — Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Ex quo patet tertiam hanc rationem peti à minori ad majus : et consequenter non posse referri ad id quod sequitur de vestimento, sicut August. retulit, quia vestimenta multò minora sunt. Sed potiùs referri debet ad id quod præcessit v. 22, de totius vitæ conservatione in corpore per victum ; q. d., cùm id, quod minimum est, uno scilicet cubito majores fieri vestrâ anxietate non possitis, multò minùs vitam vestram sustentabitis tali vestrâ sollicitudine. Sic ergo à victu generatim tractato descendit jam ad vestimenta.

Vers. 27. — Considerate lilia, in quibus singularis est pulchritudo ac decor, et inprimis foliorum ordinatissimè assurgentium quasi amictus, quo vestiuntur. Quomodo crescunt, id est, quâ pulchritudine floris, quâ foliorum gratiâ velut vestium assurgunt. Non enim de incremento magnitudinis loquitur, quod potiùs victui responderet. Non laborant, ad assequendum indumentum, ut solent viri ; neque nent, ut solent mulieres : hoc est, sollicitudine prorsùs vacua sunt. Non enim, ut Chrysost., homilià 25, opus prohibuit, sed sollicitudinem, sicut et supra de satione. Dico autem vobis : nec Salomon, pulchritudinis ac decoris studiosissimus, potentiâ, sapientiâ, opibus præcellens omnibus, quibus excogitantur ea quæ ad vestitum pertinent, in omni gloria sua, id est, etiam tum cùm in fastigio gloriæ suæ fuit, vestiebatur, sicut unum ex istis, tantâ scilicet vestium pulchritudine et gratiâ. Quod enim sericum, inquit Hieron., quæ regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari? Quanta veritatis et falsitatis, tanta vestimentorum et florum differentia est, inquit Chrysostom., hom. cit., quia scilicet naturam divinæ Providentiæ artificium hominum cura et industria imitatur, et non assequitur.

Vers. 28. — Si autem fœnum, etc., id est, herbam agrestem, rem scilicet abjectissimam, cras, seu tantillo post, in clibanum mittitur, ad succendendum furnum, Deus sic vestit, tanto scilicet pulchritudinis excessu ; quanto magis vos, propter quos et flores, et mundum universum condidit, et quos in æternum

Quantò magis. Q. d. : Vobisipsis judicium relinquo. Conclusio argumenti per interrogationis vehementiam.

Vos. Emphaticè intelligendum est, ut insignis honoris demonstrativum. *Vos* tantò herbis agri præstantiores, atque adeò immortalitati à se conditos : suppl. vestiet, curabit vobis vestimenta, tegendo corpori necessaria, et ubi opus fuerit etiam ornando.

Pusillæ, seu ut aliàs legitur, *minimæ fidei*; ô parùm fideles, vel parùm credentes. *Modicæ fidei* vertit interpres, Matth. 8, v. 26, et 14, v. 31. Syrus *parvi fide.* Exclamatio amicè objurgatoria, quâ causam ipsam anxiæ sollicitudinis hominum exponit, fidei scilicet, et, quæ hinc sequitur, fiduciæ exiguitatem, quòd minùs altè de Deo sentiant, quòd æquo minùs credant fidantque Deo, ubi tamen tam præclara exstent benevolentiæ beneficentiæque ipsius incredibilis in omnem creaturam suam argumenta. Diffidentia sive fiduciæ exiguitas è fidei exiguitate nascitur, idcircò hujus ut matris nomine utramque Salvator notat, parva namque fiducia parvam arguit fidem ; ut magna fiducia, non nisi ex magnâ gignitur fide. Nam quia homines, vel non credunt, vel vix credunt, Deo res humanas curæ esse, aut de ejus sive potentiâ sive bonitate parùm rectè parùmve liberaliter sentiunt, hinc illa animi, de rerum temporariarum prospectu, nunquàm secura, semper diffidens, cura : quam nos docet corrigere seriâ inferiorum creaturarum contemplatione, ex quibus intelligere ac perspicere licet, curam Providentiæ et divitias bonitatis Dei.

Vers. 29. — Et vos, vos igitur. Infert ex præcedentibus, ut secundùm Matthæum : Nolite quærere, ne quæratis, ne anxiè provideatis.

Bibatis, scilicet, aut quid induamini vestium loco.

Et, si hæc suppetunt aliquo modo, nolite in sublime tolli, ut scilicet procul ventura prospiciatis, ut in longum tempus futuris necessitatibus corporis consulatis ac provideatis. In sublime ascendimus, ut longè prospiciamus : metaphoricè igitur Salvator illum dicit in sublimi se statuere, quæ in longè post futurum tempus distendit sollicitudinem de victu et cultu, non contentus præsentibus. Quocirca hoc est : *Nolite in sublime tolli*, quod Matth. 6, ubi hæc eadem omnis doctrina traditur : *Nolite solliciti esse in crastinum*, v. 34.

Vers. 30. — Hæc enim omnia, cibum, potum, vestitum, opesque quibus semper in promptu sit hæc aliaque his similia pro libidine comparare.

Gentes mundi, à Deo verâque divinarum ac cœlestium rerum cognitione alienæ. Quia namque gentiles, vel non credunt Deum rebus humanis prospicere, vel non agnoscunt alia his majora et solidiora bona, idcircò quærunt, desiderant ista cumprimis, toto his parandis sunt studio dediti, hùc sunt labores, conatus, vigiliæ, sollicitudines, curæ, cogitationes eorum omnes, ut eis de rebus sibi provideant, quæ ad vitam tolerandam faciunt, nihil aliud nisi hoc solum anxiè curantes, existimantesque omnia suo labore et industriâ parari parandaque esse.

Scit. Gentes ignorant, at ego vos id doceo, rem certam : Novit Deus vobis opus esse his omnibus, qui vos ita condidit ut his opus haberetis. Cùm autem Pater vester sit, non potest non ei curæ esse, ut de iis vobis prospiciat, quibus novit et voluit vos opus habere ; quodque amplius est, voluit non nisi se adjuvante obtingere ; et cùm sit ille qui cœlos habitat, qui præest mundo et plenitudini ejus, in cujus manu sunt omnia, non potest non ei suppetere, unde et facilè et aliunde providere vobis possit. Significat Salvator, eos omnes qui tantoperè de his sunt anxii, paternæ Dei bonitati et Providentiæ ditissimæ, ac certissimæ, nihilo plus quàm gentiles honoris deferre.

His, cibo, potu, cultu et similibus.

Indigetis ; nec proinde opus est ut de his anxiè solliciti sitis. Contentos nos esse vult Dominus iis quibus indigemus, nec sectari superflua.

Vers. 31. — Primum, ante omnia. Hæc sit vobis prima et præcipua cura, in hoc sint labores et studia vestra omnia, ut quæratis.

Regnum Dei et justitiam ejus, scilicet Dei, id est, vera, solida, et divina bona, ad quæ creati et vocati estis ; quæ gentes ignorant, idcircò nec quærunt, vobis autem manifestata sunt et singulariter promissa. Ad meliora igitur nati, ne vilibus illis prorsùs occupemini. *Regnum Dei* illud est de quo supra, quo in sanctis suis, absque alicujus hostis infestatione, Deus æternùm integrè regnat, quæ beatitudo est nostra.

---

secum vivere voluit, pusillæ fidei? Quâ increpatione radicem anxiæ illius sollicitudinis succidit ; diffidentia enim ista ex parvâ fide oriri solet. Nam ut magna fiducia in Deum ex magnâ fide de providentiâ ipsius nascitur, ita diffidentia ex ejus defectu.

Vers. 29. — Nolite, talium scilicet exemplorum cogitatione de divinâ Providentiâ muniti ac stabiles, quærere, æstibus cogitationum discruciari et jactari, ita ut penuriæ timor in hujusmodi anxias cogitationes vos conjiciat.

Vers. 30. — Hæc enim omnia gentes, quæ vel Deum rebus humanis præesse non credunt, ideòque, inquit Chrysost., meritò timent et desperant, quasi neminem habeant gubernantem, vel subliniora ejus bona nesciunt, quærunt ; id est, hoc unum agunt, ut tanquàm propriâ industriâ toto animi studio, et sollicitudine res isti vitæ necessarias parent. Hæc est ratio ab iis petita, à quorum moribus Dei filios convenit esse dissimillimos. Scit, tanquàm omniscius, Pater vester, ideòque benignissimus, et affectu in filios suos tenerrimo, quia his, cibo, vestitu, potu, habitatione, et similibus, indigetis, ut ita juxta Chrysost., quam ob causam plerique maximè anxii esse solent, vos è contrario magis sollicitudinem abjiciatis, quia nempè necessaria sunt, seu quia his indigetis.

Vers. 31. — Quærite primum, id est, ante omnia, ita scilicet ut illa prima cura sit, idque finis constituatur, propter quem omnia faciamus, quæcumque facimus. Non enim vetat omninò quæri temporalia necessaria, cùm ipsemet dici jusserit : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè* ; sed potiùs dicendo, *primùm,* significavit, quòd hæc posteriùs quærenda sint, non tempore, inquit August., sed dignitate, hoc est, propter aliud, nempe scilicet *regnum* Dei : illud scilicet, quod in Oratione Dominicâ petimus ut adveniat ;

Justitia autem Dei, est ea quam præcipit, requirit, probat Deus, justitia ipsa generaliter sumpta. Regnum Dei justitia et quæritur et acquiritur; justitia autem ipsa quæritur, dùm sedulò virtuti incumbitur, nihilque prius homini est, quàm facere id quod Deo novit gratum. Vetera manuscripta constanter tollunt *primùm* et *justitiam ejus*, leguntque: *Verùmtamen quærite regnum Dei: et hæc omnia*: quibus Græca et typis excusa Syra suffragantur; nam manuscriptum Syriacum addit, *et justitiam ejus;* denique post D. Ambrosium Beda enarrator astipulatur. Quare videri possent adjectitia illa esse *primùm* et *justitiam ejus*, ex Matth. 6, v. 33, huc adscripta.

Adjicientur vobis. Ad verbum *apponentur*, quemadmodùm legunt Cyprianus et Augustinus. Absque sollicitudine vestrâ à Patre vobis suppeditabuntur, quærentibus regnum Dei et justitiam ejus; non mercedis loco, quòd regnum Dei ejusque justitiam quæratis, sed auctarii instar addentur, supra æternam quæ vobis servatur mercedem. Permittit ut et ista quærantur, absque sollicitudine duntaxat, nam et orare nos docuit, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodiè;* sed illa vult primùm quæri. Illa enim per se et propter se quærenda sunt; ista autem non nisi propter illa, quia necessaria homini mortali ad illa quærenda. Ergo primam vult nobis esse curam ut illa quæramus; minimam verò ut ista; nam si quid desit curæ nostræ de his, à Patre id suppletum iri, devotis ipsius servitio filiis, quibus ista largiri non pro magno habet, dùm ad promovendam ipsorum salutem faciunt, sed velut auctaria, super liberalissimam bonorum cœlestium mensuram, ea ipsis adjicit, longè jucundiùs, quin etiam liberaliùs, quàm ii ea assequuntur, qui, anxiâ animi sollicitudine, omne studium in eo ponunt, ut illa quærant: quibus dùm obtingunt ista (ut non obtingunt nisi Deo faciente, quo sine irritæ sunt curæ omnes), vel mercedis dantur loco, ita ut non aliud sperare à Deo præmium debeant si quid habeant rectè factorum, vel, quod frequentius est, in pœnam et supplicium dantur incredulitatis ac diffidentiæ, aliorumve peccatorum, nunquàm autem absque jacturâ bonorum æternorum.

Vers. 32.—Nolite timere, Gr., ne timeas, scilicet ut hæc omnia adjiciantur vobis, ne vitæ istius necessaria aliquando vobis desint, si vos sollicitudinem exuatis. Conatur eximere suis, omnis immodicæ sollicitudinis radicem, timorem quo plerique anguntur, ne inediam inopiamve aliquando patiantur.

Pusillus, ô pusille, ô parve *grex*, scilicet meus seu discipulorum meorum, id est, quantùmvis parvus sis, cùm numero, tum opibus et viribus, tenuis, simplex rerumque humanarum parùm studiosus, ac proinde contemptus mundo, qui non facilè vos evehet ad splendidas vitæ conditiones (quas neque ambitis) nec vitæ necessaria vobis subministrare curabit. Quamvis sis grex parvus, non ideò vos parvi æstimat Deus. Nunquàm non numero parvus fuit, grex hujusmodi discipulorum Jesu. Grex porrò cùm sit Jesu, intelligitur Jesus illius pastor esse, qui de seipso ait: *Ego sum Pastor bonus*, Joan. 10, v. 11, 14.

Complacuit, complacitum est, scilicet *à mundi constitutione*, Matth. 25, v. 34. *Disposuit vobis regnum*, infra 22, v. 29. Si placet illi, quis beneplacitum ejus invertere queat? Quod Calvinus studiosè notat, verbo εὐδοκεῖν significari, *ex gratuitæ misericordiæ fonte nobis fluere vitam æternam, ut plus quàm manifestum sit*, quod ait, *nullis operum meritis acquiri;* refellitur loco supra, cap. 3, v. 22; nec enim ita complacet sibi Pater in Filio, ut meritum excludatur.

Patri, qui non potest non benè velle, et quoquo modo possit benefacere atque exaltare filios.

Vestro. Non enim patriarcharum tantùm et prophetarum, sed et vester Pater est.

Dare, hæreditate possidendum in seculo futuro, hâc vitâ finitâ; præsertim verò in judicio extremo, quando per me dicturus est: *Venite, benedicti, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, Matth. 25, v. 34.

Vobis, quærentibus ante omnia regnum Dei, et doctrinæ meæ obtemperantibus, abjecti licèt sitis et inferioris notæ inter homines.

Regnum, Dei cœleste et æternum, bona prorsùs omnia in se comprehendens, quod solum meretur regni nomen: cætera enim, terrena illa et caduca, vix dici merentur umbræ illius: Nulla igitur vobis est causa timendi. Nam si statuit vobis in altero seculo regnum dare sempiternum, quomodò vos negligat hoc in seculo, ut vilem et caducum cibum vestitumve neget aut omittat suggerere, iis quos adoptavit in sui regni hæredes? Argumentum est, juxta dialecticos, à minore ad majus, longè efficacissimum: quo in summam erigimur in Deum fiduciam; simili usus est Paulus, Rom. 8, v. 32. Cæterùm non revelat hìc Christus discipulis suis, quòd sint à Deo prædestinati in regnum cœleste, fuit enim reprobatus Judas; sed aperit Dei ordinationem, quâ statuerit ipsos regno beare, si, quemadmodùm cœperant, perrexerint auscultare et obedire doctrinæ ipsius.

Vers. 33. — Vendite; certi ergo vos Patri singu-

q. d.: Illud unicum studete, ut participes possitis esse illius beatissimi regni Dei.

Vers. 32. — Nolite timere, pusillus grex, ne scilicet vobis vitæ desint necessaria, sollicitudinem eorum deponatis. *Pusillum gregem* vocat discipulorum, in quorum personâ instruit omnes verè fideles, et tacitè pastorem eorum se esse indicat; q. d.: Nolite timere de temporalibus, quamvis sitis pusillus, mundoque contemptus grex, quia complacuit Patri vestro dare, id est, quia gratuitâ voluntate et benignitate prædestinavit vobis Pater vester, qui non potest filiis non benè velle; regnum cœlorum, in quo omnium bonorum thesaurus comprehenditur. Argumentum est à majori ad minus, ut non dubitent se curæ futuros Patri suo, ad habendum victum et vestitum in hoc seculo, à quo in hæreditatem regni cœlorum tam liberaliter gratis adoptati sunt. Itaque cùm sciatis tantam ei esse curam vestri, non solùm non sitis anxii de adipiscendis temporalibus, sed etiam

Vers. 33.—Vendite quæ possidetis, et date elee-

lariter esse curæ, vendite etiam QUÆ POSSIDETIS, bona vestra omnia.

ET DATE, et distribuite ea pauperibus in ELEEMOSYNAM, quò, liberi ab his, assuefiatis pendere à beneficâ Patris Providentiâ, et in ipso solo, non in divitiis vestris fidere. Delecti à Deo Patre ad tantam dignitatem, quanta est regni cœlestis, non solùm ponite timorem vanum, anxiamque de victu et amictu sollicitudinem, verùm etiam si quæ vobis sint possessiones aut bona vendite, et pecuniam inde collectam semel erogate in sublevandam pauperum inopiam, ut eò aptiores dignioresque reddamini iis quibus destinati estis perennibus bonis, quò magis contemnitis minùsque confiditis in his perituris : quæ cùm ad fiduciam ac amorem suî animum possidentis trahere consueverint, fit ut qui his caret, faciliùs, occurrentibus necessitatibus, ad munificum Patrem Deum confugiat, ab ipsius Providentiâ curâque totus pendeat, et quod paravit cœleste regnum ardentiùs exoptet. Hæc est loci sententia. Cæterùm non præcipit Salvator, sed hortatur, omnia vendere et pauperibus erogare, in eum finem ut faciliùs assequamur id quod præceptum est, animum, inquam, ita habere affectum, ut in facultatibus non confidamus, nec eas tanquàm solida bona amemus. De his latiùs agitur Matthæi 19, v. 21, et sequentibus.

FACITE. Ita verò facietis. Ne existimetis perituras vobis hoc modo facultates vestras : Non possunt magis in tuto collocari, nec majore certioreque cum fœnore deponi.

SACCULOS, marsupia. Solent in sacculis sive marsupiis pecuniæ asservari et circumferri, Prov. 7, v. 20.

QUI NON VETERASCUNT, è quibus pecunia perdi nequit. Nam iis quibus pecunia circumfertur sacculis, detritis tandem ac ruptis vetustate, pecunia perit et fructus omnis illius. At qui eam pauperibus erogat, tanquàm condit in sacculis imputribilibus, è quibus perdi nequeat, eò quòd æternum ex eâ recepturus sit fructum in altero seculo.

THESAURUM, scilicet facite, parate seu reponite vobis. Id est, hoc modo facietis seu parabitis, longè pretiosiorem et amplissimum.

NON DEFICIENTEM, qui nunquàm deficiat, perpetuum et inexhaustum. Usu minuitur ac facilè deficit thesaurus terrenus; at eleemosynarum merces est multa nimis adeòque infinita.

IN COELIS, in regno cœlorum, quò pervenire cupitis, et ubi vobis cooptatis perpetuò manendum erit, ibi negotiamini, eòque omnem vestram curam ac studium transferte, ut dignum est.

NON APPROPIAT, appropinquare non potest.

NEQUE, et ubi.

CORRUMPIT, corrumpere non potest; qui nullo vobis modo perire potest, quin æternùm eo læti fruamini.

VERS. 34. — UBI ENIM, etc. Innectit aliam rationem, quare consulat nobis, divenditis et in pauperes erogatis facultatibus, colligere thesaurum in cœlo, ut corde scilicet in cœlo versemur, quò destinamur; non talparum instar in terrâ. Nam ut cor vestrum, inquit, sit in cœlo, oportet et thesaurum vestrum in cœlo esse : ut spes omnis vestra ac fiducia sit in Patre cœlesti, amorque vester sit cœlestium bonorum, necesse est thesaurum, divitias, facultates, quas habetis, penes Patrem deponatis in cœlis; quod quidem fit per elargitionem illarum in eleemosynam : nam si illas vobis hìc reconditis aut servatis in terrâ, in terrâ erit fiducia vestra, à terrâ pendebit spes vestra, terrenorum amans in terrâque defossus erit animus vester, quo nihil esse queat homine indignius. *Ubi enim thesaurus*, quod dici solet, *ibi cor*. Cor nostrum esse alicubi, nihil aliud est, quàm curam omnem nostram, cogitationem, gaudium, fiduciam, spem, metum, amorem, totum videlicet animum, circa aliquid versari. Significat hâc proverbiali sententiâ miseros esse qui hâc in terrâ repositos thesauros habent suos; quia animo menteque, toti terræ terrenisque rebus affixi sint. *Amor meus*, Augustinus ait, *pondus meum: ubi amo, eò feror*; et rursùs : *Anima veriùs est ubi amat, quàm ubi animat*; thesaurus autem id est quod homo præ cæteris rebus suis maximè amat. Itaque altero jam argumento dissuadet Salvator, ne in terrâ thesaurizemus, eoque hujusmodi : Ubi thesaurus hominis est, illìc ejus et cor est; illìc animus cogitatioque ejus omnis versatur. Ergo si tibi thesaurus in terrâ sit, etiam animus in terrâ erit : quo quid est illo indignius, qui animo menteque cœlesti præditus est, qui ad cœlestia capessenda bona creatus et vocatus est, denique qui Patrem invocat in cœlo ? Ut igitur, ita ut oportet, vester tametsi in terrâ adhuc peregrinantium, in cœlo versetur animus, illìc thesaurus vester sit, illùc transmittite pecunias, opes, divitias vestras, illìc sint bona vestra, quæ solidorum summorumque bonorum loco habeatis, ametis, quibusque felices vos et beatos ducatis.

MOSYNAM; partim ut ab eorum sollicitudine liberi discatis pendere à tam benefici Patris Providentiâ, et in illo solo, non divitiis fidere; partim ut ita vos bonis operibus adaptetis, ad illud regnum comparandum. Quamvis enim sine meritis regnum illud præparetur, non tamen sine meritis datur. FACITE VOBIS SACCULOS, seu marsupia, QUI NON VETERASCUNT, id est, qui nec tempore nec usu deterantur, ut fieri solet, et pecuniæ pereant. Quid autem hoc sit, statim explicat, hoc est, per erogationem pecuniarum in pauperes facite seu reponite vobis, THESAURUM NON DEFICIENTEM IN COELIS, quò pervenire et in æternum permanere cupitis. Sic ergo timorem eis tollit ne pecunias perituras putent, si pauperibus erogaverint, quandoquidem illæ futuræ sunt thesauri inexhausti loco apud Deum. Ex quo et alia utilitas sequitur, quòd, si totus thesaurus noster eo modo collocetur apud Deum, etiam cor et amor noster eòdem sequatur, quia, ut addit,

VERS. 34. — UBI EST THESAURUS VESTER, IBI ET COR VESTRUM ERIT, id est, cura, occupatio, et amor cordis, quia naturaliter quisque studet servando, augendo, fruendoque quod instar thesauri diligit. Ex quâ cordis in cœlum translatione sequitur mox cœlestium rerum perpetua meditatio, et consequenter liberatio à multis vanitatibus et peccatis, quibus corda in seculum effunduntur, et ibi cum thesauro sepeliuntur. Ut

VERS. 35. — SINT, etc. Porrò autem, quia non longè abest regnum Dei, tenete vos semper paratos ad illud excipiendum.

LUMBI PRÆCINCTI semper, quamdiù hæc vita durat. Frequens est sacræ Scripturæ mentio præcingendorum lumborum, quod ad litteram quidem est, vestes contrahere, extrema vestium adducere ad lumbos in cingulum. Utebantur enim Judæi, viri non minùs quàm mulieres, et servi non minùs quàm domini, talaribus seu oblongis vestibus, quas, ne impedimento esset vestium onus ac prolixitas, iter aut opus aliquod facturi elevabant, cingebantque ad lumbos, solâ subuculâ pendente ad tegenda naturalia, more mulierum nostratium. Hinc enim duplex adjumentum accedebat ad itineris operisve facilitatem, unum quòd gressus esset liberior, alterum quòd cinctus lumborum adderet robur. *Solent qui aliquid operantur, lumbos habere præcinctos, ut expeditè operentur,* inquit Euthymius. Lumborum igitur præcinctio, habitus est ministri, aut alterius cujuscumque parati ad iter aut opus aliquod strenuè faciendum; nec tantùm parati, sed et facientis. Porrò hìc cùm de itinere non agatur, de opere sermo est, idemque est, *sint lumbi vestri præcincti,* quod omni abjecto impedimento strenuè incumbatis operi, nunquàm desides sitis, sed semper occupati operibus virtutum, semper intenti agendis iis quæ venturo Domino sint grata, qualia à Domino sunt vobis commissa; abiens enim Dominus, singulis sua opera distribuit, Marc. 13, v. 34: *Omnibus modis parati estote ad opera Domini vestri,* ait Theophylactus.

ET LUCERNÆ, candelæ, scilicet vestræ sint ARDENTES, accensæ semper. Non sufficit lumbos nobis esse præcinctos, oportet et lucernas ardere; nam quia in nocte versamur, est enim hoc seculum nocti simile, in quo ignorantiæ tenebræ dominantur; nisi adsit nobis lumen, nihil possumus operari, præsertim quod bonum et rectum sit, sed in somnum facillimè incidimus: *Lumen autem oppositum oculis, pellit somnolentiam,* quod ait Cyrillus in Catenâ, et facit ut operari sicut oportet queamus. Lucerna nostra est fides, quæ tunc ardet seu accensa est, cùm lumen nobis præbet, quo sciamus quid operandum nobis sit, quæ opera à nobis Dominus exigat, ad consequendum regnum ejus idonea, et quomodò operandum sit, denique quo fine. *Lucernæ ardentes,* inquit Augustinus, *ut hoc ipsum quod facitis, vero fine et rectâ intentione faciatis,* lib. 2 Quæst. evang., c. 25. Absque fidei lumine nihil quimus facere, quod quidem Domino gratum sit; ipsum verò ejus lumen, excitat nos ad operandum quod gratum sit, nec sinit torpescere aut dormire. Ergo lumen fidei semper nobis adhibendum est ad omnia opera nostra, ut etiam perpetuum fidei et operum exercitium reddit ministrum, à Domino suo absentem, talem omninò qualis esse debeat, perfectè paratum ad Dominum excipiendum, et ad regnum ejus participandum.

IN MANIBUS VESTRIS. Hoc Græci codices et auctores omnes omittunt: Latini codices plurimi omittunt, et quidem emaculatiores (meo judicio) plurimi addunt: similiter et auctorum Latinorum, alii legunt, alii prætereunt. Inter Latinos veteres Augustinus, inter mediæ ætatis Beda, inter postremæ ætatis interpretes, Dionysius Carthusianus, minimè agnoscunt. Ac videri possit parùm consentaneum proposito, nam lucernæ, si perpetuò manibus teneantur, impedimento sint operantibus. Cæterùm si legendum est, liceat interpretari, *in manibus vestris,* præ manibus vestris, ad manus vestras, ut significentur paratæ, quæ in manus accipiantur, si quid propiùs inspiciendum aut considerandum sit, si mutandus locus, si occurrendum domino pulsanti fores.

VERS. 36. — ET VOS, itaque sitis vos omninò SIMILES HOMINIBUS, servis fidelibus et strenuis, EXSPECTANTIBUS nocte, cum diligentiâ et patientiâ, et auscultantibus semper num pulset fores.

DOMINUM SUUM, patremfamiliâs, QUANDO REVERTATUR, quod incertum habent quâ futurum sit horâ; A NUPTIIS, à convivio nuptiali, quod solet nocte celebrari.

UT CUM VENERIT, ita exspectantibus et comparatis, ut cùm venerit et fores PULSAVERIT, CONFESTIM ac citra moram EI APERIANT, lætique eum excipiant. Hujusmodi enim servi inprimis vigilant, id est, accen-

autem ostenderet quo mentis habitu et vigilantiâ ad regnum cœlorum erecti esse debeamus, addit:

VERS. 35. — SINT LUMBI VESTRI PRÆCINCTI; per carnis continentiam, inquit Gregorius, hom. 13 in Evang., et lib. 28 Moral., c. 7, aliàs 4, et Augustinus, libro de Continentiâ, capite 7. Rectiùs, sermone 39 de Verbis Domini, intelligit continentiam generalem ab omnibus illicitis concupiscentiis. ET LUCERNÆ ARDENTES IN MANIBUS VESTRIS, id est, bonis operibus fulgeatis. Itaque *lumbos habere præcinctos,* Augustino est declinare à malo; *lucernas tenere,* facere bonum. Sensus videtur magis moralis quàm litteralis; nam si vim phraseos istius ex Scripturis attendamus, præcinctio lumborum est habitus hominis expediti ad iter, seu ad opus ministerii, ut patet infra, versu 37, et clariùs capite 17, vers. 8: *Præcinge te, et ministra,* aliisque multis locis. Orientales enim olim, sicut et nunc, talaribus utebantur vestibus, quas elevatas et collectas ad lumbos cingebant, ne operantibus essent impedimento. Itaque *sint lumbi vestri præcincti,* id est, sitis expediti, et semper parati ad implendam voluntatem Domini vestri, et ita parati, ut etiam *sint lucernæ ardentes in manibus vestris,* ita scilicet, ut nequidem accensione opus sit, cùm Dominus vester venerit. Nam simili de causâ fatuæ virgines exclusæ sunt. Parabolica igitur locutio est, ab officio bonorum famulorum sumpta, Dominum scilicet suum noctu expectantium, ut sequitur, qui eum facibus præcedere solent. Itaque qui per *faces ardentes* intelligunt fidem, vel intentionem bonam, ut Aug., l. 2 Quæst. Evang., q. 25, bonum, sed morale sensum explicant, per quem declaratur modus, quo quis debeat se præcingere, et lucernas tenere. Sensum ergo genuinum esse, quem diximus, patet ex sequentibus.

VERS. 36. — ET VOS SIMILES HOMINIBUS EXSPECTANTIBUS DOMINUM; qui omnia parata tenent, et attentè auscultant, utrùm dominus pulset fores. QUANDO REVERTATUR A NUPTIIS, seu convivio nuptiali, quod noctu celebrabatur; ut ex eâdem parabolâ virginum

sis lucernis intenti sunt operi præscripto à domino. Nam, si, vel in tenebris versarentur, vel desides dormirent, minimè parati essent ut domino confestim aperirent, imò verò diù exspectare sinerent, magno suo malo, interea dùm, vel lucernas accenderent, vel somnolentiam excuterent. Illis ergo gnavis servis monet Christus ut similes simus : sciamus nos hoc in mundo tenebricoso à Deo collocatos ad tempus præscripto ministerio quod obeamus, datis mandatis quæ custodiamus, donec ipsi visum fuerit, è cœlo cœlique gaudiis quæ inhabitat, ad nos venire, id est, nos hinc auferre per mortem. Quod quia incertum est quo futurum sit tempore, vult semper intentos nos in illam horam, debere in venturum fidei oculos conjicere, et gnaviter incumbere ministeriis quæ nobis demandavit, ut cùm subitò venerit, et morbo immisso, aut quâvis aliâ ratione, corpusculum nostrum dissolvendi causâ pulsaverit, promptè et cum gaudio occurramus ipsi, nullius nobis mali conscii (Euthymii sunt verba) et parati alacresque ac læti ipsum per mortem excipiamus.

Vers. 37. — Beati, etc. Persistit in metaphorâ patris et servorum familiâs, sed intelligit Deum et homines, fideles præsertim suæ Ecclesiæ, præditos cognitione mysteriorum regni.

Vigilantes, id est, quod mox dixit, accensis lucernis incumbentes operibus sibi delegatis. Titus, *hoc est, paratos, omnique virtutum generi intentos.*

Amen. Quare dicat beatos, exponit, perseverans in eâdem metaphorâ.

Præcinget se. Syrus, *præcinget lumbos suos*, in morem scilicet ministri. Vide supra, v. 35.

Discumbere, mensæ accumbere, tanquàm dominos.

Transiens, obiens, circumiens mensam, ultrò citròque obambulans ac dispiciens quid desit singulis, quid quisque meruerit ac desideret. Titus : « Hoc est, « pro meritorum ratione solvet præmia; nam etsi men« sam, variis donorum et gratiarum ferculis magni« ficè instructam, omnibus promiscuè appositurus sit; « attamen pro exhaustorum laborum quantitate, sin« gulis alias et alias spiritales delicias apponet. »

Ministrabit illis, suppeditabit quidquid ad refectionem, recreationem et æternam eorum felicitatem, faciat, in morem humani patrisfamiliâs, qui fruitus deliciis et gaudiis convivii nuptialis, domum reversus, servos quos invenerit vigilantes, officiis suis vacantes, et dominum exspectantes, vicissim lætâ copiosâque cœnâ excipiat, seipso ministro exhibito. Quâ similitudine significatur, non quòd serviliter Christus in gloriâ servis suis ministraturus sit, sed quòd evectos ad inusitatum honorem et dignitatem supremam, quæ superet omnem mundi principatum, participes faciet suæ gloriæ, et quasi dominos ac pares sibi, sedere faciet in thronis, edentes et bibentes super mensam suam in regno suo, quemadmodùm promittit infra, 22, v. 30 : « Ministrat dignis, inquit « Theophylactus, par eis retribuens; et sicut ipsi ei « ministraverunt, ita etiam ipse eis vicissim ministrat, « et dapsilem eis mensam præstat, exhibens spirita« lium donorum lautitias. » Tunc ex servis dominos et amicos faciet, dulcissimam eis in regno cœlorum pro labore quietem, et amplissimam beatitudinis retributionem largiens, quos fideles ipsâ vigilantiâ ac diligentiâ probaverit, quos adveniens strenuos ac vigiles in operibus bonis invenerit.

Vers. 38. — Et si. Quòd si etiam serò venerit in secunda vigilia, circa medium noctis.

In tertia vigilia, post medium noctis (nam ut secunda vigilia finitur, ita tertia incipit mediâ nocte), profundâ nocte, quo tempore dormire omnes solent, et præsertim qui priore noctis parte vigilaverint. Quia perseverat sermo in metaphorâ reditûs à nuptiis, non meminit quartæ vigiliæ, ut nec primæ, quia nec tam citò, nec tam serò, rediri à nuptiis solet, quæ circa medium noctis ut plurimùm solvuntur, sponsâ in thalamum inductâ. Interim significat, omni tempore vigilandum nobis esse, etiam ætate provectâ et decrepitâ, nec satis esse, aliquando aut ad tempus vigilare, in

patet, ideòque tunc homines minimè parati esse solent. Per hanc igitur similitudinem indicat Christus adventum suum redeuntis à nuptiis, quæ etiam nunc cum animabus justis in cœlo celebrantur, ad judicium. Hunc semper erectos animo, et fide, et operibus exspectare nos jubet. Ut cum venerit et pulsaverit, id est, indicia adventûs sui dederit, confestim aperiant ei, id est, promptè et cum gaudio ipsum excipiamus, nullâ mortis tergiversatione, nullâ interpositâ suî præparandi morâ. Nam quamvis Christus de suo adventu ad generale judicium loquatur, ut plerùmque loqui solet, hoc ipsum tamen contingit unicuique tempore mortis suæ. Unde Greg., hom. cit. : Pulsat, cùm per ægritudinis molestias mortem esse vicinam, designat : cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus; de quo ipse latiùs. Itaque pulchrè S. Cyprian., l. de Mortalitate : Quàm præposterum est, quamque perversum, ut cùm Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos, et accersit de hoc mundo, non statim voluntatis ejus imperio pareamus! Obnitimur et reluctamur, et pervicacium more servorum ad conspectum domini cum tristitiâ et mœrore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis. Et volumus ab eo præmiis cœlestibus honorari, ad quem venimus inviti? Hæc ille.

Vers. 37. — Beati servi illi. Persistit adhuc in eâdem metaphorâ seu parabolâ. Quos cum venerit dominus, videlicet Christus eo quo dictum est modo, invenerit vigilantes, seu paratos. Amen dico vobis, quod præcinget se, in morem ministri, et faciet illos discumbere, tanquàm dominos; et transiens, id est, ultrò citròque obambulans, ut dispiciat, num quid desit, ministrabit illis, id est, quidquid ad refectionem, recreationem æternamque felicitatem fecerit, suppeditabit, instar perhumani patrisfamiliâs, qui benè cœnatus ex nuptiis rediens famulos officiosos, et dilatâ propter dominum cœnâ incœnatos, vicissim copiosâ cœnâ velut minister exciperet. Quod quamvis carnalibus dominis non sit usitatum, ideò tamen Christus libentiùs dixit, ut efficaciùs significaret inusitatum futurum honorem, quem eis exhibebit, quasi dominis et cohæredibus, secum in gloriâ consedentibus.

Vers. 38. — Et si venerit in secunda vigilia, id est, circa noctis medium, quo finitur, et, si in tertia vigilia venerit, quæ post mediam noctem incipit, et singulæ per tres horas durant, ut alibi dictum est. Quartæ vigiliæ, quæ terminatur ortu solis, et primæ,

ætate juvenili et virili, sed perseverandum quamdiù hæc vita durat, quia incerta sit hora mortis, et adventus Domini longanimiter sit exspectandus.

Et ita, etc., id est, vigilantes, bonorum operum studio occupatos paratosque invenerit. Id qui fecerint, nec ob vitam longiorem vigilandi curam remiserint, beati sunt, illi cæteris etiam beatiores erunt, ampliora beatitudinis regnique cœlorum præmia consequentur ut quorum vigilia laborque diuturnior ac perseverantior fuerit.

Vers. 39. — Hoc autem scitote. Nam et hoc scitote.

Quia si sciret, quòd si scivisset.

Hora. Sic etiam est Græcè : Syriacè autem est *vigilia*.

Et non sineret, καὶ οὐκ εἴασε, et non sivisset, non permisisset.

Domum suam, parietes domûs suæ. Cùm ostia plerùmque firmiùs obstructa sint quàm ut possint à quoquam foris aperiri aut effringi, fures alias ædium partes tentant, ut ingressum sibi faciant. Subaudiendum est hìc, nec proinde rerum suarum damnum pateretur, aut passus fuisset. Nam, sive sermo sit de eo qui jam passus sit damnum, juxta Græcum, sive de eo qui passurus sit, juxta Latinum et Syriacum textum, eòdem res recidit. Cæterùm non est perfecta hæc similitudo, sed ex proximo versu, quo res ipsa explicatur, intelligitur supplenda hunc in modum : sed quia scire non potest paterfamiliâs, quâ horâ aut quo tempore fur venturus sit, eò quòd furis conditio sit, ut tempore veniat quod minimè sciatur, et quo minimè exspectetur, idcircò omni tempore vigilare debet, si vel quantùm possibile est, ut res suas à fure servet. Vel juxta Græcam lectionem : Sed quia scire non potuit quo tempore fur venturus esset, eò quòd fur illud tempus observet quo minimè omnium exspectetur, vigilâsset omni tempore, si possibile fuisset ; verùm quia impossibile est et abhorrens ab hominis naturâ, perpetuò esse vigilem, accidit ut passus sit damnum.

Vers. 40. — Et vos, omnes, exemplo animosi gnavique patrisfamiliâs, cui ad perpetuò vigilandum, non voluntas deest, sed naturæ possibilitas.

Estote parati, ad subeundum judicium Filii hominis, omni horâ seu tempore. Non dicit *vigilate* (jam enim subindicaverat, impossibile homini esse semper vigilare), sed *parati estote*, sic interpretans quod metaphorico sermone dixerat *vigilate ;* nam semper esse paratum, minimè impossibile est. Paratus enim semper est qui semper eo statu consistit quem Dominus requirit, qui semper eum vitæ statum tenet, qui Deo gratus est. Nam huic nihil periculi imminet à judicio Filii hominis, imò verò Filio hominis judice æternâ vitâ remunerandus est. Contra imparatus est, qui aliter se habet quàm præcipit Dominus, cujus vita seu conversatio eo statu est qui displicet Deo, dissentanea, inquam, à præceptis Dei : huic enim imminet à Filii hominis judicio discrimen extremum, quippe quo addicendus sit æternis suppliciis.

Veniet ad vos judicandos, in morte primùm, deinde et in resurrectione, furis scilicet instar, eo quo minimè putabitur tempore. Furi manifestè assimilat seipsum Christus, quod attinet ad diem adventûs sui, quemadmodùm frequenter alibi sacræ Litteræ, nominatim Apoc. 16, v. 15 : *Ecce venio sicut fur;* idque quia utriusque adventus incertus est et inopinatus, plerisque etiam omninò inexspectatus. Monet igitur Christus ut curemus nos ipsos omni tempore sic gerere et habere, ut quandocùmque venerit Dominus, inveniat nos paratos et in officio constantes, dignosque qui ipsius judicio ad cœlestia præmia assumamur. Porrò ut integer sensus superioris versûs ex hoc eliciendus fuit, ita est hujus ex illo, hunc in modum : Quòd si sciretis, quâ horâ Filius hominis venturus esset, in eam horam vos pararetis. « Tale quid autem est quod dicitur, inquit « Chrysostomus cum discipulis suis Tito et Euthymio : « Si scirent homines quando sunt potissimùm mori- « turi, eâ prorsùs horâ pœnitere studerent, et diligen- « tiam suam circa illam horam ostenderent. Ne igitur « illo solummodo tempore, sed continuè diligentes « sint, perque totam vitam magno studio satagant se « paratos tenere, et communem omnium finem, et eum « qui cuique proprius est, fecit Deus ut ignorarent, fu- « risque instar venturum prædixit. »

Vers. 41. — Ad nos, apostolos tuos solos, quos doctrinâ tuâ singulariter instruis, discipulosque tuos et aliorum doctores esse vis.

Hanc parabolam, hanc similitudinem et cæteras similes præcedentes, quibus ad vigilandum hortaris.

An et, an etiam, ad omnes, tum hujus tum futuri temporis homines? Dubitabat Petrus an ad omnes pertinerent istæ admonitiones, ut quædam aliquando Christus apostolis suis propria prædicabat et com-

quæ ab occasu incipit, non meminit, tum quia tantùm importunissimum inopinatissimumque tempus adventûs seu reditûs suis significari voluit, tum quia metaphoræ redeundi à nuptiis non ita congruunt illæ vigiliæ ; nec enim tam citò, nec tam serò rediri, sed circa noctis medium nuptiæ solvi solent. Scopus tamen est docere, quòd omni ætate, quamdiù hæc vita durat, sit vigilandum.

Vers. 40. — Estote parati. Quibus verbis explicat, quid sibi voluerit metaphora vigilandi. Vigilat autem seu paratus est, qui eo semper statu est, ut placeat Deo, et ipsi Deus : sic enim adventum Judicis non timebit, sed diliget, quâcumque horâ venerit. Quia qua hora non putatis, id est, non exspectatis, Filius hominis, instar furis, veniet, ad vos judicandos, sive in particulari judicio sive universali. Hanc Christi parabolam alludendo imitati sunt et explicuerunt Apostoli ; ut cùm Petrus, epist. 2, cap. 3, dixit : *Adveniet dies Domini ut fur ;* et Paulus, 1 ad Thess. 5, vers. 2 : *Ipsi diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet;* et ipse Christus, Apocal. 16, v. 15 : *Ecce venio sicut fur;* nimirùm quia adventus ejus incertus, inopinatus, et plerisque inexspectatus est ; ut sic, inquit Hieron., pendulæ exspectationis incerto semper credant esse venturum, quem nesciunt, quando venturus sit. Quamvis autem in commune omnes ad indefessam vigilantiæ curam adhortatus fuerit, speciatim tamen apostolis, hoc est,

mendabat : videbatur enim similitudo de servis vigilantibus, ad apostolorum ordinem præcipuè spectare.

Vers. 42. — Dixit, respondit. Non clarè respondet ad quæstionem, sed ita temperat responsum, ut non neget quidem pertinere ad omnes qui salvi fieri volunt; significet autem, ad Petrum et collegas ipsius, quos Ecclesiæ suæ præfecturus erat, præcipuè pertinere. Nam qui aliis præpositus est, multò majori vigiliâ curâque opus habet, ne videlicet non tantùm ipsum se, verùm et sibi commissos perdat.

Quis putas, *quisnam*. Admonitioni congruenti omnibus, subjicit aliam peculiarem apostolis suis reliquisque quos Ecclesiæ suæ præfecturus erat, ut quibus incumbere deberet singularis vigilandi necessitas, et cura non tantùm suî ipsorum, verùm etiam aliorum; quos priùs quidem præmiis allicit ad præstandum officium, postea terret suppliciis, si defuerint. Quare Hilarius hunc in locum : « Quanquàm in commune nos « ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur, specia« lem tamen populi principibus, id est, episcopis, in « exspectatione adventûs sui sollicitudinem mandat. » Cæterùm, quod monet Chrysostomus, potest parabola hæc suo modo accommodari omnibus qui quovis modo præsunt aliis, vel ad erogandam dispensandamque quam Deus concesserit pecuniam.

Fidelis, fidus.

Dispensator, œconomus. Matthæus simpliciter dicit, *servus;* Apostolus utrumque jungit, 1 Cor. 4, v. 1 : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

Et prudens. *Fidelis,* ut non fallat; *prudens,* ut non fallatur; *fidelis,* ut non quæ sua sunt sed lucrum domini et conservorum salutem sincerè quærat; *prudens,* ut mediis ad hoc utatur quàm maxime propriis; *fidelis,* ne neget conservis cibum debitum; *prudens*, ut distribuat, judicio adhibito, qualem quantumque cuique oportet; *fidelis* denique, ne retineat aut consumat in usum proprium ea quæ sunt conservorum; *prudens,* ut dispenset ea conservis tempore opportuno : beneficium enim non suo tempore datum, frustraneum redditur, et beneficii nomen amittit. « Utrâque « igitur re opus est, inquit Chrysostomus, ne scilicet « quæ domini sunt ad proprios usus rapiamus, et ut « opportunè omnia dispensemus. Nam si alterum ho« rum absit, ejus absentiâ alterum omninò claudicat. » Si enim fidelis quis fuerit, sed non prudens, plus sæpè obest quàm prodest : si verò prudens, sed non fidelis, is tantò intolerabilior, quantò prudentior : utrovis autem modo pereunt res domini.

Constituit; Græcè, *constituet.*

Dominus suus; foràs proficiscens. *Dominus*, ipsum, non ipse se.

Supra familiam suam, super domesticos suos; quem præfecit reliquis servis suis.

Ut det, ut dispenset seu subministret : non tam ut accipiat, quàm ut det.

Illis, reliquis servis. Hoc addit interpres claritatis causâ.

In tempore, tempore opportuno : quotidiè in prandio et in cœnâ, vel quâlibet hebdomade aut mense, pro more patriæ. Ponit Christus patremfamiliâs, cui amplum sit famulitium, eumque humanum et benignum, qui foràs profecturus unum ex servis suis præficiat reliquis, cui mandet curam aliorum, ut illis operi suo incumbentibus, prospiciat temporibus opportunis de cibo; in quo servo requirit fidem et prudentiam, qualem descripsimus. Porrò huic patrifamiliâs tacitè se comparat Christus, qui brevì ex hoc mundo iturus ad Patrem, aliquos ex servis suis præfecturus erat reliquis, qui reliquos cœlestis doctrinæ et divinissimorum sacramentorum pabulo, quo cibarentur et alerentur in vitam æternam, ipsius vice pascerent, et saluti tam illorum quàm suæ invigilarent, nec ullo unquàm opportuno tempore ab opere cessarent, donec ipse à dexterâ Patris ad visitandum et judicandum omnes rediret. Ab his exigit fidelitatem et prudentiam; fidelitatem ne docere aut regere negligant, vel, quod sit pejus, verbo aut exemplo seducant, suæ curæ commissos; prudentiam, ut quàm opportunissimè faciant, quæ sui officii sunt, eâque ratione quâ optimè Deo aut custodiant aut lucrifaciant sibi creditos. Altera harum virtutum si desit, non satisfaciunt illi officio, imò perdunt animas sibi commissas; quanquàm Apostolus, 1 Corinth. 4, v. 2, non requirat nisi fidem, et prudentiam scilicet includens fidei, tametsi ad hunc Evangelii locum videatur alludere. Hinc igitur summi Ecclesiæ præsules, episcopi dicti sunt, tanquàm inspicientes et advigilantes ne desint necessaria.

Tritici, id est, frumenti (species pro genere); mensuram, σιτομέτριον. Vox composita ex σῖτος, quod nunc frumentum, nunc quemlibet cibum, et μέτρον, quod mensuram significat. Dabatur enim servis olim cibus certâ mensurâ, nominatim verò frumentum, cujus quaternos modios apud Latinos accipiebant in mensem, quod quidem *demensum* dicebatur, sive à mense, sive à mensurâ. Matthæus, cibum seu alimentum vocat. Quare verisimile est, et Lucam intelligendum,

inquit Hilarius, populi principibus, seu episcopis, in exspectatione adventûs sui sollicitudinem mandans, addit :

Vers. 42. — Quis putas, etc. Unde Ambros. in Præfat., lib. 5 de Fide, exponit hæc de Petro. Pro, *quis putas*, Græcè est, *quisnam?* sic enim subinde noster Interpres illud ἄρα, per *putas* reddit. Est fidelis, etc. Alludit autem ad divitem patremfamiliâs (cui se tacitè hìc Christus comparat) qui peregrè proficiscens unum ex famulis præficiat toti familiæ, cui in tempore, scilicet opportuno, singulis sive diebus sive septimanis, det alimentum congruum, quod eis debetur; tritici, id est, frumenti, mensuram, ubi alluditur ad antiquum morem, quo servis dabatur in singulos menses certa frumenti mensura ad victum, quod vel à mense vel metiendo demensum dicebatur, ex quo aliquid parcentes poterant augere peculium suum. Hic ergò œconomus seu famulitio præpositus, quem Lucas *dispensatorem* vocat, debet esse *fidelis et prudens :* fidelis, ut non fallat, prudens, ut non fallatur; fidelis, ut non sua, sed lucrum domini, hoc est, salutem familiæ ejus quærat; pru-

non tantùm de frumenti, sed et de cujusvis cibi mensurâ : nec enim solo frumento servi alebantur, præsertim ab humanis patribus-familiâs, qualem hìc ponit Jesus, cui magna fuerit cura de servis. Est et spiritalis animæ cibus, ecclesiastico œconomo, mensurâ dispensandus, prout vel necessitas vel capacitas requirit, eorum quibus præfectus est.

VERS. 43. — BEATUS ILLE, q. d., rarus est hujusmodi servus, sed beatus quisquis tandem hujusmodi est. *Non enim ignorans dixit quis putas est, sed ut quod rarum est ac multò dignum honore demonstraret;* ita Titus. Raros fore significat Ecclesiæ suæ præfectos qui benè præerunt, qui populum christianum sibi commissum fideliter prudenterque recturi sint, sed ter quaterque beatos fore quicumque hujusmodi sint futuri.

CUM VENERIT, cùm redierit, quantùmcumque tardè aut ex improviso. Non enim fecerat eum dominus, temporis quo rediturus esset certiorem, ut perpetuâ sollicitudine in officio contineretur.

ITA FACIENTEM, id est, fideliter et prudenter reliquis quibus præpositus fuerat servis administrantem cibum temporibus congruis, sicut ipsi fuerat præscriptum. *Beatus ille* episcopus omnisque ecclesiasticus præfectus, *quem cùm venerit* ad judicium DOMINUS, sive in vitæ, sive in mundi fine, qui ex improviso utique veniet, quâque minimè exspectabitur horâ, INVENERIT judicaveritque, attentum in officium suum, suo gnaviter fungentem officio pascendi regendique populi. *Sic*, inquit, *facientem*, ipso nimirùm actu momentoque quo venerit dominus : non enim sufficiet benè aliquando fecisse, nisi ad adventum usque suum perseverantem dominus invenerit.

VERS. 44. — SUPRA OMNIA. Super omnes divitias, facultates, et res suas, super universam substantiam suam, non tantùm super servos suos eorumque cibos. Quia servos, quibus præpositus fuerat, fideliter prudenterque rexit, administrans eis cibum in tempore, expertus dominus illius fidem ac diligentiam in cibis servorum, credet ei, non servos solùm servorumque cibos, verùm etiam thesauros, divitias, et bona sua omnia, ut ea omnia administret, et primus ipse eis utatur fruaturque. Præficiet eum omnibus bonis suis, et veluti rerum omnium consortem habere dignabitur, ita ut propemodùm domino æquetur suo, quo modo Pharao honoravit Josephum, Gen. 41, v. 40, et deinceps. His significatur singularis beatitudinis gradus, respondens merito eorum qui populo christiano præfecti, fideliter prudenterque id munus obierint. Non tantùm enim populo illi præferentur, quemadmodùm hâc in vitâ; verùm etiam dominabuntur omnibus creaturis, cœlestibus ac terrestribus, et conregnabunt cum Christo, cui omnia tradidit Pater; non soli quidem assecuturi æterna præmia, sed cæteris ampliori fruitione possessioneque cœlestium et divinorum omnium bonorum honorandi ac beandi. Quemadmodùm Adam in statu innocentiæ dominabatur omnibus creaturis; ita electi à resurrectione recuperabunt hoc donum; verùm longè excellentiùs illi qui non se solos, sed et alios, ad vitam æternam adduxerint.

VERS. 45. — ILLE, id est, hujusmodi, constitutus scilicet super famulitium domini sui.

IN CORDE SUO. More Hebraico dictum est, in corde dicere, pro, occultâ persuasione teneri, ita affectum esse ac si ore diceres, quanquàm non facilè hoc ore exprimas.

MORAM FACIT, tardat; jamdiù reditum distulit, nec etiamnùm citò rediturus est. Inibo igitur aliam rationem gubernandæ familiæ, auctoritatemque mihi, non servi, sed domini usurpabo. Testantur enim mores hujus, quòd non ductus desiderio adventûs domini, dicat : *Moram facit dominus,* etc., sed amore vitiorum, tædioque perseverandi in officio et timore domini, quemadmodùm adnotat Augustinus, epist. 80. Significat Christus hujusmodi fore plures Ecclesiæ suæ præpositos, qui, ex absentiâ ipsius et judicii tarditate, acceptâ occasione, delegatâ præfecturâ abutentur; longiore Domini morâ confisi, inopinatum ejus adventum non cogitabunt, longos sibi vitæ annos pollicebuntur, diemque illum quo reddenda sit ratio fingent nunquàm venturum, postremò absentiæ Christi prætextu impunitatem sibi promittent in corde suo. Hanc discimus hìc, causam esse vitæ impiæ multorum Ecclesiæ præfectorum, ita ut pro libidine quidvis audeant absque ullo Dei metu.

ET CŒPERIT, ac perrexerit, tanquàm domino nunquàm aut serò admodùm venturo, hâc, inquam, re confisus. Multi initio, cùm præfecturam acceperunt, rectè se gerunt, adventum timoremque Domini habentes præ oculis, sed postquàm præfectura ipsis, temporis lapsu usuque, stabilita videtur, exuunt timorem Domini, et tanquàm agnata ipsis præfectura perpetua foret, nec Dei judicio obnoxia, incipiunt agere omnia pro libitu.

PERCUTERE, pulsare, verberare, injuriâ afficere,

dens, ut cum judicio illud faciat, id est, mediis utatur idoneis. Dicit igitur : *Quis putas?* q. d., quàm rarus est! Et ideò etiam,

VERS. 43. — BEATUS ILLE SERVUS, quisquis ille fuerit præfectus familiæ, id est, Ecclesiæ Christi, QUEM CUM VENERIT DOMINUS EJUS, in fine sive vitæ sive mundi, INVENERIT ITA FACIENTEM, scilicet fideliter et prudenter incumbentem officio suo. Unde August., epist. 148 : Nihil in hâc vitâ difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio (qui omnes in populum officium habebant); sed apud Deum nihil jubeas, si eo modo militetur, quo noster imperator jubet.

VERS. 44. — SUPER OMNIA BONA SUA, id est, non solùm super famulitium, sed quia fidelitatem ejus expertus est, super omnes divitias suas, CONSTITUET ILLUM, penè parem sibi. Quo significatur præcellens beatitudinis gradus, qui fidelibus præfectis Ecclesiæ à Deo tribuendus est.

VERS. 45. — SI AUTEM ILLE SERVUS DIXERIT IN CORDE SUO : MORAM FACIT DOMINUS, etc., id est, ex longâ morâ et absentiâ Christi longos vitæ annos et impunitatem sibi pollicendo. ET CŒPERIT PERCUTERE SERVOS, id est, cœperit, non tantùm non fungi officio, sed dominari velle in clero, abutendo potestate suâ in aliorum injurias ac tyrannidem, ET

non tantùm non cibare et pascere ac regere, verùm etiam opprimere et injustè tractare, ac potestate ad servorum bonum sibi datâ, ad tyrannidem abuti; non tantùm non docere, rebus sacris imbuere, et juxta Christi leges gubernare, verùm etiam exemplo, si non verbo quoque, à rectâ fide aut piâ vitâ deducere, et constantes variis modis vexare. « Percutere est injustè « percutere, inquit auctor Imperfecti; qui autem pro- « pter justam causam percutit, etsi percutiat, percu- « tere non videtur. Sicut enim justa ira, non est ira, « sed diligentia, sic justa percussio non est percussio, « sed correctio. »

Servos, quibus ipse conditione nihil melior est, servus, inquam, quales ipsi, præter hoc solum quòd superiorem obtineat locum.

Et ancillas. Ancillarum non meminit Matthæus, sed intelligendum relinquit in famulitio amplo non defuisse ancillas, si non alias, certè uxores servorum.

Et edere, et bibere, et inebriari, id est, comessationibus ac potationibus se addixerit, bonis administrationi ipsius à domino concessis abutens ad suas voluptates, *et præsentium tantùm curam in cultu ventris exercens,* quod ait Hilarius. Non necesse est ut potatio ad ebrietatem usque progrediatur quâ obruatur usus rationis : sufficit si reddat ineptum ad obeundum officium, tempusque consumatur potando, quod sollicitudini ac labori tribuendum est, et neglectâ curâ conservorum, et societate optimorum quorumque, conversetur cum ebriosis, comessationibus et potationibus vacans, et in hæc substantiam domini sui Christique patrimonium expendens ac prodigens. Non latuit Filium Dei, quales futuri essent mores plerorumque Ecclesiæ suæ præfectorum : nihil enim absurdi, verbis istis, non minas tantùm, sed et prophetiam contineri. Omnium autem criminum in præfectis, duo summa capita hìc licet observare : alterum est, injuriæ faciendæ cupiditas et audacia, quo comprehenditur neglectus salutis subditorum ; alterum est, voluptatum studium. Porrò illud ad hoc tanquàm ad finem refertur : facit enim quis injuriam aliis, ut suis commoditatibus ad voluptatem propriam consulat.

Vers. 46. — Veniet dominus, ad eum judicandum. En servi nequam supplicium et pœna. Principio spe suâ frustrabitur, veniet enim dominus, et maximum ipsi terrorem incutiet inopinatus ejus adventus.

Non sperat, non exspectat, scilicet eum venturum, imò hora qua putat eum adhuc longè abesse.

Dividet. *Non lenem patremfamiliâs, sed severissimum sentiet judicem*, inquit Hieronymus. *Dividet autem*, ait, *non quo gladio eum dissecet, sed quo à sanctorum consortio eum separet. Dividet* igitur *eum*, id est, in hoc malitiæ statu inventum amputabit seu separabit à familiâ suâ, ab officio amotum ejiciet ex numero servorum suorum familiarium.

Partemque ejus. Dabit ei talem partem, id est, hæreditatem, sortem, conditionem, qualem infidelibus, consortem eum faciet infidelium. Similis loquendi modus est, Job. 20, v. 29 : *Hæc est pars hominis impii à Deo;* Job. 27, v. 13 : *Hæc est pars hominis impii apud Deum;* Psal. 72, v. 26 ; *Pars mea Deus in æternum*, et alibi, desumptus à divisionibus hæreditatum, ut et alii similes : *Dominus pars hæreditatis meæ*, etc. Significatur igitur, non qualiscumque pars, sed stabilis, hæreditaria, æterna, perpetuâ, inquam, hæreditate possidenda.

Cum infidelibus, id est, cum infidis servis reliquis, ipsius similibus, qui domino suo fidelis non fuit. Vel certè, digreditur hâc voculâ Dominus à parabolâ ad rem significatam, ita ut *cum infidelibus*, idem sit quòd cum iis qui non crediderint in Christum quorum certum judicium damnatioque est. Joan. 3, v. 18 : *Qui non credit, jam judicatus est.* Ille qui Christi fidelibus præfuerat, infidelium erit socius et cohæres in pœnâ.

Vers. 47. — Ille autem servus. Addit discrimen inter malos servos, quòd alii duriùs, alii mitiùs sint puniendi, ut majorem terrorem incutiat illi malo servo, de quo proximè egit, familiæ præfecto.

Qui cognovit voluntatem domini, qualis est ille quem dominus constituit super familiam suam; cui ut concredidit dispensationem rerum suarum, ita et communicavit cum eo arcana omnia consilii voluntatisque suæ. *De futuris pastoribus est hìc sermo,* inquit Euthymius : pastores enim Ecclesiæ inprimis noverunt, aut certè nôsse debent, quid Dominus ab ipsis et ab unoquoque requirat ac fieri velit : quos Paulus alloquens ait : *Non enim subterfugi, quominùs annun-*

inebriari, id est, comessationibus ac voluptatibus suis indulgeat, et ita Christi patrimonium prodigat. Ubi ad duo capita vitiorum revocantur omnia præfectorum crimina, ad voluptates et injurias, id est, ad flagitia et facinora : illa ad corrumpendum se, hæc ad nocendum aliis committuntur. Sed, ut Aug., lib. 3 de Doct. christ., c. 10, flagitia priora sunt, et facinorum fontes : facinora enim committuntur, ut removeantur impedimenta flagitiorum, aut adjumenta quærantur.

Vers. 46. — Veniet dominus servi illius, ad judicium. Adhuc enim perseverat Christus in inculcandâ incertitudine adventûs sui novissimi; sub quo adventum suum ad judicandum unumquemque in horâ mortis intelligit. In die, qua non sperat, Græcè *quâ non exspectat;* imò longè adhuc abesse putat. Et dividet eum, à conservis, id est, separabit ab officio, et de familiâ suâ ejiciet. Idem enim supplicium ei infligitur, quod Matth., c. 22, v. 13, invento sine veste nuptiali, qui è convivio ejectus fuit. Partemque ejus cum infidelibus ponet, id est, conditionem, sortem ac hæreditatem ei talem dabit, qualem habent et merentur omnes impii. *Pars* autem significat sortem stabilem alicujus, et consequenter æternam, quam quasi hæreditatem sibi assignatam possidet. Unde simili phrasi dicitur Job 20, v. 29, et Job 27, v. 26 : *Hæc est pars hominis impii apud Deum;* et Psal. 10 : *Ignis sulphur pars calicis eorum.* Unde subito transitu à figurâ significante ad rem significatam aperiens parabolam addit : *Illic*, in parte hypocritarum seu impiorum, *erit fletus et stridor dentium.*

Vers. 47. — Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, qualis ille qui constitutus fuerit super familiam; ille enim tanquàm habens concredita sibi omnia patrisfamiliâs secreta, scit aut scire debet voluntatem ejus. De episcopis enim futuris sermo est, ut Euthymius notat. Et non præparàvit,

tiarem omne consilium Dei vobis, Act. 20, v. 27.

Et non præparavit. Et non paravit, comparavit, disposuit, gessit, habuit, scilicet se.

Et, pro, *id est;* non fecit : hoc Syrus omisit, ut contentum in verbo parandi.

Secundum voluntatem ejus, secundùm quod noverat dominum præcepisse ac velle. Hoc, utrique verbo *præparavit et fecit,* æquè jungendum est : nec solùm negativè intelligendum, verùm etiam affirmativè, fecit contra voluntatem Domini, transgressus est præcepta Domini.

Vapulabit, cædetur, multis plagis; graviter punietur. Persistit in metaphorâ servorum, quorum propria pœna sunt verbera. Graves redeunti à nuptiis Domino dabit pœnas. Ita se res habet in rebus humanis, ita et in divinis. Quo perfectior cognitio, hoc gravior condemnatio, si Dei mandata quæ nôsti prævariceris; si quod Dominum exigere abs te scis, consultò omittas; est enim hoc peccatum ex contemptu Domini et certâ malitiâ profectum, quod nullam admittit excusationem. Quare ut copiosior contingit scientia, ita augetur pœnæ materia, nisi obedientia et promptum accedat obsequium.

Vers. 48.—Qui autem non cognovit, scilicet voluntatem domini; qui voluntatem domini non perinde habuit exploratam, quales plerùmque sunt inferiores servi, qui servo œconomo subsunt, quibus dominus non ita familiariter declarat mentem suam, sed relinquit declarandam per œconomum suum, quantùm ipsis est opus. Hi frequenter ignorant voluntatem domini, vel quòd non doceantur ab œconomo, vel quòd ipsi discere negligant. *Significat fidelem,* inquit Euthymius, *ignorantem ex ignaviâ ac ruditate Dei voluntatem.*

Et fecit digna plagis, et tamen ea fecit, quæ contra eam sunt, quæ nimirùm dominus prohibuit cum plagarum seu supplicii interminatione.

Vapulabit paucis, paucioribus scilicet plagis (quam vocem Syrus repetit claritatis causâ) eo qui novit : est enim comparatio utriusque inter se; minùs graviter punietur; quanquàm etiam in æternum et pœna æterna, quando peccata ex genere mortalium sunt. « Nam multas et paucas plagas accipere, inquit Basi-« lius, quæst. 267, inter breves, non finem supplicii, « sed differentiam significat; nec in temporis exten-« sione aut complemento, sed in supplicii differentiâ « contingit, nempe ut igne inextinguibili uterque di-« gnus sit, sed unus mitiùs, alter acriùs ardente. » Levior ergo seu minùs gravis pœna hunc manet, non tamen impunitus abibit. *Atqui ignorabat voluntatem domini,* objicit Euthymius. *Sed tamen ita quoque vapulabit,* respondet : *cùm enim scire potuisset, non scivit,* sed, quod Titus addit, *discere neglexit.* Eadem habet Theophylactus. Non enim de ignorantiâ invincibili hìc agitur, quam superare nequeas; nam hæc prorsùs aufert peccati rationem; sed de ignorantiâ earum rerum quas scire quis tenetur et potest; nec tamen de affectatâ ignorantiâ, quâ quis consultò vitat scientiam, ne cogatur benè agere, de quâ Psalmus 35, v. 4 : *Noluit intelligere ut benè ageret;* hæc enim auget peccatum, non minuit; sed de ignorantiâ simplici, quâ quis neglexit scire quod potuit et debuit; illa si sit conjuncta peccato, minuit ejus gravitatem, ita ut minori pœnâ plectendum sit, non tamen eximit ab omni pœnâ. Nam si hoc juris sibi postulat mortalis homo, ut de suâ voluntate servos velit inquirere, ne quid temerè vel confusè domi geratur; quantò major Filio Dei debetur auctoritas, ut quicumque illi serviunt, sollicitè doceri se curent mandata ejus? Sed si servus qui imprudens labitur, pœnam non effugit, quid fiet perverso et rebelli? quàm horribilis vindicta, consultò peccanti impendet! Id notant Titus et Theophylactus. Hic, quemadmodùm dictum est, longè duriùs tractabitur quàm ille : quia in illo non tantus contemptus domini est, quantus in hoc, qui velut datâ operâ imperium domini sui conculcat. *Hic siquidem despexit,* ait Euthymius, *ille verò segnis fuit : gravior est autem segnitie contemptus.* Intelligenda est autem sententia de eodem genere rerum, et positis cæteris paribus, quemadmodùm solent hujusmodi comparationes.

Omni autem. Syrus, *omni enim :* datur enim ratio illius discriminis, cur gravior pœna sit ejus qui quam noverat domini voluntatem non fecit; quanquàm ratio generalis sit, quæ non solùm scientiæ donum, sed et alia quæcumque Dei dona tangat, sumpta à rebus humanis, ubi sic fieri solet, ut quo quis plura beneficia in aliquem contulit, eo plus gratitudinis vicissim ab ipso postulet.

Cui multum, multa dona, gratia copiosa aut multiformis; exempli causâ, multa eximiaque scientia voluntatis ac mysteriorum Dei, *magna gratia intellectûs divinæ voluntatis,* ait Euthymius.

id est, nequidem animum suum composuit, ut voluntatem Domini faceret, et proinde etiam non fecit; vapulabit multis; gravior est enim cognitæ veritatis et præcepti prævaricatio.

Vers. 48. — Qui autem non cognovit voluntatem Domini, quales plerùmque magis esse solent servi inferiores, et tamen fecit digna plagis, à Domino scilicet prohibita, quæ ipsius erat noscere et culpabiliter nescit; vapulabit paucis, id est, paucioribus quàm ille qui novit : vapulabit tamen. Unde Basil., quæst. 267, inter breviores, notat significari discrimen pœnæ non in æternitate, sed in acerbitate tantùm, hoc est, utramque æternam fore, unam tamen alterâ mitiorem. Ne verò res suas in tuto positas existimarent, si neque scienter, neque ignoranter prævaricarentur officium, mox addit, etiam de bonis operibus reddendam esse rationem; quòd omni cui multum datum est, id est, qui multis Dei donis ornatus fuerit, sive illa sit scientia voluntatis Domini, sive aliud quippiam, multum quæretur ab eo, id est, multùm reposcetur in judicio, cùm Dominus à nuptiis redierit, videlicet rectus usus singulorum, et lucrum ex eis. Unde Gregor., hom. 9 in Evang. : Cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Nam inter homines quoque pluribus affectus beneficiis plus debet gratitudinis. Et cui commendaverunt multum, id est, cujus fidei magna functio fuerit concredita, scilicet salutis aliorum procurandæ. Videtur enim hìc distingui datum à commendato, ut datum referatur ad donum, quod propriam salutem spectat, commendatum ad alienam. Plus petent ab eo, quia reddenda erit ei ratio etiam de animabus alienis. Itaque clarè

DATUM EST, à Deo.

MULTUM QUÆRETUR, multùm requiretur, poscetur AB EO; exempli causâ, exacta observatio voluntatis Dei. *Quæretur* autem, in judicio, tam particulari, quàm universali, Domino à nuptiis redeunte. Tunc enim de omnibus Dei donis exigetur ratio, an ut oportuit usi eis fuerimus, an non usi, quin potiùs abusi. Hâc enim lege data fuerant singula, ut olim reddenda esset ratio. Tunc difficile erit de multis respondere, rarique, eorum qui multa acceperint, erunt, qui omninò satisfaciant, nec incurrant pœnam. Nam si non tantùm inveniatur in nobis, quantùm justo Dei judicio quæretur, damnabimur ad pœnam pro merito, prout plus minùsve nobis defuerit. Hoc est quod D. Gregorius ait, homiliâ 9 in Evangelia: *Cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.* Dicat aliquis: Præstat igitur ignorare voluntatem Domini, nec laborare ut ad ejus cognitionem pervenias. Qui id ex composito faciat, non se eximat à majoribus plagis aut pœnis, sed coacervet sivi potiùs majores ac majores, quia affectet ignorantiam, habendus, non ignorans, sed contemptor (quod docet Beda) ex eorum numero de quibus scriptum est: *Dixerunt Deo: Recede à nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus,* Job. 21, v. 14. Hujusmodi ignorantia non excusat, non minuit delictum, sed magis accusat atque aggravat. Ex magnâ enim peccandi libidine provenit, cùm vult aliquis ignorare illud, cujus scientia posset eum à peccato retrahere.

ET CUI COMMENDAVERUNT MULTUM, phrasis Hebraica, quâ persona tertia pluralis impersonaliter usurpatur, pro, *et cui commendatum est multum,* cujus fidei multa commissa sunt, cujus fidei lata ac magna functio delegata est procurandæ salutis aliorum, etc. Videtur enim *datum* referri ad hujusmodi dona, quæ ad illius propriè salutem faciunt cui data sunt; *commendatum* autem, ad ea quæ propriè ad aliorum salutem conducunt, ut auctoritas, præfectura. *Multùm commendatur ei,* inquit Beda, *cui cum suâ salute, dominici quoque gregis pascendi cura committitur.*

PLUS; non plus quàm sit ipsi commendatum, sed plus quàm ab eo cui minùs commendatum seu commissum est.

PETENT, petetur, scilicet judicio, quemadmodùm mox, pro ratione magnitudinis multitudinisque commissorum. His enim reddenda erit ratio, non tantùm de suis, sed et de aliorum animabus, prout loquitur Apostolus, Hebr. 13, v. 17. *Hæc clarè indicant,* inquit Titus, *doctorum pastorumque judicium, cæterorum non parùm gravius periculosiusque fore.* Quare ut quisque majoribus donis excellit, nisi tanquàm ager majori impensâ excultus, proventum uberiorem domino afferat, magno illi constabit, vel inutiliter suppressæ, vel profanatæ gratiæ abusus. *Itaque potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio,* quod huc affert Beda, ex Sap. 6, v. 7. Summa dictorum jam inde à v. 40, est, quòd majora Dei dona, et commissa dispensatio amplior, apostolos et alios quoscumque, non insolentiores reddere debeant, sed sollicitiores et vigilantiores.

VERS. 49. — IGNEM, etc. Quæ sequuntur deinceps aliquot versibus, alio videntur loco et tempore, aut certè aliâ occasione, dicta fuisse; non enim cohærent præcedentibus: inter se autem ita cohærere dicas, ut ad eamdem sententiam referenda sint. Et omninò videtur hic locus Lucæ idem esse cum illo Matthæi cap. 10, v. 34: *Nolite arbitrari quia pacem veni mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.* Cui sententiæ astipulatur Tertullianus, ubi ait contra Marcionem disputans, lib. 4, cap. 29: *Ipse meliùs interpretabitur istius ignis qualitatem adjiciens;* infra, v. 51: *Putatis venisse me pacem mittere in terram? non, dico vobis, sed separationem. Igitur ignem eversionis intendit, qui pacem negavit. Quale prælium, tale et incendium.* Quare ut secundùm Matthæum gladii, ita hìc ignis nomine, rerum perturbatio intelligenda est quam parit Evangelii doctrina seu prædicatio non suâ naturâ, sed malitiâ hominum. Dicit ergo Dominus: Veni ad hoc ut immittam ignem in terram, ut incendam universam terram, et universos terræ incolas conturbem et excitem ad concurrendum, tanquàm ad incendium restinguendum; quia veni ut curem per universum terrarum orbem spargi doctrinam, quam plerique terricolarum habituri sunt pro igne, quo terra et mundus universus conflagret atque evertatur; eò quòd regnantem ubique idololatriam et scelerum colluviem abolere atque in cineres redigere sit conatura. Quocirca ad eam evertendam magnis excitatis tumultibus concurrent, et adversùs ejus prædicatores, legatos meos, tanquàm incendii auctores, extinguendos conspirabunt, et persecutionis atque afflictionis igne eos adurent. Venit autem Christus ut hujusmodi perturbationem efficiat, quia nihil obstante eo, quòd præsciret ex Evangelii prædicatione hujusmodi perturbationem, hominum malitiâ, secuturam, voluit Evangelium prædicari, et per universum terrarum orbem spargi.

ET QUID VOLO, aliud; nihil aliud volo, nihil magis aut æquè cupio, vel *quid volo,* pro quàm volo, quod sit, valdè volo, vehementer opto.

indicat doctorum pastorumque judicium, cæterorum judicio non parùm gravius et periculosius futurum.

VERS. 49. — IGNEM VENI MITTERE IN TERRAM. Persecutionem quidam recentiores intelligunt; sed certè non rectè dicitur Christum velle ut illa accendatur, cùm eam tantùm permittat. Nec quisquam sanctiùs eam optat in se accendi; nam, ut August., 10 Confess.: Nemo quod tolerat, amat, tametsi tolerare amat. Rectiùs ergo dicitur, *ignem* esse charitatem, prout exponitur apud Ambr., serm. 13 in Psal. 118, et apud August., serm. 108 de Tempore. Cum quo in idem redit, quod plerique veteres intelligunt Spiritum sanctum, ut Greg., hom. 30 in Evang., et alii, quatenùs scilicet non in se, sed in hominum cordibus ardet, et omnes immunditias consumit. ET QUID VOLO, id est, quid aliud volo, seu quantoperè, quàm unicè desidero, UT ACCENDATUR, ad magis magisque benè orandum, et benè utendum donis Dei? Nam per hanc sententiam Christus declarat suæ voluntatis esse, ne dona et commendata, de quibus versu præced., sint

NISI UT ACCENDATUR hic ignis, nisi ut tumultus isti exoriantur? Græcè legitur, *si jam accensus est.* Interpres Latinus, loco indicativi fortè legit infinitivum, *quàm jam accensum esse.* Cæterùm Theophylactus, vulgatam Græcè lectionis scripturam exponit, ut Latinus Interpres vertit, *si* accepto pro *ut*, quod frequens est; ut jam accensus sit, quantùm volo ut jam accendatur? *Urget, enim* inquit Theophylactus, *ut accendatur ignis ille.* Verba sunt accersentis atque provocantis ignem et gladium, quibus omnia persecutionum genera designantur; non quòd per se desideret tumultus oriri, et persecutiones adversùs Evangelii sui prædicatores excitari, sed quòd desideret spargi doctrinam Evangelii per universum terrarum orbem, quamvis id sciat non futurum citra graves tumultus et suorum afflictationes. Excitat itaque et animat suos ut nequidquam obstantibus turbis et persecutionibus, doctrinam Evangelii per universum mundum disseminent, quamvis totus conflagrandus videatur orbis, et cœlum terræ miscendum, non sine ipsorum inprimis afflictione.

VERS. 50. — BAPTISMO AUTEM. Sed priusquàm id fiet ut ignis ille accendatur et extendatur per orbem terræ universum, ego HABEO BAPTIZARI; phrasis Græca, pro, *sum baptizandus.*

BAPTISMO. Βάπτισμα, baptismum, altera phrasis Græca, voce tamen ex Hebraicâ phrasi repetitâ, Græcè Latinèque superfluâ; baptizandus sum, id est, immergendus tribulationibus, abundantiâ tribulationum opprimendus et interficiendus. Afflictio, nunc igni, nunc aquæ comparatur; quæ cum morte conjuncta, est quasi per medias aquas transitus ad cœlestem gloriam, in ulteriore ripâ constitutam. Quia formidabilis erat illa, cujus meminerat, concussio, et plenum terroris illud incendium: primitias persecutionis mox in suâ personâ edendas esse docet, ne deinde grave sit discipulis, partem aliquam ferre.

QUOMODO, quantoperè, non est interrogantis, sed exclamantis, ita ut quàm maximè affirmet.

COARCTOR, angor; USQUE DUM PERFICIATUR, donec perfectus sit baptismus ille, usque quò pertransierim torrentem illum, psalmi 123, v. 5. Maximoperè me coarctat, angit et contristat dilatio passionis; desiderem quàm ocissimè obvenire et perfici. Solent anxiorum corda contrahi, et quasi comprimi, ob dilationem rei desideratæ. Euthymius exponit: *Velut anxius sum propter tarditatem;* Theophylactus: *Et quomodo constringor, id est, quàm sollicitus et anxius sum ac premor, donec perficiatur! sitio enim mortem pro omnium salute.* Quasi impatientis amoris sunt verba, cui omnis mora longa videbatur, exspectanda enim erat hora à Patre constituta; non tamen suâ, sed nostrâ causâ; non ut se corpore, sed ut nos peccato liberaret, et suo perfunctus munere, Patris satisfaceret voluntati. Significatur vehemens desiderium tolerandæ passionis ac mortis. Atqui instantem mortem deprecatus legitur Christus infra 22, v. 42. Verum est quidem, sed illic exprimendam duxit affectionem naturæ, hic verò rationis et voluntatis. Dicit ergo Christus: Ne arbitremini quòd ideò securus optem ignem illum in terrâ accendi, quem ex prædicatione Evangelii mei accendendum novi, quia ignis ille me non tanget seu affliget, sed solummodò discipulos meos. Ego primus, ducis instar, torrentem aquarum intolerabilem permeabo, et mortem subibo, quam modis omnibus velim quàm primùm subire me posse (adeò dilatio me cruciat plurimùm) quia Evangelium meum non priùs per orbem terrarum est divulgandum: postquàm autem eam subiero, hinc prælucebit discipulis meis ex me constantiæ exemplum, hinc merito mortis meæ illa discipulorum meorum inter tribulationes prædicatio multis evadet fructuosa.

VERS. 51. — QUIA PACEM VENI, quòd advenerim ut dem pacem in terrâ. Præmonet Christus discipulos suos ne turbentur, si exoriente Christi regno, surgant tumultus; et dùm Evangelium annuntiabunt, suâ voce quasi tubâ militari innumeros hostes ad arma concitent.

Nolo quisquam meorum me ad hoc venisse putet ut mundo pacem afferam, quâ homines omnes inter se concordes agant, pulchrèque inter eos conveniat, animis, morbis, vitiisque, sive iisdem sive diversis laborantes; eam enim vocant homines pacem, externam et politicam. Non est illis curæ si veritatis justitiæque habeatur ratio, modò benè inter homines conveniat. Veram Christi pacem, quæ potissimùm animi est et hominis cum Deo, non noverunt, Joan. 14, v. 27.

DARE. Præscivit Salvator non omnes (licèt id ipse optaret, omnes autem etiam deberent) Evangelio obtemperaturos, imò multos Evangelium oppugnaturos, ac proinde tumultus varios ac dissidia excitanda. Quando igitur eo non obstante quòd istud præsciret, in terram venit ut Evangelium divulgaret, et, reliquis

otiosa. Et quia ignis ille incensæ charitatis per Domini passionem in hominum cordibus maximè accendendus erat, hinc adjicit de suâ passione:

VERS. 50. — BAPTISMO, sanguinis mei, HABEO BAPTIZARI, id est, baptizandus sum seu perfundendus. Ex quibus verbis baptismus sanguinis in scholis nomen accepit. ET QUOMODO COARCTOR, id est, angor, seu quantoperè pavore ac mœrore contrahor, ad quas angustias redigor! Qui sensus videtur esse ex mente Ambr. Alii tamen coarctationem illam intelligunt esse tristitiæ de dilatâ passione, seu vehementis desiderii ad patiendum: ut sint quasi impatientis amoris verba, cui omnis mora longa est. Sed primus sensus videtur congruentior; nam et verba hoc magis sonant, et similem affectum expressit passioni proximus: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* USQUE DUM, id est, donec, PERFICIATUR; quo indicat se non tantùm passione imminente, sed toto prædicationis vel vitæ tempore ad passionis mentionem aut recordationem pavore (licèt voluntario) contractum esse et contremuisse. Unde, Joan. 12, factâ passionis mentione per similitudinem grani cadentis in terram, mox exclamavit: *Nunc anima mea turbata est; Pater, salvifica me hâc horâ.*

in incredulitate pertinacibus remanentibus, quosdam ad illud adduceret, non venit, nec venisse potuit, ut pacem sereret, sed bellum, sed dissensionem. Sequitur ex præsupposito, præsuppositâ scilicet hominum malitiâ; estque necessitas, ut loquuntur dialectici, consequentiæ, non consequentis. Christus sanè princeps pacis est, et regnum ipsius regnum est pacis, sed pacis quæ et ipsa à Satanæ mundique malitiâ Christo inimicâ dissentit, et cui illa Satanæ mundique malitia adversatur. Hæc igitur est Evangelii conditio ut dissidia inter homines excitet, sed non ex suâ naturâ, quæ per se res est pacifica; verùm aliorum vitio, eorum qui se illi cum cæteris nolunt, uti deberent, subjicere, eò quòd ea sit illius doctrina quam diabolus in illis regnans oderit, et quæ illorum ingenio ac moribus adversetur. Hinc ergo discamus quanta sit corruptæ naturæ pravitas, quæ tam incomparabile donum non modò contaminat, sed in pessimam noxam convertit. Belli igitur sive dissensionis totius inter fideles et infideles, prima causa ipsi infideles sunt, qui colla nolunt jugo fidei subdere, uti tenentur; sed illorum positâ atque existente pertinaci dissensione, ex parte fidelium etiam Christus dissensionis est causa (sancta enim est dissensio ab iniquitate), ex parte verò infidelium, non est Christus causa, cùm impia sit dissensio à veritate Dei, et ea cum malevolentiâ innocentiumque persecutione ferè conjuncta. Non itaque illius Christus causa est, sed occasio : talis autem occasio, quæ propter bellum ab illis excitandum prætermitti non debuit : nec enim debuit, propter obstinationem reproborum, negligi procuratio salutis electorum.

Non ad id me venisse dico, affirmo vobis. Respondet sibi ipsi : idemque valet Matthæi affirmatio, quod Lucæ cum responsione interrogatio.

Sed separationem, imò dissidium, scilicet ut dem veni. Διαμερισμὸς significat divisionem in partes, quasi dicas disparationem : ita autem dissidium vocat Lucas, dùm gladii similitudinem respicit, quem Matthæus ad hanc rem affert, qui conjuncta separat ac divellit.

Vers. 52. — Ex hoc, scilicet tempore. *Ex nunc*, ad verbum, id est, brevì, posthàc, quando Evangelium publicè annuntiabitur.

Quinque, pater, filius, mater, filia et nurus. Nam socrus eadem est quæ mater.

In domo, in quâ priùs erat mala pax, nascetur salutare dissidium.

Divisi, disparati, dissidentes.

Tres in, adversùs, duos. Sive tres intelligas in Christum credentes Evangelioque adhærentes, et duos infideles, sive è converso, idem unum est.

Et duo in, adversùs tres. Nam ut infideles adversùs fideles, ita et fideles adversùs infideles dissident, sententiis scilicet contrariis, quanquàm non hi inimicis atque injuriis actis.

Vers. 53. — In nurum, ἐπὶ τὴν νύμφην, adversùs nurum. In Græco mutantur casus; cùm in duobus prioribus paribus, Evangelista dedisset præpositioni ἐπὶ tertium casum, in tertio pari dat quartum casum, expositionis gratiâ. Nam tertius casus loco quarti positus fuerat, uti aliquando. Vehementiùs urgeant oporteat spiritus quàm carnis vincula.

Exprimit Christus non fore vulgare dissidium, sed bellum etiam intestinum atque domesticum, quod separet hominem ab omni re quæ cum ipsius doctrinâ pugnat, quantùmvis aliàs charissima res illa fuerit. Tam ardens enim suî studium requirit, ut oporteat omnes humanos affectus quantùmvis impotentes illi cedere; atque ita fit ut et hi qui mundum deamant citiùs sæviant in sibi charissimos, quàm infidelitatem vitiaque quibus assueverunt relinquant; et quos semel attigit ardor evangelicæ charitatis, nullis affectibus avelli se patiantur ab eo quod cœperunt amplecti. Parentûm autem, liberorum et domesticorum appellatione intelligit Salvator conjunctissimos quosque, qui ut plus nocere possunt, ita plus facessere negotii fidelibus ut eos à fide abstrahant, et quantò sunt inter se conjunctiores, tantò dissensiones majores et acerbiores. Porrò sive filium hìc intelligas fidelem et patrem infidelem, sive è contra infidelem filium et patrem fidelem, atque ita in consequentibus, idem unum est : æquale enim est ex utrâvis parte dissidium. Sed illud discriminis est quòd fidelis ita maneat constans in sententiâ christianæ fidei, nec adducatur ut obtemperet jussis impiis infidelis, ut tamen infideli malè nec velit nec faciat (nam si fortè aliter, certè non id facit ex doctrinâ Christi); infidelis autem ita maneat pertinax in infidelitate, nec adducatur ut Evangelio subscribat, ut etiam plerùmque fideli malè et velit et faciat.

Vers. 54. — Et ad turbas. Superiora dixerat quædam discipulis, quædam turbis, quædam utrisque : id quod sequitur propriè turbis (nam discipuli hâc in parte non deerant officio) quibus tamen intelligendum est comprehendi scribas et Pharisæos præsentes.

Orientem, surgentem.

Dicitis, judicatis, prædicitis.

Nimbus, imber, pluvia.

Venit; præsens est pro futuro proximè imminenti : brevì veniet, mox pluet. Sic dixit et Elias, 3 Reg. 18, v. 44.

Et ita fit, ut plurimùm. Nubes enim surgens Judæis ab occasu, demonstrat vapores aqueos è mari, solis virtute ita sursùm attractos, ut non desiccatos (neque enim facilè id valet sol in occasu), ventoque occiduo propulsos, brevì in aquam resolutos, Judaicam regionem, quam mare alluit ab occasu, pluviâ

Vers. 54. — Dicebat autem et ad turbas, nam superiora ad discipulos videntur dicta : Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit, etc., quia cùm ab occasu Judææ sit mare Mediterraneum, si vapores aquei inde surgunt, et in Judæam vento propelluntur, verisimile est, et experientiâ compertum in aquas brevì resolvendos.

irrigaturos; quanquàm ex longâ rerum observatione, magis quàm ex causâ physicâ, turbæ id consueverant prædicere.

VERS. 55. — AUSTRUM, Notum, ex meridie FLANTEM scilicet videritis aut senseritis.

ET FIT, æstus. Meridies enim, naturam referens aeris, ut occidens aquæ, profert ventum calidum simul et humidum, quod docent physici; quanquàm sunt qui meridianum ventum Judæis, tam siccum fuisse doceant quàm calidum, eò quòd per regiones siccas simul et calidas in Judæam involaret, cùm in Europam ut veniat, Mediterraneum ipsi mare transvolandum sit.

VERS. 56. — HYPOCRITÆ, etc. Sermonem hunc improperii in scribas potissimùm et Pharisæos eorumque discipulos et asseclas, quos non pauco numero adfuisse credibile est, turbis permixtos, stringit: quanquàm et turbis congruerit hactenùs, quòd cùm prudentes et sagaces haberi vellent ex rebus hujusmodi minimi momenti, plus quàm stupidos se præbuerint in observandis rebus iis quarum observatio maximè salutis ipsorum intererat.

FACIEM, dispositionem, COELI, ex præsenti facie cœli futuram. A recto itaque naturæ ordine arguit Christus, justè suâ ingratitudine perire qui in rebus præsentis vitæ præpostero studio satis acuti, cœlestem lucem, scientes et volentes stupore obruunt. *Faciem* autem, id est, vultum, habitum, dispositionem, speciem externam: sic enim *facies* Hebræis dicitur, externa species, et quasi vultus rerum omnium.

ET TERRÆ, mutatâ enim facie cœli, mutatur et terræ.

PROBARE, explorare, judicare, discernere, ita ut intelligatis qualem tempestatem portendat facies cœli, qualemque terra consequenter passura sit.

HOC AUTEM TEMPUS regni Dei propinqui vobis facti, hoc tempus visitationis vestri per me Messiam à Deo promissum, à quo salus omnis vestra pendet, quod vobis, vel salutem afferet æternam, si fuerit observatum, vel exitium æternum, si fuerit neglectum.

QUOMODO NON PROBATIS? exploratis, dijudicatis, agnoscitis adesse præsens? q. d.: Mirum est vos non agnoscere, cùm plurima suppetant ejus argumenta, eaque longè et clariora et certiora, quàm illa tempestatum aeris. Taxat itaque illorum stupiditatem cæcitatemque in negotio salutis eorum, maximâ cum ingratitudine conjunctam.

VERS. 57.—QUID AUTEM, cur autem, ET A VOBIS IPSIS, vel ex vobis ipsis, vel ex animis et conscientiis vestris, NON JUDICATIS, non discernitis, non intelligitis; QUOD JUSTUM EST vos judicare; quod meritò oportet vos intelligere? Occurrit objectioni turbæ ac vulgi, quòd ipsi, cùm Scripturarum rerumque sacrarum sint imperiti, signa temporis adventûs Messiæ ex prophetis adnotare haud possint; et relegat eos ad proprios ipsorum animos ac conscientias, affirmans, quòd si vel secum ipsi separato omni pravo affectu, expenderent coram Deo, ea quæ suis oculis quotidiè vident, posse eos absque aliis externis testimoniis, ex conscientiæ suæ dictamine, venire in cognitionem temporis præsentis, quo Messias diù exspectatus adest; sed ita esse Dei gloriæ et suæ salutis incuriosos arguit, ut ne tantillùm quidem operæ in re summi momenti ponerent. Hìc itaque mali fontem aperit Dominus, quòd in suas conscientias non descendant, neque illìc coram Deo secum inquirant, quid rectum sit: si enim id faceretis, certè, inquit, testaretur vobis ipsa vestra conscientia, quod res est. Huic hujus loci expositioni favet V. Beda.

VERS. 58. — CUM AUTEM, cùm enim. Interpres accepit *enim* pro *autem* continuativo, ut accipitur nonnunquàm. Non enim videtur hæc parabola præcedentibus cohærere, sed per se dicta esse, eo sensu, ut quàm citissimè reconciliemur proximis quos offenderimus, aut etiam Deo ipsi, cui lis est adversùm nos instituta, nisi ipsi reddiderimus id quod ipsi debemus, fidem et pœnitentiam; nisi cum ipso in gratiam redire sategerimus, interea dùm gratiam suam ultrò nobis offert; nam judicium ipsius non sine æternâ nostrâ pernicie sumus experturi. Quare hìc subaudiendum videtur, tale quid, quale expressum est supra, v. 54, et frequenter repetitur à Marco: *Dicebat autem et hoc: Cùm vadis*, etc. Alloquitur debitorem malæ fidei.

CUM ADVERSARIO TUO, cum creditore tuo, qui tibi bonâ fide pecuniam credidit, *vadis*, inquam, coactus citatusque ab illo. Christus monet, terrens divini judicii severitate, allato à judiciali consuetudine, quæ

VERS. 56. — HYPOCRITÆ, FACIEM COELI ET TERRÆ NOSTIS PROBARE, id est, dispositionem eorum explorare, discernere nôstis; ita ut ex hâc vel illâ cœli constitutione sciatis, quid in terrâ futurum portendat: facies enim terræ secundùm cœli constitutionem modo jam dicto juvari solet. HOC AUTEM TEMPUS, hujus præsentis adventûs mei, et regni cœlorum propinqui, QUOMODO NON PROBATIS? id est, non dijudicatis et agnoscitis esse præsens, cùm ejus indicia exstent plurima, longè certiora istis, quas dixi, aeris constitutionibus. Sententia ferè similis est, Matth. 16, initio, et Sapientiæ 13, v. 9. Sed quia turbæ causari possent, se mysteriorum occultorum ignaros non posse tempora illa discernere, prævenit eas Christus.

VERS. 57. — QUID AUTEM ET A VOBIS IPSIS, id est, ex iis quæ inter vos juxta prophetias adimplentur, et oculis vestris videtis, NON JUDICATIS QUOD JUSTUM EST? id est, quod æquum est vos judicare, tempus scilicet exspectati Messiæ jam esse præsens. Ita ferè Tertull., 4 contra Marcionem, c. 29. Perperàm ergo verba illa, *ex vobis ipsis*, eò torquentur à Cassiano, collat. 13, et aliis, quasi Christus significatum vellet, eos id posse agnocere viribus naturalibus. Tantùm enim vult Christus ea quæ contingebant inter illos esse sufficientia argumenta externa, ut Judæi jam antea fide imbuti agnoscerent Christum esse aliquid supra hominem, et eum quem exspectabant. Argumenta autem externa in credentibus non excludunt gratiam Dei, quâ juvante Judæi in notitiam et fidem Christi devenire potuissent, nisi malâ suâ voluntate hoc Dei adjutorium repulissent.

apud omnes gentes tenet, exemplo, ut judicium ex justitiâ exerceatur. Quemadmodùm, inquit, ei qui in ære alicujus est, jamque in jus vocatus pergit cum actore ad judicium, consultum sit, ut cum illo in itinere, dùm lis adhuc pendet, componat, quòd facilius longè sit cum socio quàm cùm judice convenire, quòd à socio exspectari possit ut precibus flexus remittat aliquid de summâ; ut autem nihil remittat saltem non affligat. At judex, pro rigore justitiæ, et mox in carcerem probrosè detrudat, et cogat exactissimè debitum solvere, nunquàm alioqui è carcere dimissurus. Ad eumdem modum expedit, ut cum fratre quem offenderis, mox cures redire in gratiam, etc. Adversarium itaque hìc Salvator intelligit fratrem qui habet aliquid adversùs te, quem læseris; qui etsi fortassè tibi adversarius esse, teque in jus trahere nolit, evangelicæ memor mansuetudinis; sed iniquitas tua, et causæ illius æquitas, reum te agunt et ad Dei omnium judicis tribunal trahunt.

Ad principem, ad judicem; *ad magistratum* vertunt alii, quomodò et legit D. Ambrosius.

In via, interea dùm adhuc es in viâ, antequàm veneris ad principem. Sequentibus hoc jungendum est.

Da operam liberari, ut libereris, ab illo, compositâ cum eo controversiâ; satisfacias illi quâ optimè potes ratione. Theophylactus, *festina et labora, omnesque modos cogita, quomodò ab eo libereris.*

Ne fortè trahat, pertrahat, adducat, scilicet adversarius. D. Ambrosius legit *condemnet*, quod est reum peragat, fortè ex Græco κατακρίνῃ.

Ad judicem, id est, principem seu magistratum, quem mox dixit, is enim fungitur loco judicis. Ambrosius *apud judicem.*

Et judex. Ne postquàm adversarius pertraxerit te ad judicem, judex condemnatum te tradat exactori, πράκτορι, sic dicto à πράττω, quod non tantùm facere significat, verùm etiam exigere; quòd exigat cogatque solvere ea quæ judex solvenda definivit; præter pecuniam creditam, et litis expensas, frequenter etiam mulctam constitutam in temerè litigantes. Is est quem Matthæus vocat *ministrum.*

Vers. 59. — Dico tibi. Quod si fiat, hoc tibi certò affirmo, quòd non exies, etc.

Minutum. Matthæus *quadrantem*, qui duo minuta complectebatur: mens enim Domini fuit, minimi pretii nummulum dicere, qui solvendus restat. Sensus est: Summo tecum jure agetur, non liberaberis à carcere donec pœnas lueris extremas, tantas quantas exiget extremus justitiæ rigor, sive æternas pro offensâ gravi, sive temporarias pro levi: nam et huc spectare locum, Cyprianus, cùm alibi, tum epistolâ 52, auctor est. Nunquàm igitur liberandi sunt, qui gravi debito obnoxii hinc decesserint; nam cùm æternam divinæ justitiæ debeant pœnam, nihilque illa illìc de suo jure remittat, nunquàm fecerint aut luerint satis; solvent semper, persolvent nunquàm, juxta Bedam in Lucam. Cum aliis porrò etsi similiter extremo rigore agatur, ut justitiæ satisfaciant; nihil prohibet tamen, quin eis succurri possit; non ita ut justitiæ non satisfiat, sed satisfaciendo justitiæ pro eis qui à Christi corpore et communione membrorum illius inter se mutuâ, hoc est, sanctorum communione, separati non sunt, sicut separati sunt ii quos gehenna excepit.

CAPUT XIII.

1. Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.

2. Et respondens, dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

3. Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

4. Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos: putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem?

5. Non, dico vobis; sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.

6. Dicebat autem et hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vineâ suâ, et venit quærens fructum in illâ, et non invenit.

7. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulneâ hâc, et non invenio: succede ergo illam: ut quid etiam terram occupat?

8. At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dùm fodiam circa illam, et mittam stercora:

9. Et si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

CHAPITRE XIII.

1. En ce temps-là même, quelques personnes se trouvèrent là qui lui parlèrent des Galiléens, dont Pilate avait mêlé le sang avec leurs sacrifices.

2. Sur quoi Jésus prenant la parole, leur dit: Pensez-vous que ces Galliléens fussent les plus grands pécheurs de toute la Galilée, parce qu'ils ont été traités de la sorte?

3. Non, je vous en assure; mais si vous ne faites pénitence, vous périrez tous aussi bien qu'eux.

4. Croyez-vous aussi que ces dix-huit hommes sur lesquels la tour de Siloé est tombée et qu'elle a tués, fussent plus coupables que tous les habitans de Jérusalem?

5. Non, je vous en assure; mais si vous ne faites pénitence, vous périrez tous aussi bien qu'eux.

6. Et il leur dit cette parabole: Un homme avait un figuier planté dans sa vigne; et venant pour y chercher du fruit, il n'y en trouva point.

7. Alors il dit à son vigneron: Il y a déjà trois ans que je viens chercher du fruit à ce figuier sans y en trouver: coupez-le donc; car pourquoi occupe-t-il encore la terre?

8. Le vigneron lui répondit: Seigneur, laissez le encore cette année, afin que je laboure au pied, et que j'y mette du fumier.

9. Peut-être portera-t-il du fruit; sinon, vous le ferez couper.

10. Erat autem docens in synagogâ eorum sabbatis.

11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo : et erat inclinata, nec omninò poterat sursùm respicere.

12. Quam cùm videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tuâ.

13. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum.

14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curâsset Jesus, dicebat turbæ : Sex dies sunt in quibus oportet operari : in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati.

15. Respondens autem ad illum Dominus, dixit : Hypocritæ, unusquisque vestrûm sabbato non solvit bovem suum aut asinum à præsepio, et ducit adaquare ?

16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die sabbati ?

17. Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus ; et omnis populus gaudebat in universis quæ gloriosè fiebant ab eo.

18. Dicebat ergo : Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud ?

19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam : et volucres cœli requiverunt in ramis ejus.

20. Et iterùm dixit : Cui simile æstimabo regnum Dei?

21. Simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.

22. Et ibat per civitates et castella, docens, et iter faciens in Jerusalem.

23. Ait autem illi quidam : Domine, si pauci sunt qui salvantur ? Ipse autem dixit ad illos :

24. Contendite intrare per angustam portam : quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt :

25. Cùm autem intraverit paterfamiliâs, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium dicentes : Domine, aperi nobis : et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis.

26. Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis notris docuisti.

27. Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis : discedite à me, omnes operarii iniquitatis.

28. Ibi erit fletus et stridor dentium, cùm videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foràs.

29. Et venient ab oriente et occidente, et aquilone et austro, et accumbent in regno Dei.

30. Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi.

31. In ipsâ die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere.

32. Et ait illis : Ite, et dicite vulpi illi : Ecce ejicio

10. Mais comme il enseignait un jour de sabbat dans leur synagogue,

11. Il se trouva là une femme possédée d'un esprit qui la rendait malade depuis dix-huit ans ; elle était toute couchée, et ne pouvait point du tout regarder en haut.

12. Jésus la voyant, l'appela, et lui dit : Femme, vous êtes délivrée de votre infirmité.

13. Et il lui imposa les mains ; et étant aussitôt redressée, elle rendit gloire à Dieu.

14. Mais le chef de la synagogue indigné de ce que Jésus l'avait guérie un jour de sabbat, dit au peuple : Il y a six jours destinés pour travailler ; venez en ces jours-là vous faire guérir, et non pas le jour du sabbat.

15. Le Seigneur prenant la parole, lui dit : Hypocrites, y a-t-il quelqu'un de vous qui ne délie son bœuf ou son âne le jour du sabbat, et ne les tire de l'étable pour les mener boire ?

16. Pourquoi donc ne fallait-il pas délivrer de ses liens, en un jour de sabbat, cette fille d'Abraham, que Satan avait tenue ainsi liée durant dix-huit ans ?

17. A ces paroles, tous ses adversaires demeurèrent confus ; et tout le peuple était ravi de lui voir faire tant d'actions glorieuses.

18. Il disait aussi : A quoi est semblable le royaume de Dieu, et à quoi le comparerai-je ?

19. Il est semblable à un grain de senevé qu'un homme prend, et jette dans son jardin, et qui croît jusqu'à devenir un grand arbre ; de sorte que les oiseaux du ciel se reposent sur ses branches.

20. A quoi, dit-il encore, comparerai-je le royaume de Dieu ?

21. Il est semblable au levain qu'une femme prend, et met dans trois mesures de farine, jusqu'à ce que toute la pâte soit levée.

22. Et il allait par les villes et par les villages, enseignant, et s'avançant vers Jérusalem.

23. Et quelqu'un lui ayant demandé : Seigneur, y en aura-t-il peu de sauvés ? Mais Jésus leur dit :

24. Faites effort pour entrer par la porte étroite ; car je vous assure que plusieurs chercheront à y entrer, et ne le pourront.

25. Et quand le père de famille sera entré, et qu'il aura fermé la porte, vous vous trouverez dehors, et vous vous mettrez à heurter, en disant : Seigneur, ouvrez-nous ; mais il vous répondra : Je ne sais d'où vous êtes.

26. Alors vous commencerez à dire : Nous avons bu et mangé avec vous, et vous avez enseigné dans nos places publiques.

27. Et il vous répondra : Je ne sais d'où vous êtes, retirez-vous de moi, vous tous qui faites des œuvres d'iniquité.

28. Ce sera alors qu'il y aura des pleurs et des grincemens de dents, quand vous verrez qu'Abraham, Isaac et Jacob, et tous les prophètes seront dans le royaume de Dieu, et que vous serez jeté dehors.

29. Et il en viendra d'orient et d'occident, du septentrion et du midi, qui auront place au festin dans le royaume de Dieu.

30. Et ceux qui sont les derniers seront alors les premiers ; et ceux qui sont les premiers seront alors les derniers.

31. Le même jour, quelques-uns des pharisiens vinrent lui dire : Allez-vous-en ; sortez de ce lieu, car Hérode veut vous faire mourir.

32. Il leur répondit : Allez dire à ce renard : J'ai

dæmonia, et sanitates perficio hodiè et cras, et tertiâ die consummor.

33. Verùmtamen oportet me hodiè et cras et sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Jerusalem.

34. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodùm avis nidum suum sub pennis, et noluisti!

35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis : Benedictus qui venit in nomine Domini.

encore à chasser les démons, et à rendre la santé aux malades aujourd'hui et demain, et le troisième jour je serai consommé.

33. Cependant il faut que je continue à marcher aujourd'hui et demain, et le jour d'après; car il ne faut pas qu'un prophète meure hors de Jérusalem.

34. Jérusalem, Jérusalem, qui tues les prophètes, et qui lapides ceux qui te sont envoyés, combien de fois ai-je voulu rassembler tes enfants, comme une poule rassemble ses petits sous ses ailes, et tu ne l'as pas voulu!

35. Le temps s'approche où vos maisons demeureront désertes. Or je vous dis que vous ne me verrez plus, jusqu'à ce que vous disiez : Béni soit celui qui vient au nom du Seigneur.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Ipso in tempore, eodem illo tempore, quo nimirùm Dominus Jesus de iis quæ præcedunt concionabatur.

Nuntiantes rem novam et quæ recenter accidisset.

Illi, Domino Jesu, ut cui ignotam adhuc esse crederent quemadmodùm aliis plerisque.

De Galilæis quibusdam.

Miscuit, miscuerat; quos Pilatus occidi jusserat, intereà dùm sacrificarent, occupatos offerendis sacrificiis, ita ut sanguis ipsorum commisceretur sanguini hostiarum quas offerebant. Quid commiserint isti Galilæi, ob quod Pilatus eos ita jusserit trucidari, incertum est; plerique tamen id factum existimant, eò quòd sectarores essent Judæ Galilæi, cujus mentio est Act. 5, v. 37; tenentes, Judæos Dei filios, nullum tributum debere Cæsari, nec pro Cæsare imperioque Romano sacrificium offerre debere, denique nullum ipsis agnoscendum esse dominum, præter Deum solum. Ita Cyrillus in Catenâ, Theophylactus, Titus, Euthymius, in commentario hujus loci, Œcumenius scribens in caput 5 Actorum. Hujusmodi enim hæretici, diù post exstinctum ducem Judam Galilæum superfuisse, atque inter Galilæos cumprimis, non dubium est. Hi igitur cùm adversarios se præberent Cæsaris populique Romani, ita ut reliquum etiam populum Judæorum suis dogmatis ad rebellionem provocarent, numero aliquo congregati ad sacrificium Deo Jerosolymis in templo offerendum, à Pilato id resciscente (cui semper præstò erat præsidium militare in arce Antoniâ templo proximâ) jussi sunt inter ipsa sua sacrificia trucidari. Nec enim in Galilæâ hi trucidati sunt, cui Pilatus non præerat : nec extra templum Jerosolymitanum sacrificârunt, pertinacissimi legis propugnatores, eâ solâ hæresi, quam diximus, à Pharisæis discreti, quod testatur Josephus, lib. 18 Antiq., cap. 2. Hoc recens Pilati facinus, cùm vulgi sermone spargi inciperet, quidam retulerunt Jesu Judææ civitates vicosque peragranti, non solùm tanquàm rem novam et crudelem, verùm multò magis ut audirent quid Jesus sentiret de Galilæis illis : videbantur enim plerisque, Deo admodùm fuisse exosi atque abominabiles, quòd sacrificia ipsa, quæ ad Deum sibi placandum offerebant, non solùm reprobata, verùm etiam versa ipsis essent in interitum.

Vers. 2. — Respondens, scilicet Jesus, quod Græcè ac Syriacè exprimitur.

Illis, qui illud nuntiaverant, et cæteris omnibus præsentibus, occasionem captans ædificandi præsentes, ex allatis novis nuntiis, ut ex aliâ re quâlibet.

Præ omnibus, scilicet aliis seu reliquis Galilæis peccatores, scelerati, Deo invisi; non enim qualescumque peccatores intelliguntur, quales sunt etiam justi. Est autem phrasis Hebraica, *præ omnibus Galilæis peccatores*, pro peccatores magis quàm omnes reliqui Galilæi, aut cæteris Galilæis graviores.

Quia talia passi sunt, qualia non alii, ex eo quòd talia passi sunt subitò atque inter sacra neci dati. Ponit ac concedit Galilæos illos fuisse sceleratos peccatores (quanquàm illud ex calamitate illâ non necessariò consequeretur, cùm et justis possit accidere) et supplicium promeruisse quod passi sunt, quâ parte à

Vers. 1. — Aderant autem quidam ipso in tempore, quo Christus ista prædicabat, nuntiantes ei, tanquàm novum aliquid, et recenter gestum. Talia enim nuntiari solent, res olim gestæ commemorari; ut satis hinc pateat falli eos qui historiam istam triginta circiter annis ante contigisse putant. De Galilæis, non tam natione quàm sectâ, ut videtur; nam alioqui natio Galilæa non suberat Pilato. Quorum sanguinem Pilatus miscuit, etc., quia eos offerendis sacrificiis occupatos occidit. De nullâ hujusmodi Galilæorum clade exstat usquàm mentio. Unde aliqui putant per Galilæos hìc intelligi Samaritanos, tanquàm Galilæis vicinos : nam eorum aliquos Pilatus prope montem Garizin occidit, de quo Josephus, 18 Antiquit., c. 5, et Hegesippus lib. 2 de Excidio Jerosolymæ. Multò verisimilius, quod narrat Chrysost., in Catenâ, et sequuntur Theophyl., Euthym., Titus, Bostrensis, in hunc locum, fuisse sectatores Judæ Galilæi, qui teste Hieron. in cap. 3 ad Titum, et Josepho, duraverunt usque ad tempora Christi, et ultra. Docebant isti non esse tributum dandum Cæsari, nec agnoscendum dominum, nisi Deum; proinde pro imperatore, Romanoque imperio non esse sacrificandum. Propter istos vult Hieron. Apostolum scripsisse ad Rom. : *Cui tributum, tributum*; et ad Titum. : *Admone illos principibus et potestatibus obedire*; et ad Timoth. : *Obsecro fieri orationes*, etc., *pro regibus*. Horum igitur aliquos in sacrificando deprehensos jussit Pilatus velut seditiosos opprimi. An autem hoc contigerit in Galilæâ, an potiùs Jerosolymis, ubi erat sacrificandi locus, ex Scripturâ vel aliunde non liquet.

Vers. 2. — Et respondens dixit; occasionem cap-

Deo illatum fuerat; nam de Pilato tacet; sed quærit, an ex eo quòd Deo infligente passi sunt supplicio, judicandi sint soli inter Galilæos peccatores, et soli hujusmodi supplicium promeriti tanquàm sceleratiores et deteriores omnibus aliis Galilæis, qui nihil hujusmodi hactenùs passi fuerant. Hoc enim videtur judicium fuisse nuntiorum illorum ac vulgi; ut certè solet hominum ingenium, peccatum ex pœnâ æstimare, et illos judicare peccatores vel solos vel cæteris pejores, quibus hoc in mundo adversa insueta contingunt.

Vers. 3. — Non. Respondet sibi ipse, et corrigit communem illam vulgi opinionem. Affirmo vobis quòd non ex eo quòd soli inter Galilæos talia passi sunt, judicandi sint soli inter Galilæos peccatores, aut cæteris Galilæis sceleratiores. Non enim pro modo peccatorum, externæ illæ ac spectabiles calamitates, æqualiter omnibus obveniunt in hoc mundo.

Sed dico vobis, nisi pœnitentiam habueritis, infra v. 5, et alibi vertit, *pœnitentiam egeritis*. Μετανοῆτε pœnitueritis, pœnituerit vos peccatorum vestrorum, et vitam in melius emendaveritis.

Omnes, vos tam Judæi quàm Galilæi. Alloquitur præsentes omnes, et in eis uuiversum populum Israel, cujus longè maxima pars à Deo et Christo aversa erat.

Similiter æquè itidem, perinde ut illi, quin etiam simili ratione peribitis, divinâ ultione oppressi, si non in hoc, certè in futuro seculo. De futuro seculo intelligunt Bonaventura et alii Latini; de præsenti Cyrillus et alii Græci : nos utramque expositionem jungimus; quia plerique præsentium quos Christus alloquitur, divinam ultionem in hoc seculo non senserunt, licèt populus Judaicus, quadragesimo circiter post anno, eam senserit, et quidem talem qualem hi Galilæi, reprobatus cum sacrificiis suis, et Romanorum potestati ad interitum traditus; vix enim dubium quin et huc Dominus respexerit, quod Græci adnotant. Dicit ergo : Etiam vos omnes estis peccatores, Deo exosi et digni simili interitu, fortè etiam quidam vestrûm illis sceleratiores et acerbo fine digniores; sed qui justitiâ usus erga illos, illis justè traditis ad internecionem in manu gentium, misericordiâ utitur erga vos, dilato supplicio vestro, si fortè illorum interitu admoniti, pœnitentiam ineatis. Quòd ergo vos hactenùs non similiter perdat Deus, clementia ejus est, invitantis vos ad pœnitentiam, quâ effugere queatis interitum vobis itidem debitum : quòd si pœnitentiam non amplectamini, peccata non detestemini, vitam non emendetis, Christum fide non recipiatis, hoc certum habetote, simile judicium vobis paratum est, æquè malè peribitis, multi in hoc seculo, delendi à Romanis, omnes in futuro; nullius enim scelera Deus inulta sinet. Quorumdam scelera modò punit, partim ut Providentiam suam cum justitiâ conjunctam declaret, partim ut alii exemplo territi, ad pœnitentiam provocentur; sed omnium certo certiùs est puniturus, qui pœnitentiâ non occurrerint. Ubi ergo videmus aut audimus aliquod divini judicii specimen, sciamus Deum clamare, ut de se quisque cogitet, et recordetur peccatorum suorum, iræque Dei etiam in se desævituræ, nisi pœnitentiam agat.

Vers. 4. — Sicut, Græcè, *aut*.

Illi decem et octo, Jerosolymitæ.

Cecidit. Non ita pridem.

In Siloe; subauditur, fluvio, et intelligitur *in* pro *ad* positum : turris ad fluviolum Siloe ædificata. Pro Siloe Hebraicè scribitur שלח, quod Judæi pronuntiant *Silloah*, Latini *Siloe;* Græci scribunt *Siloam;* est autem fons ad radices montis Sion (Hieronymus in Isaiam 8, v. 6) et fluviolus seu aquæductus ex eo fonte promanans in civitatem Jerosolymorum, cujus mentio est illo Isaiæ loco, efficiens et natatoriam seu piscinam, de quâ Nehem. 3, v. 15, et Joan. 9, v. 7. Ad hunc fluviolum seu piscinam ipsam, ædificata fuerat turris, quæ tempore Christi Domini prædicantis fortuitò collapsa, oppresserat octodecim cives Jerosolymitanos.

Et, etiam. Græcè et Syriacè non legitur.

Debitores, rei, hujusmodi pœnæ ac mortis. Syrus legit, *peccatores*, ut supra., v. 2, sed debitores iidem intelliguntur qui peccatores; quod quâ de causâ fiat, docuimus supra.

Præter omnes, *præ omnibus* vertit supra, v. 2. Soli inter omnes habitatores Jerusalem, vel hi magis quàm reliqui, peccatis suis promeruerint hujusmodi interitum? Recenti exemplo de Galilæis in medium proposito, addit nuperum de Jerosolymitanis, quò manifestiùs doceat, non solùm Galilæos, sed et Jerosolymitanos, atque adeò Judæos omnes, Deo ob peccata invisos esse, et perdendos justo Dei judicio, nisi pœnitentiæ remedio occurrerint. Poterat quidem fortuitò factum videri quòd Jerosolymitani isti, repentino et nec opinato turris casu oppressi fuerint; sed docet Jesus nihil casu aut fortunâ fieri, si Deum respicias; quæ casu fieri videntur, omnia divinæ Providentiæ nutu ac moderamine fieri; atque hìc quidem manifestum à divinâ Providentiâ exemplum editum, tans ex quolibet eventu corrigendi homines : Putabis, quod hi Galilæi, etc., more scilicet hominum, qui ex calamitate unius præ alio, statim augurari solent, majorem unius quàm alterius esse culpam. Hanc itaque vulgi opinionem corrigit Christus.

Vers. 3. — Non, dico vobis, id est, non propterea Galilæi illi sceleratiores cæteris Galilæis fuisse existimandi sunt; sed, hoc dico vobis, nisi pœnitentiam habueritis, omnes, sive Judæi, sive Galilæi (intelligit autem multò maximam eorum partem) similiter peribitis; nempe gladio Cæsaris, morte violentâ in ipsis sacrificiis vestris, propter rebellionem adversùs Cæsarem. Nam eo modo multos periisse, et illam fuisse excidii Jerosolymitani originem, narrat Josephus. Sed quia tali modo pauci eorum, qui præsentes aderant, perierunt, rectiùs dixeris, illud, *similiter*, non aliud significare, quàm perinde seu æquè non minùs, quàm alii peribitis, sive in hoc seculo, sive in futuro, quòd maximè patet ex v. 5. Neque enim omnes, neque multi similiter lapsu turris perierunt; nam pauci à Deo in exemplum terroremque multorum pœnis illis extraordinariis puniri solent.

Vers. 4. — Sicut illi decem et octo, Jerosolymitani, supra quos cecidit turris in Siloe; id est, ad

tum erga interfectos quos punivit pro meritis (ponit enim et hos peccatores fuisse, dignosque hujusmodi exitio) tum erga reliquos Jerosolymitanos, quos propositâ terroris materiâ, pœnitentiæ admonuit. Reliqua petantur ex versu secundo superiore.

Vers. 5. — Non. Beda scribens in hunc locum : *Et isti Jerosolymitæ,* inquit, *quemadmodùm et illi Galilæi, non soli fuêre peccatores, sed in terrorem sunt reliquorum puniti.* Similiter Titus Græcus : *Non oppressit illos turris, quasi hi soli cæteros omnes scelere et nequitiâ vicerint, verùm per paucorum necem, omnibus qui Jerosolymorum civitatem incolebant, exemplum propositum est.*

Omnes vos, sive Jerosolymitani, sive Galilæi aut Judæi (licèt ad tempus toleremini) peribitis. Divinam vindictam experiemini, certò quidem in seculo futuro, sed et in hoc seculo vestrûm complures, unà cum gente vestrâ, oppressi ruinis civitatis Jerosolymorum, obsidendæ à Romanis, tùm cùm universa gens in eam coacta fuerit. Reliqua petenda sunt ex versu tertio.

Vers. 6. — Et abest à multis Latinis libris non minùs quàm à Græcis ac Syricis : non superfluit tamen, pro *etiam* positum, sed valet ac si dicatur *addebat.*

Hanc similitudinem seu parabolam, ut est Græcè : quâ intelligendum daret Judæis, quòd hactenùs non essent perditi et subversi à Deo, quinimò quòd temporis aliquid adhuc ipsis restaret, non ex eo esse, quòd nunc non mererentur perdi ac subverti (cùm justissimè id mererentur), sed ex Dei longanimitate, exspectantis pœnitentiam eorum, accedente ipsius Christi intercessione.

Arborem fici, ficum.

Quidam paterfamiliâs.

In vinea sua, in agro suo vitibus consito. Sunt ficus vineis familiares. *Vinea autem mundus est,* inquit Euthymius; ficus Synagoga, auctoribus veteribus, inter Latinos, Ambrosio, Bedâ; inter Græcos, Theophylacto, Tito, Euthymio. Significatur; Deo, cujus est terra et plenitudo ejus, psalmi 23, v. 1; inter varios mundi populos, unum esse Judaicum, qui sæpè vineæ, Isaiæ 5, v. 1; Jerem. 2, v. 21; Matth. 21, v. 33; hìc ficui comparatur, ut etiam Matth. 21, v. 19. Solent enim, nunc singuli homines, nunc populus universus, arbori comparari, quòd ad ferendum fructum Deo gratum, ad exercenda opera virtutum, sint in hoc mundo à Deo collocati; Matth. 3. 10, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum,* etc.

Et venit, frequenter scilicet.

Quærens, ut quæreret, ut viseret an non ferret quo frui posset *fructum; et* pro sed, non invenit fructum in eâ toto triennio. *Quærebat Dominus,* inquit Ambrosius : *non quia fructum ficulneæ deesse nesciret; sed ut ostenderet in figurâ, quia fructum synagoga jam habere deberet.* Toto triennio, ad hujus usque parabolæ propositionem, quo Judaicus populus Christo doctore et cultore est usus, sterilis fide in Christum et bonis operibus mansit, nec dignum pœnitentiâ fructum tulit.

Vers. 7. — Cultorem vineæ, et eorum quæ in vinæâ. Seipsum intelligit Christus (auctore Tito) quem Deus Pater in mundum eo fine miserat, ut homines sic coleret et appararet, ut fructum ferrent justitiæ, et inprimis Judæos per ficum hìc significatos, quibus tunc aderat, ut adhibitis doctrinâ ac miraculis fœcundos redderet.

Anni tres sunt ex quo, tres annos, scilicet continuos. Tres anni in ficulnæâ perficiunt justum tempus exspectationis fructuum.

Venio, venire consuevi.

Succide, exscinde, radicitùs evelle. Solent enim id domini, non per se, sed per colonos suos facere.

Ut quid vel occupat terram? q. d. : Frustra et inutiliter occupat, ne digna quidem est loco suo, quæ nutrita succo loci, nihil profert fructus. Græcè est, καταργεῖ quod Syrus vertit *otiosam detinet,* alii *inertem reddit;* nam τὸ ἀργὸν dicitur quod ignavum est et iners nullisque viribus; ita ut amplius quid significetur, nimirùm, quòd non tantùm frustra et inutiliter occupet terram, sed etiam eum quem occupat terræ locum, ignavum reddat, et nihil virium exerentem, nihil fructus gignentem, qui si aliâ plantâ consitus esset, exertis viribus fructum produceret, et fœcunditatem suam reipsâ probaret. Indigna igitur censenda loco, quem alia arbor suâ feracitate possit commendare. Porrò non est intelligendum Deum patrem hujus-

Siloe ædificata. Est autem fons ad radices montis Sion, ut tradit Hieron. in v. 6, c. 8 Isaiæ, itemque aquæductus ex eo fonte manans, qui efficit in Jerusalem piscinam seu natatoriam Siloe, de quâ mentio est Joan. 9, versu 7 et 2 Esdræ, cap. 3, versu 5. Hic ergò turris ædificata oppresserat lapsu duodecim viros. Putatis ergo, quia et ipsi debitores fuerint hujusmodi violentæ et intempestivæ mortis propter peccata, scilicet sua, præter omnes homines, id est, præ omnibus sicut eadem phrasis Græca vertitur v. 2. Habitantes in Jerusalem? Per quod insinuat ibidem, scilicet juxta natatoriam Siloe ruinam illam contigisse.

Vers. 6. — Dicebat autem hanc similitudinem, Græcè parabolam : Arborem fici habebat quidam, paterfamiliâs, qui Deum hoc loco videtur significare, plantatam in vinea sua, id est, agro vitibus consito; quia ficus sunt vitibus familiares. August., serm. 31, de Verbis Domini, et Greg. in hoc Evang., per *ficum* intelligunt genus humanum. Sed genus humanum propter amaritudinem rectiùs comparatur sicomoro et oleastro; nec facilè ostendi potest, quænam sit vinea, in quâ plantata erit si ficus est genus humanum. Itaque aptiùs per *ficum* intelligas populum Jerosolymitanum seu Jerusalem de quâ proximè præcesserat, ut ita vinea Domini Sabaoth sit tota domus Israel, juxta prophetiam Isaiæ, c. 5, v. 7, in cujus medio Jerusalem plantata, et ad dulcedinem spiritualium fructuum proferendam per prophetas et sacerdotes exculta fuerat. Et venit, frequenter scilicet; nam Græcè præteritum est, quærens fructum in illa, pietatem, justitiam, bona opera; et non invenit, sed folia tantùm, solam scilicet externarum cæremoniarum pompam. Quæsivit autem non quasi nesciret ficum fructibus carere, sed ut sic ostenderet in figurâ, quòd fructus jam habere deberet, inquit Ambrosius.

Vers. 7. — Dixit autem, Deus scilicet, tanquàm paterfamiliâs, ad cultorem vineæ, quem Augustinus intelligit esse omnem sanctum, quia intercedunt pro

modi verbis ad Christum Filium usum fuisse, sed parabolicè significatur, ex quo venerat Christus, et cœperat Judæos docere et excolere miraculis et pœnitentiæ regnique prædicatione, usque ad hoc tempus quo hæc dixit, qui erat annus tertius; nihil ab eo profectum fuisse apud Judæos; non fuisse eos hactenùs conversos à viis suis pessimis, neque Christum recepisse, aut Deo grata opera conatos edere; non quòd nulli, sed quòd admodùm pauci, cæterorum et populi respectu, quod Euthymius adnotat; itaque justo Dei judicio promeritos, ut tanquàm terræ inutilia pondera, adeòque nociva, exstirpentur, tum ex hoc, tum ex futuro seculo, et ablatum ab eis regnum Dei, detur genti facienti fructum ejus, id quod fore prædicitur Matth. 21, v. 43.

Vers. 8. — At ille respondens dicit, Syrus: Dixit colonus.

Illi, patrifamiliâs.

Dimitte illam, relinque illam suo loco et hoc anno, uno adhuc anno.

Usquedum fodiam (fodero), *et mittam* (misero) stercora (fimum). Ambrosius in commentario et Augustinus, sermone 31 de Verbis Domini, legunt *cophinum stercoris.* Donec adhibuero omnia opportuna et accommoda ut fructum ferat, ita ut nihil reliquum sit quod facere queam; donec extremam culturam tentavero, quæ ad curandas arbores hujusmodi est, ut effossâ humo, radix hieme aeri pateat, tandemque superinjecto fimo tegatur. Probi coloni ingenium est, ut non libenter sinat agrum aut vineam suam nudari arboribus suis, aut exstirpari quam ipse educaverit plantam, potiùsque in se quodammodò culpam sterilitatis transferat, quasi non satis diligentiæ adhibuerit, quàm permittat evelli, priusquàm extrema omnia tentaverit et expertus sit. Hujusmodi animo præditi sint oportet, qui ad excolendam domini vineam constituti sunt, ut iram Dei avertere conentur ab iis qui steriles sunt virtutibus, et ad fœcunditatem eos modis omnibus adducere. Significatur ergo, quòd quamvis justitia Dei ferret, ut hoc tertio Christi prædicantis anno, exscinderet Judaicum populum universum, pœnitentiæ studium obstinatè recusantem; non minùs quàm Galilæos illos et Jerosolymitas, de quibus mox: tamen Christi mediatoris intercessione factum esse (*precatur pro Judæis*, inquit Euthymius, *ut qui ex Judæis humanitatem assumpsit, et pro cognatis juxta carnem obsecrat*); ut dilata vindicta sit, si fortè majori etiam quàm hactenùs operâ adhibitâ, ad fidem et pœnitentiam populus ille posset adduci. Certè deinceps majora et efficaciora remedia Christus adhibuit: nam præterquàm quòd assiduus fuerit in ædificando illo populo, precibus, exemplis, doctrinâ, miraculis, mortem obiit innumeris signis coruscantem, tertio à morte die resurrexit vel inimicis testibus, quadragesimo die digressus in cœlum, quinquagesimo misit in discipulos suos Spiritum sanctum, tantâ virtute et miraculorum copiâ atque evidentiâ testimonium per eos reddentem veritati, de Jesu Christi resurrectione consessuque ad dexteram Patris, et ad fidem ac pœnitentiam adhortantem, quanta non posset major requiri. Hæc facta potissimùm quarto ab initio prædicationis Christi anno; hujusmodi fuêre, ut nihil prætermissum videri possit, quod ad provocandum populum illum ad ferendum bonorum operum fructum faceret, clamantibus apostolis: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum*, etc. *Salvamini à generatione istâ pravâ*, etc. Denique meritò tunc Christus usurpare potuerit illud Isaiæ cap. 5, v. 4: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ*, ficui meæ, *et non feci ei?* Hæc est igitur fossio illa et stercoratio, maxima ac præstantissima arboris cultura, quarto anno adhibita, quam extremam tentare promittit Christus, ut eam ad fructificandum adducat.

Vers. 9. — Et siquidem, et quidem si fecerit fructum. Oratio est defecta altero membro, juxta figuram quæ aposiopesis dicitur, quando, præ iracundiæ aut doloris vehementiâ, sermo abrumpitur, et dimidium sententiæ reticetur. Christus vinitor, videns Judaicum populum multò procliviorem ad sterilitatem quàm ad fœcunditatem, et, etiam omnibus quæ posset tentatis, vix sperans fructum; quasi intercepto præ tristitiâ anhelitu, sermonem haud perficit. Hujusmodi quid adnotat Beda. *Defectiva oratio est*, inquit Euthymius: *deficit enim, benè se res habet, vel benè quidem.* Liceat subaudire, clementer cum

peccatoribus; Ambrosius apostolos, Hieron. in c. 3 Habacuc satis commodè Michaelem et Gabrielem quibus synagogæ fuerat commissa cura; sed opportuniùs videtur Titus, Euthymius et Theophyl., intelligere Christum Dominum, utpote quem Pater in mundum miserit, ut Judæos, velut vineam suam, et inprimis Jerusalem, tanquàm ficum, doctrinâ et miraculis excoleret. Ecce anni tres sunt, quia tertius jam agebatur annus prædicationis Christi quo toto tempore sterilis ficus permanserat. Recte itaque tres annos exprimit, quòd illi sunt justum tempus exspectationis fructuum, respectu ficûs, post quos si non ferat, nunquàm latura et sterilis judicatur. Itaque succide illam: ut quid etiam terram occupat? quasi dicat: Ne quidem digna est loco suo, quo plantata est, quia ille, si aliâ arbore esset consitus, fructus uberes proferre posset? unde Græcè *terram inertem facit.* Colonus vero respondit.

Vers. 8. — Dimitte illam et hoc anno, id est, uno adhuc anno, quod Hieron. dictum putat tempore passionis Christi jam instantis, quo Jerusalem excidenda fuerat, nisi Christus ei adhuc tempus pœnitentiæ impetrâsset. Usquedum fodiam circa illam, et mittam stercora, id est, donec extremam culturam fœcundandis arboribus utilem tentavero, quod solet fieri effodiendo humum, ut radix aeri pateat, et humorem colligat, et rursùm injecto fimo contegatur. Ista cultura quarto prædicationis anno et sequentibus per apostolos adhibita fuit, sicut Acta apostolorum testantur.

Vers. 9. — Et siquidem fecerit fructum. Oratio suspensa est, ut Hieron. notat, quâ significare voluit se judicium de ficu domino relinquere. Suppleri autem potest hoc vel simili modo: Benè se res habebit, seu non erit opus eam succidere: sin autem, supple nullum fecerit fructum, cum tantâ culturæ diligentiâ, in futurum succides eam, cùm scilicet placuerit. Non enim determinat tempus, quasi urgens dominum, et statim à quarto anno succidatur, sed relin-

eâ ages, ita ut non excidatur; misericordiâ erga eam uteris, ita ut salva remaneat, oblitus præteritorum.

Sin autem, alioqui, sin minùs, græcè, *si autem non*, scilicet fecerit fructum, si nec hâc tentatâ viâ tulerit fructum.

In futurum, postea, quando placuerit. Hujus loco Syrus habet *cur viveret?* nescio unde. Porrò non dicit finito hoc quarto anno; nec enim urgere vult dominum ad succidendum, sed ita relinquit prudentiæ domini, ut non sit adversaturus, si etiam in plures postea annos excidium dominus distulerit: ut certè nec quarto statim anno à cœptâ Christi prædicatione finito, evertit Deus Judaicum populum, sed in alios quadraginta annos distulit, longanimitate incredibili.

Succides eam, et in ignem injicies (quod consuetum est sequi) juxta id quod alibi Salvator: *Omni arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*, Matth. 7, v. 19. Jam relinquitur subaudiendum quòd dominus coloni oratione simul et promissione placatus, distulerit excidium, spe fructûs vel tandem edendi; et intelligendum datur auditoribus præsentibus, totique populo Judæorum, Dei clementiæ et Christi intercessioni promissionique ascribendum esse, quòd excidium eorum ad aliquod adhuc tempus differatur, si fortè Christo efficaciora etiam adhibente remedia, vel tandem ad Deum et Christum ejus convertantur. Quòd si nec hâc quidem ratione corrigantur, proculdubiò esse, et tanquàm pertinaciter infrugiferas arbores, terrâque indignas, ex hoc seculo exscindendos esse, in futuro autem in ignem mittendos. Has Christi minas quidam indubiè Judæorum considerantes et intelligentes, Salvatori suo crediderunt, et per eum fructiferi redditi, mala effugerunt. Sed plerique omnes, obstinatè increduli et absque fructu remanere pergentes, malis hìc à Christo prædictis oppressi sunt, ex hoc seculo per Romanos excisi, alterius seculi igni inexstinguibili traditi. Hic idem porrò quem in Judæos Christus strinxit, parabolicus sermo, nobis optimè accommodatur, si quod Ambrosius ait, *fœcundum Ecclesiæ locum vacui meritis occupemus*, nec longâ Dei benignitate, et tot Christi pastorumque officiis provocati, ad edendos dignos pœnitentiâ fructus adducamur.

Vers. 10. — Erat autem. Transit evangelista ad aliud narrandum.

Docens, docebat in synagoga eorum, scilicet Judæorum, id est, *in unâ synagogarum*, prout est Grèce, seu *in unâ ex synagogis*, prout Syriacè. Significatur, miraculum subsequens, loco publico editum fuisse.

Sabbatis, plurale loco singularis, quodam sabbato. Meminit et temporis, tum ut significet, ita fuisse editum miraculum loco publico, ut etiam præsente multitudine populi, sabbatis enim convenire solebat populus in synagogam; tum ut indicet occasionem, quâ miraculum calumniam passum est. Sternit ergo his verbis evangelista sibi viam, ad narrandum commodè proximum miraculum: quæ ita referuntur ab interprete Syriaco, ut conjungantur cum versu proximè sequente, in hunc modum: *Cùm autem doceret Jesus in sabbato, in unâ ex synagogis, erat illìc mulier*, etc.

Vers. 11. — Mulier; *erat* additur Græcè, quod est, aderat; nam et Syrus, *erat illìc*, ait.

Spiritum infirmitatis, spiritum efficientem infirmitatem, invaletudinem seu morbum (quemadmodùm dicitur spiritus fornicationis, spiritus excitans ad fornicationem) quod est, infirmitatem à spiritu effectam, *infirmitatem à spiritu maligno inflictam*, ait Lyranus. Euthymius: *Dæmonium imbecillitatis, non sinens eam vivere cum salute*. Sic exponendum esse locum, plerique omnes docent, ex versu 16 subsequente. Morbos enim frequenter hominibus diabolus infligit, Deo permittente eoque ministro utente; eosque non vulgares et humanâ arte medicabiles; scimus enim, diaboli operâ, ut plurimùm insolitis malis et non naturalibus affligi homines; qualem fuisse et hanc infirmitatem, verisimile est hìc significari.

Annis, ab annis decem et octo. Fuit igitur infirmitas inveterata et medicis desperata.

Et erat. Genus infirmitatis declaratur.

Inclinata deorsùm, incurvata, propendens, cernua, toto corpore incurva, et prono vultu deflexa in terram.

Nec omnino poterat (explicat à contrario quid illud sit inclinata) sursum respicere, ἀνακύψαι, suspicere, erigere caput, vultum resupinare (opponitur vocabulo quod præcessit συγκύπτουσα), id est, illum corporis gestum induere, quo utuntur sursùm aspicientes. Hæc igitur erat mulieris infirmitas seu invaletudo, quòd dorso prorsùs curvo et in anteriora propendente, non posset, juxta hominum naturam, erectos ad sidera tollere vultus, sed necesse haberet, demisso semper vultu ad terram, tanquàm anus silicernia, incedere. Triste spectaculum. *Brutorum caput humi deflexum est, terram cernit*, inquit Basilius in Catenâ; *caput hominis erectum est in cœlum, oculi superna conspiciunt: convenit enim quærere superna, transcendere terrena intuitu*. Declaratur ergo infirmitatis gravitas simul et deformitas, ut eluceat miraculi sequentis magnitudo. Dignum diabolo auctore malum, cujus proprium est studium, ut homines, à

quit hoc prudentiæ et longanimitati domini sui. Unde non nisi post annos circiter quadraginta ficus illa Jerusalem à Deo per Romanos excisa est, cùm audita esset vox angelorum, in templo dicentium: *Migremus hinc* prout testatur Josephus in libris de Bello Judaico.

Vers. 11. — Et ecce mulier, supple aderat, quæ habebat spiritum infirmitatis, id est, dæmonem, qui efficiebat in eâ infirmitatem corporis. Dæmones enim ordinibus sibi congruis distributi sunt, ad inferenda mala, tum corporis, ut patuit in Job; tum animi, unde dicitur: *spiritus fornicationis, superbiæ*, etc., sicut angeli boni ad præstanda bona. Porrò genus infirmitatis erat, quod esset *inclinata, nec omninò poterat sursùm respicere*, hoc est, erat toto corpore et vultu in terram curvata, ita ut non posset

conditionis suæ rectitudine nobilitateque abstractos, similes reddat jumentis insipientibus, terrena sola spectantes ac quærentes.

VERS. 12. — VIDERET seu vidisset.

VOCAVIT EAM AD SE, advocavit, volens ei benefacere, *misericordia motus*, quod ait Euthymius, ultrò invitat eam ad accipiendam sanitatem, quam ferè non nisi rogatus conferre consueverat. Potuisset absentem sanare, sed voluit manifestum esse miraculum ad Dei gloriam; eò autem fecit, quòd coram universâ multitudine, in synagogâ ad rem divinam præsente, surrexerit mulier, et ad Jesum accesserit, horrendum corporis sui habitum eo ipso monstrans omnibus.

ET AIT ILLI, postquàm advenisset; venit enim mulier, plena bonæ spei; nam et hujus rei causâ fortassè, ad eam synagogam in quâ Christus concionabatur accesserat.

DIMISSA, liberata, ES, ad verbum, *absoluta* seu *soluta es*, quò respicit Christus ad id quod infra, v. 16, explicat, mulierem hanc quasi vinculis quibusdam à Satanâ ligatam fuisse.

AB INFIRMITATE TUA, omnibus conspicuâ. Est sermo hic operatorius, qualis ille in cœnâ: *Hoc est corpus meum*, infra 22, v. 19, efficiens quod significat; his enim verbis Jesus eam sanitati restituit, dicens simul et faciens; nec tamen ait *dimitteris* aut *absolveris*, præsenti tempore, sed præterito, *dimissa es*; intelligendum dans, quàm citò prolata esset enuntiatio hæc sua, tam citò perfectum fore id quod illa significârat; q. d.: Meum dixisse, fecisse est. *Voce certè divinissimâ, cœlestique potestate plenissimâ, feminæ hujus infirmitatem è medio profligavit*, ait Titus, ut et Theophylactus; nam pro imperio pronuntiat liberationem in manu suâ esse.

VERS. 13. — ET IMPOSUIT ILLI MANUS, scilicet hæc dicens. Non enim postquàm pronuntiâsset verba versûs præcedentis, imposuit Jesus mulieri manus, sed simul, et imposuit illi manus, et pronuntiavit illa verba: *Dimissa es ab infirmitate tuâ.* Imposuit autem manus, non quòd necessarium id esset ad sanandum, sed ut significaret, in se sitam esse vim sanandi, aliasque ob causas quas enarravimus supra, 4, v. 40; et signanter ut occasionem præberet contradictioni, de quâ sequitur, ejusdemque refutationi.

CONFESTIM, eo ipso momento, ERECTA EST, surrecta seu subrecta est, naturalem corporis situm recepit, sursùm caput corpusque erexit, atque ita permansit corpore et capite rectis, valentibusque pro arbitrio, nunc cœlum sursùm, nunc humum deorsùm aspicere. Tam facili negotio eam Jesus liberavit à morbo vetere ac planè immedicabili, insigne potentiæ suæ specimen exhibens, ut et misericordiæ ac gratiæ; testatus se ideò venisse, ut miseris succurrat, et *dissolvat opera diaboli*, 1 Joan. 3, v. 8. Utinam et corda nostra terrenis addicta, sursùm ad cœlestia erigat.

GLORIFICABAT, laudabat, gratias agebat Deo, agnoscens divinum beneficium per Jesum in se collatum. Nec illa sola glorificabat, sed et universus, qui illic aderat, populus, haud dubium: conspicuum enim fuit cœleste miraculum, amplam omnibus ac certam Dei laudandi materiam præbens.

VERS. 14. — RESPONDENS, hujus rei gestæ occasione loquens.

ARCHISYNAGOGUS, præfectus illius synagogæ; unus aliorum nomine, nam potuerunt fuisse plures. Vide quæ diximus supra.

INDIGNANS, ægrè ferens, QUIA, quòd, SABBATO, die sabbati CURASSET, id est, sanâsset; nec enim adhibitis pharmacis sanavit, quod propriè significat Latinum curare; JESUS mulierem. Indignè tulit quòd die sabbati id fecisset Jesus, duas ob causas, unam quam præ se tulit, quòd eo opere violâsset Jesus quietem sabbati, sanctè adeò à Deo mandatam, transgressus in synagogâ præceptum Dei, quod in synagogâ doceri et inculcari debeat; alteram, quam animo pressit, quòd die sabbati, quo populus maximâ multitudine convenerat, edidisset Jesus miraculum coram omnibus, quod proinde divulgandum hâc occasione et celebrandum ubique foret, magnâ cum gloriâ Jesu, quâ ipse urebatur. Utramque causam observavit Cyrillus in Catenâ, ubi ait: « Ingratæ synagogæ præsul, postquàm vidit feminam humo repentem, solo tactu erectam, et divina referentem magnalia, ardens Domini gloriâ, irritatur invidiâ, arguitque miraculum, quasi videretur sollicitari pro sabbato. »

DICEBAT, tanquàm suo fungens officio, TURBÆ, populo, ut subjecto sibi in synagogâ; non Jesu, veritus ejus auctoritatem et sapientiam, ne vicissim ab ipso reprehenderetur.

SEX DIES SUNT singulis hebdomadis concessi à Deo,

dorsum et cervicem, et consequenter faciem atque oculos in cœlum erigere, idque *annis decem octo.* Quo insinuat, inveteratam fuisse et à medicis desperatam infirmitatem. Non rectè autem putant quidam hìc magicam intervenisse incantationem; nam, ut Tertull. docet in Apologetico, c. 23, potestas dæmonica totis viribus etiam per se studet operari, quod per magos operatur.

VERS. 12. — QUAM CUM VIDERET, JESUS VOCAVIT AD SE, ut voluntatem ejus beneficio præveniret, cùm plerùmque non nisi rogatus sanaret, ET AIT: MULIER, DIMISSA ES AB INFIRMITATE TUA. Græcè, *soluta es*: eâdem metaphorâ, quâ versu 19, dicitur Satanas eam infirmitate quasi vinculis quibusdam deorsùm ligâsse. Porrò, *dimissa es*, idem est quod, *dimitteris*, seu liberaris, per hunc ipsum scilicet sermonem, qui operatorius fuit, utpote faciens cœlesti potestate id quod significabat.

VERS. 13. — ET IMPOSUIT ILLI MANUS, hoc scilicet dicendo; simul enim fieri poterant, quæ non simul narrari. ET CONFESTIM ERECTA EST, id est, naturalem corporis habitum recepit, contactu simul et verbis absolutis; quæ operabantur quidem cùm essent, sed tamen effectum suum exprimunt in facto esse, non in fieri, eò quòd eis absolutis simul exstaret. Allegoricè explicat istam erectionem Aug., epist. 156, et Ambros., serm. 8 in psal. 118, quòd Christus vinculis peccatorum in terrena curvatos erigat ad cœlestia. Itaque

VERS. 14. — ARCHISYNAGOGUS, seu synagogæ præfectus, INDIGNANS QUIA SABBATO CURASSET. Vera indignationis causa erat invidia gloriæ Christi, ut observat

QUIBUS OPORTET OPERARI, eos qui operari volunt. *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua,* ait lex, Exodi 20, v. 9; Deut. 5, v. 13.

IN HIS ERGO, his ergo diebus sex, VENITE ET CURAMINI (venientes sanemini), si velitis, qui estis ægroti aut infirmi; ET, pro *sed,* NON IN DIE SABBATI, septimo hebdomadæ, quo operari non licet. *Sex diebus operaberis, septimo die cessabis, non facies in eo quidquam operis,* ait iterùm lex, Exodi 23, v. 12; Deut. 5, v. 14. Quasi dicat: Non ægrè fero quòd sanemini, non invideo vobis beneficium sanitatis, sed nolite illud petere die sabbati. Quare? quia dari non potest absque legis transgressione. Jesus iste qui vos sanat, sabbatum violat hujusmodi suis actionibus conferendæ sanitatis: ab eo igitur si die sabbati petatis sanari, suffragamini et consentitis ejus transgressioni; quod ne faciatis, pro officio vos moneo. Homo scilicet pius, legis zelo ductus, consulit populi saluti. Sex dies operi destinatos esse admonet, septimum quieti; sed quàm stultè ac perversè illud operari definit? Si manuum impositio facta ægroto contraria est quieti sabbati, cur non et accessus ad synagogam? cur non et reliqua pietatis exercitia? cur non comedere ac bibere, adeòque vivere? Et ut humana opera contraria sint, cur divina? an neque Deus gratiam suam exerere die sabbati possit, quemadmodùm hìc manifestè? Atqui sabbatum ad hoc inter alia notanter institutum est, ut Dei gratia imploretur. Verumenimverò, non tam movit hunc archisynagogum religio sabbati, quàm invidia quâ torquebatur ob gloriam Jesu. Sabbato edita miracula, miris modis augebant gloriam et claritatem nominis Jesu, quòd coram universo populo ad rem divinam congregato ederentur, sicut mox diximus. Quare si rejicere ea in alios dies potuisset archisynagogus, quibus homines dispersi seorsùm singuli suis vacant negotiis, minùs celebria ea fuissent, et minùs gloriæ Jesu, minùsque profectûs ad fidem in Christum populo attulisset, quemadmodùm Cyrillus annotat his verbis: *Hortatur, cæteris diebus dispersos, et propriis vacantes operibus, non sabbato, videre et mirari prodigia Domini, ne fortè credant.* Expressa igitur est hæc imago invidiæ, specie religionis obtectæ.

VERS. 15. — RESPONDENS AUTEM, igitur, AD ILLUM DOMINUS, Jesus. Ille populum fuerat allocutus, Jesus illi respondet pro populo, eò quòd mens ejus fuerat, non tam populum, quam obliquè Jesum in populi personâ damnare, tanquàm violatorem sabbati.

HYPOCRITÆ. Alloquitur archisynagogum illum, et, quod Euthymius ait, *eos qui cum ipso erant,* nimirùm reliquos archisynagogos, aut certè qui ejusdem cum ipso farinæ erant, quales multi erant; ex quorum hic sententiâ locutus fuerat. Hypocritas autem vocat, non conviciandi, sed corripiendi causâ, quòd tum ipsis tum aliis utile esset, retegi simulationem eorum, quâ aliud corde premebant, aliud sermone præ se ferebant. *Benè dicit hypocritam, principem synagogæ,* ait Chrysostomus in Catenâ, *quia faciem habebat legis cultoris, mens verò ejus erat versuti et invidi: non enim turbatur propter sabbatum quia violatur, sed propter Christum quia glorificatur.*

UNUSQUISQUE VESTRUM. Proprio more, qui inter ipsos obtinuerat, convincit.

NON, pro nonne.

BOVEM SUUM, funem quo bos aut asinus suus alligatus est præsepi.

ADAQUARE, aquatum? q. d.: Ita est, negare non potestis, is mos est vester. Traditio enim et doctrina fuit veteris synagogæ, iis quæ sunt in beneficium animæ, id est, quæ pertinent ad periculum vitæ prohibendum, aut vitam sanitatemque alendam seu tuendam, non violari sabbatum; quanquàm hâc ætate eò usque excreverat quorumdam Pharisæorum superstitio, ut nec hominem latrinis aut puteo ausi essent die sabbati extrahere.

VERS. 16. — FILIAM ABRAHÆ; *existentem* additur Græcè. Bovi et asino, stupidissimis et vilissimis bestiis, opponit mulierem, non tantùm quia homo sit, id est, creatura rationalis, propter quam reliqua omnia animalia creata à Deo sint, psal. 8, v. 8; verùm etiam quia genere filia Abrahæ, eodem titulo, quo omnes ipsi promiscuè gloriabantur, insignis, existens de semine sancto Abrahæ, electo à Deo et adoptato in populum peculiarem. Augebat hoc mulieris dignitatem, eò magis, quò ipsi Judæi pluris hoc in se singuli ducebant. Potest autem fieri quòd non minùs fide quàm genere, Jesus filiam Abrahæ esse significârit, quod multi annotant.

ALLIGAVIT, ligârat, quasi enim funibus adhibitis caput pedibus alligârat.

SATANAS, juratus hominum adversarius.

ECCE, pro *jam,* quod Latinè dicimus.

DECEM ET OCTO ANNIS. Quò magis diuturnum est malum, eò promptius remedium apud misericordes animos meretur. Hoc temporis spatium admonet, quamvis miseriis nostris non statim medeatur Deus, non tamen esse desperandum.

A VINCULO ISTO, miserrimo et gravissimo.

Cyrill. in Catenâ, sed ei prætexit sollicitudinem religionis. Quare veritus Christum ipsum reprehendere, quasi fungens officio suo, dicebat turbæ: SEX DIES SUNT, etc., quasi d.: Non vobis invideo beneficium sanitatis, sed sabbato dari non potest, ideòque nec peti, quia consentitis legis transgressioni. Christus autem larvam tali doctori detrahens, dixit ad illum, etiam reliquis consentientibus:

VERS. 15. — HYPOCRITÆ, quia invidiam vestram religione palliantes, aliud corde premitis, aliud verbo præfertis, UNUSQUISQUE VESTRUM SABBATO NON SOLVIT, pro usitato scilicet et usitato inter vos more, BOVEM, AUT ASINUM, animal ignavum, nec homini comparandum, DUCIT ADAQUARE? Quod longè majoris operæ, quàm verbo aut manûs contactu sanare. Ex quo patet synagogam tunc tenuisse quòd operibus quæ spectarent ad vitam sanitatemque tuendam, non solùm hominum, sed et brutorum, non violaretur sabbatum.

VERS. 16. — HANC AUTEM FILIAM ABRAHÆ, quo dignitatis epitheto magis luculentè eam opponit vilibus illis et stupidissimis animalibus; QUAM ALLIGAVIT SATANAS, tam miserabilis infirmitatis vinculo, idque tot annos, NON OPORTUIT SOLVI, etc., cùm opus, quod lex permittit fieri omni animæ, non deneget animæ hu-

Die sabbati? Argumentum est à minori, seu ab eo quod minùs licitum videri poterat, hujusmodi : Permittitis vos ipsi vobis, ut boves et asinos vestros, bruta animalia, alligata præsepibus suis, diebus sabbati, solvatis et ducatis aquatum, idque ut benè illis sit, ne fortè ex siti illa morbum, vos damnum incurratis, si potus ipsis eo die negetur : quantò ergo magis permittere mihi debetis, licitèque facio, si non brutum aliquod animal, sed mulierem, creaturam rationalem, sancto Abrahæ genere vobis conjunctam, die sabbati solvam ac liberem à vinculo, quo (humani generis adversario faciente) caput ipsius pectusque curvatum, et in terram depressum fuerat, restituamque ei habitum pristinum à Deo creatore acceptum, quem non uno die, sed octodecim jam annis miserrima amiserat? Argumentum est efficacissimum, in quo singula verba suam habent antithesin et emphasin. Non tantùm enim filiam Abrahæ bestiis, sed et *vinculum vinculo comparat,* quod notat D. Ambrosius. Nullius enim faciendum venit, illud vinculum, quo brutum animal semel hebdomadâ ad diem unum prohibeatur à potu, etiamsi corpore deterius evadere debeat, collatum cum eo vinculo quo hæc mulier fidelis, odio communis hominum adversarii, ligata tenebatur, non uno die, sed jam octodecim annos, ita ut cœlum intueri nequiret, toto corpore incurva, horrenda, deformis. Nec tantùm vinculum vinculo comparat, sed et solutionem vinculorum inter se conferri vult. Longè enim plus laboris corporalis, à quo dies sabbati vult cessari, adhibendum est ad hoc, ut asinus à præsepi solvatur et ducatur ad aquas, quàm adhibitum fuerit ad restituendam huic mulieri sanitatem, quæ uno solo verbo, cum manuum impositione conjuncto, restituta fuit. Imò verò illud servile est opus, quod non nisi per servos fieri solet, qualia opera propriè prohibentur præcepto sabbati; *omne opus servile non facietis in eo,* repetit toties lex, seipsam explicans, nominatim Num. 28, v. 25; istud non servile, sed liberale et verè ingenuum est. Denique obliquè insimulat eos inhumanitatis, feritatis ac cæcitatis, quòd major animo eorum sedeat cura de vitando parvo incommodo suo, quàm de magno alieno; de curando jumento suo quàm de liberando fratre aut sorore, postremò morbum bovis aut asini sui pluris faciant quàm pauperis derelicti, seu, ut Beda ait, *hominis sanationem pecoris curæ postponant.* Aliàs aliis Salvator usus est argumentis, ad refellendas adversariorum in hâc materiâ objectiones : hoc jam contentus fuit uti, tam claro quàm efficaci, quod populus præsens posset optimè capere.

Vers. 17. — Erubescebant, pudore afficiebantur, quia non habebant quod responderent, convicti calumniæ. Non ita erubescebant, ut ad saniorem mentem redirent, sed pudebat eos quòd derisione digni ostenderentur, quòd populus intelligeret malitiam ipsorum et improbitatem resistentium Jesu.

Adversarii ejus, qui se opponebant ei, qui stabant ex adverso ejus.

Et, pro *sed,* vel, *autem.*

Omnis, totus, populus. Sic est etiam Syriacè, sed Græcè, *turba.* Addit autem Euthymius explicationis causâ : *Turba, tanquàm ab invidiâ libera, et beneficiis ab ipso affecta.*

In, id est, de, super, universis quæ gloriosè fiebant ab eo. Græcè, omnibus gloriosis quæ fiebant ab eo; gloriosis, scilicet rebus. Quod ita interpretans Syrus vertit, *omnibus miraculis quæ fiebant per manum ejus.* Latinus interpres legit πᾶσι τοῖς ἐνδόξως γινομένοις ὑπ' αὐτοῦ, nimirùm, omisso posteriore articulo, legit adverbium, ἐνδόξως, loco nominis ἐνδόξοις. Res gestæ ab Jesu, et gloriosæ fuêre, et gloriosè gestæ, quia dignæ perpetuâ laude, celebritate ac gloriâ.

Vers. 18. — Ergo. Græcè et Syriacè est, *autem.* Interpres intellexisse videtur, superioribus à Salvatore hæc subjuncta fuisse : quod si ita est, repetivit hìc Salvator eadem quæ aliàs dixerat Matth. 13, v. 31; Marc. 4, 30.

Regnum Dei, cœleste in terris? Interrogationes hujusmodi, ex nativâ Hebræorum rhetoricâ profectæ, quibus et rabbini in doctrinalibus sermonibus suis frequentissimè utuntur, serviunt, tam ad diligentem similitudinis inquisitionem ostendendam, loco et tempori accommodam, quàm ad attentionem parandam, memoriamque confirmandam.

Cui rei simile æstimabo, assimilabo. Quamnam ex naturâ rerum adhibebimus collationem seu similitudinem, quâ prædicemus simul et declaremus ignaris divini consilii, adeòque parvâ fide præditis, quo successu proximum sit ut crescat regnum Dei ex humili Evangelii principio; ut qualia vident naturâ duce fieri, talia etiam credant naturæ Domino conducente futura?

Vers. 19. — Grano sinapis. Quod ei accidit, cùm ex illo minimo oritur arbor maxima, omnis generis avium amplissima habitatio, tale quid accidet in parando cœlesti regno, seu condendâ Ecclesiâ meâ.

Factum est in arborem : durescit enim à stirpe sursùm, et in calidioribus quidem regionibus longè ultra humanam staturam assurgit. Porrò altera similitudinis pars, quam Salvator intelligendam relinquit, est hæc : Ita Evangelium, quo congregatur et conditur Ecclesia, paraturque cœleste regnum in terris, inter omnia genera doctrinarum, quæ sunt in mundo, minimum est, minimùm habet splendoris et com-

manæ, inquit Tertull., 4 contra Marcionem, cap. 30. Spirant singula Christi verba rei indignitatem quòd sanationem hominis, pecoris curæ postponerent, argumento quasi à minore ad majus : propter cujus evidentiam,

Vers. 17. — Cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus, tanquàm derisione digni, quorum improbitas simul et imperitia patebant populo; qui gaudebat in universis quæ gloriosè fiebant ab eo; non cum ostentatione, scilicet et jactantiâ, sed publicâ approbatione et prædicatione. Nam eò magis diligebant gloriam Christi, atque operum ejus, ut fieri solet, quò luculentiùs constabat eam non affectari.

mendationis, sive à naturali ratione, sive ab hominum consuetudine, sive à magistrorum eloquentiâ et auctoritate, imò abhorret ab insito hominibus judicio, ac proinde etiam contemptum est, Judæis scandalum, gentibus autem stultitia : tamen ubi à me (quod cœpi) et iis qui hâc in parte legationis munere pro me funguntur, prædicatum divulgatumque fuerit in mundo, cætera omnia doctrinarum genera, quæ hactenùs in mundo viguerunt, celebritate, soliditate, firmitate æternitateque superabit, et se per universum terrarum orbem longè latèque diffundens, innumerabiles alliciet attrahetque discipulos et cultores, ita ut nulla sit orbis pars, nulla natio sub cœlo, ex quâ non turmæ magnæ gaudeant accedere, amplecti doctrinam illius, requiescere in umbrâ fidei quam prædicat, et commorari in salutari observatione ac suavi contemplatione rerum divinarum, plurimarum numero, quas in se continet, virtus cùm sit et sapientia Dei, 1 Cor. 1, v. 24. Quò fiet brevi, ut augustissimum in terris sit cœlorum regnum, omnium et locorum et temporum, Ecclesia, inquam, catholica. Observandum porrò quàm cæci sint nostri temporis hæretici, qui Scripturam hanc interpretantur, tanquàm nondùm impleta sit, tanquàm etiamnùm, annis à Christo mille sexcentis, durent humilia Evangelii enascentisque Ecclesiæ exordia.

Vers. 21. — Fermento. Tale quid accidit in parando cœlesti regno quod ineo, quale cùm fermentum farinæ miscetur.

Mulier; mulierum enim illud est domesticum officium.

Abscondit, condidit, confudit, miscuit.

Sata. Satum nec Latina nec Græca vox est, sed Syriaca, cujus usus est numero singulari, Matth. 5, v. 16, *sato;* hoc loco numero plurium legitur, *sain,* derivata ab Hebraicâ *sea,* quam Latina editio veteris Instrumenti, nunc *satum,* nunc *modium* vertit. Erat verò satum mensura aridorum, certa vasis figura, in cujus medio signum expressum erat, quo dimidium mensuræ ipsius dignoscebatur, ut scribunt Hebræi. Fuisse autem apud Hebræos in vulgari usu, non tantùm Salvatoris ætate, quod Evangelium docet, verùm etiam ipsius Abrahæ et deinceps, monstrat occurrens passim illius mentio in veteribus libris. Porrò continebat satum cabos sex, cabo uno continente ova communia viginti quatuor.

Tria. Tria sata efficiebant unum *epha* seu *ephi,* id quod manifestum fit ex Ruth. 2, v. 17, collatis Latinâ et Chaldaicâ versionibus cum fonte Hebraico; et 1 Reg. 1, v. 24. Erat verò ephi, mensura regia, et maximè communis ac celebris, ad publica etiam commercia maximè omnium usurpata, id quod ex sacris litteris clarum est; et quidem ephi sive tria sata onus fuisse unius mulierculæ, ex illo Ruth loco patet; atque eâdem mensurâ consuevisse mulierculas farinam adhibere ad unam domestici panis coctionem, non tantùm hic Evangeli locus dat intelligendum, verùm etiam alia loca, Gen. 18, v. 6; Jud. 6, v. 19; 1 Reg. 1, v. 24. Idcircò igitur trium satorum meminit Salvator.

Totum, scilicet illud trium satorum farinæ corpus. Alii *tota* vertunt et ad farinam referunt. Sententia parabolæ est : Quemadmodùm modicæ fermenti massulæ ingens est vis agendi in immodicam farinæ copiam cui admiscetur, quam brevi afficit totam et in suam transformat naturam : ita humile Evangelium meum, universum terrarum orbem cui prædicabitur, alterabit, et in suam trahet vertetque naturam, non priùs desinens vim suam exerere, quàm omnes omnium et locorum et temporum electos ita affecerit, ut ex ipsius dictamine et sentiant et agant.

Vers. 22. — Et ibat. Ibat itaque per omnes obvias civitates, et castella, et vicos sive pagos, quò præmiserat electos à se discipulos septuaginta duos, sup. 10, v. 1. Videtur hìc sermo esse de oppidis et pagis, non Galilææ, ex quâ jam migraverat Jesus (quod ita videtur, si considerentur loca, supra, 9, v. 52, et Matth. 19, v. 1); sed Perææ et Judææ. Certè Peræam non omittendam, intelligendum dat versus 31 subsequens, qui insinuat hæc aut saltem quædam horum gesta in ditione Herodis. Herodis autem ditionem Galilæâ et Peræâ definitam fuisse jam sæpè annotavimus. Porrò « non ita Dominus Jesus, quod notat Theophylactus, « in parva venit oppida et pagos, ut magnas civitates « negligeret, id quod faciunt qui volunt simpliciores « decipere; neque ita venit in civitates, ut pagos præ« teriret, tanquàm ostentator et gloriosus; sed ut com« munis Dominus, imò ut pater qui omnium curam « gerit, ubique circuit; » et tam rusticos quàm urbanos, tam pauperculos quàm divites, omnes citra personarum acceptionem visitat atque erudit. Utinam Domini Jesu exemplum secuti episcopi, visitarent subinde diœceses suas pagatim et ecclesiatim.

Et iter faciens, paulatim accedens propiùs Jerusalem metropolim; nec sapientes nec potentes Judæorum reformidans, ubi statuerat doctrinam simul et vitam mortalem finire.

Vers. 23. — Ait, interrogavit eum in eo itinere quidam.

Si pauci, num pauci, scilicet *sunt. Quidam autem interpretantur* εἰ *per sanè,* inquit Euthymius, *ut sit, sanè pauci sunt qui salvantur;* sed minùs verisimiliter. Audierat iste frequenter, credibile est, Dominum concionantem de regno cœlorum, de observandis ad consequendam salutem regni cœlorum, iisque non parùm difficilibus observatu, denique redarguentem mores plerorumque, tanquàm alienos à viâ salutis. Hâc occasione quærit an pauci sint salvandi; q. d. : Si salutis et vitæ æternæ res ita se habet ut doces, videtur paucos homines esse salvandos. Quantùm autem ex

Vers. 23. — Ait quidam, si pauci sunt, id est, num pauci sunt qui salvantur? quemadmodùm scilicet ex doctrinâ observatu satis difficili videtur sequi. Ad quam quæstionem ita respondet Dominus, ut et causam aperiat cur pauci salventur, et simul hortetur, ut salventur multi, dùm dicit :

Domini responsis percipere licet, curiosus magis quærit quàm suæ salutis studiosus.

Ad illos, non ad illum tantùm, sed et ad præsentes omnes, quia communis omnium doctrina erat.

Vers. 24. — Contendite, enitimini, conamini, adlaborate, omnibus viribus. Hoc enim verbo significat, opus esse labore et conatu, quia non sine magnâ et arduâ difficultate queat quis angustam portam transmittere. *Nisi enim mentis contentio ferveat*, ait ex Gregorio Beda, et vim sibi ipse insigniter homo faciat, facilè gradum revocat, haud valens portæ angustias pertransire, præ eâ quam patitur effrenium carnis concupiscentiarum effusione; ut prætercam tentationes persecutionesque, quas dæmon et mundus iis movent, qui portam hanc trajicere conantur.

Intrare in regnum cœlorum, ad salutem.

Per angustam portam, per arctam illam, quæ secundùm virtutem est, vivendi rationem, quæ sola ad salutem regni cœlorum ducit. Portam vocat temporalem hanc vitam; sicut enim in portâ non subsistitur, sed per eam transitur, intraturque in domum aut civitatem; ita non permanet homo hâc in vitâ, sed per eam transit, intratque in eam vitam quæ æternùm duratura est. Angustam autem portam intelligit, rationem vivendi secundùm divinam legem à se hactenùs magnâ ex parte expositam: quam idcircò angustam dicit, quòd constringat hominem terminis virtutis, nec sinat evagari, sive dextrorsùm, sive sinistrorsùm, quò satisfaciat cupiditatibus suis. Est veluti stricta quædam via, inter duo præcipitia hinc inde media constituta, è quâ nisi se cautè observet homo facilè in præceps ruat: media enim est virtus inter extrema vitia. Defectus vitia ex unâ, excessus ex alterâ parte. Porrò viam hanc pergenti homini multùm facessunt negotii diabolus et mundus, maximè verò caro propria: hi enim cùm oderint mediam virtutis viam, nunquàm per eos homo quietus est ut suum iter conficiat, semper illis id sollicitationibus suis agentibus ut ad extremas viæ oras, in certum exitium, hominem adducant: quibus cùm necesse sit ut reluctetur homo, nullâque ratione committat ut de viâ deflectat (quantumvis lati et pulchri campi, qui apparent hinc inde, invitent, ubi latentium præcipitiorum fraus mendaci camporum soliditate velata est), quæ per se arcta erat, valdè arcta fit homini via, præsertim qui tam effreni equo, carne, sedeat oportet. Eâdem ratione fit ut ita angusta sit porta, ut non sine difficultate magnâ superetur, cùm ob persecutiones quas movet iis mundus qui portam hanc petunt, tum maximè ob carnis indomitam concupiscentiam, cui cùm nullam portæ angustia relinquat agendi suo pro ingenio libertatem, ampliùs illa irritata insurgit potentiùs, ita ut, nisi magnâ virtute in arctum homo comprimat fluida desideria, insigniterque sibi ipse vim faciat, fieri non possit ut portam transmittat. Cæterùm angustias istas difficultatesque viæ ac portæ in vitam ducentis lenit potentissima Christi gratia, quæ et hostibus omnibus nos reddit superiores, et charitate in cordibus nostris per Spiritum sanctum diffusâ facit ut eveniat id quod de se ille canebat: *Viam mandatorum tuorum incurri, cùm dilatâsti cor meum,* Psalmi 118 v. 32. Ut lata est porta quæ ducit ad perditionem, quia multi modi malè vivendi expositi sunt hominis electioni, iique consentanei inclinationi naturæ corruptæ illius; ita angusta est via quæ ducit ad salutem, quia unica est benè vivendi ratio, eaque contraria inclinationi naturæ corruptæ hominis. Laborandum igitur est et conandum. Nullo modo capit hæc porta onustos divitiis, cumulatos honoribus, distentos luxu, graves avaritiâ, turgidos et elatos fastu; sed, quod ait V. Beda, *per labores necesse est et jejunia seculi fallentis illecebra vincatur.* Cæterùm, quod Chrysostomus in Catenam adductus notat, *si via salutis angusta est in introitu, per eam tamen pervenitur ad latitudinem* cœli.

Quærent, cupient, optabunt, desiderabunt summoperè, intrare in regnum cœlorum ut salvi sint. Et non poterunt intrare, quia angustam portam non transierint; quia relictâ angustâ, putârint se per latam facilemque portam eò pervenire ac duci posse, miserè decepti. Ad propositam itaque quæstionem, non curiosè respondet Dominus, qui aut quot sint salvandi; sed quod utile ac necessarium maximè est: conamini, inquit, ut vos sitis de numero salvandorum; nolite quærere abstrusa et occulta, sed exerite vires omnes vestras, ut vos ipsi salutem assequamini; utque ad id exstimulet interrogantem cæterosque auditores, non obscurè intelligendum dat paucos esse salvandos, et nominatim Judæorum, idque quia non laborant per angustam portam ingredi, sed per latam plateam ambulant, vagantur, ac diffluunt; id quod clariùs dixerat Matth. 7, v. 13, 14: *Lata porta et spatiosa via est,* etc.

Vers. 24. — Contendite intrare, in regnum scilicet cœlorum, per angustam portam, viam virtutis. Arcta quidem et angusta porta intelligitur via virtutis, tum quia terminis divinæ legis, maximèque christianæ hactenùs traditæ, circumscripta est, ita ut neque ad dexteram neque ad sinistram vagari hominem sinat, ut ulli omninò cupiditati satisfaciat; tum quia incessu difficilis est, non propter se, cùm sit maximè connaturalis, sed propter pronitatem corruptæ naturæ in omnia sensibilia, à quibus difficillimè refrenatur; tum denique quia unica omninò est, à quâ ne quidem latum unguem fas est deflectere. Quia verò omnes cupiditates per diversissima genera vitiorum in corruptelas feruntur, sive per excessum sive per defectum, hinc dicitur: *Lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem;* id est, via iniquitatis, *et multi sunt, qui intrant per eam;* et consequenter tendunt ad perditionem æternam. Plerique enim viæ facilitate capiuntur, et libentiùs faciunt quod lubet, quàm quod licet. Unde pauciores qui arctam viam ingrediuntur; paucissimi qui ingressi ad finem usque perseverant, ut Hieron. notat, tùm hìc, tum lib. 2 contra Pelagianos. Nulli enim philosophi, hæretici, Turcæ, ethnici, eam inveniunt; nulli mali catholici ingrediuntur, pauci boni ad finem usque perveniunt. Via verò spatiosa inventu facillima est, quia non alio opus est ductore quàm errore et à viâ rectâ deflexu, qui infinitis modis fieri potest. Eamdem doctrinam lumine

VERS. 25. — CUM AUTEM, ex quo, postquàm. Syrus *ex quâ horâ.* Declarat id quod præcedit : *Multi quærent intrare, et non poterunt.*

INTRAVERIT in domum suam, in possessionem regni sui, secum introductis iis qui per angustam portam advenerant, invitatis hospitibus. Interpres legit, εἰσέρθῃ, pro eo quod nos Græcè ac Syriacè legimus, ἐγερθῇ, *surrexerit. Effingit,* inquit Euthymius, *patremfamiliâs sedentem suosque amicos recipientem, deinde surgentem,* etc., satis nimirùm exspectatis iis quos in domum suam invitaverat; ut Jesus modò sedet à dextris Dei, exspectans eos qui ad se venire contendunt per portam angustam, quemadmodùm ipsum oportuerat pati plurima, et ita intrare in gloriam suam, infra 24, v. 26; quos ubi exceperit omnes, surget ad judicium universale, et claudet ostium, etc.

PATERFAMILIAS. Seipsum comparat patrifamiliâs, quod versu proximo dat intelligendum, utpote Regem cœlorum; et regnum suum, regnum, inquam, cœlorum (quod quibus intrare datur, soli salvantur) beatæ domui.

ET CLAUSERIT OSTIUM domûs suæ, decreverit neminem ampliùs admittere in regnum suum. Id fiet quod ad omnes in novissimo judicii die; quod ad singulos, statim à morte. Quamdiù mortalis hæc vita durat, quasi patente ostio nos Dominus exspectat; eâ autem finitâ, sive singulis, sive omnibus, mox vel intrare datur in beatam domum illam, ipso jure, si non statim actu, siquidem angustam portam tenuerimus; vel clauditur ostium, id est, aufertur omnis spes intrandi, siquidem venerimus aliâ viâ.

INCIPIETIS ; Græcè, *et incœperitis;* adhuc pendet sententia, id quod Latinus interpres claritatis causâ mutavit, omissâ conjunctione et indicativo dato loco subjunctivi.

INCIPIETIS autem vos, Israelitæ, id est, plurimi vestrûm, qui jam putatis regnum Dei, jure vobis debitum; FORIS STARE, id est, cognoscere intrandi facultatem vobis ademptam esse; ET PULSARE OSTIUM precibus cum inutili pœnitentiâ conjunctis. *Foris stantes ostium pulsare,* inquit Beda, *est, à beatorum sorte secretos, misericordiam quam neglexerant, à Deo frustra flagitare.*

DICENTES, non oportet intelligere ista tunc dicenda, sicut hìc referuntur, sed sic eventurum ac si dicerentur.

DOMINE. Græcè et Syriacè : *Domine, Domine;* exprimitur desiderii vehementia repetitione, simul et confidentia nimia in externâ fidei cultûsque divini professione.

APERI NOBIS, id est, quæretis intrare, summoperè desiderabitis admitti. In novissimo judicii die, homines stulti et improvidi, nimis serò, cùm tempus præterierit, summoperè dolebunt de vitâ negligentiùs actâ, volent modis omnibus posse emendare errata, rogabunt contentissimè Dominum misericordiam, denique miris modis excruciabuntur cùm serò agnoscent ablatam sibi esse spem salutis æternæ. Nam clausa erit porta non ampliùs aperienda, quippe ingressis omnibus qui essent admittendi; *clausa est,* inquam, imparatis et malè providis. Interea dùm reprobi serâ pœnitudine ducti cogitabunt anxii de remedio, aderit Christus, et quos in illo ipso articulo adventûs sui paratos, et fide per dilectionem operante solidâque pietate ornatos invenerit, pronuntiatâ sententiâ admittet ad æterna cœli gaudia, nullos postea alios admissurus. *Non enim post judicium patet precum aut meritorum locus,* inquit Augustinus, serm. 22 de Verbis Domini. Quia inter honesta mundi gaudia maximum habetur gaudium nuptiale, idcircò beatitudo cœlestis nuptiis comparatur, quanquàm et sunt illìc nuptiæ Christi cum Ecclesiâ (sic enim vocantur Apoc. 19, v. 9), intima, inquam, inseparabilis, et summè beata unio electorum cum Christo et Deo.

ET RESPONDENS DICET, paterfamiliâs. Græcè superfluit conjunctio *et,* quod ad sensum (quanquàm quidam ita vertant, ut sensus non absolvatur hoc versu, sed demùm proximo); Latinè conjungit futurum præcedens *incipietis,* cum sequenti *dicet,* acceptâ pro *sed.*

NESCIO VOS. Nihil tunc proderit reprobis pœnitentia malè anteactæ vitæ, nihil voluntas meliùs agendi et sincerâ solidâque pietate Domino serviendi; nullas denique exaudiet tunc Dominus preces, nec ullum daturus est misericordiæ locum, sed constanter rejecturus ac reprobaturus, et exclusos nuptiis tenebris exterioribus æternùm addicturus, quoscumque adveniens invenerit imparatos, tanquàm non suos et indignos cœlestibus nuptiis gaudiisque, quantùmcumque familiariter hìc cum sponsâ Ecclesiâ egerint, et inter primos professi fuerint exspectationem cœlestium nuptiarum. *Dictum est,* inquit Augustinus, serm. 23 de Verbis Domini, *verum est, non fallaciter dictum est : Pulsate et aperietur vobis; sed modò, quando tempus*

---

naturæ viderunt ethnici, et expresserunt partim per litteram Pythagoræ bicornem, partim per facilem descensum Averni.

Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor.

QUIA MULTI QUÆRENT INTRARE, id est, summo desiderio nitentur intrare, ut salvi sint, viâ videlicet jam absolutâ; ET NON POTERUNT, quia totâ viâ aberraverunt. Putaverunt enim se non per angustam portam, sed per spatiosas vias, quæ perditionis erant, deliciando eò posse pertingere.

VERS. 25. — CUM AUTEM INTRAVERIT PATER FAMILIAS, in regni sui possessionem, unà cum prudentibus virginibus, quæ per angustam portam intrando, eum secutæ fuerant, nam ad illam parabolam alludere videtur; ET CLAUSERIT OSTIUM, ita ut nemini ampliùs pateat ingressus, vel ingrediendi spes, INCIPIETIS FORIS STARE, vos videlicet Israelitæ, seu vestrûm plurimi; ET PULSARE OSTIUM, hoc est, ut Beda, à beatorum sorte secreti, incipietis misericordiam, quam neglexeratis frustra, flagitare, dicentes : DOMINE, APERI NOBIS, non quòd illa ad litteram sic dicenda sint, vel agenda, sed magnitudo desiderii salutis exprimitur, simulque præsumptio de pristinâ familiaritate, quam cum patrefamiliâs habuerant in hâc vitâ, cum eo scilicet conversando, vel etiam fidem, religionem, cultum ejus inaniter profitendo. Unde ille RESPONDENS DICET VOBIS : NESCIO UNDE SITIS,

est misericordiæ, non quando tempus est judicii. Non enim possunt confundi ista tempora, cùm misericordiam et judicium Domino suo cantet Ecclesia. Ad judicii tempus spectat illud Prov. 1, v. 28 : *Tunc invocabunt me, et non exaudiam*, etc. Itaque, *nescio vos, cùm dixerit*, inquit Chrysostomus, *nihil aliud quàm gehenna et intolerabilis cruciatus relinquitur, imò verò etiam gehennâ istud verbum gravius est.*

Unde, aut qui sitis. Audio nomen Domini, sed ego vos non agnosco famulos, vos mihi non servivistis, aliâ portâ ac viâ venistis quàm quæ à me munita fuerat, denique non estis scripti in libro meo, libro vitæ.

Vers. 26. — Tunc incipietis dicere, apud vos ipsos, in cordibus vestris, id est, vobiscum admirabimini, quomodò non agnoscam vos, quandoquidem ita familiariter fuerim vobiscum conversatus in vitâ.

Manducavimus coram te, id est, tecum vel te præsente, in eâdem domo, in eodem loco, tecum viximus, edimus, bibimus, apud nos natus es et familiariter nobiscum conversatus. *Hoc simpliciter ad Israelitas dicitur*, inquit Theophylactus; *etenim Dominus ex ipsis natus est secundùm carnem, et cum iis comedit ac bibit.*

In plateis nostris, non procul ab ædibus nostris. Docebat Jesus, aliquando in synagogis, aliquando in plateis, aliquando in agris, aliquando in desertis, prout erat opportunitas.

Docuisti nos verbum Dei. Audivimus te docentem, fuimus tui discipuli, id quod monstrare possumus recitando, si placet, memoriâ retentam doctrinam tuam, denique et sacra et profana fuerunt nobis tecum communia : quomodò ergo dicis quòd non noveris nos? Similia afferent qui ex gentibus excludentur : Communicavimus tuo corpori et sanguini, Evangelium tuum etiam alios docendo publicè professi fuimus, etc.

Vers. 27. — Et, pro *sed*, dicet, respondebit constanter.

Vobis, legitur Syriacè ut Latinè, sed non Græcè.

Nescio vos unde sitis, nescio unde vos sitis, nihil moror unde aut qui sitis, an vicini et familiares mihi in seculo fueritis an non, non novi vos meos, cùm operarii sitis iniquitatis. Carnis cognatio et consuetudo vitæ cum ipso Jesu, aut quævis alia in hoc seculo dignatio erga nos Dei, nihil proderit in die novissimo, si in hoc seculo mens fuerit addicta iniquitati.

Discedite, abscedite, omnes, quicumque et quotquot numero.

Operarii iniquitatis, operarii injustitiæ, id est, injusti seu iniqui, qui in vitâ operati iniquitatem, neglexistis per angustam portam hùc venire.

Vers. 28. — Ibi erit fletus vobis, tunc flebitis ac ejulabimini, et præ timore suppliciorum imminentium stridebitis dentibus, nec (cùm æternò mansura sit eadem causa, et supplicia ipsa perpetua mox successura) deinde aliquando cessabitis à fletu et dentium stridore.

Cum videritis, etc., coram in judicio præsentes, progenitores vestros Abraham, etc., et omnes prophetas, et omnes illos prophetas sanctos, gentiles vestros, in regno Dei, admissos in regnum Dei, frui beatitudine regni Dei. Audient enim vocem Judicis : *Venite, benedicti*, etc., et videbunt exsecutioni mandari.

Vos autem, etc., ab ipsis prognatos, semen ipsorum, cui promissiones erant cum ipsis communes; spe omni exspectationeque frustratos, expelli illo regno, non admitti in regnum illud, ut incognitos, alienos, degeneres. Foras, in tenebras exteriores; idque quia confisi generis et cognationis prærogativæ, neglexeritis sequi patrum per arctam virtutis viam vestigia; quod cùm facilè in seculo potuissetis, serò jam volentibus et desiderantibus non licere. Hæc simul omnia causa erunt ejulatûs et fletûs. Præmonet eos rei futuræ, ut tempori resipiscant.

Vers. 29. — Et venient, imò venient, quod amplius est, venient, id est, erunt, scilicet multi. Amplificatio est, ex eo sumpta, quòd Judæis repulsis (qui se putabant solos fore hæredes Dei), gentes sint subrogandæ, ut regnum promissum Abrahæ et semini ejus obtineant.

Aquilone, Gr., *Boreâ*, ex omni gentium natione.

Et accumbent, etc., qui accumbent, cum sanctis

quia non estis ex Deo, nec eâ, quam straveram, viâ ad me venistis. Nescio vos ut meos, seu pro meis. Plerique enim veteres observant *noscendi* verbum in Scripturis sæpè pro dilectione et approbatione usurpari; atque ita competit vel solis prædestinatis, quo pacto dicitur 2 ad Timoth. 2, v. 19 : *Cognovit Dominus qui sunt ejus*, vel omnibus justis, quos Deus ex regulâ suæ justitiæ justos facit, juxta illud psalmi 1 : *Quoniam novit Dominus viam justorum*, nempe qui approbat, diligit et facit eam. Unde August., serm. 25 de Verbis Domini, c. 10 : Non novit illos qui omnia novit? Quid est ergo : *Non novi vos?* Improbo vos, reprobo vos, in arte meâ non vos agnosco, ars mea nescit vitia, et judicat vitia : nescit faciendo, judicat arguendo.

Vers. 26. — Tunc incipietis dicere, id est, cum admiratione apud vos cogitabitis, quomodò ego non agnoscam vos, cùm fuerim inter vos tam familiariter conversatus; signa enim notitiæ meæ proferetis : manducavimus coram te, et bibimus, cùm scilicet multa simul millia panibus tuis miraculosè refecti fuimus, tecum vel te præsente in eâdem urbe, in eâdem subinde domo, conversati sumus, simul edendo, bibendo, et ad prandium invitando : nam ad Judæos propriè hæc videntur dici. Et in plateis nostris docuisti, nobis proinde præsentibus tanquàm discipulis tuis notissimis, cujus doctrinam memoriâ retentam etiam recitare possemus, quasi dicerent : Quomodò dicis te non novisse nos, unde simus, cùm tecum fuerint omnia tam profana quàm sacra communia?

Vers. 27. — Discedite a me, in ignem scilicet æternum, quibuscumque tandem gratiis et quantiscumque miraculis fulseritis. Est enim eadem sententia cum illâ terribili voce : *Ite, maledicti, in ignem æternum;* quæ tanquàm turbo dominicæ indignationis, et velut tempestas erumpens super caput impiorum veniet, Jerem. 23, v. 20 et 29. Operarii iniquitatis, qui scilicet in vitâ iniquitatibus addicti fuistis, et adhuc voluntatem addictam geritis. Non enim significat eos adhuc tunc iniquitatem operari. Hæc est ergo ratio, cur non noverit eos, quia aversatur eos.

illis patribus et prophetis, propterea quòd vitam illorum sanctam fuerint imitati, *in regno Dei*, quorum etiam cùm videritis felicitatem, majori quoque torquebimini invidiâ.

VERS. 30. — ET ECCE mirabilem rerum inversionem, contra exspectationem vestram. Hâc enim ratione fit ut sint novissimi, etc.

SUNT NOVISSIMI, ultimi, scilicet modò, tam rei veritate quàm vestro judicio, gentiles, inquam, illi qui venient ab Oriente, etc., *sunt novissimi* seu ultimi, id est, à regno Dei alienissimi, cujus nulla unquàm ipsis facta promissio est, imò qui ne Deum quidem ipsum hactenùs noverunt.

QUI ERUNT in seculo futuro PRIMI, inter primos, aucti beatitudine regni Dei, quod quibus continget, omnes magni ac præcipui erunt.

ET SUNT PRIMI, modò, Dei cognitione, patrum genere, promissionum jure, et regni cœlorum exspectatione gloriantes, vos, inquam, Judæi, qui me rejicitis Salvatorem.

QUI ERUNT NOVISSIMI, seu ultimi, scilicet in altero seculo, id est, nulli; exclusi regno Dei, damnatique ad pœnas æternas. Gentes illis opponit, ut sanctâ zelotypiâ exstimulet eos ad sectanda patrum vestigia. Multi qui in hoc perituro seculo, primi sunt viribus, divitiis, scientiâ legis, opinione sanctitatis, auctoritate, honore; in altero illo æterno seculo erunt ultimi, id est, nulli, nullius fient, contemnentur, abjicientur, alienissimi erunt et remotissimi à vitâ æternâ et omni bono; contra, multi eorum qui in hoc seculo sunt ultimi nulliusque fiunt, in altero primis potientur, erunt inter primos, loco, honore atque auctoritate: *nec enim est personarum acceptor Deus.* Sic agetur vobiscum : vos pauperes nulloque hìc inter Judæos loco, in altero seculo judices et principes eritis cæterorum : Scribæ et Pharisæi plerique, adolescens iste dives, aliique hujusmodi Judæorum hìc principes seu primores, illìc viles, abjecti, ac nulli erunt, adeòque excludendi vitâ æternâ. Similiter qui hìc meâ causâ bonis suis spoliati fuerint aut afflicti, illìc beati futuri sunt, æternâ inopiâ morteque mulctatis persecutoribus, quantùmvis hìc opibus viribusque præstiterint. Dicit alibi, *multi*, non omnes, eò quòd fiet ut quidam, sed pauciores, qui in hoc seculo primas honoris tenuerint, teneant et in altero, aut certè non fiant novissimi; et ut quidam eorum qui hìc viles abjectique fuerint, permaneant hujusmodi et illìc. Porrò sententia hæc, *et simpliciter* (Euthymio annotante) *omnibus dicta est, ut nunquàm hi qui præponuntur in vitâ, extollantur; neque hi qui hìc despiciuntur, animum despondeant.*

VERS. 31. — IN IPSA DIE, etc., eodem illo die, quo scilicet concionatus fuerat de ingrediendo per angustam portam, ACCESSERUNT ad Jesum QUIDAM PHARISÆORUM malè volentium illi.

HERODES hujus regionis dominus, VULT, statuit, TE OCCIDERE, si comprehendere queat, quærit occasionem occidendi te: ni caveris, nihilò mitiùs te tractabit quàm Joannem. Agebat Jesus, cùm hæc ipsi dicerentur, non in Galilæâ, è quâ dudùm migraverat, Matth. 19, v. 1; sed in Peræâ, Judææ conterminâ, cujus Herodes dominus et toparcha erat, non minùs, quàm Galilææ (nam et Joannes in Peræâ incarceratus atque occisus fuit), id quod jam sæpè annotavimus ex Josepho, lib. 17 Antiquit., cap. 10 et 13. Porrò simulant Pharisæi isti benevolentiam erga Jesum, et tanquàm amici hortantur, ut si salvus esse velit, extra Herodis ditionem concedat; cùm contra potiùs mortem ipsius desiderent. Non dubium enim quin mendacium commenti sint (ea ferè est opinio Græcorum enarratorum), quo Jesum perterrefacerent, *rati eum manum Herodis veritum, solum versurum*, quod ait Titus; quia nusquàm evangelista tale quid dat intelligendum de Herode, neque supra 9, v. 9, ubi hoc solum dicit de eo : *Et quærebat videre eum*; neque infra, cap. 23, v. 8, 9, 10, 11, ubi insuper et hoc narrat de eo, quòd Jesum suæ potestati traditum, non tantùm non occidit, sed ne dignum quidem qui occideretur judicavit, contentus, postquàm illusisset, impunem dimittere. Finxerunt ergo hoc mendacium Pharisæi duas ob causas; unam, ut Jesum, terrore Herodis incusso, eâ quam ipsi incolebant regione expellerent, *ne præsens et miracula edens glorificetur, et attrahat turbam*, quod ait Euthymius. Id enim, cùm invidiâ concitati, ferre non possent, et tamen nec disputationibus suis, vel auctoritate, possent Jesum compescere, metu absterrere conantur. Altera causa fuit, ut Jesus ex Peræâ in Judæam reversus, ibi potiùs ac certiùs comprehenderetur et occideretur, ubi sciebant ejus mortem destinato consilio à primoribus quæri; erat enim eâ de re publicus Jerosolymis sermo, Joan. 7, v. 20, 25, 32.

VERS. 32. — ITE ET DICITE. Profecti dicite, renuntiate, meis verbis. Ad libertatem et intrepidam animi magnitudinem pertinet quòd non alios, sed illos ipsos, qui deterrere conabantur, responsum referre jubet.

VERS. 31. — IN IPSA DIE, quâ hæc postrema jam dicta concio contigit, dixerunt ei QUIDAM PHARISÆORUM : EXI ET VADE HINC. Ex Jerosolymis, inquit August., 6 contra Julianum, cap. 19, putans hæc Jerosolymis esse dicta; sed quia pro ratione subjungunt, QUIA HERODES VULT TE OCCIDERE, qui nullam habebat jurisdictionem in Jerusalem, rectiùs videtur idem August. tradere, lib. 1 de Consensu, cap. 75, hæc alibi quàm Jerusalem contigisse, scilicet in ditione Herodis, sive Galilæâ, sive potiùs Peræâ, quæ ultra Jordanem erat. Putant autem non pauci Pharisæos specie benevolentiæ erga Christum hoc mendacium ei obtrusisse, sed reverà ut terrore Herodis à se discederet, et in Judæam transiens ibi occideretur. Probabile hoc fit, quia Herodes nunquàm legitur Christum persecutus, ne quidem in passione. Sed quia Christus alibi quoque, cùm audìsset quòd Joannes esset traditus, secessisse legitur ex Herodis ditione; et quia Pharisæis istis ita respondet, quasi veritatem, non calumniam ei dixerint, verisimile est Herodem saltem tunc temporis mortem ejus quæsivisse, et Pharisæos invidiâ gloriæ Christi eum à se motum voluisse. Respondet igitur,

VERS. 32. — ITE ET DICITE VULPI ILLI. Vulpes animal dolosum ac timidum est, ut August., in psal. 62, ubi propterea hoc nomine reges impios in Scripturis

Vulpi illi. Quamvis sciret Jesus, *ut qui unus mortalium omnium corda et renes scrutari soleat*, inquit Titus, mendacium sibi obtrudi; dissimulat tamen id à se sciri, et sic respondet, ac si nuntiâssent illi quod res erat, Herodem verè meditari necem Jesu; ut ostendat nullius, quantùmvis potentis, timore abstrahi se posse à prædicando Dei verbo, eoque miraculis confirmando, quod sui muneris erat; neque quidquam sibi periculi imminere à quovis homine, priusquàm permitteret ipse. Non enim tenebatur defendere Herodem tanquàm ab hoc facinore alienum, partim ne fretus Herodis indulgentiâ videretur liberè agere quæ vellet partim, quia, licèt hoc non meditaretur Herodes, tamen non perinde alienus esset ab hoc similibusque sceleribus, si res ferret, perpetrandis; id quod ex cæde Joannis Baptistæ patuerat. Merebatur igitur ille nomen vulpis, ob calliditatem cum fraudulentiâ et bonorum exstirpatione conjunctam: non tam in eum tamen id notæ stringit Jesus, quàm in mendaces istos Pharisæos, qui simulantes se consultum velle saluti Jesu, conantur eum in exitium protrudere. Quare Euthymius: *Quanquàm hic sermo*, ait, *Herodi videatur attribui, ad ipsos tamen respicit.* Id subindicatum docent Cyrillus in Catenâ, Titus et Theophylactus, pronomine *huic*, quod personam præsentem demonstrat; *pene enim ipsum Pharisæum ostendit propè manentem*, ait Cyrillus. Id quod Titus latiùs explicans: *Videri poterat*, habet, *totam orationis vim, in unam Herodis personam convertere, et ita arbitrati sunt nonnulli; et tamen contra Pharisæorum pravitatem dirigit illam, veriùs quàm contra Herodem. Neque enim aiebat, dicite vulpi illi, sed vulpi huic. Enimverò, quò improbæ fraudis commentatione, Pharisæos vulpibus similes clarè ostenderet, summâ industriâ, mediâ quâdam voce utitur; idque scitè*, quod addit Theophylactus. *Nam singulari numero dicendo vulpem, Herodem illos suspicari fecit: dicendo autem, huic, quod est pronomen demonstrativum, insinuavit istos ipsos esse dolosos illos.* Sit igitur sensus ac si dixisset Jesus: Abeuntes accipite à me dictum vobis, qui vulpem agitis hìc apud me. Non autem contemnendi magistratus aut conviciandi causâ, Jesus, sive Herodem, sive hos Pharisæos in eâ quam induerant Herodis personâ, vulpes vocat, sed castigandi, quia tales erant, quales mererentur hujusmodi nomine ad plebem traduci, à Filio Dei, aut prophetâ acto Spiritu Dei: eò magis, quòd Jesu Filio Dei declarandum hìc esset, nec propter Herodem, nec propter ipsos Pharisæos, Herodis metum objicientes, minùs liberè se locuturum, nihilque se sibi ab ipsis metuere.

Ecce. Hæc sunt verba quæ jubet ad vulpem referri. Ecce, invitis omnibus, et Herode, si non ferat, et vobis et aliis.

Ejicio. Præsens est loco futuri, sed emphasim conferens, quâ significat, se in ipso opere esse, nec quemquam impedire posse quin perficiat quod exorsus est; q. d.: Pergo incumbere ejiciendis immundis spiritibus.

Sanitates, sanationes.

Perficio, perago; pergo sanandis iis qui malè habent è populo operam dare. Commemorat ea opera sua, quæ Pharisæos maximè torquebant, cætera subintelligens, et inprimis prædictionem Evangelii; eò quòd illis populum *ad credendum sibi alliceret*, quod ait Theophylactus; sed hujusmodi, quæ nemo malè interpretari posset, quæ nemo negare posset esse optima, et publicæ utilitatis beneficia, ob quæ proinde amorem ac præmia mereretur, minimè verò mortem aut ejectionem.

Hodie et cras, id est, aliquo adhuc tempore. *Hodiè et cras, plures dies significat*, ait Theophylactus: *quemadmodùm et nos familiari sermone consuevimus dicere: Hodiè et cras fiet hoc; non omninò intra tam breve temporis intervallum rem circumscribentes, sed tamen statim fieri significantes.* Et paulò post: *Non quòd tribus diebus rem circumscribat, sed pluribus quidem diebus, verùmtamen non valdè longo tempore.* Videtur hoc dictum fuisse à Salvatore, paulò ante diem festum Encæniorum, incidentem in vicesimum quintum diem mensis casleu, 1 Mach. , v. 59; qui partim novembri, partim decembri nostro respondet. Potuit igitur post hæc dicta supervixisse Salvator, paulò ampliùs tribus mensibus: hoc tempus significat per *hodiè et cras*, quod à nemine intercipi posse asserit, quin eo continuet opus suum.

Et tertia, tertiâ autem die subsequente; perseverat in figurato loquendi modo quem cœperat, pro eo ac si diceret, eo autem tempore finito, mox postea; non antè, quidquid homines machinari velint.

Consummor, præsens pro futuro, consummabor, subinde vocari notat. Unde, in psal. 88, exponit hoc de Herode, quia vafer ac timidus erat, instar vulpis, quem terrebat virtus aliena. Addit Beda de naturâ vulpis, odore esse tetro, putidum animal, semper tortuosis anfractibus ambulans; quod in Herodem et similes reges optimè quadrat. Jesus ergo velut Leo de tribu Juda intrepidus in argumentum auctoritatis suæ ei renuntiari jubet: Ecce, quidquid vos vel Herodes moliamini aut cogitetis, ego neminem timens, vitamque et mortem meam habens in meâ potestate, ejicio dæmonia, et sanitates perficio; id est, pergam in opere beneficentiæ, quod suscepi: præsentia enim ponuntur pro futuris. Hodie et cras, id est, exiguo adhuc tempore, et tertia die consummor, id est, brevi autem postea per mortem consummandus sum. Mors enim Christi consummatio etiam à S. Paulo vocatur, ad Hebr. 5, v. 9, sive quòd in illâ omnia consummaverit, omnibusque sui officii partibus perfunctus fuerit juxta quod ipse dixit: *Consummatum est;* sive quòd per eam ipse perfectè in gloriâ consummatus fuerit. Sensum istum tradit Theophyl. et Euthymius velut genuinum. August. verò, lib. 2 de Consensu, c. 75, et lib. 6 contra Julianum, c. 19, et aliis locis, hæc vult intelligenda esse de Christi corpore, id est, de Ecclesiâ, ut significet neminem impedire posse, quin in Ecclesiâ *dæmonia ejiciantur*, id est, peccata remittantur, et *perficiantur sanitates*, id est, quotidianâ spiritus renovatione perficiantur, donec *tertiâ die fiat consummatio*, id est, donec ad plenitudinem angelicam per corporis etiam immortalitatem perducatur. Sed figurata et mystica videtur hæc expositio, sicut et August. eam vocat loco cit. de Consensu; quamvis ipse eam putet primò intentam, et maximè litteralem. Sed sic nihil hæc verba spe-

moriar; sensus est, donec tertiâ die consummer, id est, donec eo tempore exacto moriar, quò scilicet destinato animi proposito intrepidus contendo. Mortem suam Christus vocat consummationem, quia per eam, perfunctus omnibus officii sui partibus, omnia consummavit, et se et electos; *unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos,* quod ait Apostolus, Heb. 10, v. 14; consummavit autem, id est, perfecit, in gloriam adduxit.

Vers. 33. — Verumtamen. Sive etiam hæc hujus versiculi verba jureat ad vulpem referri, sive ea sola quæ versu superiore tractata sunt, res eòdem recidit, quandoquidem ad ipsos Pharisæos præcipuè dicantur et referantur omnia. Postquàm versu præcedente egit de tempore quo munus sibi incumbens peracturus sit, nihil obstantibus cujusvis hominis minis aut insidiis, hoc versu agit de loco quo illud peracturus sit.

Oportet me. *Nequaquàm sibi necessitatem ingruentem ostendit,* ait Cyrillus, *sed magis arbitrio propriæ voluntatis pergere quò volebat;* hoc idem habet Titus. Sed perfectiùs eplicat Bonaventura: *Oportet, non ex compulsione, sed ex supernâ dispositione;* spontè enim secutus est Chritus Dei Patris sui ordinationem.

Hodie et cras et sequenti die. Hoc idem unum est, cum eo quod mox dixit: *Hodiè et cras et tertiâ die;* pluribus ahuc diebus, non tamen valdè longo tempore. Nam quamvis non dixerit, se etiam tertio die operam daturum consueto muneri, id tamen intellexit, se ad consummationem usque perseveraturum: consummationem attribuens diei tertio, tanquàm rem illi diei peculiarem, absque eo quòd neget, opus die tertio à se cotinuandum.

Ambulare per diversa loca; Græcè, proficisci, iter facere, non hìc hærere, sed hùc illùc oberrare et vagari. Sensu est: Verùmtamen sic exsequar pluribus adhùc consequentibus diebus, ad mortem usque, consuetum opus meum, ut non hìc remansurus sim, ne fortè id netuatis; aut hìc moriturus, si fortè id optetis: oportet enim, ex decreto Patris, per varia id à me fieri loca, ac proinde hùc illùc proficisci me, neque hìc hærere. Syrus scribit: *Verùmtamen oportet me hodiè et cras operari, et altero die iter faciam.* Nescio unde hauserit illud verbum, *operari;* nisi quòd Theophylactus et Euthymius idem verbum subintelligant, hoc sensu, oportet me hìc biduo adhuc operari quæ dixi, tertio autem die hinc discedam. Sed sequenda est prior tum lectio, tum interpretatio.

Quia. Subaudiuntur quædam: Non oportet me hìc in Peræâ remanere, multòque minùs mori, sed benefaciendo ac sanando omnes oppressos à diabolo, Act. 10, v. 38, varia loca pertransire, ut inter proficiscendum hùc illùc, Jerusalem quoque perveniam, atque ibi consummer:

Quia non capit, etc. Ita ad verbum vertit interpres ex Græco, pro eo quod dicas: Res seu rerum series non permittit. Syrus aliique clariùs vertunt, *fieri non potest;* alii mitiùs, *non contingit, non usu venit.*

Prophetam quempiam, qualem me ipse (si non alii) jure habeo, ne quid ampliùs dicam.

Perire, occidi, interfici, extra Jerusalem. Jerusalem locus est futurus mortis meæ, ut cæterorum prophetarum. Prædicit inimicis locum mortis suæ, quem benè optabant Jerusalem fore (mons enim suburbanus Calvariæ, ad Jerusalem pertinebat, tametsi extra portam situs, tanquàm locus ab eâ deputatus mactandis iis quos illa morte dignos judicâsset), ut cognoscere possent, si vellent, quòd spontè in mortem se traderet, qui conscius futurorum, potuisset locum vitare. Sed quare in Jerusalem potiùs quàm alibi passurus sit mortem, non affert decretum Patris, quemadmodùm Matth. 16, v. 21; sed inolitam illius civitatis prâvitatem, quæ usque adeò esset cædibus prophetarum assueta hactenùs, ut viderentur alibi non contingere, adeòque contingere non posse ut quæ id criminis aliis permittere non videretur, sed sibi usurpare ac gloriæ ducere, et quasi proprium facere, ægrè latura si alibi propheta trucidaretur. Hujusmodi quædam hyperbole latet in eâ voce, *non capit,* seu fieri non potest; de quâ Titus: *Quod dicit, non capit, vel, non contingit,* etc., *nemo ita accipiat, quasi Judæi vi aliquâ fatali adacti sint in sanctos sævire: dictum est autem, propter certam veritatis cognitionem quâ sanguinariam illorum voluntatem exploratè compertam habebat.* Similia habet Theophylactus, addens: *Assueti enim effundere servorum sanguinem, etiam Dominum ipsum occident.* Non capit ergo prophetam occidi extra Jerusalem, id est, oportet prophetam occidi in Jerusalem, non quòd nulli extra Jerusalem occisi sint; Jezabel in Samariâ multos occidit, 3 Reg. 18, v. 13, et 19, v. 10; sed quòd in Jerusalem plerique omnes occidi soleant, quòd usitatissimum esset prophetas in Jerusalem occidi. Cùm enim illic sedem figerent reges, sacerdotes, principes, potentes seculi, scribæ sapientes, Pharisæi sancti in oculis suis, qui, vulgo suffragante, ferre nollent prophetarum increpationes admonitionesque, facta est ea civitas, ex domo Dei, macellum prophetarum, quæ prophetarum quasi carnificinam profiteretur. Legimus 4 Reg. 21,

ctarent ad id quod de Herode Pharisæi dixerant, neque cohærerent cum sequentibus.

Vers. 33. — Verumtamen oportet me hodiè, et cras, et sequenti die ambulare; q. d.: Quamvis mihi supersit tam breve tempus, tamen, non obstantibus cujusvis hominis insidiis aut minis, oportet me, juxta divinæ Providentiæ dispositionem, toto illo tempore non hìc hærere, multò minùs mori, sed adhuc per diversa loca proficisci, et in Jerusalem pertingere. Itaque idem omninò tempus hoc versu significat, quod præcedenti; hoc tamen discrimine, quòd in priore versu significet se tertiâ die moriturum, hìc verò se usque ad tempus consummationis mortis functurum esse officio prædicandi, sanandi, etc. Nam, ut diximus, illud tempus tertiæ seu sequentis diei non consistit in indivisibili, seu uno solùm die. Quia non capit, Græcè, *non contingit,* seu fieri non potest, spectato scilicet modo agendi hujus populi, itemque divinæ Providentiæ, prophetam, id est, quemcumque prophetarum, nam generalem esse sermonem ex sequente

v. 16, de Manasse quòd *sanguinem innoxium fuderit multùm nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os.* Cùm ergo esset illa vetus et ordinaria prophetarum interfectrix, prædicit Jesus, etiam se, utpote prophetam, adeòque prophetarum Dominum, illic interficiendum, non in Peræâ aut alibi.

VERS. 34. — JERUSALEM, verisimile fit Jesum, non hoc loco usum hâc exclamatione invectivâ adversùs Jerusalem, sed eo quo narrat Matthæus; Lucam autem præoccupatione usum hic ascripsisse, eò quòd apprimè conveniat cum præcedentibus Jesu verbis : *Non capit prophetam perire extra Jerusalem.* Jam enim aliquoties vidimus, minimè ipsi esse infrequens, dicta Christi variis temporibus prolata simul colligere.

QUÆ OCCIDIS, occidens, interficiens, id est, interfectrix.

LAPIDAS. Lapidans, lapidatrix : solent enim Hebræi uti participiis præsentis temporis, loco nominum verbalium, id quod non semel jam annotavimus. Non igitur sic de præsenti tempore loquitur Christus, ut non de præterito et futuro, sed de omni tempore ipsi sermo est, quasi dicat, cui hoc pro more est et tanquàm in naturam versum, ut lapides aliisque modis occidas prophetas et cæteros justos ad te missos. Inter cætera occisionis genera frequentissimum Judæis erat lapidare : cæterùm non sic lapidare refertur ad missos, ut non etiam ad prophetas, sed phrasi Hebraicâ utrumque verbum utrique nomini indifferenter jungendum est quod ad sensum.

Jerusalem semper ducem se præbuit reliquis Judæis, ut in rebus cæteris, ita in occidendis prophetis, tam pertinaciter quàm si prophetarum sanguine extinguere conata fuisset salvificas Dei admonitiones.

QUOTIES, q. d., sæpissimè, jam olim hactenùs, per angelos, per prophetas, per justos varios, tandem etiam per meipsum ; idque non obstantibus sceleribus illis tuis immanissimis cædium justorum : non enim tam dolui de injuriâ illis illatâ, quibus quam gloriam pro toleratâ morte præparaverim ego scio, quàm de tuorum interitu. Indomita obstinatio, quia non semel atque iterùm ipsos Christus colligere voluit, sed per continuos successionis gradus alios atque alios submisit per quos colligerentur, tandem etiam ipse venit caro factus.

VOLUI ego CONGREGARE, id est, feci ea per quæ congregari potuissent, ea quæ ad congregandos illos facerent (habetur enim opus pro voluntate, cujus plerùmque inter homines est signum). *Congregare*, dispersos distractosque in varia studia peccatorum et expositos mille periculis perditionis, colligere in sinum meum, ad me Deum unum cum Patre et Spiritu sancto convertere, mihi reconciliare, et unire fidei, charitatis, cæterarumque virtutum vinculis, denique sub alas protectionis meæ constituere. *Nihil enim adeò dispergit, ut peccatum; et nihil ita ad Deum aggregat, ut virtus*, notat Theophylactus.

FILIOS TUOS, id est, cives tuos (solent enim cives Scripturæ more vocari filii civitatis) cæterosque Judæos, ad te tanquàm matrem, religionis ac principatûs causâ, confugientes; teipsam denique quæ constas filiis seu civibus tuis.

QUEMADMODUM; nec quovis modo congregare, sed comiter, blandè, sollicitè, summâ cum curâ, benevolentiâ, affectu ac dilectione. *Amorem suum*, inquit Chrysostomus, *ab imagine significavit : ferventi namque amore aves pullos diligunt suos.*

AVIS. Vox Græca communis est ad avem et ad gallinam; et mirus quidem inest avibus omnibus amor fovendi tutandique pullos, sed gallinæ præsertim. Vix enim aliud est animal, quod tantâ curâ et sollicitudine pro natis suis distringatur, raucedine vocis totiusque corporis exteriore habitu sollicitudinem testante, et quod tanto conamine ac periculo adeòque pertinaciter eos tueatur; cui etiam potiùs conveniat pullos sub alas congregare. Quare rectè interpretes Latinus et Syrus, *gallinam* transtulerunt, secundùm Matthæum.

NIDUM SUUM, pullos suos.

SUB PENNIS, partim ut foveat, ne fortè frigore pereant; partim ut defendat, ne à milvis rapiantur. *Crebrò*, ait Chrysostomus, *hæc imago avis et alarum apud prophetas invenitur, et in Cantico Moysi, et in Psalmis, mirabilem Providentiam et eximiam protectionem denotans.* Maximum itaque animi sui erga Judæorum salutem affectum ostendit hâc similitudine Christus, quò plus ignominiæ huic scelestæ genti irroget, quæ suaves et plus quàm maternas ejus invitationes respuit : nam ad blanditias usque se demittere gravatus non est, quò cicuraret in suum obsequium rebelles, *factus ipsemet tandem quasi terrena et domestica avis*, ut loquitur B. Hilarius. Sed quandonam voluit Judæos congregare gallinæ instar ? quandonam fecit ea per quæ illi congregari potuissent ? quando per angelos, quod dictum est, per prophetas, per justos, postremò etiam per semetipsum, docuit, instruxit, præcepit, prohibuit, nunc blandè nunc asperè admonuit, jam promissis, jam minis allexit, aliquando cæsos virgâ filiorum, plerùmque summis beneficiis affectos, invitavit. Hæc enim omnia eò faciebant, ut possent illi congregari, ut possent adduci ad Christum Deum. Occultè igitur hic intelligendam dat Jesus æternam divinitatem suam, et omnes retrò prophetas à se missos, denique Judaicum populum jam olim à se gubernatum fuisse, juxta illud Joan. 8, v. 58 : *Antequàm Abraham fieret, ego sum.* « Per singulas enim generationes, ait Origenes, semper voluit et festinavit « perficere voluntatem Patris in eis, etsi non in corpore « constitutus, sicut nunc in fine seculorum. Ipsius

versu patet, PERIRE EXTRA JERUSALEM. Non quòd nulli extra Jerusalem interfecti fuerint, sed hyperbolicâ et usitatâ locutione significatum voluit civitatem istam, in quâ residerent principes, sacerdotes, scribæ, Pharisæi, monitionum impatientes, quia sapientes in oculis suis, eò malitiæ pervenisse, ut neces prophetarum aliis urbibus præciperet, solaque capax esset tanti sceleris, quantum in nece Sancti sanctorum perpetrandum erat.

« enim volentis congregare filios Jerusalem voces ha- « bentur in lege et prophetis. Cessent ergo hæretici « (inquit Rabanus in Catenâ citatus) Christo princi- « pium ex virgine dare, omittant alium legis et pro- « phetarum Deum prædicare. » Porrò ut ex Christi cum gallinâ comparatione, intelligitur in Christo singularis amor curaque salutis hominum; ita ex hominum cum pullis, intelligitur in hominibus necessitas fotûs, protectionis et gratiæ Christi. Ut enim pulli adversùs accipitrem vitam tueri non possunt suo robore aut cursu, nisi se abdant sub corpus et alas matris; ita neque nos salutem nostram, adversùs dæmones in aere, qui multò astutiùs et pertinaciùs nostris insidiantur animabus quàm accipitres aut milvi pullis gallinaceis, nisi confugiamus sub tutelam et merita Christi.

Et, pro, *sed,* noluisti, tu Jerusalem, aut *noluistis* (sic enim habent Græca et Syra), vos Jerosolymitæ. *Noluisti* autem congregari filios tuos à me, non permisisti, imò modis omnibus impedivisti ne congregarentur à me, atque hoc etiam effecisti. Alloquitur Jerusalem, id est, cœtum civium Jerosolymitarum; et quanquàm præcipuè invehatur in ipsos duces, qui malorum omnium maxima causa erant ac fuerant, omnes tamen in eumdem reatum trahit, quia primatum consiliis plebs consentiebat et facta approbabat approbaveratque. Improperat itaque Jerosolymæ, quòd quæ, ut mater Judæorum omnium, omnibus auctor esse debuerat, ut Christo tam per seipsum quàm per prophetas et justos admonenti salutis obedirent ac subjacerent; nullos, quod in se fuit, obedire et ad pœnitentiam ac salutem adduci permiserit, atque adeò prohibuerit variis obstaculis datis, irridendo, contemnendo, persequendo, trucidando denique Christum ejusque servos. Lege 4 Reg. 21, v. 9; et deinceps, 2 Paral. 36, v. 15; et deinceps, Jer. 7, v. 13, præter alia veteris Testamenti loca; Evangelia ad hæc et Acta apostolorum. In eumdem sensum exprobrat Stephanus Jerosolymitis, Act. 7, v. 51: *Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos.* Notanda est autem emphatica oppositio inter velle Christi et nolle Jerosolymæ: *ego,* inquit, *volui, tu noluisti.* Ego magno studio ea exhibui et feci per quæ filii tui ad salutem adduci possent; tu non minori studio ea opposuisti, quibus salutem eorum excluderes. Quid igitur? Jerusalemne voluntati Dei resistere potuit? minimè voluntati absolutæ et propriè dictæ, quæ beneplacitum dicitur, neque hujusmodi voluntate voluit Christus congregare filios ejus (nam si eâ voluntate id voluisset, res effectum omninò sortita fuisset; dedisset enim filiis ejus, non solùm adminicula illa vocationis externæ, verùm etiam ipsum interius velle congregari, et contrarios conatus matris Jerusalem elisisset), sed congregare voluit, voluntate quæ impropriè sic vocatur, eâ nimirùm, quæ præcepta, prohibitiones, minas, promissiones, aliasque hujusmodi operationes adhibet: atque huic resisti potest, et frequenter, Deo permittente, resistitur ab hominibus, sicut hìc factum est, ubi, Christo congregare volente (id est, vocante et modis omnibus consulente, suaque consilia miraculis roborante), noluerunt congregari plerique filiorum Jerusalem, idque prohibente ac seducente ipsâ Jerusalem, cui adhærere maluerunt quàm sequi invitationes Christi. Quidam verò, quanquàm pauciores, voluerunt hoc ipsum quod Christus, et invitâ Jerusalem contemptâque novercâ, amplexi sunt monita Christi. Porrò quemadmodùm quando sategit Christus salvare filios Jerusalem, sategit utique et ipsam Jerusalem salvare, quæ non constat nisi filiis suis; sic et quando noluit Jerusalem ad salutem à Christo adduci filios suos, noluit etiam ipsa ad salutem adduci. Quare duo hìc intelligenda sunt, damnantia ipsam Jerusalem, quòd scilicet nec ipsa voluit salvari, nec suos permisit salvari; quorum tamen hoc primò, illud consecutivè intelligitur. Quibus ostendit Christus quàm justo et evidenti Dei judicio decreta sit Jerosolymæ reprobatio, cujus culpam in neminem conferre illa possit quàm in seipsam, quæ ultrò sibi ipsi damnationem hujusmodi molita esset.

Vers. 35.—Ecce, igitur, relinquetur; vel, idcircò *relinquetur.* Quia tu noluisti filios tuos congregari à me, et illi te potiùs quàm me audierunt, ob insuperabilem hanc pervicaciam vestram, multis seculis hactenùs continuam. Græcè est, *relinquitur:* præsens pro futuro, nisi quòd præsenti hoc ampliùs significetur, mox fore ut relinquatur; mox, tum propter temporis brevitatem, tum propter præsentem meriti plenitudinem.

Vobis, Jerusalem et filiis tuis civibus Jerosolymitanis Judæisque omnibus.

Domus, habitatio, civitas, terra, regio, natio: nam cum Jerusalem erat et reliqua Judæa deserenda et exscindenda.

Vestra. Domum ipsorum vocans, obliquè significat suam ampliùs non esse.

Deserta à me uno cum Patre Deo, *à patrocinio scilicet meo derelicta,* ait Chrysostomus, vacua me habitatore, destituta præsentiâ, auxilio, gratiâ et tutelâ divinâ. *Ipse igitur* Christus *erat,* addit Chrysostomus, *qui etiam superiore tempore continebat eos atque protegebat;* nimirùm ut æternus Dei Filius. Passim sacræ litteræ vocant Jerusalem *civitatem quam elegit Dominus ut poneret nomen suum ibi, et habitaret in eâ; civitatem Dei, civitatem Regis magni,* Psal. 47, v. 2, 3; Matth. 5, v. 35; at postquàm sceleribus cæteris despectionis misericordiæ divinæ toties sibi oblatæ, addidit sacrilegam repulsam Christi et Evangelii, factum est quod hìc prædicitur, et quod longè ante prædixerat Jeremias, cap. 12, v. 7: *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. Deserta* est à Deo et Christo; subtractâ divinâ gratiâ, non illìc ampliùs colitur Deus aut Christus nominatur. *Deserta* autem, exposita est prædæ hostium invisibilium et visibilium, haud secùs ac pulli qui maternarum alarum fotum diffugiunt, vel devorantur ab accipitre, vel longiùs dispersi pereunt. Sic Jerusalem et Judæa universa, simul atque à Deo et Christo deserta fuit, facta est

synagoga Satanæ et præda aquilæ Romanæ, à quâ filii illius omnes, vel interfecti fuêre, vel in extremas terras miserè dispersi. Quod igitur hìc dicit Christus, hujusmodi est : Vos hactenùs noluistis à me colligi et in meam vos dare tutelam : deseremini igitur à me, prout meremini, et relinquemini in prædam hostibus vestris. Hoc verbum, *deserta,* plerique codices addunt quemadmodùm etiam Syra ; sed optima manuscripta, nominatim tria Ecclesiæ nostræ Audomarensis cum uno Clarmariscensis, omittunt, astipulantibus, inter Græcos enarratores, Euthymio et Theophylacto, inter Latinos Bedâ. Nam etsi ascriptum sit *deserta*, textibus Bedæ et Theophylacti, Commentaria tamen eorum, si pressè considerentur, loquuntur non fuisse eis lectum. Quocirca non dubito quin vox ista, huic loco Lucæ addita sit ex Matthæo, tam Græcè quàm Latinè : similis enim varietas est codicum Græcorum. Cæterùm pronomen *vobis*, neutiquàm est omittendum.

Dico, prædico et affirmo.

Autem, pro, *enim*. Confirmat quod prædixerat de propinquâ desertione.

Vobis. *Ad Jerusalem loquitur et ad populum Judæorum*, inquit Hieronymus ; non ad præsentes tantùm qui hæc audiebant loquentem.

Non videbitis me, ampliùs, non ampliùs meâ præsentiâ et beneficiis fruemini, subtraham vobis, ut præsentiam corporis mei, ita protectionem ac beneficia mea omnia, et inprimis Evangelii prædicationem, quo fiet ut non convertamini ad me, nec per fidem me cognoscatis, sed planè excæcati omninò à me deseramini. Quamdiù Christus, qui redemptor ipsis advenerat, perseverabat apud eos, per se aut alios, testis ac præco redemptionis à se allatæ, restabat fidei ac salutis spes ; sed ejus discessu, perinde ac solis occasu, lux vitæ evanuit, et necesse fuit incredulis miseram succedere cum tenebris solitudinem, et cum derelictione cæcitatem. Hinc admonuerat eos, Joan. 12, v. 35 : *Adhuc modicum lumen in vobis est; ambulate dùm lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Itaque Jesus alludens ad imminentem præsentiæ suæ corporeæ subtractionem, significat subtractionem omnis tutelæ ac gratiæ Dei, et notanter fidei ut fundamenti, quâ denudandus sit populus Judaicus. Hanc subtractionem tutelæ gratiæque divinæ prædixerat Isaias cap. 5, v. 5, 6, his verbis sub typo vineæ : *Et nunc ostendam vobis quid faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, et erit in direptionem,* etc. Et tempus non longè aberat. Nam corporis quidem sui præsentiam biduo postquàm hæc dixerat eis subtraxit : beneficia tamen sua eis offerre, etiam cum aliquorum profectu, Evangelium, inquam, et regnum cœlorum ; alia quædam beneficia eis continua facere non desiit, donec Jerosolymitanum excidium instaret. Cæterùm breve esse quadraginta annorum spatium comparatum reliquo temporis spatio labenti in finem usque seculi, nemo non intelligit.

Dicetis. Gentem enim alloquitur, quæ nunquàm integrè exstirpanda eadem permansura sit ad finem usque seculi. Nec enim ii qui hæc audiebant hoc dicturi erant, sed filii seu posteri ipsorum, seri eorum nepotes. *Dicetis* autem scilicet mihi aut de me : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, celebrem hunc psalmi versiculum Messiæ proprium, quem indignamini nunc mihi à quibusdam accini. Illum enim mihi aliquando attribuetis, Messiam me agnoscentes, quantùmvis hoc nunc vobis tam incredibile quàm indignum videatur, qui me jam capitali odio prosequimini. Diù erit, inquit, quòd me ampliùs non videbitis : cùm autem iterùm videritis, dicetis : *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Illud erit, quando rediturus sum in mundum auctoritate Patris ut judicem mundum, serò, inquam, *postquàm plenitudo gentium intraverit*, Rom. 11, v. 25, *in consummatione mundi,* instante meo ad judicium adventu. Tamdiù, tot, inquam, seculis, vos non videbitis me aut corporis aut animi oculis, non credetis in me, non eritis in tutelâ meâ, non fruemini salutiferis beneficiis meis, omninò permanebitis in cæcitate cordis vestri. At quando apparere cœperint evidentia signa mei ad judicium adventûs, tunc agnoscentes vos frustra alium exspectâsse Messiam, jamque urgeri vos fine temporis, revertemini ad cor, et ego misertus vestrî, recipiam vos in gratiam ac tutelam, et præbebo me vobis conspiciendum, priùs fide, mox etiam corpore ad judicium adveniens vosque ad me accipiens. Tunc dicetis mihi gratulabundi :

Benedictus est à Deo, felix est summisque honoribus auctus, jam etiam regni perfectione cumulandus ; benedictione ad hæc seu laude omni hominum dignus est et prædicandus.

Qui venit, qui proximè venit, qui mox *venturus est ad judicandum orbem terrarum in æquitate.*

In nomine Domini, jussu, auctoritate ac vice Dei Patris ; q. d. : Gratissimus est nobis adventus ejus, gratulamurque ei honorem hunc et subsequentem regni perfectionem. Noluerunt olim majores nostri hoc tibi accini ex sacris Psalmis, Domine Jesu, noluerunt agnoscere hoc de te prædictum, quem reprobârunt *ut venientem in nomine suo, adeòque in nomine Beelzebub;* nos de te confitemur hoc fuisse prædictum, nos credimus et olim te venisse humiliter ad salvandum mundum, et mox te venturum gloriosè ad judicandum, *in nomine Domini :* ac proinde ex animo prorsùs illud tibi accinimus. Tantò autem pleniori in Jesum Christum fide dicent istud Judæi isti postremi, quàm turbæ in introitu Jerosolymorum, quantò pleniori fide imbuti sunt Christiani quàm Judæi. Huic interpretationi de conversione Judæorum in fine seculi, favet prophetia Oseæ, cap. 3, v. 3, 4, 5 (nam et Augustinus, lib. 18 de Civit. Dei, cap. 28, citat eam in hanc sententiam), quæ habet, quòd, *postquàm multis seculis sederint Israelitæ sine rege, et sine principe, et sine altari, et sine ephod et sine theraphim, in novissimo dierum revertentur ad Dominum Deum suum et ad David regem suum.* His itaque postremis verbis mirum in modum ussit Jesus Judæos auditores suos invidiâ odioque suî flagrantes, dùm eos ita prædixit

diù deserendos à se et Deo, ut ipsi tandem longis malis quærentes remedium, redituri essent ad ipsum, et propheticis laudibus, à quibus jam maximè abhorrebant, aucupaturi ipsius gratiam. Nihil poterat jam dici, aut magis grave ipsis, aut magis honorificum Jesu : de cujus futuri veritate, relinquebat Jesus judicari ex cæteris suis verbis et operibus.

CAPUT XIV.

1. Et factum est cùm intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum.

2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

3. Et respondens Jesus, dixit ad legisperitos et Pharisæos, dicens : Si licet sabbato curare?

4. At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

5. Et respondens ad illos, dixit : Cujus vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, et non continuò extrahet illum die sabbati ?

6. Et non poterant ad hæc respondere illi.

7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodò primos accubitus eligerent, dicens ad illos :

8. Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo :

9. Et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

10. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus :

11. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur.

12. Dicebat autem et ei qui se invitaverat : Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne fortè te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio.

13. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos :

14. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.

15. Hæc cùm audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi : Beatus qui manducabit panem in regno Dei.

16. At ipse dixit ei : Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.

17. Et misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam : rogo te, habe me excusatum.

19. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa : rogo te, habe me excusatum.

20. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideò non possum venire.

21. Et reversus servus, nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamiliàs, dixit servo suo : Exi citò

CHAPITRE XIV.

1. Jésus entra un jour de sabbat dans la maison d'un des principaux pharisiens pour y manger; et ceux qui étaient là, l'observaient.

2. Or, il y avait devant lui un homme hydropique.

3. Et Jésus s'adressant aux docteurs de la loi et aux pharisiens, leur dit : Est-il permis d'opérer des guérisons au jour du sabbat?

4. Et ils demeurèrent dans le silence. Mais lui, prenant cet homme par la main, le guérit et le renvoya.

5. Puis s'adressant à eux, il leur dit : Qui est-ce d'entre vous, qui voyant son âne ou son bœuf tombé dans un puits, ne l'en retire pas aussitôt, le jour même du sabbat?

6. Et ils ne pouvaient rien répondre à cela.

7. Cependant considérant comme les conviés choisissaient les premières places, il leur proposa cette parabole, leur disant :

8. Quand vous serez convié à des noces, ne prenez point la première place; de peur qu'il ne se trouve parmi les conviés une personne plus considérable que vous ;

9. Et que celui qui vous aura invité l'un et l'autre ne vous dise : Donnez votre place à celui-ci ; et qu'alors vous ne soyez obligé de prendre avec confusion la dernière place.

10. Mais quand vous aurez été convié, allez vous mettre à la dernière place, afin que, quand celui qui vous a convié arrivera, il vous dise : Mon ami, montez plus haut; et alors ce vous sera un sujet de gloire devant ceux qui seront à table avec vous.

11. Car quiconque s'élève, sera abaissé; et quiconque s'abaisse, sera élevé.

12. Il dit aussi à celui qui l'avait invité : Lorsque vous donnerez à dîner ou à souper, n'y conviez ni vos amis, ni vos frères, ni vos parents, ni vos voisins qui seront riches, de peur qu'ils ne vous invitent ensuite à leur tour, et qu'ainsi ils ne vous rendent ce qu'ils avaient reçu de vous.

13. Mais lorsque vous faites un festin, conviez-y les pauvres, les estropiés, les boiteux et les aveugles;

14. Et vous serez heureux de ce qu'ils n'auront pas le moyen de vous le rendre ; car cela vous sera rendu dans la résurrection des justes.

15. Un de ceux qui étaient à table avec lui ayant entendu ces paroles, lui dit : Heureux celui qui mangera du pain dans le royaume de Dieu.

16. Alors Jésus lui dit : Un homme fit un grand souper, auquel il invita plusieurs personnes.

17. Et à l'heure du souper, il envoya son serviteur dire aux conviés de venir, parce que tout était prêt.

18. Mais tous, comme de concert, commencèrent à s'excuser. Le premier lui dit : J'ai acheté une maison aux champs, et il faut nécessairement que j'aille la voir ; je vous prie de m'excuser.

19. Le second lui dit : J'ai acheté cinq couples de bœufs, et je m'en vais les éprouver ; je vous prie de m'excuser.

20. Enfin un autre lui dit : J'ai épousé une femme; ainsi je ne puis y aller.

21. Le serviteur étant revenu, rapporta tout ceci à son maître. Alors le père de famille se mit en colère, et dit à son serviteur : Allez-vous-en promptement

in plateas et vicos civitatis : et pauperes ac debiles, et cæcos, et claudos introduc hùc.

22. Et ait servus : Domine, factum est ut imperâsti, et adhuc locus est.

23. Et ait dominus servo : Exi in vias, et sepes : et compelle intrare, ut impleatur domus mea.

24. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

25. Ibant autem turbæ multæ cum eo; et conversus, dixit ad illos :

26. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.

27. Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.

28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum.

29. Ne posteaquàm posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei,

30. Dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare?

31. Aut quis rex iturus committere bellum adversùs alium regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se?

32. Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.

33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

34. Bonum est sal : si autem evanuerit, in quo condietur?

35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foràs mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

dans les places et dans les rues de la ville, et amenez ici les pauvres, les estropiés, les aveugles et les boiteux.

22. Le serviteur lui dit : Seigneur, ce que vous avez commandé est fait; et il y a encore de la place.

23. Le maître dit au serviteur : Allez dans les chemins, et le long des haies, et les forcez d'entrer, afin que ma maison soit remplie.

24. Car je vous assure qu'aucun de ceux que j'avais conviés ne goûtera de mon souper.

25. Comme une grande troupe de peuple marchait après Jésus, il se tourna vers eux, et leur dit :

26. Si quelqu'un vient à moi, et ne hait pas son père et sa mère, sa femme et ses enfants, ses frères et ses sœurs, et même sa propre vie, il ne peut être mon disciple.

27. Et quiconque ne porte pas sa croix, et ne me suit pas, ne peut être mon disciple.

28. Car qui est celui d'entre vous qui, voulant bâtir une tour, ne suppute auparavant, à loisir, la dépense qui y sera nécessaire, pour voir s'il aura de quoi l'achever;

29. De peur qu'en ayant jeté les fondements, et ne pouvant l'achever, tous ceux qui verront cet édifice imparfait ne commencent à se moquer de lui,

30. En disant : Cet homme avait commencé de bâtir, mais il n'a pu achever?

31. Ou, qui est le roi qui, se mettant en campagne pour combattre un autre roi, ne consulte auparavant, à loisir, s'il pourra marcher avec dix mille hommes contre un ennemi qui s'avance vers lui avec vingt mille?

32. S'il ne le peut pas, il lui envoie des ambassadeurs, lorsqu'il est encore bien loin, et lui fait des propositions de paix.

33. Ainsi quiconque d'entre vous ne renonce pas à tout ce qu'il possède, ne peut être mon disciple.

34. Le sel est bon; mais si le sel devient insipide, avec quoi l'assaisonnera-t-on?

35. Il ne peut servir ni pour la terre, ni pour le fumier; mais on le jettera dehors. Que celui-là entende, qui a des oreilles pour entendre.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et factum est. Accidit autem deinceps. Quo loco, incertum.

Cum intraret, Gr., postquàm intrâsset. Syrus etiam præteritum servavit : videtur enim istud, non in ingressu, sed postquàm ingressus fuisset, accidisse.

Jesus, Gr., ipse; sic etiam Syrus.

Principis Pharisæorum, ex principibus seu primoribus Pharisæorum; qui præter hoc quòd sectâ Pharisæus esset, auctoritate dignitateque eminebat, *inter sui ordinis homines principem locum obtinebat*, ait Titus.

Manducare, ad manducandum, ut comederet, pranderet vel cœnaret, ad quod scilicet erat invitatus.

Panem, ut cibum sumeret. Panis nomine Hebræi omnem cibum victumque intelligunt. Nullius conversationem respuebat Jesus, ut omnes lucrifaceret, *imò quò aliquam utilitatem iis afferat, familiarem et quasi domesticum se illis exhibet*, inquit Titus; sciebat enim quid utile illìc facturus esset. Vide supra, 7, v. 36.

Et, superfluè quod ad sensum, vel loco *tunc* positum est, pro more hujus evangelistæ.

Ipsi qui aderant, qui simul erant invitati, legisperiti et Pharisæi qui v. 3 nominantur; fortè etiam ipse invitans; quanquàm hujusmodi phrasis, Hebræis æquivalet verbo Latinorum impersonali, observabatur. Observabant autem, an eo die, qui erat sabbatum, quidquam facturus esset prohibitorum, signanter an sanaturus esset hydropicum præsentem, quod nefas et præter legem esse ducebant.

Vers. 2. — Et, pro *nam*.

Vers. 1. — Cum intraret Jesus, invitatus scilicet ad prandium, ut patet ex versu 7 et 12. Sabbato manducare panem, id est, ut cibum sumeret, Hebraicâ phrasi. Judæis autem usitatum erat in sabbatis ac festis convivium celebrare, propter lætitiam ac celebritatem diei, ut colligitur Tobiæ 2, v. 9. Quod primos Christianos ad se traxisse, excluso excessu, indicare videtur, Tertul. lib. de Idololatriâ, c. 14 Et ipsi observabant eum, legisperiti scilicet et Pharisæi, de quibus sequitur, utpote attenti in omnia quæ agebat. Itaque occasione præsentis hydropici,

Ecce, quod mirum videri poterat.

Hydropicus, laborans hydrope. Hydrops morbus est, qui Latinis dicitur aqua intercus, quòd sub cute aqua nascatur, quâ corpus turgescat; nam ὕδωρ Græcè aquam significat. Syrus, *qui congregaverat aquas.*

Erat ante illum, stabat coram eo, antequàm accubitum esset mensæ. An hic homo submissus fuerit à Pharisæis, ut suggererent Jesu occasionem faciendi quod carpere possent, an verò homo ipse spontè se obtulerit conspectui Jesu, non audens quidem petere sanitatis beneficium, ne offenderet Pharisæos præsentes, qui id ægrè tulissent, quemadmodùm sup. 13, v. 14, ille: *Sex dies sunt*, etc., sperans tamen Jesum, humanum non minùs quàm potentem, conspectu mali sui ad miserendum moveri posse, fit dubium. Alii priorem, Cyrillus et Euthymius posteriorem sequuntur opinionem. Certè hydropicus hic, vel domesticus fuit illius principis qui Jesum invitaverat, vel notus familiæ ipsius.

Vers. 3. — Respondens. Hâc occasione, quòd nôsset se observari, interrogavit eos, proposuit quæstionem ipsis convenientem.

Legisperitos, quorum erat inprimis id scire, quod legis et juris erat.

Pharisæos, ut rigidos legis ad litteram observatores, præsentes, qui *simul erant ibi invitati,* inquit Euthymius.

Dicens, pleonasmus est hujus participii frequentissimus.

Si, pro *an,* licet absque prævaricatione divinæ legis sabbato curare, sanare hominem ægrum corpore? Quærit an hominis sanatio, inter opera quæ sabbatum violant, censeri debeat; non quòd ignoret, sed ut pravum illorum errorem corrigat, ut ad restituendum hydropicum viam sibi paret, denique ut hâc præoccupatione excludat calumniam quâ miraculum arrosissent observatores invidi, si ipsis præsentibus, qui omnium se magistros profitebantur, contemptis aut neglectis, hydropicum reipsà sanâsset. Matth. 12, v. 10, ipsi priores hoc idem quærunt.

Vers. 4. — Tacuerunt. Nam, quamvis sentirent potiùs non licere, non ausi sunt tamen id respondere, veriti ne refellerentur à Jesu, hujusmodi argumentis, quæ solvere haudquaquàm possent, ut frequenter aliàs.

Ipse vero, ipse igitur.

Apprehensum, apprehendens, seu cùm apprehendisset, cùm attigisset, scilicet manu, attactu manûs.

Sanavit eum repentè, subitò exarefactâ illâ aquæ copiâ quâ turgebat, ac proinde corporis tumore subsidente. Silentium illorum pro se accipiens, tanquàm quod faveret parti affirmanti, facit quod suum est Salvator, confert hydropico sanitatem, ut qui libenter miseris mederetur. Sed de industriâ utitur attactu manûs, ut aliquid faceret, quo Pharisæis insulsis sabbatum violatum videri poterat.

Dimisit sanum et lætum. Jussit abire, partim ut incessus motusque abeuntis testaretur restitutionem sanitatis, partim ne ipso apud se detento ad ostentationem uti videretur, et adversarios, quibus alia insuper in hoc convivio documenta proponere statuerat, nimio pudore obtundere.

Vers. 5.—Respondens; id est, quâ re gestâ pergens loqui cum illis.

Dixit. Ne temerè sanâsse hominem videretur die sabbati, solo fretus silentio aut conniventiâ ipsorum, cùm aliàs novisse posset sententiam ipsorum, docet quàm licitè ac benè fecerit, allato exemplo à consuetudine ab illis ipsis receptâ.

In puteum, cisternam, foveam.

Et non, qui non, continuo, ut resciverit, absque morâ, ne submergatur, aut lædatur, extrahet illum magno labore et conamine adhibito, die sabbati, etiamsi pridie diei sabbati incidisset? q. d.: Nullus est vestrûm qui non sit mox extracturus, absque ullâ conscientiâ violati sabbati; unde inferendum ipsis relinquit: Quantò magis homo, *cujus commodo vivit animal irrationale,* inquit Euthymius, si in puteum inciderit, aut, quod idem unum est, suffocetur ab aquis intercutibus, sine morâ liberandus est, etiam die sabbati? Argumentum est à minore, prorsùs quale illud quod tractavimus supra 13, v. 15, et illud quod Matth. 12, v. 11, 12. «Si vos, inquit V. Beda, in «sabbato asinum aut bovem aut quodlibet animal in «puteum decidens eripere festinatis, non animali, sed «vestræ avaritiæ consulentes, quantò magis ego ho«minem, qui multò melior est pecore, debeo liberare?» Illud cupiditatis, hoc charitatis est opus.

Vers. 6. — Respondere, ex adverso vel contra respondere, convicti scilicet evidentiâ rationis. *Cùm manifesta esset veritas,* inquit Euthymius, coacti pudore sunt obmutescere. Cùm ex propriis ipsorum

Vers. 3. — Respondens Jesus, id est, loqui exorsus, Hebraico loquendi modo, quem alibi notavimus, dixit, per pleonasmum, in Scripturâ frequentem: Si licet, id est, an licet, sabbato curare? ut, quod ipse noverat licere, bonâ eorum pace faceret, vel certè errorem corrigeret.

Vers. 4. — At illi tacuerunt, quasi ad quæstionem perplexam: invidia enim secuturæ gloriæ Christi non sinebat eos verum dicere, neque pudor et reprehensionis timor, falsum. Ipse vero apprehensum, id est, cùm eum apprehendisset manu, quasi ipsâ manûs impositione curaturus, sanavit eum, aquâ subitò exhaustâ, et tumore depresso, ac dimisit, in testimonium restitutæ sanitatis, ac declinatæ ostentationis.

Vers. 5. — Et respondens, id est, cum illo loqui pergens, siquidem nihil adhuc dixerat; vide versum 3. Dixit: Cujus vestrum asinus, etc., et non continuò absque morâ, absque conscientiæ scrupulo, absque publicâ reprehensione vel ejus metu, extrahet illum, magno scilicet labore et molestiis? Argumentum est à minori ad majus, à liberatione scilicet bovis et asini ad liberationem hominis; ab opere tam molesto cupiditatis ad opus facillimum charitatis. Relinquit autem ipsis conclusionem inferendam, tanquàm perspicuam. Nam propter argumenti evidentiam

Vers. 6. — Non poterant ad hæc respondere; atque ita tacuerunt, non tam approbatione veritatis, quàm pudore tuendæ veritatis. Sanato itaque morbo corporali, antequàm accumberent mensæ, mox pergit

traditionibus et consuetudine liceret, imò oporteret jumento periclitanti succurrere; manifestæ stultitiæ arguuntur, quòd consequentiam inde ad hominem nequirent deducere. Quamvis autem turpiter obmutescere sunt coacti, non tamen approbârunt rem ab Jesu gestam, quin potiùs postea occasionem nacti, inter suos fortiùs acclamârunt: *Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit*, Joan. 9, v. 16. Hoc etsi non ignoraret Jesus, non tamen omisit hominem hunc restituere sanitati, exemplo suo docens, non esse omittenda opera bona, propter perversorum sive calumniam sive scandalum.

Vers. 7. — Et non legitur sive Græcè sive Syriacè; nec tamen superfluit. Priusquàm mensæ accumberetur, sanaverat hydropicum, et docuerat legisperitos ac Pharisæos, sabbatum officiis charitatis nequaquàm violari; postquàm jam accubitum esset, sanare conatus est morbum ambitionis, quo plerique convivarum laborabant; non parvum illum, certè hydrope majorem; et *amputatis omnibus inanis gloriæ ramis*, quod ait Theophylactus, maximam virtutum humilitatem docere.

Ad invitatos secum ad convivium.

Parabolam, id est, doctrinam, quâ à vanæ gloriæ ad humilitatis studium eos revocaret, non apertè redargutos, sed tectè admonitos, similitudine sumptâ à re præsenti, à ritu, inquam, convivali. Nam exemplo convivii et moderationis in eo servandæ, docet ubique servandam humilitatis modestiam. *Hujusmodi sunt complures inter Salomonis parabolas, per quas sub præceptis civilium virtutum ac morum, Spiritus sanctus ad veras virtutes informat sapientiæ candidatum*, adnotante Jansenio.

Intendens, attendens, considerans, contemplatus. Hæc fuit doctrinæ occasio.

Primos accubitus, loca mensæ honoratiora eligerent. Græcè, *eligebant*, pro, elegissent, ambivissent, conati fuissent singuli inter primos mensæ accumbere. Non enim parabolam deprompsit Jesus, tum cùm id ambitionis coram observaret suis oculis, sed posteaquàm jam assessum esset mensæ, datâ opportunitate, inter convivandum. De hoc porrò vitio notantur scribæ et Pharisæi etiam, infra, cap. 20, v. 46; Matth. 23, v. 6; Marc. 12, v. 39. Nam cùm cæteris se haberent majores, inter se mutuò de primatu et honoris gradu concertabant.

Dicens ad illos, pleonasmus familiaris, quem Syrus omittit.

Vers. 8. — Cum invitatus fueris, Græcè, *cùm vocatus fueris ab aliquo*, ad nuptias, ad convivium nuptiale; Syrus, *ad domum convivii*. Exempli loco nuptias dicit, intelligens quodvis celebre convivium.

Non discumbas, ne accumbas, scilicet sponte tuâ, injussus, quisquis aut qualis qualis esse tibi videaris. Syrus, *ne eas accubitum*.

In primo loco, primo consessu, *primo accubitu* vertit versu superiore. *Primo*, aut quàm potes ad primum proximo. Non ambias, non te ingeras in locum digniorem in accubitu, ut qui te habeas pro eo qui dignissimus sit eo honore, quod magnæ superbiæ sit. *Appetentia loci superioris arcetur*, inquit Ambrosius.

Honoratior, honore dignior, charior, aut magis in pretio habitus; hoc persuadere tibi, aut timere ut minimùm debes; nec enim nôsti invitatos omnes, et, ut noveris, nescis quo in pretio hospes habeat singulos hospitum suorum.

Vers. 9. — Et veniens, ac proinde veniens.

Vocavit, invitavit ad convivium.

Cum rubore, Gr., *cum pudore*, cum dedecore.

Novissimum, ultimum, nemine eorum qui jam post te accubuerant, tibi cedente; aut certè inferiorem.

Tenere, obtinere, atque ita pro captatâ gloriâ ignominiam lucrifacias. Quod dicit, hoc est: Non te ipse exaltes, ne alius humiliet seu deprimat te.

Vers. 10. — Vocatus fueris, ad nuptias, quemadmodùm supra, v. 8.

Vade, recumbe, Gr., *pergens accumbe*, vade sessum.

Novissimo, ultimo mensæ loco, quàm potes, humillimum locum elige, etiamsi primum tibi videreris mereri. Non hoc præceptum est, sed parabola, quâ significatur, ut potiùs quàm primum aut digniorem locum eligas vel ambias, ultimo te colloces; qualis illa Matth. 6, v. 17: *Tu autem cùm jejunas unge caput tuum*, etc. « Ille cordatus est, inquit Titus, qui cùm « primæ sedis honorem jure promereatur, adeò illum « non affectat, ut ultrò quoque aliis deferat. Quapro« pter magnum præclarumque donum est, animus « modestus suâque sorte contentus. »

Ut cum venerit, sic fiet ut cùm venerit communis hospes. Pergit sermone parabolico significare, non finem, quem spectare quis debeat, sed eventum, qui ut plurimùm accidat. Nam qui finem hunc spectet, in idem ille vitium incidat, ac si primum locum sibi usurpâsset.

Dicat tibi, si id merearis: Ascende superius, ad

ad sanandum spiritualem, scilicet ambitionem, quâ maximè Pharisæi laborabant. Hoc igitur scopo,

Vers. 7. — Dicebat ad invitatos parabolam: ut sub similitudine, à ritu convivali sumptâ, doceret, humilitatem ubique esse servandam, ut patet ex conclusione v. 11; nam hoc præcipuè spectabat in hâc parabolâ Christus. Intendens quomodo, etc., id est, attendens seu considerans; designabat enim non finem, sed occasionem hujus doctrinæ, quâ concertationes de primatu sanare volebat.

Vers. 8, 9, 10. — Cum invitatus fueris ad nuptias, id est, convivium nuptiale, ut eo quasi de alio convivii genere loquente minùs offenderentur, et sine animi molestiâ ipsimet doctrinam ejus ad præsens convivium extenderent. Non discumbas in primo loco, id est, non te ingeras in locum honoratiorem, sive primus ille sit, sive medius; sed recumbe in novissimo loco, id est, quàm potes humillimum eligas, quantùm in te est, licèt tibi primo dignus videaris. Ut cum venerit, id est, ex quo fiet ut, cùm venerit (non enim significat finem, qui sub fraudulentâ humilitate vitium ambitionis tegeret, sed eventum), qui te invitavit, cujus est loca hospitibus assignare ex honestate et consuetudine. Rectè autem monet D. Basil. in Catenâ ci-

locum superiorem seu honoratiorem. Similis parabola legitur Prov. 25, v. 6, 7 : *Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris. Melius est enim ut dicatur tibi : Ascende hùc, quàm ut humilieris coram principe.* Consuetudo et honestas relinquunt patrifamiliâs distribuenda honoris in convivio loca : cui pervicaciter reluctari, offerenti honoratiorem vel etiam primum locum, arrogantiæ sit, non humilitatis, idemque contendere de ultimo loco, quod de primo, auctore Basilio in Catenâ citato.

Tibi ascendenti superiùs ex alterius jussu.

Gloria. Vera gloria est quæ datur, non quæ ambitur.

Coram simul discumbentibus, coram iis qui tecum mensæ accumbunt, Syrus, *coram omnibus qui accumbunt tecum.*

Vers. 11. — Quia hoc Dei judicium est, quod frequenter in hâc vitâ, semper in futurâ locum habet ; Omnis qui se, etc. Hoc ante oculos posito, et superiore parabolâ declarato, placidè Salvator convivas modestiam et humilitatem docet ; non externam solummodò ac civilem quâ possunt etiam qui superbissimi sunt, excellere ; sed quæ verè intùs coram Deo sit talis ; ac si dicat : Quemadmodùm conviva pudore confusus, quia cùm primum sibi locum superbè usurpâsset, rejectus est in extremum, vellet se nunquàm de primo loco cogitâsse ; sic ne idem vobis usu veniat apud Deum, ut is arrogantiam vestram extremâ ignominiâ mulctet, infirmitatis vestræ vobis conscii, et animis et actionibus modesti atque humiles semper sitis, opportuno tempore ab ipso Deo extollendi. Itaque fugientes honores honor consequitur, honorem verò consectantes honor fugit ; atque ille dignior est qui humilior ; is maximus qui sibi minimus, atque is jam minimus esse incipit apud Deum, qui suo judicio magnus est. Deum Christus hìc nobis statuit judicem, qui *superbis resistat,* eorumque supercilium humiliet, *humilibus verò det gratiam.* Æquissimum est enim judicium ut, cùm solus Deus mereatur exaltari, humilietur qui se ipse exaltare præsumit, et sibi arripere quod Dei est ; cùmque hominis sit *humiliari sub potenti manu Dei,* exaltetur qui se ipse intra conditionis suæ metas continet, nec sibi plus arrogat quàm conveniat ; suâ enim modestiâ provocans liberalitatem Dei, auctis dotibus fit major ; ut ille suâ superbiâ irritans Deum, ablatis quibus efferebatur dotibus fit minor ac vilior. Jam proposito suo præsenti sic accommodare sententiam istam videtur Salvator : Meritò ministrum se credet et exhibebit, et ut hujusmodi humiliter demissèque se geret, si sibi consultum volet, qui inter vos dignitate, auctoritate, aut aliis Dei donis, eminuerit. Nam si aliter se geret, ut si, contra hanc humilitatis formam, dominum agat illorum quibus præest aut præcellit, insolenter se præferat illis, aut gloriam honoremve expetat ab illis, vertetur ipsi in ignominiam, et quidem æternam. Si autem è diverso, non se illis prætulerit, gloriam honoremve ab illis non ambiverit, honoribus exhibitis non fuerit oblectatus, denique non aliud quàm ministrum se agnoverit ac gesserit salutis utilitatisque illorum, honoribus augebitur longè amplioribus, adeòque æternis. Verissima est enim sententia : *Qui se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. Insolentiam Deus humilem effecturus est, et humilitatem elaturus in gloriam,* quo modo Hilarius hanc sententiam effert. « Vide, ait Chrysostomus, quomodò « rectè ad contrarium auditorem impellit. Non enim « à cupiditate primatûs prohibet solùm, sed ad alterum « extremum hortatur : sic enim desiderio potieris, « inquit, tuo ; propterea qui primas partes obtinere « contendit, necesse est ut postremas persequa« tur. Qui enim seipsum humiliaverit, is exaltabitur. »

Vers. 12. — Qui se invitaverat, ad convivium. Non est ingratus hospes Jesus ; ad convivium vocatus, pro corporalibus ferculis quæ ipsi proponuntur, reponit spiritalia fercula, multò digniora ac lautiora, et singulis quidem citra adulationem congrua. Sanato hydropico, Pharisæos docet veram sabbati colendi rationem : omnibus secum invitatis, humilitatis studium commendat ; denique hospitem à quo excipitur informat, quonam utilissimo modo convivium instruat. *Vides cœnæ Christi quales sint,* inquit Theophylactus ; *nempe in utilitatem animæ, non in satietatem ventris vertuntur.*

Cum facis, cùm est tibi animus faciendi, celebrandi.

Noli vocare ; μὴ φώνει, *ne voces.*

Amicos. Nominat Salvator eos ferè omnes qui ab

tatus non minus vitium esse, pertinaciter contendere de ultimo loco, quàm de primo, sed per se appetendum esse id quod Christus hìc monet, nobisque decorum est ; ordinis tamen constitutionem alterius arbitrio relinquendam. Dicat tibi : Amice, ascende superius, cui planè similis parabola narratur Proverb. 25, v. 6 et 7. Tunc erit tibi gloria, vera scilicet, quæ ab aliis datur, non ambitur.

Vers. 11. — Quia omnis, in quocumque genere actionum, etiam civilium, qui se exaltat, supra quàm meretur, imò etiam juxta quod meretur, si exaltationem illam impatienter per se arripere, non ab aliis sibi deferri velit : humiliabitur, propter ambitionis suæ impatientiam, non ferentem exaltationis moras ; et qui se humiliat, exaltabitur. Talis enim retributio non solùm divino, sed et humano judicio conveniens videtur, et justa, ut propterea in omni genere hominum et actionum hæc sententia Domini habere locum debeat. Unde Bernardus, serm. 27 in Cant., applicat rebus spiritalibus, rectissimèque monet, quòd, si liquidè cognosceremus, in quonam statu unum quemque nostrûm haberet Deus, nec supra nec infra secedere deberemus, sed in omnibus acquiescere veritati. Nunc autem quia hoc occultum est, justius ac tutius fuerit, juxta ipsius veritatis consilium, minorem se reputare, quàm habeat occulta veritas : nam grande periculum si quis vel modicè se ampliùs extollat. Hæc Dominus, instruens invitatos ; nunc ad invitantem.

Vers. 12. — Cum facis prandium, etc., noli vocare amicos, etc., divites. Referendum hoc est ad omnes præcedentes ; quasi d. : Noli vocare divites, qui tibi sint vel amici, vel fratres, vel cognati, vel vicini. Nec tamen etiam simpliciter tales divites vocare prohibet, sed tantùm sub conditione, si quis velit convivium suum quàm fructuosissimè collocare ; dissuadet enim

hominibus vocari ad convivium soleant, fratres, cognatos, amicos, vicinos.

Divites. Hoc epitethon ad omnes referendum est, non tantùm *vicinos*, sed et *cognatos, fratres, amicos*: Noli vocare divites, qui vel amici tui sunt vel consanguinei, vel vicini. Nam si amici, consanguinei, aut vicini, pauperes sint, non eos excludit; imò verò, cæteris paribus, hujusmodi aliis omnibus præferendi veniunt. Cæterùm non perstringit hospitem suum Jesus, quòd multos amicos divites vocâsset (nam et Jesum ille ejusque discipulos pauperes invitaverat), nec simpliciter prohibet amicos divites ad convivium vocare, sed sub conditione, si convivium velis adornare, quod tibi quàm fructuosissimum sit, si benè vis collocare epulum tuum, unde tibi redeat amplissima merces. Consulit ergo quod optimum sit. « Hæc eâ « de causâ non monuit, inquit Titus Græcus, quasi « sanguine vel aliâ necessitudine conjunctos, convivio « excipere non liceat (licet enim id); verùm docet be- « neficia quæ in amicos vel cognatos conferuntur, in « alterâ vitâ, eâ mercede non pensari, neque ea com- « moda afferre, quæ solent ea quæ pauperibus propter « Deum impenduntur. » Similiter inter Latinos Beda: « Fratres, amicos et divites, alterutrum convivia cele- « brare, non quasi scelus interdicit, sed sicut cætera « necessitatis humanæ commercia, ad promerenda « vitæ cœlestis præmia, nil valere ostendit. » Ex suo genere non sunt vitæ æternæ meritoria; cujus sequitur aut potiùs subindicatur ratio, quia suam hâc in vitâ mercedem seu compensationem habent.

Ne forte, Gr., *nequando*, prout moris est apud seculum, reinvitent, vicissim vocent ad convivium. Ne fortè id spectes et quæras ut quemadmodùm moris est in hoc seculo, vicissim te invitent. Non tam enim ex eo quòd vicissim invitent, quàm ex eo quòd invitans id spectet et quærat, aut eo contentus sit ut vicissim invitetur, censetur fieri retributio, quemadmodùm sequitur. *Nam hospitalem esse remuneraturis, affectus avaritiæ est*, quod Ambrosius adnotat.

Et fiat tibi retributio, et ita retribuatur tibi scilicet beneficium ab ipsis in hâc mortali vitâ, ita compensetur convivii beneficium quod in illos contuleras, altero convivio tibi ab ipsis exhibito, quæ compensatio, quàm levicula, quàm vilis est (vult dicere), et quæ minimè mereatur sumptus ac labores in apparando convivio expensos, semel recipere, unde ventrem ad aliquot horas cibo suffarcias? Suadet ut abhorreas ab eo fine invitandi convivas, quem homines plerique omnes spectant, nimirùm ut vicissim inviteris, aut vicissim beneficium aliquod ab iis quos invitaveris in hoc seculo accipias, id quod tunc fieri præsumitur, quando ii à nobis invitantur, qui convivio nostro non indigent.

Vers. 13. — Voca, invita ad illud.

Pauperes. Hoc epitheton ad omnes sequentes referendum est, *debiles* nimirùm, *claudos* et *cæcos*; possunt enim esse cæci, claudi ac debiles, qui non sint pauperes. Non ergo quosvis pauperes nominat, sed eos qui membro aliquo corporis defecti, nequeunt laborare, et victum lucrifacere: nam qui id queunt, nec faciunt, subindicat, non inter pauperes esse censendos.

Debiles, Græc., mancos, mutilos, oblæsos.

Et omittitur Græcè ac Syriacè.

Cæcos, scilicet aliosque hujusmodi.

Vers. 14. — Et beatus eris, quia non habent, non possunt, retribuere, rependere, tibi vicem, non valent reddere tibi par, et vicissim te convivio excipere; q. d.: Tu fortè objicis, si illos ad epulum meum invitem, peribit mihi omnis impensa, nullo cum fructu meo convivium instruam, quia non valent mihi rependere, ut nec digner ego epulum ipsorum accedere. Ego verò affirmo tibi, quòd quia non habent illi retribuere tibi æquale, quia non valent referre tibi gratiam, ac proinde nec hoc spectas in invitandis illis ut gratiam referant, idcircò beatus futurus sis, licèt aliud mundus judicet.

Retribuetur enim tibi par à Deo, rependet vicem Deus. Nam quia ab ipsis nihil aut receperis aut exspectaveris vicissim beneficii, Deus illorum loco rependet, qui sibi collatum beneficium imputat, quod in illos collatum fuerit. *Deum nunquàm obliviscentem habebis debitorem*, ait Chrysostomus in Catenâ citatus; ille par retribuet, nec par solùm, sed longè excellentius ac dignius convivium eo quod tu dederas. Accumbere enim te faciet mensæ suæ cœlesti, incomparabiles delicias præbituræ, in quibus summa et absoluta beatitudo consistit, quibus æternùm absque ullo fastidio satieris. Huic convivio collatum illud quod ab amico divite referri tibi potuisset, nullius momenti est. De hoc convivio clarè loquitur Salvator infra, cap. 22, v. 29: *Et ego dispono vobis*, etc., *ut edatis et bibatis super mensam in regno meo.*

potiùs quàm prohibeat. Causa est, ne forte te et ipsi reinvitent, id est, ne fortè hoc spectes, aut eo contentus sis; affectus enim talis magis quàm effectus excluditur. Nam hospitalem esse remuneraturis, affectus avaritiæ est, inquit Ambr., quo sensu etiam præceptum esse potest.

Vers. 13. — Sed voca pauperes. Refer et hoc ad omnia tria sequentia; nam alioqui possent esse debiles, claudi et cæci divites, qui præcedenti versu exclusi sunt. Et ne quis vereretur perituras sibi impensas, quia non possunt par retribuere, ex hoc ipso docet crescere hominis felicitatem.

Vers. 14.—Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum, id est, loco pauperum habebis Deum, nunquàm obliviscentem debitorem, ut Chrysost., qui longè excellentius rependet epulum, de quo supra cap. 12, versu 37, et infra, cap. 22, vers. 30. Hanc Domini exhortationem aliquâ ex parte implent, qui sumptus conviviis reliquos in pauperes distribuunt, si opportunum non fuerit adhibere mensæ; quanquàm sine dubio plenior ipsa esset hospitalitas, et admonitioni Christi conformior. Porrò quia et pauperes malè vel indifferenti fine invitari possunt, et divites bono, ut concordiæ fovendæ causâ et similibus, Dominus censendus est doctrinam de invitatione tradere, quemadmodùm ut plurimùm fieri solet, affectu scilicet vel retributionis, vel amicitiæ carnalis, vel aliis indifferentibus causis.

Convivio ergo quod ab hominibus possit rependi, opponit cœleste æternumque convivium.

In resurrectione justorum, in futuro seculo, postquàm justi resurrexerint ad vitam æternam, et tu cum illis atque inter illos, ob misericordiam, misericordiam consecutus. Periphrasis est vitæ æternæ, quæ ut à resurrectione demùm perfecta erit, ita et à resurrectione demùm perfecta erit retributio, tam corpore quàm animâ excipienda; idcircò enim illius tantùm meminit, et non etiam ejus quæ mox à morte. Tunc ergo, pro temporariâ pauperum refectione, rependetur perpetua cœlestium deliciarum fruitio, quod hìc promittit Salvator. « Non ergo turbemur, « inquit Chrysostomus in Catenâ, cùm non recipimus « beneficii compensationem, sed cùm receperimus; « quoniam si receperimus, non ampliùs recipiemus « illìc; sed si minimè retribuat homo, tunc tibi Deus « retribuet. »

Vers. 15. — Hæc de cœlesti convivio, quo remunerandi sint qui pauperes hìc ad convivium adhibuerint.

De simul discumbentibus, ex iis qui simul accumbebant, ex convivis.

Illi, Jesu.

Manducabit, quidam vertunt præsens *comedit* ex φάγεται; anceps enim verbum esse credunt; sed futurum meliùs quadrat.

Panem, ἄριστον, prandium; sed præferendum est ἄρτον, panem. *Manducabit panem,* sumet cibum, fruetur convivio, accumbet et particeps erit mensæ. Vide supra, v. 1.

In regno Dei. Hoc habet pro eodem cum eo quod Jesus dixerat, *in resurrectione justorum*, adnotante Eusebio in Catenâ : nam postquàm resurrexerint, erunt justi tam corpore quàm animâ in regno Dei. Hìc sectâ Pharisæus fuit, credens futuram resurrectionem, et justorum in regno Dei beatitudinem; sed an imaginatus sit, quemadmodùm hodiè Judæi, fore illìc corporeas ac sensibiles delicias, quibus reficiantur justi, quod sentiunt Theophylactus et Titus, incertum est; certum quòd, excitatus auditis Domini verbis, ad eaque alludens, proruperit in hanc vocem, ut felices fore prædicaret, quibus concedendum esset frui cœlesti illo divinoque convivio, quod justis à resurrectione in regno Dei foret præparatum, tanquàm desiderio illius non mediocriter tactus.

Vers. 16. — Dixit ei, scilicet parabolam, quâ intelligendum illi dedit, verè quidem beatos fore eos qui fruituri essent cœlesti æternoque convivio in regno Dei, sed plerosque omnes ordinis ipsius, Judæorum nempe primores honoratioresque, etiam vocatos et invitatos, præ studiis rerum hujus seculi, contempturos convivium illud, ac proinde exclusis illis, abjectissimos quosque Judæorum, adeòque gentiles, illo fruituros.

Homo, vir, quidam nobilis et dives, infra vocatur, nunc paterfamilias, nunc dominus.

Fecit, apparavit, constituit exhibere.

Cœnam magnam, multis magnificisque ferculis instructam quæ sufficere posset ad multos opiparè et liberaliter excipiendos. Intelligit hominum amatorem Deum, qui à mundi constitutione, hominibus paraverit beatitudinem regni cœlestis, Matth. 25, v. 34, *ineffabilem regni Dei fruitionem,* quod ait Euthymius; quam convivium idcircò vocat, quia mentes hominum dulcissimâ Dei visione satiabit; cœnam autem potiùs quàm prandium, quia in fine vitæ mundique mortalis, tanquàm in fine diei, sic exhibebitur, ut nulla alia refectio sit eam secutura, quippe quæ futura sit æterna, adnotat D. Gregorius, hom. 36 in Evangelia; cui et quies æterna conjungetur, quemadmodùm cœnæ quies nocturna conjungitur. Magnam dicit, quia Deus, quo nihil majus aut melius, cibi erit loco, in se uno continens omnia genera delicatissimorum ferculorum, quibus mens humana pascatur, solus denique sufficiens ac potens, sine ullâ suî consumptione aut diminutione, omnium hominum corda æternùm exsaturare, ita ut nihil unquam esuriant, sitiant, aut desiderent ampliùs. De hâc cœnâ loquens Apostolus ex Isaiâ : *Oculus non vidit,* ait, *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*, 1 Corinth. 2, vers. 9, Isaiæ 64, vers. 4.

Et, ad quam, vocavit, per Joannem Baptistam et Filium suum, prædicantes : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum ;* Matth. 3, v. 2, et 4, v. 17.

Multos, honoratissimos quosque et ditissimos civium suorum, id est, primarios ejus populi quem sibi elegerat in populum peculiarem, videlicet pontifices, sacerdotes, levitas, scribas, Pharisæos, seniores Judæorum.

Vers. 17. — Misit. Verbis præteriti temporis, brevi futura prædicit Jesus.

Servum suum, singulare loco pluralis, servos suos : Apostolos intelligit et reliquos Evangelii prædicato-

Vers. 15. — Hæc cum audisset quidam, præcipuè quod dixerat de retributione exhibiti convivii, erupit in hanc vocem : Beatus qui manducabit panem, id est, cibum sumet, seu fruetur convivio, in regno Dei, quod mox à resurrectione justorum futurum judicabat. Christus autem confirmat quidem beatos fore quos ille dixerat, sed simul assignat causam, cur plerique Judæorum, secùs quàm putabant, extra numerum et sortem illorum futuri sint. Itaque dixit ei per parabolam seu similitudinem.

Vers. 16. — Homo quidam fecit cœnam magnam. *Homo* iste Deum hominum amatorem significat; *cœna,* ineffabilem æternæ beatitudinis fruitionem, quia mentes hominum suavissimâ Dei contemplatione satiabit; quæ *cœna* potiùs quàm *prandium* dicitur, quia in fine vitæ mortalis tanquàm diei ita exhibenda est, uti eam nulla alia refectio sit secutura, et ei quies æterna velut nocturna conjungenda sit, ut Greg., hom. 36 in Evang., et Tertull., 4 contra Marcionem, c. 21. Alia igitur est cœna ista, aliud prandium, de quo Matth. 22, quod non est aliud, nisi ille doctrinæ, sacramentorum et gratiarum apparatus, quo Deus tanquàm diversis ferculis hominum animas, per fidem sibi copulatas, pascit, et in æternum gaudiis beatæ vitæ pasturus est. Et vocavit multos, universum videlicet Judæorum populum, cui cœlestem beatitudinem in

res, seu prædicatorum ordinem, ut loquitur D. Gregorius, homil. 36 in Evangelia.

Hora coenæ, horâ quâ jam accumbere licebat cœnæ.

Dicere, ut diceret invitatis, iis qui vocati fuerant.

Ut venirent, *venite;* sic Græcus et Syrus. Latinus legit infinitivum.

Parata sunt ad gustum et fruitionem omnia; solùm restat ut veniatis et mensæ accumbatis. Post mortem et assumptionem Jesu in cœlum, nuntiârunt apostoli cæterique disciputi Jesu, servi Dei, primoribus Judæorum, regnum cœlorum, ad quod dudùm vocati fuerant, jam pretio sanguinis Christi, morte et ascensione Jesu esse patefactum, et ita paratum, ut liceret ipsis mox à morte in illud ingredi, cœlique gaudiis frui, si modò in animum inducerent eò venire, id est, eo momento quo mortalis hæc vita durat, unum passum ambulare, per fidem et usum sacramentorum, in vitæ novitate. Augustinus, serm. 34 de Verbis Domini: *Paratâ jam cœnâ, immolato Christo, post resurrectionem Christi*, etc., *missi sunt Apostoli*, etc.

Vers. 18. — Simul, ex unâ, scilicet sententiâ, uno consensu, *quasi ex condicto communique pacto*, inquit Titus. Quamvis enim diversas afferant causas, in eo tamen omnes conveniunt, quòd sua negotia prætexant, ne ad cœnam adsint.

Omnes, pars longè major.

Excusare, recusare.

Primus, id est, unus.

Ei, servo urgenti.

Villam, agrum; sed quia agris plerùmque conjuncta est domus, idcircò villam dixit interpres, quæ est domus in agro, aut annexa agro.

Exire et videre, exire civitate ut videam et disponam eam. Affectûs et studii verba sunt, testantia cor ad villam appositum.

Rogo te. *Dùm dicit, rogo te, et tamen venire contemnit; humilitas sonat in voce, superbia in actione*, ait D. Gregorius, homil. 36.

Habe me excusatum apud dominum tuum. Effice ut dominus tuus habeat me excusatum. Per hunc significat Salvator eos qui possessionibus terrenis, prædiorum, agrorum aliorumque quæ immobiles dicuntur, augendis et curandis incumbunt, ita ut de vitâ, quæ ad cœlestem beatitudinem ducat, instituendâ admoniti licèt, non cogitent, persuasi nec vacare sibi ut cogitent, aut huic se rei addicant. Hi beatitudinem cœlestem sæpè non contemnunt quidem prorsùs, sed negligunt, et possessionibus posthabent, pluris habentes lucrum terrenæ possessionis quàm æternæ felicitatis; et quamvis verbis non fateantur, se abesse velle à convivio cœlesti, dicunt id tamen reipsà. Nam quantùm ad parabolam, excusatio fit verbis; sed quod ad rem significatam, recusatio fit facto ipso, affectu scilicet præponente humana cœlestibus. *Offert Deus quod rogari debuerat*, inquit Gregorius, *non rogatus dare vult, quod vix sperari poterat, paratas delicias æternæ refectionis denuntiat, et tamen simul omnes excusant.*

Vers. 19. — Alter, alius, dixit, respondit servo.

Juga boum, paria boum. Non significantur enim juga illa lignea, quorum singulis par boum colligatur, sed ipsa paria boum.

Et eo probare illa. Græcè, et proficiscor ad probandum illa, an scilicet valida sint, et idonea ad trahendum aratrum terramque colendam. Possessionum, aliæ consistunt in fundis cæterisque rebus immobilibus, aliæ in mobilibus, inter quas apud Orientales præcipuum locum jumenta et pecora obtinebant. Quocirca et hìc notantur avari: *nam ille quidem villam emerat*, inquit Theophylactus, *et alius juga boum, qui signant divitiarum cupidos*, divitiis aliisque id genus terrenis rebus perditè affixi; quales erant inprimis *Judaicæ synagogæ proceres*, quod ait Titus. *Erant enim hi præ cæteris, pecuniæ et avaritiæ*

figuris per prophetas proposuerat, eumque à longè per legis prædicationem et observationem præparaverat talem qualem.

Vers. 17. — Et misit servum suum. Greg. intelligit totum ordinem prædicantium regnum cœlorum, quanquàm aptius intelligi posset ipse Christus Dominus, quia singulariter servus vocatur, prout sentit Cyril., in Catenâ, et Theophyl., vel certè Christus cum apostolis suis, per quos prædicatio Judæis facta est. Hora coenæ, quâ jam mox accumbere licebat mensæ, quia jamjam in ascensione Christi propalatâ sanctorum viâ aperiendum erat regnum cœlorum, Dicere invitatis ut venirent, id est, per fidem et Evangelii receptionem, ad regni cœlestis gaudia post mortem adeunda præpararent. Quia parata sunt omnia, pretium scilicet sanguinis persolutum, ipse introitus reseratus, ita ut nihil restet ad participationem ejus accipiendam, nisi tantummodò, ut fide vitæque bonitate venire velint.

Vers. 18. — Et cœperunt simul omnes, quasi ex condicto et communi pacto, excusare, persuasi se justis occupationibus detineri; sed excusatio est partim frivola, quia nihil ponderis habet ad rem tantam recusandam; partim nihil ad rem, quia vocatio spectabat bonum vocatorum, non vocantis. In quo errore olim fuerunt Judæi, putantes oblationes suas prodesse Deo, quod refutatur psal. 49, versu 9 et seqq. Primus dixit ei: Villam emi, Græcè, *agrum*, sed intellige cum domo conjunctâ, rogo te, habe me excusatum. Humilitas scilicet sonat in voce, sed superbia in actione, dùm dicit: Rogo te et tamen venire contemnit, ut notat Gregor., hom. 36 in Evangelia.

Vers. 19. — Alter dixit: Juga, seu paria, boum emi quinque, et eo probare illa, utrùm idonea sint ad labores trahendi currus et aratra. Porrò triplex illa classis se excusantium triplex hominum genus designat, virorum scilicet proborum judicio hujus mundi (nam de apertè sceleratis nullus hìc sermo est) qui humanis negotiis ac per se licitis immersi, à cœlesti convivio revocantur. Et quamvis plerique recentiores non malè per duo prima genera intelligant eos qui divitiis rerum, sive immobilium, quales agri et villæ sunt, sive mobilium, ut boum, etc., implicati sunt, per tertium verò carnalibus voluptatibus deditos; antiquiores tamen, August. 33 de Verbis Domini; Prosper, 3 parte Promiss., c. 39; Greg., hom. cit., intelligunt illa tria, quæ testatur Apostolus Joannes esse in mundo, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ. Docent enim per *villam* significari terrenarum rerum amplas possessiones, sive secundùm se, ut significetur juxta

addicti, totique in hoc unum intenti; quo etiam nomine graviter passim in divinis litteris perstringuntur. Hæc ille.

VERS. 20. — UXOREM DUXI. Notantur qui in voluptates carnis immersi, uxoris usum cœlesti præferunt beatitudini, uxoribus malunt placere quàm Deo. *Quid per uxorem, nisi voluptas carnis accipitur,* inquit Gregorius : similiter inter Græcos Theophylactus : *Qui uxorem duxerat, voluptuarius erat.* Hùc pertinent, cognationis et amicitiarum impedimenta, lusus, comessationes, otia, etc.

NON POSSUM VENIRE. Hic non rogat ut habeatur excusatus, quemadmodùm primi ; sed absolutè præfatur se venire non posse, quia lascivia carnis ita animum obruit et in infima immergit, ut pariat fastidium, imò oblivionem, cœlestium ; et carnalibus delectationibus deditus, alienus omninò à spiritalibus redditur. Observandum tres ordines hactenùs descriptos virorum esse proborum juxta seculum, qui per hujusmodi se excusârint, per quæ honesto prætextu homines excusari à paratis conviviis solent. Non enim omnes reprobi, quia cœlesti cœnâ sunt excludendi, hìc descripti sunt, quia non blasphemi, raptores, adulteri ; sed illi soli qui humanis negotiis, ex suo genere licitis, ita se implicant, ut ab adeundo cœlesti convivio revocentur : qui non sequuntur vitæ genus per se illicitum, sed suo vitæ generi ita se totos addicunt et captivos tradunt, ut de cœlestibus, in quæ tanquàm finem respicere oportet, non sint solliciti. Juxta exteriorem habitum nihil præ se ferunt indignum invitatis ad cœlestem beatitudinem ; sed interiori affectu ita comparati sunt, ut terrenam beatitudinem cœlesti præferant. Hujusmodi ferè erant Pharisæi aliique Judæorum primores, sectatores exterioris justitiæ, quod frequenter Scriptura testatur ; de quibus hìc Servatori sermonem esse diximus, significanti, licèt vocatos ante omnes, ob studium tamen avaritiæ et voluptatis carnis, haud fruituros cœnâ beatitudinis æternæ. De hujusmodi hominibus Salvator, supra 8, v. 14, docet quòd audito Dei verbo, euntes, à sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ, suffocentur, nec referant fructum. Hujusmodi denique ut se corrigere debeant, monet Apostolus, 1 Cor. 7, v. 29, et seq. : « Tempus breve est ; « reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquàm « non habentes sint, etc., et qui emunt, tanquàm « non possidentes ; et qui utuntur hoc mundo tanquàm non utantur ; præterit enim figura hujus mundi. » Res temporalis in usu, æterna in desiderio sit, inquit Gregorius, homil. 36 in hoc Evangelium.

VERS. 21. — REVERSUS. Cùm adesset seu venisset ab illis.

NUNTIAVIT HÆC DOMINO SUO. « Hæc dixit, ait Euthy- « mius, non quòd Deus Pater recusationem illorum « ignoraret, sed propter parabolæ consequentiam : « moris enim iis est qui ad vocandum aliquos emissi « sunt, reverti ac renuntiare de illis. »

IRATUS, quòd cœna sua despiceretur ab illis quos invitaverat, et posthaberetur rebus tam levibus. Nihil æquè ad iracundiam provocat Deum, ac contemptus beneficiorum, quæ ultrò nobis offert per servos suos.

PATERFAMILIAS. Intelligitur Deus Pater, cui familia ampla est, mundus et plenitudo ejus, rationis participibus constans angelis et hominibus, quorum ille, naturâ Dominus, benevolentiâ pater est.

CITO, quia cœna parata est.

IN PLATEAS ET VICOS. Plateæ sunt viæ latæ, vici sunt viæ angustiores, ædibus utrinque septæ.

DEBILES, mancos, mutilos, ut supra, v. 13.

INTRODUC HUC, ad cœnam ; q. d. : Primarii et honorati cives mei, à me invitati, recusant cœnam meam ; vade ergo, et quoscumque in plateis et vicis obvios habueris pauperes cives, nec honestè pauperes solùm, sed et defectos oculis, manibus, pedibus aliisque modis deformes, quos honor convivii non solet admittere, adducito, mihi quidem ne pereant convivii expensæ, illi verò ut in posterum invidiâ urantur magis, quando intelligent, et quantam rem spreverint, et qui in spretæ felicitatis societatem successerint. Primoribus Judæorum rejicientibus Evangelium, et contemnentibus sibi prædicatum regnum cœlorum, oblatum est illud plebeiis et vulgaribus, idiotis, indoctis, contemptis, adeòque infamibus publicanis et peccatoribus : *Illis qui ex Judaicâ multitudine habebantur infirmiores*, inquit Titus. Ad eumdem modum Euthymius : *Qui recusârunt*, ait, *erant pontifices et scribæ ac Pharisæi, et quique honoratiores populi; hi verò qui loco illorum introducti sunt, communes et abjecti ac plebeii.* Denique, quod ait Apostolus : *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia,* 1 Cor. 1, v. 27. Cæterùm non hoc ita intelligendum est, quasi priùs tempore, ad cœlestem cœnam invitati fuerint primores Judæorum, postea plebeii ; aut quasi Deus maluisset illos æternæ beatitudinis participes fieri, quàm hos ; simul enim omnes invitati fuêre, nec est personarum acceptor Deus, qui divites pauperibus anteponat ; sed respectus habetur ad parabolam moremque humanum, quo ad celebria

Greg. sola avaritia, sive quatenùs per illas, homines hominibus præcellere ac dominari volunt, hoc est, superbiam vitæ ; nam, ut August. sæpè repetit, proprius vermis divitiarum est superbia : per *juga boum quinque*, corporis sensus, hoc est, concupiscentiam oculorum seu curiositatem, inquietissimum malum, quia relictis internis exteriora scrutantur et explorant ; unde rectè in parabolâ dicitur, *eo probare,* id est, explorare illa ; per *uxorem* concupiscentiam carnis, quæ cùm impotentissimè in homine dominetur, et animum prorsùs obruat, iste tertius per istam animi impotentiam expers omnis civilitatis, quâ dixerant, *rogo te*, etc., absolutè dicit :

VERS. 20. — NON POSSUM VENIRE. Quod etiam propter maximas conjugii distractiones, seu (ut Apostolus loquitur) carnis tribulationes significandas dictum esse potuit.

VERS. 21. — ET REVERSUS SERVUS NUNTIAVIT HÆC DOMINO. Quod additur propter parabolæ consequentiam, non quasi Deus hæc ignoraret. TUNC IRATUS PATERFAMILIAS, quòd et cœna luculenta et humanitas invitantis tam abjectis occcupationibus postponerètur,

convivia honorati divitesque inprimis vocantur (ut sanè et debuerant et potuerant Judæorum primores, ante cæteros, divinæ vocationi acquievisse); ita ut dùm hi quidem recusârunt convivium, plebeii verò et contemptissimi quique amplexi sunt, plebeii in primatum locum assumpti fuisse successisseque videantur. Hâc ratione contigit id quod legitur Matth. 19, v. 30 : *Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi;* prorsùsque manifestè quod Matth. 21, v. 31 : *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.*

VERS. 22. — FACTUM EST UT IMPERASTI, adducti sunt ex plateis et vicis pauperes, etiam qui deformiter capti membris; adducti sunt ad cœnam tuam, complures è vulgo Judæorum, adeòque publicani, peccatores, meretrices; nihil enim hi prius habuerunt hoc honore et convivio tuo. Quanquàm enim longè major, etiam vulgarium et plebeiorum inter Judæos pars, non crediderit in Christum, ac proinde nec ad beatam cœnam venerit; tamen comparatione principum et honoratiorum virorum, multi illorum ad cœnam venerunt, cùm legamus primis apostolorum prædicationibus numerum virorum quinque millium in Jerusalem ad Jesu fidem conversorum, Act. 4, v. 4.

ET ADHUC LOCUS EST. Numerus electorum non est completus ex Judæis. Observanda sedulitas hujus servi, quamplurimos ad dominum suum adducentis, et plures etiam adducere optantis, quo fervet zelo, neminem denique quantùmvis abjectum (quæ ejus humanitas est) suâ operâ indignum habentis.

VERS. 23. — EXI extra civitatem IN VIAS, in itinera quòvis ducentia, in longè latèque patentes regiones; ET SEPES, loca sepibus cincta, in pagos et domos rusticas, ad nationes barbaras, à Judæis suis divisas limitibus, mari etiam totoque orbe. Jubet hìc vocari populum agrestem, quod Gregorius ait, peregrinos et exteros, id est, gentes, tanquàm extra civitatem patrisfamiliâs, extra Judæam, habitantes, sine Deo, lege, custodiâque divinâ. Titus : « Significatur, inquit, post Israelitas per fidem introductos, gentium « quoque populum fuisse vocandum, mente agrestem, « animoque efferatum, quasi extra urbes, absque ullâ « prorsùs civilitate, natum et educatum. Neque enim « ullis omninò bonis legibus aut moribus utebantur; « verùm pecudum more, in magnâ quâdam rationis « caligine et amentiâ versabantur. » « Israelitæ fuerunt « intra civitatem, scribit Theophylactus, ut qui legem « susceperant, et civiliorem vitam sortiti : gentiles « autem à testamentis et à lege Dei alieni erant, et « non facti cives sanctorum. » Sic enim alloquitur eos apostolus : *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo*, Ephes. 2, v. 12. Postquàm septem continuis annis à Christi ascensione, Evangelium solis Judæis prædicatum fuisset, octavo anno cœperunt gentes vocari, atque inter eos primus Cornelius Centurio cum suis, Act. 10, v. 45.

COMPELLE INTRARE, compelle venire et intrare quotquot inveneris, compelle, inquam, si fortè, vel dedignentur, vel præ pudore non audeant. Compellendi voce, significatur, ex parte, ardens patrisfamiliâs desiderium et summa liberalitas, cupientis suas delicias cum quamplurimis communicare; alterâ ex parte, futuram ingentem vim prædicationis evangelicæ, ac planè divinam, quæ effectura esset, ut ethnici, qui belluinam potiùs quàm humanam vitam hactenùs vixerant, tam subitò tantâque multitudine accurrerent, ut videri possent coacti, et vis ipsis illata. Ac reverà quodammodò coacti fuêre. *Nam*, quod Titus scribit, *quia gentes, intolerandâ quâdam errorum servitute tenebantur, diabolo subditæ, Dei autem divinæque cognitionis*, et promissionis æternæ beatitudinis, *prorsùs ignari, propterea validiori quâdam vocatione egebant, tali nimirùm, qualis aliquam compulsionis speciem præ se ferret*. Ea fuit quòd *vehementiorem ac constantiorem prædicationem adhiberi oportuerit*, quod notat Euthymius; *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et virtutis*, quod ait Apostolus, 1 Cor. 2, v. 4. *Quia*, quod idem ait, 1 Thessal. 1, v. 5, *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed et in virtute, et in Spiritu sancto, et in plenitudine multâ.* Assiduâ igitur et perseve-

DIXIT SERVO SUO, eidem Christo Domino : EXI CITO, q. d. : Tempus tuæ prædicationis breve est. Priusquàm igitur te occupet mors, festina egredere IN PLATEAS, spatiosas scilicet vias, ET VICOS, vias angustiores, ædibus utrinque septas, CIVITATIS, nempe ejusdem Jerusalem seu Judææ. Nam, ut notat Tertull., 4 contra Marcionem, c. 31, et August., l. 2 Quæst. Evang., q. 30, et Greg. per hæc verba significatur adhuc gentem Judaicam adduci debere, quia Christus non fuit per prædicationem suam minister nisi solius circumcisionis. Sed hoc discrimen est inter hos vocatos et præcedentes, quòd primi erant ditiores, et primores Judæorum, scribæ et Pharisæi, etc., quibus recusantibus, in locum eorum introduci jubet idiotas, dùm dicit : *Pauperes ac debiles et cæcos, et claudos introduc hùc*, id est, plebem imperitam, et per peccata manifesta humiliorem; quasi d. : Quoscumque miseros in plateis et vicis obvios habueris, etiam publicanos et peccatores, introduc. Ubi respectus habetur ad humanum morem, quo honoratiores primò invitantur; nam alioqui à Christo simul vocati fuerant; sic tamen, ut scribas et Pharisæos, tanquàm divinis functionibus propinquiores et instructiores, præ cæteris venire debuisse insinuetur.

VERS. 22. — ET AIT SERVUS : FACTUM EST UT IMPERASTI, id est, pauperes ex Israel introducti sunt. Nam, quamvis non omnes venerint, longè tamen plures quàm ex primoribus. ET ADHUC LOCUS EST, hoc est, numerus electorum nondùm ex solo Israel impletus, dicente Baruch : *O Israel, quàm magna est domus Dei, et quàm ingens locus possessionis ejus!* Itaque cùm Deo Patri valdè exiguum videretur, tot Christi laboribus non nisi fæces Judæorum, hoc est, pauperes, debiles, etc., retribuere, juxta illam præclaram prophetiam Isaiæ 49, v. 6 : *Parùm est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas;* hinc ait Dominus servo :

VERS. 23. — EXI IN VIAS, etc., scilicet extra civitatem ad gentiles, Isaiâ verbis antè citatis subjungente : *Ecce dedi te in lumen gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Non addit hic : *Exi citò*, quia gentilium adductio non erat Christo adhuc vivente implenda, et proinde non opus tantâ festinatione, Itaque per apostolos ac discipulos tuos, *exi in vias*, id est,

ranti Evangelii prædicatione, miraculis stabilitâ, compulsi fuêre gentiles, ut vocantibus Dei servis acquiescerent, et iter ad domum cœnamque patrisfamiliâs aggrederentur. Postquàm autem ad iter jam se dedissent, si fortè in itinere insolentiùs se gererent, aut de viâ declinarent, potuerunt, non sermone solùm, sed etiam verberibus aliisque pœnis ab itineris ducibus, cogi ad hoc, ut posthabitis aliis rebus omnibus, rectum iter constanter tenerent; præcipiuntur enim compelli donec intraverint ad cœnam, daturque intelligendum quòd multi non intrarent, nisi compellerentur; non quòd aliqui inviti adducantur, sed quòd per hujusmodi exteriora adhibita fiat, ut ex nolentibus reddantur volentes, Christi gratiâ intùs cooperante.

Ut impleatur suo destinato numero domus ac mensa mea, amplissima illa et capax plurimorum, ut tot fruantur eâ quam paravi æternæ beatitudinis cœnâ, quot ab æterno ad hoc sunt electi, turba magna, quam dinumerare nemo possit, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, Apoc. 7, v. 9. Observandum quòd hoc præcepto dato, non introducatur servus, qui reversus dicat: Domine, factum est ut imperâsti, quemadmodùm supra, v. 22, quia etiamnùm durat et viget, tum vocatio, tum intratio gentium, durabitque ad finem usque seculi. Nam Judæorum vocatio, ut prior fuit, ita brevi tempore absoluta, longè maximâ ex parte.

Vers. 24. — Dico autem vobis, affirmo hoc vobis. Pergit paterfamiliâs loqui servo suo aliisque astantibus.

Qui vocati sunt, quibus cùm id honoris habuerim ut primi vocarentur, vocati recusaverunt venire.

Gustabit cœnam meam, manducabit panem in regno Dei, particeps erit ejus quam ego vocationi obtemperantibus paravi, æternæ beatitudinis. Nunquàm gustabunt, ne tunc quidem, quando maximè eos pœnitebit recusâsse. Pœnitebit enim illos olim, cùm viderint lautitias et splendorem convivii, et invidebunt illis quibus ipsorum fastidium locum fecit. *Tunc invocabunt me, et non exaudiam: manè consurgent, et non invenient me*, Prov. 1, v. 28: tunc frustra ingredi cupient, qui cùm liceret, recusârunt; tunc denique præ angustiâ spiritûs gementes dicent: *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquàm umbra*, et cætera quæ leguntur Sapientiæ capite 5. Horrenda, verùm justissima, reprobationis sententia: quæ in Judæorum primores hìc pronuntiata, et in nos gentiles pronuntiabitur, si cœlestem beatitudinem, ad quam sumus post illos vocati, similiter, terrenis voluptatibus aut negotiis posthabuerimus. *Nemo contemnat,* monet D. Gregorius, *ne dùm vocatus excusat, cùm voluerit, intrare non valeat.* Jam mihi, inde à versu hujus capitis primo, considera, quanto fuerit à Domino Jesu affectum honore, convivium quod princeps Pharisæorum instruxerat, quantâque cum utilitate suâ et aliorum convivarum ille Dominum Jesum invitaverit. Nempe in eo, hydropicus beneficium sanitatis accepit, omnes præsentes docti sunt legitimam sabbati colendi rationem, modestiæ humilitatisque admoniti sunt, promissum eis convivium regni cœlestis, si in pauperes sua hìc convivia conferrent, denique quas ob causas à convivio cœlestis regni quis excludatur, luculenter didicerunt.

Vers. 25. — Ibant. Circa id tempus, cùm multitudo populi copiosa sequeretur ipsum, pergentem in suo Jerusalem versùs itinere (cujus supra 13, v. 22, mentio fuit) tanquàm præceptorem discipuli.

Vers. 26. — Si quis, id est, qui seu quicumque, ut exponit Syrus.

Venit ad me, ut se meæ subjiciat disciplinæ, quemadmodùm vos facere velle videmini.

Et non odit. Non satis est ut me iter facientem sequatur aut comitetur, sed oportet ut oderit. *Odii* autem, non absolutè, sed comparativè, scilicet præ me; *non odit,* id est, *amat plus quàm me*, ut exponit ipse magister, Matth. 10, v. 37; aut æquè ac me, ac proinde non odit, abnegat, rejicit, exsecratur (summa enim aversatio significatur odii verbo, quod notat ex Chrysostomo Theophylactus, scribens in Joan. 12, v. 25), si quid doceant, jubeant, suadeant, quod mihi sive doctrinæ aut præceptis meis adversetur, quod à præceptis meis aut sequelâ meî avocet.

Patrem. Sub charissimis quæ nominat capitibus, intelligit personas omnes charas, quod habet Euthymius: nec personas tantùm, verùm etiam res, prout manifestum est ex versu 33. Porrò cùm natura nos doceat, ut parentes cæterosque hìc nominatos amemus, gratia autem naturam non destruat, sed

ad eos qui certis limitibus quasi muris civitatis, sicut Judæi terminis terræ Chanaam, non sunt conclusi, et præcipuè eos qui accessu faciles sunt; unde alibi: *In viam gentium ne abieritis;* et sepes, id est, loca sepibus cincta, illos scilicet gentilium, qui se aculeis quibusdam obfirmant adversùs Evangelium. Nam utrâque voce significantur gentiles, tanquàm populus agrestis, animo efferatus, quasi extra urbem patrisfamiliâs seu Judæam belluinis moribus sine civilitate educatus. Nam Judæi propter civiliorem vitam, divinâ lege gubernatam, quasi intra civitatem erant, ut notant Titus et Theophyl., itemque Greg., hom. cit. Itaque quòd August. per eos qui sunt in viis intelligit, epist. 204, hæreticos quiete viventes; in sepibus verò eos qui infestant Catholicos; vel rursùm alibi per vias hæreses, per sepes schismata; accommodatitium est, quia non agitur de hæreticis vel schismaticis revocandis, sed de gentilibus vocandis. Et compelle intrare; quo significatur primò ardens desiderium patrisfamiliâs, deinde servi invitantis, id est, prædicationis aut prædicantium quædam constantia, et quasi violentia quædam divina ad edomandam barbariem gentium virtute spiritûs et miraculorum. Nam quòd August. hinc probare solet principes christianos rectè uti, ad reducendos errantes pœnis corporalibus, hoc facit consequenter ad sensum illum ex ipso jam traditum de hæreticis et schismaticis. Ut impleatur domus mea, quæ tantæ multitudinis electorum capax est, ut eam dinumerare nemo possit. Non addit hìc servus: *Factum est, ut imperâsti,* quia durat adhuc illa vocatio usque ad finem seculi.

Vers. 24.—Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, id est, illo honore affecti, ut primi ipsâ horâ cœnæ vocarentur, gustabit cœnam meam,

perficiat; non absolutè, quod dicebamus, intelligendum est, quòd præcipimur hos odisse, sed *quando,* quod aït Theophylactus, *ad pietatem nobis obstaculo sunt, et necessitudinis occasionem à bonis operibus prohibent.*

Adhuc autem et, imò etiam animam suam, id est, semetipsum; vide quæ diximus supra. Neque nosmetipsos amare possumus plus quàm Jesum, aut æquè ac Jesum, sed odisse debemus nos ipsos præ Jesu, id est, ut dicitur Matth. 16, v. 24, abnegare ac detestari nos ipsos, sensum nostrum, judicium, voluntatem, appetitum, vitam, sanitatem, honorem, commoditatem, possessiones, si quando illa repugnent Domino Jesu, aut consistere vel conservari nequeant unà cum præceptis ejus.

Non potest esse, non debet fieri. Quòd si fiat, nomenque mihi det, subsannationi, contemptui et exitio se exponit, ut mox declaratur. Nam quod de *fieri* potiùs loquatur quàm de *esse,* docent exempla subsequentia. Quanquàm non tam necesse est ut quis oderit omnia præ Jesu, antequàm fiat ejus discipulus, quàm ut ita sit animo comparatus, ut odisse velit, et statuat omnes carnis affectus exuere, persuasus id à se fieri posse, Deo adjuvante. Quòd si factus Jesu discipulus id negligat reipsà, præter hoc quòd nihil ei proderit factum esse discipulum Jesu, certè etiam perditioni fit obnoxius, eò quòd non præstet se Jesu discipulum.

Meus discipulus. Non est me dignus, ut loquitur secundùm Matthæum, præceptore scilicet, remuneratore, Rege. Hoc igitur examen est discipulorum Domino Jesu probandorum.

Vers. 27. — Et qui, et quicumque.

Bajulat, portat, portare paratus est. Hoc pertinet ad odium animæ.

Et venit. Matthæus, *et sequitur.*

Post me, qui quotidiè crucem meam fero, jamque ad crucem etiam humeris ferendam pergo.

Esse, fieri, ut nec est me dignus, si factus discipulus meus, id observare omittat. Proinde quisquis se disciplinæ meæ addicere vult, non est quòd sibi polliceatur felicitatem aut commoda hujus vitæ; sed animum præparet oportet ad dura omnia, quæ facilè continget occurrere, æquanimiter ferenda.

Reliqua exposita sunt supra, ubi egimus de cruce, quæ est mors, afflictio, adversitas quæcumque.

Vers. 28. — Quis enim. Duobus exemplis declarat, non esse rem facilem, fieri discipulum ipsius, sed etiam atque etiam considerandam et ponderandam, cùm discipulum ejus paratum esse oporteat, ut quemadmodùm jam dixit, bajulet crucem suam, et oderit animam suam omniaque chara.

Turrim, ædificium turritum, domum turri pro magnificentiâ instructam.

Sedens, id est, per otium, apud se.

Computat, calculis subducit rationem, ut intelligas diligentem atque exactam supputationem.

Sumptus, sumptum.

Qui necessarii sunt. Hoc addit interpres explicationis gratiâ.

Ad perficiendum. Græcè, *ea quæ ad perfectionem* seu *consummationem*, scilicet requiruntur, aut necessaria sunt. Ἀπαρτίζειν significat, ita rem absolvere, ut nihil desit. Non temerè ædificationem aggreditur, sed metitur priùs vires et maturè expendit domesticas facultates, an sufficiant tanto operi. Qui discipulum se reddit Jesu, profitetur ædificationem turris cujusdam spiritalis, cujus culmen ad conspectum usque Dei pertingat.

Vers. 29. — Ne fortè, si non suppeterent ei facultates pares, si res familiaris angustior esset quàm ut sumptum necessarium ferre posset.

Incipiant illudere ei, illudant, irrideant eum, fiat ridiculus omnibus, itaque graviter pudefiat.

Vers. 30. — Quia, superest quod ad sensum.

Et, quod.

Consummare; *perficere* transfert versu superiore. Quasi dicant, ô hominem imprudentem et insulsum. Damnosum simul et turpe est, ab incœpto debere

seu manducabit panem in regno Dei. Nam quamvis hæc verba adhuc pronuntiari videantur ex personâ patrisfamiliâs, loquentis servo suo et adstantibus, tamen alluditur ad verba vers. 15, quæ parabolæ occasionem dederant, cujus hìc scopum Christus explicat, tacitè insinuans convivis, primates Judæorum, scribas scilicet et Pharisæos, quales hìc aderant plures à cœnâ excludendos. Et quia omnium similiter se excusantium eadem ratio est, rectè monet Greg.: Nemo contemnat, ne dùm vocatus excusat, cùm voluerit intrare, non valeat. Quæ sequuntur v. 26 et 27, reperiuntur Matth. 10, versu 37. Solùm illa differentia est, quòd hìc dicat, *qui non odit patrem,* etc., apud Matth. verò, *qui amat plus quàm me;* ubi Matth. hactenùs explicat Lucam, quatenùs significat odisse nos patrem et matrem, etc., quando in negotio salutis, parentûm voluntatem Christo postponimus. Sed tamen Lucas aliquid amplius postulat, ita scilicet eorum malam voluntatem Christo postponendam esse, ut illam etiam detestemur, indignè feramus, et extinguere conemur, Aug. dicente, epist. 38, quòd carnalem affectum eorum, quo et seipsos, et eos quos genuerunt, irritamentis hujus seculi obligare conantur, piè fidenterque percutere et occidere debeamus. Rursùs illa differentia est, quòd hìc dicat Matth., *non est me dignus,* supple, præceptore: nam sic explicat hæc verba Lucas, dùm dicit hìc, *non potest meus esse discipulus;* quasi d.: Discipulatus meus postulat ut ego et patri et matri, et omnibus hujus mundi rebus, etiam propriæ vitæ præponat, et omnia quantùmvis molesta, etiam crux et tormenta, pro disciplinâ meâ conservandâ perferantur, et qui eam amplecti voluerit, animo ad omnia ista paratus sit. Itaque duabus similitudinibus familiaribus declarat, quo modo quisque vires suas explorare debeat, ad rem tam arduam suscipiendam et perficiendam. Prima sumitur ab homine ædificante

Vers. 28. — Turrim; qui si prudenter agere velit, antequàm inchoet sedens computat, id est, per otium apud se subductis calculis, ut Græcum sonat, computat facultates suas utrùm sint ferendis sumptibus ad opus perficiendum; ne alioqui, si res ei angustior fuerit, præter damnum impensæ perditæ adhuc rideatur ab hominibus, dicentibus:

Vers. 30. — Quia hic homo cœpit ædificare, etc., id est, imprudenter ac temerè incœpit rem supra vires. Altera similitudo à rege prælium commissuro ducitur,

desistere, impensarum provisarum defectu; damnosum, quia pecunia impensa perditur; turpe, quia opus dimidiatum testatur omnibus auctoris imprudentiam.

VERS. 31. — ITURUS COMMITTERE BELLUM. Græcè *proficiscens ut committat prœlium*, parans expeditionem.

NON PRIUS quàm quidquam moliatur, SEDENS, id est, per otium, COGITAT, consultat, adhibitis etiam aliis in consilium.

SI POSSIT, an potens sit, an regni sui vires ferant.

DECEM MILLIBUS virorum; nec enim potest minùs quàm simplum duplo opponere, nisi in præsens discrimen se suumque regnum velit conjicere.

AD SE, contra ipsum. Titus: « Per hæc indicatur, « inquit, certamen nobis esse cum adversis potestati« bus, tum rursùs cum lege illâ quæ in membris « nostris grassatur, plurimasque animi perturbationes, « intestinaque prælia, quotidiè isthìc excitat. » Similia habet Cyrillus in Catenâ. Exempla sumit Salvator, à rebus quæ maximo et præsentissimo indigent apparatu, quales sunt, turres ac palatia ædificare et bellum gerere.

VERS. 32. — ALIOQUIN, sin minùs; quòd si inveniat vires regni sui non sufficere, ut saltem simplum militum numerum duplo opponat, ac proinde imparem omninò se esse ad conflictum.

ADHUC ILLO LONGÈ AGENTE, dùm ille adhuc procul est seu abest.

LEGATIONEM MITTENS, legatione missâ, missis legatis.

ROGAT, petit, EA QUÆ PACIS SUNT; ad verbum, *ea quæ ad pacem*, scilicet pertinent, id est, pacem, tractat de conditionibus pacis. Ne si cum illo confligat, gravius damnum simul et dedecus referat. Hæc clausula ad præsentem causam aptari non debet, quasi ulla sit nobis aliquando reconciliatio cum hoste spirituali ineunda; nec enim oportet singulas parabolarum seu similitudinum particulas, exigere ad rem præsentem; verùm simpliciter docemur rem arduam non suscipere nisi paratos; debere nos ita esse instructos, ne deprehensi absque justo præsidio, turpiter terga vertamus hosti advigilanti.

VERS. 33. — SIC, ad eumdem modum. Applicat similitudines proposito.

QUI NON RENUNTIAT, qui non valedicit, qui non est paratus valedicere, renuntiare, relinquere; vide supra 9, v. 61.

OMNIBUS QUÆ POSSIDET, omnibus quæ ipsius sunt, omnibus quæ suppetunt ipsi, omnibus quæ habet: quo modo D. Augustinus legit epist. 38, quæ est ad Lætum, *omnibus quæ sunt ejus*. Non solùm enim intelliguntur possessiones et res, verùm etiam personæ supra, v. 26, nominatæ, id quod etiam eo loco monet Augustinus, his verbis: *Prælocutio superior cum extremâ conclusione concordat. In eo enim quòd unusquisque renuntiat omnibus quæ sunt ejus, etiam illud continetur, ut oderit patrem suum, et matrem et uxorem*, etc.

NON POTEST ESSE, non debet fieri, non potest esse cum fructu, suo bono. Concisa est accommodatio ista similitudinum seu exemplorum, ad hunc vel similem modum explicanda: Quemadmodùm qui res arduas aggrediuntur, verbi gratiâ, ædificationem palatii, conflictum bellicum, maturè priùs per se expendunt facultates et vires suas, an pares sint perficiendis feliciter rebus quas animo moliuntur, ne, si inconsultè aggrediantur, nec queant quod cœperint perficere, grave damnum, cum non minori ignominiâ conjunctum, incurrant. Sic qui desiderat fieri meus discipulus; quæ res cum primis ardua et gravis est, quâ contra infinita diaboli ac mundi impedimenta et pugnas comparatur æterna salus regnumque cœleste: seriò apud se dispiciat oportet, an si res ferat (quod facilè continget) ut meâ causâ relinquat pecunias, domos, agros, oderit parentes, amicos, charos omnes, abneget denique semetipsum et vitam suam, valebit id facere; an verò sit animo ita his addicto, ut hæc mihi meæque doctrinæ postponere nolit. Necessarium est enim, ut qui suo bono discipulus meus fieri velit, sit animo ita comparato, ut his omnibus nihil magis detentus quàm si careret, valedicat et renuntiet, quando cum doctrinâ meâ præceptisve meis nequeant simul servari. Quòd si factus discipulus meus, mihi meæve doctrinæ hæc præposuerit, id est, ut hæc servet, me meamve doctrinam negaverit, aut præcepta transgressus fuerit, præter hoc quòd ludibrio se exponet spiritalium hostium, dæmonum (nam quod D. Gregorius ait homil. 37, *ipsos irrisores patimur, quos ad malum*

qui priusquàm quidquam moliatur, *sedens*, et ex otio PRIUS COGITAT, Græcè, *consultat*, adhibitis, scilicet etiam, aliis in consilium, utrùm vires regni ferant, ut saltem DECEM MILLIA producat in aciem contra VIGINTI MILLIA, hoc est, simplum adversùs duplum. Minùs enim sine aperto sui statûs discrimine producere non potest.

VERS. 32. — ALIOQUI ILLO ADHUC LONGE AGENTE, id est, si inveniat vires suas non sufficere ad conflictum, satiùs ei fuerit, tractare de conditionibus pacis, *illo longè agente*, id est, ante prælium, dùm adhuc procul abest. Utramque similitudinem applicat Christus ad propositum concisè et obscurè.

VERS. 33. — SIC ERGO OMNIS EX VOBIS QUI NON RENUNTIAT OMNIBUS QUÆ POSSIDET, NON POTEST MEUS ESSE DISCIPULUS. Quæ conclusio concordat cum primâ propositione, quæ habetur vers. 26. Nam renuntiare omnibus quæ quis possidet, continet in se, odisse patrem et matrem, et animam, etc., prout notat Augustinus, epist. 38. Ex quo colligitur jam ulteriùs, quòd turrim ædificare, et bellum committere, significent discipulum esse Christi, seu christianum militiam aut vitam suscipere: nam et perfectio ejus instar turris ædificanda est, ut in cœlum usque pertingat, et varia bella cum carne, mundo, ac diabolo gerenda. Sumptus autem ad ædificandum et copiæ ad bellandum, sunt vires ad discipulatum Christi perficiendum, hoc est, ad renuntiandum omnibus quæ quis possidet, cùm hoc articulus necessitatis postulaverit, prout exponit August., lib. 2 Quæst. evang., q. 31, et epist 89, in fine. Proinde, ut monet Basil. in Catenâ, similitudinum istarum scopus non est relinquere in uniuscujusque arbitrio, ut discipulus fiat Christi, vel non; sed sollicitè expendendam esse necessariam christianismi conditionem, quòd videlicet unusquisque paratus animo esse debeat universo mundo et propriæ etiam vitæ valedicere, si cum præceptis Christi servari nequeant; ne videlicet lusum vel delicias esse putet Christi di-

persuasores habemus), et gravem ignominiam apud angelos Dei et viros sanctos incurret, et damnum æternæ salutis longè gravissimum patietur, ut qui cœpta non absolverit, nec in vitæ professione perseveraverit, ut qui non reputârit apud se, tanquàm ratione subductâ, futuras cruces, quibus ferendis perstandum esset usque ad finem. Neque verò, quod D. Basilius monet in Catenâ, uniuscujusque arbitrio relinquit Salvator, ut discipulus ejus fiat vel non; sed ob oculos ponit necessariam disciplinæ suæ conditionem, ne ludum quis esse putet aut delicias illi se subdere, et inconsultè eam amplexus temerè violet, majori cum jacturâ salutis, quàm si nunquàm illi se subdidisset. Tolerabilius enim est non incipere, quàm ab eo quod cœperis deficere. *Melius erat illis*, inquit D. Petrus (2 Pet. 2, v. 21), *non cognoscere viamjustitiæ, quàm post agnitionem retrorsùm converti, ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* Non ergo docet Christus ne ipsum sequamur, aut deterret à sequendo, sed monet ut sequamur benè parati et ad crucem ferendam compositi. Sed neque vult ut robur ferendæ crucis, et renuntiandi omnibus, à solis nostris viribus exigamus aut speremus; sed ne voluntatem geramus contrariam, et desit nobis quod nostrum hâc in parte esse debet, promittens ipse supplere reliquum *et velle et perficere pro bonâ voluntate*, Philip. 2, v. 13. Hæc conditio renuntiandi seu valedicendi omnibus, quoties id Christi causa requirat, ut semper necessaria fuit, et etiamnùm est, discipulo Christi, id est, Christiano; ita præmonet Christus, ut qui discipulus ejus fieri velit, hanc priùs sibi ob oculos ponat, velut sumptuum supputationem, ita ut hæc ipsi sit meditata ratio, omnibus renuntiandum esse, ad quam subeundam, et in quâ perseverandum, paratum se teneat. Quæ admonitio maximè, Christi Domini, et toto quod secutum est trecentorum annorum tempore, locum habuit, quando adulti ad Christi fidem vocati, persuadere sibi debebant, quod res erat, si eam amplecterentur, mox parentûm et charorum odia sibi subeunda, persecutiones varias tolerandas, rapinam bonorum sufferendam, vitam denique eripiendam, itaque ad hæc omnia præ Christo spernenda se tenere paratos, fiduciâ in auxilio gratiæ Christi collocatâ.

Vers. 34. — Bonum est sal. Fuit hæc sententia frequens in ore Jesu, ad varia argumenta ejusdem rationis. Matth. 5, v. 13, et Marc. 9, v. 49, dicta est apostolis peculiariter : hic generaliter eam ad omnes Jesus extendit (loquitur enim turbis, quod supra versu 25, legitur) qui semel se professi sint ipsius discipulos, ac proinde sic conditos Dei verbo, ut et sibi et aliis sapiant. *Ad superiora respicit*, inquit Beda, *ubi turrem virtutum, non solùm inchoandam, sed etiam præceperat esse consummandam.* Est igitur hujus loci sententia : Sicut res bona atque utilis est sal, sed si semel fatuum, evanidum, et inefficax factum fuerit, non est ratio illius reparandi ac pristinæ naturæ restituendi; sic res præclara, utilis ac salutifera est, esse discipulum meum, et ipsi possessori, et aliis; sed, si qui semel se professus fuerat discipulum meum, amore rerum terrenarum quibus renuntiaverat captus, perdat saporem quo per Dei gratiam fuerat imbutus, et evanescente sapientiâ illâ divinâ, quâ omnibus meâ causâ valedixerat, seipsum infatuet, non facilè suppetet ratio quâ restituatur pristino statui, sed salis insipidi instar deploratus, nullius ultra usûs erit. Videat ergo quid agat, qui se vult addicere meæ disciplinæ, an poterit constans perseverare, et hunc virtutum saporem perpetuò retinere.

Bonum, id est, bona res, res admodùm utilis; efficax est enim et necessaria ad humanos cibos tum condiendos tum conservandos. Quia salis meminerat, præsertim verò sacrificia solere sale condiri, addit admonitionem salutarem à sale sumptam, quâ latenter indicat, quare sacrificiis Deus addi jusserit sal, quia scilicet nihil Deo placeat, quod sapientiæ sale non sit conditum.

Evanuerit, desipuerit, infatuatum fuerit, fatuum redditum fuerit (non enim homines solùm, sed et alia quæ nihil sapiunt, fatua dicuntur), computruerit, evanidum et inefficax semel factum fuerit, sapore et acrimoniâ deperditâ. Sal, terræ combustæ species, ut cogitur calido et sicco, ita liquescit et evanescit frigido atque humido.

In quo per quid, quânam re.

Condietis? condiri poterit, ita ut salis natura virtusque deperdita ei restituatur? q. d. impossibile est illud condiri, impossibile est vigorem semel amissum sali restitui : sed quàm fuerat antea res utilis, tam fit inutilis ac nociva : id enim secundùm alios evangelistas exprimitur.

Vers. 35. — Neque in terram, sive agrum, missum sive projectum sal; reddit enim terram sterilem; unde *legimus in Scripturis urbes quasdam ita victorum sale seminatas, ut nullum in ipsis germen oriretur*, quod

sciplinam, eamque inconsultis viribus suis amplexus, facilè quoque relinquat, majori cum salutis jacturâ ac dæmonum ludibrio, ac si ei nunquàm se subdidisset. Quòd ergo hæ similitudines à nonnullis applicantur ad statum religionis suscipiendum, vel ad solam vitam apostolicam, ne quis videlicet temerè illam suscipiat, qui se imparem tantæ moli senserit, accommodatio est, et non scopus earum litteralis, sicut perspicuum est ex v. 26 et 27, qui apertè de omnibus Christi sectatoribus, id est, Christianis intelliguntur; quemadmodùm etiam apud Matth., c. 10, in fine. Proinde etiam illa comparatio salis, quæ sequitur.

Vers. 34. — Bonum est sal, quamvis Matth. 5, v. 13, hoc solis apostolis et apostolicis viris tribuatur, hìc tamen à Christo ad omnes ejus discipulos extenditur, hoc sensu : Sicut res bona et utilis est sal, sed si evanuerit, id est, si fatuum, evanidum et inefficax factum fuerit, non potest alio sale condiri, ut vires ejus restituantur; ita res præclara est, esse discipulum meum, ut vitâ, verbo, totâque conversatione alios condiat, sed si amore rerum quibus renuntiandum erat infatuetur, et divinæ sapientiæ vigorem et acrimoniam amittat, non facilè pristino statui restituetur.

Vers. 35. — Neque in terram utile est, quia sal terram reddit sterilem. Unde legimus in Scripturis urbes quasdam ita victorum sale seminatas, ut nullum in ipsis germen oriretur, inquit Hieron. in vers.

adnotat Hieronymus scribens in Matth. 5, v. 13. Locus autem Scripturæ ad quem respicit, est Judicum 9, v. 45, ubi Abimelech scribitur Sichimam destruxisse, *ita ut sal in eâ dispergeret.*

NEQUE IN STERQUILINIUM, quò tamen projectæ res omnes aliæ corruptæ, utiles sunt. Nullius ultra utilitatis est sal insulsum, neque ad condiendum alia, neque ut vicem fimi obtineat, quo terra reddatur lætior. *Neque in terram utile est*, inquit Beda, *cujus injectu illa germinare prohibetur; neque in sterquilinium agriculturæ profuturum, quòd vivacibus licèt glebis immixtum, non fœtare semina frugum, sed extinguere soleat.*

UTILE, *appositum,* EST, imò et terram et sterquilinium vitiat; plus enim significat Dominus quàm dicat. Reliquæ, inquit, res omnes, corruptæ licèt, valent tamen ad aliquid, aliquem de se usum præbent; sed sal magnæ quidem rei, at uni natum, si semel factum fuerit insipidum, nulli ampliùs hominum usui accommodum est, quinimò vitiat omnia quibus injectum fuerit.

SED FORAS MITTETUR, *foràs projiciunt ipsum,* ita est Græcè et Syriacè : ubi videri possit deesse conjunctio *sed,* quæ ut Latinè, ita et in manuscripto Syriaco legitur : *Sed foràs projiciunt* homines *ipsum,* quod est, foràs mittitur sive projicitur, projici consuevit extra domum, in plateam seu viam publicam, *ut conculcetur ab hominibus,* quod Matthæus addit. Sic qui, postquàm factus fuerit discipulus meus, insulsus redditus redierit ad ea quæ meâ causâ reliquerat, et sibi et aliis planè inutilis erit, adeòque nocivus et desperatus, ac proinde foràs extra Ecclesiam meam projectus in gehennæ tenebras exteriores, viliùs duriùsque tractabitur, quàm si nunquàm sequelam meî professus fuisset. : « Sic, ait Beda, « omnis qui post agnitionem veritatis retrò redit, ne« que ipse boni operis fructum ferre, neque alios ex« colere valet, sed foràs mittendus, hoc est, ab « Ecclesiæ est unitate secernendus, ut juxta præmis« sam parabolam, irridentes eum inimici dicant, quia « hic homo cœpit ædificare, et non potuit consum« mare. » « Insinuatur per terram, inquit Theophy« lactus, quòd utilitatem capiat ; per sterquilinium « autem, quòd prosit. Ideò rejicitur et rejiciendus est, « tanquàm qui nec prosit, nec utilitatem percipiat. » Cæterùm non de uno solo actu peccati hìc loquitur Jesus, sed de studio ac quasi professione redeundi ad ea quæ seculi sunt; et neque hìc quidem omnem pœnitentiam excludit, sed rarum esse significat ut hujusmodi pœnitentiam ineant, ac proinde fieri plerùmque ut desperati abjiciantur à Deo in gehennam ; præsertim verò illi qui inter discipulos Jesu doctorum acceperant locum, quos maximè oportuerat sal esse aliorum suæ fidei creditorum.

AUDIENDI, ad audiendum, scilicet ea quæ auditu digna ac necessaria sunt.

AUDIAT hæc quæ hactenùs dixi, expendat et intelligat; sunt enim observatu, ut dignissima, ita maximè necessaria, nec sine pressâ consideratione possunt intelligi, non tam propter obscuritatem, quàm propter rem à vulgi captu et affectibus alienam, quæ dura et gravis plerisque videbitur. *Audiat* denique *obediendo et faciendo quæ didicit,* ait Beda. Quò graviùs percellat omnium aures, tanquàm si dicat, qui hæc non audit, declarat se aures ad audiendum non habere. Hoc epiphonema tractatum est etiam superiùs.

13, c. 5 Matth. NEQUE IN STERQUILINIUM, ut saltem instar fimi habeatur, quia utrumque vitiat et terram et fimum, SED FORAS MITTETUR, id est, foràs projici solet in plateas, ut conculcetur ab hominibus. Quo significat discipulum Christi infatuatum, neque sibi, neque aliis esse utilem, sed utrisque noxium, ideòque foràs tandem in gehennam projiciendum. Et quia locutio erat allegorica, et res significata gravissima, à captu et affectibus vulgi aliena, maximèque necessaria, omnium aures et mentes pungit hoc familiari suo epiphonemate : QUI HABET AURES AUDIENDI, seu intelligendi, AUDIAT, id est, si cui inest sapientia, conetur intelligere, quæ dico. Est enim exhortatio ad conatum intelligendi, et consequenter etiam obediendi ; nam, ut August., lib. de Dono perseverantiæ, c. 14, aures audiendi ipsum est donum obediendi.

CAPUT XV.

1. Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum.

2. Et murmurabant Pharisæi et scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.

3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens :

4. Quis ex vobis homo qui habet centum oves; et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?

5. Et cùm invenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens :

6. Et veniens domum, convocat amicos, et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.

7. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super

CHAPITRE XV.

1. Or, comme les publicains et les pécheurs s'approchaient de Jésus pour l'écouter,

2. Les Pharisiens et les scribes en murmuraient, et disaient : Voyez comme cet homme accueille les pécheurs, et mange avec eux.

3. Sur quoi Jésus leur proposa cette parabole :

4. Qui est celui d'entre vous qui, ayant cent brebis, et en ayant perdu une, ne laisse les quatre-vingt-dix-neuf autres dans le désert, pour s'en aller après celle qui s'est perdue, jusqu'à ce qu'il la trouve?

5. Et lorsqu'il l'a trouvée, il la met sur ses épaules avec joie;

6. Et étant retourné en sa maison, il appelle ses amis et ses voisins, et leur dit : Réjouissez-vous avec moi, parce que j'ai retrouvé ma brebis qui était perdue.

7. Je vous dis de même qu'il y aura plus de joie dans le ciel pour un seul pécheur qui fait pénitence,

nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat?

9. Et cùm invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.

10. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente.

11. Ait autem : Homo quidam habuit duos filios;

12. Et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam.

13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.

14. Et postquàm omnia consummâsset, facta est fames valida in regione illâ, et ipse cœpit egere.

15. Et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.

16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant : et nemo illi dabat.

17. In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus : ego autem hìc fame pereo!

18. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te :

19. Jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis.

20. Et surgens venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, et misericordiâ motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.

21. Dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.

22. Dixit autem pater ad servos suos : Citò proferte stolam primam, et induite illum ; et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus :

23. Et adducite vitulum saginatum et occidite ; et manducemus, et epulemur :

24. Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari.

25. Erat autem filius ejus senior in agro ; et cùm veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum :

26. Et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent.

27. Isque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit.

28. Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.

29. At ille respondens, dixit patri suo : Ecce tot

que pour quatre-vingt-dix-neuf justes qui n'ont pas besoin de pénitence.

8. Ou qui est la femme qui, ayant dix drachmes, et en ayant perdu une, n'allume la lampe, et balayant sa maison, ne la cherche avec grand soin, jusqu'à ce qu'elle la trouve?

9. Et après l'avoir trouvée, elle appelle ses amies ét ses voisines, et leur dit : Réjouissez-vous avec moi, parce que j'ai retrouvé la drachme que j'avais perdue.

10. Je vous le dis de même : Il y aura une grande joie parmi les anges de Dieu, lorsqu'un seul pécheur fera pénitence.

11. Il leur dit encore : Un homme avait deux fils,

12. Dont le plus jeune dit à son père : Mon père, donnez-moi la part du bien qui doit me revenir. Et le père leur fit le partage de son bien.

13. Peu de jours après, le plus jeune de ces deux enfants, ayant amassé tout ce qu'il avait, s'en alla voyager dans un pays fort éloigné, où il dissipa tout son bien en débauches.

14. Après qu'il eut tout dépensé, il arriva une grande famine en ce pays-là ; et il commença à tomber dans l'indigence.

15. Alors il s'en alla, et se mit au service d'un des habitants du pays, qui l'envoya à sa maison des champs pour y garder les pourceaux.

16. Et là il eût souhaité remplir son ventre des cosses que les pourceaux mangeaient ; mais personne ne lui en donnait.

17. Enfin étant rentré en lui-même, il dit : Combien y a-t-il de serviteurs à gages dans la maison de mon père, qui ont du pain en abondance ; et moi, je meurs ici de faim!

18. Il faut que de ce pas je m'en aille trouver mon père, et que je lui dise : Mon père, j'ai péché contre le ciel et contre vous,

19. Et je ne suis plus digne d'être appelé votre fils ; traitez-moi comme l'un des serviteurs qui sont à vos gages.

20. Il partit donc, et s'en vint trouver son père. Lorsqu'il était encore bien loin, son père l'aperçut, et en fut touché de compassion, et, courant à lui, il se jeta à son cou, et le baisa.

21. Et son fils lui dit : Mon père, j'ai péché contre le ciel et contre vous ; je ne suis plus digne d'être appelé votre fils.

22. Alors le père dit à ses serviteurs : Apportez promptement la plus belle robe, et l'en revêtez ; et mettez-lui un anneau au doigt et des souliers à ses pieds.

23. Amenez un veau gras, et le tuez ; faisons bonne chère, et réjouissons-nous ;

24. Parce que mon fils que voici était mort, et il est ressuscité ; il était perdu, et il est retrouvé. Ils commencèrent donc à faire grande chère.

25. Cependant son fils aîné, qui était aux champs, revint ; et lorsqu'il fut proche de la maison, il entendit la musique et la danse.

26. Il appela donc un des serviteurs, et lui demanda ce que c'était.

27. Le serviteur lui répondit : C'est que votre frère est revenu : et votre père a tué un veau gras, parce qu'il l'a recouvré en bonne santé.

28. Ce qui l'ayant fâché, il ne voulait point entrer ; mais son père étant sorti pour l'en prier,

29. Celui-ci prit la parole, et lui dit : Voilà déjà

annis servio tibi, et nunquàm mandatum tuum præterivi, et nunquàm dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer :

30. Sed postquàm filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

31. At ipse dixit illi : Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.

32. Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.

tant d'années que je vous sers, et je ne vous ai jamais désobéi en rien de ce que vous m'avez commandé ; cependant vous ne m'avez jamais donné un chevreau pour me divertir avec mes amis.

30. Mais aussitôt que votre autre fils, qui a mangé son bien avec des femmes perdues, est revenu, vous avez tué pour lui un veau gras.

31. Le père lui dit : Mon fils, vous êtes toujours avec moi, et tout ce que j'ai est à vous.

32. Mais il fallait bien faire un festin, et nous réjouir, parce que votre frère que voici était mort, et il est ressuscité ; il était perdu, et il est retrouvé.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Erant appropinquantes, appropinquabant quodam tempore, vel solebant appropinquare, familiariter accedere, quando res ferret.

Ei, Jesu ; freti perspectâ ejus humanitate, quâ neminem fastidiret.

Publicani. Præcedit Græcè *omnes*, quod est, multi, vel quivis sine discrimine ; quod tamen Syriacè non magis legitur quàm Latinè.

Et alii peccatores, infames reputati ; de quo jamdiù egimus.

Ut audirent illum, prædicantem : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.* Non accesserunt ad Jesum, ut fautorem scelerum ac peccatorum suorum, sed ut ægroti ad medicum, ut sanarentur. Allecti enim promissione regni cœlorum, provocabantur ad pœnitentiam quam Jesus requirebat, agnoscentes eâ sibi opus esse, quippe peccatoribus.

Vers. 2. — Murmurabant, clam Jesu apud populum sequacem id reprehendebant, quod laudare oportebat, et gratulari peccatoribus pœnitentiam.

Pharisæi, qui nusquàm aberant, sed omnia Jesu curiosè observabant, si quid rapere in calumniam possent.

Quia, superest quod ad sensum.

Hic, qui propheta videri, et haberi vir sanctus vult.

Peccatores, homines peccatis infames, quales inter alios erant publicani, perjuriis, rapinis, pauperumque oppressionibus infames ; manifesti malique exempli et quasi incorrigibiles peccatores. Publicanum ad exemplum summæ nequitiæ ubique ponit.

Recipit, ad colloquium.

Manducat cum illis. Verisimile est, postquàm Jesus concionatus fuisset, prandium Jesu ab his sæpè oblatum fuisse, ut quibus placuisset concio. Volunt autem dicere id non licere per legem, nec Jesum id facturum, si propheta aut vir sanctus esset, imò verò talem judicandum, quales sunt ii quorum contubernio utitur, ut solet similis simili gaudere. Nam si ex legis præscripto, omnis corporis immunditia vitanda est, quantò magis peccati, quod possit etiam ad suî imitationem trahere, à quo cavendum lex omnis inculcat, et malorum docet vitanda consortia ? Ipsi ergo, publicorum peccatorum consortium vitabant quàm accuratissimè, et ne alloquio quidem eos dignabantur, multò minùs mensâ aut consuetudine. Hinc sæpiùs hoc commentum Christo objecerunt ; vide Matth. 9, v. 11, et sup. 7, v. 39. Hi oderant tantùm et vitabant peccatores, cùm veræ pietatis sit, omnium, omni occasione, procurare salutem, peccantes ad meliora revocare, pœnitentes summo cum charitatis affectu recipere.

Vers. 3. — Et ait, *Jesus,* quod Syrus addit.

Ad illos refutandos. Quamvis responso essent indigni, pro solitâ tamen mansuetudine, reddit facti sui rationem.

Parabolam, similitudinem. Cùm aliàs aliis argumentis eos refutâsset, jam id fecit, allatis ordine tribus similitudinibus, ferè sumptis à rebus quæ inter homines fieri consueverunt, de ove, drachmâ, filio, perditis ; quibus declarat, quàm grata sit Deo peccatorum conversio, et quantâ proinde curâ sint requirendi, quantâque clementiâ suscipiendi ; nec tantùm non obmurmurandum iis qui requirunt peccatores ac suscipiunt, sed è contrario congratulandum et suscipientibus et susceptis.

Vers. 4. — Quis ex vobis homo, quis homo ex vobis, quis hominum ex vobis, quis vestrûm.

Qui habet, habens centum oves, dives licèt sit gregis centum ovium.

Et si perdiderit, et perdens, Latinè clariùs omittitur *et.*

Vers. 1. — Erant autem appropinquantes ei, spontè scilicet ad ipsum veniebant, publicani, Græcè omnes, id est, quivis sine discrimine, et peccatores, publicis peccatis infames, tanquàm ægroti ad medicum, allecti videlicet promissione regni cœlorum et spe sanitatis, ut audirent illum, ad concipiendam pœnitentiam.

Vers. 2. — Et murmurabant Pharisæi, etc., quia hic peccatores recipit, ad colloquium et familiaritatem, imò, quod indignius, manducat cum illis, passim scilicet occasione datâ. Significatum volunt, si vir sanctus esset, malorum consuetudinem ei vitandam fuisse, quod cùm non faciat eis esse similem, quorum utitur consuetudine. Ipsi enim præ fastu ad sanctimoniæ ostentationem diligenter vitabant peccatorum consortia, ne scilicet contaminarentur. Dominus verò se rectè facere declarat tribus parabolis seu similitudinibus ex communi usu sumptis, de ove et drachmâ perditis, ac de filio prodigo. Primæ verò parabolæ, quæ Matthæi 18, et secundæ, quæ ei similis est, scopus non est alius, nisi ut ostendat, quemadmodùm pastor pecorum, qui ex multis ovibus unam amissam diligenter quærit, de inventâ gaudet, eamque reportat in humeris, et alios ad congaudendum excitat, non reprehenditur, sed laudatur, multò minùs se reprehendi debere, qui velut pastor animarum ul-

UNAM, vel unam solam.

NONNE, etc., unius damno tantoperè commovetur, ut (*dimittit*) relinquat cæteras omnes, alterius custodiæ commissas IN DESERTO, ubi pasci graminibus consueverunt. ET VADIT AD. Abit sollicitus quæsitum. ILLAM QUÆ PERIERAT seu periit. Græcè, perditam.

DONEC, non cessans à quærendo, non conquiescens, *donec inveniat*.

VERS. 5. — IMPONIT, scilicet nonne : Nonne imponit, id enim moris est, nam cùm tardigrada sit ovicula, celeriùs gestatur per viam quàm agitur. Gregorius Nyssenus, in Catenâ : *Cùm autem pastor invenisset ovem*, inquit, *non punivit, non duxit ad gregem urgendo, sed superponens humero et portans, clementer annumeravit gregi.*

GAUDENS, ampliùs de eâ, quàm de nonaginta novem, quibus nullum imminuerat periculum. Gaudebit, inquam, actu, id est, singulari quodam et præsenti gaudio. Non est sententia, magis diligi aut pluris fieri unam ovem inventam quàm multas nunquàm perditas, sed singulari quâdam et præsenti lætitiâ dominum affici propter hanc ovem, quâ non afficiatur propter reliquas; tum quòd singularis ratio cogitandi ac lætandi de hâc occurrat, inventio, inquam, perditæ, quæ non occurrit de aliis (unde et solent homines de novis ac felicibus fortunis magis cogitare ac lætari quàm de veteribus etiam majoris momenti), tum quòd gaudium animi de hâc ove inventâ, propter oppositam animi tristitiam de eâdem mox perditâ, magis sentiatur quàm illud quod animo inhæret de cæteris simul omnibus, quod utique habitu majus est.

VERS. 6. — VENIENS, cùm venerit.

CONVOCAT, nonne convocat AMICOS. Magnum gaudium intus contineri sic nequit, ut cum amicis non communicetur.

CONGRATULAMINI, congratulemini mihi, gaudete mecum.

QUÆ PERIERAT. Perditam? Non jactat nonaginta novem sibi salvas, de unâ receptâ gloriatur, eâque unâ videtur sibi locupletior, quàm cæteris omnibus. Porrò interrogatio hactenùs pendens, æquivalet affirmationi; q. d.: Ita omninò est, ita se res habet in humanis, vel vobis ipsis testibus.

VERS. 7.—DICO VOBIS. Accommodat extremum similitudinis proposito, reliqua intelligenda relinquens.

ITA, etc., similiter. Quemadmodùm homo ille lætatur cum amicis et vicinis suis, ob unam ovem quam recuperavit, magis quàm ob reliquas nonaginta novem oves suas, quæ nunquàm sunt periclitatæ; sic *gaudium erit*, pro, *est*, seu esse solet, gaudetur.

IN COELO, inter eos qui cœlos habitant, inter angelos; quos nominat, infra, v. 10; nam illi soli, cùm Christus hæc diceret, cœlos incolebant. Deum ipsum non nominat, quia is immutabilis est, nec ob recens quod accidat, et attentè ab ipso consideretur, bonum, nova ipsi oritur animi affectio, quemadmodùm angelis, quibus accidentarium gaudium intendi, remitti, adeòque desinere potest.

SUPER, de UNO, solo PECCATORE, qui peccando, à Deo ejusque lege recesserat, ac proinde perierat, æternâ morte dignus.

POENITENTIAM AGENTE, si pœnitentiam agat, si ad Deum convertatur, si peccata detestatus vitam ineat secundùm præscriptum divinæ legis. Non imputant illi pristinos errores, quos semel condonârit Deus, sed applaudunt ad novæ vitæ studium recurrenti. Subindicat autem, pœnitentiam hominum in terrâ, notam esse beatis in cœlo; nec enim gaudere quis potest de re incognitâ. Sed quare cœlestes gaudent de peccatore converso? an quia *ipsi erga homines benigni sunt,* quod ait Euthymius? an quia peccator qui fuerat, ipsis similis redditur, justus ac sanctus? vel quia numerus ipsorum reparatur? aut quia dilatatur Dei gloria ac regnum? Hæc omnia vera sunt, sed quæ hùc potissimùm spectat ratio, est, quia sciunt, peccatoris conversionem rem esse Deo gratissimam, qui omnes homines tenerè diligat, tanquàm oves pascuæ suæ, nec quemquam eorum perire velit. *Id os-*

trò ad se venientes erraticas oves suscipit, et humaniter tractat. Idem judicium de parabolâ drachmæ. Quamvis ergo ille sit utriusque scopus, et ex eo utramque facilè liceret intelligere, sine scrupulosâ inquisitione, quid per singulas earum partes significetur; quia tamen omnes veteres tam Latini, quàm Græci per earum singulas aliquid significatum esse voluerunt, et ipse delectus exemplorum atque accurata descriptio hoc videtur postulare, meritò quoque de hoc satagendum est. HOMO igitur ille Christum, verum pastorem, designat : CENTUM OVES plerique antiqui, ut Cyril. in Catenâ, Gregor. in hoc Evang., Theophyl. et alii intelligunt totam naturam rationalem ex hominibus et angelis constantem, et ita NONAGINTA NOVEM IN DESERTO relictas, esse angelos in cœlis, UNAM verò PERDITAM sive errantem humanum genus. Sed qui ovis perdita cum relictis reliquis ejusdem gregis ante fuit, angeli verò velut aliud armentum sub eodem pastore constituunt, hinc insinuat August., lib. 2 Quæst. evang., q. 32, et ut videtur, aptiùs ad propositum, gregem centum ovium esse humanum genus; quamvis quòd nonaginta novem in deserto putet esse Pharisæos, solitudinem in animo, id est, superbiam gerentes quòd soli justi videri vellent, proposito minùs quadret, quia certum est, illas nonaginta novem oves fuisse salvas. Itaque ovis perdita est singularis quisque peccator, per fidei aut morum dissonantiam aberrans à societate bonorum. Hunc docet Christus non esse negligendum, quasi jactura esset parvi pretii, sed reliquorum curâ ad tempus postpositâ esse sollicitè reducendum.

VERS. 5. — TALEM itaque CUM Christus INVENERIT, IMPONIT IN HUMEROS, id est, per summam humanitatem supportat infirmitatem ejus, donec paulatim robur accipiat, ad subeundos labores pœnitentiæ, de quâ Christi humanitate vide Isaiam, c. 4, v. 11 : *In brachio suo congregabit agnos,* etc. Facit etiam hoc GAUDENS, præ humanitatis magnitudine quasi sibi adhuc magnum obtigisset beneficium. Quod exemplar humanissimæ pietatis tanti fecerunt veteres, ut hanc imaginem pastoris, ovem in humeris reportantis, sacris calicibus insculperent, teste Tertul., de Pudicitiâ, c. 7 et 10. Quæ verò v. 6, pastor pecorum ad amicos et vicinos narratur dicere, exponit ipse Christus, applicans parabolam ad propositum, ex aliquâ parte relinquendo reliqua.

VERS. 7. — DICO VOBIS, seriò et graviter, licèt rem vobis incognitam et vestro judicio paradoxam, QUOD ITA, ad similitudinem scilicet pastoris gaudentis, et amicos ad congratulandum invitantis, GAUDIUM ERIT

tendit, inquit Euthymius, *Deum vehementer sitire cujusvis peccatoris pœnitentiam.* Cùm itaque intelligunt reverti ad Deum, hominem qui fuerat aversus, lætantur et exsultant, quia Dei desiderio et erga homines amori satisfiat, Dei, inquam, quem unum amant, et quibus id solum gratum est, quod illi. Nec qualecumque gaudium de peccatoris conversione cœlitibus est, sed

Quam super, majus quàm de nonaginta novem, id est, multis, numerus certus pro incerto, respectu ad parabolam habito.

Justis, qui permanserint justi et Deo grati.

Qui non indigent pœnitentia, seu conversione ad Deum, quia à Deo ejusque lege non recesserunt. Non est justus, qui non quotidiè confiteri peccata sua debeat, et orare : *Dimitte nobis debita nostra :* verùm loquitur hìc Servator, de pœnitentiâ ineundâ ob hujusmodi peccata quæ à Deo separârint; justi à peccatis immunes non sunt, verùm hujusmodi quæ Dei gratiam non excludant. Porrò quòd dicitur, majus in cœlo esse gaudium de uno solo peccatore pœnitente quàm de multis justis perseverantibus, intellige gaudium novum ac præsens, quòd nova ac singularis ratio gaudendi occurrat de illo, quæ non occurrit de his. Quæ tamen ratio non præfert illum his; sed quemadmodùm patrem contingat ampliùs lætari, de unius ex filiis suis convalescentiâ, aut ex periculo evasione, quàm de constanti reliquorum salute, tametsi hos quàm illum magis diligat. Jam sententia et mens Salvatoris est : Si tantum est in cœlo gaudium, de pœnitentiâ unius peccatoris; ergo Deo gratissima est pœnitentia peccatoris : cœlitibus enim nihil placet, nisi quod Deo gratum sit. Si Deo grata est pœnitentia unius peccatoris, quantò magis multorum, adeòque omnium? Si omnium peccatorum pœnitentia sive conversio Deo grata est, ergo rectè facio ego, qui hìc in terrâ modis omnibus laboro, ut peccatores ad pœnitentiam et salutem adducam; nec proinde locus est obmurmurationibus vestris, iniquis illis, et adversariis Deo omnibusque cœlitibus. Certè Deus, licèt infinitum hominum abs se conditorum numerum possideat, ne unum tamen illorum perire vult, sed ad unum omnes salvos fieri, 1 Tim. 2, v. 4. Quòd si ergo quis eorum, deserto Deo, perditionis periculo se exposuerit, prout sanè multi; non est committendum, ut eorum qui se meliores existimant, vel negligentiâ pereant, vel superbiâ ac despectione à pietate omninò abalienentur; sed rem Deo cœlitibusque jucundissimam faciunt, qui instar ovium perditarum quæsitos, ad Deum conantur reducere; ut certè multò majus studium meretur hæc res, quàm vilis oviculæ recuperatio : quod præcipuum munus obit Filius hominis, qui *venit quærere et salvare quod perierat,* infra 19, v. 10, Matth. 18, v. 11.

Quæ mulier, è vulgo.

Drachmas. Genus nummi argentei est drachma, cusum pondere drachmæ, ejus valoris cujus est regalis Hispanicus simplex, quod jam sæpè diximus.

Decem. Mulierum est pecuniam minutam servare ac dispensare.

Unam, vel unam solam.

Lucernam, quâ scrutetur omnes angulos domûs.

Everrit, adhibitis scopis movet sordes totius domûs, necubi inter sordes lateat. *Et everrit domum.* Ita rectè emendârunt Romani correctores, pro *evertit,* quod plerique omnes libri habent; *everrit,* quod est verrit sive scopat, ut ait Epanorthotes noster manuscriptus. Omnes enim hactenùs adnotârunt ita esse legendum, quia sic clarè et Græca et Syra habeant : sed ferè defuerunt libri. Hentenius invenit unum, qui scribat *verrit :* nos in Regio textu, ex Complutensi expresso, et in Missali Romano Pii V jussu edito, dominicâ tertiâ post Pentecosten, quemadmodùm jam in Sixtinis Bibliis, legimus *everrit.* Zegerus indicat ita apud Chrysologum legi. D. Gregorius, homil. 34 in Evangelia, etsi exponat *evertit,* quod est, perturbat, notat tamen in aliis codicibus scribi, *emundat,* quomodò certè habet Ambrosius initio epistolæ primæ, *et mundans domum suam.* Fuit hæc altera versio, quam si interpres secutus fuisset, aut certè vertisset, *et scopis mundat domum,* ut supra, cap. 11, v. 25, non fuisset relictus depravationi locus.

Diligenter, accuratè, nec facit quærendi finem *donec inveniat.*

Vers. 9. — Cum invenerit, scilicet gaudet de eâ inventâ, magis quàm de reliquis novem servatis.

Convocat. Non temperat sibi præ gaudio, quin rem significet amicis suis omnibus.

Quam perdideram? Hìc finit interrogatio, æquipollens affirmationi, quòd ita fieri soleat inter homines; estque hæc similitudo eadem cum præcedente, certè eodem fine et scopo allata; in quâ drachmæ compa-

in cœlo, tum ipsi pastori Christo ut homini, tum angelis, et animabus justis, tanquàm vicinis in cœlo commorantibus. Hæc enim omnia comprehendit illud, *erit,* tametsi tunc neque Christus ut homo, neque animæ in cœlo essent; quanquàm illud, *erit,* etiam pro, est vel esse solet, exponi posset : Super uno peccatore pœnitentiam agente, et ita scilicet revertente ad pastorem et gregem, quam super, subaudi, majus quàm, nonaginta novem justis, id est, super multis; numerus enim certus pro incerto ponitur; sed habetur respectus ad parabolam, ubi expressus erat ille numerus : *qui non indigent pœnitentiâ,* quâ revertantur ad Deum ab errore quo carent. Ex quibus duabus particulis, *uno peccatore,* et *nonaginta novem justis,* patet quàm rectè supra diximus, ovem errantem esse unumquemque peccatorem, et nonaginta novem in deserto esse non superbos, sed bonorum societatem.

Vers. 8. — Aut quæ mulier habens drachma decem. Idem et hic scopus est; ubi similiter *mulier* typum gerit Christi, seu sapientiæ incarnatæ; *drachma,* id est, nummus argenteus vel aureus, pondere unius drachmæ cusus, significat hominem, cujus menti imago Dei impressa est, sicut nummo imago regis. Miratur autem latèque tractat August., lib. 8 Confess., unde fiat quòd majus sit gaudium de uno pœnitente quàm de multis justis, cùm majus bonum videatur postulare majus gaudium; et allatis pluribus exemplis, illum esse modum omnium rerum, ut majus gaudium majore molestiâ aut periculo præcedatur. Quo significat hoc per accidens fieri ratione periculi

ratur homo, quòd, ut drachmæ imago regis, ita menti hominis Dei imago impressa sit.

Vers. 10. — Erit; Græcè, *est, fit.*

Coram, superest Latinæ phrasi.

Angelis Dei in cœlo super uno, majus etiam quàm super novem justis; id quod tamen non addit, quia jam dixerat, *quàm super nonaginta novem.*

Reliqua pete ex versu 7 præcedente.

Vers. 11. — Ait autem. Syrus: *Et dicebat eis rursùm Jesus.* Addidit tertiam parabolam seu similitudinem, eòdem pertinentem, sed longè ampliorem pluraque significantem; describentem, inquam, latè et vitam perditam peccatoris, et pœnitentiam illius, et facilem Dei condonationem, obmurmurationem denique justorum aut qui justi sibi viderentur.

Homo quidam, dives; videtur res gesta narrari, sed non est nisi ficta historia, quâ allegoricè seu ænigmaticè describit Jesus, quod vult intelligi, sicut aliàs sæpiùs.

Duos filios, talis ingenii, quale mox describitur. Intelligit Jesus seipsum, unum cum Patre et Spiritu sancto Deum, qui justificet et adoptet in filios, variæ indolis homines, quosdam in justitiâ perseverantes, quosdam inconstantes et à justitiâ desciscentes. *Est enim,* inquit Euthymius, *et justorum pater et peccatorum, utpote per* (circumcisionem aut) *lavacri regenerationem ab ipso adoptatorum; de fidelibus enim sermo est.* Peccatores intelliguntur publicani, meretrices, aliique peccatis publicè infames. Justorum autem genere comprehenduntur tam illi qui suâ aliorumque hominum opinione, quàm qui reverà sunt justi.

Vers. 12. — Adolescentior, junior, ut solent juniores minùs sapere, menteque inconstantiores esse, et minùs ferentes alienum imperium, aspirare ad libertatem.

Da mihi liberum usum *portionis* seu partis substantiæ, facultatum, bonorum. Vocem *substantiæ* omittit Syrus.

Quæ me contingit, partem quæ ad me pertinet, quæ mihi debetur ut filio, quam daturus mihi esses si uxorem ducerem, aut relicturus si morereris. Syrus, *quæ venit mihi ex domo tuâ.* Quasi dicat: Jam ad justam ætatem perveni, et eam prudentiam quâ me ipse et bona mea regere queam, nec opus sit diutiùs de tuâ gubernatione pendere. Assigna ergo meo libero usui partem bonorum tuorum, qualem statuisti mihi emancipato addicere, ut liberè eâ utens, valeam negotiari, eamque negotiando augere.

Et. Quia non iniquam rem filius petere videbatur. Nam etsi nullâ lege vel consuetudine, pater dùm vivit filiis suis bona sua partiri cogatur, non vetatur tamen id facere, si velit; postulat autem res significata, ut id hìc factum dicatur.

Divisit pater, partitus est, distribuit, liberè utendam dedit illis filiis suis substantiam, unicuique partem substantiæ, quæ eum contingeret. Alia est hìc vox Græcè ac mox: illìc οὐσία, hìc βίος: sed quia utraque idem significat, utramque *substantiam* vertit interpres. Nam βίος tum vitam significat, tum id quo vitam sustinemus, victum, pecunias, facultates. Syrus hìc dicit, *possessionem suam.* Quanquàm senior non petierit partem suam: definiens tamen pater, quantum judicaret dandum juniori, eo ipso definivit, tantùmdem deberi seniori, atque etiam ipsi in manus obtulit; sed discrimen fuit quòd junior partem suam à bonis paternis separaverit, senior maluerit conjunctam cum patris substantiâ partem suam possidere, et inseparabilem cum patre vitam agere. Hoc versiculo significatur, quòd Deus, hominem à se creatum et justificatum, variisque tum animi tum corporis, tum naturæ tum gratiæ, donis ornatum, relinquat in manu consilii sui, ut loquitur Ecclesiasticus, cap. 15, v. 14; esse autem quosdam qui idoneos se reputent, ut his bonis benè per se utantur, nec opus habeant, ut ulteriùs de Dei auxilio et continuâ curâ gubernationeque dependeant. D. Augustinus, lib. 2 quæst. Evang., cap. 33: *Vivere, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere, omnia ista divina sunt munera, quæ in potestatem accipit homo per liberum arbitrium,* etc. Sic et Hieronymus, epistolâ 146 ad Damasum: *Substantia Dei est omne quod vivimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus: hæc Deus æqualiter universis et in commune largitus est,* etc.; et paulò post: *Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem,* etc. Titus: *Tradidit illi pater universam creaturam in possessionem.* Denique Euthymius: *Substantia sive divitiæ Dei, sunt charismata, id est, dona quæ dividit fidelibus.*

seu mali conjuncti, quo animus magis exstimulatur in affectum novum, quia ab assueto non fit passio.

Vers. 11. — Ait autem. Hæc tertia parabola idem spectat, quod præcedentes, sed cum aliquâ differentiâ; quòd illæ significent quidem, quantâ curâ Deus requirat reversionem peccatoris, hæc verò quantâ benignitate et lætitiâ suscipiat revertentem; ita ut sit quasi appendix præcedentium, et explicatio illius lætitiæ quam dixerat esse in inventione perditi peccatoris, ut sic ampliùs confunderet Pharisæos, qui murmurabant, quòd cum peccatoribus versaretur. Homo quidam habuit duos filios. Quòd *homo* hìc significet Deum Patrem, vel simpliciter Deum, vel, quæ ferè in idem redeunt, Christum Dominum, non est dubium; de *duobus filiis* est auctorum dissensio. Aug., lib. 2 Quæst. evang., q. 33, sentit per seniorem significari populum Judaicum, per juniorem gentes. Ita et Cyrill, hìc in Catenâ, et alii. Ambros. verò, lib. 2 de Pœnitentiâ, c. 3; Pacianus, epist. 1; idem August., tract. de Tempore barbarico, c. 7, et alii intelligunt justos et pœnitentes, et quidem multò aptiùs et ad litteram; quandoquidem hoc spectaret maximè ad scopum Christi, cum Pharisæis disputantis. Hoc et Hieron. amplectitur, epist. 146 ad Damasum, sed hâc ratione, ut sensu mystico etiam de Judæis et gentibus intelligi posse doceat; quod nobis verissimum videtur. Itaque *Homo quidam habuit duos filios,* ambos sibi dilectos et morigeros.

Vers. 12. — Et dixit adolescentior ex illis, ut solet ætas illa minùs sapere, esse inconstans, avidaque libertatis. Nam, ut Ambr., lib. de Interpellat., c. 7, habet pueritia innocentiam, senectus prudentiam, juventus verecundiam delinquendi; adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis. Pater, da mihi portionem substantiæ, hoc est, bonorum, quæ me

Vers. 13. — Et non post multos dies. Paucis autem post diebus; fervet enim juventus in perficiendis animi conceptibus.

Congregatis et consarcinatis omnibus, quæ à patre acceperat, agris nimirùm et ædibus in præsentem pecuniam redactis. Syrus, *collegit quæcumque ad se pervenerant.*

Adolescentior; *senior enim apud patrem remansit, tanquàm prudens,* ait Euthymius.

Longinquam, longè sitam à domo paternâ, nempe, ut quò longiùs abesset à patre, eò liberiùs viveret, et ageret quæ visum esset.

Dissipavit, dilapidavit, prodegit.

Substantiam suam, facultates à patre acceptas.

Luxuriosè, *prodigaliter, intemperanter, libidinosè, lascivè,* exponit Euthymius, agendo cum meretricibus, ut explicatur infra, v. 30, in omni luxu, vestium, conviviorum et cæterorum, quæ meretricios amores comitari solent. Certè ad hunc modum juvenes agere solent, cùm proprio ingenio feruntur. Nam quia, et consilii inopes, et ferventes intemperie, ad se regendos minimè sunt idonei: ubi metus et pudor eos non cohibet, projiciunt se quòcumque tulerit libido, plenique dedecoris ad turpem egestatem festinant. Hactenùs allegoria; sequitur explicatio. Quidam eorum quos in filios suos adoptaverat Deus, relicti libertati suæ, moribus et vitâ quàm longissimè à Deo se separant, et abusi donis ac bonis à Deo acceptis, decoquunt ea, ad quævis alia potiùs quàm ad Dei cultum aut honorem expendentes. Qualiscumque peccatoris vita per luxuriam significatur, quia omnis rerum terrenarum amor et usus immoderatus, fornicatio quædam est, juxta modum loquendi Scripturæ, Psal. 72, v. 27: *Omnes qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Ubi et hoc observandum, elongari à Deo dici eos qui peccant, nimirùm *non loci segregatione, sed virtutis,* quod hìc ad Lucam notat Euthymius. Cui sententiæ suffragatur Hieronymus, epistolâ 146, dùm ait: *Sciendum, non locorum spatiis, sed affectu, aut nos esse cum Deo, aut ab eo discedere.* Quin etiam D. Augustinus, lib. 2 Quæst. evang., cap. 33, ubi scribit: *Regio longinqua oblivio est Dei. Quando autem egreditur homo à Deo,* inquit Theophylactus, *et se à timore Dei elongat, omnia divina dona expendit,* depravat consumitque. Et de corporis quidem donis ac bonis, sæpè etiam hominum oculis id manifestum est, quemadmodùm in parabolâ, quæ hìc simul servit exempli loco; ex animæ autem bonis, donum intelligentiæ scientiæque benè vivendi, peccandi consuetudine obscuratur, adeòque obruitur, habitus virtutum commutantur cum pravis habitibus vitiorum, fides mortua redditur, spes vertitur in præsumptionem, profligantur charitas cæteræque gratiæ gratum facientes, gratiæ gratis datæ efficiuntur inutiles, naturæ dotes vitiantur, omnia denique à Deo accepta bona, creaturæ servire coguntur, quibus Dei honor propagandus erat. Quare Ambrosius scribens in hunc locum: *Consumpsit,* inquit, *omnia naturæ ornamenta.* D. Augustinus loco mox citato addit, *malè utendo naturalibus bonis.* Titus: *Insumpsit substantiam, hoc est, insitam animi lucem, temperantiam, veritatis notitiam, Dei memoriam,* etc. Postremò Euthymius: *Corrupit donum quod à baptismo acceperat, puta animæ nobilitatem, et ad virtutes aptitudinem. Hæc enim et similia erant ejus substantia ac divitiæ.*

Vers. 14. — Omnia, ita ut nihil superesset.

Consummasset, consumpsisset, dissipâsset.

Valida, fortis, magna; μετὰ ἐκτάσεως, inquit Hieronymus.

Illa, in quâ ipse peregrinabatur.

Et ipse, ita ut ipse cœperit egere, defici, scilicet pecuniâ, victu. Additur pœna quæ justo Dei judicio ut plurimùm prodigos decoctores manet, nempe, ut malè consumptis opibus, prolixè esuriant; et quia optimi panis abundantiâ frugaliter uti nescierunt, ad glandes et siliquas redigantur; denique ut porcorum sodales facti, indignos se sentiant humano victu. Nam et hæc porcina ingluvies est, semel absumere, quod in totius vitæ subsidium datum fuerat. Simile usu venit in cæteris peccatorum generibus, ut postquàm tam naturæ quàm gratiæ ornamenta consumpserint, et ad extremum venerint vitiorum, immittat in eos Deus afflictiones insignes, plagarum, morborum, captivitatis, publicæ ignominiæ, et cætera, quibus in summam angustiam et vitæ discrimen adducantur.

Vers. 15. — Et abiit. Abiit igitur, et quæsito hero cui serviret, et à quo pro mercede aleretur, adhæsit. Non conductus fuisse dicitur, sed adhæsisse seu adjunxisse se, tanquàm qui modis omnibus insinuârit se

contingit, jure filiationis in emancipatione dari solitâ; volebat enim per emancipationem sui juris fieri, suaque suo administrare arbitratu. Et divisit illis substantiam, seu bona sua, unicuique in potestate partem tradens. Quo significatur, Deum unicuique homini distribuisse dona sua, tam naturæ quàm gratiæ, quæ per liberum arbitrium acceperint in suâ potestate, ut Augustin. et Hieron., locis citatis.

Vers. 13. — Et non post multos dies, congregatis omnibus, id est, corrogatis omnibus bonis, quæ acceperat, ædibus scilicet atque agris in pecuniam redactis, tanquàm festinans suâ frui libertate, adolescentior filius, quia senior tanquàm prudentior apud patrem remanserat, profectus est in regionem longinquam, ut ex oculis patris atque amicorum liberiùs viveret; et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè, scilicet cum meretricibus, ut exponit infra frater senior. Hæc regio longinqua, ut Augustinus, est oblivio Dei et honestatis; non enim locorum spatiis, sed affectibus cum Deo sumus, aut ab eo discedimus. Unde Ambr.: Quid longinquius quàm à se recedere, ne regionibus, sed moribus discrepare? Dissipamus substantiam quandò malè utimur naturalibus bonis.

Vers. 14. — Et postquam omnia consummasset, seu consumpsisset, facta est fames valida, quia luxuries est mater famis, et cœpit egere, in typum statûs miserabilis, in quem incidunt peccatores, dùm mens peccatis obscuratur, voluntas infirmatur, et ad summam inopiam redigitur.

Vers. 15. — Et abiit, et adhæsit, non conductus, sed ultrò et supplex sese ingerens ad serviendum pro solo victu necessario ad quodlibet obeundum paratus, uni civium regionis illius, scilicet primùm obvio; qui importunitate supplicis victus et quasi nesciens,

in ejus gratiam, paratum ultrò se offerens ad quidvis obeundum, modò fame non sineretur perire, ac proinde improbitate suâ quodam modo compulerit civem illum, ad se quovis modo recipiendum.

Uni civium. Cui grave fuerat subesse clementissimo patri, cogitur nunc in servitutem se tradere hero peregrino ac barbaro.

Et, pro *qui*. Nesciens civis ille, quâ in re hujus operâ uti posset; nam tempore famis, dimittuntur famuli potiùs quàm assumantur : *misit illum in villam suam*; Græcè, *ad agros suos*.

Ut pasceret porcos, quo non aliud dedecorosius et vilius ministerium. *Significat sermo*, ait Euthymius, *extremam miseri servitutem, cui indignissima præcipiuntur*. Mira vicissitudo. Qui in domo paternâ honestissimè haberi solitus fuerat, moxque ab omnibus propter opes honorabatur, nunc socius, imò servus porcorum efficitur. Ad quam miseriam et conditionis vilitatem, ut per inediam luxuria ac prodigalitas hunc adduxerunt; ita ad similem miseriam ac vilitatem, alios alia peccata, per plagas à Deo inflictas, trahunt.

Vers. 16. — Ventrem suum, vacuum et famelicum. Quàm aptè famelicum hominem depingit! Non dicit, *cupiebat edere*, nec *cupiebat saturari*; quia etiam qui famelici non sunt, edere ac saturari cupiunt; sed dicit: *Cupiebat implere ventrem suum*. Solent enim qui admodùm famelici sunt, cupere vacuum omninò ventrem, vel re quâlibet implere, nec ullum ciborum habere discrimen, modò rabidam famem sedent.

Siliquis, folliculis quibus fabæ similiaque legumina includuntur. Cibus est, intùs inanis, foris mollis, quo corpus non reficitur, sed impletur, ita ut oneri sit magis quàm usui.

Quas porci manducabant, quæ porcis certâ horâ certâque mensurâ dabantur in cibum; non ab ipso, sed ab alio ad id deputato.

Et, pro sed, nemo illi dabat tantùm siliquarum, quantum posset ventrem satiare : non minùs enim ipsi quàm porcis, siliquæ certâ eâque modicâ mensurâ dispensabantur, loco omnis panis et cibi. Antea fuerat ipse in omnes effusus; jam exhaustâ pecuniâ contemptus est omnibus, nec est quisquam qui vel sordes subministret famelico, loco cibi. Pertinent hæc ad famis et calamitatis, quam hic, Deo peccata ejus ulciscente, patiebatur exaggerationem.

Vers. 17. — In se, ad se, ad cor, ad mentem; Syrus, *ad animam suam*. Euthymius, *suî compos effectus*, *hoc est, tanquàm expergiscens ab ebrietate gravique somno*, vel ut Theophylactus ait, *à suâ exteriore divagatione rediens*. Fuerat hactenùs tanquàm mente captus, non intellexerat quàm benè sibi fuisset apud patrem, quàm malè egisset relinquendo eum et subtrahendo se jugo ipsius; jam ad mentem reversus, confert præsentem rerum suarum statum cum illo priore, intelligit quantum esset inter utrumque discrimen, et quàm excors ipse ac malè consultus commutâsset hunc cum illo.

Reversus, urgente inopiâ calamitateque præsente. Jam ventum erat ad extremam calamitatem, sed felix calamitas quæ compellit ad resipiscentiam. *Non priùs rediit ad pristinam felicitatem*, inquit Gregorius Nyssenus in Catenâ, *quàm in se rediens sentiret opprimentis ærumnæ præsentiam.*

Dixit, gemebundus altùmque suspirans.

Quanti, quot, quàm multi mercenarii, servi, non dico, domestici, sed mercede conducti, qui sunt infimi in familiâ, quibus minus debetur, quos alere minùs obligatur paterfamiliâs.

In domo. Non legitur Græcè, Syriacè tamen.

Panibus, pane, cibo omnis generis, nihil eis deest.

Ego autem, qui non servus aut mercenarius, sed filius familiâs eram et habebar.

Hic, à domo paternâ separatus, fame pereo, mercenariis longè miserior. Opponit se filium mercenariis patris sui, et famem suam illorum saturitati. Ergo juveni, quem saturitas reddiderat ferocem et immorigerum, optima fuit magistra fames, ut cogeret ad mentem redire et se ipsum cognoscere. Ad eumdem modum multis, qui præditi sunt præclaris Dei donis, postquàm voluptatibus aliisve mundi rebus immersi adhæserint, superveniens vexatio suggerit intellectum, hoc est, cogit ad se redire, seipsos cognoscere, et cum cordis gemitu comparare inter se, statum virtutis ex quo exciderunt, et statum peccati in quem prolapsi sunt; reminisci quàm honestè se habuerint, quàm-

---

quâ in re ejus ministerio uti posset, misit illum in villam suam, tanquàm indignum, qui in oculis heri sui versaretur, ut pasceret porcos, hoc est, ad vilissimum ministerium. Quibus omnibus indicatur status ærumnosus peccatoris, dùm arctiùs sese subdit diabolo, vitiaque brutalissima sectatur, vel etiam tandem eò delabitur, ut alicujus dæmonis, cui serviat, imploret auxilium.

Vers. 16. — Et cupiebat, non edere aut saturari, sed quâlibet re, ut summè famelici solent, vorando vacuum implere ventrem suum, ut rabidam sedaret famem, de siliquis, id est, folliculis, quibus fabæ, pisa, et similia legumina inclusa sunt, quamvis Græcum significet certum fructum, quo porci certis locis vescuntur, ut apud nos glandibus. Et nemo illi dabat; quo significatur, peccantes voluptatibus peccatorum, velut dæmonum immundorum cibo, satiari velle, nec posse, ut Hieron., epist. cit. Solet enim spiritus malignus, cultoribus suis opes ostentare ac promittere, et nihil dare. Quanquàm idem Hieron. et Aug. per *siliquas* dicant intelligi posse carmina poetarum, secularem sapientiam, verborum pompam, quæ multùm strepitus habent, cùm sint veritatis inania, nec animum eorum, qui dereliquerunt Deum, satiant.

Vers. 17. — In se autem reversus, vexatione dante intellectum, tanquàm expergiscens ab ebrietate aut gravi somno, et intelligens jam per experientiam discrimen pristinæ abundantiæ et suavitatis gratiæ Dei ab hâc extremâ miseriâ, dixit : Quanti; Græcè, *quam multi*, seu *quot*, mercenarii, id est, ministri mercede conducti, qui distinguuntur à servis seu mancipiis. Nam, ut in familiâ temporali sunt mancipia, mercenarii et filii, ita Deus in familiâ suâ habet mancipia, qui solo timore pœnæ vitant mala; mercenarios, qui spe mercedis temporalis et sæpè multis Dei donis fruuntur; et filios, qui ex amore ingenuo et filiali Deo serviunt. Comparat hìc se mercenariis, quia et ipse pro mercede serviebat, quamvis mercenariis longè miserior eò quòd illi abundarent panibus,

que tranquillè ac beatè cum ipsis actum fuerit, cùm virtuti operam darent, et Deo servirent; nunc verò quàm miserè secum agatur, ob divinam quam sentiunt ultionem, et quàm fœdè, ob peccati quam serviunt servitutem, nudati ad hæc cùm sint spiritalibus Dei donis, quibus priùs excelluerant, et ne tantillâ quidem Dei gratiâ fruentes, quantâ infimi ordinis fideles in Ecclesiâ, quibus olim non minùs præstiterint honore et donorum copiâ, quàm in divite familiâ filii mercenariis servis, ut qui abs Deo prorsùs se abalienârint. Ne ergo putemus Deum crudeliter nobiscum agere, si quando gravioribus nos ærumnis urget, quia hoc modo præfractos ac mundanis desideriis ebrios ad obedientiam erudit. Denique quidquid miseriarum patimur, utilis est ad pœnitentiam invitatio; nam miseriis coacti, fit ut reducamur in memoriam Dei, et quàm sit beatum cum Deo agere, et cum ipso in gratiâ esse, ipsique placere, recognoscimus. Titus: «*In* «*se reversus,* hoc est, priorem felicitatem cum posteriori miseriâ conferens; qualisque et quantus erat, «quando cum patre adhuc degebat, animo pertractans; quàm teter et miserabilis tandem, posteaquàm Deo deserto, dæmonibus cœpit esse obnoxius, «evaserit, iterùm iterùmque expendens.» *Ista recogitatio resipiscentis est*, quod ait D. Augustinus: nempe primus est ad resipiscentiam gradus, reminisci unde excideris, et quò recideris, considerare miseriam in quâ peccati causâ versaris, tam spiritualem quàm corporalem. Hæc consideratio parturit propositum subsequens.

VERS. 18. — SURGAM igitur. Ergo quia modis omnibus meliùs mecum ageretur, si apud patrem essem, *surgam*, proficiscar ex hâc regione, relinquam malè vivendi consuetudinem.

ET IBO, redibo, peccato relicto convertar AD PATREM MEUM, quem clementissimum novi. Incitat se ipse ad revertendum in patriam, ad resipiscendum, spe melioris fortunæ si patri adesset, et fiduciâ de patris clementiâ acceptâ. Similiter peccator, qui per eum significatur, fiduciâ divinæ clementiæ, erigere se debet, ad quærendam reconciliationem, ad relinquenda et confitenda peccata, ad agendam pœnitentiam. Considerans enim miseriam in quâ peccati causâ versatur, non despondere animum debet, sed concipere spem misericordiæ à Deo impetrandæ, et statuere ad Deum peccato relicto converti, gravitatem peccatorum suorum agnoscere, insipientiam deplorare, veniam humiliter petere.

DICAM EI, conceptis verbis: «Pauca hæc verba «mihi ad salutem sat fuerint, inquit Titus. Novi patris «mei suavitatem, novi facilitatem; miserebitur meî «pœnitentis, et ad sanam mentem revertentis, quem «in peccati sordibus se volutantem non perdidit.» Ad similem modum David: *Dixi,* ait, *confitebor adversùm me injustitiam meam Domino,* Psalmi, 31, v. 5.

PATER. Patrem vocare statuit, propter naturam, jam præsertim indutus filii affectum, quem priùs totum exuerat, ut hâc ratione ad clementiam moveat; cæteroqui indignum se filii nomine agnoscere.

PECCAVI gravissimè. Non habeo quo me jure purgem, aut quod stultitiæ meæ prætexam; ego, ego peccavi. «Hæc est prima confessio, inquit Ambrosius, «apud auctorem naturæ, præsulem misericordiæ, ar«bitrum culpæ. Sed etsi Deus novit omnia, vocem «tamen tuæ confessionis exspectat; quia allevat pon«dus erroris, quisquis ipse se onerat; et accusationis «excludit invidiam, qui accusatorem prævenit confi«tendo. Frustra autem velis occultare, quem nihil «fallas: et sine periculo prodas, quod scias esse jam «cognitum.»

IN COELUM, in, seu adversùs Deum, qui cœlos habitat.

ET CORAM TE. Non hoc est, *in conspectu tuo;* abfuerat enim longè à patre, sed, te judice, te rectè judicante. Alloquitur parabolicus adolescens parabolicum patrem, agnoscens subjectionem patris à Deo esse præceptam, et Deum offendi ab iis qui in parentes peccant; cæteroqui, quod ad eum qui significatur peccatorem, idem unum est, peccavi in cœlum, et, peccavi coram te, nisi quòd *coràm te* exponas licet in conspectu tuo, nihil scilicet veritus conspectum tuum, omnia intuentis.

VERS. 19. — JAM NON SUM; ad verbum, neque ampliùs sum.

id est, omni victu ad satietatem, ipse verò FAME PERIRET. Hæc fames inopiam spiritualis alimoniæ significat, quam animus peccatorum patitur; nam humana mens ad imaginem Dei condita nullâ voluptate terrenâ, sed solâ Dei immensitate impleri, et quietem adipisci potest, juxta illud August., 6 Confess., cap. 16: Væ animæ audaci, quæ speravit si à te recessisset, se aliquid meliùs habituram. Versa et reversa in tergum, et in latera et in ventrem, et dura sunt omnia, et tu solus requies. Hæc August. Ex hoc autem versu patet initium resipiscendi à consideratione miseriarum suarum proficisci et parere sequens propositum.

VERS. 18. — SURGAM, quia in peccato jacebat, ET IBO, quia longè aberat, AD PATREM MEUM, quia sub principe porcorum erat, ET DICAM, cùm scilicet venero. Nam hæc et sequentia sunt verba pœnitentiam meditantis, in confessione peccati, nondùm tamen agentis; non enim jam dicit patri, sed dicturum se esse promittit, prout hæc notat August. PATER; ex quo patet eum, post malorum suorum considerationem, paternæ clementiæ intuitu erectum fuisse in spem veniæ, juxta ordinem quo Tridentinum, sess. 6, peccatores ad justificationem disponi docet. PECCAVI IN COELUM, id est, adversùs Deum, qui in cœlo habitat, ET CORAM TE, id est, contra te hominem. Quo sensu hæc verba optimè conveniunt filio typum gerenti peccatoris, ut priùs in Deum, deinde in hominem se peccâsse dicat. De peccatore verò sic exponi possunt, PECCAVI IN COELUM, id est, adversùs eos qui cœlum incolunt, in quibus est sedes Dei, qui offenditur; ET CORAM TE, id est, contra te Deum; quo modo loquitur et Daniel cap. 6: *Coram te, rex,* id est, contra te, *delictum non feci.* Q. d. filius: Non habeo, quod prætexam stultitiæ meæ, vel quo me purgem. Hæc est prima confessio, inquit Ambrosius, apud auctorem naturæ, præsulem misericordiæ, arbitrum culpæ. Nam etsi Deus novit omnia, vocem tamen nostræ confessionis exspectat, quia allevat pondus erroris, quisquis ipse se onerat.

VERS. 19. — JAM NON SUM DIGNUS, non modò recipi

VOCARI, haberi, FILIUS TUUS, recipi in gradum et honorem filii pristinum, qui deneger tot tantaque te patre indigna contra filii officium commisi. Euthymius : *Quia tali patre indignè conversatus sum.*

SICUT UNUM DE MERCENARIIS TUIS, parem uni mercenariorum tuorum. *Ex quo excidi primo ordine*, inquit Euthymius, *dignare vel me secundo, tantùm ne penitùs me abjicias.* Non sum dignus esse in domo tuâ, eo loco quo antea eram, ut filius ; satis fuerit, si eo loco sim quo mercenarii. Non sum dignus, cui pristina dona grandia restituas, quem ad eam dignitatem gratiamque admittas, quâ priùs apud te eram, ut quâ meâ culpâ exciderim : misericordiæ erit, si me, inter infimos fidelium, qui in Ecclesiâ tuâ sunt, vel in aliquem gratiæ locum receperis. Humilis hujusmodi oratio, cum peccatorum detestatione confessioneque conjuncta, mirum in modum peccatorem commendat. Cæterùm, *verba sunt pœnitentiam meditantis, nondùm agentis*, quod ait Augustinus, lib. 2 Quæst. evang., cap. 33 : *Non enim jam dicit patri, sed dicturum se esse promittit cùm venerit.*

VERS. 20. — ET SURGENS. Surgens igitur, cùm surrexisset.

VENIT, veniebat, cœpit proficisci. *Quia non satis est dicere, nisi ad patrem venias,* inquit Ambrosius ; *bono voluntatis proposito adjunxit opus*, quod habet Titus. *Non enim solùm consultandum est de his quæ placent Deo, sed et opus est facto,* ait Theophylactus.

LONGÈ ESSET, longè abesset, scilicet à patre, priusquàm conceptam animo pœnitentiam ipso opere perfecisset. *Quomodo longè ?* inquit Titus. *Quia Deus hominis pœnitentiam suâ misericordiâ et benignitate solet antevertere.*

VIDIT redeuntem, ut facile ipsi erat, è domo suâ in altissimis sitâ montibus, longè prospicere.

ILLUM miserabili præditum specie, nudum, squalidum, macie confectum, gementem et lacrymantem.

MISERICORDIA MOTUS EST, intimis visceribus commotus est filii miseriam tanquàm propriam sentiens.

ACCURRENS. *Præ nimio gaudio,* inquit Euthymius, *non exspectavit ut ille adesset, sed prior occurrit, neque id utcumque, sed et accurrit, ut appareat amoris vehementia.* Neque enim lenta aut tarda est divina clementia ad subveniendum compunctis corde; sed simul atque peccator, vel in ultimis animi recessibus peccata detestatus, consilia de pœnitentiâ ineundâ et vitâ mutandâ molitur, accurrit ad eum Deus, ut auxilio gratiæ suæ promoveat cœpta.

CECIDIT SUPER COLLUM EJUS. Non rejecit degenerem, non exprobravit fugam, dissipatæ substantiæ flagitia, dedecora prioris vitæ, non objurgavit, non minatus supplicium est, imò verò necdùm auditis filii precibus, statim ruit in collum ejus, et amplexus, paratum se declaravit in gratiam recipere pœnitentem.

ET OSCULATUS EST EUM, erexit in spem veniæ, consolatus est, quod Augustinus ait, spe indulgentiæ peccatorum, lib. 2 Quæst. evang., cap. 33. Elegans et accurata benigni ac misericordis patris descriptio, qualis non facilè inter homines inveniatur, quâ Christus Dei erga peccatores largissimam ac promptissimam misericordiam declarat, et ad suscipiendos pœnitentes clementem ac paternam facilitatem, quâ priùs etiam quàm pœnitentiam animo conceptam opere compleverint, paratum se exhibeat peccata condonare, adeòque etiam aliquando condonet.

VERS. 21. — DIXITQUE EI FILIUS, supplex. Quamvis pater præclara benevolentiæ atque amoris signa ostenderit, filius tamen non omisit quod sui officii erat facere, et quæ statuerat concepta verba coram patre ex intimo corde pronuntiare, quibus peccata sua confiteretur, seque ipse damnaret; nec priùs cessavit quàm vidit manifestè obtinuisse se pacem patris, obliti præteritorum, pristino nempe statu recuperato, quod fit proximo versu. Ad eumdem modum, nemo, etiam conversus et perfectè contritus corde, amplecti sic debet consideratam facilitatem Dei, ut inchoatam pœnitentiam negligat, ut omittat confessionem cæteraque quæ pœnitentem decent opera, et mox mala sua merita obliviscatur, quinimo ob oculos retenta debet pergere detestari, accusare, et in seipso ulcisci, nec priùs securum esse, quàm audierit : Remittuntur tibi peccata, vade in pace. Porrò quòd omissum sit illud : *Fac me sicut unum ex mercenariis tuis*, fuit, vel quòd evangelista intelligendum reliquerit, ut certè Titus hìc exponit ; vel quòd hinc amplexus patris, hinc stupor et singultus filii orationem interruperint ; vel quòd filio non admodùm necessarium videretur, patre tot reconciliationis argumenta monstrante ; vel denique quòd includeretur in eo, *jam non* ampliùs *sum dignus vocari filius tuus.*

in honorem et gradum pristinum filii, sed nec VOCARI FILIUS TUUS, quia tot tantaque paternâ tuâ dignitate indigna commisi. FAC ME SICUT UNUM DE MERCENARIIS TUIS ; q. d. : Excidi primo gradu, dignare me misericorditer vel secundo tantùm, ne penitùs abjicias.

VERS. 20. — ET SURGENS VENIT AD PATREM, quia bono voluntatis propositò opus adjungi debet. CUM AUTEM ADHUC LONGE ESSET, in ipsis videlicet initiis pœnitentiæ suæ constitutus, VIDIT ILLUM PATER IPSIUS ; quia Deus sicut prima initia conversionis inspirat, ita illam tanquàm sibi placentem respicere, et ejus intuitu placari incipit. Itaque MISERICORDIA MOTUS EST, quemadmodùm optimè Psal. 9 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua ;* et Isaias, c. 65, vers. 24 : *Antequàm clament, ego exaudiam.* Quo significatur admiranda Dei clementia et benignitas in eos qui parant se ad ineundam pœnitentiam. Quamobrem OCCURRENS, obviam, præ amoris et gaudii vehementiâ, quasi impatiens moræ, CECIDIT SUPER COLLUM EJUS, ET OSCULATUS EST EUM ; ad significandum, quòd pœnitentibus et ad se revertentibus blanditur Deus, spem veniæ et reconciliationis liberalissimè offerens. Proindè tantâ benignitate animatus, ausus est loqui :

VERS. 21. — PATER, PECCAVI, etc., non omittens videlicet, quod sui erat officii, quantùmvis benevolentiam patris erga se animadverteret. Omittit autem id quod proposuerat se dicturum : *Fac me sicut unum de mercenariis tuis,* quòd patris benignitate obrutus, videret hoc minùs necessarium. Quanquàm Aug. ex

Reliqua exposita sunt supra, v. 18 et 19.

Vers. 22. — Ad servos suos. Non respondet pater filio verbis, sed factis, convertendo sermonem ad servos suos, nec ad unum solummodò servum, sed ad omnes, quasi unus non sufficiat ut filio serviat. Hic major adhuc observanda patris benignitas, qui filium seipsum abdicantem, non solùm recipit in gratiam, verùm etiam immemor omnium injuriarum, in pristinam dignitatem restituit.

Cito. Hieronymus ad Damasum scribens habet *celeriùs:* quod tamen non legitur aut Græcè aut Syriacè. Jubet omnia citò fieri, ne videatur non ex animo præcipere; nam et justificatio hominis momento contingit.

Proferte, ex arcis vestiariis meis.

Stolam primam. Stola, quâ voce etiam utitur Syrus *estolo,* Græcè est vestis oblonga, ad talos usque demissa, tam viris quàm feminis congruens. *Primam* autem dicit pro *pristinam*, quali antehac uti consueverat, cùm domi patris maneret, pretiosam illam et filiis peculiarem.

Et induite illum, scilicet illam stolam.

Annulum aureum, qui ornatus est hominis liberi et locupletis.

Calceamenta in pedes ejus qualis est habitus filiorum tenerè educatorum, quibus pedes calceis aut soleis muniuntur, adversùs omnis generis offendicula. Significatur, tantam esse Dei clementiam erga peccatorem qui toto corde ad Deum revertitur, quantâ non solùm peccata remittat, verùm etiam, nullâ illorum ratione habitâ, restituat eum, qui peccati servus fuerat, in statum pristinum filii Dei; redditis charismatis et donis quæ peccando perdiderat, stolâ charitatis et innocentiæ, quæ et vestis nuptialis vocatur; gratiâ quâ servet fidem datam vitæ emendandæ; *annulus, sinceræ fidei signaculum est,* ait Beda; animi munimento, quo inoffenso pede currat viam mandatorum Dei, et si quæ alia fuerint deperdita pristinæ dignitatis insignia, quibus interior homo renovari atque ornari solitus fuerit; ut taceam, nonnunquàm etiam majora donari quàm deperdita fuerint.

Vers. 23. — Adducite vitulum saginatum, et occidite. Græcè, *et adductum vitulum illum saginatum mactate.* Illum quem saginari jussi, in illud tempus, quo posset nobis occasio occurrere læti epuli celebrandi, qualis nunc occurrit.

Et manducemus et epulemur; ad verbum *et manducantes lætemur.* Interpres modum lætandi expressit, qui fit genialiter epulando. Celebremus convivium lautum et lætum, hoc est, gaudeamus, ego, filius, vos servi et amici nostri omnes. *Edere quoque ipse dicitur,* ait Euthymius, *ad lætitiæ communicationem. Nulla enim nobis potest esse jucunditas, nisi patre nobiscum celebrante convivium,* quod monet Hieronymus. *Patris autem cibus, est salus nostra,* Bedâ doctore. Significatur hìc gaudium singulare, atque idem quod supra, v. 6 et 9, his verbis, *convocat amicos et vicinos, dicens: Congratulamini mihi*, etc., nimirùm, Deo, angelis et justis omnibus rectè sentientibus maximum esse gaudium super peccatore pœnitentiam agente. Ne quis enim è domo, filium, ob errata adolescentiæ, minoris faceret, pater mactato vitulo ad genialiter epulandum saginato, totam familiam ad communem lætitiam invitat, et justas gaudii causas subnectit:

Vers. 24. — Hic filius meus, ex me natus, quem

generositate hoc omitti à pœnitente velit, utpote qui osculum expertus dedignatur Deo animum servilem aut mercenarium exhibere, qui pace carens, vel mercenarius esse desiderabat.

Vers. 22. — Dixit autem pater ad servos suos, immemor videlicet omnium injuriarum. Citò Græcè deest, significare tamen potest remissionis peccati celeritatem, quam in momento Deus homini verè pœnitenti tribuit. Proferte stolam primam. *Stola* Latinis est vestis muliebris: Græcis autem sumitur generaliùs pro veste maximè oblongâ. Itaque proferte ei togam pristinam, pretiosam, scilicet, filiis peculiarem; quo significatur restitutio amissæ justitiæ seu charitatis, quæ filiis propria est. Unde Hier. et Ambr. eamdem esse dicunt cum veste illâ nuptiali, Matt. 22. Et date annulum in manum ejus, qui est ornatus hominis liberi et locupletis, hoc est, iisdem auctoribus, pignus Spiritûs sancti, ut hominem jam justitiâ imbutum Spiritus sanctus tanquàm templum suum inhabitet. Et calceamenta in pedes ejus; nam et iste habitus erat filii tenerè educati, quo pedes muniuntur. Significat autem divinæ gratiæ custodiam, quâ hominis affectus muniuntur, ne rursùs offendat ad lapidem pedem suum, et scandalizatus corruat. Pulchrè igitur hìc indicantur quatuor, ad perfectam hominis reconciliationem necessaria, quæ eodem ordine exprimuntur in Psal. 50; nam et ibi pœnitens petit remissionem peccati, cùm dicit: *Averte faciem tuam à peccatis meis,* sicut hìc: *Pater, peccavi;* justitiæ infusionem seu stolam, cùm dicit: *Cor mundum crea in me, Deus;* Spiritûs sancti pignus et incolatum, hoc est, annulum, cùm dicit; *Spiritum sanctum ne auferas à me;* gratiæ custodiam, id est, calceamenta, cùm dicit: *Spiritu principali confirma me.* Et quia reconciliatis congruit, ut justificationes Dei, quas experti sunt, alios etiam exemplo bonorum operum vel verbo doceant, hinc Hier., August. per *calceamenta* etiam volunt prædicationem Evangelii significari, juxta illud Apostoli: *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis;* quod etiam sequitur in Psal. 50: *Docebo iniquos vias tuas.*

Vers. 23. — Et adducite vitulum saginatum, Græcè, *illum saginatum*, quem scilicet ad lætum aliquod epulum celebrandum jussi saginari; et occidite, etc. Quo significatur antiquorum consensu Christus Dominus, omni scilicet spiritûs pinguedine delibutus, qui non solùm in cruce, sed quotidiè in Ecclesiâ pro salute omnium immolatur, cum lætitiâ omnium comeditur, maximè in gratiarum actionem pœnitentium seu reconciliatorum, ut Hieron. et Augustinus. Quanquàm etiam aptè significari posset illa consolatio interni gaudii, quæ peccatoribus initio conversionis tribui solet, ut sibi contigisse narrat August., 9 Confess., cap. 1, et maximè in fine 6. Et manducemus et epulemur, tanti sacramenti participatione, idque in azymis sinceritatis et veritatis.

Vers. 24. — Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit, id est, quia cùm pro mortuo esset habitus, propter longam absentiam, quasi ad vitam revocatus est; nam, ut sensum illum explicet, addit: Perierat, miser videlicet, ignotis et vagis errans sedibus, et inventus est. Quæ in re figuratâ longè veriora sunt. Peccator enim reverà erat mortuus, et pœnitendo reviviscit: perierat à salute, æternæ damnationi proxi-

ego ut meipsum diligo, quem et vos diligitis, si me.

MORTUUS ERAT. Mortuum dicit, non verè, sed, aut opinione suâ, quia cùm per multos annos longè abfuisset, et vix quidquam de eo fuisset auditum, pro mortuo eum habuerit; aut quia perierat, ignotis miser errans sedibus; quod idem unum est ac si mortuus fuisset; ut posterius membrum sit explicatio prioris. Porrò peccator, qui peccando se separat à Deo qui est vita animæ, ut anima corporis, mortuus in Scripturis dicitur. Apoc. 3, v. 1: *Nomen habes quòd vivas, et mortuus es.* Ephes. 5, v. 14: *Surge qui dormis, et exsurge à mortuis, et illuminabit te Christus.* Peccatum mors animæ est.

ET, pro *sed*, REVIXIT. Gaudeamus, inquit, non quia mortuus fuerit, sed quia, cùm mortuus fuerit, revixit, quia per pœnitentiam rediit ad Deum, à quo per peccatum recesserat.

PERIERAT, salute exciderat, proximus damnationi, dignus qui addiceretur gehennæ ignis.

ET, pro *sed*, INVENTUS, seu recuperatus EST, salvatus est, sic enim invenire sæpè accipitur, nominatim Matth. 10, v. 39.

ET COEPERUNT, cœperunt igitur, pater totaque ejus familia, amici et vicini EPULARI, lætari, inter epulas scilicet, id est, gaudere. Hoc est enim id quod habuimus supra, v. 7 et 10: *Gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente quàm super 99 justis*, quod notat etiam Hieronymus, epistolâ 146. Hoc porrò addit Christus, et *cœperunt epulari*, quod per se facilè poterat subaudiri, ut paret viam narrandis iis quæ sequuntur.

VERS. 25. — ERAT AUTEM. Interea, dùm hæc agerentur, erat FILIUS patrisfamiliâs SENIOR, primogenitus, IN AGRO, occupatus colendis agris paternis ac suis; certè instabat operis servorum ac mercenariorum. His verbis tacitè causam reddit invidiæ querimoniæque subsequentis. Filius senior, quod diximus, gerit personam justi, ejusque qui pro justo se habet et ab aliis habetur; qui nunquàm deses, semper in actione est, operatur quæ patri sunt placita, vel certè quæ placita esse persuasus est.

ET CUM, qui cùm VENIRET, domum sub vesperem.

SYMPHONIAM, consonantiam, concordem concentum.

ET CHORUM. Chorus tripudium significat, significat et cœtum. Licet ergo per symphoniam et chorum intelligere, vel multitudinem concinentium et lætantium convivarum, vel tripudia adhibito suavi vocum concentu instituta, ut aliis mensæ accumbentibus alii tripudiârint. Syrus transfert, *vocem concentûs multorum*. Insignis lætitia describitur.

VERS. 26. — ET VOCAVIT, et advocatum unum ex pueris, percontatus est, quid sibi vellent concentus illi et tripudia, quibus domus tota intùs perstreperet.

Hic versiculus pertinet ad contexendam seriem parabolæ, ut et pleraque alia eorum quæ sequuntur.

VERS. 27. — VENIT, rediit domum.

VITULUM, illum suum vitulum, quem diù saginârat; mactato vitulo suo saginato, exhibet ipsi et familiæ lætum convivium.

SALVUM, sanum, benevalentem, quem periisse crediderat; nimirùm, profligatis morbis malisque per pœnitentiam.

VERS. 28. — INDIGNATUS EST, ægrè tulit hæc à patre fieri in gratiam fratris sui.

INTROIRE, ad convivium, ad commune gaudium. « Hæc eo sensu accipienda non sunt, ait Titus, quasi senior juniori reipsà inviderit, aut patri propter summam illam in perditum filium clementiam, verè succensuerit, etc.; neque enim ullus omninò inter sanctos est aut fuit unquàm, qui Dei erga peccatorem benignitatem in jus vocaret aut improbaret; ut qui ab omni invidentiâ et odio sint prorsùs alieni, etc. Et cur ergo, inquis, parabola hujusmodi quippiam præ se fert? ecquid nobis illa vult adumbrare? aliud nihil, quàm excellentem Dei clementiam, quæ utique erga omnes, et eos præsertim qui peccatis desertis ad sanam mentem redeunt, veroque pœnitudinis sensu concutiuntur, tanta est, ut iis qui pœnitentiâ non indigent, invidiam quodam-

mus, *et inventus est*, seu recuperatus ad salutem. Porrò in eo quod dicit, *inventus*, cùm quæsitum fuisse insinuat, sicut ovem et drachmam perditam, quia nemo pœnitet, nisi occultâ Dei quærentis inspiratione tangatur, ut homo in se revertatur. ET COEPERUNT EPULARI, Græcè *lætari*, scilicet inter epulas, pater nempe ac tota familia ejus, ex angelis et sanctis constans. Nam sic etiam tacitè insinuatum vult id quod dixerat, gaudium esse in cœlo super uno peccatore, pœnitentiam agente, magis quàm, etc.

VERS. 25. — ERAT AUTEM FILIUS SENIOR IN AGRO. Ea quæ sequuntur in figurâ difficultatem non habent, nec ad aliud afferuntur, nisi ut tacitè reddatur causa querimoniæ, et invidiæ fratris: quædam etiam ad decorem parabolæ spectant. In re figuratâ aliquid negotii facessit illa invidia fratris senioris, quæ non videtur justis posse convenire: et ista ratio fuit, cur multi totam parabolam ad Judæos et gentes declinaverint. Sed pergendo in susceptâ à nobis explicatione, omnia salvari possunt. Quòd igitur filius senior erat in agro, significat justos in Ecclesiâ non otiari, non bacchari, sed semper versari in operibus patris sui.

Itaque CUM VENIRET ET APPROPINQUARET DOMUI (pertinent hæc ad consequentiam et ornatum parabolæ), AUDIVIT SYMPHONIAM, id est, concordem concentum canentium, ET CHORUM, qui est tripudiantium et canentium cœtus. Quo nihil aliud significatur, quàm insignis lætitia de peccatoris conversione. Quamobrem

VERS. 28. — INDIGNATUS, non de reconciliatione vel inventione fratris, neque enim hoc in totâ parabolâ significatur, sed de tantâ solemnitate, NOLEBAT INTROIRE, ut et ipse gauderet cum gaudentibus. Quo Hieron. Epist. cit., absolutè significari putat invidiam, eò quòd nullum sit inconveniens peccata etiam in justo cadere, sicut apostoli de primatu contenderunt. Alii volunt ea quæ in parabolâ de fratre seniore tanquàm de justis dicuntur, dirigi à Christo contra scribas et Pharisæos, qui se justos haberi volebant, quasi tacitè in hoc versu eos moneret per concessionem: Esto, si is vos justi, quemadmodùm filius senior, nolite propterea indignari de resipiscentiâ et salute publicanorum et peccatorum. Aptius videtur dici, quòd solùm significetur esse tantam Dei in eos qui resipiscunt, gratiam,

« modò movere possit. » Hæc Titus. Quibus adde ex Euthymio : « Ostendit siquidem hujusmodi indignatio « quòd tantam demonstrat erga eos qui resipiscunt « gratiam et gaudium, ut cæteris invidiam movere « posset : » quod est, ut justi justam murmurandi materiam habere videri possint; certè justam causam nunquàm satis admirandi. Nam quòd ad illos qui solâ suâ aliorumque opinione sunt justi, reverà autem injusti ; quos et ipsos nomine senioris filii diximus comprehendi, illi seriò invident, et indignantur, ob eam quæ peccatoribus pœnitentibus exhibetur clementiam atque indulgentiam, quemadmodùm manifestum est ex v. 1 et 2 hujus capitis, ubi scribæ et Pharisæi murmurant, quod Christus publicanos et peccatores recipiat.

Pater ergo illius, nuntio per servos accepto; egressus convivio et cœnaculo, quò ille ingredi nolebat; cœpit rogare, rogabat, hortabatur illum, ut intraret. *Quàm benignus et clemens pater,* inquit Hieronymus, *rogat filium, ut lætitiæ domûs particeps fiat.* Magna certè benignitas humanitasque hujus patris : cùm enim posset, servatâ majestatis suæ gravitate, intùs manere, et servis dicere, si recusat ingredi et nobis esse conviva, maneat foris et mœrore tabescat; ipse ad illum egreditur, rogat, laborat, et in omnia se vertit, ut utrique filio satisfaciat, utriusque amator. Nec aliter Deus et Christus ejus patienter agit ac laborat, ut et peccatores pœnitentes clementissimè recipiat, et justos doceat id ita omninò fieri debere, itàque servet utrosque.

Vers. 29. — Dixit. Nihil mitior factus patris optimi comitate, arroganter cum eo expostulat.

Servio tibi. Syrus addit *servitutem*, quod ad emphasin facit. *Servio*, in negotiis scilicet familiæ tuæ.

Et nunquam, ita ut nunquàm mandatum tuum præteriverim, contempserim, transgressus sim.

Hædum, vel hædum de capris ; tantùm abest ut vitulum saginatum. Negat unquàm sibi datum vitulum saginatum ; quomodò ergo constare potest mystica illa interpretatio plerorumque tam veterum quàm recentiorum, quâ vitulum saginatum interpretantur Christum inter tremenda mysteria immolatum, qui in Ecclesiâ quotidianus est cibus justorum eorumque qui pro justis habentur, peccatorum verò publicorum non nisi post pœnitentiam?

Ut, quo mactato.

Epularer, lætarer, oblectarer, genialiter epularer; q. d. : Semper erga me parcus fuisti et durus, quanquàm optimè de te merentem. Responsum animi arrogantis et ingrati, immemoris quidem beneficiorum à patre acceptorum, sua verò merita jactantis. Sic vides hypocritas Pharisæos, sua merita jactantes : *Non sum, sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri; jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo,* infra 18, v. 11 ; *hæc omnia custodivi à juventute meâ,* infra 18, v. 21 ; *quasi hoc ipsum non sit præterire mandatum, saluti fratris invidere,* inquit Hieronymus. Et justis quoque aliquando subrepit, ut immemores præteritorum Dei erga se beneficiorum, apud se conquerantur, videntes recentia Dei in conversos peccatores beneficia, Matthæum publicanum ad apostolatum evectum, Magdalenam peccatricem ad sublimem contemplatricis perfectionem.

Vers. 30. — Sed postquam, quando autem.

Filius tuus hic ; ita loquitur indignabundus, indignum habens quem agnoscat fratrem, utpote moribus planè contrariis præditum ; sed contemptim *filius tuus* inquit, tanquàm perditè et ampliùs quàm oporteat abs te amatus.

Substantiam suam ; Gr., facultates tuas, substantiam tuam, portionem substantiæ quam ipsi dedisti. Legitur et Syriacè pronomen secundæ personæ, quod et Ambrosius legisse se indicat, ubi ait : *Impius qui accusabat fratrem quòd cum meretricibus paternam substantiam prodegisset.* Videtur illud ἐμφατικώτερον et odiosius quàm tertiæ personæ pronomen : pejus est enim alienam substantiam abligurire, quàm propriam. Nam quanquàm pater dedisset filio juniori partem suam, patris tamen substantiam dilapidatam dicit, tum quia à patre promanaverat ea substantia, tum quia pater gratis eam dederat, cùm non teneretur. Ergo ut invidiam fratri excitet, *substantiam tuam* ait, q. d. : Ego totâ vitâ meâ servio tibi, ut augeam facultates tuas; ille pauco tempore consumit et dissipat eas. Nec quovis modo dissipat, sed, quod pessimum est et omninò infame , vivendo luxuriosè cum meretricibus.

Cum meretricibus; intellexerat id ex rumore ad

indulgentiam, consolationum magnitudinem in initio, ut non solùm perfectis admirationem moveat (quale quid significat quoque parabola de operantibus in vineâ, Matthæi 20 , versu 11), sed etiam imperfectis quamdam indignationem et querimoniam, non quidem de salute peccatorum, sed de tam immodicâ Dei quasi congratulatione, erga se verò austeritate; cujusmodi imperfectorum affectus peccati venialis rationem non excedit. Ita ferè Theophyl., Titus et Euthym. Pater ergo illius egressus, ut præ humanitatis magnitudine etiam filio seniori, id est, talibus infirmis satisfaceret, ad sedandas eorum querimonias, ostendendo videlicet per internas inspirationes, vel aliter, quòd ita fieri debeat, sicut reverà congruit, cœpit rogare illum, ut introiret, hoc est, ut lætitiæ Patris et totius domûs vellet esse particeps.

Vers. 29. — At ille dixit : Ecce tot annis servio tibi, obsequium tibi benè agendo deferens, et nunquam mandatum tuum præterivi, ut per peccatum mortale à justitiâ exciderem : nam talium justorum frater senior figuram gerit; et unquam dedisti mihi hædum, id est, unquàm inferioris præstantiæ epulum mihi parâsti, ut cum amicis meis epularer, publico videlicet gaudio, in perseverantiæ et laborum congratulationem instituto?

Vers. 30. — Sed postquam filius tuus hic, egregius scilicet, tam perditè à te amatus : sunt enim verba indignabundi, nec dignantis quidem fratrem appellare, prout indignatio subinde affectum bonum non extinguit, sed reprimit : qui devoravit, instar helluonis, substantiam cum meretricibus. Et hoc addit exaggerandi causâ, prout solet indignatio. Addit et improperium in patrem, occidisti illi, etc., ubi patet, eum nihil conqueri de receptione vel re-

patrem allato, ex longinquâ illâ regione. Exaggerat modis omnibus crimen fratris; nam cùm supra, v. 13, modestè dictum esset, *vivendo luxuriosè;* hìc *cum meretricibus,* addit, à præcipuâ parte luxuriosam vitam infamans. Ego, inquit, mandatum tuum nunquàm transgressus sum : ille substantiam tuam in contubernio meretricum prodegit.

Occidisti, mactâsti.

Illi, in gratiam ejus, ad declarandum adventum ipsius tibi gratum esse.

Vitulum illum quem saginaveras, quo nihil habes in toto grege tuo delicatius. Vitulum hædo, fratrem sibi, et singula singulis opponit, quemadmodùm jam ostendimus; et reipsà dicit patrem injustè secum agere, qui sibi optimè merenti, ne præmiolum quidem ullum unquàm obtulerit; reverso autem huic pessimè merito, maxima amicitiæ lætitiæque argumenta exhibuerit. His significatur tantam esse Dei in recipiendis peccatoribus pœnitentibus facilitatem, et erga eos clementiam ac liberalitatem, denique tantam in cœlo super eorum conversione lætitiam; quanta eis qui verè sunt justi, parere queat summam admirandi causam; eis verò qui pro justis se habent vulgòque habentur, quamvis non sint (quales scribæ et Pharisæi), invidendi et obmurmurandi, et Deum Christumque ejus prosopolepsias atque injustitiæ accusandi, eò quòd peccatores justis pluris facere, et longè præferre videatur. Hìc ergo describitur, et suis scitè coloribus depingitur à Domino Jesu, obmurmuratio Pharisæorum et scribarum, cujus facta est mentio supra, v. 2, seipsos suaque merita extollentium, et peccatores publicos, quamvis pœnitentes, deprimentium, et indignos judicantium qui ad convictum aut familiaritatem admitterentur, denique Christum ob id accusantium et reprobantium.

Vers. 31. — At ipse. Syrus : *Dixit ei pater ipsius.* Pater impiâ filii expostulatione non commovetur ad iram, nec commemoratis suis in eum beneficiis redarguit superbam et falsam obmurmurationem, ne magis eum exasperet; sed blandis verbis placare eum et lenire conatur, tum quòd, occasione ita ferente, absque damno ipsius frater humaniter excipiatur, tum quòd æquum non sit, ipsum tristari, ob hilaritatem ex recuperatâ fratris salute conceptam. Pulchram itaque hìc videre est contentionem, inter filii invidentiam et patris mansuetudinem; filius venenum aspidum labiis evomit; pater nihil duri, sed blandiusculè omnia loquitur, quò utrumque filium sibi conciliet.

Fili. Concessis iis quæ filius dixerat, quanquàm non perinde veris. *Non enim confirmavit vera esse quæ filius dixerat,* ait Hieronymus. Fili, inquit, non est quòd queraris, quasi minùs tibi faciam aut fecerim quàm fratri tuo : ratio exhibitæ fratris causâ lætitiæ, non habuit in te locum. Quia

Tu semper mecum es, tu à me hactenùs non recessisti, mecum hactenùs perseveras laude dignus : nihil in te novi accidit, ut te lætanter excipere debeam ab exitio revertentem, postquàm me deserueris, quemadmodùm illum.

Et proinde etiam, quia hactenùs mecum constans permanes, omnia quæ habeo bona tua sunt, sunt tibi mecum hactenùs communia, tibi exposita ac parata, et in tuâ potestate sunt fueruntque hactenùs, ut utaris eis. Parùm est me vitulum saginatum pro fratre tuo mactâsse; greges universi tui sunt, uti eis pro libitu potes, et semper potuisti. Nam quia nihil unquàm è domo meâ abstulisti, omnia tibi salva manent, et non solùm portio tua, sed et quæcumque mihi suppetunt. Plurima autem cùm suppetant, plura, inquam, quàm tu consumere valeas, nihil tibi deperit, nihil damni pateris, si lautum lætumque convivium fratri tuo reverso instruxerim. Justis Deo perseveranter adhærentibus, sunt cum Deo bona omnia communia, æterna, temporaria; hæc ad utendum, illa ad fruendum; exposita sunt petentibus, parata excipientibus, ita ut delectentur in Domino, et consolationes Dei lætificare queant animas eorum, quandocumque res id postulet; nec quidquam illis decedit, etiamsi peccatores pœnitentes, postquàm partem suam prodegerint, ad communionem admittantur. Hoc idem attribuit Christus iis qui pro justis habentur, sed per concessionem, eâdem ratione quâ justos vocat.

Vers. 32. — Epulari, lætari, oblectari.

Autem, nihilominùs, q. d. : Quamvis tu semper mecum manseris et probè te gesseris, justus et obediens filius : non invidere tamen aut obmurmurare, sed gaudere ac lætari oportebat te cum patre et totâ familiâ, hâc occasione se offerente.

conciliatione fratris, sed solummodò de tam extraordinariâ lætitiæ solemnitate.

Vers. 31. — At ipse dixit, admittens verum esse de non exhibito ei epulo peculiari. Causam addit, quia tu semper mecum es, perseverans scilicet in familiaritate meâ, quod tibi instar jugis convivii esse debet : q. d. : Nihil in te novi accidit, nullam dedisti occasionem alicujus novæ et inusitatæ lætitiæ excitandæ : et omnia mea tua sunt, ut non fuerit necesse me tibi quidquam de novo dare ad magnificum epulum, novamque gaudii testificationem, quia omnibus in familiâ uti poteras.

Vers. 32. — Epulari autem et gaudere oportebat, me scilicet, totamque familiam, et consequenter etiam te, quia hic frater tuus mortuus erat. Nam sicut natura docet in temporalibus peculiare gaudium instituere de rebus recuperatis, et non de conservatis, quemadmodùm in parabolâ de ove et drachmâ inventis vidimus, ita etiam fieri convenit in spiritualibus. Hæc sententia Christi tangit scopum totius parabolæ, quâ docet Pharisæos, sive justi sint, sive haberi velint, non indignari, vel murmurare debere, quòd peccatores susciperet ad salutem, sed potiùs collætari. Ex his quæ diximus, non est difficile parabolam allegorico sensu ad duos populos, Judaicum et Gentilem, extendere, sicut Ambros. hìc, Hieron. et August., locis cit., faciunt. Filius enim major est Israel, qui, Exodi 4, vocatur primogenitus : junior gentilis, quia in illâ primâ discessione, quæ in primo parente facta est, perseveravit, ac deinde fide, religione et moribus longiùs recessit à Deo; tandem fame veritatis stimulante, Deoque illustrante, revertitur

Quia frater tuus. Non meâ solùm causâ, sed et quia frater tuus est, cui bonum omne velle debes ut alteri tibi, charitate urgente.

Mortuus erat et revixit, cùm mortuus fuerit, revixit; vide supra, v. 24. Non offendere te debet nostra lætitia, cujus socius esse debueras; æquum est enim te fratri, qui reputatus fuit perditus, salvo et reduci gratulari. Non decet meminisse qualis fuerit, sed gaudere quòd talis modò sit, qualem optamus. Hâc sententiâ, tanquàm conclusione trium præcedentium parabolarum, absolvit doctrinam suam Jesus, et quasi adhibito gravi malleo, prosternit Pharisæos, docens peccatores à se suscipi, non quia peccatores sunt, sed quia pœnitentes, conversi, justificati; ideòque non invidendum aut murmurandum ipsis tanquàm justis, sed lætandum super fratrum salute, si Deum angelosque imitari velint. « Hic totus scopus « parabolæ est, inquit Theophylactus, propter Pharisæos obmurmurantes quòd peccatores susciperet; « quâ docet, etiamsi justi simus, non repellendos peccatores, neque obmurmurandum recipiente illos Deo; » et paulò antè : « Dicit igitur per præsentem « parabolam Dominus Pharisæis, quasi in hunc modum : Esto, vos justi sitis, sicut filius ille beneplacens patri; obsecro vos justos et mundos, ne obmurmuretis in salute filiorum : est enim et ille filius. « Itaque Pharisæorum mentem instruit, ut etiamsi justi ipsi essent, et omnia mandata Dei perfecissent, « gravatim ferre non deberent suscipi peccatores; » cæteroqui similes ipsos esse filio illi seniori, quem nemo neget malè fecisse.

in se, et amplectitur pœnitentiam. Deus illum suscipit, indultâ ei fide et justitiâ, et sacramento corporis Christi tanquàm vituli saginati, celebrando insuper publico gaudio cum symphoniâ et choris, per totum terrarum orbem jam resonantibus, super populi tam longè dissiti ac ferè desperati conversione. Interim filius senior est in agro, id est, in terrenis operibus, et pro terrenâ hæreditate servit Deo : et audiens illam lætitiam Ecclesiæ gentium, vocat unum de servis, id est, legit aliquem prophetarum, et intelligens fieri hoc propter resipiscentiam populi perditi, indignatur, quia torquetur invidiâ, videns Ecclesiam, ac tam opima ejus Sacramenta, et non vult adhuc in eam intrare. Stomachatur adversùs patrem, quòd nihil simile sibi contigerit, qui patris mandatum nunquàm præteriverit, opinione scilicet suâ, quia hoc arrogantiùs quàm veriùs dicit; quanquàm posset de perseverantiâ in cultu Dei intelligi. Vide cætera latiùs apud Aug., lib. 2 Quæst. evang., q. 33.

CAPUT XVI.

1. Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipâsset bona ipsius.

2. Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare.

3. Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

4. Scio quid faciam, ut cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantùm debes domino meo?

6. At ille dixit : Centum cados olei. Dixitque illi : Accipe cautionem tuam; et sede citò, scribe quinquaginta.

7. Deinde alii dixit : Tu verò quantùm debes? Qui ait : Centum coros tritici. Ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta.

8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset : quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt.

9. Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis; ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

10. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.

11. Si ergo in iniquo mammonâ fideles non fuistis; quod verum est, quis credet vobis?

12. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?

13. Nemo servus potest duobus dominis servire;

CHAPITRE XVI.

1. Jésus dit aussi, en s'adressant à ses disciples : Un homme riche avait un économe qui fut accusé devant lui, comme ayant dissipé les biens de son maître.

2. Et il le fit venir, et lui dit : Qu'est-ce que j'entends dire de vous? Rendez-moi compte de votre administration, car vous ne pourrez plus gouverner mon bien.

3. Alors cet économe dit en lui-même : Que ferai-je, mon maître m'ôtant l'administration de son bien? Je ne saurais travailler à la terre, et j'aurais honte de mendier.

4. Je sais bien ce que je ferai, afin que lorsqu'on m'aura ôté mon emploi, il y ait des gens qui me reçoivent chez eux.

5. Ayant donc fait venir, l'un après l'autre, tous ceux qui devaient à son maître, il dit au premier : Combien devez-vous à mon maître?

6. Il lui répondit : Cent barils d'huile. L'économe lui dit : Reprenez votre obligation; mettez-vous là vite, et faites-en une autre de cinquante.

7. Il dit ensuite à un autre : Et vous, combien devez-vous? Il répondit : Cent mesures de froment. Reprenez votre billet, lui dit-il, et faites-en un autre de quatre-vingts.

8. Et le maître loua cet économe infidèle, de ce qu'il avait agi prudemment; car les enfants du siècle sont plus sages dans la conduite de leurs affaires, que les enfants de lumière.

9. Je vous dis de même : Faites-vous des amis avec les richesses d'iniquité; afin que, lorsque vous viendrez à manquer, ils vous reçoivent dans les demeures éternelles.

10. Celui qui est fidèle dans les petites choses, sera fidèle aussi dans les grandes; et celui qui est injuste dans les petites choses, sera aussi injuste dans les grandes.

11. Si donc vous n'avez pas été fidèles dans les richesses injustes, qui vous voudra confier les biens véritables?

12. Et si vous n'avez pas été fidèles dans un bien étranger, qui vous donnera le vôtre propre?

13. Nul ne peut servir deux maîtres; car, ou il

aut enim unum odiet, et alterum diliget; aut uni adhærebit, et alterum contemnet : non potestis Deo servire et mammonæ.

14. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari; et deridebant illum.

15. Et ait illis : Vos estis qui justificatis vos coram hominibus : Deus autem novit corda vestra : quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.

16. Lex et prophetæ, usque ad Joannem : ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit.

17. Facilius est autem cœlum et terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere.

18. Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam à viro ducit, mœchatur.

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ et bysso; et epulabatur quotidiè splendidè.

20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,

21. Cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensâ divitis, et nemo illi dabat; sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.

22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

23. Elevans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, et Lazarum in sinu ejus.

24. Et ipse clamans, dixit : Pater Abraham, miserere meî, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ.

25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.

26. Et in his omnibus, inter nos et vos chaos magnum firmatum est; ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde hùc transmeare.

27. Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei :

28. Habeo enim quinque fratres : ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

29. Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas : audiant illos.

30. At ille dixit : Non, pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

31. Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

haïra l'un, et aimera l'autre; ou il s'attachera à l'un, et il méprisera l'autre. Ainsi vous ne pouvez servir tout ensemble Dieu et l'argent.

14. Les Pharisiens, qui étaient avares, écoutaient toutes ces choses, et ils se moquaient de lui.

15. Et Jésus leur dit : Pour vous, vous avez grand soin de paraître justes devant les hommes; mais Dieu connaît vos cœurs; car souvent ce qui est grand aux yeux des hommes, est en abomination devant Dieu.

16. La loi et les prophètes ont duré jusqu'à Jean; depuis ce temps-là, le royaume de Dieu est annoncé, et chacun peut faire violence pour y entrer.

17. Or il est plus aisé que le ciel et la terre passent, que non pas qu'une seule lettre de la loi manque d'avoir son effet.

18. Quiconque renvoie sa femme et en épouse une autre, commet un adultère, et quiconque épouse celle que son mari a renvoyée, commet un adultère.

19. Il y avait un homme riche qui était vêtu de pourpre et de lin, et qui se traitait magnifiquement tous les jours.

20. Il y avait aussi un pauvre nommé Lazare, étendu à sa porte, tout couvert d'ulcères,

21. Qui eût bien voulu se rassasier des miettes qui tombaient de la table du riche; mais personne ne lui en donnait, et les chiens venaient lécher ses ulcères.

22. Or, il arriva que ce pauvre mourut, et fut emporté par les anges dans le sein d'Abraham. Le riche mourut aussi, et eut l'enfer pour tombeau.

23. Et lorsqu'il était dans les tourments, il leva les yeux en haut, et vit de loin Abraham, et Lazare dans son sein.

24. Et s'écriant, il dit ces paroles : Père Abraham, ayez pitié de moi, et envoyez-moi Lazare, afin qu'il trempe le bout de son doigt dans l'eau, pour me rafraîchir la langue, parce que je souffre d'extrêmes tourments dans cette flamme.

25. Mais Abraham lui répondit : Mon fils, souvenez-vous que vous avez reçu vos biens dans votre vie, et que Lazare n'y a eu que des maux; c'est pourquoi il est maintenant dans la consolation, et vous êtes dans les tourments.

26. De plus, il y a entre vous et nous un grand abîme; de sorte que ceux qui voudraient passer d'ici vers vous, ne le peuvent, comme on ne peut passer ici du lieu où vous êtes.

27. Le riche répliqua : Je vous supplie donc, Abraham, mon père, de l'envoyer dans la maison de mon père,

28. Où j'ai cinq frères, afin qu'il les avertisse, de peur qu'ils ne viennent aussi eux-mêmes dans ce lieu de tourments.

29. Abraham lui repartit : Ils ont Moïse et les prophètes; qu'ils les écoutent.

30. Non, dit-il, Abraham, mon père; mais si quelqu'un des morts va les trouver, ils feront pénitence.

31. Abraham lui répondit : S'ils n'écoutent ni Moïse, ni les prophètes, ils ne croiront pas non plus, quand même quelqu'un des morts ressusciterait.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Dicebat autem eodem tempore, scilicet *parabolam*, quod Syrus addit, et subaudit Hieronymus, q. 6, ad Algasiam.

Et, pro *etiam*.

Ad discipulos suos. Superioris capitis parabolas dixerat ad Pharisæos et scribas, supra 15, v. 3; hanc

Vers. 1. — Dicebat. Cùm præcedentes tres parabolas ad scribas et Pharisæos, tanquàm contra se murmurantes, direxisset, nunc aliam addit ad discipulos suos, generaliter dictos, hoc est, ad sectatores suos, qui se disciplinæ ejus subjicere volebant, etiamsi nondùm reliquissent omnia. Agitur enim de divitiarum dispensatione.

Homo quidam erat dives, parabola narratur, non

ad discipulos suos, id est, sectatores, qui sic se disciplinæ ejus subdere gestiebant; ut *tamen non omnibus omninò quas in terrâ possiderent opibus, simul et semel desertis, sublimem illam vitæ conversionem capessere vellent,* quod Titus ait; quemadmodùm jam fecerant apostoli, qui reliquerant omnia, Matth. 19, v. 27. Illos hâc parabolâ ad eleemosynæ studium adhortatur.

Homo quidam erat. Non narratur res gesta, sed fingitur exemplum docendi gratiâ, quemadmodùm sæpè hactenùs; quò majori cum gratiâ doceatur, et faciliùs ac jucundiùs in auditorum animos illabatur, quod mens est docere.

Villicum, œconomum; *dispensatorem* vertit supra 12, v. 42. Syrus transfert, *magistrum,* seu *præfectum domûs:* nam à domo regendâ œconomus nomen refert. Matth. 20, v. 8, vocatur procurator. Hieronymus quæstione 6 ad Algasiam scribit in hæc verba: *Qui habebat villicum sive dispensatorem, hoc enim* οἰκονόμος *significat; villicus autem propriè villæ gubernator est, unde et à villâ villicus nomen accepit; œconomus autem tam pecuniæ quàm frugum, et omnium quæ Dominus possidet, dispensator est.* Hæc Hieronymus. Intelligitur ergo nomine villici, servus à Domino constitutus super familiam, ad hoc ut et proventus Domini recipiat, et in usus familiæ expendat, sub conditione reddendæ rationis. Cæterùm non hìc agitur de præfectis Ecclesiæ et dispensatoribus mysteriorum Dei, quemadmodùm supra 12, v. 42, et Matth. 24, v. 45; sed de singulis fidelium, divitias hujus mundi obtinentibus, quos intelligit Christus, esse dispensatores divitiarum, opum ac bonorum quæ à Deo solo divite acceperunt; dispensatores, inquam, non absolutos dominos; quibus non simpliciter donata, sed credita à supremo Domino sint, temporaria bona, expendenda juxta præscriptum ipsius, in communem usum servorum ejus, sub conditione reddendæ rationis ad novissimum usque quadrantem. Sic interpretatur inter Latinos Ambrosius, dùm ait: *In quo discimus, non ipsi esse domini, sed potiùs alienarum villici facultatum.* Inter Græcos cum Euthymio Theophylactus: *Primum hoc discimus, quòd non sumus domini divitiarum, sed dispensatores alienarum rerum, ut illas benè dispensemus, sicut ipse imperat.* Nam Dominus is est qui de seipso ait: *Meus est orbis terræ et plenitudo ejus,* Psalmo 49, v. 12.

Et hic, qui diffamatus, *delatus* est, quasi dissipasset; Græcè, *ut qui dissiparet,* profunderet, abliguriret, edendo, bibendo, inebriando ut ille supra 12, v. 45, aliisque modis, omninòque contra præscriptum Domini, abuteretur. Multi divitiis, quas Deus ipsis concessit, abutuntur, rarusque aut nullus est, qui modum à Deo præscriptum exactè teneat. Quâ de re perpetuam ipsorum apud Deum accusationem instituit diabolus, quod est, delator, quem Apocalypsis vocat *accusatorem fratrum, qui accuset illos ante conspectum Dei die ac nocte,* cap. 12, v. 10.

Vers. 2. — Et, pro *itaque,* vocavit illum, scilicet *dominus ejus,* quod Syrus exprimit.

Quid est hoc quod audio de te, quòd profundas bona mea, tuæ dispensationi à me credita?

Redde, parate ad reddendum rationem villicationis, id est, dispensationis, administrationis tuæ; de acceptis et expensis, ut sciam quantùm bonorum meorum prodegeris.

Jam, pro *ampliùs,* vertere ex ἔτι frequens est nostro interpreti, supra 15, v. 19; Marci 12, v. 34, Joan. 5, v. 14.

Non poteris per me, non ampliùs fiet tibi à me potestas, non ampliùs tibi permittam.

Villicare, villicum seu dispensatorem agere bonorum meorum. Hieronymus, *mea dispensare.* Frequenter admonet Deus divites hujus seculi, de luxu vestium, conviviorum, de abusu divitiarum, et cætera, idque per Scripturas sacras et prædicationes admonitionesque servorum suorum. Ob oculos etiam ponit vicinam mortem, quâ auferendus ab eis sit omnis divitiarum usus, et reddenda præteritæ ratio administrationis.

Vers. 3. — Villicus, œconomus, dispensator.

Intra se, apud se, apud animum suum. Non audebat verbis negare crimen dissipationis, quod per rationes subductas facilè fieri poterat manifestum; obmutescens igitur anxiusque, cogitabat cum animo suo.

Quid faciam, deinceps, quo vitam sustineam.

Quia, quandoquidem.

Aufert, auferre decrevit.

Villicationem, officium administrandi res suas. Hoc officium hactenùs eum aluerat, ad necessitatem non solùm, verùm etiam ad voluptatem; eo privatus ubi fuerit, angitur quomodò necessaria vitæ poterit acquirere. Non enim fuerat ex eo genere quæstorum seu administratorum, qui quæ ex bonis dominorum suorum iniquè subripiunt paulatim, recondunt in futuros suos usus, sed ex eorum qui mox abli-

historia, qui habebat villicum, Græcè, *œconomum,* id est, *dispensatorem* seu *administratorem familiæ,* qui scilicet omnes proventus reciperet et expenderet, sub onere reddendæ rationis. Unde *villicatio* in sequentibus est domûs administratio, seu officium administrandi familiam; nam alioqui *villicus* propriè est gubernator villæ, ut notat. Hier., ep. 151 ad Algasiam, quæst. 6: *Et hic diffamatus est,* seu delatus, quasi dissipâsset bona ipsius, in alios usus ea convertendo, quàm ratio officii postularet. Et quia res non constabat, cùm eum vocasset, ait illi:

Vers. 2. — Quid hoc audio de te? Hæc est infamia, quæ viam aperire solet inquisitioni: Redde rationem villicationis, id est, totius administrationis tuæ: Jam enim, Græcè, *adhuc* seu *ampliùs,* non poteris villicare, id est, ut Hieron., mea dispensare, supple, si defeceris in reddendâ ratione; non enim ante cognitionem causæ, propter solam delationem officium abstulit ut patet ex v. 4. Itaque villicus, sciens se crimen dissipationis amoliri non posse,

Vers. 3. — Ait intra se, secum deliberans: Quid faciam? ut mihi victum conquiram, quia dominus meus aufert, id est, auferet, nam malè sibi conscius hoc eventurum prævidebat: fodere non valeo, id est, manibus operari, species pro genere; nempe ex desuetudine aut corporis imbecillitate, et quia hono-

guriunt. Angitur igitur, ut futurus inops, et destitutus ratione vivendi.

Fodere, labore manuum victum lucrifacere non valeo, partim ob virium imbecillitatem, partim ob dissuetudinem.

Erubesco, pudet.

Vers. 4. — Scio. Deliberanti occurrit consilium opportunum quod judicat, sed astutum : neque enim curant homines seculi, jure an injuriâ sibi comparent unde vivant, modò ne infamentur.

Ut cum. Hoc faciam, hoc procurabo, ut cùm.

Villicatione, dispensatione, officio administratoris.

Recipiant me. Non dicit qui, quia, secretò apud se loquens, se ipse intelligit, nec ab aliis intelligi desiderat meditatam abs se fraudem. Subaudit autem, debitores domini mei.

In domos suas, ita ut alant et sustineant. Priusquàm ab officio amovear, tanto eos beneficio mihi devinciam, quanto fiet, ut non gravatè me in domos suas, nunc unus, nunc alius, suscepturi, et pro meâ qualitate tractaturi sint.

Vers. 5. — Dicebat, rogabat.

Primo, qui advenerat.

Quantum debes. Non quòd ignoret rogat, apud quem cautio servabatur; sed ut ille confessus debitum, intelligat quantùm hic œconomus beneficii sibi præstet, dimidium debiti remittens.

Vers. 6.—Cados, Græcè *batous* legitur, quæ vox est Hebræa; Syriacè *matreion*, metretas, quæ vox est Græca. Porrò interpres Latinus, pro eâdem mensurâ habuit batum, metretam et cadum; quanquàm *cad* Hebræis, non perinde certæ mensuræ sit, propriè significans vas habile ad liquida portanda manu humerove, Genes. 24, v. 15, 3 Reg. 18, v. 34. Porrò batus est decima pars cori in liquidis, quemadmodùm ephi in aridis. Id manifestè Ezechiel docet cap. 45, v. 11, ubi ait : « Ephi et batus æqualia et unius mensuræ erunt, ut capiat decimam partem cori batus, et decimam partem cori ephi. » *Bath* autem continet sex *hin, hin* duodecim *log, log* sex ova gallinacea communia, ac proinde *bat* seu *metreta* capiat 432 *ova* communia. Alii aliâ initâ numerandi ratione, pondus vini metretâ unâ contenti, octo et centum libris æstimant, singulis libris appendentibus duodecim uncias.

Accipe, à me, quam tibi trado.

Cautionem tuam, scriptum tuum, libellum tuum, tabulas tuas, quibus obligaris hero meo ad solvendum centum. Hæ tabulæ in manu œconomi erant, tanquàm administratoris facultatum domini sui, eo fine, ut per eas cogeret debitorem ad solvendum, si opus esset. Reddit itaque illas debitori, ad hoc ut rescindat eas ac laceret, si velit,

Et sede. Nec enim commodè scribere quis potest, nisi sedens.

Citò, tam ad præcedens quàm ad subsequens verbum refertur : citò enim rem geri vult, ne quis, dùm tabulæ adulterantur superveniens, percipiat fraudem, et ad dominum deferat.

Scribe quinquaginta; scribe aliam cautionem seu novas tabulas, quibus fatearis te debere quinquaginta cados olei. Has ego suppositas loco veterum tabularum, domino in manus tradam; quare fiet, ut neque ipse, neque alius quisquam ejus nomine, cogere te possit ad solvendum ampliùs quàm quinquaginta. Scito itaque remissos tibi operâ meâ reliquos quinquaginta cados; et postquàm amotum me videris à munere dispensatoris, memineris hujus mei erga te beneficii.

Vers. 7. — Coros. Corus Hebraicè *cor*, aliàs *homer*, mensura est et aridorum et liquidorum, cujus decima pars in aridis est ephi, quemadmodùm in liquidis batus : quod mox docuimus ex Ezechiele. Porrò unum ephi continet tria sata, de quibus supra.

Litteras tuas, scriptum tuum; *cautionem tuam* transfert versu superiore; litteras seu instrumentum obligationis, quo obligaris hero ad centum.

Octoginta. Mox remittebat dimidium debiti, hìc quintam duntaxat partem; ne si omnibus eamdem remitteret quantitatem, facilè animadverteret dominus. Cæterùm quinta hæc pars, tantò major est illâ dimidiâ, quantò ducenti bati excedunt batos quinquaginta. Similiter autem cum aliis etiam domini sui debitoribus dispensatorem hunc egisse, relinquitur intelligendum.

Reliqua hujus versiculi pete ex eo qui præcedit.

---

ratus vixi, mendicare erubesco. Deliberanti incidit opportuna ratio vitæ sustentandæ, quam statim amplectitur per hoc quod dicit :

Vers. 4. — Scio quid faciam; nihil enim homines hujus mundi curant, jure an injuriâ victum comparent, dummodò sine infamiâ vivant : ut cum amotus fuero, etc., recipiant me, supple, debitores domini mei; q. d. : Talibus beneficiis eos mihi devinciam, ut cùm depositus fuero, nunc unus, nunc alius non gravatè me suscipiant ac tractent in domo suâ.

Vers. 5, 6, 7. — Convocatis itaque singulis debitoribus, ut et fraus minùs patesceret, dùm singulis partem remittit, et uni soli postea esset minùs onerosus aut invisus. Primus itaque debebat centum cados olei; Græcè est *batos*, sed noster accepit *batum* et *cadum*, pro eâdem mensurâ, sicut et aliquando Hieron. Porrò *batus* et *ephi* mensuræ æquales erant; sed *batus* in liquidis, et *ephi* in aridis, et utraque continebat decimam partem *cori*, sicut hoc patet Ezech. 45, v. 11, ita ut unus corus comprehenderet decem batos seu cados in rebus liquidis; itemque decem ephi in rebus aridis. Dixitque illi : Accipe cautionem tuam, Græcè *scriptum*, id est, chirographum tuum, seu litteras, quibus obligaris hero meo ad centum cados olei, accipe à me tibi porrectas, ut eos comburas aut laceres, ne quisquam invitum te cogere possit ad solvendum centum. Et sede cito, quia verebatur ne ad singula momenta vocaretur ad reddendam rationem : scribe quinquaginta, id est, scribe aliud chirographum, quo fatearis te debere quinquaginta. Itaque dimidium remittit primo, quintam verò partem secundo, dùm, pro *centum coris tritici*, scribi jubet *octoginta*. Quæ remissio, quamvis proportione ad præcedentem esset minor, in se ta-

VERS. 8. — ET LAUDAVIT DOMINUS. Quod œconomi sui factum ubi rescivit vir ille dives, quamvis dispendium non modicum passus, laudavit.

VILLICUM INIQUITATIS, etc., id est, villicum, œconomum seu dispensatorem iniquum, phrasi Hebraicâ. Iniquus seu injustus erat, tum quia nuper dissipaverat bona domini sui, tum quia modò veritus destitutionem, domino suo bona sua clanculùm subripuit; laudavit tamen eum dominus, non quia iniquè seu injustè, sed QUIA PRUDENTER FECISSET, ad suum ipsius commodum, quia prudenter sibi in futurum prospexisset, clam procuratis sibi amicis de bonis domini sui, qui essent eum adjuturi, ne egestatem pateretur, postquàm esset ab officio amotus. *Prudenter* autem, inquit, pro eo quod est industriè, callidè : nec enim virtus prudentia esse potest, quæ cum injustitiâ conjuncta est; sed est vitium prudentiæ simile. Porrò rarus inveniatur dominus qui hujusmodi industriam laudet, conjunctam cum tanto damno suo; sed ponit Christus virum prædivitem et liberalem, qui hujusmodi jacturam parvi faciat, magisque delectetur ingenio dispensatoris, solerter sibi providentis, quàm contristetur de damno quod hinc ipse patiatur, præsertim cùm Deum velit per hunc significatum.

QUIA, pro certè. Verba sunt Christi, occasione laudatæ prudentiæ iniqui hujus villici, exprobrantis filiis Dei socordiam suam.

FILII HUJUS SECULI, qualis iniquus iste villicus seu dispensator. *Filii hujus seculi* dicuntur homines qui diligunt imitanturque hoc seculum, quibus placent quique sequuntur res et opera hujus mundi, toti addicti mundo et vitæ præsenti.

PRUDENTIORES SUNT, sagaciores, solertiores, industrii magis *sunt*. Explicat Augustinus, *ad consulendum sibimet in posterum, quamvis fraude, non jure,* lib. 11 de Gen. ad lit., cap. 2,

FILIIS LUCIS, hominibus qui luce divinâ, quod ad animos mentesque illustrati, diligunt lucem, id est, Deum, justitiam, virtutem, æternam vitam, et quæ luce digna sunt faciunt, perosi opera tenebrarum; de quibus Apostolus, Ephes. 5, v. 8 : *Ut filii lucis ambulate.* Filii quidem dicuntur, Hebraicâ phrasi, sive lucis sive seculi, hinc ob ingeneratam animis sive à luce sive à seculo qualitatem affectionemque, hinc ob amorem imitationemque sive lucis sive seculi; ex antithesi autem intelligitur seculum hoc loco tenebras appellari; sicut et Apostolus, *rectores mundi*, interpretatur, *tenebrarum harum*, Ephes. 6, v. 12. Nam tenebræ est mundus seu seculum, id est, multitudo impiorum, quia obcæcatum habens cor solas sectatur tenebras, nihil aliud nempe in mundo aut considerat aut amat, quàm ea quibus abs Deo et verâ æternâque luce abstrahitur.

GENERATIONE SUA, genere suo. Ut variæ sunt generationes seu genera hominum, ita est generatio quærentium Dominum, psalmi 23 v. 6; est et generatio aversantium Dominum; est genus hominum carnalium ac mundanorum, est et spiritalium ac cœlestium. Igitur *in generatione* seu genere suo, id est, in iis quæ pertinent ad generationem seu genus suum, id est, ad ipsos propriè, quâ parte à filiis lucis distinguuntur; ea autem sunt, temporaria bona, hujus mundi commoda, res vitæ præsentis, quas illi propriè spectant et quærunt. Addita est hæc particula, et correctionis et restrictionis causâ; correctionis, quia non verè prudentes sunt, quæ est virtus propria filiis lucis; sed habent aliquid prudentiæ simile, nempe, astuti, callidi, industrii sunt; restrictionis autem, quia non in omnibus superant filios lucis, certè non in iis quæ lucis sunt; sed in iis solis quæ ad hujus vitæ commoditatem et usum spectant. In his prudentes sunt, sagaces nimirùm, ut prospiciant rebus suis temporariis, ut benè sibi consulant in futurum, quemadmodùm mox iniquus ille villicus, adeòque mirabiles aliquando videre licet astutias, quas excogitant ad promovendam utilitatem suam corporalem. In his prudentes sunt, adeòque prudentiores quàm sint filii lucis; subaudiunt quidam, in eisdem rebus. Verum illud dicere nec opus erat, quod per se est manifestum satis; nec enim filii lucis se exercent in iis quæ sunt seculi; minimùm, non perinde ut filii seculi; nec mens Christo erat, qui taxare his verbis voluit socordiam filiorum Dei; prout dicebamus; quòd superari se sinerent à seculi hominibus, in promovendis rebus, non seculi, sed lucis. Subaudiendum est igitur, prudentiores in generatione suâ sunt, quàm sint filii lucis in suâ generatione, id est, in rebus quæ ad ipsos propriè pertinent, quas ipsi quærunt et amant, virtute, justitiâ, vitâ saluteque æternâ. Justi non tam prudentes sunt in bonum, quàm illi in malum, ut præcaveant detrimentum omne bonorum suorum spiritalium, ut evitent quamcumque animæ læsionem, ut provideant sibi de bonorum operum meritorumque copiâ, et prospiciant in vitam futuri seculi. Huc enim præcipuè respicit Christus, turpe

men erat major, quia cùm unus corus contineret decem batos, viginti cori quos remittebat conficiebant ducentos batos, cùm tamen primo non remisisset nisi quinquaginta. Relinquit autem intelligendum similiter actum esse cum reliquis debitoribus, singulosque monitos, ut essent memores beneficii.

VERS. 8. — ET LAUDAVIT DOMINUS, Hieron., epist. 16, pro *Dominus*, legit, *Salvator*, quasi essent verba evangelistæ : sed rectiùs acceperis cum eodem, epist. 151, et August., lib. 2 Quæst. evang., q. 34, ut sint verba Christi de domino illius villici, qui, intellectâ fraude, laudaverit VILLICUM INIQUITATIS, id est, iniquum, quia et olim administrando, et jam remittendo iniquè læserat dominum suum. Laudabit autem non injustitiam aut fraudem, sed quia PRUDENTER FECISSET, id est, quia solerter et industriè in commodum suum et opportunè ad scopum suum. Non enim erat vera prudentia, sed astutia cum fraude juncta. Astutia quippe est degener quædam et vitiosa prudentia. Quamvis igitur læsus, laudavit tamen, sicuti cùm audivimus improbum aliquod facinus, laudamus tamen, quia ingeniosum; QUIA FILII HUJUS SECULI, id est, homines, qui huic seculo et ejus moribus ac legibus serviunt, PRUDENTIORES SUNT, id est, sagaciores et magis industrii, scilicet ad consulendum sibi in posterum, quamvis fraude, non jure, prout supplet August., 11. De Genesi ad lit., cap. 2, FILIIS LUCIS, id est, hominibus lucem divinam diligentibus et se-

esse docens, impios in suo genere plus sapere et certiùs sibi providere, cùm agatur de rebus levibus et perituris, quàm justos in suo genere, ubi de rebus æternis quæstio est, et comparandis præsidiis vitæ immortalis. Nam quanquàm id perpetuum non sit, frequens est tamen, et ut plurimùm accidit. Videri id possit contrarium rationi, eò quòd filii lucis, donati luce, illustrati luce spiritûs Dei, longè clariùs, quæ ad æternam ipsorum salutem faciunt, videre et prospicere debere, judicari possint; nisi corruptionem naturæ adversariam paterentur, quæ animum eorum à rebus divinis ita abstrahit, ut non perinde liberè ad eas contemplandas et discutiendas ferantur, quemadmodùm illi, eâdem naturæ corruptione favente, feruntur ad res temporarias. Hâc igitur additâ comparatione ac sententiâ, Christus, ut ignaviam nobis exprobrat, quod saltem non æquè nobis prospiciamus in futuram vitam æternam, ac profani homines in futurum prospiciunt vitæ huic fluxæ et quæ momento præterit; ita aperit sibi viam, ad subjungendam parabolæ conclusionem, in eo consistentem, ut iniqui illius villici prudentiam, rationemque vivendi in futurum ab eo initam, imitemur.

Vers. 9. — Et ego. Ego igitur *dico,* moneo, adhortor.

Vobis, qui vultis vos præstare filios lucis, et à Deo laudari.

Facite vos, si aliquando minùs rectè administraveritis aut dispensaveritis; vel nunc tandem *facite,* conciliate *vobis,* similiter ut villicus ille iniquus.

De, ex.

Mammona, divitiis. Vox *mammona* significat lucrum, divitias, substantiam, omne denique quod ad rem pecuniariam pertinet; hìc, ad majorem divitiarum contemptum relicta est ἀνερμήνευτος, tanquam proprium sit nomen falsi alicujus Dei, qui à multis pro Deo colatur, ut certè fit.

Iniquitatis, phrasis Hebraica, pro, ex mammonâ iniquo, ex divitiis injustis. Sicut villicus ille iniquus, amicos sibi comparavit ex iniquo mammonâ, ita et vos ex iniquo; ut ille ex alieno, ita et vos ex alieno. Diversæ tamen rationis iniquum alienumque Christus intelligit. Nam villicus ille, amicos sibi comparavit, ex bonis, quæ ita erant alterius, nempe heri sui, ut nullo justo titulo essent ipsius: id perversum fuit, et nullo modo licitum: neque eleemosynæ datæ ex divitiis, furto, rapinâ, aut fraude partis, Deo gratæ sunt. Christus autem jubet, ut ex illis divitiis amicos faciamus, quas etsi justo titulo aut certè bonâ fide possideamus, iniquitatis tamen notam merentur, et iniquæ dicendæ sunt, multas ob causas. Primùm quia non sine iniquitate collectæ sunt, innocenter congregari vix possunt: *Nam qui volunt divites fieri, incidunt,* etc., 1 Tim. 6, v. 9; deinde quia non sine iniquitate asservantur, *quæ est* idololatria seu *idolorum servitus*, Ephes. 5, v. 5; tum quia non sine iniquitate ferè expenduntur, materia cùm sint omnis iniquitatis et irritamenta malorum; ad hæc quia mendaces ac fallaces sunt, fallunt enim possessores suos, quibus felicitatem omneque bonorum genus promittunt; denique quia pro nostris eas habemus, cùm sint alienæ; jure enim dominii, Dei sunt; nostræ, solo dispensationis titulo; modis igitur omnibus, iniquitas eis involuta cùm sit, meritò iniquæ vocantur. Porrò ex his causis, duæ postremæ, videntur intelligendæ dari proximis versibus 11 ac 12, ubi iniquo verum, et alienum vestro opponitur. Verum est, quod solidè tale est, quale se monstrat: iniquum igitur, quod inane, fallax, mendax. Alienum est, quod alieni juris ac dominii est; nostrum, quod propriè est nostrum. Alienas esse agnoscamus oportet divitias magni illius Domini, cujus est terra et plenitudo ejus, Psal. 23, v. 1; qui eas nobis largitus sit, ut utamur eis, non pro libitu nostro, sed ex præscripto ipsius, prout noverimus eum velle, sub conditione reddendæ rationis. Quemadmodùm ergo injustæ vocantur opes, quas ut nostras possidemus et erogamus, cùm sint hominum aliorum, ita et injustæ hìc dicuntur, quas ut nostras tenemus, nec agnoscimus Dei esse, à Deo nobis acceptas, administrandi causâ et expendendi; nec aliter expendendi, quàm Deus præcepit, sub pœnâ damni resarciendi. Hoc enim sensu sunt plerique hominum, ut habeant eas pro suis, quibus uti frui possint pro merâ voluntate, absque eo quòd ab aliquo dependeant, cui de eorum usu reddenda sit ratio. Sic enim fit ut Deo subtrahatur quod suum est, et quod alienum est homines usurpent. Cæterùm quomodocumque iniquæ dicantur divitiæ, vitium ab hominibus est, ipsæ naturâ cùm sint bonæ. Propterea tanquàm idoli nomine eas Christus *mammona* vocat: idolum enim iniquum est, non in se, aut aurum enim, aut argentum, aut similis materia est; sed errore eorum qui pro Deo illud co-

quentibus, hoc est, qui Deum, justitiam et virtutem diligunt, velut lucem, quam in agendo sequantur. Quâ antithesi, *lucis* ac *seculi,* tacitè insinuat, filios hujus seculi esse filios tenebrarum quia seculum diligunt, per quod à verâ luce aversi, in tenebris peccatorum detinentur. In generatione sua, id est, in genere suo, seu in iis quæ pertinent ad genus suum, ad commoda scilicet vitæ præsentis dextrè procuranda. Additum est hoc, tum corrigendi, tum restringendi causâ, ne putarentur vel verè esse prudentes, vel in omnibus superare filios lucis. Suppleri autem debet altera pars comparationis, hoc modo; quàm sint filii lucis in generatione suâ, seu in rebus ad virtutem vitamque æternam pertinentibus. Non enim est sensus quòd homines mundani sint magis industrii in commodis secularibus quàm in iisdem procurandis sint filii lucis; quia hoc nec ad scopum Christi spectabat, nec opus erat dicere, quia per se patet; amor enim rerum quas multùm diligunt, acuit et excitat in eis omnes prudentiæ vires, et suggerit quoslibet assequendi modos, cùm filii lucis ea negligant; sed sensus est quòd filii hujus seculi sint prudentiores in rebus secularibus quàm filii lucis in rebus divinis; illi magis in malum, quàm hi in bonum, nempe ut plurimùm; nam hoc scopo, ut simus prudentes in rebus divinis, concludit Christus parabolam.

Vers. 9. — Et ego dico vobis: Facite vobis amicos, erogando eleemosynas justis et sanctis, qui apud Deum abundant meritis, de mammona iniquitatis, seu iniquo, id est, de divitiis injustis. *Mammona* enim Syriaca vox est, divitias significans, quæ vo-

lunt, et exspectant ab eo quod Dei est dare. Horum error idolo, illorum vitium divitiis iniquitatem adgenerat. Quòd homines divitias iniquè aut non satis justè acquirant, servent, expendant, quòd à divitiis felicitatem exspectent, quòd divitias quas possident pro suis teneant, hominum peccatum est, non culpa divitiarum. De alieno igitur, et quod perversus hominum usus iniquum reddit, mammonâ, quanquàm bonâ fide nostro, vult Christus, interea dùm illius nobis à Deo permittitur administratio, amicos nobis comparemus, in alios illud erogantes, quibus usui esse possit. Atque affert epitheton ipsum iniqui secum rationem, cur erogare illud potiùs quàm conservare debeamus: quis enim consultum judicet rem, tot iniquitatis modis obnoxiam, apud se retinere, et non potiùs ab eâ quantociùs se expedire? Vult ergo ut imitemur exemplum dispensatoris illius iniqui; non futuri tamen iniqui, quemadmodùm ille, quia facturi id sumus ex Dei bonis, sciente et consentiente adeòque adhortante Deo, domino, quod ille fecit ex bonis heri sui, hero non conscio.

Cum defeceritis vitâ et officio dispensandi, cùm sublati fueritis è vitâ, et ablata vobis omnis mammonæ dispensatio. Sic interpretantur Græci, Euthymius, Titus, Theophilactus. Syrus legit numero singulari *demo dagmar*, ut cùm defecerit, scilicet mammona vobis; id quod tamen in eumdem sensum recidit. Nam per mortem mammona seu mammonæ administratio deficere intelligitur. Hoc igitur verbo indicatur breve tempus vitæ dispensationisque nostræ, ne tenaciores nos reddat longioris vitæ fiducia, plerosque.

Recipiant, suscipiant vos, scilicet amici illi. Non ergo monet ut quosvis amicos, distributis divitiis, nobis faciamus; verbi gratiâ, eos qui ditescant divitiis à nobis acceptis, sed hujusmodi, qui nos valeant in æterna recipere tabernacula, qui sunt pauperes fideles, non recondentes accepta in thesaurum, sed præsentes mortalis vitæ necessitates iis sublevantes.

Æterna, cœlestia, tabernacula, habitacula, mansiones, in regnum cœlorum, brevi meâ operâ aperiendum; cujus interim loco serviebat justis à morte excipiendis, sinus Abrahæ, de quo infra, v. 22. Hæc enim propria sunt pauperum domicilia, quibus promissum est regnum cœlorum, supra 6, v. 20, Matth. 5, v. 3, qui bona non receperunt in vitâ, sed mala, infra, v. 25; divitum propria non sunt, quia *facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei*, infra 18, v. 25; sed divites à pauperibus sunt adjuvandi. Propria enim pauperum cùm sint domicilia, plurimùm possunt, ut eos quos in hâc vitâ senserint benefactores, in illa introducant. *Æterna tabernacula*, inquit Theophylactus, *pauperibus in Christo constituta sunt, in quæ possunt recipere eos qui hìc ipsis amicè de bonis, quæ sunt dominica, largiuntur.* Felix permutatio, cum temporaria permutantur æternis. Quare Chrysostomus in Catenâ: *Ars artium*, inquit, *peritissima est eleemosyna: non enim nobis domos fabricat luteas, sed vitam æternam impendit.* Ait ergo Christus: Ut cùm in fine hujus vitæ amoti fueritis ab œconomiâ mammonæ, ut cùm per mortem ablatus vobis fuerit omnis divitiarum hujus seculi usus et dispensatio; illi memores beneficiorum quæ à vobis acceperint, adducant vos in regnum cœlorum, quo alioqui facilè excluderemini, æternùm miserâ sorte. Sed quomodò pauperes recipiunt in cœlum amicos suos divites? Imperio aut auctoritate absolutâ in cœlum recipere, solius Dei et Christi est: quod autem pauperum causâ et gratiâ facit Deus, hoc ipsi facere dicuntur. Pauperum autem causâ in cœlum recipit, non rarò propter preces et intercessionem eorum, quas plurimi facit, sive illi in terrâ adhuc agant sive in cœlo; semper autem propter eleemosynas ipsis factas, quas sibi factas imputat: non secùs enim ac sibi præstitum agnoscit, quidquid in egenos beneficii collatum fuerit, Matth. 25, 40. Sic D. Augustinus lib. 2 Quæst. evang., cap. 38, ubi ait: *Non propriâ potestate quasi gratificando recipiunt, sed promissione atque permissione illius qui eos consilio præmonuit, ut sibi amicos facerent, et qui seipsum pasci, vestiri, hospitio recipi, visitari, in unoquoque minimorum suorum, liberatoris bonitate dignatus est.* Ergo si fortè pauperes, quibus benefactum fuerat, ipsi à morte exclusi fuerint tabernaculis æternis, Christus ipse, propter eleemosynam, rectâ piâque mente exhibitam, recipiet. Cæterùm ex suo genere habet Christus omnes fideles pauperes à morte beatos; ut divites omnes ex suo genere miseros, atque ab æternis tabernaculis exsules, nisi obstent eleemosynæ. Non quòd eleemosyna sola per se in regnum introducat, sed quòd faciat, ut eo rerum statu quis moriatur, quo aptus sit regno. Nunc totius parabolæ jam inde à versu, accipe sensum: Quemadmodùm infidelis ille villicus seu dispensator,

cantur iniquæ multis modis; vel quia sola iniquitas eas divitias reputat, dùm veras, id est, spiritales ignorat, ut Augustin., cit. quæst. 34 et 21 de Civit., et c. ult. Unde Christus hìc, versu 11, opponit eis id quod verum est, vel quia mendaces et fallaces sunt; vel quia iniquè eas habemus pro nostris, cùm sint alienæ, solo dispensationis titulo nobis commissæ. Qui sensus maximè congruunt parabolæ, in quâ tacitè Deus comparatur homini diviti, nos omnes villico; bona temporalia quæ possidere videmur, bonis alienis quæ villicus iste per fraudem sibi vindicabit. Nam quòd Hier. addit, q. 1 ad Hedibiam, *mammona iniquum* dici, quia omnes divitiæ de iniquitate descendant, eò quòd omnis dives aut iniquus sit, aut iniqui hæres, non videtur huic loco convenire. Non enim ex injustè partis divitiis eleemosynæ fieri debent, sicut villicus ille de bonis domini sui fecerat; quia non in omnibus similitudo parabolarum quærenda est, sed in iis quæ ad propositum spectant. Ludit itaque Christus in verbo *iniquitatis*, dùm de villico et mammonâ dicitur, sicut alibi in voce, *mortuus*: *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*. Ut cum defeceritis, à justitiâ in hâc vitâ, inquit Maldonatus; sed non videtur ita congruere scopo parabolæ, quæ proponit quid nobis in reddendâ ratione continget, in die scilicet judicii. Itaque, *cùm defeceritis*, in reddendâ ratione, vel, ut ferè Græci, *cùm defeceritis* à vitâ et officio dispensandi, quod fit in morte

auditâ comminatione heri sui, quòd officio amovendus esset, anxius, consilio apud se accepto, curavit, antequàm amoveretur, ex bonis heri amicos sibi comparare, qui officio destitutum reciperent foverentque domi suæ, ne egestate periret, et ab hero, damnum licèt passo, ob prudentiam laudatus est; ita vos, antequàm moriamini, quod brevì erit, ex bonis quæ dispensationi vestræ commisit Deus, quibus sæpè non ut oportet usi, ne dicam abusi estis, procurate vobis amicos pauperes, qui vos dispensatione per mortem abdicatos, recipiant in eas, quæ propriæ ipsorum non vestræ sunt, cœlestes mansiones, et sustineant serventque secum æternùm beatos. Id si feceritis, solidam consequemini laudem à Deo, qui ditissimus damnum nullum potest sustinere, imò cujus præceptum est, ut bonis quæ vobis credidit, hâc ratione, in commodum vestrum utamini; laudem, inquam, ob prudentiam, quâ filiis seculi, in rebus vestris gerendis, non inferiores, ut par est, sitis.

Vers. 10. — In minimo, seu modico (ut mox vertit) in rebus parvis, parvæ quantitatis et pretii, scilicet tractandis, dispensandis.

Et pro *etiam*, in majori, in multo, in magno; *rab* Hebræis, et multum et magnum, utrumque significat, in rebus multis magnique pretii.

Fidelis est. Ea est hominum censura, atque ita accidit plerùmque. Nam quanquàm longè probatior sit, quem in tractandis rebus magnis experientia fidelem testata est; solent tamen homines ex rebus parvis de magnis judicium ferre, et eum quem in parvis fidelem invenerint, dignum majoribus judicare, et securè ei majora committere, juxta illud alterius Evangelii: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam,* Matth. 25, v. 21, 23.

In modico; *in minimo* mox vertit.

Et, multò magis, in majori, *in multo,* ut mox. Qui res parvas injustè dispensat aut tractat, præsumitur longè injustiùs in magnis versaturus. Nam cujus animum res vilissima pertrahere potest ad peccandum: is magnæ rei occasione oblatâ, faciliùs multò peccabit. Sententiæ proverbiales sunt, à communi usu et experientiâ sumptæ, ut plurimùm veræ.

Vers. 11. — Si ergo. Applicat sententias illas generales proposito; et cùm supra, v. 9, monuerit, iniquum mammona in pauperes dispergendum, spe admissionis in regnum cœlorum; hoc idem jam monet, damni timore proposito.

In iniquo, id est, falso, vano, mendace, quippe quòd deludat ac fallat possessores suos, et frustretur spem eorum qui in ipso confidunt; tum quia neminem bonum aut beatum reddat, quanquàm id polliceatur; tum quia facillimè possessoribus pereat; ac proinde res minima sit et minimi pretii. Vide supra, v. 9.

Mammona, scilicet dispensando, tractando, in administrandis vanis hujus seculi divitiis.

Fideles non fuistis, vel estis, secùs vos geritis quàm ex sententiâ donatoris; ut quibus abutamini ad luxum, aut quas avarè servetis nec erogetis in usum pauperum. Hæc enim contra conditionem sunt, quâ vobis à Deo sunt datæ.

Quod verum est, verum, scilicet mammona, veras solidasque divitias, quæ hoc præstant quod pollicentur, possessores suos reddunt et bonos ac beatos, nec pereunt nisi volentibus, ac proinde res sunt magnæ et magni pretii. Hæ sunt virtutes animi, et dona divina, possessorem Deo gratum facientia, et ad vitam æternam adducentia. Iniquo opponit verum, dans intelligendum, temporarias divitias, non esse veras divitias aut vera bona, sed apparentia tantùm.

Quis credet, committet vobis? q. d.: Nullus, qui quidem sapiat, nec Deus ipse, cujus solius est dare, nec enim expectandum est ut in vero ac magno bono tractando ac dispensando fideles sitis, eoque ad vestram salutem ac proximorum ædificationem utamini, qui in umbratili, caduco, minimoque, non estis. His verbis inclusa est tacita comminatio, neganda adeòque auferenda dona spiritalia iis qui abutuntur corporalibus, hâc pœnâ puniendum eum qui malè dispensat bona transitoria, ut indignum Deus judicet bonis æternis, quæ rectè administrantibus, et perpetua manent, et perpetuam vitam conciliant.

Vers. 12. — In alieno, mammona, vel in re alienâ, scilicet dispensandâ, erogandâ. Pecunias opesque hujus seculi, quas mox iniquum mammona vocârat,

---

uniuscujusque, quando reddenda est ratio villicationis, recipiant vos, illi amici pauperes scilicet quibus benefecerimus, in æterna tabernacula, seu cœlestes mansiones in cœlo. Fit autem hoc vel quia sancti in cœlo memores beneficiorum pro suis benefactoribus intercedunt, vel quia propter eleemosynas, quibuslibet pauperibus datas, hoc facit Christus, dùm sibi datum imputat, quidquid in egenos, etiam malos, contulerimus; ut proinde hoc locum etiam habeat, etiamsi illi quibus datum fuerit à tabernaculis illis exclusi sint, ut Aug., l. 2 Quæst. evang., q. 38.

Vers. 10. — Qui fidelis est in minimo, id est, in rebus parvi pretii dispensandis, et in majori, rebus scilicet magni momenti, fidelis est. Præbet enim argumentum, quòd fidelitatem per se diligat, et non tantum ratione materiæ. E contrario verò, qui in modico iniquus est, multò magis in majori iniquus erit, dispensando. Sententiæ sunt proverbiales, à communi usu sumptæ, ubi plerùmque sic accidit, et meritò sic præsumitur. Has autem sententias mox applicat proposito suo.

Vers. 11. — Si ergo in iniquo mammona, id est, in falsis et fallacibus divitiis dispensandis, quæ scilicet verarum divitiarum rationem non habent, ut ante diximus, et meritò in rebus minimis deputantur, fideles non fuistis, eas non erogando secundùm voluntatem Domini, qui vobis eas commisit, quod verum est, id est, verum mammona, seu veras divitias spirituales, quæ videlicet hoc præstant quod pollicentur, bonos beatosque reddendo possessores suos, quis credet, seu committet vobis? Nemo sanè, si sapiat, ne quidem ipse Deus.

Vers. 12. — Et si in alieno dispensando, fideles non fuistis, quemadmodùm ille villicus, de quo audistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? *Alienum* vocat id quod ante *iniquum mammona* vocaverat, terrenas scilicet divitias, quia nec pleno jure eas possidemus, nec in nostrâ sunt potestate, ut eas vel habeamus vel servemus, nec à morientibus auferri possunt, ut August., 35. Quod vestrum verò nominat bona spiritualia, ad quæ propriè conditi sumus, et intra in ipso animo, non extra nos sunt, et in nostrâ

jam vocat alienum, partim quia non pleno jure ab hominibus possidentur, quippe non tam domini, quàm dispensatores earum, à Deo absoluto domino sunt constituti, maximè verò quia præter *naturam sunt*, quod ait Ambrosius. In quam sententiam et Titus Græcus : *Opum copiam*, ait, *alieni nomine designat, quandoquidem opibus affluere, si hominis naturam spectemus, ab homine alienum est : si cui autem adsunt, extrinsecùs et quasi per accidens advenerunt.* Sunt alienæ ab hominum naturâ, semel quia non sunt homini perpetuæ, *neque nobiscum nascuntur, neque nobiscum transeunt*, ait Ambrosius : quâ ratione et Augustinus, lib. 2 Quæst. Evang., cap. 35 : *Alienas*, inquit, *appellat terrenas facultates, quia nemo eas secum moriens aufert. Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quòd nec auferre quid possumus*, 1 Tim. 6, v. 7. Denique Euthymius : *Alienum nominat terrenas divitias, quippe quæ apud illum non permaneant, qui est eas assecutus.* Temerè obtingunt, iterùm uno momento pereunt nolentibus, etiam ante mortem. Semel ergo, alienæ sunt ab hominis naturâ, quia non sunt homini perpetuæ ; iterùm verò quia præcipuam hominis partem, animum, inquam, ac mentem, non alliciunt, non reddunt hominem meliorem, multòque minùs beatum.

Quod vestrum est; Gr., vestrum. *Nostrum vocat cœlestes divitias*, ait Euthym. ; similiter Theophylactus: *Nostræ sunt divitiæ cœlestes et divinæ, illìc noster municipatus est, eò quòd homo ad imaginem Dei est conditus. Pecuniæ autem et possessiones, aliena sunt : nihil enim simile illi ex his. Divinorum autem bonorum fruitio, et participatio Dei, nostra sunt.* Cœlestia igitur et æterna bona, nostra vocat, non quòd Dei non sint, aut quòd non Deo accepta referenda, aut quòd præter Dei voluntatem iis uti liceat, sed quòd iis malè uti homo nequeat, adeòque frui debeat, non uti, utpote summo bono, et fine ultimo, ad quem creatus sit, ac proinde consentaneo maximè suæ naturæ. Creatus est homo ad imaginem Dei, creatus est ad hunc finem ut fruatur Deo : quid igitur magis consentaneum esse potest ejus naturæ, quàm ut Deo fruatur, quod inter cœlestia bona præcipuum est? Nostra sunt igitur cœlestia bona, quia naturæ nostræ maximè consentanea; consentanea autem sunt, tum quia perpetua nobis sunt, perpetuò nostra ; nec enim potest ea amittere, qui semel sit consecutus : tum quia alliciunt, adeòque perficiunt hominis naturam, reddunt hominem meliorem, et tam corpore quàm animâ beatum, id quod summum et totum bonum est, quod natura humana appetere queat. Atqui *vestrum*, inquit Salvator, non possessione, subjungit enim futurum *dabit;* sed promissione divinâ, quæ nequeat fallere; eò quòd promissa nobis sint cœlestia bona, et certò certiùs exhibenda, si Deo fideliter serviverimus, si temporaria bona ex ejus præscripto ac mente dispensaverimus.

Quis dabit? q. d. : Deus non dabit, cujus solius est dare. Negabit Deus bona, humanæ naturæ maximè consentanea, id est, cœlestia, ei qui malè versatus fuerit in administrandis bonis à naturâ hominis alienis, id est, divitiis seculi. Ergo, quod rectè adnotat Dionysius Carthusianus, de bonis viæ (lege, *vitæ*), dixit Christus versu superiore *quis credet* seu committet, quia illis utendum est, ita ut reddenda sit de usu ratio : de bonis autem patriæ seu gloriæ, hic dicit, *quis dabit*, quia his non est utendum, non sunt hæc ulteriùs referenda, nec proinde reddenda de eis ratio, sed semel datis intentissimè et quietissimè fruendum atque inhærendum.

Vers. 13. — Nemo, nullus servus.

Duobus dominis servire. Sententia proverbialis est, è publico vulgi sermone et rerum experientiâ sumpta : si non semper, certè ut plurimum, vera. Ferè enim ita apud homines usu venit ut duobus dominis unus servus, pari animi affectu ac promptitudine servire non possit. Nam rari sunt vel nulli ejusmodi duo, qui tam inter se voluntate unanimes et morum commoditate similes sint, ut unius ingenio, qui quidem eis ad nutum præstò esse debeat, æquè accommodi esse, æquè placere queant.

Aut enim unum. Cùm ferè moribus et imperatis discrepent domini duo, fit ut servus amborum unum diligat, alterum oderit ; aut neutrum si diligat, unius imperium ferat, alterius contemnat.

Diliget. Dilectionem comitatur promptitudo cupiditasque obsequendi.

Adhærebit. Syrus, *honorabit.*

Non potestis. Accommodat proverbium ad rem præsentem. Cùm sint Deus et divitiæ domini duo jussis ex diametro inter se pugnantibus dissidentes, necesse est ut si diligatis Deum, negetis divitiis servitium, aut si tyrannidem ferre libeat divitiarum, contemnatis imperium Dei.

Servire, pari animi affectu ac promptitudine. Non dixit : Non potestis Deo servire et divitias habere; sed servire inquit, Deo et divitiis. Nam servire divitiis, hoc est quod vitio datur. Habent verò divitias qui non serviunt eis, ut qui dominantur eis, et utuntur ad servitium Dei; cùm etiam ii qui serviunt habeantur ipsi à divitiis potiùs quàm habeant ipsi eas.

Vers. 14. — Omnia hæc, de contemptu divitiarum et studio eleemosynæ.

Pharisæi, etiam Pharisæi. Quamvis Pharisæis hæc non diceret, utpote minùs capacibus sublimis adeò doctrinæ, sed solis discipulis; id patet supra, v. 1; auscultabant tamen et Pharisæi, eò fortassis avidiùs, quò magis observârant, eum ab ipsis sermonem ad suos convertere.

sunt potestate, ut à nemine amittantur invito ; quis dabit vobis? quia præcedentis dispensationis infidelitas reddit indignos, et meritò præsumere facit, ne hic similiter faciamus. Difficilius est enim spiritualia, quàm temporalia rectè administrare. Simili modo colligit Apostolus : *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* 1 ad Timoth. 3, v. 5. Cùm ergo hæc et alia quæ in Matth., adversùs avaritiam dicta, pharisæi avari deriderent, Græcè efficaciùs, *naso suspenderent*, externis scilicet gestibus contemptum significantes, respondit illis :

Vers. 15. — Vos estis, qui justificatis vos, id est,

Avari, amantes argenti seu pecuniæ; non solùm iniquo erga Jesum animo affecti.

Deridebant, sannis excipiebant illum, ut docentem contraria affectionibus ipsorum, dehortantem ab avaritiâ et pecuniæ studio quo erant infecti. Syrus, mutato nonnihil verborum ordine, clarissimè vertit : *Pharisæi autem cùm hæc omnia au..issent, propterea quòd amantes essent argenti, irridebant eum.*

Vers. 15. — Et ait. Ait igitur, postquàm observâsset irrisiones et sannas eorum.

Illis, Pharisæis. Severè redarguit eos, eò quòd divinam Evangelii doctrinam contemnerent.

Justificatis vos, jactatis vos justos, pro justis vos venditatis, vultis videri justi, sancti, Deo grati, eleemosynæ studiosi, Matth. 6, v. 1, 2.

Hominibus, qui æstimant hominem ex externis.

Deus autem, qui cordium scrutator celebratur, qui ex animi bonis æstimat hominem, sicut oportet. Novit corda seu animos, in quibus præcipuè consistit justitia. Vestra, quomodò affecta sint, quàm aliena scilicet à justitiâ, hoc enim dicere vult; quippe plena rapinâ et iniquitate, supra 11, v. 39; avaritiæ studio infectissima, ut cætera prætercam; unde fiat ut meum de divitiarum contemptu sermonem sannis excipiatis. Insinuatione usus, quâ plus significat quàm dicat, et moderatè loquitur, et fugit invidiam, Deo judicium relinquens, quod ipse ferre potuisset. Interim, occultæ ipsorum avaritiæ ascribit, irrisionem sermonis, ad divitiarum dilargitionem adhortantis.

Quia. Reddit rationem ejus quod insinuârat, ipsos scilicet à verâ justitiâ alienissimos.

Hominibus, apud homines, hominum opinione, qui non judicant nisi de exterioribus.

Altum, sublime, splendidum, admirandum, in pretio, qualis est, rerum abundantia, gloria, prosperitas, ornatus, exterior sanctitas, et cætera hujusmodi.

Abominatio, abominabile est, ἦν pro ἐστὶ, non solùm displicet ac reprobatur, sed et horrori ac detestationi est, tanquàm profundissimum malorum : opponit enim profundum alto seu sublimi.

Ante Deum; *coram*, quo modo mox vertit, Deo, id est, Deo. Vult dicere id frequenter ita fieri, ut qui hominibus justi, sancti et admirandi apparent, reverà injustissimi sint, ac proinde detestabiles Deo, qui solus citra errorem, de humano animo, justitiæ subjecto, judicare potest. Ita verò accidit etiam è contrario ut quod hominibus humile, contemptum et abominabile apparet; quales sunt pauperes, mites, lugentes, qui persecutionem patiuntur, etc.; apud Deum in pretio sit, eique probetur quàm maximè.

Vers. 16. — Lex et prophetæ. Si superioribus continuè subjecta à Salvatore est hæc sententia, hanc habet sequelæ rationem. Pharisæi, cùm essent avari, deridebant, quod mox dictum est, Dominum ad divitiarum contemptum, et in pauperes dilargitionem, adhortantem; prætexentes, verisimile est, legem et prophetas, à quibus, et probentur ut Deo grati plurimi qui divites fuerint, et divitiæ ipsæ rerumque omnium copia promittantur fidis Dei cultoribus, mandatorumque ejus observatoribus. Abraham inprimis, justus adeòque amicus Dei appellatus, describitur dives fuisse valdè in possessione auri et argenti, Gen. 13, v. 2. Davidem regno et opibus clarum, testantur prophetæ fuisse virum secundùm cor Dei, 1 Reg. 13, v. 14. Deuteronomium, cap. 28, custodientibus mandata Domini promittit omnigenas hujus vitæ benedictiones; transgredientibus maledictiones; in quam sententiam et prophetæ : *Si volueritis et audieritis, bona terræ comedetis,* Isa. 1, v. 19. Hujusmodi igitur objectioni satisfacit Salvator his verbis : *Lex et prophetæ.* Per legem et prophetas intelligitur vetus Testamentum.

Usque ad Joannem, scilicet suo functi sunt munere; *prophetaverunt,* quod exprimit Matthæus, et docuerunt populum Dei modo suo.

Ex eo tempore, *à diebus Joannis,* ait Matthæus.

Regnum Dei sive cœlorum, quod sub lege et prophetis incognitum fuit, non nisi obscurè ab ipsis promissum : evangelizatur, palàm feliciterque annuntiatur appropinquâsse, prædicatur jam adesse : quòd, cùm Dei et cœlorum, id est, divinum ac cœleste sit regnum, vult præ se contemni humana ac terrena omnia. Non itaque mirum, si, ut alia res prædicatur Evangelio quàm lege et prophetis, ita et præceptiones ac forma docendi sint aliæ Evangelii quàm legis et prophetarum; aliæ, inquam, ac diversæ, non adversæ, hæ imperfectiores, illæ perfectiores ac sublimiores. Lex cum prophetis veterem populum, veluti puerum, in Dei cultu continuit spe bonorum terrenorum; Evangelium, novum populum, tanquàm virum, servire Deo docet spe regni cœlorum, spe bonorum spiritualium, cœlestium atque æternorum : quæ ejusmodi cùm sint, ut amari facilè non sustineant unà cum caducis hujus mundi bonis, hinc fit, ut à me et Joanne Evangelium prædicantibus, doceatur divitiarum ac mundi contemptus; quorum quidem amorem nunquàm do-

---

qui justi videri, et haberi, et vocari vultis, justos vos venditatis, coram hominibus, qui externa intuentur : Deus autem novit corda vestra, quàm sint scilicet procul à justitiâ, hoc est, plena avaritiâ et hypocrisi et omni iniquitate; plus enim insinuat quàm dicit, quod probat subjuncta ratio : Quia quod hominibus, id est, hominum æstimationi, qui non nisi de externis judicant, altum est, id est, suspiciendum, et in magno pretio, cujusmodi sunt, esse divitem, esse ab hominibus honoratum, præ se ferre sanctitatem; abominatio, seu abominabile, est ante Deum, quia plerùmque tales sunt pleni avaritiâ, fastu et hypocrisi. Sententia magni ponderis, juxta quam plerùmque fit, ut quod homines admirantur, horrori sit apud Deum, et contra, ut discamus humana judicia parvi facere. Et quia Pharisæi prætexere potuissent legem, quæ promittit abundantiam temporalium observatoribus suis præoccupat Christus.

Vers. 16. — Lex et prophetæ, id est, scriptura Prophetarum, usque ad Joannem, tanquàm legis terminum, inter veteres desinentes et incipientes novos constitutum, inquit Tertull., 5 contra Marcionem, cap. 2; supple, munere suo functi sunt, prophetando scilicet Christum venturum, et regnum ejus, promittendo temporalia; at ex eo tempore, non ampliùs terrena promittuntur, sed regnum Dei evangelizatur,

cuerunt lex et prophetæ, sed tantùm usum promiserunt ac permiserunt suo pro tempore.

Et omnis, etc. Quod Dei regnum si vos nolitis ingredi, Evangelio recepto; si vobis non placet spem regni Dei tanto emere pretio, contemptu, inquam, bonorum hujus mundi eorumque in pauperes dilargitione; nolite putare neminem fore qui Evangelium istud volet amplecti, itaque in Dei regnum ingredi; *omnis*, id est, quivis alius, infinita alia hominum multitudo, vobis perniciosè torpentibus, omnis alia hominum conditio, cùm non adeatur à filiis regni, non tantùm volet intrare, sed et *vi* conabitur in illud perrumpere, abnegatis possessionibus, voluptatibus, parentibus, denique semetipsis et animâ suâ, atque adeò jam nunc incipit. Vide Matth. 11, v. 12 et 13.

Vers. 17. — Facilius est autem. Quod autem dico legem et prophetas usque ad Joannem et Evangelium fuisse, non in eam sententiam accipiendum est, quasi doceam, legem, post Joannem, regnante Evangelio, abrogatam, evanidam, aut otiosam esse, vel prophetas antiquatos. *Facilius est* enim,

Præterire, corrumpi, esse desinere, venire in nihilum; sive absolutè, quod nunquàm, sive quod ad præsentem statum, quod aliquando fiet.

De lege, Græcè *legis*. Sub lege prophetas intellige.

Unum, vel unum apicem vel minimum quid, maxima mundi elementa, quàm minima legis puncta cadere, deficere, falsum, irritum, aut frustraneum reddi. Constantior est legis sanctitas, quàm cœli ac terræ duratio.

Cœlum enim et terra aliquando *transibunt* seu *mutabuntur*, Matth. 24, v. 35; at legis ne minimum quidem unquàm; et, si æternùm etiam durabit cœli terræque substantia, prout durabit; facilius tamen sit, hunc naturæ nexum atque ordinem solvi, quàm falli aut fallere veritatem Dei, quæ legem edidit. Quidquid igitur lex, aut præcipit ut fiat, aut promittit prædicitve fore, etiam post Joannem, tempore manifestati regni cœlorum sive Evangelii; id omne eveniet, exactèque observandum erit, adeò ut ne minimus quidem apiculus, aut impunè prætermittendus ab iis qui Evangelii regnique Dei compotes fuerint, aut frustra futurus sit. Porrò non hìc agitur de nudâ hominum obeditione, nec asseritur homines omnes obedituros præceptis legis (nec enim hoc prædixit promisitve lex), sed de obligatione, de legis robore, de obeditione exactâ sub pœnâ agitur, doceturque homines omnes, quamdiù stabit mundus, aut obedituros præceptis legis, etiam iis quæ minima judicantur, aut luituros pœnas, quas transgressoribus, sive lex comminatur, sive debet Dei justitia; quanquàm non de obeditione aut præceptis solis hìc sermo est, sed de omni eo quod in lege est scriptum. Sensus igitur loci est : Maxima solidissimaque hujus mundanæ machinæ corpora, cœlum et terra, mutanda quandoque sunt, nec servatura statum præsentem; at legis, ne minimum quidem unquàm mutandum est quin perficiantur omnia, ita ut in lege jam scripta exstant; quod est, legem esse divinam, et ab æternâ atque incommutabili veritate editam; itaque prorsùs insolubilem. Porrò, quod de lege Christus dixit, et de prophetis voluit intelligi.

Vers. 18. — Omnis, etc. Doctrinam hanc unam, Salvator, aut certè Evangelista, huc affert, exempli loco, quò ostendat, Evangelium tam non esse contrarium legi et prophetis, ut minimos etiam apiculos legis, qui oculos mentesque legentium fugiunt, exigat. Lex repudia uxorum novaque conjugia, certis modò conditionibus adhibitis, permittebat. Scribæ licita proinde illa esse, et à lege probata, intelligebant, qualia primâ fronte judicentur. Evangelium permissa fuisse docet pro duritiâ cordis populi illius, non approbata; ac proinde, ex mente legis, cavenda, repudia quidem illa, ut illicita contrariaque primævæ Dei institutioni, subsequentia verò conjugia ut adulteria. Omnis, inquit, generali sententiâ, nullum excipiens, nec eum quidem cujus uxor adulterii convicta sit.

Dimittit. Matth. 19, 9, legitur, *nisi ob fornicationem;* sed à plerisque Græcis libris legitur : *Non ob fornicationem.*

Et alteram ducit, ac cognoscit, dimissâ adhuc superstite. Hoc porrò si adulterium est, dimissâ unâ aliam ducere, multò majus adulterium est duas aut plures simul habere uxores; ut certè polygamia legi naturæ ac primævæ conjugii institutioni contraria est, non minùs quàm repudium, neque unquàm licita fuit, nisi Deo per disertam revelationem singulariter permittente.

Mœchatur; non contrahit matrimonium, sed committit adulterium, nihil illum absolvente legis permissione. *Mœchatur* autem, etiam eâ quæ dimissa est existente fornicationis reâ; quia licèt illa carnem, quæ una fuerat ac manere debuerat, diviserit, ac proinde fidem violaverit; non tamen vinculum ex fide semel datâ natum solvit, quin sibi mutuò obligati ac devincti permaneant, ne ampliùs dividant eam carnem : *quod vinculum nisi morte alterius non solvitur, non in adulterium corruentis,* inquit Augustinus, cap. 13, lib. 2, *sed de corpore exeuntis;* neque enim vel apud Judæos, mox ut adulterium aliqua admiserat, capitali supplicio afficiebatur. *Mulier,* inquit Apostolus, *alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit,* Rom. 7, v. 2; 1 Cor. 7, v. 39. Consequitur, similiter et vir quanto tempore mulier ipsius vivit.

seu annuntiatur, tanquàm præmium benè operantibus expositum; ut proinde non mirum vobis videri debeat, si nova hæc prædicatio, nova quoque præcepta de contemptu temporalium sanciat. Et quamvis vobis ridicula videatur, non est tamen inefficax, quia omnis in illud vim facit, id est, multi alii ad illud summo fervore confluunt : nec tamen putetis me legem destruere, quia dixi eam usque ad Joannem vigere.

Vers. 17. — Facilius est cœlum et terram præterire, id est, corrumpi, quam de lege unum apicem cadere, qui scilicet non impleatur.

Vers. 18. — Omnis qui dimittit uxorem, etc. Hæc sententia cohæret præcedentibus, ut notavit

Et qui. Virum alloquitur potiùs quàm dimissam, quòd viro, utpote libero ad ducendam aliam quamcumque, facilius sit persuadere ut non ducat mulierem ab alio dimissam, quàm mulieri dimissæ ut nemini nubat, quæ, si non intemperantiæ, certè honoris recuperandi causâ, votis omnibus desiderat esse qui ipsam velit et ducat.

Dimissam, etiam ob fornicationem : ita Hieronymus juxta priorem sensum, ex eo intelligens *ad secundum virum* sermonem dirigi, quòd *meretrix et quæ semel fuerit adulterata opprobrium non timeat* si mœchari dicatur. D. Augustinus intelligit *dimissam* non ob fornicationem, juxta alterum sensum; prioris scilicet membri pericopen repetendam sentiens in posteriori, non quòd dimissa ob fornicationem possit ab alio viro duci, sed quòd minùs possit, satisque intelligatur, si illa non possit, hanc minùs posse. Calvinus repetit pericopen ut Augustinus, sed, si fides ipsi habetur, solus ipse rectè interpretatur, adulterii non esse reum qui repudiatam ob adulterium duxerit, insigni privilegio præ castis honorans adulteras; quanquàm non putabat suo tempore Augustinus, quemquam ita absurdum, ut hoc sentiret, c. 9, lib. 1.

A viro. Hoc Syrus non magis legit hìc, quàm secundùm Matthæum.

Vers. 19. — Homo quidam. Græcè et Syriacè interjicitur *autem*. Id quod hìc Christus narrat, de duobus Judæis, uno divite, altero paupere, non parabola est, sed historia et res gesta (ut sentiunt, inter Latinos, Ambrosius, in Commentario, et Gregorius, homiliâ 48 in Evangelia; inter Græcos, Chrysostomus in homiliâ unicâ, et Euthymius, in Commentario); quam nullus narrare potuit præter ipsum Christum, cui soli res alterius seculi notæ fuerunt, non minùs quàm hujus; quanquàm non sine allegoriis res futuri seculi hìc describat. Pertinet autem hæc historia ad ea quæ præcesserunt versibus 15 et superioribus. Ut enim magis percelleret Christus Pharisæos, irrisores doctrinæ suæ de dispergendis in pauperes divitiis, affert terribile exemplum, divitis damnati gehennâ ignis, idcircò quòd pauperem neglexisset, à quo potuisset in sinum Abrahæ et æterna tabernacula recipi : quo modo rectè adnotat V. Beda.

Dives, *de suo,* quod habet Augustinus, serm. 19 de Verbis Apostoli, cap. 3; non enim accusatur rapinæ, furti, aut alterius injustitiæ.

Induebatur, vestiebatur, consueverat vestiri.

Purpura, vestibus coloris purpurei, quibus non est alius habitus aut pretiosior aut magnificentior, utpote regum proprius et eorum qui regibus proximi, quorum ex numero an hic fuerit, fit incertum : excessit fortassè conditionem vitæ magnificentiâ vestium. Purpura piscis est ex concharum genere, in faucibus habens liquorem, tingendis lanis maximè expetitum, concreti sanguinis et nigrantis rosæ colore sublucentem : quo nomine etiam vocatur liquor ipse, et vestis quoque eo liquore tincta, prout hoc loco. Legimus Dan. 5, v. 29, *Danielem jubente rege Balthasare indutum fuisse purpurâ,* et 1 Machab. 10, v. 20, *Jonathæ à rege Alexandro missam fuisse purpuram ac coronam auream;* denique et senatum Romanum, quos reges salutâsset, eos togâ purpureâ, quæ et picta diceretur, donare consuevisse.

Bysso, lino tenuissimo et delicatissimo, telâ subtilissimâ, candidissimâ ac mollissimâ, id est, vestibus interioribus ex hujusmodi telâ confectis, quæ mollissimè contingerent corpus. Nam purpura quidem exterioribus vestibus serviebat, propter coloris splendorem ac suavitatem; byssus autem, propter mollitiem, interioribus.

Epulabatur, genio indulgebat, cum jucunditate epulabatur. Vox Græca utrumque significat, et lætitiam mentis, et hilare convivium. Ita epulabatur, ut epulis ipsius nihil jucunditatis deesset, non sanitas, non consortium, non colloquia; non musica, aut si quæ alia hujusmodi.

Quotidiè : *Non nunc tantùm et posteà non,* inquit Theophylactus, *sed quotidiè;* ducebat in bonis dies suos.

Splendidè. Non mediocri, sed splendido magnificoque apparatu, sive ciborum pretia, condimenta, et varietates, sive vinorum præstantiam, sive vasorum ex auro atque argento totiusque supellectilis splendorem spectes. Erat hic dives, non parcus et sordidus, qui defraudaret animam suam bonis, sed qui divitias prodigè expenderet, ad suum ipsius commodum, in vestes præclaras, convivia splendida, comitatum frequentem, ita ut nihil sibi sineret deesse, quod ad vitæ voluptatem splendoremve facere posset.

Tertull., 4 contra Marcionem, cap. 34; nam quia mentionem Joannis fecerat, in Herodem eam jaculari voluit, qui et suam uxorem, Arethæ regis filiam, dimiserat, et aliam fratris uxorem contra legem duxerat.

Vers. 19. — Homo quidam erat dives. Historia est, non parabola, ut sentit Iren., lib. 4, cap. 4; Tertull., lib. de Animâ; Ambros. hic; Greg., hom. 40 in Evang.; August., in psal. 45 et 47; Origen. et alii, qui ex nominis expressione hoc probant, quod in parabolis inusitatum. Respicit autem hæc historia versum 9 et seqq., de dispergendis in pauperes divitiis, et inprimis versum 15, maximèque percellit eos qui retributionum vitæ futuræ sunt increduli, dicentes, ut est Sapientiæ 2, v. 20 : *Non est qui agnitus sit, reversus ab inferis;* nam hæc historia reversioni ab inferis æquivalet. Itaque *homo quidam* (nomini parcit, tum propter famam ejus, tum præcipuè, quia impios nescit Dominus; de quibus psal. : *Nomen eorum delêsti in æternum*) *erat dives,* nempe de suo, inquit August., serm. 19 de Verbis Apostoli, hoc est, de rebus justè acquisitis, non enim arguitur fuisse vel raptor vel pauperum oppressor, vel calumniator, etc. Noli ampliùs quærere quam audis à veritate, inquit August., qui solam inhumanitatem in pauperem in eo reprehensam putat. Quanquàm aliquibus vitio non carere videatur, quòd induebatur purpura, id est, vestibus purpureis qui tunc temporis erat vestitus pretiosissimus, regum et principum virorum proprius, et bysso, id est, telâ seu lino candidissimo et delicatissimo. Notat ergo splendorem cum mollitie : *purpura*, quippe cultum externum, *byssus*, mollitiem significat. Et epulabatur, cum lætitiâ indulgens genio, non subinde vel genialibus diebus, sed quotidie et splendide, ita ut nihil deesset quod ad ciborum apparatum, pretia, condimenta, splendorem vasorum spectaret.

Vers. 20. — Et erat quidam mendicus nomine La-

Exemplum hominis totâ mundi prosperitate fruentis, cui cuncta velut è fontibus affluebant, quod ait Chrysostomus concione in hoc Evangelium primâ.

VERS. 20.—ET ERAT. Erat è diverso; summæ illius felicitati, opponit summam alterius miseriam.

MENDICUS, pauper, ille prædives, hic extremè pauper, qui unde viveret non haberet, nisi precariò ab aliis acciperet.

NOMINE LAZARUS. Quòd nomen mendici exprimatur, argumentum est non leve, historiam hìc narrari, quod diximus, non parabolam fingi. *Neque enim in parabolâ dicenda nomina sunt,* inquit Chrysostomus, homiliâ propriâ huic loco; et Ambrosius : *Narratio,* ait, *magis quàm parabola videtur, quando etiam nomen exprimitur.* Porrò, quòd divitis nomen non exprimatur, fecit hoc Christus, ut parceret famæ ejus : præter hoc, quòd impios nesciat Dominus, *nec memor sit nominum eorum per labia sua,* psal. 15, v. 4; pauperum verò istorum, *honorabile nomen eorum coram illo,* psal. 71, v. 14; quod plerique omnes, tam veteres quàm novi, tam Græci quàm Latini tractatores, adnotârunt.

JACEBAT, projectus, porrectus, extensus fuerat, eò quòd non magis ferè quàm cadaver, surrigere et movere se posset; sic utuntur Evangelistæ hoc verbo, de vehementer ægrotis, quibus stare præ morbi vehementiâ vel non licet vel non lubet. Titus : *Jacebat abjectus, neglectus, prostratus, pro nihilo habitus, omni curâ omnique humano præsidio prorsùs destitutus. Jacebat* denique, ad plures, quod apparet, dies noctesque continuos, sub dio, quippe domo carens.

AD JANUAM seu vestibulum. Syrus, *ad portam illius.* In viâ quidem publicâ, quò etiam à prætereuntibus stipem acciperet, sed propè à portâ domûs.

EJUS, scilicet divitis, quod Syrus etiam exprimit. Nec enim permisisset dives, ut occuparet interius vestibulum domûs, quod januam vestiebat; eo tamen jacebat loco, quo *videret eum dives, ejusque miseriam observare posset, et exiens et revertens,* quod ait Chrysostomus; nam et evasisse diviti notum, infra manifestum fit, v. 23 et seqq.

ULCERIBUS PLENUS, ulceratus. Syrus, *cùm esset affectus ulceribus.* Hic morbus ejus fuit, quòd totum ipsius corpus ulcera occuparent, fœda atque horrenda, ex quorum suppuratione profectus dolor, non sineret eum in pedes consistere. *Totum corpus ejus ulcera erant,* inquit Chrysostomus, et tanquàm alterius Job, percussi ulcere pessimo à plantâ pedis usque ad verticem, videre erat dolorem esse vehementem, Job 2, v. 7, 13 : *Cui certè poterat ad pœnam sufficere paupertas, etiamsi sanus fuisset, et rursùs suffecisset ægritudo, etiamsi subsidium adesset; sed ut probaretur ampliùs, simul hunc et paupertas et ægritudo tabefecit,* quod scribit Gregorius, homiliâ 40 in Evangelia. Ulcera corpus in modum vestis obtegentia, opponuntur purpuræ et bysso quibus dives induebatur.

VERS. 21. — CUPIENS, et expetens seu desiderans; refertur ad *jacebat.* Non dubium quin verbis quoque petierit micas mensâ elapsas, non tamen importunè, sed miseriæ ostentatione potiùs quàm clamore.

SATURARI, refici. Syrus, *explere ventrem suum.*

MICIS seu fragmentis panis. *Non sumptuosis ferculis,* inquit Theophylactus, *sed de micis quibus satiebantur canes.*

QUÆ CADEBANT, et, vel canibus relinquebantur, vel peribant, *ad placandam inediam nihil aliud expetens,* ait Titus, *quàm micas quæ de divitis mensâ temerè cadebant.* Cupiebat vel ejus esse conditionis apud divitem, cujus erant canes, quorum esse micas è dominorum mensâ lapsas, Chananæa illa opponebat, Matth. 15, v. 27; adeòque præferri sibi canes sinebat, modò frui posset iis quæ canes fastidiosi relinquerent.

ET, pro sed, NEMO ILLI DABAT. Hoc etsi Græcè et Syriacè non legatur, intelligatur oportet. Notatur duritia maxima, et divitis et familiæ ejus, quòd perire permitterent, quibus pauper præsens et obsecrans ali potuisset. Dives intùs domi epulabatur quotidiè splendidè : Lazarus foris ad januam fame et inediâ premebatur extremâ, in portu faciens naufragium, et juxta fontem molestissimâ discruciatus siti. *Ecce alius dolor,* inquit Theophylactus, *videre alios in deliciis, se verò fame premi. Si nullus adsit,* scribit Chrysostomus, concione 1 in hanc historiam, *hoc ipsum etiam nolenti persuadet, ut ferat quæ accidunt. Cæterùm quòd in medio tam multorum jacens, ebrietati indulgentium, suaviter viventium, à nemine vel vulgarem curam nancisceretur, id reddebat sensum dolorum acriorem, magisque incendebat animi ægritudinem.*

SED ET seu etiam CANES. Accessit et hoc mali inter alia, quòd canes, præsertim divitis illius, quos ille multos alebat, credibile est, LINGEBANT licenter, nemine prohibente, ULCERA EJUS. Ut pure fruerentur, itaque dolore non modico afficiebant nudum et im-

ZARUS. Quid hìc Lazari nomen, si non in veritate res est? inquit Tertull., lib. de Animâ, cap. 7, probans non esse parabolam, sed historiam, quo modo et Chrysost., hom. hâc de re, et Ambros. argumentantur. QUI JACEBAT, Græcè, *projectus erat,* tanquàm ægrotus, qui se movere non posset, AD JANUAM EJUS, Græcè, *ad vestibulum,* quod scilicet januam vestit, hoc est, in viâ publicâ, ita tamen ut eum non posset ignorare, ULCERIBUS PLENUS, ut totum corpus ulcera videretur, inquit Chrysostom. Similia spirant emphasim singularem, ad exprimendam Lazari miseriam, augendamque divitis immisericordiam.

VERS. 21. — CUPIENS SATURARI, quo indicatur potiùs miseriæ ostensione quàm clamore petiisse. Notat enim Basil., in Regulis fusiùs disputatis, cap. ult., nusquàm esse scriptum quod quidquàm unquàm à divite illo petierit, in argumentum, quòd æquo animo rerum suarum statum tulerit, unde exemplum est sapientiæ in tolerandis mollioribus doloribus sicut Job in gravioribus. *Cupiebat* itaque *satiari,* non sumptuosis ferculis, sed DE MICIS QUÆ CADEBANT DE MENSA DIVITIS, ut ita vel canis loco haberetur, quorum est de micis è mensâ cadentibus vivere, ut est Matth. 15, v. 27. Insinuatur extrema paupertas, et fames ejus, sicut contra, extrema duritia divitis et familiæ ejus, per hoc quod NEMO ILLI DABAT. Sed quâ culpâ inquies, si, ut diximus, non petierit? Respondetur quia, ut Ambros., lib. 2 Offic., cap. 16, non solas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos considerandis necessitatibus. Unde,

bellem. Non solent canes, nisi invitati, hominis viventis ac vigentis corpus lambere; verùm ad hunc jacentem accurrebant, tanquàm ad projectum nudumque cadaver, ut saniem vel sanguinem lingerent, quo libenter vescuntur. Nec verò ipse eos valebat abigere, adeò erat fractus viribus (id quod hic intelligunt, Chrysostomus, concione primâ, ejusque discipuli Theophylactus et Euthymius), nec erat qui pro eo abigeret; interim erat ei novus hic dolor ferendus, quo canibus divitis solatium præbebat, à quo ipse ne canum quidem conditionem poterat obtinere. Hic ergo pauper cum divite illo compositus, non minùs absolutum exemplar fuit humanæ in hoc mundo miseriæ, quàm ille felicitatis. Jam quæ singulos consecuta sunt, consideremus.

Vers. 22. — Ut moreretur, præ ægritudine corporis et rerum omnium inopiâ, mendicus ille, et portaretur quod ad animam; nam corpus in terrâ mansit. Synecdochica locutio est, quâ præstantior hominis pars, anima, nomen totius sibi vendicat. *Portaretur* autem, id est, tutò honorificèque duceretur. Non enim gravis est anima aut ponderosa, ut manibus aut humeris portanda sit, quos nec angeli habent; sed portatione significatur susceptio, ducatus, auxilium, et cohonestatio.

Ab angelis, tanquàm ministris Dei, à Deo in ministerium missis eorum qui hæreditatem capiunt salutis, Hebr. 1, v. 14, ut in portum eos salutis inducant. Nam, quod Chrysostomus ait, concione 2, de Lazaro: *Si civitatem civitate vertentes, egemus deductoribus, multò magis anima à corpore divulsa, et ad futuram transiens vitam, opus habebit viæ ducibus.* Quem homines in vitâ despexerant et dereliquerant, à morte ministros habet angelos; nec unum solum, sed plures, qui in suam eum curam suscipiunt, honorant, deducunt in sinum Abrahæ. Manifestè hic discimus bonorum angelorum esse, ut animas justorum decedentium, in locum salutis ducant.

In sinum Abrahæ, in locum quietis; non in cœlum, quod nondùm apertum erat, sed in locum quietis ac salutis, ubi liberatus à miseriis mundi, cum reliquis justis vitâ functis, quiesceret, foveretur, ac refocillaretur, tanquàm in gremio communis justorum omnium patris Abrahæ, exspectans interim opportunum tempus admissionis in cœlum, et beatitudinis absolutæ. *In Abrahæ gremio*, inquit Ambrosius, *quasi in quodam sinu quietis et sanctitatis recessu;* et Augustinus libri quarti de Animâ et ejus origine, capite 16: *Sinum Abrahæ intellige, remotam sedem quietis atque secretam, ubi est Abraham.* Metaphora sumpta est ab humano sinu, quo solent excipi, condi et foveri, pueruli, quos parentes tenerè diligunt, præsertim gravius quid passi. *Non juxta Abraham*, inquit Chrysostomus in homiliâ, *sed in sinum Abrahæ, ut illum palparet, ut illum refocillaret, ut illum quasi clementissimus pater teneret in sinu suo et refocillaret.* Justorum itaque spiritus, sinu Abrahæ excipi dicuntur, ubi absconditi quiescant, tanquàm fracti hujus mundi laboribus, et refocillentur, ærumnis exanimati; denique quemadmodùm in patris veluti sinum filii conveniunt, dùm vesperi ab operis diurnis domi congregantur, ita justi omnes à morte, perfecto vitæ curriculo et penso operis, colligi in sinum communis patris Abrahæ dicebantur. Sic enim, Christi ætate, vulgò vocatus fuisse videtur locus iste, in quem spiritus justorum à morte recipiebantur, sinus Abrahæ; quemadmodùm è diverso, locus spirituum impiorum, gehenna, Matth. 5, v. 22. Sed cur sinus Abrahæ potiùs quàm Adæ, aut alterius eorum justorum, qui longè ante Abraham in hunc locum descenderant? Adam sacris Litteris non est notus nisi ut peccator et legis transgressor; unde Paulus eum Christo opponit, Rom. 5, v. 14; 1 Cor. 15, v. 47: Abraham autem primus fuit quem Deus sibi à gentibus segregavit, qui credidit Deo et reputatum est ei ad justitiam, Genes. 15, v. 6; denique cui promissiones sunt factæ; unde cùm Judæi ad eum genus suum referre, et eo tanquàm primo parente gloriari solerent, non mirum si dixerint, post mortem, in ejus sinum colligi, qui fidem justitiamque ejus imitati, promissionum ipsi factarum et æternæ vitæ participes fierent, Christo Domino probante. Nam quia apud ipsum Abraham æternæ vitæ promissio deposita fuerat, et omnibus in ipso æterna vita promissa, consequens

1 Joan. 3, v. 17, non dicitur: Qui audiverit fratrem mendicantem, sed qui viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo? Sed et canes veniebant, allecti pure et sanie, cujus linctu canes delectantur. Quod addi putat Chrys. ad indicandum miserabilem statum corporis ejus, ad quod velut ad cadaver canes accurrerent, et ægri maximam debilitatem, eos abigere non valentis; Hieron. in cap. 2 Malach. ad arguendum divitem, quòd feritate bestias superaverit, ut qui hominis non misereretur, cujus etiam canum lingua miserebatur.

Vers. 22. — Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis, id est, angelorum ministerio deduceretur anima mendici. Quo loco manifestè discimus animas justorum corporibus exutas in salutis locum ab angelis duci. Unde orat Ecclesia: *Jubeas eam à sanctis angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci.* Et iterùm: *Signifer S. Michael repræsentet eas;* signifer, tanquàm bellum adhuc gerens, eò quòd in illo etiam animarum transitu dæmones obluctentur angelis, ut earum translationem in cœlum impediant. In sinum Abrahæ, ut ibi quiesceret, foveretur, refocillaretur, tanquàm Abrahæ communis omnium justorum patris filius. Metaphora enim videtur ab humano sinu sumpta, in quem filii tenerè dilecti recepti reconduntur. Significatur itaque per *sinum Abrahæ* remota quædam et secreta sedes quietis in societate Abraham, ut Ambros. hìc, et August., lib. 4 de Animâ, cap. 16, et epist. 99, et aliis multis locis, ut ita simul quies et societas Abraham insinuetur, qui tanquàm communis pater omnium credentium filios suos ibi colligat. Hunc sinum satis apertè tradit idem Augustinus in Psal. 85, et Greg., lib. 4 Moral., cap. 27, fuisse apud inferos limbum quem dicimus Patrum; nam distinguunt ab eo quemdam infernum inferiorem, ubi sint animæ damnatorum. Porrò ex hoc loco manserunt illæ phrases apud Christianos, ut animæ justorum dicantur à morte deferri in sinum Abrahæ, quamvis à Christi ascensione status rerum mutatus sit: nam, ut Cyril., lib. 12 in Joan., c. 30, ex quo Christus moriens dixit:

erat ut intelligeretur, in eum beatæ quietis locum concedere justos vitâ functos, in quo Abraham degeret, et ipsos tanquàm filios et ejusdem promissionis hæredes exspectaret, ubi ipsis, ad ejus similitudinem, et in ipsius quasi domo, promissum præstaretur. Neque alienum à vero est, et satis id paulò post, v. 25, insinuatur, Abraham hoc loco inter reliquos justos obtinuisse principatum, et quia super pauca in hoc seculo fuerat fidelis, super multa in altero constitutum, Matth. 25, v. 21. Hic sinus Abrahæ in Symbolo apostolorum vocatur infernus, ubi dicitur Christus ad infernum seu inferos descendisse; quia subterraneus; distinctus tamen ab inferno inferiore, qui locus pœnarum est, auctore D. Augustino in illud Psalmi 85, v. 13, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, ubi ait : *Non posset Abrahamum dives levatis oculis videre, nisi ille esset superiùs, hic inferiùs.* In quam sententiam scribit et D. Gregorius, lib. 4 Moralium, cap. 27 : *Dives qui apud inferos torquetur, in sinu Abrahæ requiescere Lazarum contemplatur ; qui profectò si adhuc in imis non essent, hos ille in tormentis positus non videret. Unde et idem Redemptor noster, pro nostræ culpæ debito occumbens, inferna penetrat, ut suos qui ei inhæserant, ad cœlestia reducat.* Hæc Gregorius. Descendit enim Christus, quò eatenùs descenderant Abraham et justi omnes, non ut captivus, aut ut detineretur illìc, quemadmodùm illi, sed ut victor, ut eos illo carcere liberaret, et secum in cœlum transferret. Nam tametsi locus esset quietis, quod diximus, et salutis, carcer erat, comparatione cœli, qui absolutè beatitudinis locus est, quo ad Christi usque descensum Abraham et justi omnes excludebantur. In infernum ergo Abrahæ sinum Lazarus mendicus ab angelis portatus fuit, et quem dives tecto suo non fuerat dignatus, Deus hoc honore dignatus est, ut Abrahæ et sanctorum omnium consortio adjungeret. Hìc illustre documentum proponitur, ne Deo maledictos putemus, qui per continuos languores, vitam ærumnis refertam ægrè trahunt ; videmus enim quàm pretiosa anima in quàm fœdo ac putrido corpore latuerit, quæ ab angelis in beatam vitam delata sit. Sed quonam merito? an eo solo quòd hâc in vitâ pauper Lazarus fuerit? non, sed tectè significatur, ita fuisse pauperem ac miserum, ut timuerit Deum, ut paupertatem et ærumnas æquanimiter tulerit, tanquàm profectas à Dei manu, nemini convicium dixerit aut malè precatus fuerit, nec diviti ipsi ; non obmurmuraverit, non Providentiam Dei accusaverit, sed patientiâ probatus, opus perfectum consummaverit, adnotantibus Chrysostomo et Theophylacto, quorum iste adjungit : *Nam si obmurmurator fuisset et blasphemus, neutiquàm tantum honorem fuisset consecutus, et angelorum comitatu stipatus.*

Mortuus est autem, tandem, et, seu etiam. Mors, divitibus et pauperibus, utrisque communis est, sed si mortalis vita dispar, et conditio rerum à morte dispar.

Dives, nihil adjutus divitiis ut mortem evaderet.

Et sepultus est. Ad cumulum bonorum hujus vitæ mortalis, accessit ei supremus honor sepulturæ, quòd magnificâ funeris cum pompâ sepultus fuerit. Nulla est mentio sepulturæ Lazari, quia vel non fuit sepulturæ traditum corpus ejus, vel contemptim et sine honore abjectum in foveam; at divitis cadaver, aromatibus et pretiosis unguentis conditum, magnâ virorum honoratorum comitante catervâ, elatum est in marmoreum monumentum. Hoc multi post Euthymium adnotant. Cæterùm præclara est D. Augustini sententia 89, inter eas quas Prosper collegit : *Sicut peccatoribus nihil prosunt exsequiæ sumptuosæ ; ita nihil nocent, aut viles, aut nullæ sanctorum pauperum sepulturæ.*

In inferno. Hanc particulam Græci et Syrici libri sequentibus jungunt, id quod et veterum multi sequuntur ; sed Latinis libris, qui conjungunt cum *sepultus est*, sententia est plenior, quâ sinui Abrahæ opponitur infernus, et huic *portari ab angelis in sinum Abrahæ*, istud *sepeliri in inferno.* Quanquàm autem et sinus Abrahæ infernus sit, quod diximus, eo tamen inferno, cujus hìc est mentio, longè superior est, prout et ille quietis, hic pœnarum est locus, quem Job describit *terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, Job. 10, v. 21, 22. Porrò quòd dives hìc dicitur sepultus in inferno, intelligo quòd ita sepultum sit ejus corpus in terrâ, ut anima in inferno, quòd ita cadaver illius ab hominibus terrâ conditum sit, ut anima à dæmonibus in profundum inferni præcipitata, ubi pœnæ gravissimæ. Ex opposito enim Lazari, intelligendum relinquitur, quòd dives per angelos malos detrusus in tartara sit. Huic sensui favet Theophylactus, cùm ait : *Dicendo quòd sepultus sit, insinuat obiter Dominus, quòd et anima ejus locum infimum et caliginosum sortita fuerit.* Magna rerum commutatio, mors uni finis malorum, principium bonorum est ; alteri contra, finis bonorum, principium malorum ; ut non ex hujus seculi rebus, de hominis sive felicitate sive miseriâ judicare debeamus. Sed quam ob causam dives inferno addictus fuit? Dat intelligendum Christus quòd ob abusum quidem divitiarum quas expendisset in luxum et voluptates, non servatâ temperantiâ in vestitu et victu, sed præcipuè ob inhumanam crudelitatem, quòd hominem pauperem et ægrotum, adeòque miserabilem ut ferreum pectus ad commiserationem movere posset, cujus tot erant ora quot ulcera, quotidiè ante oculos suos positum, non adjuverit, neglexerit, contempserit. Nam hæc opposita membra Christus inter se contexit, quòd cùm dives crapulæ pompisque quotidiè deditus, tanquàm inexplebilis gurges, ingentes facultates voraret, Lazari miseriâ et inopiâ non

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, certam spem et fidem habemus, quòd à morte ad Deum Patrem transituri sumus. Mortuus autem est et dives, et sepultus in inferno, id est, ita corpus terræ man-datum, ut anima per angelos malos in infernum demersa fuerit in pœnas : nam sepultura ista inferni pœnarum profunditatem significat, ut August., lib. 2 Quæst. evang., q. 88.

tangeretur, sed fame, frigore, et ulcerum fœtore, tabescere eum, sciens volensque sineret. Quòd si erga calamitosum humanus fuisset ac benignus, facilè illi Deus intemperantiæ vitium condonâsset, et Lazarus eum secum in sinum Abrahæ, consequenterque in regnum cœlorum, attraxisset; sed latum judicium sine misericordiâ in eum est, qui non fecerat misericordiam, Jac. 2, v. 13. Dices aliorum fortè pauperum fuisse misertum. At res ipsa declarat quòd nec alterius cujusquam misertus fuerit. *Etenim si illum perpetuò in vestibulo prostratum*, inquit Chrysostomus, concione primâ, *quem quotidiè semel atque iterùm et sæpiùs videre cogebatur, foràs prodiens ac domum rediens, non est commiseratus; erga quem casu obviorum flexus est unquàm misericordiâ?* Ostendit ergo Christus, qualis eos conditio maneat, qui neglectâ pauperum curâ, se deliciis ingurgitant, et carnis curam agunt in desideriis, Rom. 13, v. 14.

Vers. 23. — Elevans autem. Erat enim dives deorsùm, Abraham sursùm, ille in inferno inferiore, Abraham in superiore. Græcè est *et in inferno elevans;* hæc est enim, quam modò diximus, distinctio Græcorum et Syricorum codicum, jungentium τὸ, *in inferno*, sequentibus, quantùmvis sequatur id quod æquipollet, *cùm esset in tormentis. Infernum enim dicit locum supplicii*, quod ait Euthymius: qui ᾅδης vocatur, tanquam ἀίδης, quòd lucis sit expers.

Oculos suos. Hactenùs locutus de divite et Lazaro, ut hominibus constantibus animâ et corpore, pergit de eis ita loqui, synecdochicè tamen, solam intelligens animam, cui membra attribuit, tanquàm esset corporea, oculos, linguam, manus, describens res spiritales, sub figuris accommodis ad sensum nostrum. Nam quamvis historiam narret, tamen futuræ vitæ statum, non spiritaliter, quo nunc modo existit, sed corporaliter, pro sensûs nostri modulo repræsentat, quòd non facilè aliter eum cognoscere queamus. Quod ergo dicit, *elevans oculos*, id est, considerans altiora, mentis oculos seu intellectum in ea quæ supra se erant dirigens.

Cum esset in tormentis, cogentibus tormentis gravibus ac compluribus; ea enim fecerunt, ut Lazari meminisset, et apud se cogitaret, quonam modo cum illo ageretur, qui dudùm vitam adeò miseram in terrâ egerat, postquàm secum ita in deterius vices mutatæ essent. Tormenta apud inferos plura sunt, alia damni, alia sensûs, et utraque varia ac multiplicia.

Vidit, id est, cognovit, Deo revelante.

Abraham, suum cæterorumque omnium Judæorum naturâ patrem.

A longè, in loco altè supra se posito (erat enim chaos magnum intermedium, quod sequitur versu 26), scilicet quietè beatèque agentem.

Lazarum illum mendicum, quem in vitâ impiè spreverat.

In sinu ejus; Græcè, in sinibus ejus, scilicet Abrahæ, tanquàm complexum utroque extremo mollissimi sinûs sanctissimi patris, id est, eodem quo Abraham loco, ejusdem cum eo quietis felicitatisque participem. Id cognovit, *ut non tantùm naturâ suppliciorum, verùm etiam comparatione honoris illius, intolerabiliorem haberet cruciatum*, inquit Chrysostomus, concione primâ. *Quemadmodùm enim*, quod scribit Euthymius, *Lazaro, cùm in tot malis positus esset, calamitatum erat augmentum intueri divitem in tot bonis; ita nunc diviti in tantis degenti miseriis, additio suppliciorum est, videre Lazarum in tantis bonis.*

Vers. 24. — Et, pro tunc, clamans, miserabili voce, quanquàm non clamor fuerit, sed mentis locutio atque affectio. Nam quia dixerat Lazarum longè visum, consequenter clamâsse divitem dixit, quo vehementiam desiderii significaret, quam tormentorum gravitas efficeret. Hìc impletur illud Isaiæ 65, v. 14: *Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis; et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritûs ululabitis.*

Pater, ut in hâc vitâ, cum cæteris Judæis, gloriatus fuerat patre Abraham; ita patrem etiamnùm appellando, sperat eum ad misericordiam flectere, et benevolum sibi reddere, non gentilem, aut alienum se esse significans.

Abraham. Proprio nomine appellat, ut ostendat sibi cognitum. Abraham autem rogat potiùs quàm alium, non tantùm ut patrem de quo confideret, verùm etiam ut principem et rectorem ejus loci, in

Vers. 23. — Elevans autem oculos suos. Isti oculi, et lingua divitis, et Lazari conspectus, totaque rei velut corporalis descriptio multos in errorem duxit: Greg. Nyssenus omnia spiritualiter intelligenda putavit; Tertullianus animam etiam esse corpoream. Sed observandum Christum, quia de divite et Lazaro tanquàm hominibus loqui cœperat, de iisdem post mortem similiter loqui pergere, synecdochicè personis tribuens velut corporea membra adhuc habentibus, id quod in solâ animâ agebatur. Atque ita futuræ vitæ statum repræsentat corporaliter, accommodatè ad captum nostrum, quemadmodùm subinde etiam Deo corporea membra tribui solent. Quis enim rudiorum facilè intelligeret, eos sine oculis vidisse, sine linguâ locutos, sine corpore cruciatos? Itaque elevâsse oculos dicitur, quia considerationem in ea quæ supra se erant, conjecit. Cum esset in tormentis, diversa enim tormentorum genera sunt, vidit Abraham a longe, in loco altè supra se posito, ut v. 26. Quibus verbis Tertull. colligit, 4 contra Marcionem, c. 24, sinum Abrahæ ab inferis discerni. Nam nec elevâsset dives oculos, et quidem de longinquo, nisi in superiora per immensam distantiam sublimitatis et profunditatis. Ut enim in domo Patris, ita et in inferno mansiones multæ sunt, sublimitate et profunditate distinctæ. Et Lazarum in sinu ejus, ejusdem cum eo participem quietis atque felicitatis.

Vers. 24. — Et ipse clamans, per quod vehementia desiderii exprimitur et loci longinquitas: Pater Abraham, quia ex ipso secundùm carnem natus erat, quod jure naturæ ad commiserationem movendam valet. Quamvis autem damnati non invocent sanctos ex pietate, nihil tamen vetat eos invocare impulsu naturæ, summis viribus afflictionem fugitantis. Miserere mei; priùs enim vult excitare in patre commiserationis motum, ut inde ulteriùs sequatur suî subventio. Itaque mitte (quia videbat Abraham istius loci qui sinus ejus dicitur, esse dominum, quem venire non deceret) Lazarum, eò quòd illum in eo loco videret, Deo, quos vult, damnatis manifestante; ut

quo Lazarus agebat, qui cæteris illic imperaret.

MISERERE MEI. Vox pauperis mendicantis: Lazarus in alterâ vitâ mendicaverat, dives in istâ.

LAZARUM. Rogat mitti Lazarum, quia alium in illo sanctorum spirituum loco non noverat. Persuasus est autem Lazarum, cujus perspectam habebat longanimitatem, non gravatè id facturum: nam quanquàm ipse nihil unquàm beneficii in Lazarum contulisset, Lazarum tamen, injuriæ immemorem, à beneficentiâ non fore alienum, præsertim patre Abraham jubente.

UT REFRIGERET, ut unâ guttâ aquæ, quæ hæreat extremo digito, refrigeret LINGUAM MEAM, in quâ omnium maximè affligor, id est, ut vel modicum mihi cruciatuum levamen suo ministerio afferat.

CRUCIOR, indicibilibus et omnia superantibus tormentis, præsertim verò ardentissimâ siti.

IN HAC FLAMMA, in quâ medius sum constitutus. Solent qui igne cruciantur, gravissimâ inprimis siti torqueri, quam meritò hic passus est, ut qui linguâ maximè peccaverat, epulando nimirùm quotidiè splendidè, quod dictum est v. 19, linguâ maximè affligeretur. Nam *per quæ peccat quis, per hæc et torquetur*, ait Sapiens cap. 11, v. 17. Exprimitur hìc itaque affectus, summum ardorem sitimque patientis; quid enim petat hujusmodi, nisi aquam, quâ ignis sitisque extinguitur? quanquàm non prorsùs extingui precatur, aut ipse ex inferno liberari; desperat enim id obtinere se posse, et serò è numero filiorum Abraham abdicatum se sentit; sed modicam duntaxat refrigerationem flagitat. Cæterùm cùm de animâ hìc sermo sit, quæ linguâ corporeâ caret, intelligendum est, tali pœnâ affectam fuisse hujus animam, qualem sensisset, si corpore mortali igni tradito, lingua sitim passa fuisset (affligitur enim anima imaginibus rerum à corpore tractis), hujusque pœnæ parvulam mitigationem petiisse, et modicam remissionem levamenque tormentorum. Verùm enim verò non necesse est flammam metaphoricè intelligere, quemadmodùm linguam; flamma enim ignisque corporeus, quatenùs instrumentum est divinæ justitiæ, ut agit in spiritus dæmoniacos, Matth. 25, v. 41; ita et in humanos à corpore separatos, id quod Gregorius, lib. 4 Dialogorum, cap. 28 et 29, latè docet. « Jam itaque supplex « dives factus est pauperi, » ait Chrysostomus, « rebus « brevì commutatis, et qui Lazarum, cùm proximus « esset, præteribat, nunc procul absentem invocat. » « Qui vulnerato pauperi mensæ suæ vel minima dare « noluit, in inferno positus usque ad minima quærenda « pervenit, » habet Gregorius in homiliâ 40. Lazarus divitis auxilio eguerat, nunc dives eget Lazari: sed qui Lazaro negaverat micas mensæ suæ, ei jam gutta aquæ per Lazarum exhibenda negatur, quemadmodùm sequitur.

VERS. 25. — ET DIXIT. Hujusmodi responsum sensit reddi animo suo tanquàm ab Abraham. Nec enim fuit inter illos vocale colloquium.

FILI. *Non dixit, inhumane, crudelis, perditissime, tot mala huic homini irrogâsti, et adhuc amicitiam ejus, adhuc misericordiam, adhuc commiserationem ambis? non erubescis, non verecundaris dùm hæc petis?* Verba sunt Titi. Nihil improperat, non insultat, sed vocatus pater, mansuetè respondet, *fili*, agnoscens naturâ filium esse ut cæteros Judæos, non tamen benefaciendi affectu, sed causâ pungendi conscientiam ejus, qui non se gesserit ut deceret Abrahæ filium. Abraham ab hospitalitate et eleemosynâ commendatus fuerat, Gen. 18, v. 1 et 2; à quâ iste se alienissimum in personâ Lazari declaraverat.

RECORDARE. Spiritus justorum à corpore separati, etiam qui apud inferos in tormentis agunt, recordantur rerum in vitâ mortali à se gestarum, per species intelligibiles à rebus acceptas, quas retinuerunt. Sanè enim, si non recordarentur peccatorum à se admissorum, nec torquerentur verme conscientiæ, aut ut justum est punirentur. *Ad pœnam suam ei et cognitio servatur et memoria*, ait Gregorius, homiliâ 40: *cognoscit enim Lazarum quem despexit; fratrum quoque suorum meminit quos reliquit.*

RECEPISTI, accepisti; additur Græcè pronomen *tu*, emphaticè.

BONA, sanitatem, divitias, honores, cæteraque hujusmodi. Et hìc Græcè ac Syriacè additur pronomen *tua*; bona tua, non tam verè quàm opinione tuâ bona, quæ tu sola bona esse censebas, sola magnifecisti et quæsivisti, in his collocans felicitatem tuam atque his contentus. Hæc accepisti, his liberè prosperèque fruitus es, temporariis voluptatibus ventrem animumque pavisti, partem portionemque quam elegeras consecutus fuisti. Non absimilis est hic locus illi de Pharisæis: *Receperunt mercedem*, partem, portionem *suam*

INTINGAT EXTREMUM DIGITI SUI IN AQUAM, id est, ut vel guttulam aquæ tribuat. Opponitur enim gutta micæ, ut notatur apud August., serm. 227 de Tempore: ET REFRIGERET LINGUAM MEAM; in quâ plus cruciabatur, quia plus linguâ et ore peccaverat, ut Cyprian., epist. 53. Per quæ enim quis peccat, per hæc et torquetur. Porrò cùm hìc de animâ sermo sit, à corpore per mortem separatâ, quæ linguâ corporeâ caret, intelligendum superest linguam sumi metaphoricè, talique pœnâ affectam fuisse animam, qualem sensisset, si corpore igni tradito sitim passa fuisset. Quandoquidem enim anima igne materiali affligi sensibiliter potest, verisimile est pœnis quoque similibus, quibus affliguntur hìc sensus, affligi posse, ut propterea non sit necesse, etiam flammam intelligere metaphoricè cùm dicit, QUIA CRUCIOR IN HAC FLAMMA; ignis enim tanquàm instrumentum divinæ justitiæ in spiritum potest agere, ut latè S. Greg., 4 Dialogorum, c. 28 et 29.

VERS. 25. — ET DIXIT ILLI ABRAHAM, quia animo suo tale responsum divinitùs reddi sensit: FILI, sedatè scilicet et cum tranquillitate etiam damnato respondet, instar illius qui cum tranquillitate judicat; nec humanitatis vocabulum, quod ei ratione originis competebat, ulla negat inclementia ut observant Græci. RECORDARE; ex quo patet contra oblivia, quæ animabus transmigrantibus quidam tribuebant, animas posse recordari et actorum et personarum, nempe ad pœnam suam, ut Greg., hom. 40. QUIA RECEPISTI BONA IN VITA TUA, sanitatem, divitias, honores, epulas; ET LAZARUS SIMILITER MALA, morbos et paupertatem. Ex quo colligas cum Irenæo, Abraham scire quid hìc agatur; sive hoc noverit, Lazaro narrante, ut August., lib. de Curâ pro mortuis, c. 14.

quam ambiverant, Matth. 6, v. 2, 5. D. Augustinus, lib. 2 Quæstionum evang., cap. 38 : *Cùm ei dicitur recepisti bona in vitâ tuâ, illud tangitur,* inquit, *quia felicitatem dilexit seculi, nec aliam vitam præter istam, in quâ superbus tumebat, adamavit.*

In vita tua, mortali. Unde hoc cognoverat Abraham ? respondet Augustinus, libri de Curâ pro mortuis cap. 14 : *Potuit id Lazaro indicante cognoscere ;* addam ego, vel Deo revelante.

Similiter, æquè accepit, idque eodem tempore. Similitudo est in tempore et in accipiendo, dissimilitudo autem est in modo accipiendi, adeòque contrarietas in rebus acceptis. Eodem vitæ vestræ tempore, quo tibi benè et suaviter erat, cum Lazaro miserè et laboriosè agebatur.

Mala, adversa, morbos videlicet, pauperiem, contemptum, cæteraque hujusmodi, quæ tibi tuîque similibus extrema mala censebantur, et miseri atque infelices qui illis subjicerentur. *Non quòd Lazarus ea mala putaverit,* inquit Thomas in Catenâ, *sed ex censurâ divitis hoc dicebat, qui inopiam et famem et duram ægritudinem æstimabat mala.* Hæc acceperat in vitâ Lazarus, id est, toleraverat, pertulerat, æquanimiter nempe, tanquàm è manu Dei missa, cum spe meliorum à Deo aliquando retribuendorum.

Nunc autem, post vitam mortalem, in altero seculo, mutatis vicibus.

Hic, Lazarus, consolatur, consolationem accipit, solatio afficitur, multis bonis fruitur, liber ab omni malo, aggregatus sanctis Dei, securus æternæ beatitudinis. Nondùm quidem fruitur æternis illis bonis, quæ præparavit Deus diligentibus se ; sed tamen in lætâ eorum exspectatione acquiescit, quæ sola sunt vera ac solida bona.

Cruciaris, spoliatus omni bono, affligeris malis, quæ non metueras, quæ nihili feceras, tanquàm non eventura, cùm sola timenda fuissent, ut æterna mala. Pro superbis ædibus habes tartarum, pro variis deliciis, multiplicia tormenta, pro jocis et cantionibus perennem ejulatum ; q. d. : Æquum id est, divina justitia id exigit. Cùm ad immortalem vitam creatus esses, et lex Dei sursùm te ad meditandam et quærendam cœlestem vitam attolleret ; tu sorte tam præclarâ neglectâ, prætulisti caduca bona æternis ; habuisti quæ elegisti ; illis jam præteritis, æquum est ut stultitiæ des pœnas, ac proinde hâc jam malâ sorte contentus, nihil levaminis aut solaminis à quoquam exspectes.

Hæc doctrina consentanea est illi quam legimus supra 6, v. 20 et 24 : *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram,* etc. Exigit enim justitia divina ut qui bonis hujus vitæ mortalis ita fruiti fuerint, ut æternæ vitæ bona non desiderârint, contenti præsentibus, in altero seculo æternis malis affligantur, et cruciatibus puniantur, absque ullâ remissionis aut mitigationis spe. Contra verò, ut qui in vitâ mortali adversitates à Deo immissas patienter tulerint, in altero seculo præteritorum malorum solamen accipiant, æternùm beatam vitam.

Vers. 26. — In his omnibus, Græcè, *ad* seu *super hæc omnia,* scilicet illud etiam accedit. Præterquàm quòd Dei justitia non permittat, ut per Lazarum levamen aliquod cruciatuum tibi præstetur, etiam impossibile est id fieri, ut maximè vellemus.

Inter nos justos atque electos, et vos, impios ac reprobos, Dei sententiâ hujusmodi utrinque declaratos.

Chaos. Chaos propriè significat rerum confusionem ; sed interpres accepit pro vasto inani seu vacuo, quod Græcè diciter *chasma,* id est, hiatus, vorago.

Magnum, ingens immensum. Immensus nunc hiatus seu intervallum est, inter supremum cœlum sedem beatorum, et centrum terræ carcerem reproborum ; sed et ingens fuit, dùm in ipsis terræ visceribus utrique agerent.

Firmatum est, constitutum est firmo Dei decreto, et constanti virtute stabilitum, nunquàm auferendum.

Qui volunt, id est, qui velint, si qui velint, si qui vel maximè velint ; nec enim facilè aliquid id velint, ad hoc præsertim ut reprobos juvent aut cum eis agant.

Neque inde ; Græcè, *neque qui illic ;* scilicet sunt, id est, apud vos.

Huc, Græcè ad nos.

Transmeare, trajicere, transire, scilicet possint ; vel aliqui possint. Impervius est utrisque ad alteros transitus ; incommutabili Dei sententiâ sua quibusque sedes designata ac distincta est, ita ut nequeamus ultrò citròque commeare. Non solùm distantia magna, sed etiam impermeabilis significatur et æterna reproborum à piis separatio. Euthymius : *Hiatum magnum dicit firmissimum Dei præceptum, tanquàm ad modum hiatûs prohibens horum et illorum commixtionem.* Titus : *Indicat discrimen quod inter justos et peccatores*

sive Deo potiùs revelante, sicut jam sanctis, ad conspectum Dei perductis, contingit. Unde Greg. : Quid non vident, ubi omnia videntem vident ? Cui consentanea docent Bernardus, serm. 77 in Cantica ; Basil., de Virginit., et Ambr., de Viduis, qui Martyres speculatores vitæ actuumque nostrorum nominat. Nunc autem, mutatis rerum vicibus, sicut æquitas postulat, hic consolatur, id est, solatio afficitur, tu vero cruciaris. His ergo verbis justitiæ, et rectissimi ordinis intuitu monet eum æquanimitatis, quamvis eâ non esset usurus.

Vers. 26. — Et in his omnibus, id est, super hæc omnia, ut Græcè. Accedit etiam hoc, quòd scilicet præter æquitatem istius jam dictæ vicissitudinis, rem petis impossibilem, quia inter nos et vos chaos magnum ; Græcè, hiatus magnus, seu ingens inane spatium (nam *chaos* propriè significat rerum confusionem) firmatum est, seu constitutum divino decreto. Quo significatur partim vera loci distantia, quæ est inter locum damnatorum et salvatorum, partim et maximè impervium esse ab utrisque transitum, et impermutabilem statum, propter incommutabilitatem divinæ sententiæ, prout notant August., quæst. 38, Titus et Euthymius ; et hoc explicat id quod sequitur : Ut hi, qui volunt, id est, qui quàm maximè vellent, hinc transire ad vos, non possint, maximè ad afferendum solatium. Hoc itaque desperato, ait :

intercedit ; ut enim oppositæ sunt illorum voluntates et studia, ita impermutabilis quoque eorumdem est status. Denique inter Latinos D. Augustinus, lib. 2 Quæst. evang., cap. 38 : *Significat, receptis in carcere, per incommutabilitatem divinæ sententiæ, nullum auxilium misericordiæ posse præberi à justis, etiamsi velint illud præbere.* Frustra ergo à damnatis beatorum subsidia implorantur, quibus commune inter se nihil esse potest. Notatur his verbis perpetuitas in futuræ vitæ statu, ac si dictum esset, fines qui reprobos ab electis discernunt, nunquàm posse perfringi, ac proinde nullum reprobis beatorum operâ refrigerium accidere unquàm posse.

Vers. 27. — Et ait, apud se, in animo suo. Declaratur divitis desiderium : non enim voce dicebat, sed corde optabat : Deo autem revelante fiebat, ut se mutuò dives et Abraham intelligerint. Vide supra, v. 25. Repulsam ergo passus, ne impetraret mitigationem cruciatuum quos patiebatur, pergit rogare ne saltem augeantur cruciatus sui.

Ergo, si ad me Lazarus mitti non potest.

Eum, Lazarum, resumpto corpore.

In domum, ad familiam. Nec enim inter vos et mortales hujusmodi chaos firmatum est, quo vos prohibeamini ad mortales transire, aut mortales ad vos.

Vers. 28. — Habeo, reliqui superstites.

Quinque, vel præcisè quinque, vel certè multos, ut sit numerus certus pro incerto, quemadmodùm Isaiæ 19, v. 18. Quo autem major numerus, eo majore curâ Abraham tangi, et faciliùs persuaderi posse videbatur.

Fratres. Ad cumulum temporariæ felicitatis, fecerat, quòd fultus esset quinque dilectis fratribus, non minoribus quàm ipse divitiis, deliciis, pompisque florentibus. Quinque fratres ergo, deliciis et voluptatibus carnis indulgentes, meo more, neglectâ pauperum curâ, ac proinde omnes periclitantes eâdem causâ, quâ ego in hanc miseriarum extremam sortem deveni.

Ut testetur illis, mitte, inquam, ut testetur illis. Syrus addit verbum *nizal,* eat seu proficiscatur, *ut testetur illis*, tanquàm oculatus eorum quæ hìc geruntur testis, testimonium perhibeat eis de meî condemnatione et cruciatuum quos patior gravitate. Vel *testetur illis*, id est, contestetur illos, docendo admoneat *ut* pœnitentiam agentes caveant.

Ne et ipsi, ut ego, si pergant meis vestigiis ingredi.

Tormentorum, tormenti, cruciatûs, in hujus calamitatis consortium. Orat, non pro fratrum salute, quâ non tangitur reprobus, quamvis eam obtendat, sed pro se, ne tormenta ipsius, ex consortio fratrum, quos malè educaverat, quibusque prava exempla reliquerat, augeantur ; ne si similiter actâ vitâ venirent in eumdem locum, ex hujusmodi societate cresceret misero mali sensus. *Serus dives iste magister esse incipit,* inquit Ambrosius, *cùm jam nec discendi tempus habeat nec docendi.*

Vers. 29. — Ait illi, ut supra, v. 25 et 27. Ita intùs responsum est diviti, ac si inter se colloquerentur ipse et Abraham.

Habent. Nihil necesse est Lazarum hâc gratiâ avocari à quiete suâ, et ad vitam mortalem redire : *habent* fratres tui, ut cæteri Judæi, doctores et admonitores suos, quos Deus illis providit, qui majorem longè quàm tu illorum curam gerit. Sic Chrysostomus concione quartâ et posteriores Græci.

Moysen et prophetas, qui docent et contestantur æquè omnes. Moysen et prophetas, intelligit libros Moysis et prophetarum, id est, Scripturam divinitùs inspiratam. Hanc enim, in Moysen, seu legem et prophetas, pro eo tempore dividit. *Habent*, inquit, illos, non quòd libros seu codices eorum domi apud se haberent ; id enim tunc rarum erat ; sed quòd publicè ipsis proponerentur, et per omne sabbatum in synagogis eorum legerentur.

Audiant illos ; diligenter, quid dicant, doceant, moneant. Id si fecerint, sufficienter præmonebuntur, ne in eumdem tecum veniant tormentorum locum. Quòd si etiam ita audiant, ut credant et obediant eis, ac monita eorum sequantur, certo certiùs ab eo loco præservabuntur. Docent enim sufficienter lex et prophetæ, quomodò vita instituenda sit, ut ne quis incurrat in iram Dei, et ut evitet pœnas ac meledictiones quas impiis Deus minatur. Sed si id sufficienter docebant veteris Testamenti libri, quid opus fuit aliis novi Testamenti ? sufficiebant veteres libri illius temporis hominibus, ut vitarent locum illum tormentorum : addidit Deus novos libros, quibus non aliud, sed idem pleniùs et clariùs docerentur ii quos volebat non solùm vitare locum illum tormentorum, sed etiam ad majorem fidei vitæque perfectionem adducere. Quare et de loco illo tormentorum æterno, et de altero præmiorum æterno loco, iisque quæ ad utrumque locum ducant, longè et pleniùs et clariùs loquuntur novi Testamenti libri, quàm veteris. Vult ergo Abraham, vivos sacræ Scripturæ doctrinâ ita contentos esse, ut nolint à mortuis, quid in alterâ vitâ geratur, audire, ad hoc ut vitam emendent.

Vers. 30. — Non, scilicet audient illos, ita ut obe-

Vers. 27. — Rogo ergo te, pater, quandoquidem tale chasma non sit firmatum inter vos et eos qui in mundo degunt.

Vers. 28. — Ut mittas eum in domum patris, etc., ut testetur illis, tanquàm testis oculatus eorum quæ hìc geruntur. Hanc divitis precationem S. Greg., 4 Dialog., cap. 22, amore suî extortam esse docet, ne videlicet sibi tormenta ex iis augerentur, quos exemplo suo ad eamdem vitæ dissolutionem et immisericordiam provocaverat : August. verò, epistolâ 125, fraterno amori eam ascribit : nam sicut non exuunt amorem suî, ita neque fortè consanguineorum. Alii minùs probabiliter ex invidiâ profectam docent ; ex quâ quamvis mallent neminem liberari, si tamen aliqui liberandi sunt, suos mallent quàm alienos liberari. Respondet Abraham :

Vers. 29. — Habent Moysen et prophetas, id est, scripta Moysis et prophetarum, quæ in eorum synagogis per omne sabbatum leguntur, ac de tormentis inferorum, et vitâ rectè instituendâ et agendâ pœnitentiâ accuratè docent ; audiant illos, id est, credant et obediant eis ; et non erit opus ex mortuis audire quid hìc geratur.

Vers. 30. — At ille dixit : Non. Quod referri po-

diant, et evadant hunc locum, sat scio ; non enim moventur monitis sacrorum Librorum, quæ quotidiè insonantia auribus eorum, apud ipsos viluerunt.

Ex mortuis, justorum mortuorum, quem noverint in vitâ, et sciant mortuum fuisse, qualis Lazarus.

Ierit, resurrexerit et ierit ad eos, declarans se ideò à morte resurrexisse, jubente Deo, ut certiores eos faciat eorum quæ apud inferos geruntur, signanter quos ego hìc cruciatus sustineam, ob vitam voluptuosè traductam. Æstimat dives fratres suos, partim ex memoriâ rerum circa ipsos præteritarum, partim ex seipso : ipse enim, dùm in vivis ageret, non movebatur exhortationibus ex Mose aut prophetis desumptis; nec credebat talia supplicia reservari amatoribus mundi, qualia nunc experiebatur, sed dicebat apud se quod illi Sap. 2, v. 1 et 6 : « Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis, et non est cui agnitus sit reversus ab inferis, etc. ; venite ergo et fruamur bonis, » etc. « Sicut ipse fuerat affectus, » inquit Chrysostomus, « sic opinionem habet et de fratribus suis ; » id quod clariùs Titus declarans scribit : « Cur dives isthæc dicit ? quia ipse prophetas nullo prorsùs fructu audiverat. Quæ enim ab illis prodita exstabant, ea propalam contempserat, fabularumque loco habuerat. Ex quâ re conjecturam faciebat, suos quoque fratres ita comparatos esse. Volebat enim ita dicere : Illi nunc ratiocinantur ut quondam ego ; nempe quis inde aliquando rediit ? quis ea quæ apud inferos sunt enarravit ? Ea propter si quis ex mortuorum grege ad illos accederet, non denegarent illi fidem, verùm dictis illius studiosè intenderent. » Hactenùs Titus.

Pœnitentiam agent ; anteactam vitam detestati emendabunt ; moti scilicet miraculo hominis ex morte redivivi, sibique ante mortem noti. Non enim poterunt non credere narranti ea quæ viderit, et nominatim cruciatus meos, itaque converti à viis suis pessimis.

Vers. 31. — Moysen et prophetas, quorum est sacrosancta apud omnes auctoritas, et fides divinitùs confirmata.

Non audiunt, non obediunt, ita ut pœnitentiam agant.

Resurrexerit, et retulerit eis quid apud inferos agatur, quàm misera illìc sit eorum conditio, qui hìc voluptatibus et intemperantiæ incubuerint.

Credent, πεισθήσονται, persuadebuntur, ita scilicet ut pœnitentiam agant ; dicent enim phantasma apparuisse, aut illusionem profectam à malo spiritu. Major ac certior est Scripturæ auctoritas, quàm cujùsvis qui possit ex morte resurgere, quàm cujusvis qui sit oculatùs testis. *Habemus enim firmiorem propheticum sermonem*, inquit Petrus, 2 Epist. 1, v. 19, *cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Hujus certissimâ doctrinâ quicumque non docetur aut movetur, neque privatis miraculis, neque privatâ magistri alicujus, quanquàm è mortuis extantis, auctoritate, commovebitur, ut credat, et credendo obediat. Ratio id docet, argumento à majore ducto ad minus : docet et experientia. *Id enim verum esse declarârunt Judæi*, inquit Chrysostomus, concione quartâ, *in altero illo Lazaro, fratre Marthæ, cui tantùm abfuit ut crediderint à morte citra controversiam excitato, ut è contrario novam mortem fuerint machinati;* Joan. 12, v. 10. Jam habes quæ Abraham diviti responderit. Quid ergo factum est? *Nihil postulatorum obtinuit*, ait Chrysostomus, conc. 4 : *siquidem prior postulatio, talis erat, ut quod petebatur, fieri non posset, altera verò erat supervacua.* Omnium precum passus repulsam, manet in perpetuis tormentis : oportet enim impleri Scripturam : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur,* Prov. 21, v. 13.

test vel ad primam partem sententiæ superioris, vel ad secundam : si ad primam, supplendum est, non est satis, quòd habeant Moysem et prophetas ; si ad secundam, tunc supple, non audient eos ; quòd ipse partim ex perspicuis eorum moribus, partim ex seipso conjiciebat, qui prædicationi Moysis et prophetarum non crediderat. Sed si quis ex mortuis ierit ad eos, Lazarus videlicet, quem antè noverant, tunc rei novitate, vel timore, vel horrore stimulati, pœnitentiam agent.

Vers. 31. — Ait autem illi : Si Moysen et prophetas, quorum est sacrosancta auctoritas, et fides divinitùs confirmata, non audiunt, monitis eorum credendo et obediendo, neque si quis ex mortuis resurrexerit, qui narret, quid apud inferos agatur, credent, tantùm abest, ut acturi sint pœnitentiam ; dicent enim esse phantasma, esse illusionem diabolicam, et ita reditus Lazari offensioni potiùs erit quàm fructui. Quod duplici exemplo verissimum esse patuit, videlicet Lazari, fratris Magdalenæ, quem redivivum Judæi iterùm interficere voluerunt ; et ipsiusmet Christi, cujus resurrectionem Moyses et prophetæ prædicaverant, nec tamen ei crediderunt, ut notat Augustin., lib. 2 Quæst. evang., q. 38, apud quem vide totius historiæ sensum mysticum.

CAPUT XVII.

1. Et ait ad discipulos suos : Impossibile est ut non veniant scandala : væ autem illi per quem veniunt.

2. Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quàm ut scandalizet unum de pusillis istis.

3. Attendite vobis : si peccaverit in te frater tuus, increpa illum ; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

4. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, dimitte illi.

CHAPITRE XVII.

1. Jésus dit encore à ses disciples : Il n'est pas possible qu'il n'arrive des scandales ; mais malheur à celui par qui ils arrivent.

2. Il vaudrait mieux pour lui qu'on lui mît au cou une meule de moulin, et qu'on le jetât dans la mer, que non pas qu'il fût un sujet de scandale à l'un de ces petits.

3. Prenez garde à vous : si votre frère pèche contre vous, reprenez-le ; et s'il se repent, pardonnez-lui.

4. Et s'il pèche contre vous sept fois le jour, et que sept fois le jour il revienne à vous, et vous dise : Je me repens, pardonnez-lui.

5. Et dixerunt apostoli Domino : Adauge nobis fidem.

6. Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare; et obediet vobis.

7. Quis autem vestrûm habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro, dicat illi : Statim transi, recumbe :

8. Et non dicat ei : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes?

9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?

10. Non puto. Sic vos cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.

11. Et factum est, dùm iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.

12. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè;

13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostrî.

14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dùm irent, mundati sunt.

15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magnâ voce magnificans Deum.

16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens : et hic erat Samaritanus.

17. Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt?

18. Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

19. Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

20. Interrogatus autem à Pharisæis : Quandò venit regnum Dei? respondens eis, dixit : Non venit regnum Dei cum observatione :

21. Neque dicent : Ecce hìc, aut ecce illìc : ecce enim regnum Dei intra vos est.

22. Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.

23. Et dicent vobis : Ecce hìc, et ecce illìc. Nolite ire, neque sectemini.

24. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget; ita erit Filius hominis in die suâ.

25. Primùm autem oportet illum multa pati, et reprobari à generatione hâc.

26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis.

27. Edebant et bibebant, uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem quâ intravit Noe in arcam; et venit diluvium, et perdidit omnes.

28. Similiter sicut factum est in diebus Lot : Edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et ædificabant :

5. Alors les apôtres dirent au Seigneur : Augmentez en nous la foi.

6. Le Seigneur leur dit : Si vous aviez de la foi comme un grain de sénevé, vous diriez à ce mûrier : Déracine-toi, et va te planter au milieu de la mer ; et il vous obéirait.

7. Qui est celui d'entre vous qui, ayant un serviteur occupé à labourer, ou à paître les troupeaux, lui dise aussitôt qu'il est revenu des champs : Allez vous mettre à table?

8. Ne lui dira-t-il pas plutôt : Préparez-moi à souper; ceignez-vous, et me servez jusqu'à ce que j'aie bu et mangé ; et après cela vous mangerez et vous boirez ?

9. Et se tiendra-t il obligé à ce serviteur d'avoir fait ce qu'il lui avait commandé?

10. Je ne le pense pas. Dites donc aussi, lorsque vous aurez fait tout ce qui vous est commandé : Nous sommes des serviteurs inutiles; nous avons fait ce que nous avons dû faire.

11. Un jour, comme il allait à Jérusalem, et qu'il passait par le milieu de la Samarie et de la Galilée,

12. Étant près d'entrer dans un village, dix lépreux vinrent au-devant de Jésus ; et se tenant éloignés,

13. Ils élevèrent leur voix, et lui dirent : Jésus notre maître, ayez pitié de nous.

14. Lorsqu'il les eut aperçus, il leur dit : Allez vous montrer aux prêtres; mais comme ils y allaient, ils furent guéris.

15. L'un d'eux voyant qu'il était guéri, retourna sur ses pas, glorifiant Dieu à haute voix.

16. Et il vint se jeter aux pieds de Jésus le visage contre terre, pour lui rendre grâces ; et celui-là était samaritain.

17. Alors Jésus dit : N'y en a-t-il pas dix qui ont été guéris? où sont donc les neuf autres?

18. Il ne s'en est point trouvé qui soit revenu, et qui ait rendu gloire à Dieu, sinon cet étranger.

19. Puis il lui dit : Levez-vous, allez, votre foi vous a sauvé.

20. Des Pharisiens lui demandaient un jour quand viendrait le royaume de Dieu; et il leur répondit : Le royaume de Dieu ne viendra point avec un éclat qui le fasse remarquer :

21. Et on ne dira point : Il est ici, ou il est là, car dès à présent le royaume de Dieu est au-dedans de vous.

22. Alors il dit à ses disciples : Le temps viendra où vous désirerez voir un des jours du Fils de l'homme; et vous ne le verrez point.

23. Et des hommes vous diront : Il est ici, il est là. N'y allez point, et ne les suivez point.

24. Car comme un éclair brille, et se fait voir d'une extrémité du ciel jusqu'à l'autre ; il en sera de même du Fils de l'homme en son jour.

25. Mais il faut auparavant qu'il souffre beaucoup, et qu'il soit rejeté par cette nation.

26. Et ce qui est arrivé au temps de Noé, arrivera encore au temps du Fils de l'homme.

27. On mangeait, et l'on buvait ; les hommes épousaient des femmes, et les femmes des maris, jusqu'au jour où Noé entra dans l'arche, et alors le déluge survenant, les fit tous périr.

28. Et comme il arriva encore au temps de Lot : Ceux de sa ville mangeaient et buvaient, achetaient et vendaient, plantaient et bâtissaient.

29. Quâ die autem exiit Lot à Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes perdidit :

30. Secundùm hæc erit quâ die Filius hominis revelabitur.

31. In illâ horâ qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa ; et qui in agro, similiter non redeat retrò.

32. Memores estote uxoris Lot.

33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam ; et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam.

34. Dico vobis : In illâ nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur ;

35. Duæ erunt molentes in unum : una assumetur, et altera relinquetur ; duo in agro : unus assumetur, et alter relinquetur.

36. Respondentes, dicunt illi : Ubi, Domine ?

37. Qui dixit illis : Ubicumque fuerit corpus, illùc congregabuntur et aquilæ.

29. Mais le jour où Lot sortit de Sodome, il tomba du ciel une pluie de feu et de soufre, qui les fit tous périr :

30. Il en sera de même au jour où le Fils de l'homme paraîtra.

31. En ce temps-là, si un homme se trouve au haut de sa maison, et que ses effets soient en bas, qu'il ne descende point pour les prendre ; et que celui qui se trouvera dans le champ ne retourne point non plus derrière lui.

32. Souvenez-vous de la femme de Lot.

33. Quiconque cherchera à conserver sa vie, la perdra ; et quiconque l'aura perdue la recouvrera.

34. Je vous déclare que cette nuit-là, de deux personnes qui seront dans le même lit, l'une sera prise, et l'autre laissée ;

35. De deux femmes qui moudront ensemble, l'une sera prise, et l'autre laissée ; de deux hommes qui seront dans le même champ, l'un sera pris, et l'autre laissé.

36. Ils lui dirent : Où sera-ce, Seigneur ?

37. Et il répondit : En quelque lieu que soit le corps, là les aigles s'assembleront.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et ait, ait autem, quodam scilicet tempore, cùm solus cum discipulis domi esset in oppido Capharnaum, pararetque migrationem in Judæam ; quæ ex Matthæo intelliguntur.

Impossibile est ut non, fieri non potest quin. Contingere aliter non potest quin ; sive *necesse est ut,* quo modo loquitur secundùm Matthæum. Inevitabilis est eventus scandalorum.

Scandala, impedimenta bonæ Deoque placitæ vitæ ; omnem causam ruinæ in itinere justitiæ, omnia nocumenti, injuriæ contemptûsque genera intelligit, idque eò magis quòd ferè ex contemptu neglectuque fiat ut scandalizentur pusilli. Hoc enim ferè facit ut ab humilitate ac modestiâ desciscant plerique, hoc plurimùm obest ne ad voluntariam modestiam se submittant multi, quia hâc ratione redduntur mundo contemptibiles ; durum siquidem est ab hominibus conculcari aut haberi fastidio. Fieri autem non potest ut à scandalis sit immunis hic mundus aut ulla ejus pars, quia major ubique est numerus hominum malorum. Et tam magna humani cordis tum cæcitas, tum ad malum propensio, ut non tantùm sibi ipsi noceant scandalorum auctores, verùm etiam aliis, ita ut ipsi optimi in summis versentur perditionis periculis. Dùm enim undique objiciuntur scandala conficientibus rapidum hujus vitæ curriculum, dùm scandalis quasi certatim datis plena sunt omnia, ita ut vix pedem absque offensionis periculo movere liceat, contingit ut miseri homines, vel cæci scandala non videant, vel visa fragiles cupiditateque victi non caveant, vel si sit etiam vitandi propositum, sæpè non observent, itàque in peccatum, et, quæ peccatum consequuntur, hujus vitæ clades innumeras, et extremam denique perniciem, cum ipsis scandalorum auctoribus, ruant. Quò itaque magis suorum curam ac sollicitudinem acuat Dominus, admonet fieri aliter non posse, quin pergendum sit per varia scandala, ac si dixisset, inevitabile esse hoc malum in mundo isto. Visum est enim Deo tantisper illud permittere quò exerceantur electi.

Væ autem. Occurrit obiter tacitæ objectioni, ne quis existimet scandala impunè edi objicique, quia necesse dixerit esse ut veniant. Scandalizanti supplicium maledictioque æterna imminet : non patietur Deus scandalum inultum, sæpè etiam in hoc seculo.

Veniunt, eduntur, dantur ; qui auctor est scandali ; per quem objicitur alicui causa ruinæ, et impedimentum salutis præstatur ; qui pravâ suâ sive doctrinâ sive exemplo proximum perdit. Q. d. : Quamvis necesse esse dixerim hoc in mundo occurrere scandala, non tamen excusandus venit, quisquis scandalum aliis objicit : non enim ipse necessitate coactus, sed pravâ suâ voluntate, perversoque liberi arbitrii consilio ductus, ea procurat seu edit ; ideò gravissima illum manet Dei vindicta.

Vers. 2. — Lapis molaris, mola asinaria quo modo est et Syriacè, quanquàm varient Græca exemplaria.

In mare. Terrendi gratiâ expressit Salvator supplicii genus, quo, *secundùm ritum provinciæ, majorum criminum,* ait Hieronymus, *ista apud veteres pœna fuit,* ut lapidi molari alligati sontes in profundo mari submergerentur, exitio, tam violento atque horribili, quàm certo, tum ob saxi magnitudinem, tum ob maris profunditatem. Expediret autem illi hanc pati pœnam quantùmvis atrocem ac formidabilem, quàm admittere illud crimen, optare potiùs deberet mortem hujusmodi gravem, ignominiosam, et sine sepulcro, quàm sese auctorem, impulsorem, vel promotorem alicujus offensionis præbere, tum quia peccatum pejus ac detestabilius est omni pœnâ, tum quia pœnâ longè graviori quàm illâ submersionis peccatum istud punietur, pœnâ, inquam, gehennæ, quæ ut est et acrior et ignominiosior quàm quævis hujus vitæ, ita est et æterna. Nullum mortis genus potuerunt excogitare hujus mundi tyranni, quod cum illo supplicio possi

conferri, quo corpus simul et anima perenni cruciatu morientur, nec mori licebit. Subindicat Salvator, cruciatus multis partibus majores, in altero seculo quàm in isto, in improbos et sceleratos homines desævire. Ergo quia proclives sunt filii hujus seculi ad hoc ut despiciant humiles et pro nihilo ducunt abjicere illos ac conculcare, severissimâ prædictione ejus quæ ipsos manet pœnæ, absterret illos; et simul humiles consolatur, declarans quàm charos et pretiosos Deus ipsos habeat, ne ipsis molesta sit sua conditio, dùm eos mundus despicit. Itaque si longè abesse ab eâ quam Salvator minatur pœnâ velimus, diligenter cavendum est, ne quis nostrûm suo vel judicio, vel consilio, vel studio, vel errore, vel more, offensionem paret simplicibus eosve despiciat; sed contra manus illi porrigat, comiterque eos adjuvet ad benè currendum.

De pusillis istis, hoc est, humilibus, qui facti sunt puerulorum instar: parvi sunt in oculis suis, pro parvis se habent, pro parvis se gerunt, parvi à mundo fiunt, magni esse non appetunt. Scandalizat autem humilem Christianum, qui vel alienæ doctrinæ asseveratione, vel vi, vel repulsâ et contemptu, vel dissuasione, vel exemplo, vel alio denique modo, conatur eum à cœpto humilitatis aut alterius cujusvis virtutis studio avocare vel remorari; aut si ex industriâ non hoc conetur, id agit quod ex naturâ rationeque suâ avocare aut remorari queat, atque impedire ne contento simplicitatis christianæ cursu assequatur regni cœlestis dignitatem, etiamsi reipsà non avocetur aut impediatur, etiamsi reipsà nihil noceatur fideli quod ad virtutis studium aut ingressum in regnum.

Attendite, cavete, scilicet à scandalis, ut à re maximè noxiâ; ne vel aliis illa objiciatis, vel objectis ab aliis lædamini. Utrisque enim nocent summoperè, et eis à quibus procurantur, et eis quos offendunt. His verbis nos munit adversùs scandala, docens, licèt sit necesse illa evenire, non tamen necesse esse nos illis perire, si modò nobis caverimus. Hoc idem agit apud Matthæum verbis istis: *Vœ mundo à scandalis;* cap. 18, v. 6, 7.

Vers. 3. — Si; Græcè, *si autem*, quanquàm nec Syriacè sit *autem*. Alia doctrina. Quia noverat eam esse carnis fragilitatem, ut fieri non posset, quin et Christiani scandalo nonnunquàm essent alii aliis; monet eum cui scandalum fit, quo modo se gerere debeat erga eum qui dederit, nolens fratrum scandala negligi, quemadmodùm extraneorum.

Peccaverit, te conscio. Additur Græcè *in te;* quod sic intelligendum est, ut Matth. 18, v. 15. Cæteroqui rectiùs omittunt Latina pleraque et Syra, ita ut disertè generalis doctrina sit, de quibusvis etiam in Deum admissis peccatis.

Increpa, objurga, *corripe,* ait secundùm Matthæum, id est, mone duce charitate, et doce quàm malè egerit, quàm longè à Dei aut proximi charitate recesserit: ita enim peccat qui peccantem videns tacet, sicut qui pœnitenti non indulget. Modus increpandi præscribitur secundùm Matthæum. Non continuò aliis manifestes peccatum illius, aut accuses eum apud judicem, multò minùs te ipse ulciscere, sed cura ut corripias, ut arguas eum, ut admissi peccati gravitatem, absurditatem, fœditatem, injustitiam, nocendi vim, ipsi ob oculos ponas, et ad pœnitentiam provoces atque emendationem. Ut pœniteat eum, correptione aptandus est: sic enim mandat Christus ut alii aliis ignoscamus, ut etiam vitia corrigere studeamus. Peccantem fratrem jubet corripi, *quod qui non fecerit*, ait ex veteribus quidam, *utique delinquit*, aut ex odio volens fratrem perseverare in delicto, aut ex acceptione personæ parcens ei. *Obliviscere,* inquit Augustinus, *injuriam tuam, non vulnus fratris tui, nec sinas eum tuo silentio perire,* sermone de Verbis Domini 16. Est porrò correptionis genus, quod bonum publicum offensum reparare conatur, estque actus virtutis justitiæ, nec requirit eam progrediendi rationem quæ hìc præscribitur. Hoc autem loco præcipit correptionem fraternam, actum virtutis charitatis, eò præstantiorem eleemosynâ, quò præstantius fratris bonum nititur reparare læsum; præcipit, inquam, præcepto affirmativo, quod semper quidem obligat, sed pro personarum, loci, temporis, finis, cæterarumque circumstantiarum opportunitate; in quo etiam Salvatoris mens magis spectanda est quàm verba. In Matthæo additur: *Inter te et ipsum solum*, nullis arbitris. *Nam si solus nôsti*, ait Augustinus, *quia peccavit in te, et eum vis coram pluribus arguere, non es corrector, sed proditor.* Vult Salvator temperare, non tantùm vindictam, sed et asperitatem, quâ quidam zeli prætextu fratrum delicta nimis cupidè in publicum traducunt; ubi enim de fratrum salute agitur, sic nos movere debet zelus, ut illius norma sit charitas. In alterutram ferè partem omnes inclinant, ut vel mutuò se fallant mortiferis blanditiis, vel nimis acriter insectentur, quibus mederi oportebat. Christus autem mutuum amorem commendat discipulis suis, qui procul sit ab adulatione: tantùm admonitiones moderatione condire jubet, ne, si nimis rigidæ sint ac duræ, infirmos exaniment.

Pœnitentiam egerit, resipuerit, pœnitentiâ motus fuerit. Hoc est quod in Matth. ait: *Si te audierit,* si correptionem tuam admiserit et pœnitentiâ motus peccati se condemnaverit promissâ emendatione; q. d.: Spes optima est (nec enim oportet ut omninò certus sis) si quidem hâc ratione correptionem instituas, ut tibi benè monenti acquiescat. Nam si primo mox insultu peccatum ipsius coram pluribus aliis traducas, inimicum te suum, qui te ipsum ulcisci tuoque honori studere velis, quem dedecus et infamia sua oblectet, arbitratus, verecundiâ amissâ, non tantùm non resipiscet, verùm etiam obstinationis callum sibi obducet; si verò mansuetè et secretò cum eo agas, minimè famam ipsius lædens aut apud alios ipsum pudefaciens; si servato nominis ipsius honore, secretò atque amicè cum eo agens, negotium tentes, spes est ut ille maniadvertens prudentiam hanc tuam et sinceram

suî dilectionem, ad cordis compunctionem adducatur, et agnitum peccatum emendet.

Dimitte illi, condona illi peccatum quatenùs te læsit, aut offendit; recipe illum in gratiam, nullâ expetitâ vindictâ, aut irâ reservatâ : animi erga eum suavitatem, quam servâsse te oportuit, declares verbis et factis. Sermo hìc est, non de sacramentali remissione, sed de fraternâ; sacerdos enim, dùm sacramento operante peccata remittit, non remittit ut fratri, sed ut subdito, vice Dei; nec tanquàm in se admissa, sed tanquàm in Deum. Est autem fraterna remissio, quâ frater fratri remittit peccatum quodcumque, quatenùs ipse eo læsus offensusve fuerit; et hæc duplex est : una interior solius animi, altera exterior oris simul et animi. Interior necessaria est affecto injuriâ, exterior ei qui affecit, interior semper nobis præstò sit oportet, etiam erga eos qui nos hostiliter persequuntur : exterior non nisi rogantibus debetur, et de hâc quidem Salvator hoc loco agit. *Cautè intuendum*, ait V. Beda, *quòd non passim peccanti dimittere, sed pœnitentiam agenti jubemur, et primò quidem peccantem misericorditer increpare, ut sit cui postmodùm possimus justè dimittere, ne vel difficilis venia, vel remissa sit indulgentia*. Hæc ille. Spontè enim verbis condonare peccatum, ei qui peccatum non agnoscit, fortè etiam amat pergitque perpetrare, quanquàm nonnunquàm eximiæ sit perfectionis, non tamen est necessarium, et plerùmque non expedit : non enim ille remissionis est capax, neque suâ opinione, ut qui se peccare neget, aut certè sciens volensque peccare gaudeat, neque rei veritate. Atqui peccatum agnitum sibi postulat ignosci, ut ille capacem se reddit dimissionis peccati, cujus ipsum pœnitet; ita præcipit Salvator, ipsi, ut animo, ita et benevolo ore gestuque, dimitti.

Vers. 4. — Septies in die, sæpiùs uno die, numerus finitus pro infinito, quotiescumque tandem, absque numero. Septenarius numerus, pro infinito, ob perfectionem; loco congruit, ob familiarem remissionis significationem. Secundùm Matthæum ait, non, *septies*, sed, *septuagies septies;* atqui ad frequentiæ emphasin notandam, eamdem ferè vim habent *septuagies septies* et *die septies;* imò verò septenarius numerus, ad summam rei notandam per se sufficere fortassè potuisset, nisi Petrus illum propriè acceptum ursisset, tanquàm terminum quem veniæ facilitas attingere, aut certè superare, non debeat, Matth. 18, v. 21. Sensus igitur est, toties quoties in te peccârit, imò quod Hieronymus ait, *quoties in te peccare non possit*, ut intelligas, animo paratum te esse debere etiam sæpiùs dimittere quàm te frater offendat, quantùmcumque sæpè offendat. Injuriarum oblivio et clementia major esse debet tua, quàm fratris iniquitas. Intelligendum porrò est, quoties peccaverit in nos frater, toties esse extrinsecùs dimittendum, *si convertatur,* si peccati ducatur pœnitentiâ. Igitur quoties certa pœnitentiæ signa dederit, toties recipiendus est in gratiam; sed non sequitur, pœnam mox dimittendam, aut absque promeritâ punitione recipi debere, si sæpiùs delictum iterârit : imò verò ut occurratur pronitati peccandi, et contagio scandali, ne disciplinæ aut justitiæ ordo periclitetur, adhibenda correctio est, sive verborum, sive verberum, pro frequentiæ et gravitatis ratione; nec sine magnâ etiam id fit charitate. Unde Augustinus, sermone 15, de Verbis Domini : *Peccat semel, ignovi,* inquit; *peccat secundò et tertiò, ignovi; quartò vapulet. Corripiamus verbis, et, si opus est, et verberibus, sed delictum dimittamus, culpam de corde abjiciamus, ut si per charitatem imponatur disciplina, de corde lenitas non recedat*. Hæc Augustinus. Magnam hoc Christi præceptum peccatoribus pœnitentibus consolationem præstat : nam si tantam Christus exigit ab hominibus clementiam, quantam existimandum est esse ipsius Christi et Dei !

In te, etiam directò in te.

Conversus fuerit ad te, pœnitudine ductus veniam te rogârit. A quibusdam Græcis libris omittitur, *ad te.* Hinc intelligitur eadem esse, *pœnitentiam agere,* cujus superiori versu est usus, et *converti*, cujus hoc loco. Nam et Syrus, quanquàm duabus hìc vocibus, utrâque tamen conversionem significante, utitur.

Pœnitet me. Non temerè adhibenda est mox fides verbis, quibus testatur quis pœnitentiam, præsertim jam frequenter iteratâ offensâ, idque in gravioribus rebus; nam quotidiana delicta, quorum, in tantâ carnis infirmitate, frequens est occasio, faciliores nos requirunt : meritò namque utendum est judicio, meritò oportet uti maturo examine, seque præbere difficilem, ne stultè ad unum verbum creduli habeamur. Sed vult Salvator æquos nos esse et humanos, ut pœnitentibus porrigamus manum, si modò appareat, ipsis ex animo displicere peccatum in nos admissum; vult promptos nos agilesque esse ad dandam veniam peccati cujuscumque quo offensi fuerimus, quoties probabile conversionis signum dederit peccator : quanquàm ubi levitate et inconstantiâ suspectum se reddidit, possimus veniam petenti ita ignoscere, ut pœnas nobis det, ne tolerantiam mansuetudinemque nostram, quæ ex Spiritu Christi est, ludibrio habeat suo malo. Jam cùm longè major sit Dei clementia, omni eâ quæ ab homine exigi possit; hinc sequitur, argumento à minori ducto, nec sacerdotem Dei nomine peccata remittentem, pœnitenti veniam negare unquàm posse, quantùmcumque frequens relabatur, licet asperioris satisfactionis cautelam adhibere possit.

Vers. 5. — Et dixerunt, eo tempore quo declaraverat ipsis Dominus, causam non ejecti dæmonii, de quo supra 9, v. 40, esse incredulitatem ipsorum; referente Matthæo, cap. 17, v. 20.

Apostoli, imitati patrem dæmoniaci illius, qui cùm audîsset : *Omnia possibilia credenti;* exclamaverat : *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam,* Marci 2, v. 23 : longè tamen illo superiores.

Domino, Jesu tanquàm Domino, tanquàm largitori bonorum omnium etiam animi. Hujusmodi emphasis est hujus nominis, declarans quàm insigni cum fide apostoli petierint à Jesu augmentum fidei.

Adauge, appone, adjice, comple, perfice. Fatemur,

aiunt, fidem nobis esse exiguam admodùmque imperfectam, id quod in nobis sæpiùs culpâsti, nec mirum esse quòd non aspirâris, non faveris conatibus nostris, ad ejiciendum dæmonium hoc : sed qui sanare atque ornare potes animos non minùs quàm corpora, perfice, obsecro, fidem nostram.

Fidem, quâ et gratiores simus Patri ac tibi, et nihil frustra tentemus quod fieri expediat ad gloriam Dei hominumque salutem. Necessaria admodùm etiam nobis est ista precatio, frequenter iteranda ; ut enim initium fidei in nobis, ita et incrementum, Dei ac Christi donum est.

Vers. 6. — Si habueritis (vel, ut est in aliis libris, *haberetis*) fidem. Non dixit : Ego vobis adaugeo fidem, sed commendans fidei efficacitatem, accendit ampliùs in eis desiderium perfectionis fidei, quò magis idonei fierent, ut illam suo tempore copiosè obtinerent, quod certè factum est die Pentecostes proximâ, quando accepto Spiritu sancto, tali fide præditi fuère, quali possent quidvis ad gloriam Jesu, solo jussu oris, imò solâ corporis umbrâ, morbos incurabiles sanare, etc.

Sicut granum sinapis, id est, humilem quidem minimèque se ostentantem, ac proinde parvam, hominum præsertim judicio, sed vivam, acrem, vehementem, fervidam, instar grani sinapi, quod exiguum quidem et vile oculis est, attritum autem et commansum, monstrat quantæ sit acrimoniæ quantique fervoris. Non enim à solâ quantitate grani sinapi, similitudo ista ducitur, sed à quantitate simul et ab interiori virtute, ita ut significetur fides minima specie, fervore maxima.

Dicetis, vel potiùs, ut in aliis est libris, *diceretis*, dicere seu jubere possetis.

Huic prægrandi arbori moro, radicibus longè latèque jactis firmissimæ. Græcè est, *huic sycamino* quam Syrus *touto* vocat. Morus est Latinis, quemadmodùm interpres vertit. Matthæus habet, *huic monti*, sed nihil repugnat, quin duobus exemplis usus sit Jesus, semel vicinam morum, semel montem monstrans.

Transplantare in mare, Græcè *plantator in mari*, transferto te in mare, illìcque erigitor non secùs ac si plantata illic fores.

Et obediet vel *obediret*. Res est à naturæ ratione alienissima, arborem insigniter radicatam, ad hominis jussum spontè exilire humo; longè autem alienior etiam, in fluido profundoque mari erectam consistere tam firmiter, quàm si illic plantata foret; et tamen hæc fides viva fervidaque possit, quando Dei honor requirat.

Vers. 7. — Quis vestrum, quis hominum, scilicet est. Hactenùs Jesus discipulos ad varia bonorum operum genera adhortatus, *hoc nunc exemplo*, inquit Euthymius, *jactationis affectum avellit qui boni operationem consequitur*, ut nequaquàm in superbiam efferantur, si excelsâ fide præditi, si erga peccatores benigni, si à scandalis alieni, si eleemosynæ aliarumve virtutum fuerint studiosi. *Monstratur*, ait Theophylactus, *per hanc parabolam quòd non oportet extolli in bono quopiam opere, imò neque in omnium mandatorum impletione.* Id autem agit Christus, exemplo è rebus humanis accepto, propositâ discipulis ob oculos suî ipsorum cognitione.

Servum, conditione præsertim, arantem, colentem agros suos, aut pascentem greges. In quibusdam vetustis libris additur, *boves*.

Qui, superfluit Latinæ phrasi.

Regresso, ingresso, scilicet domum. Interpres fortè legit, ut quidam Græci libri ἐλθόντι, *venienti*, quo modo et Syrus habet; certè juxta sensum vertit.

De, ab agro, reverso vesperi domum à labore diurno.

Dicat, dicet.

Illi, redundat quod ad sensum.

Statim, potest referri ad sequentia, sed rectiùs præcedentibus jungitur.

Transi, perge intrò in domum.

Recumbe, accumbe, scilicet mensæ, refice te cibo, potu, quiete.

Vers. 8. Et non dicat, sed nonne dicet, et non potiùs dicet?

Para quod cœnem, para mihi cœnam.

Et præcinge te et ministra mihi, cœnanti. Solent qui ministrant, extrema vestium in cingulum adducere, quo sint expeditiores. Vide sup. 12, v. 35.

Manducem et bibam, manducavero et bibero, donec cœnavero.

Post hæc, postea. Quis hominum adeò indulgens est erga servum suum, ut contentus labore quem ille interdiù subierit in colendo agro, mox ut vesperi redierit domum, jubeat eum quiescere, et non potiùs laborem labori, opus operi præcipiat jungere, donec ipse dominus cœnâ sumptâ, nihil habeat amplius quod eo die à servo requirat? Ad eum modum non sufficit ut unum aut alterum opus bonum faciamus, sed omnia faciamus oportet quæ nobis præcepit Deus, et tamdiù ei serviamus, quamdiù vita ista mortalis durat. Tota hæc vita nostra, ad finem usque curriculi sui, addicta esse debet Deo : illâ demùm finitâ, quietem accepturi sumus. *Ita nec in te patitur Deus*, inquit Ambrosius, *unius usum esse operis aut laboris : quia dùm vivimus, debemus semper operari, et* (quod ex Bedâ addo) *novis semper studiis augere priora.*

Vers. 9. — Numquid, etc. Quæ omnia postquàm servus obediens præstitit, num herus *gratiam habet*,

Vers. 7. — Quis autem vestrum habens servum, præsertim conditione, qui mancipium vocatur, arantem aut pascentem, id est, qui colendis agris, aut pascendis gregibus, toto die occupatus fuerit. Qui regresso de agro, vesperi scilicet, dicat ei : Statim transi, id est, perge in domum, *et recumbe*, id est, accumbe mensæ.

Vers. 8. — Et non dicat ei : Para quod cœnem, præcinge te, et ministra, Græcè, *præcinctus ministra mihi* : nam cùm apud Orientales longis uterentur et adhuc utantur vestibus, extremas lascinias in cingulum retrahebant, ut essent expeditiores.

Vers. 9. — Numquid gratiam habet servo illi? id est, numquid ei aget gratias, rebus aut verbis, quasi

gratias agit verbis, aut refert rebus, credit se *illi* obligatum aut obstrictum, tanquàm ob beneficium ab ipso acceptum.

QUÆ EI IMPERAVERAT? Græcè, *ordinata* seu *injuncta ipsi*, omnia scilicet.

NON PUTO, puto seu credo quòd non, quia non est hoc heris in more positum, qui cùm persuasi sint, servos quanti quanti sunt totos suos esse quidquid ministerii ab ipsis accipiunt, credunt sibi debitum esse ex conditione servitutis, quia servi sunt, et omnem operam suam dominis suis debent. *Servo necessitas incumbit, ut faciat domini mandata*, inquit Theophylactus; quippe si id quod officii ratione explere tenebatur, non impleverit, vapulabit; attamen ob injuncti operis expletionem, nulla illi debetur merces aut gratia; contentus sit quòd plagas effugerit. Sic Titus cum Theophylacto.

VERS. 10. — SIC ET VOS, discipuli mei. Aperit quo fine attulerit similitudinem præcedentem, nempe ut doceret discipulos suos, humiliter de seipsis sentire.

CUM FECERITIS OMNIA, etiam cùm feceritis omnia, vel omnia fecisse videmini vobis. Quòd si non omnia fecerimus, quippe conscii nobis transgressionis multorum, vult multò magis nos ipsos deprimamus, et servos inutiles agnoscamus, imò inutilibus pejores, quippe reos plagarum. *Si autem et cùm omnia mandata fecerimus*, inquit Theophylactus, *neque tunc debemus magnum quiddam sentire; quantum peccamus, cùm maximam partem mandatorum Dei non perficimus et nihilominùs extollimur!* Pauci sunt qui omnia observârint, iique ferè non nisi admodùm imperfectè. Sed etsi quàm perfectissimè omnia adimpleveritis,

QUÆ PRÆCEPTA SUNT, ordinata, injuncta. Quæritur an præcepta hìc opponantur consultis seu consiliis? opinor quòd non. Nam quanquàm non offendamus Deum, si omittamus ea quæ nobis ita consuluit, ut non præceperit; tamen etiam cùm fecerimus ea, debemus fateri nos servos inutiles, etc.

DICITE, non ideò quid sublime de vobis ipsis sapere, non ideò vos tanquàm servos bonos et fideles jactare debetis, sed *dicite*, id est, ita apud vos cogitate, ita sentite de vobis ipsis. Non jubet voce dicere id quod simulatè fieri potest, sed in corde et coram Deo, id apud animum constituere tanquàm rem certam.

SERVI Dei, et filii ancillarum ejus, id est, servi nati seu vernæ; non conditione tantùm, sed et naturâ servi Dei.

INUTILES, qui nobis ipsis nihil à Deo meriti sumus, quibus Deus nullam gratiam, nullam mercedem debet, scilicet si jure nobiscum agat, juxta conditionem servorum. Respicit ad vetera mancipia, quorum ea conditio erat, ut nihil sibi acquirerent, sed ipsa, cum toto suo labore, studio, industriâ, et vitâ, ad heros pertinerent. Docet igitur, non minùs arcto servitutis vinculo nos Deo esse obstrictos, à quo totum hoc accepimus quod habemus et sumus et possumus, ac proinde nullam ejus obligandi ac subjectum reddendi nobis esse rationem, ita ut mutuam ab eo vicem jure postulare possimus, nullam denique nobis suppetere superbiendi aut gloriandi materiam. Hæc est ergo naturalis servorum proprietas, ut sibi inutiles sint, quæ tamen clariùs explicatur subsequentibus verbis.

QUOD DEBUIMUS FACERE, FECIMUS. Græcè et Syriacè præponitur *quia*. Explicatur enim ratio, quod diximus, cur inutiles nos agnoscere debeamus, quia *quod debuimus*, quia nihil aliud quàm quod debuimus *facere*, exigente servili conditione, *fecimus; quia jure domino debemus obsequium*, ait Ambrosius. Servi cùm simus Dei, debemus obsequium omne Deo, et quidquid ille nobis injungit, quidquid cognoscimus ipsi placere aut gratum esse, natura ipsa dictat ut faciamus, nullâ exspectatâ retributione, cujus toti, quanti sumus, sumus, cujus proinde totos nos obsequio oportet mancipare, cui debemus omne quod possumus, nec unquàm satis facere possumus, etiamsi ea fecerimus, quæ, pro suâ clementiâ, noluerit nobis sub pœnâ præcipere. Jam si servos inutiles se agnoscere debent, qui fecerunt id omne quod debuerunt, quales dicendi sunt servi, qui pleraque eorum quæ debuerunt non fecerunt? procul dubio plus quàm inutiles, qui non solùm nullum præmium, sed plagas et supplicia sint meriti. Animadvertendum autem hìc est, quod Salvator posterius hoc similitudinis membrum efferat non omninò consentaneè priori. Non enim dicit, quod verborum consequentia exigere videbatur: Sic et vos cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, nullam puto vobis gratiam habebit Deus: nec enim docere vult, quales nos Deus reputet, aut quomodò nobiscum acturus sit, postquàm fecerimus quæ præcipit nobis, sed quid de nobis ipsi sentire debeamus. Dixerat priori membro quòd homines nullam gratiam habeant servis suis, etiam postquàm omnia injuncta fecerint; non quòd vellet dicere Deum hâc parte hominibus similem esse; sed ut intelligeremus, quomodò Deus nobiscum agere, si vellet, posset, quòd nempe multò majori jure nullam gratiam nobis referre posset,

obligatus servo, propter acceptum ab eo aliquod beneficium?

VERS. 10. — NON PUTO, quia non est hoc heris in more positum, ut qui persuasi sint serviendi necessitatem servis incumbere. SIC. Non infert Christus: *Sic et vobis, cùm omnia feceritis*, etc., *Pater meus cœlestis faciet*, quemadmodùm applicatio parabolæ videbatur postulare, sed de industriâ mutat sermonem: *Sic et vos dicite: Inutiles sumus*, ut videlicet magis intelligeremus quàm humiliter de nobis sentire debeamus, quales nos reputet Deus, aut quomodò nobiscum acturus sit. Non enim *servos inutiles* vocaturus est, sed, ut in aliâ dicit parabolâ: *Euge, serve bone et fidelis*, et alibi: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*. Nam bonitas ejus eos qui naturâ sunt servi et ita istâ consideratione nihil mereri possent, dato spiritu adoptionis, elevavit ad dignitatem amicorum, imò filiorum Dei, quâ ratione à Deo mereri possunt. Porrò, vult ut servos inutiles nos dicamus; primò, quia spectatâ conditione naturæ nostræ servilis, omnia debemus Deo, et nihil commodi ei afferimus; secundò et maximè, quia nihil ultra quàm debuimus facere, fecimus, ejus præcepta sola adimplendo. Sic enim et in rebus humanis servum inutilem vocamus, qui nihil ex se facit, sed ea tantùm quæ imperantur; nam hanc rationem explicat ipse Dominus, cùm sub-

etiamsi in omnibus ipsi essemus obsecuti. Hoc voluit nos intelligere, non autem quòd Deus nullam gratiam nobis referet; idcircò concludens dixit: *Dicite: Servi inutiles sumus;* non autem: *Deus nullam, puto, vobis habebit gratiam.* Nam qualem quantamque gratiam habeat Deus hujusmodi servis suis, vel illo loco Salvator docet, ubi ait: *Euge, serve bone et fidelis, quia,* etc., *intra in gaudium Domini tui,* Matth. 25, v. 21, 23, ubi observandum quòd non solùm gratiam referat, sed et servum bonum ac fidelem appellet. Nostrum est ergo ita sentire de nobis nos servos inutiles esse: Dei autem erit dicere: Euge, serve bone, etc. «Cùm bonus sit Deus, inquit Euthymius, servis tanquàm mercenariis utitur, et servitutem eorum mercede rependit, ac debitum obsequium tanquàm facinus egregium suscipit, et præmium tribuit quod labores etiam excedat.» Similiter Cyrillus in Catenâ: «Sic et Deus, petit quidem à nobis famulatum jure servitii; verùm quia clemens et bonus est, honores laborantibus pollicetur, et supereminet sudoribus subjectorum benevolentiæ magnitudo. Vincit namque bonitas ejus, quod addit Euthymius, id quod justum et æquum est.» Bonitas ejus eos qui naturâ sunt servi sustollit in dignitatem filiorum; unde fit, ut qui tanquàm servi nihil propriè meremur, tanquàm filii Dei et spiritûs divini participes mereamur mercedem vitam æternam, quatenùs scilicet opera nostra, non tam nostra sunt quàm Christi capitis nostri; cujus gratiâ, ex servis nos fecit filios, naturâ servos donavit spiritu adoptionis filiorum, quo faciente, eam dignitatem consequantur opera nostra, ut mereri possint cœlestia præmia, quæ antea Deus spontè liberalitateque suâ promiserat. Nihil ergo hic locus hæreticos juvat, negantes bonorum operum meritum ac mercedem, qui de servis loquitur, non de filiis, et de naturali obligatione, non de supernaturali dignitate. Hoc enim solùm vult Christus, ut non efferamur in superbiam, non gloriemur in nobis, non habeamus de nobis ipsis opinionem æquo majorem, si videamur nobis præclara multa fecisse, et fide quæ etiam montes transferat aliisve virtutibus excellere, putantes Deum miris modis nobis obligatum, sed submissè humiliterque sentiamus ipsi de nobis, considerantes quid ex naturæ conditione simus, servi, inquam, qui etiam omni obsequio functi, nihil sibi mereantur. «Agnosce te esse servum, multis obsequiis defœneratum, inquit Ambrosius. Non te præferas quia filius Dei diceris; agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura. Neque te jactes, si benè servîsti, quod facere debuisti.» Hujusmodi modestia, ut conservat in nobis virtutum thesaurum illibatum, ita Deo relinquit qui ipsi debetur honorem. Aliàs verò, non vetamur considerare, quid ex Dei gratiâ simus, ad hoc ut nos ipsos ad fiduciam concipiendam aut gratiarum actionem reddendam excitemus; quemadmodùm fecit Apostolus cùm diceret: «Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die, justus judex, non solùm autem mihi,» etc., 2 Tim. 4, v. 7, 8.

VERS. 11. — FACTUM EST, accidit quodam tempore.

TRANSIBAT, egressus è partibus Cæsareæ Philippi, Matth. 17, v. 21.

PER MEDIAM SAMARIAM ET GALILÆAM. Quanquàm Samaria præponatur, Galilæa tamen prior erat transeunda quàm Samaria, proficiscenti rectà è Paneade Jerosolymam. Meminit Samariæ et Galilææ evangelista, ut ostendat quâ occasione contigerit, Samaritanum admixtum fuisse Judæis, in eâ quæ sequitur historiâ: quia nimirùm illa accidit in finibus utriusque regionis; idque, quod multi volunt, postquàm negatum Jesu fuisset hospitium in uno Samaritanorum vico, sup. cap. 9, v. 53.

VERS. 12. — CUM INGREDERETUR, cùm jam proximè *ingressurus esset. Syrus,* cùm appropinquaret ut ingrederetur. «In civitatem quamdam ingressuro, occurrerunt extra civitatem, inquit Theophylactus; non enim licebat eis in civitatibus versari: civitatibus et castellis, secundùm Mosaicæ legis præscriptum, tanquàm immundi exclusi,» quod addit Titus.

CASTELLUM, vicum, oppidum, sive Galilææ sive Samariæ.

OCCURRERUNT EI, ex agris; non casu, sed studio postquàm audîssent quòd Jesus illàc esset transiturus, cujus potentiam, cum benefaciendi promptitudine conjunctam, famâ noverant.

DECEM VIRI LEPROSI, *quos morbi communicatio adunaverat,* inquit Euthymius. Cæteroqui enim, quod Joannes ait cap. 4, v. 9, *non coutuntur Judæi Samaritanis,* quanquàm non solùm morbi communio eos inter se conciliaverat, sed et commune studium sanitatis, ut simul omnes, quasi factâ manu, Christi benevolentiam expugnarent.

STETERUNT A LONGÈ, agnoscentes morbum et immunditiam suam.

VERS. 13. — LEVAVERUNT, intenderunt. Altâ voce

jungit: *Quod debuimus facere, fecimus.* Græcè expressè ponitur particula causalis, *quia quod, etc.,* id est, quia nihil aliud fecimus, quàm quod facere debebamus. Ex quibus patet nihil hunc locum facere contra meritum bonorum operum, ut Calvinistæ volunt; tantùm enim præscribit quàm humiliter de nobis sentire debeamus, si summo jure Deus nobiscum, spectatâ nostrâ conditione, agere voluisset, non quid ipse servis in filios adoptatis promiserit, aut repensurus sit.

VERS. 11. — DUM IRET IN JERUSALEM, TRANSIBAT PER MEDIAM SAMARIAM ET GALILÆAM, quia rectum iter in Jerusalem ex Paneade seu Cæsareâ Philippi, unde veniebat, est per Galilæam, ac deinde per Samariam. CUM ergo INGREDERETUR QUODDAM CASTELLUM, id est, jam proximè ingressurus esset vicum quemdam seu pagum; nam intra ipsum castellum seu pagum leprosi cum hominibus conversari non poterant, vetante lege, Num. 5, v. 2. OCCURRERUNT EI DECEM LEPROSI, quos partim morbi communicatio, partim studium impetrandæ sanitatis conjunxerat. Nam aliòqui Judæi non coutebantur Samaritanis, qualis unus eorum erat. QUI STETERUNT A LONGE propter immunditiam suam, quia vetabantur versari cum sanis.

VERS. 13. — ET LEVAVERUNT VOCEM, propter distantiam scilicet, altâ voce clamaverunt, DICENTES, una-

seu clamore sunt usi, tum quia procul aberant, tum quia magno sanitatis desiderio incitabantur. *Loco quidem procul stant*, inquit Theophylactus, *oratione autem appropinquant : propè est enim Dominus omnibus invocantibus se in veritate,* Psal. 144, v. 18.

Vocem. Unâ voce unam omnium causam esse declarant, non pro se quisque, sed omnes pro omnibus orantes. Quod est verisimile eos ex industriâ fecisse, quo magis et numero et communi causâ, quasi conjunctis viribus, factâque velut conspiratione quâdam, Christum ad misericordiam commoverent.

Præceptor, à Deo nobis date. Amplius aliquid voce Græcâ significari existimat Theophylactus, quàm doctorem, nempe *dominum, curatorem : id quod est, putare illum propè Deum*, inquit. Id præ se fert et vox Latina præceptoris : propriè enim domini est præcipere. Vide supra 5, v. 5.

Miserere nostri, concessâ sanitate. Brevis, sed ardens oratio. Non dicunt quâ in re cupiant Jesum suî misereri, quia manifesta miseria ipsorum erat : à quâ non dubitant quin possit eos liberare, quamvis multos et incurabili morbo affectos.

Vers. 14. — Dixit, misertus.

Ite, profecti, Jerosolymam, scilicet ad templum.

Ostendite vos sacerdotibus. Ad sacerdotes spectabat lepræ judicium : *habebant enim signa per quæ lepram investigabant*, ait Theophylactus, descripta Levit. 13, v. 2 et seqq.; nec poterant, qui semel leprosi judicati fuerant, hominum societati restitui, nisi judicati à sacerdotibus liberi, et oblato sacrificio expiati. Quare Christus, *ostendite*, inquit, *vos sacerdotibus*, ut nempe judicent illi, an à leprâ immunes sitis necne, et si immunes judicaverint, præscriptis à lege ritibus purificent. Ita Christus, et jus suum sacerdotibus salvum relinquebat, et testes atque approbatores eos faciebat sui miraculi. Atqui, an non ridiculum videri potuit præceptum Jesu, mittentis hos ad sacerdotes priusquàm sanàsset, jubentis ut lepræ judicibus se offerrent ad testandam munditiem suam, quos evidens erat leprâ adhuc plenos et circumfusos esse? Dicendum est, Jesu verba tacitam continere promissionem, si id facerent, si obedirent irentque ad sacerdotes, sanandos ac mundandos esse. Itaque voluit hàc ratione Jesus fidem obedientiamque eorum probare, quod notat Euthymius.

Et factum est, non casu, quanquàm præter exspectationem eorum, sed Christi providentiâ et virtute.

Dum irent. Quamvis fœtidam adhuc scabiem in carne suâ conspicerent, simul tamen ac jussi sunt se ostendere sacerdotibus, parere non detrectabant, ibant ad sacerdotes, ita intelligentes præceptum Jesu, ut dictum est, ut significantis eos mundandos, quandòcumque tandem id foret; ut minimùm, dùm à sacerdotibus essent explorandi, inveniendos mundos et à leprâ immunes : eò quòd lusorium aut frustraneum esse non posset Jesu verbum. Quare non urserunt, ut priusquàm ab ipso discederent, mundarentur; sed certò persuasi se Jesu virtute mundandos vel tandem, simpliciter obedierunt, *non dijudicantes de ejus præcepto*, quod ait Euthymius; et fide duce iter arripuerunt templum versùs, dùm pluris ipsis esset tacita Christi promissio, quàm præsens morbi sui intuitus. Cæterùm an Samaritanus, qui inter hos erat infra, v. 16, et ipse profectus fuerit Jerosolymam versùs, ad sacerdotes templi Jerosolymitani, an verò contenderit Samariam, ad sacerdotes schismatici illius templi, fit incertum, aliis opinantibus ipsum proselytum fuisse, aliis non. Ibant ergo simul omnes, fide acti, fiduciâ pleni, et *dùm irent*, ad verbum, *inter eundum,* interim dùm irent, in itinere antequàm pervenissent ad sacerdotes, imò dùm non perinde adhuc longè ab Jesu recessissent,

Mundati sunt, scilicet à leprâ. Sed quare mundati semper dicuntur, potiùs quàm sanati, qui à leprâ curati sunt? est enim lepra genus morbi gravissimum simul et deploratissimum, quod non solùm cutem infestet et colorem vitiet, sed etiam carnem ipsam paulatim usque ad ossa depascatur. Ratio esse videtur, quòd lepra, singularis præ cæteris immunditia à Judæis haberetur; quæ non solùm statuto

nimi scilicet clamore, omnes pro singulis, et singuli pro omnibus, ut hujusmodi concordiæ, mutuæque dilectionis significatione quasi factâ conspiratione Christi misericordiam expugnarent : *Jesu præceptor,* Græcè, ἐπιστάτα, quod propriè significat præfectum seu præsidem, qui suo imperio res moderatur : unde et Latinum *præceptor* à præcipiendo, id est, imperando dictum est. Plus itaque hìc significat quàm doctorem, ut etiam Theophyl. observavit, *miserere nostri,* impertitâ sanitate.

Vers. 14. — Quos ut vidit; nam clamor eorum videtur Christi oculos ad se convertisse, Dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus, utpote quorum est lepram dubiam explorare, vel eâ curatâ immunes declarare, denique præscriptis legis ritibus purificare.

Cur ergo, inquies, mittuntur ad sacerdotes isti, quorum notoria erat lepra; idque antequàm ab eâ sanati essent? Respondetur, quia sufficiebat eos mundatos esse, non antequàm pergerent, sed antequàm pervenirent ad sacerdotes. Ac proinde Christi verba tacitam continent promissionem, eos mundos fore, si præcepto suo obedirent, quia eos in itinere mundare decreverat. Fecit hoc ad probandam et exercendam eorum fidem, dùm immundi mittuntur ad sacerdotes, quos jam mundi accedere debebant, ut sic colligerent interea se mundandos, sicut etiam factum est. Nam dum irent, seu *inter eundum,* mundati sunt, potiùs quàm sanati. Nam quamvis lepra his temporibus nota sit gravis, ac deploratus morbus, multòque gravior olim post reditum ex terrâ sanctâ fuit, Judaica tamen coloris potiùs vitium erat, quàm valetudinis aut integritatis sensuum et membrorum, ut August., l. 2 Quæst. evang., q. 40, et leprosorum consortium magis vetitum erat propter significationem aliquam, quàm propter periculum. Porrò lepra de quâ hìc, multùm differt à leprâ hujus temporis : nam illa Judaica magnâ ex parte potiùs erat vitium cutis quàm carnis; nostra potiùs carnis quàm cutis; unde illa sæpè sanabatur, hæc insanabilis esse dicitur. Illa in plerisque non multùm à scabie differebat, hæc longissimè. Unde quamvis ab humorum quâdam corruptione oriretur, quæ et afflatu communicari posset, plus tamen de turpitudine quàm de morbo habuisse videtur, nec multùm diversa fuisse à leprâ Græcorum

legis Mosaicæ vitanda esset, et contaminaret possessorem suum, eosque qui rem cum eo haberent, quemadmodùm profluvium sanguinis et seminis, verùm etiam naturâ reque ipsâ inficeret eos, quippe summè contagiosa, ac proinde ipsa quoque naturæ lege vitanda. Quam ob causam fiebat ut præ cæteris omnibus immundis, leprosi, et oppidis, et omni hominum consortio excluderentur, juberenturque seorsùm in agris procul ab hominibus degere, Levit. 13, v. 46; sicut etiam apud exteras gentes obtinuit. Hi ergo leprosi, interim dùm irent ad sacerdotes, juxta præscriptum Jesu, mundati sunt in itinere, et mundatos sanatosque se esse viderunt, atque experti sunt, mutato colore albo ac lurido in nativum ac vividum, et carne, ab omni scabie, prurigine corruptioneque liberatâ. Quâ re editum est documentum, quantoperè Deo placeat obedientia ex fide profecta.

VERS. 15. — UT VIDIT, sensit, et expertus est.

QUIA, quòd MUNDATUS EST, sanatus est.

REGRESSUS EST, ex medio itinere, ad Jesum, eum agnoscens suæ sanitatis auctorem.

CUM MAGNA, altâ et elevatâ, audientibus omnibus, VOCE, teste animi tum læti tum grati.

MAGNIFICANS, glorificans, gloriosè prædicans, et laudans.

DEUM, à quo per Jesum sanitatis à leprâ beneficium acceperat.

VERS. 16. — ET, cùm venisset ad Jesum, eo adhuc loco docendi gratiâ consistentem, quo eum reliquerat, aut certè castellum jam ingressum; CECIDIT IN FACIEM, pronus in terram, summâ cum submissione ac reverentiâ prostravit se in terram.

ANTE, ad, PEDES EJUS, Jesu scilicet, quod Syrus exprimit. *Cùm enim mundatus esset, jam appropinquat*, ait Euthymius, et adorat.

GRATIAS AGENS, *ei* additur Græcè et Syriacè, quòd tantum in ipsum beneficium contulisset, quòd mirificè adeò et clementer ipsum sanâsset.

ET HIC. Hic autem *Samaritanus*. Hoc addit evangelista, ut intelligatur sequens versus 18, ubi Jesus hunc vocat alienigenam.

VERS. 17. — RESPONDENS, subjiciens verbis et factis Samaritani.

DECEM, et non tu solus? q. d.: maximè, omnes decem, qui se mihi obtulerant, mundati sunt. Interrogatio æquipollet affirmationi, quâ significat, se auctore, sciente et volente, quamvis absente, beneficium sanitatis ad omnes decem pervenisse.

ET NOVEM, reliqui ergo novem *ubi sunt?* q. d.: Cur non et ipsi revertuntur, et beneficium similiter agnoscunt?

VERS. 18. — NON EST INVENTUS, etc. Cùm obticeret Samaritanus, non solùm gratus, sed etiam modestus; qui venerat suo functurus officio, non accusaturus alios; Jesus conversus ab illo ad discipulos suos ac turbam, inquit: *Non est inventus qui rediret.* Ad verbum, non sunt inventi reversi. Similiter Syrus pluralia habet. *Non est inventus,* id est, non fuit, non extitit, inter tam multos.

ET DARET, ut darent seu daret GLORIAM DEO, id est, ut veritatem confiteretur et aperiret, quâ Deus per Christum suum glorificandus esset. Sic legimus 1 Reg. 6, v. 5: *Et dabitis Deo Israel gloriam*, id est, confitebimini, agnoscetis, ab ipsius potenti manu inflictas fuisse, quas sustinuistis plagas. Operatus fuerat hoc

de quâ Hippocrates: Lepra, et pruritus, et scabies, et impetigines, et vitiligo, et alopecia, à pituitâ fiunt: sunt autem turpitudo magis quàm morbus. August., 2 Quæstionum evangelicarum, quæst. 40, de leprâ Judæorum loquens: Lepra, inquit, coloris vitium est, non valetudinis aut integritatis sensuum atque membrorum. Cùm igitur Deus manifestos adeòque contagiosos morbos vitari non jusserit; deformitates autem seu turpitudines jusserit, ut lepram, gonorrhæam, profluvium menstruum, satis inde colligitur, consortium istorum magis vetari significationis alicujus causâ quàm ratione suî; quemadmodùm etiam de cibis. Per affectionem ergo illam corporis immundam, immunditia affectuum animæ significatur, seu ut Theodoretus, varia peccatorum genera; ut verò August., lib. 2 Quæst. evangelicarum, hæresis. Solet enim hæresis miscere falsa veris, sicut lepra veris, falsisque colorum fucis humanum corpus maculat. Quid verò singulæ species lepræ sibi velint, vide latè et ex professo disserentem Origenem, Homil. 8 in Levit., et apud S. Isidor. in Levit., cap. 11.

VERS. 15. — UNUS AUTEM UT VIDIT QUIA MUNDATUS EST, mundatione non tantùm reali, sed etiam jam declaratâ per sacerdotem. Credibile est enim eos animadversâ suâ mundatione explevisse præceptum Christi et legis; quod ex eo probabiliter colligitur, quia unus eorum statim familiariter cum Christo conversatur, v. 16. Itaque mundatus et à sacerdote purificatus, et sic hominum societati restitutus, REGRESSUS EST, ad Christum, ubi eum tunc versari contingebat, sive eodem sive alio loco, CUM MAGNA VOCE, magnæ gratitudinis et affectûs teste, MAGNIFICANS DEUM, Græcè, GLORIFICANS, seu gloriosum et magnum prædicans atque laudans Christum tanquàm Deum. Nam ex ipso hoc facto videtur divinam ejus potentiam agnovisse; cujus indicium est, tum profunda illa humilitas et reverentia, quâ

VERS. 16. — CECIDIT IN FACIEM ANTE PEDES EJUS, scilicet pronus in terram; tum ipsum relativum *ejus:* nam cujus, nisi Dei, cujus mentio præcesserat? GRATIAS AGENS; ita ut magnificando exhibuerit Christo, tanquàm Deo, debitam laudem; procidendo majestati ejus venerationem, gratias agendo, beneficentiæ ejus gratitudinem. ET HIC ERAT SAMARITANUS; proinde ex aliâ gente, fortè et religione, quàm Israelitæ. Erant enim Samaritani plerique genere Babylonii, Chutæi, vel ex aliis gentibus oriundi, quas Salmanassar pro Israelitis in Samariâ collocaverat, et ideò mox vocatur *alienigena:* quamvis interim Samaritani etiam de genere Israel gloriarentur, ut patet Joan. 4, versu 12. Jesus itaque dixit:

VERS. 17. — NONNE DECEM MUNDATI SUNT? Q. d., maximè; ET NOVEM UBI SUNT? Ut similiter agnoscant beneficium: verba enim sunt non ignorantis, sed arguentis eorum ingratitudinem. Cùm autem taceret præ modestiâ Samaritanus, ut qui non alios accusaturus, sed pro se gratias acturus venisset, adjicit Christus ad circumstantes:

VERS. 18. — NON EST INVENTUS QUI REDIRET. Quo insinuat, ad gratitudinem Deo debitam non esse satis affectum internum, sed congrua quoque gratitudinis officia esse adjungenda, ET DARET GLORIAM DEO, aperiendo, confitendoque veritatem, quâ Christus tanquàm Deus, vel Deus per Christum glorificandus erat. Quâ phrasi dicitur 1 Reg. 6, versu 5: *Dabitis Deo Israel gloriam,* id est, confitendo agnoscetis pla-

miraculum lepræ profligatæ Deus, ut cætera, non præcipuè ad utilitatem eorum quos sanaverat, sed ad gloriam nominis sui, ut ipse ex eo glorificaretur seu laudaretur, et signanter ut Christus Filius ejus innotesceret. Illi verò, contenti sanitate acceptâ, nec reversi, ut quod in ipsis Deus per Jesum fuerat operatus miraculum aperirent, et prædicarent, coram Jesu et iis quibus audientibus Jesus fecerat eis spem sanitatis, fraudaverunt Deum gloriâ suâ et Christum testimonio Patris. Fecerunt quidem quod jussi fuerant, verisimile est, adiverunt sacerdotes; sed dictabat ratio, ut hoc differrent, tantisper dùm reversi ad Jesum, ut hic Samaritanus, Deo et Christo ejus gratias et gloriam debitas reddidissent. Atqui puduit eos ad Jesum redire, et publicè fateri se leprosos fuisse, cùm id mallent quàm minimè sciri, et morbi memoriam quàm primùm extingui, gloriam Dei suæ verecundiæ posthabentes. Quare taxat ingratitudinem eorum Christus, quòd divinam erga se beneficentiam clàm habere, et tantum Dei beneficium celare, clanculùmque quasi suffurari studuerint.

Nisi hic unus, et his alienigena, alienus à genere Israel; erant enim Samaritani plerique omnes, genere Babylonii, Chutei, aut ex aliis hujusmodi exteris gentibus oriundi, quas Salmanasar rex Assyriorum adduxerat, et collocaverat in civitatibus Samariæ, pro filiis Israel ad Assyrios translatis, 4 Reg. 17, v. 24; quanquàm genere Israel vellent gloriari, Joan. 4, v. 12. Alienigenam autem vocat hunc Jesus, non contemptûs causâ, sed ut reliquorum culpam amplificet, quòd is Deo gloriam dederit, à quo id minùs quàm à cæteris expectandum fuerat. Insinuat enim reliquos novem Judæos fuisse, de genere Israel et Patriarcharum, cultores Dei, à puero instructos divinâ lege, quos potiùs decuisset, Dei et Christi sibi promissi gloriæ studiosos esse. Atqui illorum ne unus quidem officium fecit: solus Samaritanus quod Deo et Christo debebat professus religiosâ gratitudine Judæos vicit; *ut nullus gentilis desperet*, inquit Theophylactus, *et nullus de sanctis parentibus glorietur*. In his igitur Christi verbis expostulatio subest cum toto populo Israel; idcircò enim alienigenam unum cum pluribus Judæis comparat, ut intelligendum det fore ut exteri potiùs gratiam Dei agnoscant ac magnificent, et pietate gratitudineque erga Deum et Christum Judæos superent.

Vers. 19. — Ait illi, Jesus Samaritano.

Surge, prociderat enim in terram coram Jesu, quod dictum est, v. 16.

Vade, abi quò libet, securus de recuperatâ sanitate.

Quia, omittitur Græcè et Syriacè majori cum gratiâ.

Fides tua, quâ credidisti id fieri à me posse, et confisus etiam me velle, obedisti jussui meo. Fidei Samaritani, non sibi, ascribit Jesus miraculum: non quòd ipse non fuerit præcipuus auctor, nam hoc ipsum ferebat Samaritani fides; sed quòd fides fuerit cooperata, præparans Samaritanum et capacem reddens tanti beneficii. Ita verò consuluit Jesus modestiæ, ne vanam gloriam aucupari aut eâ delectari videretur; et Samaritani fidem confirmavit, utque in ea ad finem usque perstaret admonitum, abs se dimisit.

Salvum fecit, salvavit, servavit, liberavit à leprâ. *Atqui etiam illos novem, fides eorum salvos effecerat*, inquit Euthymius; *sed fideles quidem decem fuerunt, solus autem Samaritanus gratus fuit*. Hic fide dignè se gessit, illi quia non se deinde gesserunt consentaneè fidei, nec à fide venerunt laudandi. Quæritur an fides Samaritanum etiam à peccatis, quorum lepra figuram gerit, fecerit salvum? quidam id sentiunt, et fieri potuit: minimum hâc suâ fide, et consecuto miraculo, adaptatus fuit, ut per baptismum fieret discipulus Jesu, et, si antea non fuerit, etiam proselytus; relicto nempe Samaritanorum schismate, adhæserit Israelitis, eorumque religioni Jesu probatæ, nec jam contenderit ad sacerdotes Samaritanos, ut testata fieret ipsius mundities, sed ad Jerosolymitanos, quibus promulgaverit virtutem Jesu, quam cæteri novem Judæi silentio fortassè suppresserant.

Vers. 20. — Interrogatus, quodam tempore.

A Pharisæis, æmulis suis.

Venit, venturum est.

Regnum Dei, quod tu per te tuosque discipulos

gas istas à Deo Israel vobis inflictas esse, et ita eum glorificabitis. Peccaverunt igitur novem leprosi, non, ut aliqui putant, infidelitate et superbiâ, quasi suo merito sanitatem obtinuissent; nam contrarium videtur patere ex versu 13, sed solâ ingratitudine, quæ ex merâ socordiâ et beneficiorum Dei oblivione nascitur. Vult enim Deus sua in se refundi dona, quodammodò amissum reputans, quod ingratus acceperit; quâ de re vide latiùs Bernard., serm. contra vitium ingratitudinis. Nisi hic alienigena; à quo proinde minùs gratitudinis expectandum fuerat, quia minùs de Deo instructus erat. Quod plerùmque contingere solet, quia considerant magis indignis conferri beneficium. Unde Bernardus ibid.: Felix, qui se alienigenam reputans, etiam pro quibusque minimis beneficiis non minimas refert gratias, gratuitum esse non dubitans, quidquid alieno impenditur et ignoto.

Vers. 19. — Et ait illi: Surge. Nam venerationis explendæ causâ hucusque prostratus in faciem jacuerat. Vade, utpote officio gratitudinis, et omnibus, quæ ad sanitatem fides poposcerat, ritè perfunctus: quia fides tua, quâ cum cæteris credidisti verbis meis: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, te salvum fecit, à leprâ. Nam quamvis iste Samaritanus etiam animo fortassis per justificationem sanatus fuerat, non videtur tamen eò Christus respicere. Fidem ergo commendat, quia illo tempore fides potissimùm fundanda, et quid posset, declarandum erat. Allegoricè exponit hanc historiam August., lib. 2 Quæst evang., q. 40, et Greg., 5 Moral., c. 11, aliàs 10, qui per *leprosos* significari volunt hæreticos, et per *lepram* hæresim. Nam ut lepra cutis colores variat, atque maculat, ita hæresis veris falsa permiscet. Unde et Christum præceptorem vocaverunt, et ad sacerdotes missi sunt, quorum est curare hæreticos doctrinæ sanitate. Vide latiùs præcipuè Augustinum.

Vers. 20. — Interrogatus autem a Pharisæis, qui sæpè audiverant eum prædicantem appropinquare

assiduè propinquum prædicas. Erat autem illud, non Dei tantùm, sed et Christi regnum, quod nimirùm Deus promiserat se per Christum in terris excitaturum, Isaiæ 9, v. 7; Dan. 2, v. 44, et cap. 7, v. 27, etc. Intelligebant id etiam ipsi Pharisæi; cùmque scirent quòd Jesus pro Christo se haberet, tantùm valuit interrogatio eorum, quantùm si disertis verbis dixissent: *Quando tandem veniet regnum illud tuum?* Id quod per ludibrium quæsisse videntur. *Interrogant eum quando regnaturus esset*, inquit Euthymius, *irridentes eum, ut qui vilis appareret.* Nam cùm nulla fieret externi statûs inter Judæos mutatio, vanum esse voluerunt dicere, quod ipse de se sub Dei nomine jactaret. Sentiebant enim regnum Messiæ seu Christi carnale fore, quale fuit Davidis et Salomonis; et existimabant venturum Messiam regio apparatu, habitaturumque in regiâ civitate Jerusalem, atque ex aulâ suâ omnibus gentibus jura daturum, ac suâ prudentiâ potentiâque effecturum, ut quotquot ipsum regem agnoscerent, habitarent feliciter ac confidenter unusquisque sub vite suâ et sub ficu suâ, etc., Judæis inprimis à subjectione quarumcumque gentium exemptis. Ipso igitur Jesu jamdiù, et pro Christo se gerente, et prædicante regnum Christi propinquum, nec tamen ullo apparente regni indicio, aut spe liberationis Judæorum à Romanorum dominio, quærunt, quandonam venturum sit illud ipsius regnum quod semper prædicaret, non tam ut sciant, quàm ut inanis jactantiæ eum latenter insimulent.

Respondens, quamvis irridentibus, seriò respondet.

Non venit, non veniet, regnum dei à Christo excitandum, cum observatione, ita ut observari possit ex talibus signis qualia vos exspectatis, non veniet scilicet conspicuum ac notabile externo majestatis splendore, illustre mundanâ pompâ ex quâ possit agnosci. Loquitur enim de iis signis quæ Pharisæi animo conceperant, qui terrenum Messiæ regnum exspectabant, quod diximus; cæteroqui multa et clara divinitùs data fuerant signa, ex quibus Messiæ regnum posset observari et agnosci. Negat ergo Christus regnum suum mundanâ pompâ conspicuum fore, significans vehementer illos falli, qui illud oculis carnis quærerent, quod minimè carnale vel terrenum est. *Non poterit observari*, inquit Strabus, *quia non est corporale ut putatis, sed spirituale, quod fide jam incœpit.*

Vers. 21. — Neque dicent, neque dicetur, neque poterunt verè homines dicere, quod de terrenis regibus dicunt: Ecce hic, ecce hoc loco aut illo, scilicet est regnum Dei, in eâ civitate est sedes Christi Regis, et aula pro regiâ magnificentiâ instructa, illic regnat et floret, illic sceptra micantia fulgent, etc.

Ecce enim, quamvis mirum et præter opinionem vestram, regnum Dei et Christi intra vos, Græcè, intùs in vobis est. Non venturum est, sed præsens adest, nec longè à vobis, in cœlo, in terræ visceribus, aut ultra mare, sed in animis hominum qui vobiscum vivunt, adeòque etiam vestris, si velitis recipere. Tria dicit, unum, regnum Christi jam præsens adesse, quod ipsi futurum quærerent; itaque verè inobservabile esse, ac signanter ipsis quâ sint cæcitate, qui præsens non agnoscerent. Alterum, regnum Christi in iis quæ ad animum pertinent positum esse, non in externo splendore, intùs, non forìs, quærendum esse, spirituale esse, non carnale aut terrenum. *Regnum enim Dei,* doctore Apostolo, *non est esca aut potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto,* Rom. 14, v. 17. Tertium, non longè quærendum esse regnum Dei, sed in animis hominum propriis, quibus nihil interius aut præsentius esse possit. Itaque eò stupidiores esse Pharisæos, quò minùs agnoscerent, quod intùs apud se haberent. Cæterùm cùm dicit *intra vos est*, Pharisæos alloquens, non affirmat Pharisæos esse de regno Dei, aut illius participes; sed ita loquitur, partim quia complures homines æquales eorum essent de regno Dei, occupante animos eorum per fidem cum charitate conjunctam; quam ob causam alibi Pharisæis ait: *Pervenit in vos regnum Dei;* supra 11, v. 20; partim quia, ut Titus ait, *in voluntatis eorum arbitrio positum esset accipere regnum Dei.* Nam si fidem adhibere voluissent doctrinæ Christi, et à peccatis conversi in vitæ novitate ambulare, regnâsset et in ipsorum animis Deus, regnumque Christi floruisset in cordibus eorum, quemadmodùm vigebat tunc et florebat in multorum aliorum cordibus qui in Christum crediderant. In hanc sententiam scribit Theophylactus: « Omninò regnum Dei est, angelorum « more vivere, quando nihil mundanum in animabus « nostris versatur. Non enim longo tempore, neque « longâ peregrinatione opus est, sed propè nos est, « et fides, et post fidem divina vita. Istud ipsum etiam

regnum Dei, cujus tamen nullum apparebat indicium: Quando venit, id est, venturum esset, seu venire oporteret, regnum Dei? gloriosus et palàm omnibus dominabitur. Somniabant enim tunc Judæi mundanum quoddam regnum, sicut et nunc, in quo Deus per Christum, et ipsi cum eo cæteris imperarent nationibus. Moribus itaque Pharisæorum satis congruum videtur, ut hoc potiùs irridendi quàm discendi causâ interrogaverint. Quibus respondit: Non venit, seu *veniet,* regnum Dei cum observatione; ita scilicet, ut, antequàm veniat, observandis signis sciri possit quando venturum sit, quia ex improviso unicuique et omnibus suo tempore aderit. Nam illa signa adventûs sui, quæ Christus, cap. 21, tradit, non sunt signa, quibus adventus diu antè præsciatur, sed quibus præsens agnoscatur.

Vers. 21. — Neque dicent, de illo regno aut rege ejus: *Ecce hìc, aut ecce illìc,* scilicet in determinato aliquo loco aut civitate regnum illud quærendum est. Nam quamvis hæretici possint primum Christi adventum et regnum ejus in hoc mundo fallaci quâdam similitudine effingere, quam ob causam prædixit Dominus, Matth. 24, versu 23, eos dicturos: *Ecce hìc est Christus, ecce illìc;* secundus tamen adventus regis et regni ejus tam erit manifestus, dicente psal. 49: *Deus manifestè veniet,* ut circa illum fallacia aut fictio habere non possit locum. Porrò ne nihil ad quæstionem Christus attulisse vide-

« Apostolus dicebat : *Prope te verbum est in ore tuo et « in corde tuo, hoc est verbum fidei*, Rom. 18, v. 8. « Credere enim et secundùm fidem ambulare, sicut « dignum est vocatione, intra nos est. Itaque Pharisæi « irridebant Dominum, at ipse illos in risum conver« tit, ostendens quòd ignorent rem quæ intra se sit, « et quæ valdè facilis, si qui capere velint. Nunc enim « cùm sim medius inter vos, potestis omninò regnum « Dei capere, si creditis in me, et vultis juxta man« data mea vivere. » Hæc Theophylactus. Cæterùm notandum est quòd Jesus hìc de primordio regni sui loquatur, quod in hoc seculo incipit à cordibus animisque hominum, nam in altero seculo perficiet tandem etiam corpora, et non sine observatione externoque splendore apparebit.

Vers. 22.—Et ait ad discipulos suos. Dixit autem etiam hoc, sed ad discipulos conversus, neglectis Pharisæis irrisoribus atque incredulis. Dixerat Pharisæis, regnum Dei jam adesse et florere, sed spirituale, quod occuparet hominum mentes, citra fulgorem corporeum, ideòque non observari aut agnosci; addit nunc docetque discipulos, idem illud regnum aliquando appariturum summo cum splendore et apparatu externo, ita ut à nemine non sit observandum, et perfecturum non animas solùm, verùm etiam corpora subjectorum : sed priùs, tum sibi Regi, tum ipsis regni filiis, multa adversa esse toleranda.

Dies pro tempus.

Desideretis, desiderabitis, vos aliique fideles mei, posteri vestri.

Unum diem, unum ex diebus Filii hominis, quibus Filius hominis hoc in mundo antea vixerat. Expetetis vel uno die frui præsentiâ meâ, quemadmodùm jam fruimini. Vult dicere : Exspectandum vobis est, ut variæ exsurgant, tum persecutionum procellæ, tum errorum turbæ, regno Dei et Christo Regi adversariæ, tyrannis multimodè vos persequentibus ac tribulantibus, hæreticis per parva dogmata turbantibus, ita ut anxiè me vel ad horam carne præsentem optaturi sitis, à quo instructionem, consolationem, animique robur accipiatis.

Et, pro, sed, non videbitis, vel unam, me semel à vobis per assumptionem ablato, non dabitur vobis ampliùs meâ frui præsentiâ corporatâ et temporariâ, quali jam fruimini, sed decreto Patris, inter errores et persecutiones, ambulandum erit vobis per fidem, et consolatio instructioque trahenda ex iis quæ olim à me acceperitis, donec revertentem me videritis in gloriâ regni; id enim subaudire videtur, simul et insinuare, benè facturos, si præsenti occasione utantur, et proficere studeant, interim dùm Christi præsentiâ eis frui datur.

Vers. 23. — Et dicent, tunc tamen dicent, id est, dicetur, scilicet à pseudoprophetis, aut aliis, tanquàm volentibus satisfacere desiderio vestro. Syrus, *et si dicent*, seu *dixerint*.

Vobis, discipulis seu fidelibus meis.

Ecce hic est Filius hominis sive Christus, et ecce illic. Non deerunt tamen qui blandientes vobis, conabuntur vobis ostendere Christum.

Nolite ire, ne abieritis visendi causâ, an Christus sit hìc aut illìc.

Sectemini, prosequamini, id est, nihil in eo operæ ponatis, ut inquiratis an ita sit. Habete hoc pro re vanâ et certò falsâ. Eadem ferè reperiuntur Matth. 24, v. 23 et 26; ibi loquitur Jesus de tempore belli Judaici, hìc de omni tempore videtur loqui.

Vers. 24. — Nam, etc. Jam enim veni ego verus Christus; nec est alius Christus aut Christi adventus exspectandus, nisi meus ad judicium, publicus totique orbi terrarum per se manifestus et observatus adventus.

De sub cœlo in ea quæ sub cœlo sunt fulget. Ad verbum, ex eâ quæ sub cœlo, in eam quæ sub cœlo splendet, id est, promicans ex unâ regione quæ sub cœlo est, in alteram usque regionem quæ sub cœlo est lucet, ex unâ cœli plagâ in alteram; verbi gratiâ, ab oriente usque in occidentem, quod Matthæus exprimit cap. 24, v. 27. Similis est locutio Deut. 4, v. 32 : *A summo cœlo usque ad summum ejus*, id est, ab uno cœli termino usque ad alterum. Matthæus pro, *fulget*, clariùs dixit, *paret*, seu apparet. Interpres Latinus hìc secundùm Lucam legisse videtur neutrum τὰ pro feminino τὴν, hoc sensu, coruscans è regione nubium quæ sub cœlo est, in inferiora omnia quæ sub cœlo sunt refulget, illa collustrans; cui sensui favens Syrus vertit : *Sicut enim fulgur fulgurat è cœlo, et omnia quæ sub cœlo sunt illuminat.*

Ita erit Filius hominis, Christus in die sua, in die novissimo, in die quo egressus à dexterâ Patris, è cœlo gloriosè venerit ad judicandum vivos et mortuos;

retur, transilit à futuro regno ad præsens, quod futuri typus et inchoatio est; quemadmodùm, Matthæi 37, de vero Eliâ interrogatus, transilit ad Joannem, ejus figuram. Dicit igitur : Ecce regnum Dei intra vos est; q. d. : Quid opus est observare tempus ac locum regni Dei, cùm sit intra vos? Cur quæritur foris quod intùs quæri debet, et inveniri potest? Cur expectatis venturum quod jam adest? quia ubicumque est animus diligens justitiam, superior opibus, voluptatibus, honoribus mundi, etc.; ibi est regnum Dei. Quo sensu cùm dicit : *Intra vos est*, non necessariò procedit de reali inexistentiâ, quasi reverâ in Pharisæis regnum illud fuisset, sed de naturâ regni illius, quod de se spirituale et invisibile est. In hunc ferè sensum Theophyl. et Beda, dùm Deum per fidem bonamque conversationem intra nos regnare docent. Neglectis itaque Pharisæis contemptoribus,

Vers. 22. — Ait ad discipulos suos, ut eos doceret eâ, quam habebant, salutis occasione frui, dùm cum ipsis in corpore versaretur, tanquàm Rex regni illius, quod intra ipsos esse dixerat, sed fide credendus : Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, id est, vel uno die præsentiâ meâ frui, quemadmodùm jam fruimini, ut à me instructionem, consolationem et animi robur accipiatis; et non videbitis, me per assumptionem à vobis ablato. Quibus verbis eos armat non solùm ad patientiam, sed etiam ad vivendum ex fide, postquàm ab eis ablatus fuerit.

erit, inquam, ex unâ cœli regione prodiens et in oppositam usque fulgens, omniaque inferiora quæ sub cœlo sunt illuminans, ita ut nemini non futurus sit per se manifestus, notatus et observatus, nec opus futurum sit ut alius alium admoneat, *ecce hic aut ecce illic;* non enim latebit in angulis, sed omnibus conspicuum se præbebit in nubibus, amictum lumine, splendore et gloriâ, sicut vestimento. Vocat diem illum diem suum, more humano, tanquàm exspectatum valdè et desideratum; quia eo die gloria ipsius toti mundo erit manifesta, quòd scilicet ipsius sit omnis potestas in cœlo et in terrâ; non quòd post eum diem non erit, sed quòd ante eum diem non ita fuerit. Ante enim, dùm inter homines habitaret, ignotus ferè latuit et inglorius, illoque ex hominibus assumpto, disciputi ipsius per fidem ambulant, non per speciem: sed eo die rediens, omnibus qui unquàm vixerint hominibus observabitur et conspicietur ipse summâ claritate et gloriâ coronatus, reddensque unicuique secundùm opera ejus, palàm inibit regnum æternum, tam corporalibus quàm spiritualibus, tam externis quàm internis bonis perfectum, electis secum assumptis in gloriam, reprobis inter supplicia redactis in scabellum pedum suorum.

Vers. 25. — Primum autem, sed priùsquàm veniat dies illa gloriosa Filii hominis, et regnum splendore conspicuum.

Illum, Filium hominis, non minùs quàm vos.

Multa adversa pati et reprobari, rejici, judicari pseudochristum, et indignissima morte mulctari a generatione, gente hac Judæorum, ab hujus ætatis Judæis. Euthymius, *à natione hâc pravorum Judæorum.* Mentioni futuræ gloriæ suæ, mox subjicit passionis mortisque suæ mentionem, duas ob causas, unam quam affert Beda, *ut cùm morientem discipuli cernerent, quem glorificandum audierant, dolorem passionis spe promissæ clarificationis mitigarent;* alteram quam Theophylactus: « Non admiremini, inquit, si evene« rint vobis tam molesta, quæ vobis desiderium affe« rent dierum quibus ego vobiscum sum. Nam et ego « ipse, qui venturus sum sicut fulgur, priùs passurus « multa reprobandusque ero, et ita in gloriam istam « veniam; atque ita hoc vobis sit exstimulatio ad pa« tientiæ virtutem, quia et vobis obveniet gloria ex « periculis. » Sic ergo Jesus præmunit discipulos suos adversùs scandalum crucis, ut exemplo suo, et consortio passionis simul ac gloriæ, mitiget mala quæ ipsis obventura prædixerat.

Vers. 26. — Et sicut, sicut autem. Postquàm dixisset Jesus reditum suum fore omnibus manifestum, et regnum suum cum splendore et claritate omniumque observatione tunc appariturum, addit, fore tamen reditum suum, antequàm adsit et appareat, inexspectatum plerisque. *Subitum adventûs sui diem plurimis affirmat exemplis,* inquit Beda.

In diebus, seu temporibus, Noe. « Universalem, « inquit, Chrysostomus, prædictamque cladem et mi« nimè creditam exempli loco proponere voluit, ut « quoniam apud multos futura non creduntur, à simili« tudine præteritorum moveantur animo atque cre« dant. »

Ita erit, fiet, et in diebus, et instante die. Mox, v. 24, vocaverat diem numero singulari, jam vocat dies plurali; incertum relinquens, pluresne dies an unicum occupabit judicium mundique consummatio.

Vers. 27. — Et bibebant. Græcè disjuncta tota oratio est. *Edebant,* bibebant, *uxores* ducebant, dabantur ad nuptum. Sensus est, voluptatibus vitæ hujus lætisque rebus solito more *vacabant, tanquàm nullo malo venturo lascivientes,* quod inquit Chrysostomus, perinde scilicet occupati in deliciis et commodis præsentis vitæ, ac si nulla mutatio timenda fuisset. Itaque non tam damnat hoc loco Christus illius temporis intemperantiam in edendo, bibendo, etc. (hoc enim si voluisset, atrociora longè illius ætatis scelera protulisset in medium), quàm quòd hæc egerint absque sollicitudine, et timore prænuntiati divini judicii, quòd spretis Dei minis supini exspectârint horribilem interitum, curandæ cuti et celebrandis voluptuosè nuptiis potiùs vacantes, quàm contemplando ac timendo exitio divinitùs sibi prædicto.

Diluvium. Tunc experientiâ docti cognoverunt, sed seriùs, nihil tunc proderat novisse, quod priùs novisse noluerant. Eâdem die venit diluvium quâ Noe intravit in arcam.

Et perdidit, submersit.

Omnes, hujusmodi, citra exceptionem, qui non cognoverant, aut, tanquàm non cognovissent, sic se gesserant, qui quidem fuerunt homines prorsùs omnes totius mundi, uno Noe cum suis excepto. Similiter accidet cùm Filius hominis veniet ad judicandum et consummandum mundum. Epulabuntur filii hujus seculi et celebrabunt nuptias, operam dabunt omnis generis lætitiæ, *dicentes* (quod Apostolus ait 1 Thess. 5, v. 3), *pax et securitas,* tuta res et nihil periculi; pax abundans præsentibus bonis, securitas tuta à futuris malis, persuasi tranquillè et securè agere se posse tranquillè frui præsentibus bonis, nihil metuere periculi ab iis quæ evenire possint malis, denique neglectis cœlestibus intenti prorsùs erunt terrenis rebus, curas suas in longum tempus extendentes, et solitum vitæ cursum, ac si in eodem statu mansura semper esset terra, continuantes. Atque hæc agent, ad eum usque diem quo Filius hominis adveniet, ita ut, vel omninò non cognoscant, à fide Christianâ ad barbariem alienati, vel cognitum non credant, dicentes, *ubi est promissio aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ*, 2 Petr. 3, v. 4, vel creditum non exspectent, persuasi in longum adhuc tempus differendum, finem seculi extremumque judicium, quanquàm variis Dei oraculis prænuntiatum et signis præmonstratum, donec reipsâ præsens Filius hominis judex cum virtute multâ et majestate, omnes ipsos imparatos repentè opprimat cum horrendo ipsorum exterminio, et æternis pœnis immergat, omnes, inquam, hujusmodi absque discrimine, à regibus usque ad mancipia.

Docet hoc loco Christus Dominus, quidquid à nobis hâc in vitâ agitur, sive editur, sive bibitur, sive quidvis aliud geritur ad hanc vitam pertinens, conditum esse debere exspectatione adventûs sui extremique judicii, ut ita fiat, ut non imparatos nos reddat ad subeundum judicium, si repentè contingeret judicem adesse. Ostendit denique hìc Christus, inexspectatum fore plerisque omnibus extremum mundi adventûsque sui diem, ac proinde non fore illum certò præcognitum, quemadmodùm diluvii dies præcognitus non fuit, vel certa illius hora aut tempus à Noe prædictum. Cæterùm gravis hìc quæstio oritur, quomodò hìc prædicat Christus, homines more solito ad extremum usque mundi diem vacaturos hujus vitæ voluptatibus, id quod congruit tranquillitati et paci; cùm superiùs, inter cætera signa consummationis seculi, dederit bella, pestilentias, famem, terræmotum, piorum denique gravissimas afflictiones, et hæc eò graviora, quò mundi finis foret propinquior? Nam et quando accident signa proximè instantis finis mundi, regnumque Dei erit in januis, quando, inquam, sol obscurabitur, lunaque non dabit lumen suum, etc., disertè dixit : *Et tunc plangent omnes tribus terræ, et arescent homines præ timore et exspectatione eorum quæ supervenient universo orbi.* Respondeo (præter hoc quod fieri poterit, id quod multi post D. Hieronymum asserunt, mundum nonnullo tempore pacatum ac tranquillum fore proximè ante interitum, quemadmodùm sæpè fit, homines quasi convalescere, paulò antequàm moriantur) nulla fore bella plagasque hoc in mundo, ante ipsam consummationem extremam, à quibus non multi immunes sint, etiam constituti inter media mala. Quidam enim victores erunt, pluresque alii hujusmodi quorum prosperitatem augebit miseria aliorum : denique piorum maximæ afflictiones erunt, gaudentibus et exultantibus impiis, id quod docent Augustinus, epistolâ 80, et Chrysostomus hunc in locum, qui : *Pax*, inquit, *et lascivia insensatis erit, justi vitam in tribulatione trahentes mœrebunt.* Cæterùm quando signa illa postrema pereuntis mundi evenient, nulli quidem lætè agent, omnes plangent et timore exanimabuntur : sed illa ad ipsam mundi consummationem interitumque pertinebunt, eruntque illius pars, quemadmodùm oculi fracti, nasus distortior, interruptus anhelitus, pedes cruraque rigentia, pars sunt mortis hominis uniuscujusque, et ad ipsam mortem pertinent. Quare quod Christus dicit, erunt comedentes, bibentes, uxores ducentes, et nuptum tradentes, usque ad ipsam mundi consummationem et adventum Filii hominis, intelligit ad illa usque extrema signa, quæ eadem initia sunt ac partes consummationis seu interitûs mundi, et tanquàm Filii hominis adventantis satellitia quædam, cum ipso Filii hominis adventu computantur. Nam quando illa accident, nemini ampliùs lubebit edere, bibere, nuptiis aut rebus lætis operam dare, sed attoniti et exanimati exspectabunt omnes horam novissimam vitæ, tum suæ, tum mundi, quæ non diù quidem differetur, incertum tamen quamdiù, quemadmodùm incertum est quando moribundus exhalaturus sit animam, etsi certum sit diù vivere non posse : vide infra, v. 31.

VERS. 28.—SIMILITER, Græcè, *similiter etiam.* Syrus *et sicut rursùs.* Altero exemplo, tempore posteriore, docet, quomodò reditus ipsius occupaturus plerosque nec opinantes sit.

EDEBANT, Sodomitæ et cæteri Pentapoleos incolæ.

ET BIBEBANT. Nec hoc versu ulla conjunctio Græcè exstat magis quàm superiore.

PLANTABANT ET ÆDIFICABANT, ut quibus longum adhuc vitæ tempus superesset. His securè intendebant, scilicet usque ad egressum Lot è Sodomis, nihil de vitæ emendatione aut ob scelera instante Dei ultione cogitantes.

VERS. 29. — QUA DIE AUTEM, eâdem autem die quâ *exiit*, exierat.

SODOMIS. Dicimus Sodoma, Sodomorum, quemadmodùm Jerosolyma, Jerosolymorum, neutro genere numeri pluralis.

PLUIT subitò. Syrus addit, *Dominus,* quemadmodùm et Genesis, c. 19, v. 24 : *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino de cœlo.* Dominus à Domino, id est, Dominus à se ipso, vel juxta altiorem secretioremque intelligentiam, Deus Filius à Deo Patre; est enim una Patris et Filii operatio, sed ita ut Filius à Patre accipiat operandi facultatem : non usus scilicet operâ causæ alicujus naturalis, sed vi propriâ et ex omnipotentiæ suæ thesauro.

PLUIT, instar pluviæ demisit, magnâ scilicet copiâ impetuque vehementi IGNEM ET SULPHUR, id est, ignem sulphureum, vel densissimum sulphur ignitum et ardens. Pœna congrua peccato gentis illius, ardentis fœtidæ execratæque libidinis usu, quod notat D. Gregorius, lib. 14 Moral., cap. 10.

DE COELO, ex eâ aeris regione, in quâ fulmina cæteraque meteora ignita nasci consueverunt. Non ex terrâ eruperunt ignis et sulphur, sed de cœlo descenderunt, ut planè constaret vindictam esse divinam.

OMNES incolas Pentapoleos, Sap. 10, v. 6 : non solùm Sodomæ et Gomorrhæ, sed et Adamæ ac Seboim, Deut. 29, v. 23; nam Segor servata fuit ad preces Lot : *Subvertit civitates has,* inquit Moses, *et omnem circa regionem, universos habitatores urbium,* etc. Gen. 19, v. 23, 25.

PERDIDIT, incendio, Dominus scilicet, nihil hujusmodi exspectantes.

VERS. 30. — SECUNDUM HÆC, exempla dierum Noe et Lot.

ERIT, sic futurum est, similiter accidet, nempe, edent filii hujus seculi, bibent, vendent, ement, etc., toti intenti erunt rebus terrenis, nihil minùs quàm de mundi fine et districto judicio cogitantes.

QUA DIE, eà die quâ, id est, circa eam diem, proximè ante eam diem, seu, ut supra, v. 27, dici-

tur, usque ad eam diem. Dies autem pro tempore ponitur.

Revelabitur. Græcè, *revelatur*, præsens pro futuro, manifestabitur, adveniet summâ cum gloriâ conspicuus omnibus, ad judicandum et consummandum mundum. Dies illa seu tempus illud incipiet ab extremis illis horrendisque signis in sole, lunâ, et stellis, de quibus infra 21, v. 25, 26, quæ non desinent, quin ipse Filius hominis priùs appareat, etsi non mox ab initio illorum appareat. *Pulchrè revelabitur*, ait Beda, *quia qui interim non apparens omnia videt, tunc apparens omnia judicabit.*

Vers. 31. — Hora, *die,* quo modo est Græcè et Syriacè, id est, tempore; sed quia minimùm temporis supererit, rectiùs vocatur hora quàm dies. *Horâ* autem sive die, quâ scilicet Filius hominis revelabitur; non tamen illum ipsum temporis articulum intelligit quo Filius hominis revelabitur (nam Filio hominis jam apparente, nulla erunt tecta, nullæ domus, nullæ res hominum manibus factæ, neque tunc locum habebit ulla monitio, serum erit attendere sanis monitis); sed initium ejus diei sive horæ quâ revelabitur, quam versu superiori descripsimus, tempus scilicet vicinissimum et propinquissimum revelationi Christi, tanquàm intra horam futuræ, cùm extrema illa signa in sole, lunâ, stellis ac reliquis mundi partibus apparere, et totus mundus commoveri cœperit; quo modo hunc locum explicat et V. Beda. Vel tunc enim adhuc prodesse poterit salutaris monitio; sed nulla, si quis obedire velit, interponenda erit mora, propter temporis angustiam simul et incertitudinem.

In tecto; super tectum, scilicet domûs suæ.

Vasa, id est, supellex, utpote pecunia, vestes, arma, cæteræque res quibus opus habere quis solet ad vitæ ejus necessitates.

In domo, inferiùs in ipsâ domo fuerint.

Tollere illa, ut tollat illa, et servet. Non sit sollicitus de supellectile, abjiciat omnem curam rerum terrenarum mox periturarum: tantùm autem cogitet de salute suâ, et hoc solùm dispiciat quomodò stare poterit ante Filium hominis, et venienti dignè occurrere. Tunc curandum non erit de minimis quæ mox sunt peritura cùm instabit maximum et incomparabile illud negotium discriminis infiniti, quod nos sibi totos meritò vendicabit. Familiare hominibus est, si ingruere videant mala, mox animum convertere ad res opesque suas, per quas sperant posse evadere, aut benè sibi esse posse; hoc prohibet Christus, atque eo præsertim tempore, quo periturae sunt res omnes terrenæ; et eam solam curam vult omnium animis sedere, ut parent se ad excipiendum Dei judicium.

Retro, εἰς τὰ ὀπίσω. Hoc, vel simpliciter accipitur pro *retrò,* quo modo interpres accepit, vel transfertur, *ad ea quæ retrò*, scilicet reliquerit. Posteriori vertendi modo, idem significatur quod mox, non redeundum tunc cuiquam in civitatem aut locum unde fuerit egressus, ut res suas servet aut curet; priori verò significatur, nec ut se servet, cuiquam redeundum domum. Non enim minùs periculi fore domi quàm foris, nec quidquam agendum tunc domi, quod non æquè fieri possit foris, idcircò autem foris potiùs quàm domi, si hora illa ipsum foris comprehenderit, ne interea dùm domum fugit, Judex adsit, ipseque tempore excludatur: nihil enim tunc aliud agendum, quàm ut unusquisque se paret ad subeundum judicium Christi. Nemo ergo tunc fugiat domum, præsentius enim erit periculum quàm ut ullam moram patiatur; sed quocumque loco repertus fuerit, illic exspectet suî immutationem, et conversus toto corde ad Dominum, contemnat terrena omnia bona, festinetque ad meliora, denique tum humiliter tum avidè desideret venienti occurrere Judici. Hàc eâdem parabolâ, secundùm Matthæum et Marcum, Jesus hortatus est suos ad celeritatem fugæ, ubi vidissent quod prædixerat signum instantis excidii Judææ: hic verò hortatur, non ut fugiant, sed ut cæteris omnibus rebus relictis de salute animæ cogitent, mox ut viderint signa quæ prædixerit instantis novissimi judicii; eò quòd nulla tunc erit opportunitas animum applicandi ad temporalia, aut differendi curam salutis æternæ, sed extrema necessitas extremumque temporis punctum, quo quis servare animam suam possit. Mox enim præsente Judice, nihil proderit, quidquid ampliùs facere voles. Quanquàm ergo minimùm tunc suppetet temporis, ut quis se paret ad accipiendum mite judicium; præmonet tamen benignus Judex, quantulùmcumque juvare posse (si non negligatur cura supervacanea terrenorum) paratos, ut ampliùs se parent; imparatos, ut subitò paratos se reddant, non tam operibus bonis, quæ temporis angustia non admittet, quàm piis desideriis, et integrâ ac sincerâ animi ad Deum conversione. Hæc porrò admonitio à Domino Jesu data iis qui victuri sunt ipso ad judicium veniente, et nobis servit, quando morbi graves cæterique mortis prænuntii, concutiunt minorem hunc mundum, nos, inquam, ipsos, ne vel illud tempus negligamus: quàm enim mors, tam est nobis Judex propinquus.

Vers. 32. — Uxoris Lot, *quid videlicet illi acciderit;* Euthymius. Solummodò respexit retrò post se, et periit, nec tantùm temporis concessum est ei, quo posset se rursùs ante vertere. Educto Sodomis Loto, ejusque familiæ, prohibuerat angelus, ne inter fugiendum respicerent post tergum, Genes. 19, v. 17;

Vers. 32. — Memores estote uxoris Lot, quod videlicet illi acciderit, dùm amicorum et rerum pereuntium amore contra angeli vetitum retrò respexit. Nempe quia consequente mox ultione divinâ unà cum Sodomis periit, in statuam salis commutata: ut ita hominibus condimentum præberet, quo sapiant aliquid, unde illud caveatur exemplum, inquit August., 16 de Civitat., c. 30. Illud autem est juxta mentem Christi hoc loco, ut memores illius exempli caveamus, ne capti amore rerum quas cum mundo perire necesse est, cùm eas salvas esse volumus, et ad eas animo respicimus, unà cum illis Dei judicio opprimamur et pereamus.

tum ut fugam urgeret, et summâ opus esse festinatione indicaret, tum etiam ut animos Loti ac suorum, ab amore Sodomorum et quæ illic reliquerant omnium, abstraheret, quippe quæ, Deo justo judice, exitio digna essent. Uxor Loti incredula angeli monito, Sap. 10, v. 7, et præceptum parvi faciens, Loto urbem Segor ingresso, foris remansit, et excita fragore labentis sulphurei imbris, respexit à tergo, acerbè ferens cognatos atque amicos pereuntes, et excidium natalis soli bonorumque quæ invita reliquerat; subitò autem consequente ultione divinâ, interempta perditaque unà cum Sodomis est, et in lapidem transmutata, statuam seu columnam salis, ut hominibus reliquis æternum documentum seu condimentum præberet, *quo sapiant aliquid, unde illud caveatur exemplum*, quod ait Augustinus, lib. 16 de Civitate Dei, cap. 30. Illud autem est, in genere quidem, ut ibidem docet Augustinus, *quia non est animo redeundum ad veterem vitam, quâ per gratiam regenerati exuimur, si ultimum judicium evadere cogitamus;* in particulari autem, juxta Christi hoc loco mentem, ne mundo pereunte vel universo genere humano, vel singulariter nobis, capti amore rerum, quas cum mundo perire necesse est, retrò ad eas redeamus aut respiciamus, amemus impensiùs, et servare nobis conemur salvas, aut ægriùs dimittamus: summum enim esse in morâ periculum, ne, interea dùm laboramus aut cogitamus de illis servandis vel disponendis, neglectâ conversione ad Deum, unà cum illis pereamus, Dei judicio subitò nos opprimente, et ne tantillùm quidem temporis, post curata temporaria, ad curandam animæ salutem concedente.

Quicumque in illâ horâ quæsierit, studuerit, conatus fuerit, revertendo aut respiciendo retrò, sua auferendo, etc.

Animam suam, semetipsum, salvam facere, imminentibus periculis eximere, ita ut servet vitam hanc suam mortalem, et quæ illius possederit bona.

Perdet illam, non salvum faciet, sed perdet semetipsum; nec tantùm non effugiet mortem hanc, verùm etiam mortem exitiumque incurret æternum. Adveniens enim mox Judex, imparatum, et quæ hujus mortalis sunt vitæ, non quæ salutis æternæ, curantem, addicet gehennæ ignis. Nam perdere hìc, non significat amittere aut facere rei caræ jacturam, sed exitio tradere.

Et quicumque, sed contra quicumque perdiderit illam, perdiderit semetipsum, id est, non fuerit tunc sollicitus de seipso periculis mortalis vitæ eripiendo (cujus finis omnibus in universum instabit) nec de servandis temporariis suis bonis; sed his neglectis, in hoc unum intentus fuerit, ut advenienti Judici dignè occurrat.

Vivificabit eam, non perdet, sed *vivificabit* semetipsum. In vitam generabit, etiamsi mortem corporis obeat, tamen vitam sibi parabit, veram scilicet ac solidam, qualis altera non fuerat, id est, immortalem et æternam, quam mox adveniens Judex ipsi largietur. Vide supra, cap. 9.

Vers. 34. — Dico, affirmo vobis, terribile fore tempus illud.

In illa nocte, adventûs Filii hominis. Mox, v. 24, 26, 30, vocaverat diem, jam vocat noctem: dies enim erit gloriosa Filio hominis; hominibus autem, præsertim reprobis, horribilis nox, tristissimâ rerum facie circumfusa, incipiens ab obscuratione solis, lunæ et stellarum, mediâ nocte, ut volunt quidam, maximè Græci; crepusculo autem matutino, ut alii.

Erunt dormientes, id est, tunc fiet, ut duorum simul cubantium, unus assumatur, etc.

Duo, maritus scilicet et uxor, vel viri duo aut feminæ duæ familiares. Scortator et meretrix intelligi non possunt, quia neuter eorum assumetur, sed ambo relinquentur.

In lecto uno. Lecti loco Matthæus agrum dixit, quod adnotant auctor Imperfecti, Titus et Euthymius, in Matthæum scribentes. Ac potuit Christus tria exempla proposuisse, etsi evangelistæ singuli non nisi duo recitent, et intellexisse, per eos quidem qui in lecto, divites, tanquàm in requie otioque viventes, ut interpretantur Chrysostomus et Titus in Matthæum; per molentes verò pauperes, qui summis laboribus pauperem vitam sustinent; per eos autem qui in agro sive agricolas, mediocres, omnem scilicet communem hominum conditionem: est enim agricultura, omnibus artificiis et vitæ communi tanquàm prima vivendi ratio. Cæterùm quia non præcipuè propositum fuit Christo omnes hominum conditiones enumerare, suffecit Evangelistas aliquas descripsisse: sic enim propositum fuit Christo varias hominum conditiones proponere, ut simul proponeret socios, et hujusmodi in re socios, quæ declararet eos eo die non exspectavisse adventum Filii hominis, sive reprobi essent, sive electi. Nam quemadmodùm eo die nemo in agro aut in pistrino laboraret, si esset præcognitus; ita nemo in lecto quiesceret, sed non minùs justus quàm peccator humi supplex judicem exspectaret: *esse enim in lecto,* quod Theophylactus notat, *præsentis solitudinis carentiam significat.*

Unus assumetur, qui scilicet antequàm somno se daret, se paraverat in illud tempus, incertum licèt. Assumetur, inquam, ad Filium hominis, ipso judice æternâ vitâ beatitudineque coronandus, et perpetuâ ipsi societate jungendus. *Qui assumitur, rapitur obviàm Christo in aera; qui autem relinquitur, improbatur,* ait Ambrosius in Lucam. Non omnes itaque tunc temporis citra timorem lascivient et repentè perdentur; sed quidam similes Noe, in arcam vitæ assumpti servabuntur.

Relinquetur, scilicet in terrâ. Non quòd eo loco permanebit (rapietur enim ad locum judicii), sed quòd, non sursùm ad Filium hominis rapietur, quemadmodùm ipsius socius, sed infra in terrâ relinquetur, longiùs à Filio hominis, ubi, ipso Filio hominis ex alto ferente sententiam, condemnandus est pœnâ æternâ, indeque detrahendus in inferiora tartari. Tunc igitur videre erit admirabilem tristissimamque

divisionem eorum qui visi fuerant sibi mutuò conjunctissimi. Clarum hujus rei exemplum exstat in parabolâ illâ decem virginum, Matth. 25, v. 1.

Vers. 35. — In unum, id est, simul.

Una assumetur, non rejicietur à regno Dei, vel femina, vel conditio aliqua servilis, tametsi scribæ servos et feminas in numero eorum non censeant, qui congregationem Israel faciunt.

Altera relinquetur. Nulla conditio hominum singulariter vel exclusa vel ad salutem excepta erit; sed ut ex singulorum animantium generibus, quædam in arcam assumpta sunt ut servarentur, alia in terrâ relicta ut diluvio perirent; sic fiet et in conditionibus vitæ hominum. Non itaque hìc significatur ubicumque duo sub novissimum diem simul futuri sunt, eorum alterum servandum, alterum exitio relinquendum, aut quòd necesse erit, quicumque inter se conjuncti fuerint, ita divelli, (fieri enim poterit, ut aut serventur aut pereant ambo) sed significatur inprimis quod diximus, non omnes qui unius erunt conditionis vitæ, pariter aut servandos aut reprobandos, verbi gratiâ, liberos divitesque non servandos omnes nec omnes reprobandos, similiter neque servos et pauperes, sed ex omni statu et conditione etiam vilissimâ, alios servandos, alios perituros, quemadmodùm nunc in omni statu sunt boni et mali, et in omni conditione ac gradu optimis admixti sunt pessimi. Significatur deinde nec societatis tunc habendam esse rationem ut serveris, si ipse malus fueris; neque ut perdaris, si bonus; socios non ideò quia communi necessitudine conjuncti sunt paris fore tunc sortis, sed, citra omnem commiserationem, separandos subitò à se mutuò etiam conjunctissimos, si discrepent meritis, dolore maximè deplorabili eorum qui relinquentur: quemadmodùm Noe, non soli filii vel nurus erant, verùm etiam alii multi, parentes, consanguinei, cognati, socii, necessarii, qui relicti fuerunt omnes, quia Noe monita secuti non fuerant. Nemo igitur socium expectet ut Deo serviat, sed quisque pro se omni vinculo solutus et expeditus celeriter currat. Significatur postremò, tam piis et electis incognitam fore diem illam et horam, quàm reprobis. Nam si præcognita foret, nemo tunc agrum coleret, aut molæ circumagendæ vacaret, aut aliud simile ageret, quod non tam ad præsentem, quàm ad futurum vitæ mortalis usum destinatur, quod cùm non serviat nisi futuris vitæ mortalis necessitatibus, ab eâ die deinde necessarium esse non potest. Docet igitur, non ex eo fore, quòd ex paribus alii præ aliis assumentur quòd hi præ illis majorem notitiam obtinebunt illius diei, vel horæ (declarabit enim opus ipsum eorum, quòd eâ justè horâ judicem nec ipsi expectaverant), sed intelligendum relinquit, discrimen ex eo fore, quòd alii futuri sunt similes ipsi Noe, alii coætaneis Noe, quos mox descripserat. Hi perierunt, ut dictum est, quia futurum diluvium non credentes aut certè non expectantes, non se parârunt, ut iram Dei possent effugere: Noe servatus est, quia credidit Deo comminanti, et, quanquàm nesciret determinatum diluvii diem, paravit se tamen modis omnibus ut evadere posset quando Deo placeret immittere. Sic in fine seculi relinquentur qui futurum judicium non credentes aut certè non expectantes, non vigilaverint, neque se paraverint; assumentur autem qui vigilaverint, et in officio permanentes paratos se semper tenuerint ad eum diem quandocumque tandem afforet.

Duo in agro, etc. Hoc plerique Latini libri legunt, suffragantibus quibusdam Græcis, editione Syriacâ, et enarratoribus Ambrosio ac Bedâ. Porrò quidam Latini libri omittunt. Verisimile est hunc versiculum, Lucæ ex Matthæo fuisse adscriptum, quemadmodùm Matthæo ex Lucâ, similem versiculum de duobus in lecto.

Vers. 26. — Respondentes, auditis subjicientes, scilicet discipuli ex v. 22.

Illi, Jesu.

Ubi, pro *quò*, scilicet assumentur, quod subaudiunt Theophylactus et Euthymius. Ποῦ ambiguè significat motum in loco et motum ad locum, itaque verti potest et *ubi* et *quò*. Huic loco congruit *quò*, quod significat motum ad locum; non enim quærunt discipuli, ubi relinquendi sint qui relinquentur; non dubium erat quin illi relinquendi essent, ubi inventi, in terrâ scilicet; sed quærunt, quò assumentur ii quos Jesus dixerat assumendos.

Vers. 37. — Corpus, *cadaver*, interprete Matthæo. Sensus est, in aera, ad me venientem in nubibus cœli, assumentur; *rapientur in nubibus obviàm Christo in aera, ut semper cum Domino sint*, 1 Thess. 4, v. 16, nec assumentur aut rapientur inviti, sed tali aviditate ad me convolabunt, quali aquilæ ad cadaver, quippe qui ipsis futurus sim, quod aquilis cadaver, deliciæ, inquam, atque æternæ felicitatis pabulum, beatitudo æterna et summum bonum. Itaque et advolaturi dicuntur electi ad Christum, et assumendi; advolaturi, quia agilitate prædita erunt corpora eorum gloriosa; assumendi, quia Dei donum erit illa agilitas, quanquàm nec deerit angelorum ministerium, non quidem necessitatis, sed honoris causâ.

Aquilæ carnivoræ sunt, ac proinde mox convolant ad cadaver, si quod visu aut olfactu percipiant, *quod etiam trans maria eas sentire* testatur Hieronymus hoc loco. Videri possit Jesus sententiam hanc sumpsisse ex libro Job, cap. 39, v. 33, ubi de aquilæ naturâ disserens Deus, tandem ait: *Et ubicumque cadaver fuerit* (sive, ut ad verbum Hebraicè est, *occisi fuerint*), *statim adest;* quanquàm alii Hebræorum proverbium fuisse arbitrantur, quo significârint, haud magno studio esse opus, ad conjungendum ea quæ naturâ suâ conjunguntur. Ne fulguris similitudo à Jesu allata præberet apostolis occasionem apud se cogitandi: Quid nobis proderit adventus ille tuus manifestus totique mundo è cœlo et nubibus conspicuus, si non apparebis nisi fulguris instar, cujus apparitio momentanea est; quàm citò apparet, tam citò præterit; quàm citò revelatur, tam citò latet, et quantùmcumque parvo tempore appareat, ut est terribile, omnes illud

videre refugiunt; addit aliam similitudinem Jesus, quâ docet se electis suis non terribilem apparituram, sed amabilem, nec momento solùm uno, sed sic ut ad ipsum accedere et conjungi ipsoque frui possint. Quemadmodùm, inquit, aquilæ naturali instinctu atque impetu feruntur et conveniunt undique ad cadaver, ut ad escam suam suavissimam ac delicatissimam, quod alioqui non invitatas, ipso odore suo ad se allicit, immensis etiam terrarum spatiis et maris fluctibus separatas nec illæ illud deserunt quamdiù restat ex eo quo pascantur; ita vos electi mei, è morte redivivi, et ut aquilæ juventute renovati, simul atque in nubibus apparuero, mox sentientes virtutem præsentiæ adventûs mei, ad me tanquàm vitam æternam et summum bonum vestrum, undique ex omnibus mundi partibus, spontè maximoque desiderio ac summo animi affectu anhelantes convolabitis, ut me æternùm fruamini et saturemini, nihil impediti altâ cœli nubiumque à terrâ distantiâ. Hoc est quod Apostolus dicit, 1 Thessal. 4, v. 16 : *Rapiemur in nubibus obviàm Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* Cadaveri se comparat Christus, propter mortem (cujus signa, cicatrices, inquam, vulnerum, feret judicaturus) quippe quæ electis fons est omnis boni æternæque salutis, quòd Christo Deo et homine æternùm frui ipsis detur. Aquilis verò electos assimilat pro more Scripturæ, potiùs quàm vulturibus aut corvis, qui et ipsi cadaveribus pascuntur : quòd regium et magnificum animal aquila sit, quòd *in arduis ponat nidum suum,* Job. 39, v. 30, quod altissimè simul et velocissimè atque expeditissimè volet, Isa. 40, v. 31, quòd ita oculata sit, ut intrepidâ acie solem intueatur, denique quòd senex ætate renovetur et longævam ducat vitam, psal. 102, v. 5. His enim similes electi, qui regio animo voluptatibus imperârint, et terrenis despectis conversatione in cœlis fuerint, Christo ad judicium veniente resument corpora dotata immortalitate simul et agilitate; et ad sedentem in nubibus cœli, quem acutissimis fidei oculis mox intuebuntur et cognoscent, admirabili velocitate promptitudineque volabunt. Quòd verò electos solos, non autem omnes homines, Jesus aquilis comparet manifestum est, quia reprobi non aggregabuntur Christo sedenti in nubibus, sed relinquentur in terrâ, nec spontè ferentur ad Christum, sicut aquilæ ad cadaver, sed inviti cogentur ad locum judicii ut malè sibi conscii, audituri in terrâ Christi è nubibus adversùs ipsos sententiam.

CAPUT XVIII.

1. Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, et non deficere :

2. Dicens : Judex quidam erat in quâdam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur.

3. Vidua autem quædam erat in civitate illâ, et veniebat ad eum, dicens : Vindica me de adversario meo.

4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se : Etsi Deum non timeó, nec hominem revereor :

5. Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me.

6. Ait autem Dominus : Audite quid judex iniquitatis dicit :

7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis ?

8. Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Verùmtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ ?

9. Dixit autem et ad quosdam qui in se confidebant tanquàm justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam :

10. Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent : unus Pharisæus, et alter publicanus.

11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.

12. Jejuno bis in sabbato : decimas do omnium quæ possideo.

13. Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.

CHAPITRE XVIII.

1. Il leur dit cette parabole, pour montrer qu'il faut toujours prier, et ne se lasser jamais.

2. Il y avait, dit-il, dans une certaine ville un juge qui ne craignait point Dieu, et qui ne se souciait point des hommes.

3. Et il y avait aussi dans cette même ville une veuve qui venait vers lui, en lui disant : Faites-moi justice de ma partie.

4. Et il fut long-temps sans vouloir le faire; mais enfin il dit en lui-même : Quoique je ne craigne point Dieu, et que je ne me soucie point des hommes,

5. Néanmoins parce que cette veuve m'importune, je lui ferai justice, de peur qu'à la fin elle ne vienne me faire quelque affront.

6. Vous voyez, ajouta le Seigneur, ce que dit ce juge inique.

7. Et Dieu ne fera pas justice à ses élus, qui crient à lui jour et nuit, et il souffrira toujours qu'on les opprime?

8. Je vous dis qu'il ne tardera pas à les venger. Mais pensez-vous que le Fils de l'homme, lorsqu'il viendra, trouve de la foi sur la terre ?

9. Il dit ensuite cette parabole, pour quelques personnes qui, se flattant d'être justes, mettaient leur confiance en eux-mêmes, et méprisaient les autres :

10. Deux hommes montèrent au temple pour prier; l'un était pharisien, et l'autre publicain.

11. Le pharisien se tenant debout, priait en lui-même : O Dieu ! je vous rends grâces de ce que je ne suis point comme le reste des hommes, qui sont voleurs, injustes et adultères; ni même comme ce publicain.

12. Je jeûne deux fois la semaine : je donne la dîme de tout ce que je possède.

13. Le publicain, au contraire, se tenant éloigné, n'osait pas même lever les yeux au ciel ; mais il frappait sa poitrine, en disant : Mon Dieu, ayez pitié de moi, qui suis un pécheur.

14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo ; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur.

15. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cùm viderent discipuli, increpabant illos.

16. Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos ; talium est enim regnum Dei.

17. Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

18. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens : Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?

19. Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.

20. Mandata nôsti : Non occides : Non mœchaberis : Non furtum facies : Non falsum testimonium dices : Honora patrem tuum et matrem.

21. Qui ait : Hæc omnia custodivi à juventute meâ.

22. Quo audito, Jesus ait ei : Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes, vende, et da pauperibus ; et habebis thesaurum in cœlo ; et veni, sequere me.

23. His ille auditis, contristatus est, quia dives erat valdè.

24. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit : Quàm difficilè qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt!

25. Facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

26. Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri?

27. Ait illis : Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

28. Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.

29. Qui dixit eis : Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei,

30. Et non recipiat multò plura in hoc tempore, et in seculo venturo vitam æternam.

31. Assumpsit autem Jesus duodecim, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.

32. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur :

33. Et postquàm flagellaverint, occident eum, et tertiâ die resurget.

34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud, absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.

35. Factum est autem, cùm appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans.

36. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

37. Dixerunt autem ei, quòd Jesus Nazarenus transiret.

14. Je vous déclare que celui-ci s'en retourna chez lui justifié, et non pas l'autre ; car quiconque s'élève, sera abaissé, et quiconque s'abaisse, sera élevé.

15. On lui présentait aussi de petits enfants, afin qu'il les touchât ; ce que voyant ses disciples, ils les repoussaient avec des paroles rudes.

16. Mais Jésus appelant ces enfants, dit : Laissez venir à moi ces petits enfants, et ne les empêchez point ; car le royaume de Dieu est pour ceux qui leur ressemblent.

17. Je vous le dis en vérité, quiconque ne recevra point le royaume de Dieu comme un enfant, n'y entrera point.

18. Alors un homme de qualité vint lui faire cette demande : Bon Maître, que faut-il que je fasse pour obtenir la vie éternelle?

19. Jésus lui répondit : Pourquoi m'appelez-vous bon, il n'y a que Dieu seul qui soit bon.

20. Vous savez les commandements : Vous ne tuerez point ; Vous ne commettrez point d'adultère ; Vous ne déroberez point ; Vous ne porterez point de faux témoignage ; Honorez votre père et votre mère.

21. J'ai gardé, dit-il, tous ces commandements dès ma jeunesse.

22. Ce que Jésus ayant entendu, il lui dit : Il vous manque encore une chose ; vendez tout ce que vous avez, et le donnez aux pauvres ; et vous aurez un trésor dans le ciel : puis venez, et me suivez.

23. Mais lui, ayant entendu ceci, devint tout triste, parce qu'il était fort riche.

24. Et Jésus voyant qu'il était devenu triste, dit : Qu'il est difficile que ceux qui ont de grandes richesses entrent dans le royaume de Dieu !

25. Il est plus aisé qu'un chameau passe par le trou d'une aiguille, qu'il ne l'est qu'un riche entre dans le royaume de Dieu.

26. Ceux qui l'écoutaient lui dirent : Qui pourra donc être sauvé?

27. Jésus leur répondit : Ce qui est impossible aux hommes, est possible à Dieu.

28. Alors Pierre dit : Pour nous, vous voyez que nous avons tout quitté pour vous suivre.

29. Jésus leur répondit : Je vous le dis en vérité, personne ne quittera pour le royaume de Dieu, ou sa maison, ou son père et sa mère, ou ses frères, ou sa femme, ou ses enfants,

30. Qui ne reçoive dès ce monde beaucoup davantage, et dans le siècle à venir la vie éternelle.

31. Ensuite Jésus prenant à part les douze, leur dit : Enfin nous allons à Jérusalem ; et tout ce qui a été écrit par les prophètes touchant le Fils de l'homme, sera accompli.

32. Car il sera livré aux gentils ; on se moquera de lui ; on le fouettera ; on lui crachera au visage :

33. Et après qu'on l'aura flagellé, on le fera mourir ; et il ressuscitera le troisième jour.

34. Mais ils ne comprirent rien à tout cela ; c'était pour eux un langage inconnu, et ils n'entendaient point ce qu'il leur disait.

35. Comme il était proche de Jéricho, un aveugle qui était assis près du chemin, et qui demandait l'aumône,

36. Entendant passer une troupe de gens, s'enquit de ce que c'était.

37. On lui dit que c'était Jésus de Nazareth qui passait.

38. Et clamavit, dicens : Jesu fili David, miserere meî.

39. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse verò multò magis clamabat : Fili David, miserere mei.

40. Stans autem Jesus, jussit illum adduci ad se. Et cùm appropinquâsset, interrogavit illum,

41. Dicens : Quid tibi vis faciam? At ille dixit : Domine, ut videam.

42. Et Jesus dixit illi : Respice : fides tua te salvum fecit.

43. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

38. Et aussitôt il s'écria : Jésus fils de David, ayez pitié de moi.

39. Ceux qui allaient devant, lui disaient rudement de se taire ; mais il criait encore beaucoup plus fort : Fils de David, ayez pitié de moi.

40. Alors Jésus s'arrêta, et commanda qu'on le lui amenât ; et quand l'aveugle se fut approché, il lui demanda :

41. Que voulez-vous que je vous fasse? L'aveugle répondit : Seigneur, que je voie.

42. Jésus lui dit : Voyez : votre foi vous a sauvé.

43. Il vit au même instant, et il le suivait, rendant gloire à Dieu ; ce que tout le peuple ayant vu, il en loua Dieu.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Dicebat et, seu etiam, eodem loco eodemque tempore, præcedentibus subjiciebat. Postquàm mentionem fecisset afflictionum et periculorum, subdebat quomodò inter illa servari possent, oratione nimirùm assiduâ.

Parabolam, similitudinem, exemplum. Similitudo inter iniquum judicem et Deum in eo posita est, quòd uterque obsecundet perseverantibus precibus ; quanquàm non paria inter se conferantur, sed minus et majus.

Ad illos, discipulos suos, quorum mentio præcessit supra 17, v. 22.

Quoniam pro *quòd,* oportet ; ad hunc finem quòd oporteat. Oportet autem, si servari et liberari velimus ab iis quibus premimur malis. Syrus, omissâ voce *oportet,* et infinito verbo in finitum verso, clarè vertit, *ut omni tempore orarent.*

Semper, assiduè, omni tempore opportuno, signanter persecutionis et tribulationis, quale erit singulare, sub diem Filii hominis novissimum.

Orare, Deum ; nullum enim, aut certius refugium aut præsentius adversùs tribulationes remedium, quàm à Deo auxilium petere.

Et non deficere, scilicet animo, ob dilationem rei petitæ, et non frangi malis, non succumbere, non cedere malis, ita scilicet, ut orandi studium, unà cum spe, abjicias, si primis votis non succedat, si non tam citò quàm velis libereris à malis. In eumdem sensum vertunt alii, *et non defatigari*, quod est, non despondere animum, non cessare ab oratione præ tædio aut impetrandi desperatione. Explicat id quod dixerat, *semper ;* semper, etiamsi non mox pro voto exaudiaris ; perseverandum, etiamsi mala orationis remedio nihil minui videantur.

Vers. 2. — Erat. Fieri potest rem gestam narrari, quæ, quia ad aliud docendum adhibetur, parabola dicta sit ; certè si non est res gesta, sed docendi causâ conficta, at hujusmodi sit oportet, quæ facilè fieri possit, id quod, proh dolor ! nimis verum est ; cæteroqui deesset argumentationi sua efficacia, infra, v. 7.

Deum non timebat, in impietate obduratus.

Hominem, enallage numeri, pro *homines,* non reverebatur, potestate elatus. Judex impius impudensque, qui nec Dei timore, nec hominum verecundiâ movebatur, ut jus diceret personis imbellibus et afflictis, indignus proinde judicis tam nomine quàm officio. *Nec Deum timebat*, inquit Euthymius, *jubentem eos vindicare qui injuriâ affecti sunt ; neque homines reverebatur, qui judicibus indignantur, oppressos despicientibus.* Quosdam à malo retrahit timor Dei, quia illud Deo displiceat ; hi boni et pii sunt. Alios, non timor Dei, quippe quem non videant, sed pudor hominum, quos vident et à quibus videntur, retrahit, eò quòd nimirùm, vel timeant homines, vel placere eis velint, viderique pii : hi hypocritæ sunt et occultè mali. At quando, et pudorem ex oculis, et Dei timorem ex animâ, quis propulerit, *tunc omnis malitiæ vertex videtur*, ait Theophylactus. Hujusmodi erat hic judex, homo prorsùs deploratus, impius, im-

Vers. 1. — Dicebat autem et parabolam, id est, similitudinem ; ex quâ intelligeremus, à minori ad majus. Quoniam oportet, id est, quòd oporteat, semper orare, juxta illud Apost. 1 ad Thessal. 5, v. 17 : *Sine intermissione orate.* Per quæ quidam tantùm significari putant non debere nos desperare, etsi non statim obtineamus : nam, inquiunt, saltem somno oratio interrumpi debet. Sed præterquàm quòd illa perseverantia magis sequentibus verbis indicatur, major certè orandi assiduitas hoc verbo, *semper,* juxta antiquos significata est, ut videlicet quantùm fieri potest, nunquàm oratio interrumpatur. Unde Anna dicitur orationibus et obsecrationibus serviisse Domino die ac nocte ; et de viduâ Apostolus : *Instet orationibus die ac nocte.* Et Cæcilia non diebus, neque noctibus ab oratione cessabat : Martinus invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Itaque Augustinus, epistolâ 121, capite 9 et aliis, docet continuam orationem esse continuum desiderium : continuè enim orat, qui continuè desiderat, etsi non moveat labia, nec flectat genua. Basilius verò in Regulâ 37, fusiùs disputatâ, ad semper orandum plus requirit, ut videlicet in medio occupationum et fori desiderium illud mente Deo exponatur : quo modo hoc sanctos intellexisse, eorum vita probat, quæ non aliud esse solet, quantùm infirmitas humana permittit, nisi perpetua quædam oratio. Et non deficere : Græcum alii vertunt, *non animo confidere* vel *succumbere,* subjiciendo præ tædio et successûs desperatione orandi studium, si non statim sequatur effectus.

Vers. 2. — Dicens : Judex quidam erat, etc., qui Deum non timebat, id est, qui nec Dei timore, nec

mitis, inhumanus, cui nec conscientia curæ nec fama.

Vers. 3. — Illa, eadem.

Et veniebat, quæ veniebat frequenter adeòque quotidie.

Vindica me. *Vindicare* Latinè et ἐκδικεῖν Græcè, significat ulcisci, significat et liberare, asserere, eripere è malo, quod fieri potest absque omni ultione. Posterior significatio videtur huic loco servire, *vindica me*, libera, tuere, defende me, nimirùm jure dicto, justitiâ exercitâ, quod tui est officii.

De, *ab*, adversario, contralitigatore, adversario litis, ab injuriâ, quâ ille qui mecum coram te litigat et judicio contendit, me afficit; q. d. : Tametsi justâ nitar causâ, opprimor tamen dolo, violentiâ, opibus, gratiâ adversarii mei. Non petit ut judex puniat adversarium in lite suum, et ulciscatur injuriam, quâ ille ipsam afficiat; sed ut jus dicat, eâque ratione liberet ipsam ab injuriâ quam patitur : justitiam petit, non vindictam. Nihil enim dubitat quin justam ipsa foveat causam, adversario injustè litigante, et vel retinere vel auferre ipsius bona volente. Instat itaque ut sententiam judex ferat, quâ adversarium condemnandum persuasa est; nec tantùm condemnandum, sed et cogendum, ut injuriam reparet; ut judicibus in manu est, quam pronuntiaverint sententiam exsequi. Frequens est ut viduæ maritorum auxilio destitutæ, impetantur à rapacibus, et longis litibus divexentur. Hinc est quòd Salvator à viduâ exemplum sumpserit.

Vers. 4. — Nolebat, vindicare eam, jus illi dicere; omninò contra officium judicis, cujus est, etiam non rogati, subvenire oppresso, judicare pupillo, defendere viduam, prout exigit Deus Isaiæ 1, v. 17. Atqui hic, cùm nec Deum nec homines revereretur, nullam personam minùs juvare paratus erat, quàm pauperem viduam, à quâ nihil sibi sperandum, nihil timendum censeret.

Per multum tempus, ad tempus scilicet longum seu multum, quod rectè expresserunt interpretes Latinus et Syrus. Χρόνος de longo temporis spatio interdùm dicitur : ut hìc etiam constans et diuturna viduæ in supplicando perseverantia declaratur, non minùs quàm judicis obstinatio negantis officium.

Post hæc, tandem, cùm non faceret illa finem interpellandi.

Dixit intra se, cogitavit apud se : Etsi, etc. Nec propter Deum, nec propter homines, nec quia viduas curem. Agnoscit propriam malitiam, nec tamen curat emendare, quin potiùs seipsum in eâ animat et confirmat, desperatè malus atque obduratus.

Vers. 5. — Quia molesta est mihi, quia molestiam mihi exhibet. Supra, cap. 11, v. 8 : *Etsi ille perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit*, etc. Ut ille non causâ amicitiæ, sic nec iste causâ justitiæ, sed molestiæ vitandæ causâ uterque.

Vindicabo eam, jus illi dicam, et ab injuriâ quam patitur liberabo.

In novissimo. Græcè, *in fine*, tandem, veniens, pergensque mihi esse molesta. Quidam interpretantur *assiduè, semper ;* Syrus, *omni tempore*. Ne semper veniens, ne venire perseverans. Hâc significatione, *in finem* legitur psalmi 78 v. 5 : *Usquequò, Domine, irasceris in finem?* id est, semper et perseveranter.

Sugillet. Sugillare propriè dicitur qui alterius faciem pugnis aut cestibus ita tondit et cædit, ut lividam reddat, et sanguinis notis commaculet. Metaphoricè verò qui assiduis et importunis flagitationibus, aures alterius quasi verberat, et caput obtundit. Nam et simili translatione Latinè usurpatur, verbum *obtundere*, cùm dicimur aures caputve alterius clamoribus aut verbositate obtundere. Quare rectè quidam τὸ *sugillet* exponunt obtundat (ne tandem veniens, vel ne semper veniens, clamoribus suis obtundat mihi aures et caput), in quem sensum Syrus vertit *maharo li*, negotium mihi facessat; nam et supra, cap. 11, v. 7, Syrus eodem verbo *haro*, utitur pro, molestiam *exhibere*. In eumdem sensum Beda *sugillet* exponit, *assiduis precibus tundat*, et Augustinus, lib. 2 Quæst. evang., cap. 45, tædio afficiat, cujus verba sunt : *Viduæ assiduis interpellationibus cessit, ut eam vindicaret, ne sibi ab illâ tædium fieret. Nam hoc est quod ait : Ne veniens sugillet me*. Similiter exponit epistolæ 121 ad Probam cap. 8, cùm ait : *Judicem iniquum sæpè interpellando flexit ad audiendum, non justitiâ nec misericordiâ permotum, sed tædio*

hominum verecundiâ movebatur, ut jus ex officio diceret, sive cui neque conscientiæ cura erat, neque famæ.

Vers. 3. — Vidua autem quædam erat. Vidua et hìc et alibi in Scripturis proponi solet velut exhortationis exemplum ad suscipiendum orandi studium ; ut notat August., epistolâ 121 cit., c. 26, et patet in Annâ, Samuelis matre, et illâ filiâ Phanuel, Lucæ 2, et 1 ad Timot. 5, v. 5. Quid autem, inquit August., in hoc operis genere in viduis electum est, nisi destitutio et desolatio? Quapropter si se omnis anima intelligat in hoc seculo destitutam ac desolatam, quamdiù peregrinatur à Domino, profectò quamdam viduitatem suam Deo defensori assiduâ et intensissimâ precatione commendat. Hâc ergo de causâ viduæ personam Christus inducit, dicentem : Vindica me, id est, defende me (non enim videtur hìc sumi in significatione ulciscendi) de adversario meo, qui mecum litigat, et opprimit justitiam causæ meæ, opibus, gratiâ et violentiâ. Petit itaque, ut sibi jus officio dicat, et ita liberetur.

Vers. 4. — Et nolebat per multum tempus, defectu non potestatis, sed bonæ voluntatis, idque contra officium judicis, utpote cujus est etiam non rogati subvenire oppresso, judicare pupillo, defendere viduam, ut est Isaiæ 1, v. 17. Postea autem dicebat :

Vers. 5. — Quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, id est, jus illi dicendo, liberabo eam ab invidiâ, ne in novissimo, Græcè, *in finem*, id est, assiduè, semper ; Syrus, *omni tempore*, quo modo sumitur psal. 78, v. 5, et psal. 12, v. 1, veniens, id est, pergens mihi esse molesta, sugillet me, quod propriè significat plagis lividum reddere ; hìc autem per metaphoram significat maledictis obloqui, et famam lædere ; quod ultimum refugium esse solet mulierum quæ passæ sunt injuriam, vel certè tædio aures obtundere, quo modo intellexit Beda et August., lib. 2 Quæst. evang., q. 45, et Epist. cit., c. 8.

superatum. Nec aliud significari hìc potest, quando parabolæ accommodatio exigit ut non aliud hunc judicem moverit, quàm importuna mulieris interpellatio, non timor Dei, non metus, pudor aut infamia hominum.

VERS. 6. — AIT. Recitatâ parabolâ subjecit *Dominus* Jesus : AUDITE, considerate, attendite. Hortatur ad attendendam parabolæ accommodationem.

INIQUITATIS, phrasis Hebraica pro iniquus. Iniquum enim se ipse judicat, qui fatetur se nec Deum nec homines revereri.

DICIT, etc., dicat. Attendite verba ipsius. Iniquus judex dicit quòd succurret viduæ, victus improbitate precum ejus. Non enim prorsùs omnia attendi vult, quæ insunt judicis verbis ; nempe et hoc, quòd succurret viduæ ne continuam molestiam ac tædium patiatur, obtundaturque ipsi caput, quòd orantis instantia pariat ipsi molestiam, molestia autem extorqueat ab ipso justitiam ; hæc enim ad explendam ornandamque parabolam dicta sunt, non quòd accommodanda ad rem significatam, quasi Deus molestiâ aut tædio victus aliquando petita concedat ; sed rem ipsam præcipuam, quòd judex iniquus statuat viduæ votis satisfacere et ab adversarii injuriâ eam vindicare, motus perseverantiâ assiduarum illius precum.

VERS. 7. — DEUS AUTEM, qui justus est judex, *omnis justitiæ dux,* quod ait Theophylactus. Ex verbis iniqui judicis infert hanc conclusionem, sed interrogando pronuntiatam, quò magis moveat ; q. d. : An id in cujusquam animum cadere possit, ut id de Deo sentiat ? res planè absurda sit.

NON FACIET VINDICTAM ELECTORUM SUORUM, non vindicabit, non liberabit electos suos (quos singulariter diligit, utpote quos ante mundi constitutionem elegerit ad beatitudinem æternam), ab injuriis quas patiuntur, à violentiâ quâ opprimuntur ab impiis. Fideles omnes, qui bonæ sunt voluntatis, ac signanter qui justitiæ causâ persecutionem patiuntur, electos se esse, meritò persuadere sibi debent.

CLAMANTIUM AD SE, toto animi affectu orantium pro suî liberatione, ut liberentur à persecutionibus, tribulationibus, injuriis, quas, auctoribus impiis, inimicis suis, patiuntur. Clamore non qualescumque, sed vehementissimæ, ardentissimæ, et ex maximo animi dolore affectuque profectæ, preces significantur : quemadmodùm, psalmi 33 v. 18 : *Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

DIE AC NOCTE, semper, quotidiè, omnique tempore. Significantur assiduæ et perseverantes preces. Opponuntur autem sibi mutuò, iniquus judex et Deus, ducunturque argumentum à minore ad majus : Iniquus judex motus importunitate precum viduæ, quam per se contemnebat, fecit quod illa rogavit, vindicavit illam ab injuriâ adversarii ; Deus autem qui justus est judex, non movebitur perseverantiâ precum, quas assiduè fundunt electi sui (quos olim diligens, elegit ad vitam æternam), ita ut liberet eos à persecutionibus impiorum, quas injustè patiuntur ? Si etiam iniquissimus judex, per importunitatem precum viduæ quam non amabat, eò adductus est, ut jus ipsi diceret, non multò magis Deus, justissimus judex, continuis precibus piorum quos maximoperè amat, eò adducetur ? Simile argumentum habuimus supra 11, v. 13 : *Si vos cùm sitis mali*, etc., *quantò magis pater vester*, etc. « Hic iniquus judex, ait Augustinus, lib. 2 « Quæst. evang., cap. 45, non ex similitudine, sed ex « dissimilitudine adhibitus est, ut ostenderet Domi- « nus, quantò certiores esse debeant, qui Deum per- « severanter rogant, fontem justitiæ atque misericor- « diæ, cùm apud iniquissimum judicem, usque ad « affectum implendi desiderii, valuerit perseverantia « deprecantis. » Procul dubio multùm dissimiles sunt iniquus judex et Deus : in eo tamen convenire ponuntur, quòd non statim exaudiant quasvis preces, sed differant exauditionem, donec assiduæ evaserint et perseverantes preces. Sed quia iniquus ille, odio justitiæ et contemptu supplicis differt, nec nisi victus, invitus, et quasi coactus, ægrè tandem succurrit ; arguitur, perseverantes preces, quæ valent apud iniquum judicem, plus apud Deum valere, majorisque apud Deum esse efficaciæ, tum quia Deus, judex justus cùm sit, jus nemini negat (justus Dominus, justitiam diligit, Psalmi 10 v. 8) ; tum quia amat supplices suos, et benignè, spontè, libenterque succurrit eis, nec differt, nisi certo utilique consilio, eò inter alia, ut in oratione perseverantes coronet.

DE ILLIS, super illis. Sensus est : Sed semper longanimem se præbebit, semper patienter feret, ut ab impiis opprimantur, semper differet ut exaudiat et vindicet supplices? In eumdem sensum vertit interpres ex Syro : *Et protrahet spiritum suum in eos?* Similis est locus Eccles. 35, v. 21, 22 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, etc., *et Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium, et fortissimus non habebit in illis patientiam*, quod po-

VERS. 6. — AIT AUTEM DOMINUS, similitudinem hanc accommodaturus ad propositum : AUDITE QUID JUDEX INIQUITATIS, id est, iniquus, quia scilicet impius erga Deum, impudens in homines, nec justitiam administrans intuitu justitiæ, sed pro commodo vel incommodo suo, DICIT, nempe quòd vindicabit illam precandi scilicet assiduitate ac tædio victus : nam hoc solùm in verbis ejus attendi vult.

VERS. 7. — DEUS AUTEM, qui clemens est, qui propensus in oppressos, qui fons justitiæ ac misericordiæ, qui precum assiduitate non obtunditur, sed delectatur ; ut occasionem habeat citò subveniendi, NON FACIET VINDICTAM ELECTORUM SUORUM, id est, non vindicabit, seu liberabit à violentiâ quâ premuntur fideles et electi, quos ille non aversatur ut ille judex, sed ab æterno eligendo dilexit. CLAMANTIUM AD SE, id est, non simpliciter rogantium, sed ex totis animæ visceribus clamantium pro liberatione, neque tantùm singulis diebus, sed DIE AC NOCTE ; quo vehementissimæ et perseverantissimæ preces significantur ; nam singula verba spirant emphasin, et argumentum à minori ad majus peti indicant. ET PATIENTIAM HABEBIT IN ILLIS ; Græcè, *super illis ;* id est : Semperne longanimis erit, ac patienter feret injurias eorum, differendo libera-

strenuum, similiter ut hìc, est Græcè, *non longanimiter aget super illis*, non differet vindictam eorum ultra modum. Porrò in Evangelio interrogatio est, demùm hìc finita, quæ etsi secum suam afferat responsionem, disertè tamen Dominus ei respondet sequentibus verbis :

Dico, certè dico, affirmo vobis ; q. d. : Non habebit patientiam super illis, sed pro re certâ habete quòd

Cito, celeriter, brevi. Non intelligit *citò*, quamprimùm voluerint et oraverint eum : vult enim preces esse constantes et perseverantes, nec omitti, etiamsi non mox exaudiantur, tribulationibus perdurantibus ; id enim supra versus primus, et tota hæc parabola docet : sed *citò* dicit, pro eo quod est, primo quoque tempore opportuno ; id enim citò fit quod tam citò fit quàm fieri expedit. Non differt Deus more hominum, quasi parùm faveat electis suis, aut quasi tardè aut ægrè exerceat justitiam misericordiamve ; aut quòd præterire sinat aliquid temporis congrui ; sed quòd consilium ejus sit, ut electi per tribulationes exerceantur in virtutibus, charitatis, patientiæ, assiduæ orationis, etc., Mox verò ubi adest vel primus illius temporis articulus, quod ipse sapientissimâ providentiâ suâ statuit, tanquàm opportunum et utile liberandis electis suis, nihil ultra differt, mox promptum et præstò est ejus auxilium , et si in secretum consilii ejus penetrare liceret, videremus quàm citò succurrat, et ne uno quidem momento temporis tardet. Jam hinc infert Salvator quod initio nos docere statuerat, semper orandum et non deficiendum, exemplo viduæ, quia *veniens veniet Dominus et non tardabit*, Habacuc 2, v. 3, si nos in oratione perseveraverimus. Atqui dicet quis : Quid opus est in oratione perstare, quandoquidem non ante tempus opportunum Dominus auxiliaturus sit? Respondeo quòd nullum tempus opportunum Dominus statuerit, juvandis iis qui noluerint orationi invigilare.

Vers. 8. — Veniens, cùm venerit, scilicet in die suâ, de quâ supra, 17, v. 24, ad vindicandum electos semel omnes, ab injuriis inimicorum, et malis omnibus ; nam interim singulos vindicat seu liberat à præcipuis malis, ut minimùm finitâ vitâ eorum mortali, cùm persecutiones erunt omnium acerbissimæ, et summæ tribulationes, maximèque necessarium erit incumbere continuis orationibus ad evadendum mala, quod notat Theophylactus.

Putas, Græcè, *num.*

Fidem, cum fiduciâ et charitate conjunctam, quæ ad orandum et in oratione perseverandum excitet, ob oculos positâ misericordiâ et veritate promissorum Dei. *Meritò sermoni de oratione, sermonem de fide connexuit,* ait Theophylactus, *quoniam omnis orationis fundamentum ac basis est fides*, etc., *declarans interim, paucorum fore tunc orare, quandoquidem fides in paucis invenietur.* Ad eumdem modum Augustinus, serm. 36 de Verbis Domini : *Si deficit fides, oratio perit : quis enim orat qui non credit?* Ex fide oratio nascitur ; ex fidei magnitudine et constantiâ perseverantia orationis.

In terra ? in hominibus ? *Quâ interrogationis figurâ, raros dicit tunc inveniendos fideles,* inquit Theophylactus ; q. d. : Paucissimi erunt, qui fidem servaverint illibatam, qui perstiterint in superioris temporis afflictionibus, nec ob liberationis dilationem defecerint à fide in Deum et orationis constantiâ. Pauci eorum qui tunc vivent, quando Filius hominis, divinâ instructus potestate, venerit ad redimendum perfectèque liberandum, et in Dei regnum tam corpore quàm animâ assumendum electos omnes, judicabuntur electi, et redemptione liberationeque illâ ac regno Dei digni ; plerique miserè peribunt ob desertum fidei et orationis remedium. Neque enim salus continget iis qui non exemplo viduæ indesinenter oraverint Dominum, et magnâ patientiâ ac longanimitate exspectaverint, perferentes interim fortiter mala, dùm adventu suo ad clamorem eorum respiciens, finem calamitati afflictionique eorum imponat. Fideles ergo paucos dicit futuros sub adventum suum gloriosum, paucos, inquam, non respectu infidelium, quod semper locum habet, sed pauciores quàm præcedentibus ab humili suo adventu temporibus. Nam et alibi de novissimo tempore : *Surgent*, inquit, *pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia,*

tionem quam petunt? Quo sensu dicitur Eccl. 35, v. 22 : *Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium ; et fortissimus non habebis in illis patientiam.* Respondet autem Christus interrogationi suæ :

Vers. 8. — Dico vobis, quia cito faciet vindictum illorum, eos à malis omnibus liberando. Non quòd statim eis precantibus subveniat ; sic enim periret precum perseverantia, ad quam hortatur ; sed quia ne momento quidem tardat ultra articulum temporis, quo recta ratio, id est, justitia et veritas Dei dictaverit esse subveniendum. Sed quia, ut Aug. notat, serm. 36 de Verbis Dom. cap. 1, si fides deficit, perit etiam oratio, et maximè orationis perseverantia, hinc Christus adjicit : Verumtamen Filius hominis veniens, ad faciendam vindictam, seu ad liberandum simul et semel electos suos ab acerbissimis, quæ tunc erunt, tribulationibus, et quæ maximè poscunt ut assiduæ orationi vacent, putas, Græcè, *num*, sive, *utrùm*, quo modo sæpè sumitur illud, *putas,* in Scripturis, ut supra c. 12, v. 42, et Matth. 24, v. 25. Inveniet fidem in terra, seu in hominibus? quâ interrogationis figurâ fidei raritatem significat, ut Theophyl. notat ; non tamen omnimodum interitum, quasi tunc Ecclesia fidelium peritura sit : quem perversissimum esse sensum docet Aug., lib. 2 contra Gaudentium c. 6. Nam Donatistæ ex hoc loco probare conabantur, apostasiam totius orbis factam esse. Itaque idem Aug. duplici sensu hoc exponere solet ; vel de fide formatâ per charitatem, ut hoc dictum sit propter iniquorum abundantiam bonorumque paucitatem, juxta illud Domini : *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum ;* vel de fide perfectâ, quâ montes transferuntur, atque ita difficilis est in hominibus, inquit, ut in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moyse, inveniatur aliquid, ubi trepidaverint, vel trepidare voluerint ; talis enim fides efficacissima est ad orandum, et impetrandum. Utrumque sensum tradit lib. de Unit. Ecclesiæ cap. 15, postremum loco cit. contra Gaudentium, et latiùs,

ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, Matth. 24, v. 24, ubi et de charitate ait, quemadmodùm hìc de fide : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum : qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Matth. 24, v. 12. Et Petrus apostolus, nonne venturos dicit *in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes*, qui negaturi sint futurum, quamvis instantem, Filii hominis ad judicium adventum, *dicentes : Ubi est promissio aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ?* Sub judicium igitur peribit paulatim fides, et minuetur fidelium numerus, ita ut pauci futuri sint Filio hominis apparente, verùm insignes illi illustresque, non tantùm fide, verùm etiam fidei confessione et perseverantiâ in oratione omnisque generis virtutibus. Hos hâc admonitione præmunire Christus voluit ne turbarentur aut scandalum paterentur, cùm visuri essent plerosque, cedentes malis, et à rectâ in Deum fide verâque pietate deficientes. Hos denique Filius hominis, adventu suo, è malis omnibus eripiet vindicabitque, et compotes reddet ejus voti quod toties iteraverant : *Adveniat regnum tuum*, cæteris omnibus perditis et ad gehennam damnatis.

VERS. 9. — DIXIT AUTEM, quodam tempore.

ET, etiam ; non tamen necesse est intelligere, hanc parabolam eodem tempore dictam quo superiorem.

AD QUOSDAM, monendos et corripiendos, eorumque superbiam retundendam : quam frequenter damnat ut nocivam maximè, quæque plus aliis passionibus mentes hominum vexet, humilitate è contrario commendatâ.

QUI IN SE CONFIDEBANT, persuasos in seipsis, qui sibi ipsis persuaserant. Græcè plus aliquid est quàm *confidere;* unde Rom. 8, v. 38, interpres idem verbum vertit *certus sum*, quod alii *persuasus sum*. Quod autem dicitur, *in se*, non ita intelligendum est, quòd fiduciam suam in seipsis collocârint, sed quòd apud se confisi fuerint, seu, ut loquitur Syrus, *in animis suis*.

TANQUAM JUSTI, ad verbum, *quòd sunt justi*. Ita scribit et Syrus, qui confisi seu persuasi animis erant quòd essent justi, hoc est, *qui sibi justi videbantur*, quod habet Augustinus, serm. 36 de Verbis Domini. *Justi*, id est, à peccatis vitiisque immunes et conversatione sancti. Subaudi, quales reverà non erant, vel ob superbiam certè mentisque tumorem. Verisimile est hos Pharisæos fuisse, quibus familiare erat propter externa quædam virtutum opera justos se reputare.

ET, propterea.

ASPERNABANTUR, despiciebant, contemnebant præ se CÆTEROS, alios plerosque omnes, tanquàm injustos, peccatores, et longè alienos ab eâ justitiæ laude quâ ipsi excellerent.

PARABOLAM. Sive res gesta fuerit, quam novisse potuerat ipse cordium cognitor Jesus, sive exempli gratiâ conficta, parabola dicitur, quemadmodùm superior. Vide supra, v. 1, et infra, v. 14.

VERS. 10. — DUO HOMINES. Duos homines inter se confert Jesus, qui cùm ambo pietatis studium orando præ se ferant, longè tamen dispares sunt.

ASCENDERUNT seu ascenderant, IN TEMPLUM, quod notum est in monte situm fuisse. Isaiæ 2, v. 3 : *Venite et ascendamus ad montem Domini.*

UT ORARENT, Deum, ob quam solam causam frequentandum est templum, quæ *domus orationis est*, ut alibi Salvator monet ; infra 19, v. 46.

PHARISÆUS, justum se esse persuasus, et sanctitatis opinione tumens.

PUBLICANUS, peccatorem, multis peccatis obnoxium, se esse agnoscens. Vide quæ diximus supra de publicanis.

VERS. 11. — STANS. In illo templo veteri, ferè moris erat stare, quod ex pluribus Scripturæ locis manifestum evadit. Nam, quanquàm aliquando, nunc in genua, nunc etiam in faciem procideretur, tamen quia non poterat id esse continuum, quamdiù religionis officia durarent, stabatur ferè à viris, cùm commoditas sedendi nulla esset, ubi solis pontifici et regi sedes erat. Cæterùm fieri potest ut hìc notetur Pharisæi arrogantia, quasi jure ac merito suo cum Deo colloquentis, et vultum in cœlum attollentis. Nam *humilis viri est, et aspectu humiliari*, inquit Theophylactus : *hic autem et habitu et gestu superbus agnoscitur.*

APUD SE. Id Syrus pro *secretò* acceptum refert ad *stans ;* rectiùs Latinus, pro *in animo*, seu *corde suo* acceptum, jungit cum *orabat;* nam Græcum ambiguum est.

ORABAT. Hæc erat ejus oratio, orationis loco hæc loquebatur in corde suo.

serm. 36 de Verbis Dom., c. 1. Cùm ergo docuisset Dominus orationem esse debere perseverantem, nunc ut doceret esse debere humilem,

VERS. 9. — DIXIT AD QUOSDAM, Pharisæos videlicet, de superbiâ maximè notabiles, QUI IN SE CONFIDEBANT, TANQUAM JUSTI, supple, *essent*, ut Græcè additur, id est, qui confidebant seu confidenter sibi persuadebant se esse justos; nam Græcè est, *persuasi in seipsis,* id est, qui sibi persuaserant, etc. ET ASPERNABANTUR CÆTEROS, tanquàm injustos, arbitrati videlicet se solos esse justos. Superbia enim vult esse singularis, perversè appetens id quod Deo maximè proprium est, ut scilicet unus omnibus excellat, de quo August., lib. de verâ Religione, cap. 45. Et hæc est causa cur superbos Augustinus communiter per unicornes intelligat. Hanc superbiam etiam ipso nomine Pharisæi præferebant, tanquàm separati à reliquis. Ad hos ergo dixit PARABOLAM ISTAM ; quæ fortassis res verè gesta fuit, sed ad hoc proposita, ut inde tanquàm ex parabolâ aliquid simile pro omnibus orantibus eliciatur.

VERS. 10. — DUO HOMINES ASCENDERUNT IN TEMPLUM, tanquàm in monte situm ; ut isto corporali ascensu monerentur oraturi, mentem simul ad Deum elevandum esse, cùm orationis non postrema pars sit mentis in Deum elevatio. *Unus Pharisæus*, opinione sanctitatis suæ tumens, ET ALTER PUBLICANUS, peccator publicus, et agnoscens se esse talem.

VERS. 11. — PHARISÆUS STANS, superbè et arroganter, quasi jure suo de propriâ justitiâ cum Deo dis-

Gratias ago tibi, laudoque te, quia, quòd, non sum, tuâ gratiâ, tuo auxilio præservatus; sicut cæteri hominum, seu, ut Latinè loquaris, *homines*.

Raptores, qui sunt *raptores*, rapaces, alienâ vi rapientes.

Injusti, fraude dolove alienâ sectantes ac retinentes.

Adulteri, subaudit, *et cætera*; nam quibusdam criminibus enumeratis, reliqua intelligenda relinquit. Sentit reliquos homines sceleratos et criminibus obnoxios esse, hos illis, alios aliis; à quibus quòd ipse immunis sit, Deo gratias agit. Porrò an Deo gratias agat, quòd ipsius munere à sceleribus et vitiis servatus fuisset, à quibus non valuisset solis liberi arbitrii sui viribus cavere et abstinere, incertum est; magis verisimile fit ad hujusmodi scelera cavenda, non agnovisse alium quàm generalem Dei concursum: non tamen grata est ipsius gratiarum actio. Inprimis quia falsa est, quippe quâ è peccatorum numero se eximat, cùm inter preces ipsas gravissimè peccet, quando etiam ii qui sanctitate excellunt, agnoscere debeant multis se adhuc peccatis esse obnoxios, et sic Deo gratias agere, ut orent quoque: *Dimitte nobis debita nostra*. Deinde, quia verbis agnoscens Dei dona et gratiam, reipsà placet sibi in illis, non secùs ac si à seipso haberet, et diligentiâ suâ assecutus esset. Tertiò, quia non solùm sibi ob ea placet, verùm etiam magni se facit atque extollit, non tam Deum laudans quàm seipsum, specie gratiarum actionis ad se laudandum abutens, idque, quod quartum et amplius est, cum aliorum contumeliâ. Aliis enim omnibus se præfert, neminem sibi similem ducens, se solum purum et mundum, alios omnes sceleratos, et gravibus criminibus obnoxios, temerè atque injuriosè judicans. « Omninò enim, inquit « Theophylactus, si credidisset quòd per gratiam « haberet aliena bona, non contempsisset alios, con« siderans quòd etiam ipse æquè nudus esset, quan« tùm ad suam virtutem attinebat. » Quòd si dixisset: Deus, gratias tibi ago, quia non sum raptor, injustus, adulter, fuisset agnoscentis Dei beneficium, atque omninò pia meditatio est, reputare quantùm à Deo acceperis, ne Dei beneficentia tuâ ingratitudine obruatur; sed se quidem criminibus peccatisque absolvere, alios autem omnes onerare, temerariæ atque arrogantis φιλαυτίας ac superbiæ est, facientis ut et ipse sceleratus habendus sit, quamvis illorum quæ commemoraverat criminum, nihil in ipso resedisset: superbiâ nempe destruente, quod justitia ædificaverat, auctore Paulino apud Augustinum epist. 58.

Velut etiam hic publicanus, qualis est etiam hic publicanus, quem video præsentem, unus scilicet ex cæteris, nominatim raptor et injustus. Græcè est *aut etiam sicut hic publicanus*, scilicet non sum. Syrus, *neque sicut hic publicanus*, scilicet sum. Non suffecit huic generatim prætulisse se cæteris omnibus, nisi sumpto in exemplum præsente publicano, magis intumesceret, et despecto in corde suo tanquàm manifestario peccatori se præferret, ratus per rei evidentiam id se meritò posse. Quasi enim veritus ne Deus neget quod dixerat, de proximo sumit exemplum, quo innocentiam suam probet; et tanquàm digito publicanum ostendens, quantùm inter se et illum intersit, Deum jubet animadvertere. Intolerabilis superbia cum temerario judicio conjuncta. Quanquàm enim publicitùs notum esset hunc publicanum esse, et iis vitiis obnoxium quibus solent publicani, tamen cùm in templo orantem, et religionis officio vacantem conspiceret, sperare debebat ejus emendationem, quòd idcircò ad templum venisset, ut Deum veniam peteret peccatorum, promissâ vitæ emendatione, prout verè res se habebat; ac proinde meliùs de illo sentire, nec perinde facilè se illi præferre, multòque minùs contemnere eum. Quòd si sincerè Deo gratias egisset, cognoscens se, Dei gratiâ, sine meritis suis, à sceleribus quæ passim inter homines regnant præservatum fuisse, non insultâsset peccatori præsenti, sed misertus ejus fuisset, conjunctimque cum eo orâsset.

Vers. 12. — Jejuno, jejunare consuevi. Omnia superbiam spirant, tanto studio, nunc vitia aliorum,

serturus; nam sublimitas animi etiam in corpore suam similitudinem operabatur et operari solet; hæc apud se orabat, id est, hæc loquebatur in corpore suo cum Deo; nihil enim orabat à Deo, prout oratio postulationem significat, ut notat Augustinus, serm. 36 cit. Deus, gratias ago tibi, quia non sum, per tuam scilicet gratiam præservatus (nemo enim veraciter agit gratias alicui, nisi agnoscat ejus beneficium), sicut cæteri hominum. Diceret saltem, *sicut multi homines*. Quid est, *sicut cæteri hominum*, nisi, *sicut omnes præter me? Ego justus sum, cæteri peccatores,* prout hoc extendit August., ibid., quibus in verbis multipliciter peccabat. Primò, quia verbotenùs agens Deo gratias, reipsà sibimet placebat in donis Dei quod in viris etiam bonis superbiæ germen esse solet. Secundò, quia non solùm sibi placebat, sed etiam cæteris omnibus se cum quodam contemptu præferebat, adeòque sub specie gratiarum actionis laudabat: omnis autem qui se exaltat, etiamsi vera dicat, offendit, ut Ambros., serm. 3 in Psalm. 118, v. 5. Tertiò, quia falsò se peccatorum numero eximebat: nam illa verba, raptores, injusti, etc., vim habent enumerationis omnium vitiorum, etiam superbiæ (pauca enim tangens, reliquit reliqua); cùm tamen illa destrueret, quidquid reliqua ejus justitia ædificaverat, ut ait S. Paulinus, epist. 58 apud Augustinum, ideòque falsa fuit hæc oratio. Quartò addit, velut etiam, seu qualis est etiam, hic publicanus, unus videlicet ex illis cæteris raptor et injustus. Nam eum tanquàm digito ostendens, jubet Deum animadvertere, quantùm inter se et illum intersit. Quâ in re continetur intolerabilis superbia, cum temerario judicio conjuncta: superbia est enim insultare peccatori, ut notat Aug., in Psalm. 93, et insignis temeritatis, hominem condemnare, externo gestu pœnitentem. Cùm ergo se laudâsset quòd declinâsset à malo, nunc ulteriùs enumerat, quæ fecerit bona, ut utrinque se justum ostenderet:

Vers. 12. — Jejuno bis in sabbato, id est, quâque septimanâ; Pharisæos autem secundam et quintam hebdomadæ diem jejunio dedicâsse tradit Epiphan., hæresi 16. Decimas do omnium quæ possideo, in elee-

nunc suas virtutes, enumerantis. Postquàm enim se ipse laudavit, quòd immunis esset ab iis quibus plerique hominum laborant vitiis; jam à virtutibus, quibus emineat, laudat se, ut in utrâque justitiæ parte æquè versatum se esse declaret, et in declinando à malo, et in faciendo bono. Jejunio, quod universa Scriptura tantoperè commendat, ut utile ad macerationem carnis et orationem corpus castigare soleo, ait, bis.

Bis, non tantùm iis diebus quibus omnes juxta legem aut majorum statuta jejunant, sed binis diebus.

In sabbato, id est, hebdomadâ unâquâque. Nam hebdomada à sabbato incipiens, et in sabbatum desinens, sabbatum hic vocatur, à præcipuo die.

Decimas do, decimas dare consuevi omnium quæ possideo; non solùm frumenti, vini, olei, quorum decimas vulgus appendit; sed et menthæ, anethi, cymini (de quibus Matth. 23, v. 23); quin etiam ovorum, lactis, casei, piscium. Quæ postrema etsi fructus terræ non essent, sed fructus aquæ aut fructus fructuum, tamen qui integriorem legis observationem profitebantur, etiam hæc omnia decimabant, quod docet Arias Montanus in hunc locum scribens. De horum et similium observatione Pharisæus hic sibi gratulabatur, non de legis aut mandatorum Dei, intelligens quòd ea quæ præcepta sunt, jam inde à juventute observaverit, sed quòd iis non contentus, multa sibi ipse postea indixerit, ex animi sui certo consilio ac studio, quæ ex lege facere non teneretur, verùm ex abundanti ad sui perfectionem susceperit. Et, quod Theophylactus notat, « contra adulterium quidem, cujus fecerat mentionem, gloriatur de jejunio; à deliciis enim petulantia : contra rapinam verò et injustitiam, profert dationem decimarum omnium quæ possidebat : Tantùm, inquiens, contrarius sum rapinæ et injustitiæ, ut etiam quæ mea sunt expendam. » De horum igitur exactâ observatione, ut in quibus sita sit vitæ perfectio, Pharisæus hic sibi gratulatur; et gratias quidem agit Deo, ut qui auctor ipsi fuerit ineundæ vitæ adeò perfectæ, sed seipsum laudat, ut qui non tantùm peccatoribus, sed et aliis viris bonis, si qui essent, melior ac superior esset. Hæc igitur Pharisæi coram Deo oratio est, continens quidem gratiarum actionem, quæ una est orationis pars, quanquàm illam ad suam ipsius potiùs quàm ad Dei laudem institutam, quod diximus; sed nullam petitionem, quæ præcipua est pars. Nihil ille petit Deo, non remissionem peccatorum, vel illorum sine quibus hæc vita à justis non ducitur, non augmentum virtutum, non perseverantiam : dicas existimâsse se virtutum culmen esse assecutum, nec opus majore Dei gratiâ habere, ut cui nihil ad perfectionem deesset. *Tanquàm superbus et inflatus reprehenditur,* ait Augustinus, serm. 36 de Verbis Domini, *non quia Deo gratias agebat, sed quia velut nihil sibi addi cupiebat.*

Vers. 13. — Et, pro *at.* Syrus *den*, quod est, *autem.*

A longè, eminùs. Non longè à Pharisæo, quippe quem Pharisæus haberet in conspectu, cùm diceret *velut etiam hic publicanus,* supra, v. 11; sed longè ab altari et locis sanctis. Et fortassè non longiùs quàm Pharisæus, sed Pharisæus fortuitò in eum locum inciderat, publicanus verò studiosè eum locum elegerat indignum se reputans, qui propiùs ad sancta loca, in quibus Deus velut præsens coleretur, accederet. *Cordis conscientia eum removebat, pietas applicabat,* ait Augustinus.

Nolebat, non audebat, pudebat.

Nec oculos, phrasis Græca, pro, *vel oculos.*

Ad coelum, id est, sursùm, ubi Deus, sive cœlum æthereum intelligas (aperta enim, sub dio, erant atria templi), sive sanctum sanctorum, ubi Deus super Cherubim sedens, sive utrumque; nam et sanctum sanctorum, superius erat atriis, in montis declivi sitis.

Levare, memor quàm variis atque indignis modis Deum offendisset. *Ut aspiceretur, non aspiciebat,* ait Augustinus, *respicere sursùm non audebat : premebat conscientia, spes sublevabat.* Pharisæus justum se esse persuasus, et suo se jure colloqui posse cum Deo, fidenter et manus et oculos attollebat in cœlum.

Sed demissis in terram oculis, omni cum verecundiâ et humilitate, percutiebat manu pectus suum, conscium se sibi multorum agnoscens peccatorum. *Pectus,* cor videlicet, quod ait Theophylactus, id est, voluntatem, quæ admissorum criminum ipsi origo fuisset et causa. *Percutiebat,* præ contritionis vehementiâ, tanquàm pœnas de se exigens, *ostendens*

mosynas videlicet erogando, ut August. in Psalm. 146. Neque enim omnium omninò rerum decimas propriè dictas sacerdotibus dare tenebantur. Observat autem idem Augustinus, tum illo serm. 36, tum lib. de Spiritu et Litterâ, cap. 13, Pharisæum se tantùm laudâsse, nihil verò omninò à Deo petiisse, tanquàm scilicet nihil Deo indigeret ampliùs, sive ad peccati cujuscumque remissionem, sive ad conservandam, augendam perficiendamque justitiam. Unde rectè loco quodam Ambr. : Pharisæus arrogans in prece, jactans innocentiæ, præsumptor gloriæ, exprobrator misericordiæ (fortè miseriæ), prædicator sui, criminator alieni, qui magis conveniret (id est, debitum suis meritis posceret) quàm rogaret Deum.

Vers. 13.—Et publicanus a longe stans, id est, longè ab altari et sanctis locis, conscientiâ id operante, quâ agnoscebat, se per dissimilitudinem morum longè esse à Deo, et salute, nolebat, quia non audebat, nec oculos quidem ad cœlum levare; multò minùs aliud quidpiam audacius cum Deo facere, quod Cyprian. de Orat. Dominicâ in initio ascribit verecundiæ; attollere verò oculos impudentiæ; sed percutiebat pectus suum, ut peccata intùs inclusa testaretur, juxta Cyprian. ibid., ut ea contereret, juxta August. in Psal. 31, tunsio enim pectoris, inquit, obtritio cordis est; denique ut evidenti pulsu occultum castigaret peccatum, et à se pœnas exigeret, juxta eumdem, serm. 8 et 36 de Verbis Domini. Hæc enim omnia importat pectoris tunsio, quam natura pœnitentes docuit, tum Judæos olim, tum deinde Christianos, ut patet infra, cap.

quòd plagis dignus esset, ait Euthymius. Commendat discipulis suis Christus, non solùm humilitatem, verùm etiam gestus et signa humilitatis ac pœnitentiæ.

Propitius, placatus, esto mihi peccatori, vilissimo, remitte mihi peccata mea multa et magna. Paucis utitur verbis, et penè solis duobus, quorum uno peccatorem se confitetur, altero veniam petit. Verbis brevis oratio, nec enim multiloquio demulcetur Deus, Matth. 6, v. 7; sed personæ congrua : solent enim qui magno animi tenentur dolore simul et pudore, quæ duo semper conjuncta sunt, ubi est vera peccati agnitio, non multis uti posse verbis, vocem reprimente tum luctu, tum verecundiâ ; sed rebus gravis, digna quam peccatores omnes imitemur ; nam et hoc consilio, haud dubium à Christo nobis proposita est ; quâ publicanus pœnitens, non confert, multòque minùs præfert se aliis, sed secum manet, et quasi solus peccator esset, de se solo loquitur : non se laudat aut excusat, sed deprimit et peccatorem confitetur, nullâ re magis animum suum torqueri declarans, quàm quòd Deum offenderit, nec quidquam æquè optare, ac ut sentiat placatum, ac proinde veniam et gratiam Dei, omni cum animi corporisque demissione, suppliciter petens.

Vers. 14. — Dico vobis. Fert sententiam Jesus inter duos illos oratores, declarans uter et utrius oratio Dei majestati acceptior fuerit. Dices non rem gestam à Salvatore narratam esse, sed fictam, exempli loco. Respondeo facilè fieri potuisse fuisse rem gestam, Jesu cognitam, eâ quâ omnia nôsset scientiâ. Sed non fuerit res gesta, tamen hujusmodi fuisse intelligendum datur, quæ facilè fieri potuisset, nempe, et Pharisæis, solitis de vitæ sanctimoniâ gloriari, et publicanis, vitæ genere infamibus, non rarum fuisse morem orandi eâ ratione Deum, quâ dictum est. Qui mos etiam quamvis non fuisset, certè Salvator, positis iis quæ narraverat tanquàm verè gestis, sententiam dicit uter eorum qui sic orare potuissent, foret Deo gratior.

Descendit post orationem è templo hic publicanus, qui peccator in templum venerat, justificatus. Dei gratiâ justus effectus, ab illo, præ illo, quod Hebraicè dicitur *mimmennou*, id est, magis quàm ille, vel potiùs quàm ille. Sic Psal. 118, v. 103, *middebas*, præ melle, id est, plus quàm mel, quod nostra versio habet, *super mel ori meo ;* id quod sæpiùs occurrit illo octonario : *Super omnes docentes me : Super senes*, etc. Videtur interpres hic secundùm Lucam Græcè legisse, παρ' ἐκεῖνου, *ab illo*, vel, παρ'; ἐκεῖνον, *ad illum*, scilicet comparatus. Nam alioqui Græcè ferè est ἢ γὰρ ἐκεῖνος, *quàm enim ille*, quod quidam interpretantur, quàm certè ille, vel magis certè quàm ille ; quidam aiunt se non intelligere. Nonnulli Græci codices, omissâ conjunctione, legunt ἢ ἐκεῖνος, id quod, subaudito adverbio μᾶλλον, vertitur, *potiùs* aut *magis quàm ille ;* ad quem modum Syrus transfert, *magis* seu *ampliùs quàm ille Pharisæus*. Ad hunc modum, *magis quàm ille*, legit Augustinus pluribus locis, epistolâ 86 ad Casulanum, sermone 36 de Verbis Domini, homiliâ 44, inter 50, cum Paulino, epistolâ 58, inter Augustinianas. *Ab illo* autem, seu magis aut potiùs quàm ille, Euthymius interpretatur, *et non ille*, subjiciens : *Siquidem qui sese ideò justificaverat, à Deo condemnatus est ; et qui se adeò condemnaverat, à Deo justificatus est.* Non enim est comparatio propriè dicta, quâ vel justitia vel injustitia utrique communis, sed gradibus differens, denotetur ; nec enim Pharisæus tantâ cum arrogantiâ justus, nec publicanus post tantæ humilitatis et pœnitentiæ argumenta injustus, pronuntiari potuit ; sed comparatio est impropria, quia scilicet Pharisæus specie solùm externâ et opinione suâ, publicanus autem reverà ac Deo propitio justificatus descendit. Ille varia commemoraverat justitiæ opera, quibus assiduè incumberet, sed, ut Paulinus ait, epistolâ illâ 58, *quod justitia ædificabat, superbia destruebat ;* hic divinâ imploratâ misericordiâ exauditus est, et, acceptâ peccatorum remissione, ex peccatore justus redditus. Nihil enim ei defuit ad peccatorum remissionem obtinendam, non peccatorum confessio, non dolor de offenso per peccata Deo, non satisfactio, præ verecundiâ quasi subtrahentis se conspectui Dei, et pœnam à seipso exigentis. Nam propositum vitæ emendandæ, et signanter restituendi aliena, si opus foret, defuisse quis credat ? Hinc Augustinus sermone illo 36 : « Quid « miraris si Deus ignoscit, quando ipse se agnoscit ? « et Paulinus, epist. 58 : « Ille in corde contrito suî accusator, accipitur, et obtinet veniam de confessis « peccatis, propter gratiam humilitatis, sancto illo Pharisæo (quales Judæi sancti sunt) reportante sarcinam « peccatorum de jactantiâ sanctitatis. » Quare si remissionem peccatorum publicanus, utique et justificationem obtinuit, factus ex impio justus.

Quia. Ratio redditur cur publicanus oratione justificationem obtinuerit potiùs quàm Pharisæus.

Omnis qui se exaltat. Pharisæus se ipse exaltaverat, laudaverat, commemoraverat virtutes suas, quas tamen, vel non possederat, vel non nisi inanis gloriæ ac superbiæ carie emedullatas ; denique omnibus se prætulerat ; quare æquum fuit ut, juxta divinam regulam, humiliaretur ac deprimeretur ; ut ab oratione nullum referret à Deo præmium, sed rejectus, qualis advenerat abiret, impius, superbus, inanis. Contra publicanus, qui se ipse coram Deo humiliaverat, peccatorem se agnoverat, peccata defleverat, veniam rogaverat, exaltaretur, exaudiretur, justus et Deo acce-

23, v. 48. Qui ritus olim tam familiaris erat christianis, ut simul atque audirent verbum, confiteor, etiam pro laude usurpatum, pectus tunderent, August., serm. illo 8. Dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Quibus paucis verbis et peccati confessio, et veniæ petitio exprimitur, et Spiritûs sancti infusio postulatur ; nam, ut Aug., epist. 57, Spiritus sanctus inhabitat propitius. Itaque quidquid ad justificationem est necessarium, isto compendio comprehensum est. Unde quia cor contritum et humiliatum Deus non despicit, meritò pronuntiat Christus :

Vers. 14. — Descendit hic, è templo, justifica-

ptus redderetur, et qui servus ad templum advenerat, auctus honore filii Dei domum rediret. « Omnis enim « qui se exaltat, ait Theophylactus, humiliabitur, « Deo illum condemnante : quia autem se condem- « nando humiliat, exaltabitur à Deo justificante. » Gnomen hanc Jesu familiarem : *Omnis qui se exaltat*, etc., jam explicuimus, supra, 14, v. 11. Hoc igitur exemplo et ratione hâc, corripuit Jesus eos, qui in se confidebant tanquàm justi, et aspernabantur cæteros, quòd essent aliquando, justo Dei judicio humiliandi, deprimendi, rejiciendi, à Dei donis repellendi, denique aliis omnibus, etiam publicis peccatoribus, postponendi ; quemadmodùm alibi ait, *publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei,* Matth. 21, v. 31.

Vers. 15. — Afferebant. Afferebantur, sive quòd brachiis gestarentur, quemadmodùm Jesus in ulnas eos secundùm Marcum accepit, sive quòd manuducerentur. Secundùm Marcum vertit *offerebant*.

Autem. Alteram doctrinam humilitatis subjungit evangelista.

Et infantes. Cùm sæpè experti essent homines illi, adultis hominibus Jesu oblatis varia contigisse non parvi momenti beneficia ; tandem obtulerunt ipsi etiam infantes, spe conceptâ, nec illos Dei donis vacuos abituros, si manus illis imponeret. Syrus omittit, *et*.

Increpabant, objurgabant, prohibebant.

Illos, offerentes (sic enim disertè Marcus), ut minùs honorificè Dominum observantes, et molestos re indignâ eo cui non cum pueris, sed cum viris, turbis ac populis sacrum esset continuumque negotium. Existimant indignum auctoritate dignitateque Jesu cum pueris agere, in pueris occupari : dispensationem ipsius putant longè sublimiorem quàm cui possit vel debeat esse negotium cum infantibus. Hâc ratione abigunt offerentes, imò etiam increpant illos, tanquàm admittentes rem indignam Jesu, et parùm magnificè de ipso sentientes, cujus operam non ad humilia hujusmodi, sed ad sublimia deberent petere. Si parvuli isti ægroti fuissent, fortè non repulissent eos (neque enim repulerunt adultos insanos rationisque usu carentes), sed quia in sanis nulla ipsis apparebat occasio declarandæ virtutis divinæ, et infantes nullius erant doctrinæ capaces, non videbant quamobrem Christo offerri aut à Christo benedici deberent. Nondùm intelligebant munus Christi, à maximo ad minimum usque perire omnes necesse esse, quos non servaret redemptor mundi Christus, suæque gratiæ participes faceret.

Vers. 16. — Convocans, simul omnes. Græcè, *postquàm advocâsset*. Syrus, *vocavit*.

Illos, infantes : est enim Græcè neutro genere αὐτὰ, quod non aliò referri potest, quàm ad τὰ βρέφη, *infantes*. Et quanquàm verisimile sit adfuisse et infantes ab uberibus adhuc pendentes, qui advocationis minimè essent capaces, ex communi tamen loquendi consuetudine, infantes advocare dicitur, qui gerulos aut ductores illorum advocat, ut infantes afferant, hìc præsertim ubi geruli nec aderant nec advocabantur nisi infantum causâ. Intelligendum itaque est eos à quibus afferebantur infantes, quos discipuli abigebant, jussos à Jesu fuisse propiùs accedere unà cum infantibus quos gestabant aut manuducebant, ut scilicet tangeret illos, seu impositis manibus benediceret, quod rogabatur.

Dixit, discipulis prohibentibus.

Venire ad me, scilicet ut benedicantur. Puellos, qui per ætatem nondùm ipsi poterant sive pedibus sive affectibus venire, ad se venire reputat quando à parentibus aut amicis fide duce ipsi offeruntur.

Talium est enim. Dat rationem quare arceri à se infantes nolit ; quia *talium,* scilicet si modò ad me venerint et à me fuerint benedicti. Talium, id est, eorum qui tali conditione sunt præditi quali parvuli, quod est ipsorum parvulorum, et eorum qui parvulos simplicitate christianâ imitantur. Non enim dicit istorum, sed, *talium,* non quòd excludat pueros à quibus facit initium, sed quòd concludat simul adultos eos qui pueris similes sunt, qui *parvuli sunt non sensibus, sed malitiâ,* 1 Cor. 14, v. 20, ac signanter superbiâ, quâ apostoli moti repulerant pueros abs Jesu. Occultè itaque arguit suos tanquàm nondùm à fastu alienos, et proinde necdùm idoneos regno cœlorum, quippe qui, puerulis qui neminem contemnunt dissimiles, puerulos abjiciant et contemnant. Itaque puerorum inprimis dicit esse *regnum cœlorum,* eorum, inquam, qui ab ipso Christo mundi Salvatore fuerint benedicti (nec enim per se sufficit illa naturæ ætatisve simplicitas), deinde et eorum qui puerulis sunt similes (quales ut se reddant, submonet apostolos), qui tales sunt virtute, electione, inquam, voluntatis adjutæ gratiâ ipsius, quales pueri ingenitâ naturâ, qui scilicet humiliter de se sentiunt, honores non ambiunt, alios omnes sibi præponi æquanimiter patiuntur, neminem fastidiunt aut contemnunt, superioribus citra obloquium credunt atque obtemperant, læsi vindictam non expetunt, iram non fovent, vitia ignorant, casti sunt, puri sunt, innocentes denique, simplices, candidi. Omnis enim animi præparationis ad regnum cœlorum Christi gratiâ obtinendum exemplum est puerilis simplicitas. Ad hanc refingi oportet superbam hominum malitiam, eorum qui adulti in illius virtute non perseverârint, si velint admitti in regnum cœlorum. Non itaque ætas puerilis præfertur ætati adultæ, sed virtus vitio, adultorumque ornamentum esse docetur puerilis innocentia.

Regnum coelorum, æterna felicitas, cujus ego annuntiator, promissor, possessor et largitor sum ; q.

tus ab illo, id est, præ illo, phrasi Hebræis usitatâ, seu magis quàm ille, prout August. legit multis locis, nempe quia Pharisæus opinione duntaxat suâ, externâque specie publicanus reverà coram Deo justificatus descendit. Ratio est quia omnis qui se exaltat, sicut fecerat Pharisæus orando, humiliabitur, quia ipsa oratio talis facta ei fuerat in magnum peccatum; et qui se humiliat, sicut publicanus, exaltabitur ; nam ipsa ejus justificatio magna exaltatio fuit.

d. : Non enim existimare debetis indignum me esse cum pueris agere, infantibus manibus impositis benedicere, postquàm regnum illud cœlorum, cujus gratiâ omnia à me fiunt ut homines eò adducam, non alii obtinebunt quàm pueruli, quos ad me venisse et benedictionem à me consecutos fuisse contigerit. Ætate pueri, modò benedictionem eâ impetratâ, jam nunc idonei sunt regno cœlorum. Vos adulti, qui jamdiù meâ præsentiâ ac benedictione fruimini, nondùm idonei estis, sed ut idonei fiatis, et cæteri quicumque alii, æmuli reddamini oportet puerulis simplicitatis, humilitatis atque innocentiæ. Minimè itaque à meâ benedictione repellendi sunt, qui quales inpræsentiarum sunt vitæ conditione, apti sunt regno : quosque dùm aspicio seu contrecto, specimen contemplor omnium electorum Dei, qui futuri sunt hæredes regni mei. Discant hìc parentes, magnam gerere sollicitudinem parvulorum liberorum, quos vident Domino tam esse charos, præcipuè autem curare, ne, dùm excedunt pueritiâ, et innocentiâ excedant.

Vers. 17. — Amen. Explicat rationem quare dixerit talium esse regnum Dei, potiùs quàm istorum, quòd ita certò puerulorum sit regnum cœlorum, ut nullius sit qui non sit ipsis similis.

Acceperit, susceperit.

Regnum Dei sibi prædicatum. Regnum Dei recipit, qui Evangelio promittenti regnum cœlorum fidem adhibet seque ipsum subjicit. Cæterùm non de primâ solâ Evangelii receptione intelligendus est locus, sed de continuâ, ita ut sensus sit : Quisquis non adhæserit et subjectus permanserit Evangelio regni : hoc itaque loco Evangelium, id est, infallibilis regni Dei promissio, nomen habet regni Dei, metonymicè.

Sicut puer, Gr., *quasi puerulus,* tanquàm si esset ipse puerulus, vel ad puerilem simplicitatem reversus, non sensu, sed malitiâ, id est, depositâ omni malitiâ, vacuus superbiâ, pertinaciâ, avaritiâ, simulatione, irâ, vindictâ, invidiâ, detractione, luxuriâ, cæterisque vitiorum generibus, quibus consuevit adulta ætas præ tenerâ esse obnoxia, *sicut modò genitus infans rationabile sine dolo lac concupiscens ;* sic explicat Petrus, 1 epist. 2, v. 1, 2.

Non intrabit, post hujus vitæ finem : in Græco, conduplicata negatio vim addit futuri, aut certè modi potentialis :

In illud, scilicet regnum Dei, id est, vitam æternam beatamque, Evangelio promissam. Gravissima Jesus sententia et verissima, re conveniens (quanquàm plura fortassè complexa) cum illâ Matth. 18, v. 3 : *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Vers. 18. — Princeps, primariæ auctoritatis vir, tum ob divitias, tum ob probitatem, fortè etiam ob generis claritatem et primatum aliquem.

Magister bone. Hujusmodi elogiis et blanditiis salutari solent sapientes Hebræorum à discipulis, captandæ benevolentiæ causâ. Significabat itaque hàc præfatione se Jesu doctrinam libenter velle amplecti.

Vitam æternam, vitam æternè beatam (nam quæ æternè misera est mors esse censetur, non vita), regnum cœlorum quod tu prædicas et promittis. Utilissima quæstio præ se ferens conjunctam eam obediendi promptitudinem quam desideres. « Audierat, credo, « ait venerabilis Beda in Marcum, audierat iste quæsi« tor vitæ æternæ à Domino, tantùm eos qui parvulo« rum sint similes dignos esse introitu regni cœlestis ; « atque ideò curam gerens tractatûs certioris, poscit « sibi, non per parabolas, sed apertè exponi quibus « operum meritis vitam æternam consequi possit. »

Vers. 19. — Bonus, cujus natura sit bonitas, absoluta, perfecta, independens, immutabilis, fons atque origo omnis ejus quæ alibi reperiatur bonitatis.

Nisi solus Deus. Ille solus laudari meretur ut perfectè bonus, et ab illo solo petendum est omne bonum, illud signanter quo ad vitam æternam perveniatur, quod, absque illo, ut à nullo magistro doceri, ita à nullo discipulo præstari potest. Mens erat adolescentis quàm posset honorificentissimo titulo ornare Christum, quò ejus iniret gratiam ; nec tamen aliud quàm bonum boni magistrum seu doctorem appellabat, nihil ultra nudum hominem de illo sentiens. Jesus volens adolescentem studiosum salutis suæ ad perfectam in se fidem tacitè adducere, et illius ac præsentium discipulorum suorum mentes erigere, ut ipsum agnoscerent Deum, dicit solum Deum esse bonum, tacitè inferens se Deum esse si magister bonus sit, rectèque adolescentem dicere, si quod dicit intelligit ; dicit, inquam, solum Deum esse bonum, qui scilicet ipse sit cum Patre et Spiritu sancto, cui collati homines laudem bonitatis non mereantur, et à quo solo proficiscatur cùm doctrina bona, tùm opus omne bonum. *Non enim bonitatis testimonium renuit,* ait Hieronymus, *sed magistri absque Deo exclusit errorem.* Inter alia itaque, ad fidem doctrinæ habendam submonetur adolescens, qui, tametsi aliquo credendi obediendique affectu imbutus accesserat, vult tamen eum Christus altiùs conscendere, ut Deum ipsum esse credat, ipsique ut Deo obediat, cui propria est laus boni, ejusmodi quæ non debeat referri in alium, vel alterius servire laudi.

Vers. 20. — Mandata Dei ; obedias præceptis Dei solius boni. Præcepta Dei viam monstrant ad vitam, docent bonum quod faciendum est ad consequendum vitam æternam. Illorum custodia virum puerulo similem reddit et aptum regno cœlorum. *Mandata* autem dicit, non aliqua tantùm, sed omnia proculdubio. Observa adversùs hæreticos, Evangelium non esse nudam et absolutam promissionem vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum Dei, nisi quatenùs, quod D. Prosper docet, et ipsa mandatorum Dei observatio Evangelio promittitur. Porrò ut est necessaria observatio mandatorum Dei ad obtinendum vitam, ita est et sufficiens ; quamvis non ea cognoscere sufficiat ad hoc ut valeas observare, sed fide et gratiâ opus sit mediatoris.

Vers. 21. — Hæc omnia et cætera Decalogi man-

data. Noverat adolescens neutiquàm sufficere ut aliqua, nisi omnia mandata servarentur.

CUSTODIVI, hactenùs pro virili.

A JUVENTUTE MEA. Juventutis nomine pueritia intelligitur : quemadmodùm Syrus vertit, *à pueritiâ meâ :* nam adolescentis juventus alia esse non potuit quàm pueritia, cùm juventus propriè accepta supra adolescentiam sit. Ab ineunte ætate, ex quo cœpi uti ratione, cavi pro viribus ne quod Dei mandatum transgrederer. Rarum juventutis exemplum, observâsse præcepta Dei. Nam etsi non omni fortassis ex parte illud verum esset, tamen non arroganti, sed simplici ac proficiendi studioso animo dixit : nec minùs ipsi concedi potest, quàm quòd juxta vulgarem scribarum interpretationem mandata servârit, nullo cuiquam damno illato, et vulgaribus charitatis officiis exhibitis, probus bonæque indolis adolescens.

VERS. 22. DEEST, ut sis perfectus, quemadmodùm explicat Matthæus.

VENDE. Proponit Jesus adolescenti, paupertatis spiritu sive voluntariæ, cujus alibi proprium præmium esse definivit regnum cœlorum, absolutissimam formam, ut, vel amplectatur illam vel intelligat quid vitii in se lateat, amor scilicet divitiarum. Nota alia mandata seu præcepta esse, quorum observatio necessaria sit ad vitam seu salutem obtinendam; alia consilia, quorum observatio, tum ad hujus, tum ad æternæ vitæ gradum perfectiorem adducat ex quibus sit facultatum alienatio : eam proinde consulit ad perfectionem, non præcipit ut necessariam ad salutem, interprete etiam apostolo Petro, Act. 5, v. 4. Cæterùm non in ipsâ divitiarum alienatione propriè consistit vitæ perfectio, sed in sequelâ Christi, in exactissimâ mandatorum Dei, ac præsertim duorum illorum charitatis, in quibus tota lex pendet et prophetæ, observatione : ad quam quidem momentum magnum affert divitiarum projectio. Si vis, inquit, ad perfectionem eniti, et exactam puerilem simplicitatem obtinere, quæ proxima sit regno Dei subeundo, ut, omni non solùm ambitione, sed et cupiditate liber, Deo te permittas totum; *vende*, magno constantique animo. Hoc iis dicitur, qui res suas in suâ habent potestate : aliis dicitur *desere.*

QUÆCUMQUE HABES, id est, facultates et bona tua. Hæc curâ suî retardant vitæ accipiendæ facultatem, tibique vehementer impedimento sunt, non quòd in se mala sint, sed quòd facile sit illis plus æquo adhærere.

DA, pretia accepta distribue, non paulatim, sed simul et semel, ita ut, semel omnibus divitiarum oneribus, curis atque affectibus expeditus, nudus remaneas. Hic summus est perfectionis gradus in hoc genere virtutis : *nam paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividere, secundus aut tertius gradus est; quem et nos recipimus* (ait, libri adversùs Vigilantium capite 5, Hieronymus), *dummodò sciamus prima secundis et tertiis præferenda. Da,* inquit, non divitibus consanguineis, ne non tam abs te abjecisse quàm apud illos recondidisse judiceris, sed PAUPERIBUS, qui brevi consumpturi sunt in necessarios vitæ usus, nec habent quod retribuant. Non quovis modo abjici aut dissipari suadet bona, sed ita ut utilitatis afferant pauperibus aliquid, quorum duram mitigent inopiam; tibi plurimùm, qui divitiarum contemptum liberalitatis virtute cumules. Cæteroqui enim, divitias abjicere, virtus non est, sed vana potiùs ambitio. Aptè suadetur occulto amatori divitiarum manifestus divitiarum contemptus.

ET HABEBIS. Quare non tuæ tibi peribunt divitiæ, ne fortè id metuas; sed fiet, ut loco thesauri quem dispensas in terrâ, colligas tibi ipse et recondas.

THESAURUM longè pretiosiorem, cui collatus tuus ille nihil sit, amplissimum, inquam, solidorum ac meritò diligendorum bonorum acervum, quem servatis divitiis non sis habiturus, qui tutissimè tibi asservetur certissimèque te maneat.

IN CŒLO, Deo illum tibi parante asservanteque, qui sibi à te putat præstitum quod feceris pauperibus. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis,* inquit Sapiens, Prov. 19, v. 17. Proprium præmium rerum in pauperum usus dispersarum est thesaurus in cœlo, dùm *jacturâ terrenæ substantiæ*, quod ait Hilarius, *cœlorum opes emuntur ;* nec quævis illæ, sed summæ, sublimissimæ, ac copiosissimæ. Hoc autem tanquàm parenthesin interjicit sententiæ suæ Salvator, quò leniat ejus quod exigit operis asperitatem. « Quoniam, « inquit Chrysostomus, cùm magna illi cura de pecu« niis esset, cunctis ipsum denudari rebus consulebat, « ut ostendat non amissurum bona sua, sed tantò « plura majoraque inventurum, quantò cœlum terrâ « præstabilius est; retributionis præstantiam thesau« rum appellavit, simul et abundantiam et stabilitatem « atque incorruptibilitatem præmii, ut fieri poterat, « humano verbo signanter exprimens. Quare non « putemus, quod ait è sanctis quidam, si mundum « despexerimus, grandia nos abdicâsse, cùm tota terra « cœli comparatione sit brevissima ; nec etiamsi toti « terræ dominantes ei abrenuntiaremus, dignum quid « esset comparatione regni cœlorum. »

ET VENI, pauper terrenis rebus (te enim quæro, non tua), liber curis, spe omni seculi abjectâ.

SEQUERE ME, vitæ ducem atque auctorem; individuâ vitæ societate mihi adhæreto pauperem agenti vitam, et observato imitatorque doctrinam et vitam meam, contemptum divitiarum, paupertatem, patientiam, humilitatem, castitatem et virtutes cæteras, erisque discipulus meus non vulgaris, sed consummatus. Hâc oratione significabat Jesus respiciendum ad se tanquàm verum ducem ad vitam regnumque Dei, in cujus sequelâ seu imitatione potissimùm consisteret vitæ perfectio. Ipse, qui perfectissimè omnium dilexit Deum et proximos, totius perfectionis exemplar est, ita ut quò quis ad ipsius vitam propiùs accedit, integriùsque diligit Deum et proximum, eò sit perfectior. Ut autem ad sequendum proximè Christum adducaris, plurimùm juvat omnibus mundi divitiis se expedivisse, rarusque assequitur perfectionem qui id non

fecerit : quandoquidem divitiæ plurima secum afferant, non tantùm perfectionis, sed et salutis impedimenta, quod quidem Christus versibus proximis declarat. Divitiæ, cùm ad fiduciam ac amorem suî animum possidentis trahant, et teneant variis affectibus curisque vitiosis obnoxium, mirum in modum præpediunt liberam charitatis actionem. At pauperis et signanter ejus qui divitias sponte Dei causâ dispersit, animus, à terrenarum rerum fiduciâ amoreque abstractus, liberè fertur ad diligendum Deum, à cujus totus providentiâ pendet, totum se permittens Deo, rejiciensque in divinam Providentiam, relictâ cogitatione rerum humanarum. Nec enim semel reliquisse divitias sufficit, sed neque ampliùs quærendæ aut concupiscendæ sunt, si perfectus pauperem sequeris Jesum; nam cupiditate irrequietus animus vacare totus nequit amando Deo. Quare Augustinus quæstione 36 inter 83 : « Charitatis, inquit, venenum « est spes adipiscendorum aut retinendorum tempora« lium. Nutrimentum ejus et imminutio cupiditatis, « perfectio, nulla cupiditas. » Quod cùm ita sit, cùm nolit, inquam, Jesus redire ad opes mundi eum qui semel Dei causâ opes reliquerit, sed abjicere eum velit etiam eas quas habere possit, omne, inquam, ditescendi desiderium, haud obscurè hic, non paupertatem tantùm, sed et et paupertatis votum suadet.

Vers. 23. — Contristatus est, tacitus ac mœrens, dejectus animo. Non indignatus est, non obmurmuravit, non derisit sermonem Jesu, quod Pharisæi, Luc. 16, v. 14 (venerat enim discendi obtemperandique animo), sed contristatus est. Jam alacrem ac paratum se declaraverat facere quidquid tandem requireret Jesus ad assequendam etiam vitæ perfectionem, quam facilè quoque desiderabat; sed audiens se moneri ut divitias abjiciat, rem judicat duriorem et graviorem præscribi quàm ut ipse præstare queat; itaque fit tristis et abit, tum quòd desperaret se posse hunc perfectionis gradum conscendere, tum quòd verecundiâ afficeretur, non respondens ei promptitudini obsequendi doctrinæ Jesu quam mox præ se tulerat.

Dives erat valde. Redditur ratio quare tristis abierit. « Non pariter certè, ait Chrysostomus, hâc « passione opprimuntur, qui pauca possident, et qui « magnâ rerum copiâ obruuntur. » Et Victor Antiochenus in Marcum : « Non tantâ vi detinentur, ne« que tantâ potentiâ à perfectionis studio abstrahun« tur, qui pauca in bonis habent atque illi qui magnâ « opum copiâ affluunt. » Si res huic fuisset angusta domi et curta supellex, ut Petro, Andreæ et filiis Zebedæi, cùm non deessent ipsi semina pietatis, non minùs facilè fortassis vocantem Jesum secutus fuisset atque illi. Habebat igitur hic bona seu facultates multas, quas scilicet, cùm in eis collocaret fiduciam suam, impensè diligebat, nec commutare paratus erat cum thesauro cœlesti. Nam quod B. Augustinus annotat, epistolâ 34, arctissimè diliguntur divitiæ acquisitæ, longè etiam magis quàm concupitæ; eòque arctius ac tenacius est vinculum, quò divitiæ sunt ampliores. Hìc itaque manifestum factum est quid adolescenti defuerit, quid vitii latuerit in ipsius animo, quo, si non ab omnimodâ, certè à perfectâ, ad quam videbatur aspirare, adeòque à facili mandatorum observatione præpediebatur. Cùm enim divitias bonaque plurima haberet, durum censebat illis omnibus se exuere, semel universa relinquere, et pauperem adhærere pauperi Jesu. Quanquàm verò non id ipsi absolutè præcepisset Jesus, sed duntaxat si perfectus esse vellet; ita tamen attonitus est eo consilio audito, ut mox, tristis quidem, sed tamen reliquerit Jesum, veritus ne pluribus ad divitiarum projectionem aut contemptum conaretur ipsum Jesus pertrahere. « Cùm magnâ, inquit Chrysostomus, Chri« stum lætitiâ adiisset, ita suffossus atque obrutus fuit, « quia ejiciendam pecuniam esse audivit, ut nec re« spondere quidem potuerit, sed tristis ac mœstitiâ « pressus discesserit. » Cæterùm non dicitur detrectâsse eum servare mandata, ut haberet vitam æternam, quemadmodùm an non reversus aliquando postea fuerit ad Christi scholam, factus unus ex ejus discipulis, si non perfectissimis illis, qui reipsà, at mediocribus, qui affectione divitias projiciunt, incertum est; nisi fortè, cum ætate crescens, ut solet, divitiarum amor, tandem ipsum penitùs obruerit.

Vers. 24. — Jesus, videns adolescentem abire mœstum, proposuit illum discipulis suis, quibus hoc spectaculum ediderat, exemplar divitum omnium, quò intelligerent discipuli, quàm esset divitum conditio periculis salutis plena, quàmque tuta ipsorum qui spontè pauperes vivebant. Volebat enim animadverti, illo juvenis, cæterà boni, sed divitis, exemplo, quantò tutior sit pauperum conditio quàm divitum, quàmque expeditior ad regnum Dei petendum, quò forent admoniti discipuli recti consilii et propositi ab ipsis suscepti qui paupertatem amplexi fuerant, ne quando, aut tæderet eos suæ paupertatis, aut divitiarum amore caperentur.

Quam difficile qui pecunias habent, qui abundant terrenis opibus, pecuniis, agris, possessionibus : quò majores divitiæ, eò major difficultas. Si porrò dives difficilè; raptor, fur, avarus, nullo modo. Non dicit impossibile esse, sed difficile : nam quod difficile est, id quamvis plerùmque non fiat, fit tamen aliquando, sed cum labore. Difficile itaque est, tum quia rarum est, quod annotant Hilarius et Hieronymus, tum quia non sine labore, quod Beda in Marcum : nascitur autem raritas ex labore.

Regnum Dei vitam æternam. Difficulter enim persuaderi potest dives ut relinquat divitias; divitiæ autem retentæ difficilem reddunt viam ad regnum cœlorum. Non excludit Jesus adolescentem illum regno cœlorum aut vitâ æternâ, si modò mandata servaverit; sed difficile ipsi esse docet, et cæteris omnibus divitibus, retentis divitiis, mandata servare, ac proinde etiam assequi regnum Dei seu vitam æternam; subindicans consilium quod adolescenti dederat abjiciendi divitias, non tantùm ad virtutum perfectionem et thesaurum cœlestem adipiscendum valere, verùm

etiam ad faciliùs et servandum mandata et obtinendum regnum cœleste seu vitam æternam. Difficile quidem et arduum est omnis generis hominibus, in militiâ hujus vitæ versantibus, obtinere victoriam et mereri regnum cœlorum, sed peculiariter divitibus : nihil enim est quod perinde à regno Dei abstrahat ac divitiæ. Nam præterquàm quòd divitiæ plerùmque teneant possessores suî variis vitiorum affectibus obnoxios, superbiæ, ambitionis, luxuriæ, gulæ, aliisque, hoc habent singulare, quòd corruptum hominis animum facilè à Deo avocent et ad suî fiduciam atque amorem pelliciant. Certum est quidem divitias per se malas non esse, neque nobis suâ naturâ impedimento esse quo minùs serviamus Deo (alioqui culpa in ipsum auctorem redundaret), sed impedimentum est ex vitio naturæ nostræ, dùm corrupta hominis mens, defectionis à Deo ansam ex illis accipit rebus per se bonis. In confesso est nullâ re magis Deum ab homine coli, quàm si fiduciam suam omnem in ipso collocet, et totius in ipsum cordis amore feratur; atque divitibus proprium est, Deo, quem non vident, quàmque sibi faveat nesciunt, neglecto, thesauris divitiisque, quas vident et putant se in manibus potestateque habere, suo addictas usui, si quæ ingruat necessitas famis, belli, aliave, aut quâvis re egeant, fidere, illarumque ope mala omnia à se superanda et bona acquirenda sperare (quod quidem vitii frequentissimè in sacris litteris divitibus improperatur, Psal. 48, v. 7, et 51, v. 9, etc.), ac proinde beatos se i lis ducere, ardenter illas amare, sollicitè servare, non facilè de thesauro diminuere, augere potiùs sitibundè per fas et nefas, et nunquàm justo plus adesse posse arbitrari, tanquàm eò certiùs solidiùsque consistant quò largior copia suppetat. Hoc proprium est divitum ingenium, à quo pauci vel nulli omninò immunes sunt. *Beatus dives,* ait Ecclesiasticus cap. 31, v. 8, *qui inventus est sine maculâ, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris : quis est hic et laudabimus eum ?* q. d. : Rarus vel nullus est dives hâc laude dignus, ut hoc præstiterit in vitâ suâ. Quare et Apostolus, 1 Tim. 6, v. 17, moneri jubet *divites hujus seculi ne sperent in incerto divitiarum, sed in Deo vivo,* etc. Ob hanc igitur causam difficile esse Salvator docet divitem intrare in regnum cœlorum, quia difficile est divitem non subjacere vitiis istis quibus manifestum est excludi hominem à regno cœlorum. *Rem seculi,* ait B. Hilarius, *famulatus Dei non sine seculi vitiis assequitur.* Docemur itaque raros esse divites qui his vitiis non subjaceant, ac qui proinde non excludantur regno cœlorum; eos verò qui non subjaceant, laboriosè colluctari, nec tamen unquàm prorsùs immunes esse, ac proinde, quamvis magnis sudoribus, non eum in regno cœlorum assequi locum quem pauperes, quorum, cùm nihil possideant hujus seculi, facilè spes tota fiduciaque est Dominus Deus.

VERS. 25. — FACILIUS, Græcè, *levioris laboris.*

CAMELUM, animal vastum, gibbosum, et tortuosum. Erat illud apud Judæos vulgare, ac proinde notissimum auditoribus Jesu.

PER FORAMEN ACUS, sartoriæ, per foramen quod habet aut quod facit acus, minimum illud atque hujusmodi per quod vix subtilissimum filum adhibitâ oculorum acie transmitti potest.

TRANSIRE, hominis operâ. Proverbialis ista oratio invenitur et à veteribus Judæorum magistris non semel usurpata, ad res impossibiles vel summè difficiles significandum.

INTRARE IN REGNUM DEI, promereri, assequi vitam æternam. Itaque, vulgari adagio adhibito, Jesus sermonem amplificans, non tantùm difficile esse, sed et impossibile asseverat, divitem intrare in regnum cœlorum, insigniter reprimens divitum arrogantiam, qui, cùm se quidvis suis opibus posse præsumant, quod præcipuum est minimè possint, imò totius impedimenta salutis ex opibus patiantur. Quomodò verò jam impossibile dicat, quod mox non nisi difficile dixit, explicat vers. subsequenti. Cæterùm quòd comparativo *facilius* utitur, non intelligit impossibili magis impossibile esse, sed hyperbole est in hujusmodi loquendi generibus usu recepta, quale est illud de iis inter quos insanabile dissidium est : *Priùs ovem lupus ducat uxorem,* et pleraque alia similia. Porrò non ineleganter, dives turgens ac tumens opibus, cujus dorso longæ latæque divitiarum sarcinæ incumbunt, quæ frequenter oneri sunt ipsi magis quàm usuí, ut quas bajulet aliis potiùs quàm sibi, camelo comparatur, et angusta porta, quâ intratur ad vitam, foramini acûs, ut intelligas eos quibus divitiæ affluunt superbiâ fastuque magis turgere, quàm ut se ad angustias, in quibus Deus continet suos, redigi sinant. His itaque duobus versibus docet Jesus, divitias hominibus majori noxæ quàm lucro esse, adeòque nihil esse quod tantum impedimentum afferat ducendæ vitæ Deo dignæ, et assequendo regno cœlorum; ac proinde dilucidam exponit rationem consilii sui adolescenti dati, vendendi omnia ac dandi pauperibus; quin et rationem instituti sui, quo cum discipulis suis ipse pauper vivebat, ne illi pudori sibi esse paupertatem putarent, scirent contra esse saluti, et quidem salutis perfectioni.

VERS. 26. — POTEST SALVUS FIERI? Observandum est discipulis idem esse salvum fieri, quod Jesu intrare in regnum cœlorum; quemadmodùm Jesu idem est regnum cœlorum, quod adolescenti vita æterna. Cœperant jam apostoli, exemplo pietatis accepto à Domino, non pro suâ ipsorum tantùm, sed et pro aliorum salute curam animo gerere, et præceptorum assumere viscera, dolereque plurimùm de interitu hominum; idcircò quamvis ipsi pauperes essent, nec divitias ullas affectarent, contenti Dei Christique providentiâ, tamen pro aliis solliciti, dicunt : Si impossibile est divites, cæterà probos, nisi relictis divitiis, assequi regnum cœlorum; quis ergo hominum salvabitur, cùm rarus aut nullus sit dives qui divitias abjiciat, contra potiùs qui divites non sunt, omnes divites esse optent atque laborent (videtur certè idem animi morbus esse, niti divitiis quas habeas, et desiderare quas non habeas), et si divitiæ impedimentum

afferant ingressui in regnum cœlorum, multò magis manifestorum multitudo vitiorum, toto orbe tam inter pauperes quàm inter divites regnantium.

Vers. 27. — Apud homines, solis viribus facultateque hominum corruptorum, si humanæ tantùm vel scientiæ vel facultatis rationibus agatur.

Apud Deum, cujus celebris est laus ab omnipotentiâ.

Omnia potest Deus, et inter cætera transferre camelum per foramen acûs, et divitem adducere in regnum cœlorum. Nam quod ad camelum, facere possit, ut, cameli corpore locum non occupante, substantia transferatur per foramen acûs, cessantibus operationibus latitudinis et crassitiei; quemadmodùm in sacramento Eucharistiæ, facit ut sub specie parvæ panis buccellæ Christi corpus contineatur, cessante omni quantitatis continuæ operatione. Quod verò ad divitem attinet, potens est et docere et monere et multis modis atque exemplis instruere divitem et allicere atque advocare ad veram æstimationem cùm divitiarum mundi tùm regni cœlorum, id est, sic mutare divitis animum, ut, vel divitias causâ regni cœlorum abjiciat, vel ab amore fiduciâque omni abstractus, legitimè divitiis utatur, liberaliterque earum participes pauperes faciat, semper paratus relinquere, si quando id postulet Evangelii negotium seu ratio salutis æternæ, atque hâc ratione idoneum reddere ingressui in regnum cœlorum. Exponit itaque hoc loco Salvator id quod obscuriùs duriùsque dixerat, impossibile esse divitem obtinere regnum cœlorum, et severitatem sententiæ suæ temperat, sic tamen ut homines in seipsis prostratos recumbere doceat in unam Dei gratiam. Docet homines ex se solis nihil facere aut afferre posse quo serventur; cæterùm non humanâ infirmitate metiendam esse salutem, sed divinâ virtute, in quâ spes homini restet. Quod igitur dixerat impossibile esse diviti servari, intellexerat, opibus, artibus, scientiis, viribus solis humanis; sed quod sic impossibile est, id possibile esse ait Dei potentiâ et gratiâ. Non quòd Dei potentia divitem, obnoxium vitiis iis quæ divitum sunt propria, adducere queat in regnum cœlorum (nec enim potentia Dei, Dei justitiæ adversatur), nec quòd id faciat Dei potentia absque cooperante divitis voluntate, divite ipso nihil agente, patiente duntaxat (*ita enim Deo*, ait Chrysostomus, *rem attribuit, quò virtutis præ oculis magnitudinem ponat, ut voluntati quoque tuæ*), sed quòd Dei potentia divitis immutet voluntatem ac mentem, faciatque ut deserat ille vitia quæ priùs diligebat, et contrariis studeat virtutibus à quibus antea abhorrebat. Quare ad implorandam Dei opem et gratiam, collocandamque in Deo fiduciam, divites his excitat Christus, ne desperabundi de assequendo regno cœlorum, tanquàm de re prorsùs impossibili, cogitationem omnem abjiciant, certiores, quòd homo, qui sine Deo nihil potest, in Deo se confortante possit omnia. Fallit igitur Calvinus, qui ex hoc loco refelli asserit axioma Catholicorum: *Quisquis dixerit legem observatu impossibilem, anathema sit*: non enim absolutè dicendum est impossibile, quod, licèt solis naturæ corruptæ viribus fieri nequeat, fieri potest accedente auxilio Dei, credentibus ac petentibus per Christum mediatorem promisso paratoque. *Non impossibilia jubet Deus*, ait Augustinus, libri de Naturâ et Gratiâ cap. 43, *sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis*, ab adjuturo ut possis. Exigit ardua et majora lapsi hominis viribus, sed idem addit opem ut possis quod juberis. Ita fit ut quod dives non potest ex sese, intrare, inquam, in regnum cœlorum, id possit auxiliante Deo qui nihil non potest. Cæterùm utile est scire quàm arduus sit in cœlum ascensus, tum ut conatus omnes suos hùc unusquisque intendat, tum ut sibi quilibet diffisus virtutem imploret è cœlo. Sed quæritur an non etiam impossibile sit pauperes suis ipsorum viribus absque Dei gratiâ intrare in regnum cœlorum? procul dubio sic se res habet; sed divitiæ peculiaria objiciunt divitibus salutis impedimenta supra descripta, cujusmodi pauperibus non objiciuntur, propter quæ magis impossibile est divitem per seipsum salvari quàm pauperem, et majori potentiorique Dei gratiâ ad operandum salutem suam opus est diviti quàm pauperi. « Dominus, ait Victor « Antiochenus in Marcum, ut ostendat diviti magno « divinæ gratiæ præsidio opus esse, ut ad virtutis « fastigium aliquando perveniat, studium hoc peculiare « Dei opus appellat. » Impossibile itaque est divitem per se solum absque singulari Dei gratiâ servari: difficile est autem etiam cum Dei gratiâ (nullam enim Salvator hâc parte distinctionem dedit), tam quia minùs capax est gratiæ Dei, quàm quia validè oppugnatur in causâ salutis; utrumque, quia divitias retinere visum est; ita ut, eâdem gratiâ, ejusdem parisque efficacitatis, suppetente diviti et pauperi, pauper sublimem beatitudinis gradum mereri queat, ubi dives vix mediocrem. Hæc itaque omnia eò tendunt, ut ad divitiarum contemptum suos Christus adducat.

Vers. 28. — Ait. Interrogavit Jesum de præmio quod se collegasque maneret, ob consilium illud, quod dictabat læta conscientia majori ex parte præstitum; de salute suâ non fuerant in metum adducti discipuli sermonibus Jesu, eò quòd manifestè nec essent divites nec esse desiderarent (nisi fortè clam Judas), præmium tamen adolescenti promissum non perinde sibi ipsi promittere audebant, quòd non omnes sua vendita distribuissent pauperibus.

Nos, apostoli tui, alacriter, te jubente, si non præstitimus, omnes certè quàm proximè accessimus. Non vendidimus quidem nec distribuimus omnes pauperibus, sed

Dimisimus saltem, deseruimus, relicta usibus pauperum uxorum, liberorum, fratrum, sororum,

Omnia, nostra, quidquid suppetebat nobis bonorum, quidquid erat amicorum, uxores, parentes, fratres, sorores, amicos, domos, agros, pecunias, supellectilem, et cætera, denique quidquid etiam industriâ nostrâ lucrifacere et acquirere potuissemus. Fuerant inter apostolos quidam divites, Matthæus in-

primis, et, quæ quorumdam opinio est, Bartholomæus, qui sua etiam vendidisse et pauperibus dedisse potuerant; cæteri si non sua omnia vendita dederant, certè reliquerant pauperibus, nec parùm reliquerant, qui sua omnia reipsà reliquerant, plura relicturi si plura suppetissent (tametsi suum cuique maximum sit), affectu præterea reliquerant cogitationem et spem omnem terreni lucri, quæ nemini vel egentissimo exigua esse solet, ita ut non sit arguendus Petrus piscator præsumptionis si confidenter loquatur, *dimisimus omnia.*

Secuti sumus te, facti sumus comites tuî, inopis, hùc illùc prædicandi Evangeli causâ oberrantis, et tecum hactenùs permanemus, non sine offensâ mundi et molestiâ nostrâ, statuimusque semper manere.

Vers. 29. — Reliquit, reliquerit. Non tantùm qui vendiderit diviseritque pauperibus, sed et qui deseruerit, etiamsi non secutus me fuerit quomodò vos, etiamsi non omnia bona sua, quod vos, sed eorum aliquid duntaxat deseruerit, ut domum unam, fratrem unum, sororem unam, etc., nam et amici in bonis numerantur. Enumerat parentes et reliqua omnia, eo consilio, ut ostendat nihil esse tam charum, quod superare non debeat amor suî; nihil tam pretiosum, quod non superet merces ab ipso proposita.

Propter regnum Dei, quod à me prædicatur, aut justitiam ejus, propter regnum cœlorum propagandum aut assequendum, ne quid admittat adversùs præscripta, aut ut vivat juxta præscripta doctrinæ meæ evangelicæ, quâ promittitur regnum cœlorum.

Vers. 30. — Et non recipiat multo plura in hoc tempore; q. d. Salvator: Non tantùm non damno afficietur, ut potiùs ingenti lucro. Non sufficit Jesu suorum mentes sursùm ad spem vitæ æternæ efferre, verùm etiam præsentibus eos solatiis sustentat confirmatque ad ferendam crucem. Cæterùm non est istud intelligendum quòd recuperabit dominium longè plurium domorum aut agrorum (nec enim mundi divitias promittit cultoribus suis Christus), nec quòd luxuriabitur bonis alienis, sed quòd ad moderatum ac verum usum suppetent ipsi, præstò paratæque erunt plurium hominum domus ac facultates; nam etiamsi mundus aliquis divitiarum tuus sit, nihil ampliùs inde tibi ipse accipias permittit ratio quàm moderatum usum. Itaque ei qui unam domum Christi causâ reliquerit, præstò apertæque erunt centum aut plures domus si opus habeat, si opus sit urgente persecutione aut aliâ ex causâ mutare habitationem. Centum alii Christi cultores parati erunt ex proventibus agrorum suorum vitæ necessaria illi subministrare qui unum agrum reliquerit, ita ut non solùm non cariturus sit eo commodo quo ad vitam hanc sustinendam ex suâ domo aut suo ex agro opus habebat, verùm etiam abundantiùs hoc illi suppetet. Similiter pro uno fratre relicto, plurimi erunt Christiano instar fratrum, fraterno ipsum amore prosequentes, et spiritali glutino suaviùs adhærentes: pro unâ sorore, plurimæ adolescentulæ castè diligent observabuntque ut fratrem: pro uno patre, senes plurimi tanquàm filium fovebunt; pro unâ matre, matronæ plurimæ affectu materno necessitatibus illius prospicient: pro unâ uxore, centum aliorum uxores casto spiritu ipsi conjunctæ, paratæ erunt per se aliosque servire valetudini commoditatibusque illius, non secùs quàm si forent uxores illius; denique pro filio aut filiâ unâ, innumeri reverebuntur eum ut patrem, et ab ejus doctrinâ sanâ consiliisque pendebunt, ex quibus majorem animus illius accepturus est voluptatem, quàm acciperet ex germanis liberis: vehementiores enim dulcioresque sunt affectus spiritûs quàm naturæ, et vehementiùs amat quem conciliavit pietas quàm quem adjunxit nativitas. Non itaque amittit res suas qui propter Christum illas relinquit, sed potiùs apud Deum deponit, earumque curâ liberatus, usum plenissimum certissimumque ex divinâ providentiâ toties experitur, quoties necessitas tempusve postulat; quò respiciens Apostolus, de se qui unam tantùm domum et unius provinciæ parvos agros dimiserat, et suî similibus, gloriatur: *Tanquàm nihil habentes et omnia possidentes,* 2 Cor. 6, v. 10. Quòd si verò nonnunquàm sinat Christus hujusmodi extorres inediâ affligi aut etiam perire, tunc Christus ipse est eis instar omnium, qui externa corporis bona relicta internis animi bonis compensat (exemplo Apostolus est, Philip. 4, v. 12), *quæ comparatione et merito sui ita sunt,* quod ait Hieronymus, *ut si parvo numero centenarius comparetur,* quibus multò solidiùs hominis animus reficitur, quàm fruitione quorumcumque corporalium quæ potuit reliquisse bonorum: corporalium, inquam, bonorum dispendium spiritualibus animi dotibus sarcitur, ita ut centuplò malis accepta quàm relicta.

Vers. 31. — Consummabuntur, perficientur, scilicet illic.

Omnia. Multa hactenùs impleta sunt; jam instat tempus quo reliqua omnia, eaque præcipua, perficiantur, passio, mors, resurrectio, exaltatio.

De Filio hominis, de Filio Dei facto misello homuncione. *De* præpositionem supplevit interpres Latinus, quemadmodùm et Syrus; cæteroqui Græcè non additur, ita ut quidam jungant *Filio hominis,* non cum verbo, *scripta sunt,* sed cum verbo, *consummabuntur,* seu perficientur. Significat hìc inprimis Jesus, *prophetarum præsagia non aliò ferè, quàm ad suæ dispensationis, quam pro nobis temporariè susceperat, intendisse mysterium, adeò ut consummatio sit prophetiæ, suæ passionis et posterioris gloriæ celebrata perfectio,* ait V. Beda. Quod dùm facit, dat intelligendum apostolis, nihil hìc fortuitum fieri, sed omnia certa et præordinata esse à Deo: quod quidem, vincendæ tentationi, consolandisque mœstis animis, optimum fuit remedium.

Vers. 32. — Tradetur, à principibus sacerdotum et scribis.

Gentibus, Romanis scilicet, Pilato præsidi et aulæ exercituique ipsius; *tradent,* inquam, non ut mitiùs cum eo agatur, sed ut morte omnium probrosissimâ dirissimâque, qualem ipsi inferre non facilè poterant,

afficiatur, morte, inquam, crucis. Eo prorsùs ordine prædicit historiam passionis suæ, quo res gesta est.

Illudetur, à gentibus.

Flagellabitur, Gr., *contumeliâ afficietur,* quod non ad flagellationem tantùm pertinet, sed et ad hoc quòd arundine et colaphis cæsus est : quin et flagellationis nominatim meminit proximo versiculo. Quare etiam interpres Syrus utrumque dedit, *flagellabitur et contumeliis afficietur* (reddendum potiùs, *flagellabunt eum et contumeliis afficient eum,* scil. gentes), mutato tamen verborum ordine.

Vers. 33. — Occident, cruce.

Et tertia, *et,* pro *sed;* subaudi, postquàm hæc ipsi contigerint. Acerba duraque hæc erunt; sed constantes estote, durate non ampliùs quàm triduum unum, rerum scena mutabitur. Tristium omnium una sufficiens consolatio est resurrectio.

Vers. 34. — Et ipsi. Ipsi verò discipuli nihil horum intellexerunt, nec quod de contumeliis, nec quod de morte, nec quod de resurrectione dictum fuerat. Non quòd verborum significationem non intellexerint, quæ ut primùm Petrus audierat, increpans Jesum dixerat : *Absit à te, Domine : non erit tibi hoc,* Matth. 16, v. 22; sed non intellexerunt quomodò et quam ob causam, etc., ut Marc. 9, v. 32.

Verbum istud, negotium istud.

Absconditum, occultum, obscurum.

Ab eis. Redundat præpositio, ex phrasi Hebraicâ; vide sup. 9, v. 45.

Et non. Pleonasmis iteratis, quàm fuerint apostoli alieni à concipiendâ animo morte Christi, docetur.

Vers. 35. — Cum appropinquaret Jericho. Matthæus et Marcus : *Egrediente eo è Jericho;* quam ob causam plerique aliam esse putant historiam quam hìc Lucas, aliam quam illìc Matthæus et Marcus narrant. Sed cùm id persuadere mihi nequeam, consideranti narrationum similitudinem, probabilis fit ea Richelii ad Matthæum conjectura, quâ dici posse docet, cæcum hunc juxta eam viam sedisse et clamâsse quâ Jesus Jerichuntem pergebat : cùm autem illìc præ turbæ strepitu, Jesuque dissimulante, non esset auditus, die altero viam similiter obsedisse in urbis egressu, et tunc demùm à Jesu vocatum sanatumque fuisse. Verisimile est enim, ut sæpè Christus, fidem hominum probare volens, eos aliquantisper distulit, eodem examine in hoc cæco fuisse usum. Itaque Lucas à vero principio exorsus, eâ occasione persequitur totam narrationem illuminati cæci, quasi continuo tempore gestam; quasi, ut cæcus, Jesu nondùm ingresso Jerichuntem, fuit obvius, ita et sanatus fuisset, cùm intermedium fuerit, id quod subjungit, Jesu in urbe hospitium. Anticipatione ergo usus, non servat rerum gestarum ordinem : alii autem duo evangelistæ, nullâ factâ mentione principii, Jesu urbem ingrediente, solum tempus egressûs Jesu ex urbe, quod propius miraculo fuit, memorant.

Cæcus quidam, nomine Bartimæus, quod Marcus exprimit. Celebrioris enim illius sanationem Lucas çum Marco describere videtur.

Vers. 36. — Et cum audiret, Gr., *cùm audisset autem,* ex strepitu pedum et murmure ac tumultu.

Turbam, Syrus, *vocem turbæ.*

Quid hoc esset, quid sibi vellet in unum coacta tanta hominum turba. Curiosum est cæcorum genus, ut intelligant ex aliis quod videre ipsi non possunt.

Vers. 37. — Dixerunt, Gr., *renuntiârunt,* scilicet aliqui ex turbâ.

Transiret, honoratus tam frequenti hominum comitatu.

Vers. 38. — Et clamavit mox, vel saltem postridiè Jesu resumente iter. Si clamavit hìc cæcus, Jesu appropinquante civitati, illud quod hìc legimus, dicendum est tunc minimè exauditum fuisse, Jesu vel non audiente, vel dissimulante clamorem, postridiè autem Jesu egrediente civitate, hoc idem simili cum clamore repetentem, nec quidquam curantem populi increpationes, voti compotem factum. Si non clamavit intrante Jerichuntem Jesu, intelligendum est, postquàm intellexisset quis illàc iter faceret quàm divinus propheta, quantæ virtutis vir, quàm multis cæcis miserisque opem efficacibus miraculis attulisset, certior etiam factus esset ipsum proficisci Jerosolymam, quod erat publicum ; curâsse ut postridiè ad oppositam civitatis portam sederet, quâ Jesu egrediendum erat, ut Jerosolymam pergeret (nec enim, si fortè exspectatione frustraretur, minùs quæstuosa mendico erat hæc via quàm altera, præsertim cùm tanta hominum frequentia pararet illàc iter cum Jesu); quò cùm turbam adventantem audiret, suspicatum, quod res erat, comitatum esse Jesu; tunc demùm acclamâsse ipsi Jesu, et obsistere conante turbâ ingeminâsse clamores, et cætera quæ sequuntur. Hìc autem, verisimile est, alterum cæcum se ipsi junxisse socium : unde fit ut Matthæus narret duos cæcos sanatos fuisse.

Vers. 39. — Qui præibant, *qui ibant ante Jesum,* habet Syrus : qui præcedebant Jesum è turbâ. Observa vigilantiam hujus, quòd simul atque audiverit adventantem turbam, sine morâ clamaverit, ne fortè elaberetur Jesus citiùs opinione; cùmque non statim adesset Jesus, sæpiùs validèque clamaverit.

Ut taceret, ne clamore suo importuno turbaret iter Jesu. Existimabat turba eleemosynam illum petere à Jesu : indignum autem judicabat fatua sapientia, virum tantum iter facientem sisti mendici causâ, aut ejus vexari clamore, quasi gloriæ ipsius obesset rem ipsi esse cum homine sordido. Aut certè quia vident Jesum non statim ad ejus clamorem respondere, suspicantur hoc illi esse molestum, cùm ipse potiùs dissimularet, quò magis esset perspicua cæcorum fides et ardor. Fieri etiam possit in turbâ fuisse qui offenderentur ipsum vocari Davidis filium, id est, Christum.

Magis clamabat, objurgatus. Non solùm nihil remittebat de contentione suâ, verùm etiam duplicabat sanctâ improbitate clamorem, tum ut monstraret se nolle cedere increpationibus hujusmodi, tum ut supra turbæ strepitum à Jesu exaudiretur. Exemplum fidei fiduciæque invictæ, ardentis desiderii, constan-

tis fidei, tentationibus minimè succumbentis : quin etsi sciret se apud plerosque odiosè loqui, quibus minimè gratus erat honor Jesu, metum superavit ardor desiderii, ut vocem liberè nihilominùs extolleret. Utile est pro divino cultu et salute propriâ pudorem deponere. Hìc constans ac fortis animus, quò magis vetatur, eò altiùs provehitur. Quantò igitur plures obices opponit Satan, etiam per eos qui Christi nomen profitentur (turba enim hæc ut discipula Jesum sequebatur), tantò constantiùs nobis in eo quod cœperimus bono pergendum est.

Vers. 40. — Stans. Substitit, dùm non procul abesset à cæco, non offensus, sed delectatus clamore quem fides eliciebat : sciebat enim non stipem eum petere, sed visum. Ubi satis spectatus esset omnibus ipsius ardor, quia sequi non poterat, minùsque assequi, progredientem, restitit ipse, nihil aspernatus miserum homuncionem.

Vers. 41. — Quid. Non ignorans quid aut ille peteret aut ipse facturus esset interrogat, sed ut ipso malum confesso suum, et desiderium fidemque in Jesum interpretato, elucescat turbæ miraculum proximum, nec ostentabundè videatur Jesus visum reddidisse, aut reddidisse jactare, ei qui nil nisi stipem petiisset : nam et solent nonnunquàm mendici cæcitatem fingere stipis causâ, quò plus accipiant.

Domine. Syrus, *Mari, Domine mi.* Videam, visum recipiam.

Vers. 42. — Respice, vide. Eodem repetito verbo, Salvator magnificè concedit visum, quo cæcus petiverat. Simile Matth. 8, v. 3. Secundùm Matthæum tetigit oculos, secundùm Lucam jussit sermone, Marcus neutrum narrat : utrumque fecisse intelligendus est Jesus. Reliqua hujus versiculi jam tractata sunt.

Vers. 43. — Vidit, visum recepit. Vox, oculis lumine cassis, statim lux effecta est : erat enim veri illius luminis verbum.

Illum, in hoc itinere.

Magnificans, glorificans, laudans, lætus gratias agens ob receptum Jesu operâ visum, eum, quo duce, expeditè jam pergebat iterque faciebat cum aliis, quod priùs cæcitate retentus minimè potuerat.

Deum. Non fidem suam quam commendaverat Jesus, sed Deum, à cujus gratiâ, impetrante Jesu, tantum beneficium profectum agnovit, qui beneficium hujusmodi inæstimabile, naturæ vires exsuperans, per Jesum Filium David in ipsum contulerat.

Ut vidit miraculum istud, cæcitatis solo contactu ac sermone profligatæ.

Dedit laudem Deo, laudavit similiter Deum, à quo Christum vel certè prophetam hujusmodi accepisset, tantâ præditum potestate : per quem sibi totique genti suæ, similia beneficia aliaque majora, divina prorsùs, pollicebatur. Pertinet hoc inter cætera ad probandam miraculi certitudinem.

CAPUT XIX.

1. Et ingressus perambulabat Jericho.

2. Et ecce vir nomine Zachæus : et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives :

3. Et quærebat videre Jesum, quis esset, et non poterat præ turbâ, quia staturâ pusillus erat.

4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum ; quia inde erat transiturus.

5. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Jesus, vidit illum, et dixit ad eum : Zachæe, festinans descende, quia hodiè in domo tuâ oportet me manere.

6. Et festinans, descendit, et excepit illum gaudens.

7. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem divertisset.

8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus ; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

9. Ait Jesus ad eum : Quia hodiè salus domui huic facta est, eò quòd et ipse filius sit Abrahæ.

10. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.

11. Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eò quòd esset propè Jerusalem : et quia existimarent quòd confestim regnum Dei manifestaretur.

12. Dixit ergo : Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti.

13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis

CHAPITRE XIX.

1. Jésus étant entré dans Jéricho, passait par la ville.

2. Et il y avait un homme nommé Zachée, chef des publicains, et fort riche,

3. Qui ayant envie de voir Jésus pour le connaître, en était empêché par la foule, parce qu'il était fort petit.

4. C'est pourquoi il courut devant, et monta sur un sycomore pour le voir, car il devait passer par là.

5. Jésus, étant venu en cet endroit, leva les yeux en haut, et l'ayant vu, il lui dit : Zachée, hâtez-vous de descendre, car c'est chez vous qu'il faut que je loge aujourd'hui.

6. Zachée descendit aussitôt, et le reçut avec joie.

7. Tout le monde voyant cela, en murmurait, disant que Jésus était allé loger chez un pécheur.

8. Mais Zachée se tenant devant le Seigneur, lui dit : Seigneur, je vais donner la moitié de mon bien aux pauvres ; et si j'ai fait tort à quelqu'un en quoi que ce soit, je lui en rendrai quatre fois autant.

9. Sur quoi Jésus dit : Cette maison a reçu aujourd'hui le salut, parce que celui-ci est aussi enfant d'Abraham.

10. Car le Fils de l'homme est venu pour chercher et pour sauver ce qui était perdu.

11. Comme ils étaient attentifs à ces paroles, il ajouta encore cette parabole, sur ce qu'il était près de Jérusalem, et qu'ils s'imaginaient que le règne de Dieu paraîtrait bientôt.

12. Il dit donc : Il y avait un homme de grande naissance, qui s'en allait dans un pays fort éloigné, pour y prendre possession d'un royaume, et revenir ensuite.

13. Et appelant dix de ses serviteurs, il leur donna

decem mnas, et ait ad illos : Negotiamini dùm venio.

14. Cives autem ejus oderant eum; et miserunt legationem post illum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos.

15. Et factum est ut rediret, accepto regno : et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantùm quisque negotiatus esset.

16. Venit autem primus, dicens : Domine, mna tua decem mnas acquisivit.

17. Et ait illi : Euge, bone serve; quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.

18. Et alter venit, dicens : Domine, mna tua fecit quinque mnas.

19. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates.

20. Et alter venit, dicens : Domine, ecce mna tua quam habui repositam in sudario :

21. Timui enim te, quia homo austerus es : tollis quod non posuisti, et metis quod non seminâsti.

22. Dicit ei : De ore tuo te judico, serve nequam : sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi :

23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam ?

24. Et astantibus dixit : Auferte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet.

25. Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas.

26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit : ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo.

27. Verùmtamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite hùc, et interficite ante me.

28. Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymam.

29. Et factum est cùm appropinquâsset ad Bethphage et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos,

30. Dicens : Ite in castellum quod contra est; in quod introeuntes invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquàm hominum sedit; solvite illum, et adducite.

31. Et si quis vos interrogaverit : Quare solvitis ? sic dicetis ei : Quia Dominus operam ejus desiderat.

32. Abierunt autem qui missi erant, et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum.

33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos : Quid solvitis pullum ?

34. At illi dixerunt : Quia Dominus eum necessarium habet.

35. Et duxerunt illum ad Jesum. Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum.

36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in viâ.

37. Et cùm appropinquaret jam ad descensum mon-

dix marcs d'argent, et leur dit : Faites profiter cet argent jusqu'à ce que je revienne.

14. Mais ceux de son pays, qui le haïssaient, envoyèrent après lui une ambassade pour faire cette déclaration : Nous ne voulons point que celui-ci soit notre roi.

15. Etant donc de retour, après avoir pris possession de son royaume, il commanda qu'on lui fît venir ses serviteurs, auxquels il avait donné son argent, pour savoir combien chacun l'avait fait profiter.

16. Le premier étant venu, lui dit : Seigneur, votre marc d'argent en a produit dix autres.

17. Il lui répondit : Cela est bien, ô bon serviteur! Parce que vous avez été fidèle en ce peu, vous aurez intendance sur dix villes.

18. Le second étant venu, lui dit : Seigneur, votre marc en a produit cinq autres.

19. Son maître lui dit : Vous aurez aussi l'autorité sur cinq villes.

20. Il en vint un troisième, qui lui dit : Seigneur, voici votre marc que j'ai tenu enveloppé dans un mouchoir ;

21. Car je vous ai appréhendé, sachant que vous êtes un homme sévère, qui redemandez ce que vous n'avez point donné, et qui recueillez ce que vous n'avez point semé.

22. Son maître lui répondit : Méchant serviteur, je vous condamne par votre propre bouche. Vous saviez que je suis un homme sévère, qui redemande ce que je n'ai point donné, et qui recueille ce que je n'ai point semé ;

23. Pourquoi donc n'avez-vous pas mis mon argent à la banque, afin qu'à mon retour je le retirasse avec les intérêts ?

24. Alors il dit à ceux qui étaient présents : Otez-lui le marc qu'il a, et le donnez à celui qui en a dix.

25. Mais, Seigneur, répondirent-ils, il en a déjà dix.

26. Or je vous déclare qu'on donnera à celui qui a déjà, et il sera dans l'abondance ; et pour celui qui n'a point, on lui ôtera même ce qu'il a.

27. Quant à mes ennemis, qui n'ont pas voulu m'avoir pour roi, qu'on les amène ici, et qu'on les tue en ma présence.

28. Après ce discours, Jésus se mit à marcher le premier du côté de Jérusalem, où il devait consommer son sacrifice.

29. Lorsqu'il fut arrivé de Bethphagé et de Béthanie à la montagne qu'on appelle des Oliviers, il envoya deux de ses disciples :

30. Allez-vous-en, leur dit-il, à ce village qui est devant vous. En y entrant vous trouverez un ânon attaché, sur lequel personne n'a jamais monté ; détachez-le, et me l'amenez.

31. Si quelqu'un vous demande pourquoi vous le détachez, vous lui répondrez : C'est que le Seigneur en a besoin.

32. Ceux qu'il envoyait partirent donc, et trouvèrent l'ânon, comme il leur avait dit.

33. Et comme ils le détachaient, ceux à qui il appartenait leur dirent : Pourquoi détachez-vous cet ânon ?

34. Ils leur répondirent : Parce que le Seigneur en a besoin.

35. Ils l'amenèrent donc à Jésus : et mettant leurs vêtements sur l'ânon, ils le firent monter dessus.

36. Et partout où il passait, ils étendaient leurs vêtements le long du chemin.

37. Mais lorsqu'il approcha de la descente de la

tis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magnâ super omnibus quas viderant virtutibus.

38. Dicentes : Benedictus qui venit rex in nomine Domini : pax in cœlo et gloria in excelsis.

39. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum : Magister, increpa discipulos tuos.

40. Quibus ipse ait : Dico vobis quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

41. Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens :

42. Quia si cognovisses et tu, et quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi ; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

43. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te : et coangustabunt te undique :

44. Et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.

45. Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes,

46. Dicens illis : Scriptum est : Quia domus mea, domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

47. Et erat docens quotidiè in templo. Principes autem sacerdotum, et scribæ, et principes plebis quærebant illum perdere.

48. Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

montagne des Oliviers, tous les disciples en grand nombre, étant transportés de joie, commencèrent à louer Dieu à haute voix, pour toutes les merveilles qu'ils avaient vues,

38. En disant : Béni soit le roi qui vient au nom du Seigneur ; paix dans le ciel et gloire au plus haut des cieux.

39. Alors quelques-uns des Pharisiens, qui étaient parmi le peuple, lui dirent : Maître, faites taire vos disciples.

40. Il leur répondit : Je vous déclare que s'ils venaient à se taire, les pierres mêmes crieraient.

41. Enfin étant arrivé proche de Jérusalem, et jetant les yeux sur la ville, il pleura sur elle, en disant :

42. Ah ! si tu connaissais au moins en ce jour qui t'est encore donné, ce qui peut te procurer la paix ! mais maintenant tout cela est caché à tes yeux.

43. Aussi viendra-t-il des jours pour toi, où tes ennemis t'environneront de tranchées, qu'ils t'enfermeront et te serreront de toutes parts ;

44. Qu'ils te raseront et te détruiront entièrement, toi et tes enfants qui sont dans tes murs ; et qu'ils ne te laisseront pas pierre sur pierre, parce que tu n'as pas connu le temps auquel Dieu t'a visitée.

45. Ensuite étant entré dans le temple, il commença d'en chasser ceux qui y vendaient et y achetaient,

46. Leur disant : Il est écrit : Ma maison est une maison de prière, et vous en faites une caverne de voleurs.

47. Et il enseignait tous les jours dans le temple. Cependant les princes des prêtres, les scribes et les principaux du peuple cherchaient à le perdre :

48. Mais ils ne trouvaient aucun moyen de rien faire contre lui, parce que le peuple était avide de l'entendre.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et ingressus. Ingressus autem, scilicet Jesus, quod Syrus exprimit, Jericho. Respicit enim ad id quod supra, cap. 18, v. 35, dixerat : *Factum est autem cùm appropinquaret Jericho.*

Perambulabat, transibat per mediam.

Jericho, per quam ex oppido Ephræm seu Judææ finibus Jordane ab ortu definitis iter est Jerosolymam, à quâ abest 150 stadiis, ut à Jordane 60, Josepho teste, libri 5 de Bello Judaico capite 4 ; diximus porrò alibi, octo stadiis confici unum milliare Italicum, triumque Italicorum milliarium iter unâ horâ fieri. Sed à Jordane quidem Jerichuntem via æquabilis facilisque est ; Jerichunte verò Jerosolymam, acclivitate et declivitate multâ difficilis ac molesta. Incertum autem an nomen *Jericho* impositum huic urbi sit à lunæ nascentis formâ, quâ illa planities est quæ urbem habet (*luna* Hebraicè *jareah* dicitur, urbs *Jeriho*), an verò à balsami suavissimo omnium odore, cujus sola penè ferax est. *Reah* enim Hebræis est odor. Hanc à Josue destructam ignique succensam reædificaverat, regnante Achab Israeli, quidam Hiel Bethelites, 3 Reg. 16, v. 34, et quidem cum jacturâ liberorum suorum, juxta imprecationem ipsius Josue, cap. 6, v. 26.

Vers. 2. — Et, ubi obtulit se, ecce. Adverbio *ecce* parat attentionem ad rem admirandam quam statuit narrare.

Nomine. *Vocatus* additur Græcè ; quod tamen non magis Syriacè additur quàm Latinè.

Zachæus. Nomen Hebræum seu Syriacum *zaccai*, est à munditiâ, innocentiâ, seu justitiâ deductum. Exprimitur autem ob certitudinem historiæ, præsertim cùm celebris esset hic vir.

Princeps publicanorum, quasi dicas archipublicanus, præfectus pluribus publicanis, qui sub ipso illius regionis vectigalia colligerent, et ad ipsum tanquàm primarium quæstorem deferrent, quæ ille deinde Romanis annumeraret.

Dives, non tam ex aliorum injuriâ, quàm ex justis facultatibus ; id enim infra, v. 8, fit manifestum. Hujusmodi enim solent quæstores, et præsertim generales, eligi, qui à seipsis habeant unde queant debita solvere,

Vers. 1. — Et ingressus perambulabat Jericho, id est, plateas obibat civitatis, animas, ut videtur, quærens perditas, sicut medici ægrotorum domos obire solent.

Vers. 2. — Et ecce vir nomine Zachæus ; nomen est Syriacè à munditie deductum ; et hic princeps erat publicanorum, seu publicanorum plurium præfectus, ad quem tanquàm ad quæstorem primarium, vectigalia publica inferiores publicani deferrent, ut indicat Augustinus, serm. 36 de Verbis Dom. Et ipse dives, quia, ut idem ait, multos presserat, multis abstulerat, multa congesserat ; et inde habebat divitias, quanquàm versus 8 indicet eum etiam justis facultatibus divitem fuisse.

si aut ipsos aut qui ipsis sunt inferiores contingat fallere. Porrò quòd dives esset et publicanus, adeòque inter publicanos principatum obtinens, faciunt hæc omnia ad exaggerandam difficultatem convertendi Zachæi.

VERS. 3. — ET hic QUÆREBAT, conabatur, satagebat VIDERE JESUM, faciem, personam, habitum Jesu, de cujus doctrinâ et miraculis rumor tam admiranda sparserat.

QUIS ESSET inter tot homines, quis esset eorum quos in confertâ ac confusâ videbat turbâ.

ET, pro *sed*, NON POTERAT PRÆ TURBA, etc., quòd Jesus circumseptus esset et stipatus undique densissimâ turbâ promiscuæ multitudinis: ipse verò STATURA PUSILLUS, parvus, brevis esset. Naturale hominibus est, de facie nôsse cupere, quos fama magnos prædicat et singulares; sed in Zachæo, ad desiderium naturale, accessit divinus impulsus, ut esset ei prima ad salutem præparatio, quòd cognoscendi Jesu desiderio teneretur.

VERS. 4. — ET PRÆCURRENS, προσδραμὼν ἔμπροσθεν et accurrens antè, et cùm antè accurrisset. Syrus, *et cucurrit ante Jesum*. Latinus interpres legit προδραμὼν ἔμπροσθεν, ut est in aliis Græcis libris, præcurrens igitur ante Jesum, scilicet et turbam.

IN ARBOREM SYCOMORUM, ἐπὶ συκομωραίαν, seu, ut scribunt alia exemplaria, συκομωρέαν, in sycomorum. Sunt et alii codices, qui in antepenultimâ syllabâ, loco ω mega, scribant *o* micron, συκομοραίαν vel συκομορέαν. Hoc modo, per *o* micron, inquam, scriptum nomen, auctores interpretantur ficum moro similem, arborem quæ foliis, magnitudine, aspectu, similis moro, produxerit ficus: per ω verò, ficum fatuam, quemadmodùm Syrus hoc loco transfert *ficum insipidam*, quòd ignavi esset saporis. Latinè igitur anceps est penultima in sycomorus. Hebraicè vocatur *sicmim*, arbor in Palæstinâ frequentissima (quam ob causam putatur carere numero singulari); de quâ 3 Reg. 10, v. 27, et 2 Paral. 1, v. 15: *Et cedrorum præbuit* (Salomon) *multitudinem, quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus.*

UT VIDERET EUM, ut videre eum posset ex arbore altiore omni turbâ.

INDE, illàc, illâ viâ, quâ sita erat sycomorus.

ERAT TRANSITURUS, nempe iniverat Jesus eam viam, quæ duceret ad illam sycomorum. Magno conspiciendi Jesu desiderio ardere debuit, qui coram universo populo arborem conscendit ut Jesum videret. Sunt ut plurimùm fastuosi divites, et amant speciem gravitatis, præsertim coram hominum multitudine. Hic verò, etsi dives et in suo ordine princeps, non tamen erubuit, inspectante turbâ, in arborem, velut infimæ sortis homo, conscendere. Non dubium quin cœlestis eum instinctus egerit, in eum finem qui statim apparuit. Quare Titus aliquod jam salutis semen in ipso germinâsse docet.

VERS. 5. — VENISSET, Jesus.

AD LOCUM, quo erat sycomorus.

SUSPICIENS, attollens oculos, non casu, sed de industriâ: noverat enim Zachæum in eâ arbore sedere, et obviis oculis exspectare ipsius adventum.

VIDIT ILLUM, Zachæum, non carnis oculis tantùm, verùm multò magis animi, approbans, complexansque affectionem illam quâ erga ipsum ferebatur. Vidit Zachæus Jesum, quod desideraverat: vidit Jesus Zachæum, ut multò ampliùs ipsi largiretur quàm desideraverat, et inprimis quidem, ut benigno divinitatis aspectu mentem illius præveniret, emolliret, illuminaret, accenderet. *Priusquàm videret, priùs ipse spectatur à Jesu,* ait Theophylactus: *sic enim omnibus in locis prævenit nos Dominus, tantùm ut nos alacres et promptos videat.*

DIXIT AD EUM, *blandâ et amicâ voce eum compellans,* ait Titus, *nam ut Deus omnium præscius, jam tum quod futurum erat cernebat.*

ZACHÆE. Tanquàm notum compellat proprio nomine, quem nunquàm viderat, nunquàm audiverat nominari: quæ res haud dubiè plurimùm movit Zachæi animum, ut talem esse crederet, qualem fama ferebat, Christum Filium Dei similem; Joan. 1, v. 48.

FESTINANS; quod festinare jubet, pertinet, partim ad temporis opportunitatem, exigentis ut Jesus hospitium subiret, partim ad beneficii ad Zachæum perventuri magnitudinem.

DESCENDE, ex arbore, et abi domum ut hospitium mihi pares.

HODIE, hâc vesperâ et consequente nocte.

OPORTET ME, id est, statui, decrevi.

MANERE, hospitari. Non quòd deessent Jesu alia hospitia, sed quòd ille insigni illo suo ardore alliceret Jesum ad se. *Nam etsi vocem invitantis Jesus non audierat, viderat tamen affectum,* quod ait Ambrosius. Sciebat quid esset in homine, quàm libenter invitaturus domum suam esset, nisi conscientia peccatorum et publica infamia obstarent. Hic animus Jesu cognitus, etiam priusquàm reipsà declararetur, quod accidit versu proximo, efficacissimè simul et urbanissimè ipsum invitavit. Quæsiverat ergo Zachæus

VERS. 3. — ET QUÆREBAT VIDERE JESUM, QUIS ESSET, secundùm faciem, quem jamdudùm ex rumore, et secundùm virtutem et sapientiam noverat, ET NON POTERAT PRÆ TURBA, quæ Jesu ambulanti circumfundebatur, QUIA STATURA PUSILLUS ERAT.

VERS. 4. — ET PRÆCURRENS ASCENDIT IN ARBOREM SYCOMORUM. Si per ω mega scribatur, ut est in textu Lucæ συκομωραία, sonat ficum fatuam, si per ο micron, ut plerùmque fit, ficum moro similem; quam describit Dioscorides, lib. 1, cap. 182, esse gustûs inefficacis, hoc est, ignavi et fatui; unde Syrus *ficum insipidam* transfert. Plinius, lib. 13, cap. 7, arborem moro similem foliis, magnitudine, aspectu, et *Ægyptiam ficum* vocat. August., serm. 8 de Verbis Apostoli, cap. 3, testatur eam in Africâ aut omninò nusquàm aut rarò inveniri, in Judæâ esse frequentem. Moralem sensum pusillæ staturæ Zachæi, et ascensûs ejus in lignum, vide ibidem apud August. et Amb. in hunc locum, et Greg. 27 Moral., cap. ult. Jesus igitur ei dixit:

VERS. 5. — ZACHÆE, FESTINANS DESCENDE, omni scilicet cunctatione ac tergiversatione postpositâ; quod ideò dicit, ne conscientiâ forsan territus, trepidaret

videre Jesum : Jesus obtulit se quærenti, non ad videndum tantùm, verùm etiam ad fruendum per otium domi suæ, preces supplicis excedens et vota.

Vers. 6. — Et festinans, festinans itaque. Mox ut audivit Domini jussionem, nihil quidem respondit ; solet enim insperatum gaudium ingensque animi affectio, vocem eripere ; sed obedivit, et quidem festinanter, ut jussus fuerat.

Et excepit illum domo suâ, idque gaudens, id est, libentissimè, maximâ cum animi lætitiâ et alacritate, velut magno honore affectus, nec minore thesauro donatus. Non enim judicavit se conferre, sed accipere beneficium. *Gaudens*, inquit Euthymius, *quòd non solùm eum vidisset ut optaverat, sed quòd etiam ab ipso vocatus fuisset, quòdque ipsum suscepisset, quod nunquàm fore speraverat.* Quòd tantâ cum promptitudine et hilaritate obsequitur, in eo clariùs adhuc perspicitur Spiritûs sancti vis et directio ; cæteroqui facile fuisset ut hujusmodi virum, et vitæ genus et fortunæ indulgentia impellerent ad contemptum humilis Jesu.

Vers. 7. — Et, quòd, omnes, universa turba populi præsens. Hoc quidam jungunt cum *vidissent*, quidam cum *murmurabant :* videtur utrumque verbum afficere, quòd omnes id vidissent, quia coram omnibus fiebat, et quòd omnes *murmurabant*, quia plerique eorum qui videbant,

Murmurabant, in culpam illud vocabant.

Peccatorem, mali et probrosi nominis, et quidem principem in eo genere iniquitatis, quo infames erant publicani.

Divertisset, *ingressus est diversari*, legitur Græcè et Syriacè. Interpres omisit τὸ *ingressus*, ut quod per se intelligatur. Obtrectabant ergo Jesu, quòd qui sanctitatem vitæ suaderet aliis, et haberi vellet doctor exemplarque sanctitatis, ipse consuetudinem iniret cum publico peccatore, delecto sibi apud eum hospitio, cujus consortium omnibus fugiendum sit, et maximè viris sanctis, ne puritas eorum peccati contagio inficiatur. Quanquàm verò jam frequenter Jesus refellisset hujusmodi calumniam, quòd nimirùm cum peccatoribus conversaretur, ut medicus cum ægrotis, ad hoc ut ad pœnitentiam eos adduceret ; populus tamen ita infixum animo habebat, quod à Pharisæis didicerat, vitandum omninò esse hujusmodi hominum consortium, ut quæ abs Jesu audiret non perinde caperet.

Vers. 8. — Stans autem Zachæus, etc. Zachæus, postquàm Jesu, hospitio à se excepti, doctrinam audîsset, quâ promitteret ipsi et familiæ ipsius, aliisque omnibus qui pœnitentiam agerent vitæ anteactæ, regnum cœlorum, et, si etiam quæ justè possiderent venderent et darent pauperibus, thesaurum non deficientem in cœlis ; stans postridiè, Jesu hospitium egrediente, coram Jesu et universâ populi multitudine, ante ostium exspectante egressum Jesu, dixit ad Jesum, ut refutaret murmur populi, quod intellexerat, ægrè ferentis quòd ad ipsum Jesu divertisset, quippe peccatorem.

Ecce, q. d. : Peccator fui, fateor eò maximè quòd temporaria bona ardentiùs concupiverim et amaverim ; sed ecce mutationem in contrarium.

Bonorum meorum, eorum omnium quæ habeo.

Domine, à te doctus id Deo gratum esse.

Do, paratus sum dare, et mox quoque dabo, jam nunc assignans, addicens ac deputans.

Pauperibus, pauperum usibus, ad mitigandam inopiam eorum.

Et si quid aliquem defraudavi, et si quid cuipiam per calumniam eripui, si quid delationibus, fraude, vel malis artibus cuiquam extorsi. *Quod enim hoc loco habetur* Græcè, ait Euthymius, *non significat vanè aut*

præ verecundiâ statûs publicani talem virum hospitio recipere : *Quia hodiè in domo tuâ oportet me manere*, id est, hospitari decrevi : non quòd alia non essent hospitia, sed quia, quamvis vocem invitantis Zachæi Dominus non audiverat, viderat tamen affectum ejus, inquit Ambros., quem etiam verbis deprompsisset nisi conscientia peccatorum et infamia publica obstitisset. Istâ igitur humanitate præventus, et anxietate suâ liberatus,

Vers. 6. — Festinans descendit, et excepit illum gaudens, id est, magnâ animi alacritate, libentissimè, tanquàm magno affectus honore et beneficio, præter omnem opinionem. Ubi Maldonatus apertè confirmari putat, facienti quod in se est, Deum gratiam non denegare, posseque hominem sese aliquo modo ad gratiam disponere. Sed multùm fallitur ; hoc enim ipsum, quòd Zachæus Dominum videre voluit, nempe cujusmodi esset, severus an placidus, quem peccator fidenter posset accedere, gratiæ tribui debet, sicut August. tribuit, serm. 8 de Verbis Apostoli, c. 2 et 4. Vidit Dominus, inquit, ipsum Zachæum, visus est (Zachæus) et vidit. Sed nisi visus esset, non videret ; quos enim prædestinavit illos et vocavit. Et hinc est quòd concilium Arausicanum, cùm definivisset, c. ult., in omni opere bono non nos incipere, et postea per Dei misericordiam adjuvari, subjicit : Unde manifestissimè credendum est quòd et illius latronis, et Cornelii Centurionis, et Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de naturâ, tanquàm scilicet incipiente illud opus bonum : verissimum est enim illud Scripturæ, et generalissimum Jeremiæ 30, v. 21 : *Applicabo eum, et accedet ad me. Quis enim iste est qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi ?* Itaque quod Maldonat. quosdam juvari judicat, sequentes Christum, alios eum præcurrentes, non potest cum doctrinâ Augustini, ex Scripturis haustâ, consistere : cui conformiter et Prosper contra Collatorem, c. 7, de Christo : Præparavit, inquit, sibi ejus animum, cujus elegit hospitium. Vide ibi latiùs.

Vers. 7. — Et cum audirent omnes, turba scilicet tota præsens, murmurabant quòd, cùm totâ urbe oberrasset, et quasi quæsivisset hospitium, tandem tamen ad hominem peccatorem divertisset, publicum scilicet, quales habebantur publicani. Quanquàm Tertull., l. 4 contra Marcionem, c. 37, Zachæum putat fuisse gentilem, quod et Cypr., epist. 63, et Ambr., lib. 1 Offic., c. 30, sentire videtur, ut proinde causa murmurationis etiam fuisset accessus ad gentilem hominem, et quidem talem.

Vers. 8. — Stans autem Zachæus, tanquàm refutaturus murmur turbæ ægrè ferentis ingressum Jesu, dixit ad Dominum : Ecce, etc., quasi d. : Fateor, peccator fui, sed ecce emendationem meam, quia dimidium bonorum meorum do pauperibus, id est, dare paratus sum, et jam quasi assignans do. Nam quod

stultè calumniatus sum, sed ex injustitiâ et calumniâ acquisivi. Addit autem *si*, non quòd inculpatum se hâc in parte velit dicere, sed quòd non tantùm culpabilem, quantùm ferret hominum opinio, prout notat etiam Richelius.

Reddo, paratus sum reddere, et mox quoque reddam, restituam. *Alterum enim non sat est*, inquit Ambrosius; *nec habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat, quia non spolia, sed dona quæruntur.* Regula est D. Augustini epistolâ 54 : *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum;* et quidem in præsentiâ restituatur, cùm restitui potest : in morâ enim est omnis qui detinet alienum; idcircò *reddo* ait Zachæus.

Quadruplum. Promittit restituere lucra fraude acquisita in quadruplum, non quòd ex lege teneretur; lex enim non id præcipit, nisi convictis de furto ovium et judicis sententiâ condemnatis, Exod. 22, v. 1; sed ut abundè satisfaceret iis quibus injuriam intulerat, ut si quæ etiam damna passi fuissent, ex eo quòd pecuniâ suâ, quam ipse extorserat, caruissent, plenè resarciret. *Quadruplum reddit,* inquit Theophylactus, *ut illius, cui injuria facta, damnum resarciatur.* Vult autem dicere : Alterum dimidium eorum quæ habeo, nolo mihi reservare, sed inter eos dividere, qui injuriâ à me affecti fuêre; non quòd tantùm arbitrer à me ipsis deberi, aut quòd alterum dimidium bonorum meorum putem malè partum esse (qui vix octavam partem bonorum omnium meorum credo malè partam); sed ut quadruplo ampliùs quàm subripuerim ipsis restituam, itaque abundè satisfaciam, ut nullam habeant querelæ de me causam. Quocirca, qui per amorem divitiarum peccavi, testor te coram et omni hoc populo, quòd cupiam per contemptum divitiarum vitam emendare, et abjectis omnibus ex tuâ doctrinâ, de divinâ providentiâ deinceps pendere, paratus, si opus fuerit, etiam labore manuum victum comparare mihi aliisque necessitatem patientibus. Has suas virtutes coram Jesu proponit Zachæus in medium, non jactantiæ causâ, ut Pharisæus ille supra, 18, v. 12; sed ut ostendat fructum in se secutum ex præsentiâ Jesu, ad condemnationem eorum qui Jesu apud ipsum hospitium reprehenderant; q. d. : Injuriâ adversùs te murmurat populus hic, bone Jesu, eò quòd ad me peccatorem diverteris : diversatio enim hæc tua, non fuit ut faveres peccatis meis, sed ut à peccatis me revocares, id quod etiam effecisti. Observandum quòd quando promittit, ex altero dimidio eorum quæ habet, restituere quadruplum iis qui injuriam ab ipso passi fuerant, fateatur, octavam partem eorum quæ in bonis habet, fraude potuisse esse partam; quæ pars parva quidem fuit respectu totius, per se tamen res magna, quandoquidem dives esset : ut si diviti octo millium aureorum, mille aurei injustè sint acquisiti. Quare non diffitetur peccatum suum, imò verò confitetur publicè coram omnibus, de publico publicam instituens pœnitentiam; sed quale reverà erat confitetur, non quale homines poterant opinari, qui aliena peccata libenter exaggerant. Sic autem confitetur, ut detestatus statuat redimere, tum restitutione quadrupli, tum largis in pauperes eleemosynis, ita in futurum divitiis malis artibus acquirendis renuntians, ut nullum velit divitiis apud se restare locum, quæ perfecta pœnitentia et vitæ emendatio est. Nam et hoc observandum, quòd hic Zachæus publicanorum princeps amplexus sit consilium illud Jesu, quod dives ille princeps supra 18, v. 23, capere non valuerat : *Omnia quæcumque habes vende et da pauperibus,* etc. Nam deductis de summâ iis quæ restituenda censebat, ita ut perfectè omnibus satisfieret, id quod dimidio æstimabat omnium bonorum suorum, reliqua sua bona pauperibus pollicitus est, ne minimo quidem sibi reservato. Tanto mox justitiæ ardore inarsit, jam manifestè se exerente Spiritûs sancti virtute. *Vides alacritatem,* inquit Theophylactus; *non parcè seminare cœpit, neque pauca quædam dedit, sed totam vitam.* Nec dubium quin quod pollicitus fuerat, primâ opportunitate impleverit. *Hæc est enim sapiens illa stultitia,* quod inquit Beda, *quam de sycomoro publicanus quasi fructum vitæ legerat, rapta reddere, propria relinquere, visibilia contemnere*, etc. Porrò ab hoc exitu, judicium fieri decuerat, de Christi ad Zachæum ingressu.

Vers. 9. — Ad eum, ad verba ejus; non eum, sed discipulos suos populumque præsentem alloquendo; sic tamen ut audiret ipse solatii plenissimam sententiam.

Quia superest quod ad sensum, ut sæpè aliàs.

Hodie, hoc die, quo vir iste, ad ingressum meum in domum ipsius, hunc animum induit, ut detestetur

quidam exponunt, *do*, id est, dare soleo, videtur repugnare versui 9. Unde et plerique auctores tunc illam mutationem factam esse censent, Theophyl., Augustinus et alii. Et si quid aliquem defraudavi, id est, per injustitiam et calumniam, ut Græcum indicat, extorsi, reddo quadruplum; quasi d. : Alterum dimidium mihi servo, non ut eo fruar, sed ut debita mea solvam, reddens quadruplum, ut Augustinus, serm. cit. et tract. 5, in Epist. Joan. Non enim habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat, quia non spolia, sed dona quæruntur, inquit Ambros., nec dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, ut August., epist. 54. Quadruplum autem reddit, propter plenissimum studium justitiæ, sua cuique tribuentis, cui non sufficit reddere æquivalens, ut notat Bernardus, serm. 1 de omnibus Sanctis. Quod enim lex Exodi 22, v. 1, de solis ovibus ablatis constituerat, ipse in formulam generalem faciendæ restitutionis traxit, ut abundè damnum omne resarciret, quod quantum esse posset, ei incertum erat. Quod autem aliqui hinc consequens esse putant, eum nihil sibi reservâsse, non firmiter videtur colligi : cùm enim esset dives, potuit etiam post quadrupli restitutionem aliquid superesse.

Vers. 9. — Et ait Jesus ad eum, ut aliquam ipsi Zachæo securitatem et consolationem daret, ac turbæ causam redderet, cur ad peccatorem divertisset, ut notat August., cit. serm. 8, cap. 5. Quia hodie salus domui huic facta est, quia videlicet patrifamiliâs et consequenter domui, in quam salus primùm intravit, cùm Christus intravit; tunc enim avaritiæ et fraudibus renuntiavit Zachæus : unde de illo solo subjicit Christus, eo quod ipse, id est, etiam ipse Zachæus, cujus est hæc domus, quantùmvis eum vos despiciatis, Filius sit Abrahæ, nimirùm verus filius Abrahæ, non

vitam anteactam, et mutet non solùm in meliorem, verùm etiam in optimam, conscenso summo perfectionis gradu, in eo genere virtutis, cui contraria vita fuerat sectatus, amplexus nimirùm voluntariam paupertatem, qui acquirendis injustè divitiis incubuerat.

Salus, id est, ad Deum conversio, justificatio, quam salus æterna comitatur.

Domui huic, id est, huic patrifamiliâs, et consequenter domui ejus. Per domum intelligit in primis patremfamiliâs, deinde verò etiam familiam, quæ vel unà cum patrefamiliâs conversa ad Deum et justificata fuit, vel proximè ad hoc disposita. Volens enim significare toti domui saluti fuisse ingressum suum, *domui* dixit potiùs quàm hero, quamvis herum ante omnia intelligeret. Jure enim salus à capite extenditur ad totum corpus.

Facta est, obtigit, obvenit, *ejectâ,* quod Euthymius ait, *perditione, quæ in eâ morabatur, propter avaritiam et injustitiam.* Salvus factus est dominus hujus domûs, ex impio justus, ex peccatore sanctus, ex iniquo publicano, spiritu pauper et voluntate egenus redditus est, ita ut maneat eum cœlestis regni salus felicitasque perpetua; nec ipsum solum, sed ipsius occasione etiam familiares ipsius. Approbat Jesus Zachæi veram ac sinceram et ex corde initam pœnitentiam, cujus effectus sit justitia et salus æterna.

Eo quod, quandoquidem. Reddit rationem cur mirum videri non debeat, si Zachæus cum suis salutem consequatur.

Et ipse, etiam ipse, scilicet vir iste cujus est hæc domus. Emphatica est particula ista *et*; ipse non minùs quàm vos, à quibus despicitur et rejicitur, tanquàm peccator et indignus consortio ac numero vestro.

Filius sit Abrahæ, ex genere Abrahæ oriundus non solùm, sed et hæres promissionum factarum Abrahæ ac semini ejus. Ex illo enim fœdere quod Deus cum Abraham inivit, accepit remissionem peccatorum et justitiam, factusque est hæres salutis æternæ.

Vers. 10. — Venit enim, etc. Occurrit objectioni quam è turbâ quis afferre potuisset: quomodò filius Abrahæ est et hæres promissionum, qui peccator est publicè infamis, degener, alienusque ab imitatione Abrahæ, homo turpis ac flagitiosæ vitæ, cui census ex fraude? Sit, inquit, hujusmodi. Atqui Filius hominis, id est, ego factus miser homo, *venit* à Patre missus è cœlo in mundum.

Quærere, ut quærat tanquàm ovem errantem.

Et salvum facere, et salvet, ad justitiam salutemque reducat.

Quod perierat, perditum, id quod perditum est, id quod per peccata alienum à Deo factum æterno exitiò obnoxium est. Supple cum Euthymio, ex filiis Abrahæ; quemadmodùm Matth. 15, v. 24, ait: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel.* Dicit ergo, officium à Deo Patre sibi demandatum hoc habere, ut illos Abrahæ filios qui perditi sint, qui per peccata à Deo et Abrahæ imitatione recesserint, rei facti æterni supplicii, id est, peccatores, quærat errantes in deserto hujus seculi, et ad Deum reducat, ac benedictionis salutisque æternæ Abrahæ promissæ participes reddat. Inter hos esse Zachæum, nec mirum proinde aut obloquio dignum, si hospitium ejus subierit, ubi perditum invenire, lucrifacere et salvare posset.

Vers. 11. — Hæc, tum quæ à Zachæo, tum quæ à Christo dicebantur.

Illis, scilicet omnibus qui aderant, discipulis et turbâ seu plebe, cujus mentio præcessit supra, v. 3, 7, et cap. 18, v. 43.

Audientibus. Supra, v. 8, diximus hæc ante fores domûs Zachæi contigisse, ubi populus præsens exspectabat egressum Jesu, comitaturus Jesum in cœpto pridie itinere Jerosolymam versùs.

Adjiciens dixit, seu adjecit dicere, phrasis Hebraica, pro pergens dixit, seu perrexit dicere, insuper dixit (simile infra, 20, v. 11, 12; Act. 12, v. 3), antequàm scilicet eo loco se moveret, antequàm iter iniret.

Parabolam, ænigmaticam comparationem.

Eò quòd, hâc occasione quòd esset prope Jerusalem, quò et jamjam proficiscebatur ex Jerichunte, non ampliùs distante quàm 150 stadiis, id est, itinere horarum sex, et quod excurrit.

Quia, quòd existimarent, scilicet quidam Jesu discipuli ac sectatores, nominatim filii Zebedæi, Matth. 20, v. 21.

Confestim, mox ut Jesus pervenisset Jerosolymam.

Regnum Dei seu Christi, quod Deus Christo, quem Jesum esse credebant, per Prophetas pollicitus fuerat. *Super solium David et super regnum ejus sedebit.* Isaiæ 9, v. 7.

solùm genere, sed maximè fidei et justitiæ imitatione: quo sensu Christus negat Judæos esse filios Abrahæ, Joan. 8, v. 39 et 44.

Vers. 10. — Venit enim filius hominis. Causam assignat salutis ejus, unde videlicet peccator publicus et infamis possit esse factus filius Abrahæ, ut notat Prosper, loco supra citato contra Collatorem, nimirùm eò quòd ipse Filius hominis in mundum venisset, ut eum cum cæteris tanquàm ovem errantem, quæreret, et salvum faceret, quod perierat, id est, ut ad justitiam et salutem reduceret eos qui peccatis suis perierant, ut ita videlicet, quem agnosceremus à Christo quærente salvum esse factum, sciremus à quærente præventum, inquit Prosper. Sensum allegoricum hujus historiæ vide apud August., serm. 8 cit., et Theophyl. in Luc.

Vers. 11. — Hæc illis audientibus, tam plebe videlicet quàm discipulis. Unde videntur hæc præ foribus esse dicta, ubi populus egressum Domini exspectabat. Adjiciens dixit parabolam, quâ sanare volebat quorumdam carnalem existimationem, quam tangit sequentibus verbis, eo quod esset prope Jerusalem, utpote quæ à Jericho non nisi septem circiter horis distabat. Et quia existimarent, quod confestim, simul atque Jerosolymam, urbem regiam, pervenisset, regnum Dei, gloriosum, quod Deus Christo suo per prophetas promiserat, et de quo toties ipsemet, etiam tanquàm jam appropinquante, mentionem fecerat,

Manifestaretur, appareret, palàm fieret, conspicuum scilicet splendore et gloriâ externâ. Hâc occasione, ait evangelista, adjecit parabolam, quòd essent inter discipulos ejus, qui putarent, mox ut venisset Jesus Jerosolymam, cui jam cœperat esse vicinus, appariturum regnum illud cujus toties meminerat, imaginantes regnum aliquod terreno simile : existimabant, quòd confecto hoc itinere, ubi pervenisset Jerosolymam, auspicaturus esset regnum suum, et occupaturus solium David in regiâ illâ civitate. Unde nata fuerit hæc opinio, jam aliquoties declaravimus; hoc nunc addam, quòd considerarent discipuli illi Jesum studiosè jam petere Jerosolymam, idque, quod dixerat supra 18, v. 31, ut omnia quæ de ipso ut Christo scripta fuerant per prophetas, consummarentur; inter quæ cum primis regnum numerabant. Et quanquàm non satis intellexissent quorsùm res tota evaderet, existimârunt tamen regnum Christi, quocumque modo id foret, exoriturum, seque beatos mox et compotes illius fore. Consonare videbatur præsens rerum status, quo Jesus, miraculis suis, summam nominis claritatem, et Christi titulum, adeptus esse, totiusque Israel favorem sibi conciliâsse, videri poterat, ita ut aliud non restaret, quàm ut regnum acciperet, oblatum à tot millium hominum turbâ, quæ ipsum quòcumque sequebatur. Ex hâc opinione descendit et illud, quòd turbæ Jesu Jerosolymam ingredienti acclamârunt : *Benedictum quod venit regnum patris nostri David*, Marci 11, v. 10. *Benedictus qui venit rex in nomine Domini*, infra, v. 28. Hanc igitur erroneam opinionem corrigere volens Jesus, quod ait Euthymius, adduxit parabolam, quâ significavit, se quidem brevi regnum initurum in cœlo, sed non priùs appariturum illud in terrâ, quàm ipse in terram redeat; neque discipulos suos ejus participes futuros, nisi interim persistant singuli gnaviter in officio sibi credito.

Vers. 12. — Nobilis, benè natus, claro genere ortus, ingenuus et illustris. Syrus, *filius magni stemmatis.*

Longinquam, longè à patriâ suâ sitam, ac proinde utcumque diù abfuturus.

Accipere, ut acciperet, ut iniret possessionem regni quod sibi jure debebatur.

Et reverti, eâ mente, ut illo regno potitus reverteretur ad suos; quorum etiam rex erat suo jure, quanquàm regnum inter eos non administraret. Hominem nobilem intelligit seipsum Dominus Jesus, natum ex Patre Deo jam inde ab æterno, ex matre virgine stirpis regiæ Davidis in temporis plenitudine : quo genere quod possit esse illustrius? *Non solùm enim secundùm deitatem nobilis est,* inquit Basilius in Catenâ, *sed etiam secundùm genus humanum; ex semine David secundùm carnem exortus.* Quamvis autem jam tunc Rex esset, nobilem tamen hominem, *nondùm Regem se appellat,* ait Eusebius in Catenâ, *quia nondùm, in primâ apparitione, regiâ fungebatur majestate.*

Is abiit. Utitur præteritis loco futurorum, quod notat etiam Euthymius. Prædicit se abiturum seu profecturum brevi, post mortem scilicet et resurrectionem, in cœlum (*ascensum enim proprium à terrâ in cœlos designat*, ait Eusebius in Catenâ); regionem longè à terrâ terrenisque distantem *tum loco tum rerum conditione*, quod habet Basilius ibidem : quanquàm longinqui nomine, et temporis diuturnitas insinuetur, quo abfuturus sit, nempe ad novissimum usque judicii diem. Porrò abiturum se dicit in cœlum, non quòd terram deseret, sed quòd regnum modo corporali in eâ tantisper per se non administrabit. Abiturus est autem ut accipiat regnum, regnum utique cœli seu cœleste, quale obtinet Pater, ut unà cum Patre in cœlo beatus, regnet et regat omnia quæ in cœlo et in terrâ, terræ invisibilis; accipiat autem à Patre, juxta illud Danielis cap. 7, v. 14 : *Et dedit ei potestatem et honorem et regnum*, etc.; nam tametsi inde ab æterno obtinuerit hoc regnum ut Filius Dei, per ascensionem tamen accepit ut homo, id quod Græci tractatores expressè hìc annotant, Titus, Theophylactus, Euthymius; quod quamvis ab incarnationis initio ipsius fuerit, per mortem tamen et passionem meruit illud, nec ante ascensionem possessionem illius obtinuit, secundùm id quod ipse dixit infra, 24, v. 26 : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Denique obtento regno cœlorum, postquàm eo fruitus fuerit bono temporis spatio, promittit se rediturum in terram, ad suos, visibilem : id quod etiam angeli promiserunt Act. 1, v. 11 : *Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum.* Quâ de re Petrus agens, Act. 3, v. 21, *Jesum Christum,* ait, *quem oportet quidem cœlum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium.*

Vers. 13. — Vocatis autem, priusquàm abiret, decem servis suis, id est, omnibus quos domi reli-

---

manifestaretur, Christo scilicet mox occupaturo solium regium, in urbe regiâ, ad quam tendebat. Carnale namque regnum terreno simile somniabant, ut patuit in filiis Zebedæi, Matth. 20, v. 21. Hanc opinionem tollit hâc parabolâ, docens eos regnum illud in longinquâ regione, in cœlo videlicet, inchoandum, nec nisi in reditu suo manifestandum in terris : interim verò iis qui participes ejus esse vellent, hìc negotiandum esse. Est autem parabola hæc ei quæ narratur Matth. 25, de talentis, valdè similis, et eumdem scopum habens; alio tamen tempore et loco et occasione dicta, et in quibusdam circumstantiis narrationis diversa.

Vers. 12. — Homo quidam nobilis, Christus Dominus, juxta August., lib. 2 Quæst. evangel. q. 46, quia secundùm divinam naturam ex Deo Patre natus; secundùm humanam, ex regiâ progenie David, rebusque à se mirabiliter gestis nobilitatus. Abiit in regionem longinquam, per ascensionem in cœlum; quæ regio et loco et rerum conditione à terris remotissima est, quanquàm et longitudo absentiæ usque ad judicii diem nomine longinquitatis insinuetur. Accipere sibi regnum, cujus possessio ei post ascensionem data est, prout luculentè describitur Dan. 7, v. 13 et 14. Et reverti, tempore opportuno, quod erit in novissimo die. Sed antequàm discederet,

Vers. 13. — Vocatis decem servis suis : quo numero denario tota multitudo ministrorum Ecclesiæ

quit, nam alios secum assumpsit. *Numerus denarius hoc loco*, quod scribit Euthymius, *multitudinis duntaxat manifestativus est, tam de servis quàm de minis.*

Decem mnas, singulis unam mnam. *Mna* Græcis dicta, Latinis *mina*, libra pecuniaria erat, constans centum drachmis. Hebræis *mane*, quæ vox eadem esse videtur, constabat sexaginta siclis, Ezech. 45, v. 12; id est, ducentis quadraginta drachmis. Nam siclus tetradrachmus est. Porrò nobis, drachmæ pondere nummus cusus, est is quem vocamus regalem Hispanicum simplicem: unde facile est colligere, quanti hodiè nobis esse possit una mina, sive Græca sive Hebræa. Nam utramvis hìc intelligas, res eadem una est, numero seu pondere certo posito pro incerto, ejusmodi tamen, quòd magni sit pretii: hinc enim fit, ut in simili parabolâ Matth. 25, v. 15, nominetur talentum.

Ait ad illos, præcipit illis.

Negotiamini. Pecuniâ hâc meâ sic utamini ut crescat, et lucrum mihi pariat, reversusque inveniam rem domi auctam. Dum, usquedùm, donec venio, donec redeam. Vult servos tamdiù occupare se negotiatione, et augendis domini opibus incumbere, quamdiù abest; nec dicit quamdiù aberit, aut quando revertetur, ne unquàm otio vacent, semper exspectantes dominum incerto tempore rediturum. Christus Dominus ascendens in cœlum, dedit dona hominibus, servis, inquam, suis fidelibus, quos in terrâ reliquit (alios enim, spiritus, inquam, prophetarum et justorum omnium, qui à seculo terram deseruerant, in cœlum secum assumpsit), uni plura, singulis unum ut minimùm, *unusquisque enim proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, aliùs verò sic*, 1 Cor. 7, v. 7; non uni omnia, nec singulis æqualia. Nam, quanquàm singulum unum donum comparetur minæ, quod etiam minimum donum maximi sit pretii, majoris quàm quælibet massa pecuniaria, quippe quo lucrifacere queas hæreditatem cœlestem; discrimen est tamen, ut inter minam auri et minam argenti et æris, inter unum donum et aliud. His donis seu muneribus suis, præcepit Christus ut sui uterentur ad utilitatem: *unicuique enim datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem*, 1 Cor. 12, v. 7, et unumquodque Dei donum suam habet legitimam negotiationem. *Utilitatem* autem totius corporis sui seu Ecclesiæ, id est, ad salutem spiritalem tum propriam tum proximorum, quam Christus Dominus ponit in suo lucro; idque indesinenter, quamdiù hìc vivunt, absentes à Domino, donec redeat Dominus (incertum quo tempore) è cœlo in terram, singulos judicaturus.

Vers. 14. — Cives ejus. Syrus, *filii civitatis ejus*, ii scilicet inter quos natus et educatus fuerat: in quos etiam jus regni ipsi competebat, quanquàm eo non frueretur.

Oderant eum, et animi odium variis injuriis testati fuerant, dùm inter ipsos ageret.

Et, cùm jam abiisset ab ipsis, occasione quæ dicta est, rebus domi ordinatis, miserunt legationem, legatos, post illum, qui illum iter agentem assequerentur.

Dicentes, legatis suis: Nolumus, sit pro ratione voluntas. Hunc, despicientium est et dedignantium nominare. Regnare super nos. Hujus nostræ voluntatis certiorem eum facite, ut abeat benè longè, nec unquàm ad nos redeat. Judæi, ex quibus Christus secundùm carnem, Rom. 9, v. 5, qui maximè amare et primi omnium suscipere Christum Regem debuissent, quamdiù inter eos vivebat Christus, semper oderant eum, gravisque erat ipsis etiam ad videndum, Sap. 2, v. 15. Et quanquàm multis argumentis se Christum Regem esse monstraret; et pertransiens benefaciendo ac sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10, v. 38, illorum animos sibi conciliare studeret: illi tamen nihil his omnibus moti, ut insanabili odio suo satisfacerent, variis eum modis persecuti sunt, tandemque in crucem actum interfecerunt. Quibus rebus non contenti, etiam postquàm à morte redivivus abiisset in regnum paternum et sederet à dextris Dei, testantibus id quàm efficacissimè discipulis ipsius per Spiritum sanctum, perstiterunt in rejiciendo illo et pertinacissimè reprobando. Discipulis cæsis denuntiaverunt ne omninò loquerentur in nomine ejus, Act. 5, v. 40. Saulum miserunt Damascum cum epistolis ad synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem, Act. 9, v. 2; constantes discipulos lapidaverunt, et aliis aliisque modis occiderunt, Act. 7, v. 58, et 12, v. 2. Quid hoc erat aliud quàm palam rejicere, ac sacrilegâ audaciâ dicere: Nolumus hunc regnare super nos? fidem in Christum persequi, ejusque professores cædere, vincire, occidere, hoc

significatur; ponitur enim certus numerus pro incerto. Dedit eis decem mnas, ut ex iis singuli acciperent unam, sicut patet infra ex verbis servorum, rationem domino reddentium. Significantur autem diversa dona, quæ ministris suis tradidit. Porrò *mna* Græcè, Latinis dicitur *mina*, et significat libram pecuniariam Atticam, constantem duodecim unciis et semis, id est, centum drachmis; nam uncia continet octo drachmas. Mna verò Hebraica continebat duas lib. et dimidiam, ut testatur Josephus, lib. 14 Antiquit. c. 13, aliàs 12, in initio, et indicatur Ezech. 45, v. 12, ubi dicitur quòd viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli (hoc est, in universum sexaginta sicli) mnam faciant. Nam duo sicli faciunt unciam, et viginti quatuor sicli unam libram. Itaque mna valdè diversa est à talento, sed ad idem significandum in parabolâ assumitur. Et ait ad illos: Negotiamini, laborando in usu pecuniæ, et lucrum afferendo, dum venio, id est, donec reversus fuero. Destruit ergo opinionem non solùm de instante jamjam regno, sed etiam de regno suaviter ac molliter sine laboribus sibi deferendo.

Vers. 14. — Cives autem ejus, inter quos natus, et educatus, et conversatus fuerat, nempe, Judæi, maximèque Jerosolymitani, oderant eum, dùm cum illis viveret; ita ut etiam tum palàm dicerent: *Non habemus regem nisi Cæsarem;* eàque de causâ eum interficerent, dicentes Pilato: *Noli scribere: Rex Judæorum.* Itaque idem odium obstinatâ voluntate prosequentes, eo jam in cœlum profecto, miserant legationem, seu legatos, post illum, dicentes, non illi, sed

demùm erat, factis meliùs quàm verbis, imperium Christi detrectare. Sunt autem nepotes, sectatores majorum suorum, ad hodiernum usque diem.

Vers. 15. — Et factum est. Factum est autem tandem, ut rediret, Græcè, *cùm rediisset*. Sic etiam Syrus : *Cùmque accepisset regnum et reversus fuisset*. Subaudi, in patriam, quantùmvis invitis civibus suis.

Accepto et firmato regno illo suo, rediret, formâ planè regiâ, cum potestate, magnificentiâ et gloriâ dignâ rege, qui antea inter suos humilis habitus fuerat.

Et. Græcè et Syriacè omittitur *et*, quod interpres addidit, quia verterat *ut* pro *cùm*.

Jussit ante omnia, regiâ potestate et auctoritate.

Vocari ad se, quod Græcè et Syriacè additur.

Servos, suos scilicet, quibus dedit, quibus commiserat pecuniam suam

Quantum quisque, τίς τί, *quis quid*, negotiatus fuisset, id est, negotiando lucrifecisset. Jesus Christus, Rex cœli longâ possessione firmatus, redibit tandem à dexterâ Dei Patris omnipotentis, in inferiorem hunc mundum, cum virtute multâ et majestate, non ut regnum cœli derelinquat, sed ut regnum terræ cum regno cœli conjungat, unumque faciat ex duobus, in quo solus ipse regnet. Quod ut faciat, inibit hanc rationem : Postquàm è cœlo descenderit, sedebit super sedem majestatis suæ, et adesse primùm jubebit ante se, ante tribunal suum, ministris angelis, servos suos domesticos, filios Ecclesiæ suæ, quibus varia munia obeunda commiserat, alios tunc temporis vivos, alios ex morte redivivos; non ut sciat ipse, nihil enim ipsum latere potest, sed ut alios omnes qui aderunt (aderunt autem omnes gentes, Matth. 25, v. 32) scire faciat, an credita sibi munia exercuerint ad Dei gloriam, cum profectu salutis suæ ipsorum et proximorum, an non (tunc enim omnium opera et cogitationes palàm omnibus ostendentur, quod ait Beda in hunc locum), et quàm justo ipse judicio singulos pro meritis excipiat. *De secundo adventu est hìc sermo*, ait Euthymius, *quando revertetur cum potestate magnâ et gloriâ, sedebitque super sedem gloriæ suæ; nam tunc rationem ponens, reddet unicuique juxta opera sua*. Idem habet Augustinus, lib. 2 Quæst. evang., cap. 46, et alii omnes.

Vers. 16. — Mna tua, mna quam mihi dederas.

Decem mnas. Per denarium numerum etiam hìc multitudinem sive magnitudinem lucri significavit, ait Euthymius.

Acquisivit, lucrifecit. Per hunc ii significantur, quos Dei donis quàm optimè usos fuisse, et infinitos alios secum Deo lucrifecisse, in extremo judicio palàm erit : quales erunt, Petrus, Paulus, aliique apostoli. Dicit autem, non ego, sed, *mna tua*, eò quòd sancti, non suæ industriæ, sed Dei gratiæ, fructum ascribant, quemadmodùm Paulus, ubi ait : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, 1 Cor. 3, v. 7.

Vers. 17. — Ait, Dominus.

Bone, fidelis.

Fuisti fidelis. Laudatur, non propter dona quæ acceperat, sed propter lucra quæ refert suâ fidelitate. Infidelis Christi sententiâ judicatur, tanquàm non quomodò oportet administrans alienum sibi creditum, qui Dei donis vel abutitur vel non utitur.

Potestatem habens, habeto potestatem, auctoritatem, præfecturam super decem civitates, super amplam regionem, continentem decem urbes et varios populos; esto ex primis proceribus regni mei. Quantus hic in terreno regno sit honor, nemo non novit; tantum et eò majorem, judicio suo extremo, palàm adjudicabit Christus iis qui quàm optimè usi fuerint ipsius donis. Non tantùm enim collaudabit industriam et fidem illorum : verùm etiam magno remuneratos præmio, regni sui consortio donabit. Præficiet iis omnibus quos Deo lucrifecerint : *Nam sicut angeli præsunt*, inquit Ambrosius, *ita et hi qui vitam meruerint angelorum*. Quocirca V. Beda explicat : *Esto potestatem habens, hoc est, ex earum quas imbueras animarum fide et conversione, magnus sublimisque fulgeto*. Et Dionysius Richelius : « Eris potestatem habens super decem civitates, hoc est, abundantiorem felicitatem atque honorem « sortieris in cœlis; et pro omnibus, ac ab omnibus « quibus fuisti cooperator salvationis, glorificaberis in « supernis. Nam et post judicium manebit in beatis « ordo dignitatis, ac congruæ ad invicem honorationis. « Unde dicit Apostolus : *Quæ est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus?* 1 Thess. « 2, v. 19. » Hæc ille. Nec tantùm iis præficientur quibus fuerint causa salutis, verùm pluribus etiam aliis.

aliis, id est, dantes eis in mandatis, ut totinationi Judaicæ denuntiarent istud : Nolumus hunc, quem præ contemptu nec nominare dignantur, regnare super nos, quem vidistis velut indignum à nobis exturbatum et crucifixum. Factum est hoc, quando apostolos persecuti sunt, et cæsis denuntiaverunt, ne in nomine Jesu cuiquam loquerentur, quando Paulo datæ sunt epistolæ à pontificibus in Damascum, ut Christianos vinctos perduceret in Jerusalem.

Vers. 15. — Et factum est ut rediret, in patriam scilicet suam, accepto regno, id est, postquàm regnum suum in cœlis inchoâsset et accepisset; quia in manifestissimâ et eminentissimâ claritate rediturus est ad judicium ille qui eis humilis apparuit, ut August., quæst. 36.

Vers. 16. — Mna tua decem mnas acquisivit, seu lucrifecit; q. d. : Non ego per industriam meam, sed gratiam tuam decem mnas acquisivi : quo numero maximum lucrum significatur, sicut per *quinque* duplo minùs. Quâ de causâ gratulando dicit Dominus :

Vers. 17. — Euge, serve bone, quæ vox est laudantis et applaudentis, perinde ac si diceres, *rectè, præclarè se res habet;* componitur enim ex *eu*, id est, benè, et, *gè* enclitico : quia in modico, Græcè *in minimo;* in unâ scilicet mnâ, fuisti fidelis : eris, Græcè *esto*, seu *sis*, potestatem habens super decem civitates, super plurimas videlicet animas, eas maximè, quibus causa salutis fuisti. Hinc psalm. *Jerusalem ædificatur ut civitas;* et Ambr. : Civitates illæ sunt animæ, quibus jure præponitur, qui pecuniam Domini, hoc est, eloquia Dei mentibus hominum fœneravit. Nam sicut angeli, inquit, præsunt, ita et hi qui vitam meruerint angelorum. Q. d. Christus : Esto ex primis proceribus et præfectis regni mei. Alteri verò, qui

Hoc enim Titus docet his verbis : *Decem aut quinque civitatibus præficientur, hoc est, præerunt rursùs, non iis tantùm quibus ante, sed multis præterea aliis.* Hoc quid futurum sit, difficile mortalibus sit exprimere. Observandum, pro parvo magnum rependi, servatâ tamen proportione decem ad decem, præmii ad meritum.

VERS. 18. — FECIT, lucrifecit.

QUINQUE MNAS. Hic minùs laboraverat priore, vel certè habuerat minam inferioris pretii : non tamen vacua fuerat in eo gratia Dei, sed insignem et ipse fructum fecerat, non ipse autem, sed gratia Dei cum eo, 1 Cor. 15, v. 10.

VERS. 19. — SUPER QUINQUE CIVITATES, præfectus quinque civitatum. *Conformiter ad mensuram studii cujusque, mensuratur et honor ac beneficium,* ait Euthymius. Lege supra, v. 17. Intelligendum est autem, et cæteros servos, qui minas suas lucro expenderant, etiam minore, accepisse singulos præmium se et tali domino dignum : nec dubium est fuisse quosdam, qui, quod Ambrosius ait, *quasi prodigi debitores, quæ acceperant perdiderint,* tametsi de solo ignavo servo sequatur mentio.

VERS. 20. — ALTER, alius.

ECCE MNA TUA, recipe minam tuam.

QUAM HABUI, quam servavi apud me.

REPOSITAM, sepositam, IN SUDARIO. Vox Latina est, cujus usus est etiam Græcè. Syrus, *beseduno,* in sindone; ponitur enim species pro genere, sudarium pro linteo. Involutam linteo, quo maneret tibi incolumis, quemadmodùm dederas. *Pecuniam in sudario ligare,* ait Beda, *est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere.* Matthæus, cap. 25, v. 25, dicit talentum absconditum in terrâ, quod idem unum est.

VERS. 21. — TIMUI ENIM TE, ac proinde non fui ausus expendere eam, ne fortè offenderem te.

AUSTERUS, severus, rigidus, *durus,* ait Matthæus in simili parabolâ.

TOLLIS, aufers tanquàm tuum, quod à te non est profectum, hoc est quod Matthæus dicit, *congregas ubi non sparsisti.*

VERS. 22. — DICIT, respondet, EI, Dominus.

DE, *ex,* ORE TUO, ex verbis tuî ipsius TE JUDICO, condemno. In tuum ipsius caput protulisti sententiam. Excusationem servi vertit Dominus in accusationem.

NEQUAM, *male,* vertit secundùm Matthæum.

VERS. 23. — ET QUARE, quare igitur.

AD MENSAM, mensariis, fœneratoribus. Sic enim Regia Biblia post Complutensia explicant, id quod in aliis codicibus est *ad mensam.*

UT EGO veniens, ut ego reversus repetere illam possem cum fœnore.

EXEGISSEM, id est, repetiissem, secundùm Euthymium.

VERS. 24. — ASTANTIBUS ministris, videlicet angelis, inquit Euthymius, quanquàm non tam rei gerendæ, quàm parabolæ causâ ita loquitur : non enim opus fore videtur angelico ministerio ad auferenda à reprobis Dei dona, spiritalia utique, sed ad Christi jussum per se reipsà auferentur.

ET DATE ILLI QUI DECEM. Significatur inprimis quòd electi in altero seculo, Christo judice, retinebunt dona sua, nec dona tantùm, verùm etiam fructum usûs donorum. Quanquàm enim fidelis servus mnas suas decem domino obtulisset, quippe cujus erant omnia et sors et lucrum (nam servus domino operam præstare debuerat), tamen *illi,* inquit, *qui decem,* etc., dans intelligendum, quòd contentus oblata sibi fuisse omnia, ut justum fuerat, reddiderit reliqueritque omnia ei qui obtulerat, fideli servo. Quo significatur usum donorum suorum et lucrum animarum, bonorumque operum, quod severè adeò Dominus à nobis requirit, non suâ causâ requirere, ut sibi aliquid accedat, sed nostrâ : præter enim dona ipsa, nostrum fore, nostramque aucturum tum salutem, tum gloriam æternam, quidquid tandem usu illorum profecerimus, aut in aliis aut in nobis ipsis. Dominus igitur, quem piger servus ut durè avarum accusaverat, ostendit quàm non avarus, sed munificus sit erga servos fideles : erga ignavum verò servum talem se præbet, qualem ille Dominum esse tenuerat, durum, inquam, et quasi avarum, dùm aufert ab eo quidquid ipsi dederat. Alterum quod hìc significatur est quòd præter hoc quòd electi retinebunt et dona sua et fructum usûs donorum, etiam ita cumulabuntur omnis generis donis ac dotibus, pro absolutissimâ Domini erga ipsos munificentiâ, ut dona omnia reproborum translata in ipsos esse videri possint, idque eò cumulatiùs, quò pluribus Dei donis in vitâ rectè usi fuerant. Dabitur igitur fideli servo donum à pigro ablatum, non idem numero, sed specie, si desit, nec ad usum (præterierit enim tempus meriti), sed ad gaudii, honoris ac gloriæ accessionem.

VERS. 25. — DIXERUNT, responderunt astantes.

HABET DECEM. Quid opus est ipsi addere? satis dives, honoratus et beatus est. Non significat angelos in judicio hoc dicturos; sed ita multis et variis dotibus augendos eos qui hìc benè usi fuerant donis Dei, ut si res hìc ageretur, mira admodùm hominibus videri posset, effusa hujusmodi Dei erga illos liberalitas.

VERS. 26. — DICO AUTEM, dico enim, nam dico. Syrus absque omni conjunctione solùm *dico* legit. Subaudiendum est : *Ille subjecit.* Reddit rationem

minùs priore laboraverat, insignem tamen et ipse fructum fecerat, dicit :

VERS. 19. — ET TU ESTO SUPER QUINQUE CIVITATES, parem videlicet studio ejus honorem præfecturæ tribuens : quo præmium exprimitur accidentale : in Matthæo verò fit mentio præmii essentialis, quando dicitur : *Intra in gaudium Domini tui.*

VERS. 20. — Quod verò certius dicit, se habuisse mnam REPOSITAM IN SUDARIO, idem est quantùm ad sensum intentum cum eo quod dicitur apud Matth. : *Absconde talentum tuum in terrâ.*

VERS. 27. — VERUMTAMEN, id est, verùm; q. d. : Ignavum quidem servum sic plectendum esse judico, verùm INIMICOS MEOS ILLOS, genere scilicet cives meos,

facti sui, cur dari jubeat minam otiosi ei qui alias decem possidet. *Dico* ego justus judex.

ET ABUNDABIT, non esse hujus loci, ex antiquis codicibus constat, sed Matthæo proprium.

ET QUOD HABET. *Habens enim non habet*, quod ait D. Augustinus hunc locum explicans libro secundo Quæstionum evangelicarum.

Reliqua quære supra 8, 18.

VERS. 27. — VERUMTAMEN INIMICOS, verùm, autem; *quin etiam*, vertunt quidam. Hieronymus scribens in caput Isaiæ 13, citat *inimicos autem.* Ignavum quidem servum sic judico puniendum; verùm *inimicos*, vel inimicos autem *meos*, genere cives, animo reque ipsâ hostes, longè graviùs tractari volo.

QUI NOLUERUNT, qui seditiosâ legatione missâ detrectârunt imperium meum, rebellârunt mihi, noluerunt me Regem recipere, noluerunt agnoscere.

ADDUCITE etiam ipsos HUC, ad tribunal meum.

INTERFICITE, jugulate. Decernit supplicium mortis, idque certum et expeditum, abscisso nimirùm jugulo, membro exteriore, sine quo vita nequit consistere.

ANTE ME, in conspectu meo, ut constet mihi de vindictâ, eâque præsens fruar. Significatur vehemens desiderium animadvertendi in hostes, quali solent teneri principes hujus mundi, postquàm recuperârunt regnum dolo rebellium alienatum. Jesus Christus, dijudicatis in novissimo die, iis qui in ipsum crediderant, ipsique servierant ut Regi ac Domino, et probis quidem præmio affectis, ignavis autem omni honore despoliatis ac regno ejectis, infideles, qui ipsum regem noluerint agnoscere, signanter verò Judæos, qui ex professo se ipsi præstiterant inimicos, et agnitum reprobârant, quòdque in ipsis regno deturbârant, ita perdet, ut *pœnas dent in interitu æternas à facie Domini et à gloriâ virtutis ejus*, 2 Thessal. 1, v. 9: *Judæos dicit*, inquit Theophylactus, *quos interitui tradet, in ignem æternum mittens illos.* Augustinus, lib. 2 Quæst. evang. cap. 46: *Inimicos suos, quos jubet coram se interfici, significat impietatem Judæorum, qui ad eum converti noluerunt.* Denique Titus hìc scribit in hæc verba: *In secundo Christi veri Dei nostri adventu, universi (Judæi) veluti in bello quodam internecino, supplicio nunquàm finem habituro mancipabuntur.* Æquanimiter tulerat legationes illas contumeliosas ipsorum; verùm hujus judicii tempore, omnium gravissimas pœnas ipsi dabunt, rebellione suâ dignas, easque certas et inevitabiles. Jam hic est totius parabolæ sensus, quòd Jesus, Rex ipse sit quidem Israelis, atque adeò totius orbis terræ; sed quòd regnum ipsius hominibus in terrâ non perinde citò manifestandum sit, eò quòd priùs mediâ morte profecturus in cœlum sit, et illìc non modico tempore fruiturus regno cœlorum, longè distante à terrâ tam conditione quàm loco, relictis interim hìc in terrâ, et servis suis et inimicis, illis ut negotiationem exerceant omnis generis virtutum, his ut quæ velint faciant; sed quòd tandem rediturus sit è cœlo, stipatus angelis sanctis, regiâque fulgens magnificentiâ, non ut regnum cœli deserat, sed ut regnum terræ cum illo conjungat, et declaret universo orbi, quàm ipse potens sit rex cœli simul et terræ. Tunc demùm regnum Dei et Christi, hominibus in universum omnibus manifestabitur; et discipuli Christi, qui quidem donis ab eo acceptis ad ipsius gloriam et proximorum salutem industriè et gnaviter usi fuerint, fient beati et socii regni, omninòque participes tantæ felicitatis; inimici verò Christi perdentur à facie ejus *sicut fluit cera à facie ignis*, psal. 67, v. 3.

VERS. 28. — ET HIS DICTIS, ad abitum à domo Zachæi et egressum civitatis Jerichuntinæ, quo animos suorum liberaret ab errore illo quo tenebantur, ipsum ascendere Jerosolymam, ut regnum illìc auspicaretur.

PRÆCEDEBAT, discipulos suos, abhorrentes ab hoc itinere, ut qui sibi persuaderent, si non regni ineundi, certè obeundæ mortis causâ, hoc iter institui, ut quam disertè prædixisset supra, cap. 18, v. 33.

ASCENDENS intrepidè JEROSOLYMAM, ubi mortem ignominiosam, quam præ oculis habebat, jamque aliquoties discipulis prædixerat, passurus erat, perque eam abiturus in regionem longinquam accipere sibi regnum.

VERS. 29. — CUM APPROPINQUASSET, Græcè, ut appropinquavit, AD BETHPHAGE ET BETHANIAM, id est, Bethphagæ et Bethaniæ; cùm non procul abesset à Bethphage et Bethaniâ.

OLIVETI, ἐλαιῶν, olivarum. Si mutes accentum ἐλαιῶν, est olivetum: quomodò Syrus legisse videtur, qui reddidit, *Domus olivarum:* hoc est enim olivetum, quod Latinè dicimus.

VERS. 30. — CONTRA, ex adverso, è regione.

PULLUM. Interpres addit, *asinæ*, ne alium pullum intelligas quàm asininum.

ALLIGATUM, *ligatum* vertit secundùm Marcum.

CUI, in quo.

SEDIT. Id est, rudem illum sessori, et præ ætatis teneritudine matri etiamnum adhærentem. Indomitus erat hic pullus nec sessorem hactenùs passus, nondùm doctus aut assuetus sessorem ferre et freno obedire; ut hâc etiam parte miraculum esset, quod veritatem vaticinio consonam indicaret, pullo indomito viam composito gressu conficiente, sessoremque primâ vice vehente sine recalcitratione. Sensit pullus virtutem Jesu suo modo agnoscendi, meliùs quàm agnoverit Judaicus populus. *Tu verò*, scribit in Matthæum Chrysostomus, *subitam pulli domationem admirare, quomodò, dùm esset indomitus et freni omninò expers, non resiliit nec reluctatus est, sed quietè quasi assuetus ferebat. Gentium enim obedientia hinc significatur, et repentina in meliorem vitam mutatio: quâ tot animorum ferocitates*, quod habet Hilarius, *vecto Deo fractæ*

animo verò hostes infensissimos, longè graviùs tractari volo. Nimirùm ADDUCITE EOS HUC, ET INTERFICITE ANTE ME, Græcè, *jugulate coram me;* quo significatur æterna et irreparabilis pœna Judæorum infidelium, quòdque ipsi, adeòque omnes reprobi, inspectante cum sanctis Christo, in infernum latâ damnationis sententiâ demergendi sunt.

sunt. Matrem unà cum pullo adduci jussam narrat Matthæus : solius autem pulli meminerunt Marcus et subsequentes evangelistæ, quòd eo præcipuè vectus fuerit Jesus, atque adeò illi insidens Jerosolymam ingressus sit.

VERS. 31. — QUARE SOLVITIS, pullum?

DOMINUS. Non jubentur nominare Jesum, nec dicere, Dominus noster, aut, Dominus vester, sed simpliciter, *Dominus*, universi videlicet, et jumentorum istorum, et dominorum ipsorum, et absolutè omnium; cui proinde non facilè quid negandum est. *Dominus* appellari voluit, qui sese mox Regem ex divino decreto exhibiturus erat exspectantibus redemptionem Israel. Visum itaque est Jesu auctoritatem hìc exercere regiam adeòque divinam, jumentis his duobus ad brevem usum postulatis.

OPERAM EJUS DESIDERAT. Eadem verba Græca secundùm tres evangelistas, interpres aliter et aliter transfert, uno sensu. Eximiam præ se ferunt hæc Jesu verba auctoritatem.

VERS. 32. — DIXIT, dixerat.

STANTEM PULLUM. Illud nec Græcè nec Syriacè additur : videri possit alicujus expositio fuisse, quæ in textum irrepserit. Absolutior est sermo si non addatur, ut intelligas illos comperisse quidquid prædixerat Dominus.

VERS. 33. — DOMINI EJUS, scilicet pulli, ii quorum erat pullus ille. Non igitur erat asina pullusve communis, quod quidam fingunt.

QUID, quare facitis quod vobis non licet?

VERS. 34. — DOMINUS EUM NECESSARIUM HABET, seu *Dominus operam ejus desiderat*, uti mox vertit supra v. 31; utrobique enim eadem Græcè sunt verba, ut videas discipulos ne tantillùm recessisse à præscriptis à Jesu verbis. Subauditur quod Marcus exprimit, dominos pulli, ubi hoc audivissent, reliquisse pullum discipulorum voluntati.

VERS. 35. — ET DUXERUNT, duxerunt igitur.

JACTANTES VESTIMENTA SUA, injectis palliis suis, summis sive extimis vestibus. Cùm viderent Domino propositum esse vehi Jerosolymam his animalibus conscensis, instraverunt ornâruntque illa ut potuerunt optimè : loco ephippiorum aureorum, stragulorum hyacinthinorum, stapedum argenteorum seu inauratorum, cæterorumque hujusmodi pretiosorum stratorum, quæ non suppetebant, palliis ea suis operuerunt, quæ certè quovis pretiosissimo equino strato chariora ipsis erant, quò tum commodiùs tum honorificentiùs sederet, nec nuda animalium terga incommodè parùmque honestè premere cogeretur; nihil verecundati vestibus se nudare et absque palliis comitari, modò constaret Domino qui debebatur ipsi honor.

VERS. 36. — EUNTE ILLO, equitante Jesu.

SUBSTERNEBANT, plurimi è turbâ.

IN VIA. Consternebant vestibus suis viam quà pergendum erat Jesu : quod erat summi honoris observationisque maximæ argumentum (quale regibus vix exhibitum legitur), proprii corporis vestibus se exspoliare, eisque adeò non parcere, ut asino calcandas præbere, quò via sessori iter facienti foret mollior, expeditior, ornatior, tanquàm et in cœlum suis eum vestibus elevâssent, si possibile fuisset.

VERS. 37. — AD DESCENSUM MONTIS, eò ubi descendendum erat è monte, nimirùm ubi se oculis manifestam subjiciebat regia Jerosolymorum urbs, in quam Rex Jesus properabat.

OMNES TURBÆ, universa multitudo.

DISCIPULORUM, id est, eorum qui sequebantur Jesum, sive doctrinæ sive miraculorum causâ. Hos omnes discipulos vocat.

MAGNA, elevatâ.

QUAS VIDERANT, à Jesu editas.

VIRTUTIBUS, miraculis, signanterque recenti illo resuscitati Lazari, quod exprimit Joannes cap. 12, v. 17, 18.

VERS. 38. — REX Israel, Messias. Hoc quia sibi acclamari permisit Jesus, accusatus postea fuit læsæ majestatis, infra, cap. 23, v. 2. *Atqui non Rex Israel Christus, ad exigendum tributum,* inquit D. Augustinus in eumdem hunc locum secundùm Joannem, *vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos; sed Rex Israel, quòd mentes regat, quòd in æternum consulat, quòd in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque deducat.*

PAX, salus, prosperitas IN, pro *ex,* COELO sit Regi nostro, ET GLORIA regni firma atque perpetua contingat ei IN, pro *ex* EXCELSIS cœlis, id est, à Deo. Jam hoc illud est, quod reliqui evangelistæ scribunt fuisse Jesu acclamatum : *Hosanna filio David, Hosanna in altissimis.* Lucas igitur cæterorum agit interpretem.

VERS. 39. — ET QUIDAM, tunc quidam invidentes Jesu gloriam hanc, quòd Christus agnosceretur et celebraretur à populo.

DE TURBIS, qui permixti erant turbæ. Syrus, *è mediâ turbâ.*

MAGISTER. Rabbi. Abhorrere dicas Lucam à nominibus barbaris, ut mox ab *hosanna.*

INCREPA, objurga, compesce DISCIPULOS TUOS, adulantes tibi, ne videaris insipiens adulationibus vanisque illorum laudibus capi; q. d. : Hujusmodi falsum adulantium applausum non debes ferre : auctoritas enim tibi in ipsos est, cùm discipuli tui sint. Discipulis attribuunt, quod populo magnâ multitudine comitanti commune erat, ut laudem Jesu, tanquàm ex assentationis, potiùs quàm veritatis studio, ex immodico, inquam, erga præceptorem favore, profectam suggillent.

VERS. 40. — AIT. *Respondens* additur Græcè, quod tamen non magis Syriacè quàm Latinè exstat.

DICO, affirmo.

QUIA, quòd SI HI TACUERINT gloriam Dei et laudem meam, cujusmodi decantant et celebrant; LAPIDES hâc in viâ sparsi CLAMABUNT eamdem illam. *Mox clamabunt,* sic exprimenda quibusdam videtur vis temporis paulò post futuri; q. d. : Non adulandi animo, aut alio quovis humano affectu, ut mihi gratificentur, quod vos calumniamini; sed divino instinctu impul-

si, acclamant isti mihi : sic enim à Deo decretum est, ut hodiè excipiatur Christus ejus, usque adeò ut lapides in hujusmodi laudis voces potiùs erupturi sint, quàm illi Dei decreto non satisfiat. Hæc propositio per se vera est : quidvis enim potiùs fiat necesse est, quàm non fiat id quod Deus decrevit. Allatâ itaque in medium Dei voluntate, et discipulos acclamantes, et se permittentem, exsolvit culpâ, et Pharisæos perstringit ut Dei adversarios.

Vers. 41. — Appropinquavit, civitati Jerosolymorum.

Videns. Descendentibus è monte Oliveti occidentem versùs, Jerusalem proxima est, et tota in conspectu. Res observatione digna, quòd Romani, eodem in loco, in monte Oliveti, castra ponere, et eodem ferè die, proximè ante Pascha, civitatem obsidere cœperunt, quo Jesus prædixit ac deflevit visæ excidium : cujus locuples testis Josephus est, de loco quidem, lib. 6 de Bello, cap. 3 ; de die verò, cap. 4, subsequente.

Flevit, ut homo, sed ita ut fletum non invitus pateretur, sed spontè sibi ipse imperaret. Flevit autem inter gaudia et faustas acclamationes populi ; ostendens adversùs invidiam Pharisæorum, quàm non his efferretur aut extolleretur, quanquàm non judicaret cohibendas, quin multò magis cordi sibi esset civitatis salus. Opportunè enim magnoque consilio, fletum adhibuit suæ de excidio civitatis prophetiæ, ut fidem sibi conciliaret majorem, dùm constaret, non voluntatis ipsius esse ut periret, qui contra visceribus misericordiæ, *quæ per fletum ostendit,* ait Theophylactus, eam amplecteretur.

Super, propter, illam. Considerans enim, unâ ex parte ingratitudinem et obduratam cæcitatem civium Jerosolymitanorum, alterâ ex parte mala ipsis imminentia, induit affectum condolentiæ hujusmodi, qui lacrymas ipsi excusserit. Missus enim à Patre ad salvandum perditas oves domûs Israel, cùm nihil magis cuperet, quàm injunctum sibi officium exsequi, omnibusque salvificum esse adventum suum, doluit, frustra se laborare in servandis Jerosolymitis, quibus tamen primis missus videri poterat, utpote civitati à Deo electæ, ut invocaretur nomen ejus ibi, 3 Reg. 8, v. 44, 48. Quatenùs ergo constitutus erat Salvator populi, pro officii sui ratione, exitium Jerosolymorum deploravit, et ut homo commovit se vero sympathiæ affectu, quæ lacrymas ipsi expresserit, declarans ipsâ, se hujusmodi esse pontificem, qui compatiatur infirmitatibus nostris, Hebr. 4, v. 15.

Vers. 42. — Quia, quòd. Superest quod ad sensum, ut plerisque aliis locis.

Si cognovisses, ô si novisses, ô si scires.

Et tu, filia Sion, etiam vos cives Jerosolymitani, quemadmodùm ego, qui vobis prædico, novi, et quidam discipulorum meorum contribulium vestrorum, qui me hìc comitantur, noverunt. Vix enim erant inter hos Jero olymitæ.

Et quidem, vel saltem, in hac die tua, hoc die quo Deus te singulari adhuc beneficio dignatur, te per me visitans, me tibi mittens, juxta Zachariæ vaticinium, Regem mansuetum et humilem, Zach. 9, v. 9. Si post tot prophetas interfectos, et me quoque prophetarum dominum toties repulsum, nunc saltem hâc postremâ meâ ad te profectione. Amplificatio est à tempore sumpta : Quamvis hactenùs impiè contra Deum contumax fueris, nunc saltem, quando postremùm destinat me Pater ad te, tanquàm unicum remedium, doctrinâ ac miraculis etiamnùm te invitaturum, novisse intelligereque deberes, etc. Significat jam diem seu tempus extremum adesse, quod æterno Dei consilio ordinatum fuerit in salutem Jerosolymæ ; quòd si elabi sineret hanc opportunitatem, fore ut in posterum salutis janua ei præcluderetur : habet enim hunc loquendi morem Scriptura : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te,* 2 Cor. 6, v. 2, ex Isaiæ cap. 49, v. 8.

Quæ ad pacem tibi, ea quæ ad pacem tuam, scilicet sunt. Jungendum est cum verbo *cognovisses* ; quare Syrus mutato verborum ordine scribit : *Nempe si tu nôsses ea quæ sunt ad pacem tuam, vel saltem isto die tuo.* Ubi observandum quòd et suppleat verbum, *sunt :* quod faciunt etiam, interpres Origenis, homil. 38 in Lucam et Hieronymus scribens in caput 5, 29, 59 Isaiæ et Michææ 2 : *Si scires quæ ad pacem sunt tibi.* Euthymius subaudit, quæ ad pacem tuam pertinent ; Theophylactus, quæ nunc tibi conferunt, ac pacem et quietem afferunt. Pacis autem nomine intelligitur prosperitas, salus, felicitas, et animi et corporis, ex Hebræâ phrasi. Jam quæ ad pacem Jerosolymæ facerent, ex quibus penderet tota illius felicitas, erant, quod Euthymius et Theophylactus notant, fides in Jesum Christum et prædicationis ejus susceptio. O ergo si tu, vel hoc saltem die, quo te benignis adhuc aspicit oculis Deus, nôsses ea à quibus salus et felici-

Vers. 41. — Et ut appropinquavit Jerosolymæ, civitate scilicet jam in conspectu positâ, cùm descenderet ex monte Oliveti, flevit super illam, id est, propter illam, cùm perpenderet hinc ejus ingratitudinem, obduratamque cæcitatem, illinc verò impendentium calamitatum magnitudinem. Flevit ergò intimo compassionis affectu, in mediis festivis acclamationibus et gaudiis, ut ostenderet non sibi honorem illum, sed salutem civitatis esse cordi. Hoc contigit eodem loco ac tempore anni, quo postea Romani castra posuerunt, ut patet ex Josepho, lib. 6 de Bello Jud. c. 3 et 4.

Vers. 42. — Quia ; illud, *quia*, Latinè redundat ex phrasi Græcâ, ut alibi sæpiùs. Si cognovisses et tu. Greg., hom. 39, vult esse sermonem conditionalem, sicut sonat, ideòque supplendum, *fleres et tu;* nihil enim respondet illi conditioni. Sed facilior videtur esse posse sensus optativus, nullâ indigens suppletione ; quasi diceretur : O si cognovisses etiam tu, videlicet sicut ego, et hæc turba discipulorum meorum. Græcum enim εἰ pro *utinam*, sæpè sumitur, sicut in translatione Græcâ Septuaginta apertissimum est, Josuæ 7, v. 7, et Job 16, v. 4, prout notavit Olympiodorus. Utinam igitur cognovisses; sed quid? nempe : Quæ ad pacem tibi, supple, pertinent; nam illud, *quæ*, Græcè pluralis numeri est, et ita intelligunt ferè Græci Orig., hom. 38 in Luc., Euthym. ac Theophyl. *Pacis* autem nomine, Hebraico more intelligitur salus ac

tas tua tota dependet. Exclamatio est deprompta ex intimo pectore, tantâ affectione ut dolor vocem præcludat; scimus enim eos, quibus ardent vehementes affectus, non nisi dimidiâ ex parte sensus effari. Adde quòd duo affectus hìc simul permixti sunt; neque enim tantùm miseratur Christus urbis cladem, sed simul ingrato populo inauditam perfidiam ac contumaciam exprobrat, quòd repudians oblatam sibi salutem, ultrò horribile Dei judicium accersat. *Defectivus est sermo*, inquit Euthymius : *consueverunt enim flentes, verba præ affectûs vehementiâ abrumpere.* Supplenda est igitur oratio, ô si nôvisses, longè aliter te gereres, nempe non me ad cædem quæreres, non rejiceres, sed crederes in me. Quòd si cognitionem, non nudam intelligas, sed conjunctam cum approbatione, ô si nôsses quæ ad pacem tibi faciunt, ita ut ea amplectereris, subaudire licebit quod Euthymius, *nequaquàm perires*, vel felix ac beata fores.

Nunc autem. Atqui res contrario prorsùs modo se habet.

Abscondita sunt, non nota, sed abscondita, ignota sunt oculis mentis tuæ, scilicet quæ ad pacem seu salutem tuam faciunt. Non quòd ob oculos tibi posita non fuerint; id enim diligentissimè à me fit; sed quòd oculos clauseris ne videres, *quòd de industriâ scire nolueris*, ait Titus. Nec enim hoc dicitur ad levandam Jerosolymæ culpam, quin potiùs, ignominiæ causâ, notatur prodigiosus ejus stupor, quòd Deum præsentem non cernat : damnatur fœdæ cæcitatis, de quâ propheta prædixerat, Isaiæ 6, v. 9 : *Vade et dic populo huic : Audite audientes et nolite intelligere, et videte visionem et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus*, etc. Est verò et hìc aposiopesis, non sine maximâ energiâ, explenda in hunc aut similem modum : *Nunc verò abscondita sunt ab oculis tuis*, magno tuo malo, vel, quod deplorandum est vehementer.

Vers. 43. — Quia. Nam. Redditur ratio cur deplorandum sit, quòd ignoret et respuat quæ suæ salutis sunt : quia hanc ob causam fiet ut, venient dies, veniat tempus, in te, tibi. Et, pro quibus, circumdabunt te inimici tui vallo; ad verbum, *circumjicient inimici tui vallum tibi.* Vallum, munimentum castrorum est, ex vallis seu palis terræ infixis constructum; quod terrâ, lapidibus, arboribus, aliisque lignis, aggestis, firmatum, agger dicitur. Hactenùs ingemuit Christus et illacrymatus est : nunc quasi sumptâ judicis personâ, duriùs Jerusalem compellat, et illi exitium suum denuntiat. *Dies dicit obsessionis, inimicos verò Romanos*, ait Euthymius; duce nimirùm Tito, qui initio obsidionis, *suburbanis per milites vastatis, collectâque omni materiâ, jussit aggerem construi*, toto exercitu operi addicto, quod narrat Josephus, lib. 6 de Bello Judaico, cap. 7, ubi et cap. 13 refert totam, quanta esset, civitatem, muro uno 39 stadiorum circumseptam fuisse, præcluso omni ex parte exitu.

Et circumdabunt te. Alia hìc vox legitur Græcè ab eâ quæ præcedit, *et circumcingent te*, viris scilicet et machinis.

Et coangustabunt, coarctabunt, ad angustias redigent *te*, ita ut fame et inediâ pereas. Lege Josephum, lib. 6, cap. 14, et lib. 7, cap. 7 et 8 de obsessorum fame.

Vers. 44. — Ad terram prosternent, etc., solo æquabunt, destruent, te et filios tuos, cives tuos, et cujuscumque tribûs Judæos, qui in te erunt. Destruent autem filios tuos, quia occident; vide infra, 21, v. 24, ubi mortuorum, tempore obsidionis, numerus fuisse refertur, undecies centum millia.

Lapidem super lapidem, lapidem lapidi cohærentem, funditùs destrueris.

Eo quod. Hæc omnia mala evenient tibi merito tuo, eò quòd

Non cognoveris, non agnoveris, id est, agnoscere, observare, rationem habere, uti ad bonum tuum, nolueris. Vide supra 12, v. 56.

Tempus, tempus istud opportunum, hoc præsens tempus : quanquàm hìc loquatur de toto prædicationis suæ tempore.

Visitationis tuæ, quo in visceribus misericordiæ Dei ex alto te visitavit Oriens, supra 1, v. 78, quo visitavit te Deus misso salutis nuntio et auctore, quo Deus te visitavit per me Filium suum, et pacem salutemque tibi obtulit, adhibitis clarissimis testimoniis ac signis. De ratione visitandi divinâ diximus supra 1, v. 68. *Visitationis tempus illud vocat*, ait Titus, *quo ipse è cœlo dilapsus*

prosperitas : quasi dicat : Utinam intelligeres ea ex quibus salus tua ac prosperitas dependet, nempe me Salvatorem tuum præsentem, fidem ac prædicationem meam : et quidem in hac die tua, quâ te Deus adhuc benignis oculis aspicit, dùm te per meipsum, tanquàm humilem et mansuetum regem, ad salutem tuam visitat. Abruptus est sermo, sicut flentium, et ex intimo pectore gementium esse solet, quibus affectûs vehementia interrumpit orationem. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, id est, ignota tibi sunt, supple ea quæ faciunt ad pacem et salutem tuam. Nimirùm quia mentis oculos claudit, ne agnoscat. Non enim hoc dicitur ad levandam culpam ejus, sed ad arguendum stuporem.

Vers. 43. — Quia venient dies in te, et circumdabunt, id est, in quibus circumdabunt te inimici tui vallo. De Romanis loquitur, qui ducibus Tito et Vespasiano totam civitatem uno continuo vallo circumcinxerunt, triginta novem stadiorum longitudine, tridui labore, ita ut nemini pateret introitus, vel exitus. Hinc orta fames intolerabilis, quâ de re vide Josephum, lib. 6 de Bello Judaico c. 13. Coangustabunt te undique, id est, ad illas angustias te redigent, ut fame et miseriis pereas. Nam hinc præcipuè factum est, ut toto obsidionis tempore undecies centena millia perierint.

Vers. 44. — Et ad terram prosternent te, id est, solo te æquabunt ac destruent, te et filios tuos, id est, cum civibus seu incolis tuis : et non relinquent lapidem super lapidem, id est, lapidem lapidi cohærentem. Phrasis hyperbolica est, nihil aliud significans, nisi extremam ejus eversionem ac desolationem, quasi diceret, funditùs destrueris. Quod completum esse testis est Josephus, lib. 7, cap. 18, ubi dicit Cæsarem jussisse totam funditùs erui civitatem ac templum. Itaque civitatis ambitum ita complanavêre diruentes, ut qui ad eam accessissent, inquit, habitatam aliquando esse vix crederent. Relictæ tamen

eam visitavit, multaque inter visitandum divina documenta tradidit, ac plurima tandem stupenda miracula in eâ patravit. Theophylactus : *Visitationis tuæ, hoc est, mei adventûs, quando veni ut inviserem te et salvarem.* Denique Euthymius : *Quia non agnovisti tempus curæ tuæ : tempus namque peregrinationis meæ erat tempus curæ salutis tuæ.* Quia ergo noluisti opportunam salutis occasionem amplecti, noluisti me Messiam Salvatorem tuum agnoscere, sed obstinatè spernis misericordiam Dei ad salutem te provocantis, tam benignè, quàm neque hactenùs fecit, neque posthàc facturus est, peribis. Hoc illud idem est quod dixit supra, v. 42 : *Si cognovisses quæ ad pacem tibi;* noluisti cognoscere quæ ad pacem tibi servirent. Post prophetas complures missos, tandem per Filium suum visitavit Deus populum Israel, ac signanter urbem Jerosolymorum, beneficiis variis aliisque modis omnibus invitans ad pœnitentiam, et salutem offerens omneque bonum. Noluit urbs illa recognoscere, rejecit Filium Dei redemptorem suum, adeòque occidit, et perstitit obdurata in nequitiâ suâ. Quia igitur ingratam adeò se præbuit Deo, curavit eam Deus everti funditùs, et ita graves sentire pœnas, ut horrori esset omnibus. Hæc causa eversionis ejus fuit, nec quærenda alia.

Vers. 45. — In templum. In atrium templi, quò mos erat non sacerdotes intrare. Ad templum usque triumphus hic ductus fuit : eò cùm pervenisset, descendit Jesus ex pullo, eumque cum asinâ matre, per eosdem (verisimile est) per quos accersiverat discipulos, remisit. Moris erat ut qui equès templum accederent, cùm pervenissent ad portam montis domûs orientalem, quæ porta Equorum dicebatur, ex equis descenderent, et pedes progrederentur in templum. Porrò non arcem Sion aut domum regiam petiit Jesus, quòd nollet hâc in vitâ mortali mundanum regem agere; sed *templum* Dei, ut gnesius Filius Dei domum Patris, gloriam sibi attributam in Patrem referens, monstransque eò tendere quem admiserat Regis titulum, ut homines ad Deum adduceret. Igitur ut Rex novus, in civitatem, regni caput, adductus, rectà in patris suumque palatium magnâ libertate pergit ; ubi non dubium est quin ante omnia Patri gratias egerit pro fide religioneque turbarum à quibus fuerat agnitus et honoratus Rex, eique commendaverit successum prosperum negotii redemptionis hominum omnium quod meditabatur. Interim exemplum nobis reliquit statim invisendi templum Dei simul ac urbem aliquam ingressi fuerimus, et ante omnia quærendi regnum Dei ac justitiam ejus.

Ejicere, è templo, regiâ auctoritate. Quemadmodùm bonus princeps ad regnum evectus, primùm curat purgare aulam suam à vitiis quæ inolevisse potuerunt, paternorum ministrorum sive perfidiâ sive incuriâ (aulam enim regiam prælucere decet reliquo regno, et pendet ab eâ totius regni salus), sic jam et Christus templum purgavit à turpitudinibus, sacerdotum avaritiâ in illud admissis, et Regem se declarans, et summum templi pontificem, divinique cultûs præsidem : nec enim cujusvis istud foret, cui non sit auctoritas publica. *Ejiciebat* autem flagello adhibito (quod ex simili secundùm Joannem historiâ intelligitur) necessario, si non ad homines, certè ad pecora abigenda : nam et ipsa pecora ejecisse intelligendus est, quemadmodùm secundùm Joannem.

Vendentes, boves, oves, capras, columbas, farra, cæteramque hujusmodi sacrificiorum materiam, quæ ex legis instituto eo in templo poterat offerri.

In illo. Non in sancto sanctorum, nec in sancto, aut in atrio proximo, nec denique in atrio Israelis, aut vicino feminarum, sed in atrio extimo (hæ enim partes erant templi) quod vocabatur *atrium profanum,* et *atrium gentium;* quod posterioribus temporibus extra Israelis ac feminarum atrium constructum fuit, amplitudine, quod quidam tradunt, stadiorum quatuor; id quod exteri, id est, gentes, quæ Israelis nomen non profiterentur, convenire ad orandum possent, necnon Israelitæ qui cæremoniali ritu puri non essent. Nam quanquàm diceretur *atrium profanum,* non tamen serviebat ad tractandas res profanas, sed ad excipiendum orationis causâ personas quæ à Judæis habebantur profanæ seu immundæ : quanquàm et mundi eò quoque frequenter convenirent, et Jesus sæpè doceret illìc ac miracula operaretur.

Vers. 46. — Scriptum est, Isa. 56, v. 7.

Domus mea, templum meum. Templum vocatur *domus Dei,* qui ædificium est cultui Dei, nec alii usui destinatum, quod, tanquàm si in eo habitaret Deus, acceditur Dei orandi colendique causâ, ex ipsius præscripto, ubi et singulariter juxta promissum suum præsentem se exauditionis facilitate piè rogantibus exhibet, virtutemque exerit suam, 2 Paral. 7, v. 12, etc.

Domus orationis, domus ad orationem deputata seu consecrata ; *orationem,* quâ ego invocor et coli me judico, psal. 49, v. 15. Sub oratione comprehenditur gratiarum actio, laus, sacrificium, omnisque legitimus Dei cultus : id quod non insolens est sacris litteris, Act. 3, v. 1, etc. Hic est finis et certus usus templi Dei. Propheta non loquitur propriè de templo Judaico, sed sub illius typo de Ecclesiâ Christi ex Judæis et gentibus in unum Dei templum spirituale coagmentandâ ; quemadmodùm sub typo holocaustorum, victimarum, et sabbati, de adoratione cultuque Dei in spiritu et veritate. Quod ergo de prototypo præcipuè propheta prædixit, id de typo Salvator citavit : necesse est enim, ut quidquid illud est, typo priùs, tametsi perfectiùs prototypo, congruat : cæ-

fuerunt tres turres, et muri pars occidentalis, ut esset indicium posteris, qualem civitatem expugnâsset. Postea tamen et illa destructa sunt, civitate in alium locum translatâ, ut perfectiùs Christi prophetia impleretur. Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ, quo scilicet te Deus per Filium suum visitavit, doctrinâque et miraculis ad pacem et salutem provocavit. Quo significat causam perditionis ejus fuisse ingratitudinem et impietatem in Filium Dei.

teroqui non foret typus, qui à prototypo dissideret.

Fecistis illam, quod in vobis est.

Speluncam, diversorium.

Latronum. Alludit Salvator ad locum Jerem. 7, v. 11, cujus querimoniam in suum tempus quadrare significat : ubi Deus templum suum tanquàm speluncam latronum haberi improperat, ab iis qui inani templi prætextu contenti, hâc fiduciâ peccandi licentiam sibi indulgebant, vacantes homicidiis, furtis, adulteriis, idololatriæ, cæterisque ejusmodi abominationibus. Hìc porrò Filius Dei *speluncam latronum* fieri exprobrat, non quòd homines in templo trucidarent (quanquàm postea rebelles Romanis, Josepho teste, id fecerint), sed quòd negotiationem in templo exercerent, quod ut est exercitium alienum ab exercitio orationis cui templum dicatum est, ita plerùmque cum avaritiâ, sæpè etiam cum latrocinio, fraude, oppressione, rapinâ, conjunctum est, et peculiariter hìc fuisse potuit. Negotiationem omnem comitantur tumultus et avaritia seu lucri cupiditas. Orationi autem nil magis inimicum esse potest quàm tumultus inter se concertantium, et quidem de lucro : est autem lucri cupiditas, latronum morbus, et avaritia radix latrocinii, cum quo scelere nihil habet commune oratio. Quare latronibus negotiatores assimilantur, non singuli omnes, sed plerique; quòd quemadmodùm latronum studium est, spoliis inhiare, insidiosèque invigilare lucris, atque adeò ne vitæ quidem prætereuntium parcere, modò spes lucri affulgeat; ita venditores quidem toti inhiant lucro, nihilque nisi lucrum ex mercium, quas prætereuntibus omnibus obtrudunt, distractione captant quàm possunt maximum, nihil parcentes tenui emptorum substantiæ, modò rem ipsi faciant : quæ ut eò sit major, variis frequenter artibus merces vitiant, variis perjuriis mendaciisque mercium vitia ac pretia occultant, itaque sæpè ex calamitatibus aliorum lucrum comportant. Emptores verò, eorum quæ student emere pretia per fas nefasque modis omnibus è diverso elevant, nihili facientes an detrimentum patiatur pecuniæ inops venditor, modò ipsi quàm minimo emant, et suum lucrum etiam damno aliorum procurent. Hi mores, hæ animi affectiones, consentaneæ cùm sint latronum studiis, neque rarò pauperum ut substantiam ita vitam despolient, idcircò Salvator, mercatu, ait, templum Dei in latronum speluncam mutari, et tam emptores quàm venditores (nam hos ut unius criminis reos pari pœnâ plectit) cum avaro et sordido, si non etiam usuras frequentante, nummulariorum genere, expellit, exprobrans templum Dei in contrarios prorsùs usus quàm quibus dicatum erat traduci. Non tametsi non aliæ illìc res venderentur, quàm quæ illìc Deo offerendæ erant : quia tamen non aliâ ratione res hìc vendebantur, quàm similes alibi, spe, inquam, lucri tumultuosâ, idcircò minimè hoc in templo permittit, sed ad forum ablegat. Jam si templi hujus brevì cum suis ritibus interituri decentiam ita vindicat, ut non patiatur in eo vendi quæ secundùm legis præscriptum patitur offerri; quantam putas exigit suorum inter Christianos honestatem templorum, quantòque majorem animati templi, cujus ipse futurus erat architecton, insignem puritatem nobis commendat?

Vers. 47. — Et, igitur velut in regiâ suâ versans, palàm contemptâ principum insanabili malitiâ.

Erat docens, id est, docebat, nisi quòd perseverantiam in docendo periphrasis connotare videatur. Ut jam docuimus.

Quotidie, ab hoc die solemnis ingressûs sui usque ad diem passionis, et quidem à mane in vesperam, quod ex Matthæo et Marco intelligitur; vesperi egrediens civitate, summo mane revertens.

In templo. Munus evangelistæ, quod jam consummabatur, diligenter absolvebat in templo, ostendens quid illìc potissimùm fieri deceat.

Et principes plebis, primi seu primores plebis. Syrus hoc legit eo loco quo Latinus : nam Græcus postponit. Omnes igitur magistratuum ordines conspirabant in mortem Christi.

Quærebant, studebant, omnem operam dabant.

Vers. 48. — Quid facerent illi; non quam mortem pœnamve inferrent illi, sed quem modum tentarent ut possent illo fieri superiores, habereque eum in manibus. Clarior est hic sensus Græcè, ubi deest pronomen *illi* (*quid facerent*, ut possent voti compotes fieri) quanquàm illud et à Syro addatur.

Omnis enim populus; obstabat enim populus, qui suspensus erat, pendebat ab ore ejus, tanquàm extra se raptus præ attentione atque aviditate, audiens illum, dùm audiret illum docentem, tanta erat, docentis res planè divinas, quæque humanam mentem satiarent, et vis et gratia. Hoc alii Evangelistæ dicunt; vide Marc. 11, v. 18, et Matth. 7, v. 28, 29. Metuebant igitur, ut populus, à quo tanti ille fiebat, permitteret, si conarentur aut ipsum aggredi, aut quid mali ipsi inferre.

CAPUT XX.

1. Et factum est in unâ dierum, docente illo populum in templo, et evangelizante, convenerunt principes sacerdotum, et scribæ cum senioribus :

2. Et aiunt, dicentes ad illum : Dic nobis in quâ potestate hæc facis, aut : Quis est qui dedit tibi hanc potestatem?

3. Respondens autem Jesus, dixit ad illos : Interrogabo vos et ego unum verbum. Respondete mihi :

CHAPITRE XX.

1. Or, il arriva, un de ces jours-là, que comme il était dans le temple, instruisant le peuple, et lui annonçant l'Evangile, les princes des prêtres et les scribes étant survenus avec les sénateurs,

2. Lui parlèrent en ces termes : Dites-nous de quelle autorité vous faites ces choses, ou qui est celui qui vous a donné cette autorité.

3. Jésus leur répondit : J'ai aussi une question à vous faire, répondez-moi :

4. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus?
5. At illi cogitabant intra se, dicentes : Quia si dixerimus : De cœlo, dicet : Quare ergo non credidistis illi?
6. Si autem dixerimus : Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos : certi sunt enim Joannem prophetam esse.
7. Et responderunt se nescire unde esset.
8. Et Jesus ait illis : Neque ego dico vobis in quâ potestate hæc facio.
9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc : Homo plantavit vineam, et locavit eam colonis : et ipse peregrè fuit multis temporibus.
10. Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.
11. Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, et afficientes contumeliâ, dimiserunt inanem.
12. Et addidit tertium mittere, qui et illum vulnerantes ejecerunt.
13. Dixit autem dominus vineæ : Quid faciam? mittam filium meum dilectum ; forsitan, cùm hunc viderint, verebuntur.
14. Quem cùm vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes : Hic est hæres : occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas.
15. Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?
16. Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi : Absit.
17. Ille autem aspiciens eos, ait : Quid est ergo hoc quod scriptum est : Lapidem quem reprobârunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?
18. Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur : super quem autem ceciderit, comminuet illum.
19. Et quærebant principes sacerdotum, et scribæ mittere in illum manus illâ horâ, et timuerunt populum : cognoverunt enim quòd ad ipsos dixerit similitudinem hanc.
20. Et observantes, miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui et potestati præsidis.
21. Et interrogaverunt eum, dicentes : Magister, scimus quia rectè dicis et doces : et non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces :
22. Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?
23. Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos : Quid me tentatis?
24. Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem et inscriptionem? Respondentes, dixerunt ei : Cæsaris.
25. Et ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.
26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe : et mirati in responso ejus, tacuerunt.
27. Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, et interrogaverunt eum,
28. Dicentes : Magister, Moyses scripsit nobis : Si

4. Le baptême de Jean était-il du ciel ou des hommes?
5. Mais ils raisonnaient ainsi en eux-mêmes : Si nous répondons qu'il était du ciel, il dira : Pourquoi donc n'y avez-vous pas cru?
6. Et si nous répondons qu'il était des hommes, tout le peuple nous lapidera ; car il est persuadé que Jean était un prophète.
7. Ils lui répondirent donc qu'ils ne savaient d'où il était.
8. Et Jésus leur répliqua : Je ne vous dirai pas non plus par quelle autorité je fais ceci.
9. Alors il commença de dire au peuple cette parabole : Un homme planta une vigne, et la loua à des vignerons ; et s'en étant allé en voyage, il fut longtemps hors de son pays.
10. La saison étant venue, il envoya un de ses serviteurs à ces vignerons, afin qu'ils lui donnassent des fruits de sa vigne ; mais eux, l'ayant battu, le renvoyèrent sans lui rien donner.
11. Et il envoya ensuite un autre serviteur : mais ils le battirent aussi ; et l'ayant traité outrageusement, ils le renvoyèrent sans lui rien donner.
12. Et il en envoya un troisième, qu'ils blessèrent et chassèrent.
13. Enfin le maître de la vigne dit : Que ferai-je? J'enverrai mon fils bien-aimé. Peut-être que le voyant, ils auront quelque respect pour lui.
14. Mais ces vignerons l'ayant vu, pensèrent en eux-mêmes, et dirent : Voici l'héritier : allons, tuons-le, afin que l'héritage soit à nous.
15. Et l'ayant chassé hors de la vigne, ils le tuèrent. Comment donc les traitera le maître de cette vigne?
16. Il viendra, et perdra ces vignerons, et il donnera sa vigne à d'autres. Ce que les princes des prêtres ayant entendu, ils lui dirent : A Dieu ne plaise.
17. Mais Jésus les regardant, leur dit : Que veut donc dire cette parole de l'Ecriture : La pierre qui a été rejetée par ceux qui bâtissaient, est devenue la principale pierre de l'angle?
18. Celui qui tombera sur cette pierre, s'y brisera ; et elle écrasera celui sur qui elle tombera.
19. Les princes des prêtres et les scribes eurent envie de se saisir de lui à l'heure même, parce qu'ils avaient bien reconnu qu'il avait dit cette parabole contre eux ; mais ils appréhendèrent le peuple.
20. Comme donc ils l'observaient, ils lui envoyèrent des personnes apostées, qui contrefaisaient les gens de bien, pour le surprendre dans ses paroles, afin de le livrer au magistrat et au pouvoir du gouverneur.
21. Ceux-ci donc vinrent lui proposer cette question : Maître, nous savons que vous ne dites et n'enseignez rien que de juste, et que vous n'avez point égard aux personnes, mais que vous enseignez la voie de Dieu dans la vérité.
22. Nous est-il permis de payer le tribut à César, ou non?
23. Mais Jésus voyant leur artifice, leur dit : Pourquoi me tentez-vous?
24. Montrez-moi un denier. De qui est l'image et l'inscription qu'il porte? Ils lui répondirent : De César.
25. Et il leur dit : Rendez donc à César ce qui est à César, et à Dieu ce qui est à Dieu.
26. Ils ne trouvèrent rien dans ses paroles qu'ils pussent reprendre devant le peuple : et ayant admiré sa réponse, ils se turent.
27. Quelques-uns des Sadducéens, lesquels nient la résurrection, s'approchèrent ensuite, et lui proposèrent cette question :
28. Maître, lui dirent-ils, Moïse nous a laissé cette

frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, et suscitet semen fratri suo.

29. Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis.

30. Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio.

31. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem, et non reliquerunt semen, et mortui sunt.

32. Novissimè omnium mortua est et mulier.

33. In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor, siquidem septem habuerunt eam uxorem?

34. Et ait illis Jesus : Filii hujus seculi nubunt, et traduntur ad nuptias :

35. Illi verò, qui digni habebuntur seculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores :

36. Neque enim ultra mori poterunt; æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cùm sint filii resurrectionis.

37. Quia verò resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob.

38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum : omnes enim vivunt ei.

39. Respondentes autem quidam scribarum, dixerunt ei : Magister, benè dixisti.

40. Et ampliùs non audebant eum quidquam interrogare.

41. Dixit autem ad illos : Quomodò dicunt Christum filium esse David?

42. Et ipse David dicit in libro Psalmorum : Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis,

43. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

44. David ergo Dominum illum vocat : et quomodò filius ejus est?

45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis :

46. Attendite à scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis.

47. Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

ordonnance par écrit : Si le frère de quelqu'un, étant marié, meurt sans laisser d'enfants, son frère sera obligé d'épouser sa veuve, pour susciter des enfants à son frère.

29. Or, il y avait sept frères, dont le premier ayant épousé une femme, mourut sans enfants.

30. Le second épousa ensuite la même femme, et mourut aussi sans enfants.

31. Le troisième l'épousa encore; et de même tous les sept, lesquels moururent sans laisser d'enfants.

32. Enfin la femme mourut aussi après eux tous.

33. Lors donc que la résurrection arrivera, duquel des sept frères sera-t-elle femme, car tous l'ont épousée?

34. Jésus leur répondit : Les enfants de ce siècle épousent des femmes, et les femmes des maris;

35. Mais pour ceux qui seront jugés dignes d'avoir part au siècle à venir, et à la résurrection des morts, ils ne se marieront plus, et n'épouseront plus de femmes;

36. Car alors ils ne pourront plus mourir, parce qu'ils seront égaux aux anges; et qu'étant enfants de la résurrection, ils seront enfants de Dieu.

37. Mais quant à ce que les morts ressuscitent, Moïse même le déclare auprès du buisson, lorsqu'il dit : le Seigneur, le Dieu d'Abraham, le Dieu d'Isaac, le Dieu de Jacob.

38. Or, Dieu n'est point le Dieu des morts, mais des vivants, car tous sont vivants devant lui.

39. Alors quelques-uns des scribes prenant la parole, lui dirent : Maître, vous avez bien répondu.

40. Et depuis ce temps-là, on n'osait plus lui faire de questions.

41. Mais Jésus leur dit : Comment dit-on que le Christ doit être fils de David?

42. Puisque David dit lui-même dans le livre des Psaumes : Le Seigneur a dit à mon Seigneur : Asseyez-vous à ma droite,

43. Jusqu'à ce que j'aie réduit vos ennemis à vous servir de marche-pied.

44. David donc l'appelant lui-même son Seigneur, comment peut-il être son fils?

45. Il dit ensuite à ses disciples, en présence de tout le peuple qui l'écoutait :

46. Gardez-vous des scribes, qui affectent de se promener avec de longues robes, qui aiment à être salués dans les places publiques, à avoir les premières chaires dans les synagogues, et les premières places dans les festins;

47. Qui, sous prétexte de leurs longues prières, dévorent les maisons des veuves. Ceux-là recevront une condamnation plus grande.

COMMENTARIA (1).

Vers. 1. — In una dierum, quodam ex illis diebus, qui fluxerunt inter honorificum Jesu ingressum et ignominiosam mortem, die, inquam, martis, quod constat ex Marco.

Docente et evangelizante, id est, docente Evangelium.

Convenerunt, supervenerunt. Syrus, *surrexerunt in eum*, interea dùm perdere nondùm esset opportunum.

Vers. 2. — Dic nobis; nostrâ enim interest hoc ex te scire. Imperant pro eâ quam habere in ipsum putant auctoritate.

Hæc, totos dies docendo occupare aures multitudinis, ejicere è templo vendentes ementesque ea quæ in templo Deus præcepit offerri, tanquàm Christum se gerere et ostentare prosequentibusque acclamationibus populi civitatem ac templum ingredi, et cætera hujusmodi quæ nimiam licentiam meritò interpretamur.

Vers. 3. — Unum verbum, unam rem.

Respondete, dicite.

Vers. 4. — Baptismus. Antiqui libri monstrare videntur, interpretem usum esse voce *baptismum* barbarâ, pro Latinâ *baptismus* aut *baptisma*. Baptismi autem nomine synecdochicè intelligit Salvator totam

(1) Nullum in cap. 20 et 21 commentarium in Jansenio hìc reperitur, quia pleraque alibi explanata sunt.

Joannis functionem, baptismum, inquam, cum doctrinâ (nam et ipsi sacerdotes sic se intelligere versu proximo declarant), sed baptismum nominat, ob rei tum novitatem tum celebritatem.

De, *ex*, coelo erat, quod ad institutionem? cœlitusne, à Deo immediatè baptizandi prædicandique auctoritatem acceperat Joannes, munere nuper simul et vitâ defunctus?

An ex hominibus, an à vobis præsidibus populi Dei, vel certè à semetipso aut aliis vanis hominibus. Baptismus et doctrina Joannis, ab ipsone Joanne aliisve hominibus inventa fuêre, an divinitùs ei tradita? Usurpavit Joannes officium illud docendi et baptizandi populum, an fuit ei legitimè commissum? et si commissum, à Deo proximè, an à vobis? Sic enim videtur conjungendus duplex sensus illius, *an ex hominibus* : nam ad utrumque Jesus respicere videtur. Quæstionem proponit, non curiosam aut vanam (id enim fuisset subterfugere responsum), sed ad rem maximè pertinentem. Nulla commodior ratio est eludendi calumniatores, eorumque redarguendi fraudem, quàm ut quæstioni quæstio opponatur, ejusdem omninò formæ, sed argumenti irrefragabilis, quò solutio quæstionis ab ipsis propositæ alterâ quæstione in eos retorqueatur. Quæsierant illi, auctoritas Jesu è cœlo esset an ex hominibus: quærit vicissim Jesus, Baptismus Joannis è cœlo fuerit an ex hominibus? quasi diceret : Si Joannis Baptismus è cœlo fuit, ut publicâ omnium confessione fuit, est et auctoritas mea è cœlo, quam constat Joannis testimonio fuisse laudatam. Non enim poterat Joannes agnosci Dei servus, quin Jesus agnosceretur Filius.

Vers. 5. — Cogitabant, disceptabant, ratiocinabantur, rationes conferebant in utramque partem.

Intra, vel potiùs : *Inter se*, mutuò, seorsum à Christo.

Si dixerimus, si responderimus. Sermo est conferentium inter se mutuò.

De coelo, fuisse Joannis baptismum, Joannem auctoritate à Deo immediatè acceptâ baptizâsse ac prædicâsse, id quod palam omnes tenent.

Non credidistis illi, non suscepistis baptismum ipsius, et non fidem adhibuistis doctrinæ ejus, qui constanter testatus est me esse Christum (etiam cùm vos ex professo ad ipsum misistis, ut intelligeretis an esset ipse Christus) Dei Filium, à Patre è cœlo missum, baptizantem in Spiritu sancto, cui Pater dederit omnia in manum, in quem oporteat omnes credere qui nolint perire, Joan. 1 et 3; nam hæc si credidissetis, non jam rogaretis quæ sit mihi auctoritas : utique autem credendum est doctrinæ è cœlo profectæ. Cavent fateri veritatem, ne convincantur perfidiæ.

Vers. 6.— Ex hominibus, humanam fuisse adinventionem sive institutionem, Joannem sive spontè, sive ab aliis hominibus instigatum usurpâsse hujusmodi auctoritatem, vel certè à vobis accepisse.

Lapidabit nos. Cavent negare veritatem, timore, non Dei, sed hominum, libenter negaturi, quippe quod commodum sibi foret, nisi faceret hominum timor. Merces malæ conscientiæ, timere eos quibus timori esse licuit.

Vers. 7. — Se nescire. In angustias adducti, hinc discriminis vitæ, illinc confitendæ veritatis quam oderant, itàque ab omni tutâ commodâque responsione exclusi, eligunt impudenter mentiri ignorantiam rei, quam nullo modo oportebat ipsos, doctores ducesque populi, pro officii sui ratione ignorare. Mentiuntur itaque, quia hoc minùs sibi incommodum judicant; mentiuntur, inquam, quia nullam causam habent dubitandi de cœlesti Joannis auctoritate, populo universo sanctâ, quam, dùm viveret ille, nunquàm ausi fuerant reprobare, multòque minùs jam poterant postquàm integerrimam viri vitam sanctissima mors concluserat.

Vers. 8. — Neque ego dico vobis, q. d. : Manifestum est quòd dicatis vos nescire unde fuerit Joannis baptismus, non quòd nesciatis, sed quòd mendaci subdoloque consilio adducti, ne in veritatem incurratis, dicere nolitis : meritò igitur *neque ego* jam *dico* disertis verbis *vobis* malevolis *quâ* auctoritate *hæc* faciam : quando vos mentimini nescire quod scitis, meritò ego nego ad id quod scio disertè respondere : nam ita pactus fuerat, dicturum se quâ potestate uteretur, si dixissent ipsi unde esset Joannis Baptismus. Pudefactos itaque et confusos cogit ab ulteriori exactione cessare; quanquàm non sine responso eos ablegat, qui producto in medium Joannis testimonio et exemplo, divinâ auctoritate se instructum esse demonstrat, nec magis opus habere ut ad docendum ab ipsis admitteretur quàm opus habuerat Joannes, quem ipsi nunquàm vel ad docendum emiserant, vel docere prohibuerant. Disertum ergo responsum negat, tacitè verò dat hujusmodi, se eâ auctoritate, hæc gerere quam Joannes, *homo* citra controversiam *missus à Deo*, ipsi attribuerat, auctoritate, inquam, è cœlis à Deo immediatè profectâ, quali et Joannes ipse fuerat usus. Non igitur detrectavit Christus respondere, imò objectæ quæstioni plenè et solidè satisfecit, perversam interim adversariorum calliditatem simplicissimâ sapientiâ superans, quâ ita capti fuerunt ut, sive responderent sive silerent, condemnarentur.

Vers. 9. — Ad plebem, facie conversus ad plebem, principes interim notans.

Vineam. *Vinea* est populus Israel. Isa. 5, v. 7 : *Vinea Domini exercituum, domus Israel est.* Vineæ comparatur, quòd latè diffusus, cùm esset doctus cultum Dei, quamvis fragilis ac vilis corpore (*ut lignum vitis,* Ezech. 15), aptus esset proferre fructus justitiæ, quibusvis botris vinisque pretiosiores ac Deo certè gratiores. Singuli è populo, intelligendi sunt hujus vineæ palmites, quemadmodùm Joan. 15, v. 5. Salvator apostolos suos singulos palmites dicit. Excreverat porrò Israel in vineam sive populum, cùm habitaret in Ægypto, Psal. 104, v. 23, 24; sed cùm illic sylvesceret, adeòque opprimeretur inter idololatras, transtulit eum Dominus in terram promissionis, et, ejectis impiis gentibus tanquàm ejus terræ spinis, illic plantavit adoptatum in populum peculiarem;

juxta illud Mosis, Exodi 15, v. 17 : *Introduces eos et plantabis in monte hæreditatis tuæ ;* et illud Psalmi 79, v. 9 : *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantâsti eam.*

Locavit, non dono dedit aut pretio vendidit, sed *locavit.* Non alienavit ab se, aut in alios transtulit dominium vineæ, sed reliquit aliis utendam et curandam vineam, quamdiù visum ipsi foret, pactus certam fructuum portionem quotannis sibi reddi, reliquo emolumento agricolis relicto. Potuisset per se ipse Deus populum suum regere, sed vult eam ad rem hominum operâ uti, ita tamen ut jus dominii sui in populum, in eos minimè transferat, sed perinde agat ac si paterfamiliâs vineam aut agrum colono locet, qui operam suam culturæ impendens, ratam fructuum partem annuè solvere teneatur.

Eam, rebus omnibus affatim ornatam atque instructam.

Colonis. Secundùm Matth. vertit, *agricolis,* peritos se profitentibus colendæ vineæ. Hi fuerunt reges, sacerdotes, doctores, judices, cæterique primates et magistratus populi Israel. His enim commisit Deus vineam suam colendam, id est, regendum populum suum (unicuique suis partibus commendatis, pro variâ functionum ratione), in officio continendo, defendendo, docendo, monendo, malos castigando, perversos amputando, bonos honorando, exemplis præeundo, etc., ita ut populus suavem virtutis fructum afferret Deo, relicto ipsis emolumento reliquo, id est, *lanâ et lacte,* ut alibi loquitur juxta parabolam pastoris et ovium, Ezech. 34, v. 3.

Peregrè fuit, gessit se tanquàm absentem, qui nusquàm abest, cœlum cùm impleat et terram, permisso regimine populi sui arbitratui fideique illorum. Variis signis præsentem se exhibuerat, cùm transferret populum hunc suum ex Ægypto in promissam terram ; ubi ille in terrâ promissâ semel constitutus fuit, tabernaculo sive templo et lege instructus, subtraxit ea signa, et, quasi absens esset ipse, curam populi deinde permisit primatibus : quorum quò magis splendida atque honorifica fuit conditio, eò magis obstricti fuêre Domino, ne segniter in opere colendæ vineæ versarentur, sed pactos fructus curarent suo tempore reddere.

Multis temporibus. Longum tempus fuit ab introitu Israel in terram promissionis usque ad excidium Israel per Titum et Vespasianum.

Vers. 10. — In tempore, opportuno.

Cultores, illos colonos, ut mox vertit. Primò enim ad principes et præpositos, ad populum vero consequenter prophetæ missi fuêre.

Servum. Familiare est veteribus Scripturis prophetas vocare servos Dei, qui non præpositi fuêre regendo populo Dei, sed à Deo missi ut præpositos et populos commonefacerent officii.

Fructu pacto conventoque lege locationis, ad se deferendo.

Illi, sive servo, sive per servum Domino.

Vers. 11. — Addidit, perrexit.

Vers. 12. — Tertium. Numerus certus pro incerto, ternarius pro eo servorum numero qui potuit suffecisse, q. d., tot misit, alios post alios, quot poterant exspectari à maximè longanimi domino. Reliqui evangelistæ etiam ampliùs dicunt, quòd scilicet tandem miserit plures simul.

Ejecerunt, è vineâ.

Vers. 13. — Quid faciam ampliùs, ut impios colonos reducam ad mentem meliorem, quorum culpâ jam olim mihi perit fructus vineæ meæ ? Habet se more deliberantis, quò declaret suum erga homines amorem, non permittentem ut quiescat ab invitandis ipsis ad pœnitentiam, donec extrema tentaverit.

Forsitan. Non dubius de eventu fuit Deus, aut ignorans quod pejùs etiam tractaturi essent Filium, quàm tractaverant servos; sed inducitur loquens more hominis longanimis, qui non possit non sperare meliora de aliis, quamvis multæ rationes militent in contrarium, significans interim liberam esse hominibus voluntatem.

Vers. 14. — Cum vidissent, filium scilicet in vineam advenisse, ut fructum vineæ exigeret : non enim venit ut judicaret illos ob scelera in servos admissa, sed ut salvaret pœnitentes. Verè viderunt Filium opera Deo digna facientem, et quæ de Christo prædicta fuerant perficientem omnia : *Si enim non venisset, et locutus eis fuisset, et opera non fecisset in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo,* Joan. 15, v. 22, 24. Cognoverunt Jesum esse Christum Filium Dei, ex testimonio Joannis Baptistæ, ex doctrinæ efficacitate, ex majestate signorum, ex fide populorum, ex prophetiis et Scripturis sacris ; sed invidiâ se ipsi excæcantes, noluerunt illud sibi persuadere : nam illud sibi si persuasissent, *nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent.* Manifestissimè hic Dominus probat, Judæorum principes, non per ignorantiam, sed per invidiam crucifixisse Filium Dei.

Hic est hæres vineæ, filius unicus patrisfamiliâs à quo vineam conduximus : huic promissum ac destinatum est regnum absolutumque dominium in populum Israel, psalmo 2, v. 7, 8 : *Constituerat eum Deus hæredem universorum,* ait Apostolus, Hebr. 1, v. 2. Hæres porrò dicitur, non quòd Deo Patri mortuo esset successurus in regnum sive dominium, sed quòd dominium regnumque, Patris dono ipsi foret perpetuum, nihil interim derogans imperio Patris. Dixerunt porrò, *hic est hæres,* quando etsi nollent cognoverunt ipsum esse Messiam, rursùs quando dixerunt : *Totus mundus post eum abiit,* Joan. 12, v. 19. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum,* Joan. 11, v. 48.

Occidamus illum. Hoc dixerunt cùm dicerent : *Expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo : nam ab illo die cogitaverunt ut interficerent eum,* Joan. 11, v. 50, 53, qui quidem dies non parùm præcessit hunc, tertium ante passionem, quo parabola ista dicta fuit.

Vers. 15. — Extra vineam, protestantes quòd non

agnoscant eum vineæ dominum; *extra castra* alibi dicitur, extra populi Israel societatem. Id interpretatur Apostolus accidisse, quando *extra portam passus est Dominus Jesus,* Hebr. 13, v. 11, 12, 13, quemadmodùm narratur infra 27, v. 33, et Joan. 19, v. 20. Extra civitatem Jerosolymorum, Israelitici regni caput, quò populus Dei omnis religionis causâ consueverat convenire, *ejecerunt* principes morte damnatum Jesum, tanquàm alienum à regno Israel, adeòque populi communione indignum, et sic abnegatum.

Occiderunt. Quamvis enim Romanis tradiderint occidendum, non tamen Romanis legibus lata, sed illorum improbitate, calumniâ et importunitate, atque populi dementatione, extorta fuit sententia, nec tam sententia quàm permissio ipsorum facta voluntati, qui illum occidere jamdiù cogitaverant et omni studio conatuque curaverant. Sic certavit cum divinâ bonitate humana malitia, opposito summo gradui clementiæ gradu summo crudelitatis, utrinque ultimis priora superare contendentibus. Ut enim non fuit major longanimitas quàm, loco vindictæ quam sumere poterat pro injuriis illatis servis, misisse ad admonendos debitores etiam filium; ita non fuit sævitia major quàm occidisse etiam ipsum filium. Prædixit itaque hìc Jesus principibus populi, mortem, quin et locum mortis, quam post triduum ab ipsis passurus erat, quòd, imitati majores suos, interfectores prophetarum, ipsi Christum brevi interfecturi essent; ne quid causari possent ob quod ipsum negarent Filium Dei, si vel tandem ab ipsius morte vellent redire ad cor. Sic, præterquàm quòd exprobraret illis ingratitudinem, sceleris ac perfidiæ plenam, sustulit etiam offendiculum quod instabat ex morte suâ propinquâ, dùm sibi illam prophetarum exemplo inferendam prædixit.

Vers. 16. — Perdet. Malè perdidit Judæorum principes, qui Filii sui mortem machinati fuerant, Deus Pater, anno à morte Filii sui quadragesimo aut circiter, quando funditùs vastavit per Titum et Vespasianum imperatores Judæam, plenè perfectèque perditurus ac puniturus in extremo judicio.

Vineam. Non tamen perdet aut excidet vineam suam, (*non enim repulit Deus plebem suam quam præscivit,* Rom. 11, v. 2); sed *vineam* suam, id est, reliquias Israel cum multitudine gentium. Eadem una censetur vinea sive Ecclesia quæ priùs, tametsi cum principibus major pars populi Israel sit reprobata ac perdita, ob successionem continuam in cultum et populum Dei; nam in incredulorum Judæorum locum mox receptæ sunt gentes.

Aliis, fidelibus ministris ac dispensatoribus, 1 Cor. 4, v. 1, 2. Apostolos suos intelligit et eorum successores. Malorum ministrorum reprobationem sequitur bonorum delectus : non enim deserit Deus Ecclesiam suam. Porrò hoc, opponitur ei quod dixerant : *Nostra fiat hæreditas.* In contrarium enim vertit eis Deus malum consilium. Ut possiderent hæreditatem, occiderunt hæredem : et quia occiderunt hæredem, perdiderunt hæreditatem.

Illi, scilicet principes sacerdotum et populi cum scribis.

Absit, ut ita fiat. Syrus, *non erit hoc,* scilicet ut nos occidamus Christum Filium Dei, et malè pereamus; avertat Deus, id non fiet, neque dici debet, neque fidem ullam te auctore mereri. Ex verbis et gestibus Jesu, repetentis approbantisque sententiam quam tulerant sui auditores, intellexerunt principes se parabolâ illâ notari, quòd imitati majores suos, occisores prophetarum, ipsi Christum essent occisuri, ac proinde malè perituri; hæc est enim sententia parabolæ : id quod ipsis etiam paulò post disertis verbis dixit : *Implete mensuram patrum vestrorum,* Matth. 23, v. 32. Quocirca deprecantur illud dicentes : *Absit.* Non enim negant, justum esse ut malè pereant hujusmodi coloni, sed se cum ejusmodi colonis vitio congruere, quamvis animo meditarentur necem Jesu; nam Jesum agnoscere nolebant pro Christo, tametsi conscientia id ipsis dictaret.

Vers. 17. — Aspiciens eos, quò indubitatiùs refelleret responsum ipsorum, à se procul rejicientium immane adeò scelus.

Quid est ergo, si non est hoc quod dico, vos, proceres populi, quorum est præ aliis recipere Christum, Christum occisuros? quorsùm spectat, si non hùc spectat? Si mihi et doctrinæ parabolæque à me pronuntiatæ, non est adhibenda fides, an non est adhibenda Scripturæ sacræ, quæ idem quod ego interpretatus nunc sum, præmonuit?

Lapidem. Antiptosis pro *lapis,* nisi mutes collocationem verborum : *Quem lapidem.*

Reprobaverunt, rejecerunt, tanquàm ineptum ad ædificationem, ut ædificio inutilem adeòque noxium, qui nullo loco dignus esset in structurâ ædificii. Loquitur psalmographus de re futurâ tanquàm præteritâ, more prophetico.

Ædificantes domum Dei : participium loco nominis more Hebraico, pro ædificatores, cæmentarii, architecti, qui præsunt ædificandæ domui Dei. Quos parabola Jesu mox notabat per agricolas, hos Scriptura Davidis hìc notat per ædificatores, primates, inquam, populi, Petro interprete, Act. 4, v. 11, quorum ut erat colere populum ita ut Deo dignos fructus ederet, sic erat ædificare populum ita ut domus seu templum Deo inhabitatore dignum esset, id est, docendo, monendo, regendo, modisque omnibus curare, ut unusquisque in suo ordine ac vocatione Deo serviret atque placeret. Nam quamvis in excidium potiùs et ruinam templi seu populi Dei incubuerunt isti, dùm Christum fundamentum rejicerent, vocationis tamen et officii respectu vocantur ædificantes, quemadmodùm mox agricolæ : populus autem qui mox vineæ, hìc ædificio assimilatur. Lapidi porrò comparatur Christus, partim propter terrestre corpus, partim propter soliditatem, firmitatem et robur. Hunc *lapidem de monte abscissum sine manibus,* Dan. 2, v. 45, id est, natum ex virgine, pretiosum quidem illum in se, sed externâ specie contemptibilem, acceperant magistri illi quibus incumbebat cura

ædificandæ domûs Dei, principes, inquam, sacerdotum et populi; collocandum, vel in fundamento, juxta architectum Paulum, vel in angulo : verùm illi, cùm essent impii invidique, reprobârunt illum tanquàm ædificationi inutilem, adeòque nocivum, rejecerunt ut pseudochristum qui à Deo abduceret Israelem fidei ipsorum commissum, itaque ejectum extra vineam sive synagogam, et communione populi Dei indignum judicatum, occiderunt morte turpissimâ. Nam qui mox filius missus, is jam lapis datus, et qui mox filius ejectus atque occisus, is nunc vocatur lapis reprobatus.

HIC FACTUS EST IN CAPUT, Hebraismus pro : Hic factus est vel cœpit esse caput. Similis phrasis fuit Matth. 19, v. 5.

ANGULI ejus domûs. Hic cœpit esse summus domûs Dei *lapis angularis*, ut loquitur Apostolus, Ephes. 2, v. 20, id est, lapis summus in angulo, in summo angulo collocatus, in angulo præcipuus, totius ædificii juncturam sustinens. In more est architectis ut ædificiorum angulos, quibus muri duo sibi mutuò junguntur, firment lapidibus solidissimis ejus magnitudinis quâ utrumque murum complecti possint : quo in ordine qui supremus est lapis, is, ut est præcipua ædificii fultura, ita est loco honorificentissimo constitutus. Hinc sumptâ metaphorâ, prædicit David, Christum, à principibus Israel rejiciendum tanquàm indignum communione populi Dei, fore (sunt enim præterita pro futuris, ut mox in parabolâ), caput principem, ac Regem populi Dei, id est, domûs seu Ecclesiæ Dei, in quem recumbat Ecclesiæ salus, qui Ecclesiæ statum contineat stabilem et indissolubilem, qui denique præcipua sit Ecclesiæ fultura. Hoc idem alibi significatur per *fundamentum*, 1 Cor. 3, v. 10, 11 ; ut enim à Christo lapide angulari Ecclesia accipit juncturam indissolubilem, ita à Christo fundamento accipit stabilem firmitatem : in Christo fundata et constructa, Christo innixa Ecclesia, perseverat constantissima : sine Christo ruit omnis ædificatio, etiam summo labore instituta. Isaias uno loco utrumque junxit : capitis 28 v. 16, agnominat Christum *lapidem et anguli et fundamenti.* Cæterùm hoc amplius significari videtur voce anguli, Christum fore caput Ecclesiæ ædificandæ ex duobus populis Judæis et gentibus, quos in unam Dei domum, in unam Ecclesiam compacturus, et in unâ fide evangelicâ contenturus sit, quemadmodùm continet et compingit lapis anguli duos parietes in unum ædificium. Sic enim interpretatur Apostolus capite illo 2 Epistolæ ad Ephesios, ubi, postquàm multis disseruit de Christo *pace nostrâ, qui inimicitiis sublatis et soluto medio maceriæ pariete fecerit utraque unum,* tandem ubi disputationem concludit, uno vocabulo complecti volens munus illud Christi quod pluribus explicuerat, vocat Christum *summum lapidem angularem*, ad hunc respiciens, non dubium est, psalmi locum, quem etiam Isaias et plures alii sacri scriptores imitati sunt. Angulo igitur comparat David concursum utriusque populi, Judaici et gentilis, in unam fidem, in quâ à Christo, tanquàm à summo angulari lapide, contineantur; estque plena loci sententia, quòd adeò nihil proficient adversarii Christum reprobando, ut ipsis invitis futurus sit dux et caput populi Dei, ejusque miris modis aucti, accessione scilicet gentium. Quamvis autem reprobatis Judæorum plerisque novè accesserint gentes, idem tamen populus, eadem domus Dei censetur, quemadmodùm supra eadem vinea. Ne perturbarent electos impii hominum conatus, quos ad impediendum Christi regnum adhibituri erant, ante tempus admonuerat Deus ita fore : nihil enim minùs consentaneum dicas quàm membra in caput, colonos in dominum, consiliarios in regem suum, insurgere, et architectos fundamentum rejicere ab ædificio. Sed quidquid moliantur homines, simul testatus est Deus, in erigendo Christi regno victricem fore potentiam suam.

VERS. 18. — QUI CECIDERIT, etc., id est, qui offenderit in hunc lapidem, qui ruinæ seu peccati causam acceperit ex me Christo, ut omnes illi qui Christum persequuntur, prædicatum non recipiunt vel receptum deserunt. Hoc alibi aliis verbis dixit : *Qui fuerit scandalizatus in me.*

ILLUM LAPIDEM, ab ædificantibus quidem reprobatum, sed caput anguli, Deo faciente, effectum.

CONQUASSABITUR, id est, lapidem non lædet, sed ipse ita concutietur, ut toto corpore fractus doleat, si non etiam caput vulneret aut pedem brachiumve confringat : sic enim usuvenire solet iis qui in majoris molis lapidem impingentes cadunt. Sensus est : Mihi Christo nihil nocebit, sed hoc solum proficiet, ut semetipsum lædat gravissimè, si non corpore, certè animâ, quam deformabit eluxabitque iniquitas; spes tamen esse poterit recuperandæ sanitatis, quamdiù durabit hæc vita, si per pœnitentiam resurrexerit. Ut enim hic lapis in fundamento anguloque collocatus, tutissimum præsidium est adversùs omnes insultus mundi ac Satanæ iis qui illi inhærent et innituntur : ita solidus, invictus, et exitialis est rebellantibus.

VERS. 19. — QUÆREBANT, quæsiverunt.

MITTERE, injicere.

ILLA HORA, illo momento.

ET TIMUERUNT, sed timuerunt.

POPULUM ; quidam libri Græci subaudiunt hanc vocem, non legunt.

ENIM ; ideò cupiebant injicere illi manus, seu apprehendere eum.

AD IPSOS, adversùs ipsos.

SIMILITUDINEM de vineâ et colonis, cum iis quæ subsequuntur.

VERS. 20. — ET OBSERVANTES, opportunitatem, observatâ opportunitate, eodem illo die.

MISERUNT, ad ipsum, scilicet ex versu præcedenti, principes sacerdotum et scribæ, INSIDIATORES fraudulenter à se subornatos, quosdam scilicet ex discipulis Pharisæorum et Herodianis, QUI SE JUSTOS SIMULARENT, id est, qui simularent se accedere et interrogare Jesum motos religione, ut discerent ex ipso quid

justum esset et voluntati Dei consentaneum, idque sequerentur.

Ut caperent eum in sermone, ut arreptâ ex ipsius sermone occasione calumniam ipsi struerent. Interpres Latinus et Syrus videntur legisse tertio casu λόγῳ, ut secundùm Matthæum et Marcum.

Ut traderent illum principatui et potestati præsidis, præsidi Pilato, penes quem erat principatus et summa potestas ex delegatione Cæsaris; scilicet si quid pronuntiaret, uti sperabant, quod adversaretur Cæsaris auctoritati aut imperio. Idcircò enim adduxerant Herodianos, ut illi quidem mox jacerent in eum manus, ipsi verò unanimiter omnes comprehensum traderent præsidi. Nam quamvis simultas esset inter Herodem et præsidem, infra, cap. 23, v. 12; non tamen ejusmodi, quin ambo profiterentur se subesse Cæsari, et tueri jura imperii Romani. Cùm itaque alia omnia frustra tentâssent, hoc postremò putârunt optimum esse ejus perdendi compendium, si præsidi tanquàm seditiosum et res novas molientem tradere possent.

Vers. 21. — Et, qui insidiatores, dicentes, præmissâ præfatiunculâ adulatoriâ.

Quia, quòd, rectè, consentaneè legi ac voluntati Dei dicis et doces, quidquid dicis et doces.

Non accipis personam vel *faciem*, utrumque enim permittit vox πρόσωπον. Et quanquàm Hebræi et Syri, à quibus phrasis ista profecta est, semper dicant accipere facies, Latinis tamen interpretibus consuetudo est utendi hìc voce personæ, de quâ vide Matth. 22, v. 16, ubi quod dicitur *respicere personam* sive *faciem hominum*, idem unum est cum eo quod hìc dicitur *accipere personam* sive *faciem*, quod est, ad judicandum hunc aut illum in modum moveri personâ, facie aut specie, id est, externâ quâcumque qualitate seu apparentiâ, nihil pertinente ad merita causæ. Hinc προσωποληψία personarum acceptio, vitium à sacris Litteris passim damnatum.

Vers. 22. — Nobis, populo Dei sancto.

Licet salvâ religione, absque offensâ Dei: nam pecuniæ jactura haud est nobis curæ.

An non, licet, nam aliis aliud hâc de re sentientibus, hæremus perplexi quid nobis sequendum sit. Tuam sententiam semel si intellexerimus, tranquilli sciemus quid nobis sit faciendum. Contendentibus, de regno Judææ Hircano et Aristobulo fratribus, et causam singulis suam agentibus apud Pompeium Magnum res Romanas in Oriente gerentem, Pompeius Hircano favens, Jerosolymam ab Aristobuli factione occupatam cepit, et subjecit eam simul et Judæam universam, fecitque vectigalem populo Romano, Joseph., lib. 14 Antiq., cap. 8. Quo ex tempore, Romani tributa à Judæis, quoties opportunitas dictaret, exigere cœperunt, donec Augustus Cæsar cum universo orbe et ipsos describi ac censeri singulosque annuum censum solvere jussit. Quod dùm fieret Salvatore nostro nascente, Luc. 2, v. 1, 2, 3, 4, ortus est inter Judæos quidam Judas nomine, natione Galilæus, qui indignum ratus et contra leges patrias, Judæos alienigenis tributum pendere, populum ad rebellionem sollicitavit, et universam gentem ad tuendam libertatem est adhortatus, teste Gamaliele, Act. 5, v. 37. Censum enim nihil aliud quàm manifestam servitutis professionem esse dictitabat iis quibus Deus solus pro domino et principe habendus esset et agnoscendus, Joseph., lib. 18 Antiq., cap. 12, cui qui decimas et primitiva penderet, nihil tributi debere hominibus, ac præsertim idololatris atque impiis, populum liberum, Deo summo Regi sacrum ac peculiarem et adoptatum in filium, adeòque mortem potiùs ferendam esse et supplicia omnia quàm hìc cedendum. Etsi porrò addat Gamaliel, Judam hunc cum sectatoribus suis facilè periisse, Act. 5, v. 37, Romanis nimirùm delentibus tamen ut accepit hæc sententia verisimilitudinis non parùm ex lege Domini, et grata plerisque è vulgo fuit; quod à solvendis tributis semper est alienum, sic dimanavit ad posteros, ita ut et Pharisæorum plerique (quanquàm metu Romanorum profiteri caverent) in eam propensi fuerint, et populus censum invitus solverit, quidam denique etiam publicè hanc opinionem defenderint, præsertim paulò post Christi tempora; id quod constat ex Josepho, lib. 18 Antiq., cap. 2, et 20, cap. 3, et lib. 7 de Bello, cap. 29, qui et defectionem Judæorum à Romanis excidiumque Jerosolymitanum huic hæresi ascribere videtur: cujus notant quidam etiam Galilæos illos de quibus Luc. 13, v. 1. Adversùs hanc hæresim disputârunt et Apostoli, nominatim Paulus, Rom. 13, v. 1, ac deinceps, et Tit. 2, v. 1, in quem posteriorem locum D. Hieronymus: « Hoc præceptum, inquit, propterea puto ab Apostolo « editum, quia Judæ Galilæi per illud tempus dogma « adhuc vigebat, et habebat plurimos sectatores: qui « inter cætera hoc quasi probabile proferebat ex lege, « nullum debere dominum nisi solum Deum vocari, et « eos qui ad templum decimas deferrent, Cæsari tri« buta non reddere. Quæ hæresis in tantum creverat, « ut etiam Pharisæorum et multam partem populi « conturbaret, ita ut ad Dominum quoque nostrum « referretur hæc quæstio: Licet Cæsari dare tributum « an non? Quibus Dominus prudenter cautèque re« spondens ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et « quæ sunt Dei Deo. Cui responsioni Paulus Apostolus « congruens, docet principibus et potestatibus creden« tes debere esse subjectos, » etc. Hæc Hieronymus. Igitur cùm hæc quæstio admodùm controversa esset illo tempore, et Jesus ejusque discipuli, Galilæi, putari poterant favere opinioni Galilæorum, proposita est Jesu à Pharisæis, duplicem laqueum tendentibus, in quorum alterum arbitrabantur necessarium ut incideret. Existimabant enim, respondendum ipsi alterutrum, vel licere vel non licere censum pendere Cæsari. Quòd si, religioni magis favens quàm profano principi, responderet non licere (id quod optabant simul et sperabant, eò quòd divini cultûs rigidum se exhiberet vindicem), certi erant comprehendendum ab Herodianis præsentibus, ut seditiosum, legum publicarum violatorem, et rebellionis auctorem, tradendumque Romanis et ab eis perdendum ut imperii

hostem et læsæ majestatis reum, exemplo Judæ illius, cujus nupera supererat memoria. Quòd si licere responderet, erant ipsi clam susurris reddituri invidiosum populo, tanquàm adulatorem principum et patriæ libertatis proditorem, magis faventem tyrannidi gentium quàm honori ac religioni Dei, denique populum Dei sanctum, semen Abrahæ, idololatris subjicientem, ac proinde effecturi ut posthàc nihil obstaret quin possent pro libito manus in eum injicere et occidere, à quo prohibebantur hactenùs timore populi. Nam ut taceret Jesus interrogatus, sperabant non commissurum, ne videretur respicere personam hominum, et humano metu teneri, eoque veritatem occulere in re tanti momenti.

Vers. 23. — Dolum, calliditatem, versutiam, vafritiem. Significat Græcum quamdam ad malè agendum solertiam longo scilicet usu et tractandis rebus plurimis quæsitam.

Tentatis. Nitimini incautum fallere. Experiri volebant scientiam Jesu, non ut eam novissent, sed ut Jesum deciperent et in mortiferum agerent laqueum.

Vers. 24. — Ostendite. Quamvis potuisset amplius responsum negare, postquàm aperuisset interrogantium dolum; ne tamen putaretur metu principum tacere quid sentiret, præterea ut Ecclesiam etiam hâc in parte erudiret, captavit occasionem commodè respondendi captiosæ quæstioni, simulque ad oculum demonstrandi quod res erat, petendo sibi exhiberi denarium.

Inscriptionem. Solent ut nunc, ita et olim, nummi figuræ esse rotundæ, et in medio quidem imaginem et arma, circa extrema autem nomen, insculpta exhibere, principis aut reipublicæ cujus jussu erant cusi. Quòd verò interrogat quasi parùm agnoscat ejusmodi litteras atque imagines, non est quòd ignoret, sed partim ut significet terrena hujusmodi non esse sibi curæ qui cœlestia tractabat, partim ut qui ipsum captatum venerant captet ipse, et extorqueat ex ipsorum verbis quæstionis solutionem, dùm necesse haberent respondere id quod ad causam faciebat.

Cæsaris, Tiberii utique, qui illo tempore regnabat inde ab annis octodecim. Manifestum hinc est fuisse Romanum nummum: nam Judæi, Cæsaris imaginem, rem sibi detestabilem, monetæ à se cusæ minimè impressissent. Tiberii imago medio denario insculpta erat, nomenque in circuitu, cum titulo, verisimile est, *Asiatici* aut *Syriaci*, declarante imperium ejus in Judæos. Nam quamvis longè ante Tiberium denarii apud Romanos usus fuerit, ejus tamen pretii numisma Tiberius cudi jussit, quod vellet sibi à Judæis in censum pendi. Nam, quod ex Ælio Lampridio Cæsar Baronius docet, moris apud Romanos fuit, ut numismata pro ratione tributi vel censûs ab imperatoribus cuderentur, nec uno semper modo eadem permanerent, sed secundùm incrementa ac decrementa tributorum mutarentur ac noviter formarentur.

Vers. 25. — Reddite ergo. Non respondet licere vel non licere Cæsari censum solvere; sed declarat, ex ipsorum verbis consequi, etiam oportere Cæsari censum solvere; declarat autem in hunc modum: Si verum est quod dicitis, denarium qui in censum exigitur, Cæsaris et nomine et imagine insignitum esse; est igitur Cæsaris ille denarius: res enim ejus esse censetur, cujus jure præfert vel nomen vel imaginem. Si Cæsaris est denarius, et tamen apud vos reperitur, in usu et possessione vestrâ; igitur denarium à vobis exigens Cæsar, quod suum est exigit. Reddite itaque ipsi petenti quod suum est, denarium, inquam, et si quid aliud ipsi à vobis debetur. Nam etsi proprietas denarii justè ad vos transiit, jus tamen supremi dominii penes eum manet qui insculptâ imagine ac nomenclaturâ suâ nummum edidit; non tale jus, quali omnes hujusmodi nummos semel à se justo pretio evulgatos gratis repetere possit, sed tale quali modestum de eis vectigal imponere possit. Quod est autem de nummis, Cæsaris imaginem præ se ferentibus, in quibus res evidentior est, idem est de cæteris quæ Cæsar à vobis modo habito exigit in recognitionem dominii et subsidium administrandæ defendendæque reipublicæ. Postquàm enim subjicimini Cæsari, postquàm regnat vobis Cæsar (quod vel nummi testantur quorum formam valoremque vobis ille pro animi sententiâ præscribit), præstandum à vobis id omne quod subditorum est, minimèque litigandum de subjectionis parte, hoc est, de censu solvendo. Cæterùm si nullum penes vos Cæsaris numisma nec quidquam aliud bonorum hujus mundi resederit, sed mecum reliqueritis omnia, conditione reddendi tributum Cæsari non tenebimini. Non itaque tam *date* quàm *reddite*, quippe debitum.

Cæsari in censum exigenti, denarium suum, et si quid aliud juris ipsius tanquàm principis est in vos, honorem, timorem, obedientiam.

Et quæ sunt Dei Deo. Addit hoc posterius membrum Salvator duas potissimùm ob causas; prior est, ut occurrat Judæorum objectioni hujusmodi: Tunc igitur populum Dei homini subjicis, et alium vis agnoscat dominum quàm Deum à quo in peculium electus est? Fieri enim, inquit, potest utrumque ut et Cæsari quæ Cæsari sunt, et Deo quæ Dei sunt reddatis. Non est fraudandus Cæsar juribus suis pietatis prætextu. *Nec enim ex eo quòd reddit quis Cæsari quæ Cæsaris sunt, impeditur reddere Deo quæ Dei sunt,* ait in hunc locum Origenes. Docet itaque nihil officere pietati, si res humanæ hominibus dentur, si quis Deo dicatus det profano principi tributum de eâ re quæ pauperiorem reddit, non impium; et in summâ pronuntiat, non violari jus Dei, nec lædi ejus cultum, si Judæi, quoad externam politiam, Romanis pareant, eorum refellens errorem qui se Dei populum esse non putabant, nisi ab omni humani imperii jugo essent immunes. Reipsà enim ostendit istos confundere rationes humanas cum divinis, nec distinguere, uti deberent, inter magistratum terrestrem et cœlestem. Præest quidem Deus unus omnibus, et omnia Dei ipsius sunt: sed homines, in his quæ sunt hujus mundi, Deus regit per homines. Præfecit itaque Cæsarem orbi terrarum (*non est enim potestas nisi à Deo,* Rom. 13, v. 1), vult proinde Cæsari ut pareatur in his quæ

sunt mundi, id est, in rebus corporeis et externis (verbi gratiâ, nummis, quos ex ipsâ materiâ et formâ manifestum est nihil ad pietatem aut religionem pertinere), *non solùm propter iram, verùm etiam propter conscientiam*, Rom. 13, v. 5. Interiora verò quæ animum propriè tangunt, quæ ad religionem et cultum suì pertinent, qui præsertim est *purâ mente colendus*, non subjecit Cæsari, sed suo peculiari regimini ac judicio reservavit. Hæc Dei sunt jura, Deo reddenda. Cæsari reddenda sunt numismata ipsius imagine insignita : animus, qui Dei imaginem ac similitudinem gerit, Deo reddendus est, fidelis, pius, integer, immaculatus. Unde Tertullianus, libri de Idololatriâ cap. 15, ait : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt « Dei Deo ; id est, imaginem Cæsaris Cæsari quæ in « nummo est, et imaginem Dei Deo quæ in homine « est, ut Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temet- « ipsum. » Inprimis itaque docet hâc parte Salvator, nihil obstare quominùs et Cæsari pareatur et Deo, salvâ pietate, imò suadere pietatem ut utrique pareatur, singulo tamen in his quæ ipsi debentur, quæ ipsi sunt propria, ita ut neutri alterius prætextu fiat injuria, nec Cæsari prætextu Dei, nec Deo prætextu Cæsaris. Unde consequenter intelligitur quò usque Cæsari terrenisque magistratibus obediendum sit, quò usque scilicet continent se intra jura propria, à Deo ipsis concessa, nec ex Dei jure quidquam sibi usurpant. Nam si quid præcipiant quod legi Dei adversetur, si quid exigant quod nos reddat impios, non quod suum est petunt, sed quod Dei. « Tu, ait Chrysostomus, cùm audis red- « denda esse Cæsari quæ sua sunt, illa solùm dici non « dubita quæ pietati ac religioni nihil officiunt : nam « quod fidei ac virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli « tributum et vectigal est. » Posterior causa cur hoc addat Salvator : *Et quæ sunt Dei Deo*, est, ut perstringat hypocrisin Pharisæorum, qui magnâ tenerentur sollicitudine an tributum Romanis solvendum esset, ob pietatem quidem, quod præ se ferrent, ne quid ex Dei honore decederet, sed reverà ob pecuniariam crumenæ jacturam. Nam si sincerâ pietate ducerentur, non tanto zeli ardore moverentur pro re nihili, sed curarent, quod magis ad rem pertinet, ut Deo redderent cultum debitum, observando mandata ipsius, minimè incumbentes fraudibus et dolis quibus perderent innocentem.

VERS. 26. — ET, pro *itaque*.

VERBUM, dictum.

CORAM PLEBE. Scopus illorum præcipuus hic erat, ut Jesum populo invidiosum redderent ex responso, quocumque modo responderet, quo jure quâve injuriâ. Si diceret non licere, seditiosum clamarent, et qui populum vellet in extrema adducere discrimina, rebellantem Romanis, ut pridem alter ille Galilæus : si diceret licere, susurrarent adulatorem esse Cæsareum, qui populum Dei in Cæsaris servitutem redigere conaretur, itàque invisum populo absque tumultu capere possent et occidere. Cæterùm hoc ampliùs animo intendebant, si diceret non licere ; ipsum scilicet mox comprehensum operâ Herodianorum, tradere Romano præsidi.

ET, pro *sed*, seu potiùs, *imò*.

IN, *super*, RESPONSO EJUS TACUERUNT. Non tantùm nihil reddiderunt Jesu, verùm nec ad populum retulerunt, quid responsi accepissent, veriti ne responsum majorem ipsius laudem favoremque provocaret.

VERS. 27.—ACCESSERUNT AUTEM, tum temporis etiam.

QUI NEGANT, eorum qui negant, ESSE RESURRECTIONEM, nullam unquàm fore hominum semel mortuorum à morte resurrectionem.

ET INTERROGAVERUNT EUM ; etiam ipsi quæstionem, non quidem dolosam, qualem mox proposuerant Pharisæi, sed ejusmodi quâ existimabant egregiè stabilitum iri errorem suum, ac refutatum iri contrariam et quidem frequentem Christi doctrinam, de resurrectione ex mortuis, vitâ æternâ et regno cœlorum. Sectæ contrariæ adversùs Christum conspirant, nec alterutri displicet doctrinam suam in Christo personâ oppugnari.

VERS. 28. — MAGISTER, qui pro magistro te geris.

MOSES. Etiam ante Mosen lex ista in usu fuit, quod manifestum facit exemplum Thamar nurus Judæ, Genes. 38.

ACCIPIAT. Moses hoc pluribus verbis explicat, ne incestuosum censeretur hujusmodi conjugium (quale aliàs fuisset) : *Ingredietur ad eam, et* (pro, id est), *capiet eam sibi, in uxorem, et leviri jure ducet eam :* sic enim ad verbum Hebraicè est. A nomine *iabam*, quod est levir seu frater mariti, fit verbum *iabam*, tanquàm si dicas levirare, id est, leviri jure ducere.

FRATER, levir, major natu seu ætate proximus.

SEMEN, posteritatem, filium,

FRATRI SUO, mortuo. Hoc est quod dicit Moses : *Et primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel :* seu, ut alii ad verbum vertunt : *Et erit, primogenitus quem pariet, stabit nomine fratris ejus mortui, et non delebitur nomen ejus ex Israel.* Cujus sensus est : Qui primus ex eo conjugio nascetur, mortui nomine censebitur ; habebitur filius fratris mortui, eritque hæres illius. Suscitandi metaphora accepta videtur à culturâ terræ, quòd quemadmodùm ex terrâ cultâ satâque fructus, ita ex uxore cognitâ filius exsurgat. Seminis autem vocabulo filius declaratur, non tantùm quòd ex semine patris sit ortus, verùm etiam quòd aliis ipse ulteriùs semen esse, alios vicissim gignere queat. Jam hâc parte datur intelligenda ratio legis, quòd nimirùm velit lex, quo fieri potest modo, satisfacere naturali hominis absque liberis morientis desiderio. Cùm enim naturæ instinctu desideret homo, postquàm nequit ipse permanere in seipso, relinquere à morte similem sibi loco suo, qui ipsum repræsentare videatur : ejus rei spem facit etiam illi qui ἄτεκνος moritur, dùm ordinat, ut ex uxore ipsius à fratre filius ipsi ascribendus progignatur. Hâc enim ratione, mortuo quodammodò filius adoptatur ; adeòque non potest non videri germanus mortui filius, qui et ex uxore et ex fratre ortus, ipsius gerat nomen et bona possideat.

Vers. 29. — Erant. Sive vera res ista, sive ficta fuerit, nihil refert, cùm fuerit res possibilis, positoque possibili nullum sequi queat inconveniens, quæ est maxima dialecticorum. Quanquàm verisimile est figmentum fuisse, quod sentit schola Chrysostomi; quomodò enim non posteriores, priorum periculis territi, abominati mulieris illius nuptias fuissent?

Vers. 31. — Et mortui sunt. Syrus clariùs transponit verba : *Et mortui sunt, neque reliquerunt filios.*

Vers. 32. — Novissimè omnium, post omnes autem : ne videretur postremo præ cæteris debita uxor, si ille supervixisset mulieri.

Mortua est, nulli alii nupta post hos septem fratres.

Vers. 33. — In resurrectione mortuorum ad vitam, quam tu futuram doces cum Pharisæis, id est, in vitâ æternâ, quam futuram doces post resurrectionem, cùm revixerint septem illi fratres unà cum muliere illâ.

Uxor? q. d. : Videtur non posse uni alicui eorum cæteris omissis attribui : subduntque causam, quia

Septem habuerunt eam, uxorem, et quidem legitimè, ex præscripto legis Dei, ac proinde omnibus est æquale jus ad illam recipiendam, et si uni attribuatur, eâdem ratione debet et cæteris. De industriâ exemplum proponitur de iis qui legi obtemperârunt in ineundo conjugio; ne si adversùs legem egissent illi, negaret Christus futuram illorum, quippe impiorum, resurrectionem, ut non perinde credebatur à Pharisæis futura impiorum resurrectio. Huic igitur quæstioni quidquid tandem responderet Jesus, putabant Sadducæi consecuturam inextricabilem difficultatem et absurditatem intolerabilem, ac proinde vel hinc ridiculam evasuram doctrinam de mortuorum resurrectione. Nam si diceret illam fore uxorem hujus vel illius è septem fratribus, evidens aperiret, ipsorum judicio, seminarium discordiarum inter fratres, cæteris æquali jure nixis, bella dissidiaque moventibus fratri qui eâ frueretur, aut certè, si legum vi cogerentur quiescere, invidentibus fratri, quòd ille potiùs suâ uxore frueretur, quàm ipsi suâ. Quòd si diceret, omnium pariter septem uxorem fore (quod verisimilius videri posset, ad reddendum unicuique suum, et ad evitanda intestina inter fratres bella) rem cùm turpissimam tum absurdissimam pronuntiaret, septem viros et quidem fratres, ad unam ingressuros mulierem, inverecundè, fœdè, incestuosèque, quod nunquàm permiserit, vel natura, vel ratio humana, vel lex Mosis, ne quidem ut vel duorum virorum una esset uxor. Idcircò enim de unâ uxore à septem fratribus ductâ, juxta legis præscriptum, exemplum produxerunt, potiùs quàm de unâ septem viris nihil ad se mutuò attinentibus nuptâ (quod faciliùs usu veniat) ut bella, dissidia, invidiasque inter fratres, et incestuosæ libidinis portentum urgerent; atque idcircò de septem potiùs fratribus quàm de paucioribus aut pluribus, ut sic cresceret illinc rerum consequentium absurditas, ne hinc exemplum ut ἀδύνατον aut nunquàm eventurum contemneretur ac rejiceretur. Denique si diceret nullius fore uxorem è septem, arbitrabantur illud absonum fore, ut septem mariti viderent singuli coram se positam uxorem suam, nullusque eorum posset eâ uti, sed cogerentur omnes unà cum uxore cælibes esurire, cæteris conjugibus, quorum neuter hìc expertus esset secundas nuptias, illìc se mutuò amplexantibus et fruentibus. Undique igitur consecuturas cùm existimarent absurditates à ratione maximè dissentaneas, positâ resurrectione; hâc quæstione velut machinâ insuperabili evertere se posse putârunt Christi de resurrectione doctrinam. Nec absimile vero est, ipsos sæpiùs hujusmodi telo petiisse Pharisæos, quanquàm Christo minus fuerit quàm plumbeus pugio.

Vers. 34. — Et ait. Græcè, *et respondens ait.* Syriacè tamen non ampliùs est quàm Latinè.

Filii hujus seculi. Hebraismus est, pro homines qui in præsenti seculo vivunt. Non opponuntur hìc filii hujus seculi filiis lucis, ut supra, 16, v. 8, sed quicumque in hoc mortali seculo agunt, filii hujus seculi hìc vocantur. Non enim à matrimonio excluduntur filii lucis seu Dei, quod impius Beza falsò affingit Syricio Papæ; quanquàm qui matrimonio hìc non utuntur filii Dei, vitam ducant vitæ alterius quàm hujus seculi similiorem, quod ipse iste Scripturæ locus ostendit. Legantur decreta Syricii Papæ tomo primo Conciliorum. *Filii* ergo *hujus seculi,* in quo vicissitudo nascentium ac morientium est, q. d. : Non est par ratio præsentis seculi et futuri. Utitur igitur distinctione temporum præsentis et futuri ad solvendum quæstionem.

Nubunt, ducunt uxores, solent ducere uxores et nuptum dari. Illud ad viros, hoc ad mulieres refertur.

Vers. 35. — Qui digni habebuntur, qui ita in hoc seculo vixerint ut meriti fuerint. Locus pro meritis operum bonorum.

Seculo illo, futuro. Græcè, *seculum illud consequi,* id est, felicitatem seculi illius.

Et resurrectione, gloriosâ. Loquitur de justis, quibus solis in seculo futuro continget resurrectio ad vitam et gloriam æternam : nam impiorum erit quidem etiam illo in seculo resurrectio, sed ad contumeliam et mortem æternam; nec enim vita dici meretur, vita tam infelix; ac proinde nec resurrectio dici meretur, resurrectio tam infelix. Ut ergo solorum justorum vita æterna, vitæ nomine digna censetur; ita et solorum justorum resurrectio, nomine resurrectionis. Porrò si justorum in futuro seculo nullæ erunt nuptiæ, facilè intelligitur minùs fore impiorum.

Neque nubent neque ducent uxores. Ita est, ut in Sixtinis Bibliis, ita et in melioribus manuscriptis. In quibusdam bonis, pro futuris leguntur præsentia : *Neque nubunt neque ducunt uxores,* similiter Syro. Græca variant.

Vers. 36. — Ultra, ampliùs, mori poterunt. Ratio datur cur nuptiæ locum habituræ non sint in iis qui resurrexerint, quòd qui semel resurrexerint, ampliùs mori non poterunt; immortales

erunt : in immortalibus autem locum non habet generatio, quæ finis est nuptiarum. Mortales, quia mortales sunt, ineunt nuptias, ut qui perpetuò vivere non possunt in seipsis, vivant in liberis ex nuptiali conjunctione genitis. Quocirca ubi omnes immortales erunt, et perpetuò vivent in semetipsis, nec unquàm deficient, non erit ratio procreandorum liberorum, ac proinde nec locus nuptiis. *In hoc seculo*, ait auctor Operis in Matthæum imperfecti, *uxores ducimus, ut quod moriendo minuitur, nascendo suppleatur. Tolle moriendi necessitatem, et nascendi utilitas superflua invenitur : tolle nascendi utilitatem, et nubendi causa soluta est.* Objicias nuptias institutas fuisse in paradiso, antequàm homini necesse esset mori. Ita quidem, sed necesse tunc erat hominem propagari et multiplicari, quem unum solum creaverat Deus, futurum seminarium reliquorum; in resurrectione verò, ut non erit opus humanæ speciei conservatione per nuptias, quia omnes erunt immortales; ita nec multiplicatione sive propagatione, quia resurgent omnes qui unquàm vixerant, numero utique sufficienti, et omninò qualem humano generi præfinivit Deus. Itaque dùm inter immortales locum nuptiæ non habere dicuntur, intelligitur de iis immortalibus qui jam sufficienti numero existunt, quales fuerunt ab initio angeli, et futuri sunt homines tempore resurrectionis.

Æquales, pares, angelis, immortalitate, castitate. et numero pleno, sunt, pro, *erunt*. Quemadmodùm angeli, quia immortales sunt, absque nuptiis sunt; sic erunt et homines ex morte redivivi, immortales, cælibes, casti, denique immunes prorsùs ab omni incumbendi et necessitate et voluptate et voluntate.

Et filii sunt Dei, imò filii Dei erunt, non filii hominum, non filii hujus seculi, renati, etiam secundùm corpus, *non ex semine corruptibili,* 1 Petr. 1, v. 23; *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo,* Joan. 1, v. 13; solius Dei virtute, absque humanâ operâ, in hanc vitam immortalem et spiritualem editi.

Cum sint futuri filii resurrectionis, id est, quia nascentur ex resurrectione; quia non coitu maris et feminæ, non hominum generatione aut operâ, sed resurrectione, cujus sola Dei omnipotentia auctor erit, nascentur edenturque in vitam illam immortalem; ita disertè Theophylactus; non mirùm igitur si illo in seculo aliter victuri et acturi sint, quàm in præsenti. Deus non eget ullâ aliâ re à se ad æternam suam beatitudinem et perfectionem. Idem seipsum communicans et præbens in resurrectione suis, omnem inopiam et causam, ob quam matrimonium institutum fuerat, aufert : æternos reddit eos, perfectos, divinos, nullius exterarum rerum egentes ad beatitudinem.

Vers. 37. — Quia, quòd.

Secus, apud, rubum. Præcedentibus quàm sequentibus, hoc aptiùs jungitur, hoc sensu : Narrans historiam Dei apparentis apud rubum.

Sicut dicit, prout seu cùm eò loci vocat Dominum, Deum Abraham, etc. Verti etiam possit : Nam dicit Dominum, etc.

Abraham. Exodi capite 3, v. 5, cùm Moses in deserto appropinquaret rubo ardenti, citra consumptionem, ait ei Dominus de medio rubi : *Ne appropies hùc, solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, terra sancta est.* Et causæ loco adjecit v. 6 : *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* Rursùs paulò post, v. 15, à Deo missus Moses ad filios Israel, jussus est dicere : *Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos :* quod idem repetitur v. 16. Hìc ubi Mosi Deus primùm se revelat et ordinat eum prophetam, constanter vocat se Deum Abraham, Deum Isaac, et Deum Jacob : volens enim Mosi et filiis Israel innotescere, quibus proprium ipsius nomen tetragrammaton adhuc erat ignotum, à nobilibus ipsorum patribus vocat se Deum Abraham, Deum Isaac, et Deum Jacob; q. d. se illum esse Deum, quem celebres ipsorum patres, Abraham, Isaac et Jacob, olim in hoc mundo singulari pietatis affectu coluerint, et quos ipse vicissim singulari benevolentiæ affectu complectatur justus judex : non solùm enim se nominat ab eo quod fuit, sed et ab eo quod est æternùmque erit ; et à judicio *Elohim* (cujus nominis hìc est usus) Deus vocatur, quod omnes docent.

Vers. 38. — Non est mortuorum. Deus non est Deus mortuorum, scilicet hominum, id est, extinctorum animâ et corpore, quomodò vos asseritis homines mori, brutorum animalium instar. *Sadducæorum opinio*, inquit Josephus, lib. 18 Antiq., cap. 2, *cum corpore extinguit simul et animas.* Nam sive nomen sive naturam Dei consideres, Deus, qui est, non est Deus eorum qui non sunt, Deus vita non est mortuorum (quid enim vitæ cum morte?); Deus Dominus esse non potest eorum qui irrecuperabiliter perierunt. (Quis enim regem se esse glorietur eorum qui omninò non sunt?) Denique judex esse non potest eorum qui prorsùs extincti sunt et æternùm permansuri sunt mortui; in hujusmodi enim nullum potest exerceri judicium, his non potest benè aut malè fieri.

Sed vivorum, hominum, corpore et animâ unitis, quomodò hìc vivitur, scilicet est Deus : nam ut est ipse, ita esse declarat eos quorum se vocat Deum; ut est vita, ita vitæ rationem indicat in his quorum se dicit; ut est Dominus et judex, ita esse significat eos quorum est, eo statu quo justè eos judicare queat et pro meritis dignè remunerare ac benefacere. Jam relinquit hinc colligendum Salvator : Igitur Abraham, Isaac, et Jacob, non sunt mortui seu extincti corpore et animâ, sed vivunt corpore et animâ. Cæterùm cùm constet illos hactenùs mortuos esse, id est, animâ et corpore à se mutuò separatis, intelligit illos vivere Deo, de quo addit secundùm Lucam : *Omnes enim vivunt ei.* Fatetur illos mortuos esse huic mundo, sed negat Deo mortuos esse : Deo

enim vivere illos docet, et tanquàm dormire, utpote qui possit ipsos in vitam revocare, animasque ipsorum corporibus iterùm unire. quod et certo certiùs facturus sit : nam si id nunquàm facturus esset, non erat dicendus Deus ipsorum solius potentiæ ratione, non magis quàm brutorum animalium mortuorum. Ad similem modum Salvator de Lazaro et puellâ loquitur quos statuerat resuscitare : *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut à somno excitem eum,* Joan. 11, v. 11. *Non est mortua puella, sed dormit,* Matth. 9, v. 24. Quemadmodùm à contrario, quod Chrysostomus adnotat, Adam quo die comedit ex ligno vetito mortuus dicitur, quia certò moriturus erat; quippe sententia lata. Deo futura omnia præsentia sunt, ideòque de re futurâ tanquàm de præsenti loquitur. Quòd si dicat quis (quod Sadducæi contra quos disputatio est non dicebant), discrimen esse inter homines et bestias mortuos, quòd à morte illorum animæ supersunt immortales, harum intereant simul cum corpore, ac proinde Deum dici potuisse Deum istorum ratione animarum viventium, etiamsi corporum resurrectio nunquàm sequeretur; respondendum est Deum non posse dici Deum et judicem Abraham, aut Isaac, aut Jacob, ratione solarum animarum viventium, si nulla est spes resurrectionis corporis : nam inprimis anima Abrahæ non est Abraham, nec anima Isaac, Isaac, sed una sola pars, quanquàm præcipua, Abrahæ et Isaac. Abraham, Isaac et Jacob, nomina sunt, non animarum, sed suppositorum seu personarum, ut loquimur, constantium animâ et corpore ut partibus substantialibus; id quod notat etiam Theophylactus in Marcum. Nam quod Christiani invocantes animam Petri, dicimus : Sancte Petre, ora pro nobis, fit ob spem resurrectionis. Ad hæc non permittit æquitas divini judicii, ut Deus judex justus, remuneraturus Abrahæ pietatem in corpore exercitam, soli animæ Abrahæ benefaciat, relicto corpore, quo non minùs quàm animâ constabat Abraham dùm coleret Deum. Hùc pertinet quod Apostolus ait, 1 Cor. 15, v. 19 : *Si in hâc vitâ tantùm in Christo sperantes sumus* (nec scilicet exspectanda est nobis carnis resurrectio) *miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Manifestè itaque ex hoc loco colligitur, non solùm immortalitas animarum, verùm etiam resurrectio corporum Abrahæ, Isaac et Jacob, illosque aliquando in vitam, animâ et corpore unitis constantem, qualem hoc in mundo egerunt Dei virtute justoque judicio revocandos esse. Hunc potissimùm locum Jesus attulit, sive ut Mosem Mosi opponeret, sive quia hunc locum locis aliis clariorem et validiorem judicavit.

Omnes enim, etiam mortui, et tam impii quàm justi vivunt ei, scilicet Domino, vivunt ejus respectu, cui facultas voluntasque est ipsos à morte excitandi, cuique futura omnia sunt præsentia. Occupatio est, potuisset enim objicere quis : Quomodò non est Deus mortuorum, cùm jam pluribus seculis Abraham, Isaac et Jacob mortui sint? respondet, ipsos mortuos quidem esse huic mundo sive hominibus, sed minimè Domino; Domino enim, et ipsos et cæteros omnes huic mundo mortuos, vivere, Domino nullos esse mortuos, qui potest et paratus est, omninòque decrevit tempore opportuno omnes ad vitam revocare. Quod ad ipsum igitur attinet, nulli habendi sunt mortui, sed mortui nobis, dormiunt ipsi, et vivunt, non secundùm animam tantùm, verùm etiam secundùm corpus, eâ vitâ quâ hoc in mundo vixerunt, hoc est, constante corpore et animâ unitis, evigilaturi tandem ipso excitante. Atque hoc verum est de omnibus etiam impiis; non tamen impiorum est Deus, peculiari eâ ratione quâ justorum, quia quamvis necessarium sit, non tamen sufficit ut vivant ii quorum Dominus Deum se glorietur. Cæterùm si de solis justis dictum esse existimes quòd vivant ei, intellige vitam cum beatitudine conjunctam, ut supra v. 35, resurrectionem.

Vers. 39. — Respondentes, his auditis subjicientes.

Scribarum, legisperitorum. Ex horum numero verisimile est illum fuisse qui post hanc refutationem Sadducæorum, proposuit quæstionem de maximo mandato, Marc. 12, v. 28.

Benè dixisti, egregiè refutâsti Sadducæos, et ex sacris Scripturis astruxisti corporum resurrectionem. Tale quid accidit hìc, quale Act. 23, v. 7, in nobili illâ concertatione inter Pharisæos et Sadducæos, quam Paulus excitârat. Tam manifestam Jesus sapientiam declaravit, ut extorserit ab invidis laudem.

Vers. 40. — Et amplius non, etc. His et aliis aliquot similibus quæstionibus ab ipsis propositis et à Jesu dexterrimè solutis, *ampliùs non audebant,* sive Pharisæi sive Sadducæi, interrogare, tentandi gratiâ.

Vers. 41. — Dixit autem, sed ipse dixit, interrogavit illos, adversarios suos, et signanter Pharisæos, quod ex Matthæo intelligitur, id est : Sed proposuit ipse illis vicissim quæstionem.

Dicunt, *scribæ,* quod addit Syrus; vel *homines,* quod sit pro impersonali *dicitur.*

Vers. 42. — Et ipse, cùm ipse. In libro, illo sacro, Psalmorum, à Spiritu sancto dictatorum. Unus est liber Psalmorum, sed in quinque volumina apud Hebræos divisus est, quod notat Hier. in epist. 137.

Dixit pro, *dicet,* more prophetico.

Dominus, Deus. Nomen Dei ineffabile hoc loco legitur, quod interpreteris *Ens*, sed solet transferri *Dominus.*

Domino meo, Messiæ sive Christo, *ladoni.* Non legitur hìc *Adonai,* quod est aliud Dei nomen quod propriè vertitur *Dominus*, sed, *Adoni,* quod est nomen appellativum significans, *Dominus meus.*

Sede a dextris meis, *limini* ad dexteram meam : sis, agnoscarisque mihi æqualis, naturâ, majestate, imperio. Non est intelligendum quòd Deus corporeus sit, ita ut vel dexteram vel sinistram habeat, nec quòd Filius Dei Patri præferatur, ita ut Pater à sinistris sit, Filio à dextris constituto (mox enim versu 5 Pater collocatur à dextris Filii), sed metaphorâ ab eo sumptâ, quòd locus maximè honorificus, apud Israelitas certè et plerasque alias nationes, sit sedere à

dextris (metaphoricâ enim locutione, non necesse est significari respectum ad sinistram; ut non omnes respectus mox significantur metaphorico sermone, qui proprio), significatur quòd Filius Patri sit æqualis, quòd habeat cum Patre naturæ consortium, æquum regnum paremque majestatem, quòd fruatur paterno regno, pari in throno, pari in honore permanens, eamque dignitatem pacificè et quietè, solidè immutabiliterque obtineat. Sedet autem Filius ad dexteram Patris jam inde ab æterno : quò si respicias, dicere : *Sede à dextris meis,* est æqualem sibi Filium generare, quo modo exponit Glossa; sed Christus, hoc est, Filius Dei factus homo, ab initio demùm incarnationis sedet à dextris Dei Patris, quando Pater, cujus dicere est facere, ut dedit homini esse Deum, ita dedit esse Deo æqualem. Cæterùm de tempore glorificationis Christi præcipuus est prophetæ sermo; nam Christo à negotio redempti generis humani ad cœlos ascendenti, dixit Deus Pater : Sede à dextris meis, jussit ut sederet, dedit ei sedere ad dexteram suam, hoc est, prædicantibus apostolis et credente orbe terrarum agnosci ab omnibus sedere ad dexteram Dei, Deo esse æqualem, et acceptâ omni potestate in cœlo et in terrâ Regem esse regum et Dominum dominantium (familiari enim Scripturæ tropo res tum dicitur fieri cùm innotescit) quando et jussus est effectus hujus sessionis se diffundere in humanam naturam. Hæc interpretatio est Apostoli Ephes. 1, v. 20 : *Secundùm operationem potentiæ virtutis ejus quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum et potestatem et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Similiter ad Philip. 2, v. 9 : *Exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris.* Itaque Jesus Christus homo sedet ad dexteram Dei, sed ratione naturæ suæ divinæ, ita tamen ut effectus hujus sessionis exundet in humanam, quo sic ornatur humana natura, ut dignum est divinâ cui conjuncta est, quod quidem est frui potioribus bonis Dei, quibus potiora non possunt contingere creaturæ. Vel igitur ex consequentibus his verbis : *Sede à dextris meis,* intelligere debuerant Pharisæi, cur David Christum vocaret Dominum suum. *Ad quem enim hominum aut angelorum dixit aliquando Deus : Sede à dextris meis?* sic urget iterùm Apostolus, Heb. 1, v. 13.

Donec. Significatur Christus perpetuò sessurus ad dexteram Dei. *Donec* enim affirmationis et promissionis vim habet; non excipit tempus aliquod, sed illud exprimit quo videri poterat Christus non sedere à dextris Dei, intelligendum relinquens postea multò magis sessurum. Quare Apostolus, Heb. 10, v. 12 : *In sempiternum sedet in dexterâ Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Donec* igitur quidam positum putant pro, *etiam donec.*

Ponam, reddam, faciam ut sint. Pater ad se accipit subjugationem inimicorum, ut eò certiùs futura credatur. Nam quòd à Patre subjiciuntur Filio inimici, non infirmitatem Filii, sed unitatem naturæ, quâ alter in altero operatur, significat. Nam et Filius subjicit inimicos Patri : sic D. Ambrosius in Lucam.

Inimicos tuos, eos qui tibi adversantur, quicumque illi sint, reges, populi, regna, imperia, Judæi, gentiles, Turcæ et alii quicumque. Inter cæteros significavit Spiritus Dei ipsos scribas et Pharisæos.

Pedum tuorum, sub pedibus tuis : subjectos tibi instar scabelli sub pedibus, ita ut eos pedibus conculces, et pro arbitrio punias. Non dicit donec tradam eos in manus tuas, sed quod amplius est, sub pedes, quo declaratur extrema rigidissimaque subjectio. Subjicientur Christo etiam electi, sed dulci, amicâ, filialique conditione; reprobi autem violentâ, coactâ, acerbâ, servili et ferreâ. Fit hoc autem paulatim ut moriuntur singuli inimicorum Christi; sed implebitur perfectè de Christi inimicis ad unum omnibus ab extremo judicio, quemadmodùm docet Apostolus, 1 Cor. 15, v. 24 et seqq. Docet itaque hìc Spiritus sanctus, invictum et inexpugnabile fore Christi regnum : est enim sensus, quamtùmvis insaniant homines, irritum tamen fore quidquid machinari audebunt ad labefactandum Christi regnum, quod non hominum arbitrio sed divinitùs erectum æternâ stabilitate fulcietur. Adverte autem quàm in loco utatur Jesus hoc Psalmi testimonio, quo non solùm declarat Christum Dominum esse Davidis, sed et absolutam fore Christi adversùs hostes victoriam, quò timorem incutiat adversariis suis quibuscum agit, ne hoc ipsis contingeret, quod propheta prædixerat de hostibus Christi, conscii sibi cùm essent, quòd Jesus ipse non temerè à plerisque Christus haberetur, et pro ejusmodi se gereret. Fuit igitur ac si diceret : Nihil miseri omittitis quo me impugnetis : sed tantùm abest ut me expugnaturi sitis, ut paulò post ad dexteram suam Pater me sit collocaturus in summâ rerum omnium potestate, quam exercebo donec vos et alios omnes hostes meos ad nihilum redegerim et in gehennam præcipitaverim. Certè id apertè ipsis dixit, paulò post captivus, cùm adjuraretur à principe sacerdotum : *Amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli,* Matth. 26, v. 64; habent hæc omnia minas contra hostes Christi.

Vers. 44. — Quomodo filius ejus est? quomodò hæc consistunt, Christum et Dominum Davidis esse et filium? quomodò non repugnant Christum Davidis esse filium, et nihilominùs à Davide vocari Dominum? Res est inusitata et ab ipsâ naturâ naturalique rerum ordine aliena, ut pater filium Dominum vocet, ut pater se filii servum agnoscat, progenitor nepoti multis post seculis ex progenie suâ nascituro ut Domino suo se subjiciat. Filius et nepos esse nobis potest, qui post nos futurus est : sed Dominus esse non potest, nisi

qui aut nobiscum est, aut ante nos est; fit autem ut filius patrem honoris causâ Dominum appellet, sed non facilè contra. Salomon, 3 Reg. 1, v. 19, 26, vocatur *servus Davidis,* sed nusquàm David Salomonis. *Quomodò filius ejus est?* Loquitur tanquàm non esset agnoscendus filius David, ut errorem illorum corrigat, et intelligant non esse Christum talem filium David qualem ipsi imaginabantur. Non enim negat Christum esse filium David, sed quærit quomodò hoc fiat: « *quomodò*, verbum quærentis est, non negantis, » ait D. Augustinus, serm. 234, de Tempore. Reprehenduntur enim, non quòd docerent fore Davidis filium, sed quòd merum sibi hominem fingerent, qui venturus è cœlo erat ut hominis naturam indueret. Est igitur mens Jesu: Cùm Christus secundùm humanam naturam sit filius David, ac proinde eo inferior, oportet ponere in eo et aliam naturam per quam sit Dominus ejus et eo superior.

Vers. 45. — Omni vel toto, qui præsens aderat magno numero.

Populo. Populum unà cum discipulis suis volebat admonitum, sed ad discipulos se convertit ut quorum gerebat curam singularem.

Vers. 46. — Attendite, cavete.

A scribis, ne vos corrumpant exemplo suo: cavete, non à doctrinâ, sed ab exemplo consuetudinis ac vitæ scribarum, ne imitemini mores eorum: facilè enim seducit mala vita doctorum. Ne miseram plebeculam secum in eamdem ruinam traherent, qui perseverare in peccatis suis et pertinaciâ Christi rejiciendi constituerant, taxat vitia eorum, quæ præcipua fuerunt, amor inanis gloriæ et amor lucri, monetque ut caveantur.

Discubitus, accubitus.

Vers. 47. — Qui devorant, qui penitùs comedunt, abliguriunt. Quidam gulam, alii verisimiliùs insatiabilem avaritiam hìc notari volunt.

Domos, facultates, substantiam universam, eas planè ad inopiam redigentes.

Viduarum, quibus debuerant auxilio esse. Nominat viduas, quò peccatum eorum magis exaggeret, quòd eas deciperent ac spoliarent, quæ omnium maximè erant ipsorum subsidio et patrocinio juvandæ; intelligit autem *viduarum* nomine bonos ac simplices et ad rapinam expositos homines, quibus patroni desunt, præcipuè tamen viduas, quæ et sui juris sunt ut facultates suas aliis dilargiantur, et proclives ad pietatem, sed incautæ ac maritorum patrocinio destitutæ faciliùs decipiuntur sanctimoniæ specie. Hinc enim has emungere, hypocritis semper solemne fuit. Reprehendit itaque Christus quòd viduæ similesque personæ doli expertes, quæ, ne in inopiam inciderent ab aliquibus circumventæ, fuerant consilio opibusque juvandæ, præsertim à legis doctoribus (viduarum enim inprimis et pupillorum defensionem omnibus commendat Lex), ab eis fuerint miserè exesæ.

Simulantes longam orationem, fervens studium orandi Deum. Sensus est: Stant in oratione, publicè, in templo, synagogis, et angulis platearum, idque diù, prolixè, et frequenter, non quòd religione moveantur, aut Dei orandi sint studiosi, sed ut tales habeantur, eâque ratione captent favorem et provocent homines simplices, signanter verò viduas, ad offerendum ipsis frequentia munera, per quæ fit ut comedant atque exhauriant ipsarum viduarum facultates, quæ ita demùm orationibus ipsorum juvari sperant, si suas opes in ipsos effundant. Fingunt longas preces et multùm se temporis consumere in commendandis viduis Deo, à quibus proinde munera non exigua accipiunt, ita ut quæ plus donaverit, longiorem orationem mereatur et majus præmium reportet. In longis precibus signum exstat raræ pietatis: nam quò quisque sanctior est, eò precandi studio magis deditus est. Istis autem precandi assiduitas, turpis lucri fuit aucupium. Non itaque precabantur, sed venabantur: non orabant prolixè, sed prolixas orationes simulabant, obtentum seu speciem exhibebant citra veritatem; nihil enim aliud spectabat animus, quàm prædam à mulierculis, credentibus eos cum Deo colloqui, quorum cor, non in cœlo versabatur, sed in loculo; non in arâ, sed in arcâ; in patinâ, non in parcimoniâ: qui, ut araneus muscas longis telis, ita ipsi divitias longis orationibus sectabantur. *Cùm itaque,* quod ait V. Beda, *porrecta manus pauperi, preces juvare soleat: hi, ut nummum pauperi tollant, in precibus pernoctant.* Non ergo reprehenduntur longæ preces, quasi in illis sit vitium, imò verò Ecclesiæ doctores ac pastores singulariter intentos precando esse oportet, sed hæc corruptela damnatur, quòd res per se laudabilis in pravum finem converteretur.

Damnationem majorem secundùm Marcum obscuriùs verterat *prolixius judicium.*

CAPUT XXI.

1. Respiciens autem, vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites:

2. Vidit autem et quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo.

3. Et dixit: Verè dico vobis quia vidua hæc pauper plus quàm omnes misit.

4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserant in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit.

5. Et quibusdam dicentibus de templo, quòd bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit:

6. Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non

CHAPITRE XXI.

1. Jésus regardant les riches qui mettaient leurs offrandes dans le tronc du temple,

2. Vit aussi une pauvre veuve qui y jeta deux petites pièces.

3. Sur quoi il dit: Je vous dis en vérité que cette pauvre veuve a plus donné que tous les autres;

4. Car tous ceux-là ont fait des présents à Dieu de leur abondance; mais celle-ci a donné, de son indigence même, tout ce qui lui restait pour vivre.

5. Et quelques-uns disant que le temple était bâti de belles pierres, et orné de riches dons, il répondit:

6. Il viendra un temps où tout ce que vous voyez

relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

7. Interrogaverunt autem illum, dicentes : Præceptor, quandò hæc erunt, et quod signum cùm fieri incipient?

8. Qui dixit : Videte ne seducamini : multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego sum : et tempus appropinquavit : nolite ergo ire post eos.

9. Cùm autem audieritis prælia et seditiones, nolite terreri : oportet primùm hæc fieri, sed nondùm statim finis.

10. Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, et regnum adversùs regnum.

11. Et terræ motus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt.

12. Sed antè hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides, propter nomen meum.

13. Continget autem vobis in testimonium.

14. Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodùm respondeatis.

15. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.

16. Trademini autem à parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis :

17. Et eritis odio omnibus propter nomen meum :

18. Et capillus de capite vestro non peribit.

19. In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.

20. Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus.

21. Tunc qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes : et qui in medio ejus, discedant; et qui in regionibus, non intrent in eam.

22. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.

23. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic.

24. Et cadent in ore gladii ; et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.

25. Et erunt signa in sole, et lunâ aut stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitûs maris et fluctuum :

26. Arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi : nam virtutes cœlorum movebuntur :

27. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ, et majestate.

28. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

29. Et dixit illis similitudinem : Videte ficulneam, et omnes arbores :

30. Cùm producunt jam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas.

ici sera tellement détruit, qu'il n'y demeurera pas pierre sur pierre.

7. Alors ils lui demandèrent : Maître, quand cela arrivera-t-il, et quel signe y aura-t-il que ce que vous dites sera près de s'accomplir?

8. Jésus leur répondit : Prenez garde à ne vous pas laisser séduire; car plusieurs viendront sous mon nom, disant : Je suis le Christ, et le temps est proche; gardez-vous donc bien de les suivre.

9. Et quand vous entendrez parler de guerres et de séditions, ne vous effrayez pas; car il faut que ces choses arrivent auparavant; mais ce ne sera pas encore sitôt la fin.

10. Alors, ajouta-t-il, on verra se soulever peuple contre peuple, et royaume contre royaume.

11. Et il y aura en divers lieux de grands tremblements de terre, des pestes et des famines, et il paraîtra des choses épouvantables, et des signes extraordinaires dans le ciel.

12. Mais avant tout cela, ils se saisiront de vous, et vous persécuteront, vous entraînant dans les synagogues et dans les prisons; et vous serez menés devant les rois et les gouverneurs à cause de mon nom.

13. Et cela vous servira pour rendre témoignage.

14. Gravez donc bien cette pensée dans votre cœur, de ne point préméditer ce que vous devez répondre;

15. Car je vous donnerai moi-même une bouche et une sagesse à laquelle tous vos ennemis ne pourront résister, ni contredire.

16. Vous serez livrés aux magistrats par vos pères et vos mères, par vos frères, par vos parents, par vos amis; et on fera mourir plusieurs d'entre vous;

17. Et vous serez haïs de tout le monde à cause de mon nom.

18. Toutefois il ne se perdra pas un cheveu de votre tête.

19. C'est par votre patience que vous posséderez vos âmes.

20. Or, quand vous verrez les armées environner Jérusalem, sachez que sa désolation est proche.

21. Alors que ceux qui sont dans la Judée, s'enfuient sur les montagnes; que ceux qui se trouveront au milieu d'elle, en sortent, et que ceux qui seront dehors, n'y rentrent point.

22. Car ces jours seront les jours de la vengeance, afin que tout ce qui est dans l'Écriture s'accomplisse.

23. Malheur à celles qui seront grosses ou qui nourriront en ces jours-là; car ce pays sera accablé de maux, et la colère pèsera sur ce peuple.

24. Ils seront passés au fil de l'épée; on les emmènera captifs dans toutes les nations; et Jérusalem sera foulée aux pieds par les gentils, jusqu'à ce que le temps des gentils soit accompli.

25. Il y aura des signes dans le soleil, dans la lune et dans les étoiles; et sur la terre, les nations seront dans la consternation, par la crainte que leur causera le bruit confus de la mer et des flots;

26. De sorte que les hommes sécheront de frayeur dans l'attente des maux dont tout le monde sera menacé; car les vertus des cieux seront ébranlées.

27. Et alors ils verront le Fils de l'homme, qui viendra sur une nuée avec une grande puissance et une grande majesté.

28. Or, quand toutes ces choses commenceront d'arriver, levez la tête, et regardez en haut, parce que votre rédemption approche.

29. Il leur proposa cette comparaison : Voyez le figuier et les autres arbres;

30. Quand ils commencent à pousser, vous reconnaissez que l'été approche.

31. Ita et vos cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei.

32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

33. Cœlum et terra transibunt : verba autem mea non transibunt.

34. Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa.

35. Tanquàm laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.

36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

37. Erat autem diebus docens in templo : noctibus verò exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliveti.

38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

31. Ainsi lorsque vous verrez arriver ces choses, sachez que le royaume de Dieu est proche.

32. Je vous dis en vérité que cette génération ne finira point, que tout cela ne soit accompli.

33. Le ciel et la terre passeront, mais mes paroles ne passeront point.

34. Prenez donc garde à vous, de peur que vos cœurs ne s'appesantissent par l'excès des viandes et du vin, et par les inquiétudes de cette vie, et que ce jour ne vienne tout d'un coup vous surprendre ;

35. Car il enveloppera, comme un filet, tous ceux qui habitent sur la face de la terre.

36. Veillez donc, et priez en tout temps, afin que vous méritiez d'éviter tous ces maux qui arriveront, et de paraître avec confiance devant le Fils de l'homme.

37. Or, le jour, il enseignait dans le temple; et la nuit, il sortait, et se retirait sur la montagne appelée des Oliviers.

38. Et tout le peuple venait de grand matin au temple pour l'écouter.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Respiciens, id est, aspiciens, studiosè scilicet; quomodò et vox Græca non rarò accipitur, ita ut non necesse sit interpretari *suspiciens,* sublatis scilicet oculis : quanquàm ea interpretatio non sit rejicienda, non quòd gazophylacium tam edito loco situm fuerit ut opus fuerit sustollere oculos, sed quòd Jesus, qui oculos priùs in terram deflexerat, sancti aliquid apud se meditans, jam sustulerit, ut aspiceret eos qui sua munera in gazophylacium immittebant; vel, quòd antea suos intuitus, post tollat oculos in eos qui longiùs absunt. Syrus omissâ hâc voce, reliqua hujus versiculi claritatis causâ vertit hoc ordine : *Vidit autem Jesus divites illos, qui projiciebant in domum gazæ oblationes suas.*

In gazophylacium, seu ærarium templi, ad sustinendum Dei cultum, sacerdotum vitam et templi fabricam.

Divites, qui divites erant plerique omnes, id testantes amplitudine munerum suorum.

Vers. 2. — Mittentem; *illùc* additur Græcè ; quod ut facilè subauditur, ita Syriacè non magis legitur quàm Latinè.

Æra. Hoc de suo adjecit interpres, nam Græcè nihil amplius est quàm sit secundùm Marcum, *duo minuta :* sed adjecit explicationis causâ, quia minuta fuisse oportuit ex ære, infimi pretii metallo, ex quo pecunia cuditur.

Minuta duo. Syrus vertit *octavas*, sive *quadrantes duos.*

Vers. 3. — Et dixit, tunc dixit discipulis suis advocatis.

Omnes, divites.

Misit, in gazophylacium.

Vers. 4. — Omnes, *hi,* divites, ex abundanti sibi, ex eo quod abundabat ipsis.

In munera Dei, id est, inter munera Deo oblata, seu in gazophylacium continens munera Deo oblata, quo excipiuntur asservanturque pecuniaria munera Deo temploque oblata. Nam et gazophylacium vocatur, Matth. 27, v. 6, *corban*, quod est, munus sive oblatio, eò quòd templi munera oblationesque contineret. Quare Syrus hoc loco, pro *in munera Dei,* vertit *in domum oblationum Dei,* quæ est periphrasis gazophylacii.

Ex eo quod deest illi ; Gr. *è penuriâ suâ,* vertit, et quidem rectiùs, secundùm Marcum. Nam ex eo quod deest sibi, propriè, quid potest quis dare?

Vers. 5. — Et, cùm egressus esset ex templo.

Quibusdam, discipulorum.

Bonis, pulchris.

Donis. Græcè, *donariis.* Syrus, *oblationibus.* Ἀνάθημα sive ἀνάθεμα Græcè, in bonam partem acceptum, significat id quod Deo consecratum est ac devotum, à verbo ἀνατιθέναι, quod et suspendere declarat et separare, vel quòd de parietibus et columnis templorum suspendi hujusmodi solebant, vel potiùs quòd à vulgari usu separata, nefas esset ea in usum hominum convertere. De hujusmodi templi donis videtur scribere Josephus, lib. 15 Antiq., cap. ultimo, ubi ait : *Circum templum affixa erant spolia barbarica, quæ omnia Herodes denuò dedicavit, additis etiam recentibus Arabicis.* Theophylactus conjicit, anathemata hìc dici, sculpta et tornata, quasi dicant discipuli, lapidibus pulchris et eleganter incisis magnâque arte politis ac sculptis; id quod eo verisimilius fieri possit, quòd de solâ templi structurâ hìc agi videri possit.

Vers. 6. — Hæc quæ videtis. Orationem aliter quàm cœperat absolvit Jesus, id quod etiam alibi occurrit, et nascitur ex animi vehementiâ. Itaque ad explicandum sermonis incommodum, subaudienda est præpositio *in* (in his *quæ videtis,* et tanquàm immortalitate digna admiramini), quam volens exprimere Syrus, quod nobis sequitur *in quibus,* scilicet diebus, ipse vertit, *dabbehoun,* quod in eis, scilicet quæ videtis. Hanc incommoditatem volentes vitare alii, legunt interrogando : *Hæc quæ videtis,* scilicet sunt? Hæccine sunt quæ spectatis et admiramini? nam et Matthæus et Marcus hujusmodi interrogationem habent.

Vers. 7.—Cum fieri incipient? quando futurum est ut hæc fiant? quo signo poterimus cognoscere tempus

illud quo hæc fient? Intelligenda est quæstio, tam de orbis et civitatis quàm de templi eversione, licèt orbis et civitatis nulla præcesserit mentio, quia apostoli hæc eodem futura tempore credebant. Sic intelligit Chrysostomus Matthæum enarrans; ut etiam subsequitur responsio Jesu tam de orbe quàm de templo.

VERS. 8. — DICENTES QUIA EGO SUM; id est, *dicentes: Ego sum,* scilicet Christus.

ET TEMPUS, illud tempus, libertatis ac salutis, olim à prophetis promissum et hactenùs exspectatum.

APPROPINQUAVIT, propinquum factum est, proximè per nos exhibendum est. Sic dicent, imitaturi me verum Christum, cujus prima prædicatio fuit: *Impletum est tempus, et appropinquavit regnum cœlorum;* Marc. 1, v. 15; Matth. 4, v. 17.

NOLITE ERGO. *Ergo* non est hìc illativum, sed continuativum, quia semel dixerat: *Videte ne seducamini.*

POST EOS, ne sequamini eos, ne credatis aut adhæreatis eis.

VERS. 9. — SEDITIONES. Postquàm Judæi Barabbam Jesu, seditiosum pacifico, prætulerunt, variis continuisque seditionibus jactati fuêre. Auctore enim pacis perempto, et seditioso è contra servato, meritò seditiones et bella inter eos locum acceperunt.

NOLITE TERRERI, ita scilicet ut quod vestri muneris est, aut quod rectum est, omittatis.

OPORTET; *enim* additur Græcè et Syriacè.

PRIMUM, ante finem tum templi tum mundi.

FINIS subsequetur; q. d.: Præcedent adhùc alia graviora mala, *malorum semper incipiente ex fine principio,* quod ait Josephus, lib. 3 de Bello, cap. 15. Apertè prænuntiat, quæ per se gravia forent, præludia solùm fore calamitatum majorum, ne quidquam etiam gravissimum turbaret eos, minimèque sibi promitterent hoc in mundo tranquillum statum.

VERS. 10. — DICEBAT. Præcedentibus hæc addebat, morulâ fortassis interpositâ; ut doceret non statim rerum finem adfore à tumultibus et seditionibus, sed alia plura eaque graviora mala præcessura.

VERS. 11. — TERRORES, terriculamenta, quæ hominibus terrorem incutiant. Syrus vertit duabus vocibus, *timores et trepidationes.*

SIGNA, iræ Dei, scilicet de cœlo; nam Græcè Syriacèque legitur hoc ordine, *terroresque et signa de cœlo.* Et cœlum ipsum prodigia dabit, iram Dei testantia.

SIGNA MAGNA, mirabilia, præter naturæ cursum accidentia, ERUNT, edentur, apparebunt, quomodò Syrus transtulit. Spectra signaque cœlestia complura, quæ ante Jerosolymorum eversionem apparuerint, ex professo recenset Josephus, cap. 12 libri 7 de Bello: de quibus Victor Antiochenus in Marcum: *Non nuda,* ait, *bella, sed multis signis et prodigiis comitata, ventura prædicit, ut hinc intelligas, ipsum cladis quæ Judæos oppressit præcipuum auctorem exstitisse.* Ante mundi verò consummationem, quàm multa hactenùs variis temporibus et locis terricula cœlitùs edita fuerint, partim auriti, partim oculati testes omnes sumus: quo autem propiùs consummatio, eò majora exspectantur. Post: *Et signa magna erunt,* sequitur in manuscripto codice Ecclesiæ nostræ Audomaropolitanæ, continente quatuor Evangelia, signato litterâ F, *et tempestates:* quod et D. Gregorius, homil. 35 in Evang., admonet à quibusdam libris addi. Gregorio antiquior Origenes Græcus, tractatu 28 in Matthæum, annotat à Lucâ adjici, *et hiemes;* sic enim vertit ejus interpres, quod alii *tempestates;* denique Syriacum Testamentum, postquam dixit: *Et signa magna è cœlo apparebunt,* subdit: *Et hiemes* seu *tempestates magnæ erunt.*

VERS. 12. — ANTE HÆC OMNIA. Antequàm mala ista eveniant, Judæi præsertim in vos MANUS INJICIENT, ET VOS PERSEQUENTUR, atque hâc etiam insigni perversitate Dei bonitatem ad iram magis provocabunt. Ante hæc publica mala, Judæi apostolos ac fideles sunt persecuti, quomodò hoc versu prædicitur; testatur totus liber Actorum apostolorum; nec tamen cessârunt, quando publica illa mala advenerunt, imò tunc magis etiam in eos sævierunt tum Judæi tum gentes, imputantes ipsis mala illa.

IN SYNAGOGAS, examinandos ac puniendos.

CUSTODIAS. Ita carceres Græcè vocantur miti vocabulo.

TRAHENTES. Syrus vertit: *Et sistent vos;* participiis, isto et præcedenti, in verba conversis.

PROPTER NOMEN MEUM, propter me à vobis cultum et prædicatum.

VERS. 13. — CONTINGET, istud, vel contingent hæc, sive, ut alii vertere malunt: *Cedent hæc vobis.*

IN TESTIMONIUM, adversùs illos; servient ista vobis, loco publicorum testimoniorum, perfidiæ ac crudelitatis ipsorum adversùs vos, per quæ manifestum erit, justè illos hìc puniri atque exstirpari, et in regeneratione à me et à vobis unà mecum judicantibus, Matth. 19, v. 28, ejici in tenebras exteriores; Matth. 8, v. 12.

VERS. 14. — IN CORDIBUS VESTRIS; habete id fixum in cordibus vestris.

NON PRÆMEDITARI, non esse vobis præmeditandum QUEMADMODUM RESPONDEATIS, ad defendendum et reddendam rationem; non esse vobis anxiè præmeditandùm defensionem vestrî, coram judicibus, ad quos rapti fueritis. Vide supra, 12, 11.

VERS. 15. — EGO, Dei Verbum et sapientia, omnis sapientiæ fons.

DABO, per Spiritum Patris ac meum. Matth. 10, v. 20: *Sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* « Alibi Christus, ait Ambrosius, alibi Pater, alibi Spi« ritus loquitur Patris: non discordant ista, sed con« gruunt. Quod unus loquitur, tres loquuntur, quia « vox est una Trinitatis. »

VOBIS; q. d., secundùm Gregorium homiliâ in hunc locum: *Nolite terreri, vos enim ad certamen acceditis, sed ego prœlior; vos verba editis, sed ego sum qui loquor.*

OS ET SAPIENTIAM, id est, os sapiens, sermonem sapientem; nisi fortè per *os,* facultas animosè ac con-

stanter eloquendi; per *sapientiam*, appositè ac prudenter loquendi, notetur; timor enim claudit os, quod animositas à Christo data aperit; nam censetur os non haberi, quod ad loquendum, ubi opus est, non aut vix aperitur.

RESISTERE ET CONTRADICERE. Græcè est ordine contrario, eòque magis congruo, *contradicere neque resistere*: nam generalius est resistere. Nec contradicere nec resistere poterunt, id est, tam sapienter, evidenter atque efficaciter refellentur, ut nihil habeant quod meritò queant opponere, falsique convictos se judicent in cordibus suis, licèt verba profundent, aut ad verbera variasque vestrî afflictationes confugient, ne victi videantur. Dicit Salvator, sapientiam quam suis infusurus est, contra omnes hostes fore victricem; non tamen quòd veritati semper cedet hostium impudentia, sed quòd de phreneticâ ipsorum audaciâ, quam erit promptum aliis intelligere, triumphabit veritas illa, quam frustra oppugnabunt. Hujus exempla habes Act. 4, v. 8 et seq., cap. 6, v. 10, et cap. 26, v. 25.

OMNES, quicumque, quantùmvis diserti et eruditi humanâ sapientiâ; vel nulli poterunt, sicut: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, id est, nullus.

ADVERSARII VESTRI, omnes qui se opponent vobis.

VERS. 16. — TRADEMINI AUTEM adversariis in mortem, A PARENTIBUS; q. d.: Hæc patiemini, non solùm ab ignotis et alienis, verùm etiam ab his qui vobis propinquâ cognatione arctisque necessitudinis vinculis juncti sunt.

ET FRATRIBUS. Hoc loco et multi Græci libri collocant, καὶ ἀδελφῶν, idque ordine aptiori: à parentibus enim proximi sunt fratres, deinde cognati, postremò amici.

AFFICIENT, parentes, etc.

EX VOBIS, quosdam.

VERS. 18. — ET, pro, *sed*; q. d.: Nolite concidere animo: ego singularissimam vestrî curam geram, adeò ut non sim admissurus vel minimum vobis perire, ne pilum quidem unum capitis, quod non sit ad utilitatem vestram, et quàm certissimè atque uberrimè vobis restituatur. Nam et pilos ipsos capitis resurrectio restituet, qui quidem ad decorem faciunt. Vide supra, 12, 7.

VERS. 19. — IN PATIENTIA VESTRA, id est, per patientiam seu perseverantiam vestram; constanti malorum tolerantiâ. Nam ὑπομονὴ est perseverantia in re quâpiam cum molestiâ, cum exspectatione tamen: id quod Paulus significat, Rom. 5, v. 3, 4. Non negatione meî, mala declinando aut evadendo, neque vos ulciscendo aut mala referendo, sed fortiter, patienter, constanter, et perseveranter, meâ causâ mala ferendo.

POSSIDEBITIS. Græcè *possidete;* præceptum est: Curate ut possideatis. Interpres videtur legisse κτήσεσθε, quod est, *possidebitis*, id quod eòdem redit: si constanter patientes fueritis, possidebitis. *Possidebitis* autem, id est, servabitis, salvas facietis, obtinebitis salutem animarum vestrarum, æternam consequemini salutem. Hoc enim idem unum cum eo est, quod apud Matthæum et Marcum legitur: *Qui perseveraverit* sive *sustinuerit usque in finem, hic salvus erit.*

ANIMAS VESTRAS, id est vosmetipsos; nam si animas, omninò et corpora. De hâc voce diximus supra.

VERS. 20. — CUM primùm AUTEM. Nam secundò cùm videritis, non appropinquabit, sed præsens aderit desolatio, seraque erit fuga tum ex Judæâ tum ex Jerusalem.

CIRCUMDARI, circumdatam, circumcinctam, AB EXERCITU, abominando, nihil nisi desolationem portendente, Romano foris, Judaico intùs. Huic sensui favet quod Græcè legitur numero plurali *ab exercitibus.*

SCITOTE, agnoscite. Ne quis sibi blandiretur, spe auxilii à Deo dandi; quale datum est tempore Sennacherib, quando angelus Domini unâ nocte occidit in castris Assyriorum obsidentium Jerusalem centum octuaginta quinque millia virorum, 4 Reg. 19, v. 35; aut quale Antiochi tempore, quando, templo ab hoste contaminato, constantia ac virtus Machabæorum cuncta reparavit: *omnem spem mutationis in melius abstulit* Salvator, inquit Chrysostomus, hom. 77 in Matthæum; q. d.: Non liberabitur ab excidio, ut sæpiùs olim, sed scitote actum fore de illâ, quia prorsùs nudata sit Dei auxilio, et exitio devota, quod nihilo magis effugere poterit, quàm cœleste decretum rescindere.

QUIA APPROPINQUAVIT, quòd propinqua facta sit, quòd instet DESOLATIO, vastatio, eversio EJUS. Quadriennio circiter post, Jerusalem à Romanis quinquemestri obsidione expugnata, incendio periit ac subversa est, postquàm toto antè biennio semetipsam seditionibus confecisset.

VERS. 21. — TUNC. Cùm primùm videritis circumdari ab exercitu Jerusalem.

QUI IN JUDÆA SUNT, non solùm qui in Jerusalem, sed et qui in omni reliquâ Judæâ fuerint, quia non solius Jerusalem propinqua erit desolatio, sed ut metropolis, ita et reliquæ Judææ, adeòque prior vastabitur reliqua Judæa.

IN MEDIO EJUS, scilicet Judææ sunt; hoc idem est cum eo quod præcedit, *in Judæâ.* Dicit igitur: Tunc qui in Judæâ fuerint, fugiant ad montes, ad loca proxima Romanis confœderata; aut potiùs longè discedant ex eâ in alias regiones.

IN REGIONIBUS, exteris, qui peregrè agent.

IN EAM, Judæam. Contrarium quia fecerunt plurimi Judæorum, qui, cùm in exteris regionibus habitarent, eo anno in Jerusalem concesserunt, quo à Tito obsessa fuit, omnes perierunt. *Ab omnibus enim regionibus, ad azymorum diem festum congregati, bello subitò circumfusi sunt,* ait Josephus lib. 7 de Bello, cap. 17, et paulò post: *Tunc,* inquit, *velut in carcerem tota gens fato conclusa, et farta hominibus civitas, bello obsidebatur.*

VERS. 22. — DIES ULTIONIS, dies quibus atrox à Deo ultio seu pœna sumetur, de Jerusalem et universâ Judæâ, ejusque populo, tot seculis Deo rebelli,

et hoc tandem postremo seculo, interfectore ac pertinacissimo repudiatore Messiæ Salvatoris sui.

Hi sunt, qui sequentur paulò post primam illam Jerosolymorum obsidionem.

Ut impleantur, ad hoc ut impleantur, divinitùs ordinati ut in ipsis impleantur et sortiantur effectum,

Quæ scripta ac prædicta sunt per prophetas, de templi et Jerosolymorum subversione, de Judææ vastatione, denique de Judæorum exstirpatione ac reprobatione. De his enim multa scripta sunt in libris prophetarum, Isaiæ, Jeremiæ, Oseæ, Psalmis, aliisque; sed clarissimè scriptum est Dan. 9, v. 26 et 27 : *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio,* etc.; *et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Ad hunc locum præcipuè respicit hic evangelista, quem alii evangelistæ disertè citant. Nihil igitur his diebus fiet fortuitis hominum tumultibus; sed fient ea quæ Deus ultionum Dominus ab æterno decrevit, et postea per prophetas suos prædixit, atque ad posteritatis memoriam scribi mandavit. Nihil enim frustra scriptum aut prædictum est à prophetis, implebuntur tandem omnia, quamvis vindictam differat Deus, ut det locum hominum pœnitentiæ, Rom. 2, v. 4.

Vers. 23. — Pressura, necessitas, tribulatio. Interpres legit συνοχὴ, ut mox v. 25, quod est, coarctatio, anxietas, angustia. *Pressura* seu angustia, quam scilicet prægnantes et lactantes effugere non poterunt.

Magna, hujusmodi, quâ etiam matres infantes suos sint devoraturæ : quod accidisse in obsidione Jerosolymitanâ testatur Josephus, lib. 7, cap. 8.

Super terram, super hanc terram sive regionem Judaicam.

Et ira, calamitas, scilicet, ab irato Deo immissa, scilicet magna erit; et quidem major quàm aut fuerit à condito mundo aut futura sit, quod habent priores evangelistæ. Pressuram et iram conjungit, eò quòd Deus iratus immittat pressuras seu anxietates.

Populo huic, Græcè, *in populo hoc,* scilicet Judaico. Syrus, *super populum hunc.* In quam sententiam Josephus, lib. 6 de Bello, cap. 15 : *Deus,* inquit, *qui damnaverat populum, omnem viam salutis ad interitum eis verterat.*

Vers. 24. — Cadent, scilicet populus hic.

In ore, id est, acie, gladii; lethaliter morsi à gladio. Acies gladii, tam Hebræis quàm Græcis, *os* vocatur, quòd acie tanquàm ore gladius mordeat et occidat omnem carnem obviam. Interficientur, inquit, gladio, scilicet tum aliorum, tum maximè Romanorum. Quot millia Judæorum à Romanis fuerint interfecta, à solutâ per Cestium Jerosolymorum obsidione usque ad expugnationem Jerosolymorum per Titum, dictu impossibile est : aliquo tamen modo ex Josepho intelligitur. Mox enim à solutâ illâ obsidione, cùm elati animis Judæi, vellent Ascalonem expugnare, à præsidio *Romano* interempti sunt ex eis plures quàm 18 millia, lib. 3 de Bello, cap. 1. Postea Placidus tribunus, à Vespasiano in Galilæam præmissus, maximam multitudinem imbellioris turbæ Galilæorum interfecit, cap. 4; deinde Vespasianus ipse, Gadarâ expugnatâ, cunctos puberes peremit, cap. 6; in Japhæ debellatione, occidit 15 millia, cap. 11; in Jotapatæ excidio, 40 millia, cap. 13; in Joppe submersa sunt quatuor millia ducenti, cap. 15; in Tarichæis perierunt septem millia septingenti, cap. 19; in Gamalâ novem millia, lib. 4, cap. 3; Giscalensium duo millia, cap. 4; eorum qui ex Gadarâ fugerant, aliorumque tredecim millia, lib. 5, cap. 3; Gerasenorum mille, cap. 6. Idumæi recepti in civitatem Jerosolymorum, occiderunt civium octo millia quingentos, lib. 4, cap. ultimo; rursùs Zelotæ cum Idumæis, duodecim millia nobilium, lib. 5, cap. 1; denique mortuorum, tempore obsidionis Jerosolymorum à Tito, numerus fuit, undecies centum millia, lib. 7, cap. 17.

Captivi ducentur, qui reliqui fuerint. *Captivorum,* inquit Josephus, lib. 7 de Bello, cap. 17, *omnium qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta et septem millium est numerus.* Quod quidem de eo bello quod adversùs Jerusalem gestum est intelligo; nam priore bello adversùs Galilæam reliquamque Judæam gesto, recensuit idem auctor, captivorum ex Japha civitate numerum, duo millia centum et triginta, ex Jotapata mille ducentos, ex Tarichæis sex millia electorum juvenum, Neroni ad isthmum fodiendum missa, aliaque triginta millia cum quadringentis vendita, denique ex Gadarâ captos bis mille ducentos.

In omnes gentes, dispergendi proinde in omnes mundi partes. Captivorum enim alii ad opera damnati, missi sunt in Ægyptum, alii, qui formosiori essent corpore, triumpho Romæ celebrando servati sunt, plurimos robustos viribus elegit Titus, per provincias pugnaturos in theatris cum bestiis. Qui verò infra decimum et septimum ætatis annum essent, simul cum feminis venditi sunt, sed vilissimo pretio, eò quòd non reperirentur emptores, et quâ alerentur deesset annona. Hæc omnia ex Josepho intelliguntur. Ita porrò prædicit Christus, illos captivos ducendos in omnes gentes, et dispergendos in omnes mundi partes, ut nunquàm revocandi aut colligendi sint et patriæ restituendi, sed perpetuo damnandi exilio, idque ut hinc illorum in Christum perfidia, hinc justa Dei in illos ultio, versentur semper ob oculos omnium totius mundi gentium.

Et, itaque Jerusalem destituta natis suis, partim peremptis, partim in exilium abductis, calcabitur, id est, inhabitabitur; sed calcandi verbo hoc ampliùs subindicat Christus, quòd tanquàm vulgare oppidum habitabitur, nunquàm ampliùs splendori pristino restituendum.

A gentibus, Judæis exclusis. Redierunt quidem Judæorum aliqui Jerosolymam, conniventibus aliquot, post Vespasianum, imperatoribus, ita ut tandem multiplicati, rursùs Romanis rebellârint, sexaginta

circiter annis post illam Vespasianorum expugnationem, imperatore Ælio Adriano; sed *Rufus Judææ præsidens, armatâ manu sibi ab imperatore Adriano decretâ,* funditùs eos delevit. Quo ex tempore, *Judaica natio, non solùm à Jerosolymis, sed et ab omni finitimâ Jerosolymorum regione, repulsa est, cùm sanctione divinæ legis, tum constitutionibus et decretis ipsius Adriani, ita ut ne de excelsiore quidem prospectu, eminùs eis saltem, paternum solum, profanis obtutibus liceret inspicere; ipsique civitati magnâ ex parte* etiam structurâ *mutatæ,* Æliæ nomen datum est, *ut in Romanorum jus conversa, simul mutaret et situm et ritum et nomen.* Hæc ferè Eusebius, lib. 4 Histor. eccles., cap. 6.

Donec impleantur, consummentur, finiantur tempora nationum, tempora divinitùs præstituta gentibus, donec expleta fuerint tempora, quibus Deus passurus est Israelitas opprimi à gentibus; quæ quidem videntur fore æqualia temporibus mundi. Quasi dicat igitur, *ad hujus usque mundi finem,* Euthymio interprete. Nunquàm enim Judæis Jerusalem restituenda est; ut ad hodiernum usque diem non est restituta : sed, quod prædixit Daniel, *usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio,* Dan. 9, v. 27. Lucas clariùs loquitur de futurâ Jerosolymorum subversione, quàm reliqui evangelistæ : unde intelligere licet Christum non ita obscurè locutum fuisse apostolis, quin clariùs sua et Danielis verba sit interpretatus; evangelistarum aliis obscuriora, aliis clariora, verba referentibus; et Matthæum ac Marcum quidem, scribentes cùm longiùs adhuc abesset desolatio, conveniebat obscuriora scribere; Lucam, cùm propiùs abesset, clariora. Joannes post subversam Jerusalem scribens, horum mentionem non fecit, ne prophetiam, ex rebus jam gestis textam et fictam, Christo attribuisse crederetur, quod rectè observavit Chrysostomus cum suis, in Matthæum scribens : qui et hoc sapienter animadvertit, divinâ providentiâ factum fuisse, ut, non Christianus aliquis, sed Josephus Judæus, Christianis parùm æquus, scripserit historiam Belli Judaici, et prædicta omnia à Christo Salvatore nostro, verè evenisse, quanquàm præter opinionem suam, clarè testatus fuerit.

Vers. 25. — Et, post hæc, postquàm impleta fuerint tempora nationum. Transit ab excidio Jerosolymorum ad universale excidium mundi.

Erunt, et apparebunt mortalibus, signa, id est, prodigia admiranda, præter ordinem naturæ familiarem, eaque non tantùm non vulgaria, verùm etiam multò majora, illis quæ in his creaturis aliquando conspecta fuerant, memoriam omnium, imò cogitationem mortalium superantia.

In sole et luna et stellis, et in majoribus et in minoribus mundi luminibus. Nam, quod superiores evangelistæ clariùs explicant : *Sol obscurabitur, et luna non dabit splendorem suum, et stellæ cadent de cœlo.*

Et in terris erit pressura, angustia, anxietas, gentium omnium, non tantùm aliquorum hominum, sed omnium populorum. In maximâ animi anxietate versabuntur omnes qui tunc vivent in orbe terrarum.

Præ confusione seu perturbatione sonitus maris et fluctuum, id est, ex pavore quem concipient propter fragores horribiles et impetuosas commotiones ac sonitus aquarum maris. Pars ista hujus versiculi variè distinguitur et vertitur. Plerique hoc modo vertunt et distinguunt, *et in terris pressura gentium præ perplexitate, resonante mari et solo. Præ perplexitate,* in inopiâ consilii, in desperatione, simili illi quâ qui navigant afficiuntur, cùm mare æstuans et fremens minatur naufragium. Hæc versio præcedentibus jungit ἐν ἀπορίᾳ, quod nostra sequentibus, et id quod sequitur legit absolutè. Syrus interpretatur : *Et in terra angustia gentium et complosio manuum* (nam præ maximorum malorum subitò exorientium timore, complodere solent homines manus, væ sibimetipsis ominantes) *præ stupore sonitûs maris,* deinde subdit proximo versu : *Et commotio* (id quod respondet ei quod nos legimus, *et fluctuum*) erit, *quæ ejiciet animas hominum præ timore,* etc. Significatur hoc versu, mare verè insanum ac rabidum, miros mugitus ululatusque editurum, et miris agitandum procellis, tanquàm deplorans interitum suum; turbatis enim superioribus, cœlestibus, inquam, mirum non erit inferiora turbari : atque hinc simul et ex cœlestium luminarium exstinctione, anxios fore mortales omnes, etiam procul à mari degentes.

Vers. 26. — Arescentibus, exanimatis, ita ut exanimes reddantur homines et extabescant.

Præ timore et expectatione, præ timore quem gignet expectatio.

Quæ supervenient, eorum quæ superveniunt, malorum ingruentium.

Universo orbi, orbi terrarum. Facilè enim animadvertent, ex defectione solis, lunæ et stellarum, quorum occultâ virtute inferiora hæc conservari solent, simul et ex insolentibus maris ululatibus, cæterisque his conformibus, toti mundo, ac proinde etiam sibi, imminere interitum.

Nam virtutes, nam et virtutes. Superioribus hoc etiam accedet, quòd virtutes cœlorum miro modo agitandæ sint. Cùm timoris et exanimationis hominum causâ, inter cætera, fore prædicatur, commotio virtutum cœlestium, non fit verisimile virtutum nomine angelos intelligendos, sed potiùs cœlos ipsos et eorum facultates. Nisi fortè angelos intelligas commovendos in effectis ipsorum, quia omnia ipsi commovebunt : ut enim ipsis credita est administratio universi, ita ipsi auctores erunt totius commotionis universi.

Vers. 27. — Et tunc, brevi, postquàm hæc cœperint, videbunt, homines.

Filium hominis, me, eâ hominis formâ quâ jam sum. Cùm enim ascendit Christus in cœlum, non deposuit naturam humanam, sed clarificavit; judicabit itaque humanâ formâ, ut à judicandis omnibus judex ipse videatur.

Venientem, è summo cœlo.

In nube, vel *nubibus*; una enim nubes multis nubibus constare videtur.

Vers. 28. — His, signis seu prodigiis, in sole, lunâ, stellis, mari, cœlo incipientibus. His enim desinentibus seu factis, non appropinquabit redemptio, sed succedens aderit.

Respicite et levate, suspicite et attollite, scilicet vos, capita vestra in cœlum, quæ ob varias tribulationes antea demiseritis; hoc est, *bono animo estote*, quod Syrus vertit pro, *respicite*. Solent enim caput attollere et sursùm aspicere, qui bono ac læto sunt animo, et quibus spes affulget emergendi è malis; ut demittere caput et terram aspicere, qui tristi afflictoque sunt animo, et sine spe evadendi mala. In apostolis alloquitur justos et electos id temporis victuros, quibus conscientia bonum testimonium, Deus robur spei, dabit; quos opponens reliquis hominibus, animat et consolatur, monens ut ad imminentia æterna bona erigant et cogitationes et affectus, nec proinde accidentibus superioribus malis plus æquo tristentur aut metuant; q. d. : Si non eritis tunc omninò à timore alieni, atqui non erit vestrum, animis angi et concidere, timore arescere aut exanimari, quin potiùs contra, tristitiâ omni excussâ metuque deposito, hilarem præ vobis animum ferre, idque quò tristioribus ac majoribus antea hujus mundi malis subjacueritis. Ratio sequitur.

Quoniam hæc rerum mutatio, non in exitium vobis cedet, sed in salutem.

Appropinquat, adfutura reipsà, his brevi cessantibus.

Redemptio vestra, omnibus partibus absoluta, quam et tota creatura exspectat; Rom. 8, v. 23. « Suspicite, inquit Theophylactus, qui gravati estis corruptione, quasi libertate donandi. Nam ἀπολύτρωσις, « hoc est, redemptio vestra adest; hoc est, consummatio utriusque libertatis, animæ, inquam, et corporis. Præpositio enim ἀπὸ insinuare videtur perfectam à corruptione libertatem, quam et corpus « tunc accipiet, gratiâ Domini extremum inimicum « abolentis mortem. » Hæc ille. Redemptio nostra in eo consistit ut anima nostra à peccato, corpus à morte ac corruptione, anima et corpus ab hujus et futuri seculi miseriis ac malis, omnibusque peccati effectibus, liberentur. Hanc redemptionem nobis promeruit Christus, morte suâ oblatâ Patri, tanquàm pretio, hoc est, λύτρῳ : nos autem hujus participes reddimur, solùm propemodùm quod ad libertatem à peccato, in hâc mortali vitâ; porrò in novissimo judicii die, plenè perfectèque reddemur participes, et animâ et corpore, liberi non tantùm à peccato, verùm etiam ab omnibus peccati effectibus, adeòque perfectâ justitiâ et eâ dignis dotibus donati. Itaque Christo prædicationem auspicante, appropinquaverat etiam tunc redemptio nostra, tum quia mors Christi appropinquaverat, totius nostræ redemptionis fons, tum quia appropinquaverat Ecclesiæ ex hominibus collectio, quam Christus mox redditurus esset participem quod ad animam promeritæ à se redemptionis; sed instante die novissimo, appropinquabit omnium electorum perfecta redemptio, qualem mox descripsimus; quæ quidem magnam solatii materiam præbebit iis qui tunc vivent electis, id considerantibus inter pereuntis mundi calamitates et tumultus.

Vers. 29. — Dixit, dedit, proposuit illis discipulis suis similitudinem, quâ intelligere possent, quomodò propinqua foret ipsorum redemptio, cùm hæc fieri inciperent; nempe, quemadmodùm propinqua est æstas, quando arbores incipiunt germinare.

Videte, considerate. Alii vertunt *videtis* : anceps est enim ἴδετε.

Ficulneam seu ficum, et omnes arbores; aut aliam quamcumque arborem.

Vers. 30. — Cum producunt, cùm emiserint, protruserint, germinaverint.

Fructum, id est, gemmas et folia. Græcum verbum προβάλλειν Lucas hoc loco absolutè usurpat pro ἐκφύειν seu βλαστεῖν : supplere autem illud volens interpres tanquàm transitivè positum, addidit *fructum*, cùm potiùs debuisset *gemmas aut folia*, ex Matthæo et Marco, quæ tamen per *fructum* intellexisse credendus est, prout Richelius explicat, nisi *producunt* pro *promittunt* posuerit, ut alius quidam exponit; non enim propinqua, sed præsens et perfecta est æstas, quando arbores fructus ferunt. Porrò Nicolaus Zegerus, non parùm probabili conjecturâ existimat Latinæ editioni, cùm aliquid deesse videretur, à studioso quopiam adjectum fuisse τὸ *fructum*.

Scitis quoniam propè est æstas, βλέποντες ἀφ' ἑαυτῶν, γινώσκετε ὅτι ἤδη ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστὶν, videntes ex vobis ipsis, cognoscitis quòd jam propè sit æstas, id est, vos id videntes, ex re ipsâ intelligitis, etiamsi nemo admoneat, æstatem appropinquare. Interpres noster non legit τὸ, βλέποντες, *videntes*; τὸ verò, ἀφ' ἑαυτῶν, junxit cum *producunt*, vertitque, *ex se*. Syriaca hoc quidem, ἀφ' ἑαυτῶν, jungunt cum verbo, *scitis*, ut Græca; sed illud, βλέποντες, non magis legunt quàm Latina. Nihil enim aliud habent hoc versu Syra, quàm : *Quæ cùm germinant, statim ex ipsis intelligitis quòd propè sit æstas*. Quare et altera hoc loco Nicolai Zegeri conjectura admodùm probabilis redditur, quâ conjicit, ut mox Latinæ *fructum*, ita hìc Græcæ editioni, expositionis causâ, adjectum ab aliquo fuisse τὸ βλέποντες : hoc enim sublato, et sensus persistit incolumis, et editiones inter se conveniunt; siquidem illud ἑαυτῶν anceps est ad *seipsis* et *vobis ipsis*. Germinatio fici, ut effectus est solis nobis appropinquantis et incipientis calorem generare, cujus virtute, vitalis succus, qui antea præ frigoris rigore, in radicem se receperat, sursùm attractus per totum arboris corpus diffundatur; ita argumentum est solem brevi nobis proximum fore, et calorem summum cum serenitate rerumque omnium maturitate conjunctum, quæ est æstas, effecturum.

Vers. 31. — Hæc signa in sole, lunâ, etc.

Quoniam propè, quòd propè et præ foribus est regnum Dei, seu, quod mox v. 28, dixit, *redemptio vestra*; redemptio enim nostra erit regnum Dei, quod facile est intelligere ex descriptione regni Dei,

Matth. 3, v. 2. Quo loco cùm Joannes, et paulò post Christus, prædicationem auspicantes, prædicent regnum Dei appropinquàsse, quæstio nascitur, quomodò hìc dicatur appropinquaturum regnum Dei, quando instabit novissimus judicii dies? Respondendum est autem, illìc sermonem esse de regni Dei exordio seu inchoatione, hìc verò de perfectione, quando non aliqui, sed ad unum omnes electi, non ultra per mysteria aut per spem, sed per archetypa et rem ipsam, non in viâ, sed in patriâ, tam corpore quàm animâ beati, æternùm fruentur Deo: de quo regno etiam oratione Dominicâ precamur: *Adveniat regnum tuum.*

Vers. 32. — Amen. Quia dixerat *cùm videritis*, tanquàm apostoli ea essent visuri, quæ videri poterant diù, quippe in finem seculi, differenda: ne quis existimaret diù differenda esse ea omnia de quibus hactenùs locutus fuerat, tum illa de excidio Jerosolymorum et Judææ, tum illa de signis mundi finem præcessuris, gravi asseveratione, *ut fides esset certa futurorum*, inquit Hilarius, confirmat illa omnia eâ ipsâ generatione futura.

Quia non præteribit, nequaquàm præterire non possit, hoc est, minimè deficiet aut esse desinet.

Generatio hæc, hæc ætas et hoc hominum in me credentium genus. Quidam hujus generationis nomine intelligunt *eam ætatem*, quidam *genus fidelium seu Christianorum tunc recens ortum, cui Christus in apostolis loquebatur*, quæ posterior interpretatio est Origenis, Hilarii, Chrysostomi ejusque scholæ, et aliorum veterum, afferentium similem ex psalmo 23, v. 6, locum, quo viri innocui vocantur *generatio quærentium Dominum. Novit enim Scriptura*, inquit Chrysostomus, *non à temporibus solùm, sed etiam à piis moribus, generationem describere.*

Donec omnia, quæ prædixi hactenùs, vel de excidio Jerusalem, vel de fine seculi. Syrus addit, *hæc.*

Fiant; priùs fient hæc omnia, quàm generatio ista prætereat, quàm homines omnes hujus generationis moriantur aut esse desinant.

Vers. 33. — Cœlum quo nihil in rebus creatis firmius est, quod rectè quidam olim æneum dixit;

Et terra, quâ nihil immobilius aut constantius.

Transibunt tamen, seu *præteribunt*, id est, mutabuntur, esse desinent suo modo, non quidem secundùm substantiam, sed secundùm præsentem statum, quo serviunt rerum generationi et corruptioni, quem mutabunt cum meliore statu, Isa. 65, v. 17; 2 Pet. 3, v. 13; Apoc. 21, v. 1; non absque maximâ ipsorum et totius universi perturbatione, qualem mox descripsimus.

Verba autem mea, quæ hìc hactenùs feci, et alia quæcumque. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, psal. 144, v. 13.

Non transibunt, id est, non erunt inania, non fallent, non frustrabuntur eventu, nullo denique modo mutabuntur, sed omninò qualia dicta seu pronuntiata fuerint talia erunt, hoc est, quidquid prædixerint id omninò eveniet, et eodem prorsùs modo eveniet quo prædixerint, absque omni mutatione. Non enim de sono verborum Christi hìc agitur, qui utique transiit continuò, adeòque nihil velocius verbo, quod statim perit simul ac enuntiatum est; sed agitur de rebus per Christi verba significatis. Dicit igitur Christus, verba sua, cœlo et terrâ, firmissimis totius machinæ mundi corporibus, firmiora et constantiora esse; illa enim aliquando mutanda esse, quemadmodùm paulò ante docuerat; verba autem sua, talia prorsùs esse, quales sunt res ipsæ, nec ullam passura unquàm mutationem, etsi de rebus futuris loquantur, sed ita prorsùs implenda ut prænuntiârant, quod est, verba sua esse divinæ et incommutabilis veritatis, adeòque Dei verba, quibus proprium est *manere in æternum;* quod Isaias ait cap. 40, v. 8. *Deducta enim*, inquit Hilarius, *ex æternitate, id in se continent virtutis ut maneant: illa*, cœlum, inquam, et terra, *ex conditione creationis suæ, id est, profecta de nihilo, habent id in se necessitatis, ut mutari et non esse possint.* Nam quia multa hactenùs magnaque prædixerat Christus, et ea omnia futura, de quorum veritate, quamdiù non evenissent, non esset hominum, sed Dei solius judicare; ut pondus addat verbis suis minimè inanibus, fidemque à discipulis talem impetret, qualem illos adhibere æquum fuerat; ad hæc ne quis postea his verbis ipsius fidem detrahere auderet, si quorum judicio illa non implenda censerentur, eò quòd viderentur transgredi tempus (quod factum à quibusdam suo tempore fuisse testatur apostolus Petrus, 2 Epist. 3, v. 4), protestatur, verba sua divina, indubitata et infallibilia esse, quæque non evenire tam sit impossibile, quàm Deum à veritate et à seipso deficere. Hinc Victor Antiochenus in Marcum, imitatus, ut plerùmque aliàs, Chrysostomum in Matthæum: «Cùm Dominus, inquit, «de seculi consummatione (de re utique quæ apud «multos parùm recepta erat) verba faceret, in dicto«rum suorum fidem, cœli terræque soliditatem allegat, «perque hæc eadem totius universi se Dominum «esse, non absque potestate demonstrat.»

Vers. 34. — Attendite, adhibete animum, cavete. Postquàm prædixit terribilem judicii diem, monet discipulos suos, quomodò se muniant adversùs illum, ne noceat.

Graventur, deprimantur, deorsùm agantur.

Corda vestra, mentes, animi vestri.

In crapula, per crapulam, per comessationes, per intemperantiam cibi et potûs.

Curis, sollicitudinibus immodicis, hujus vitæ, versantibus circa res hujus vitæ, acquirendas, augendas, servandas, aut regendas. Crapulâ et ebrietate gravantur corpora hominum, ita ut ad lasciviam et somnolentiam duntaxat apta sint, ad nihil verò serium, sed multò magis gravantur corda, non solùm quamdiù corpora à crapulâ et ebrietate possidentur, verùm etiam si corpora libera sint; frequenti enim crapulâ ebrietateque fit ut hebescat cor, animus totus in hujus vitæ voluptatibus sit, quasi in carne sepultus, nequeat mens assurgere ad contemplanda desiderandave cœlestia, sed oppressa desideriis carnis, nihil nisi hujus vitæ delicias cogitet: *quando evigilabo, et*

rursùs vina reperiam ac mensam stratam? Prov. 23, v. 35. Curæ verò seculares gravant hominum corda, *animum absorbent mentemque demergunt*, quod ait Euthymius, quia secularibus negotiis implicita corda, non sinunt cogitare de salute animæ, non concedunt aut locum aut tempus. *Vitæ hujus cura,* inquit Titus, *crapula item et ebrietas, homini intellectum adimunt, fidem obscurant, et earum rerum quæ sunt utiles ac necessariæ oblivionem inducunt.*

Et superveniat in vos, ita ut occupet vos dies illa judicii. Sic semper agit de die judicii cum discipulis suis Christus, tanquàm ipsorum tempore futuro.

Repentina, præter exspectationem et opinionem, id est, ne inveniat vos imparatos. Addicti comessationibus et ebrietatibus, aut distracti ultra modum in negotia hujus vitæ, non sunt idonei illi, ut corda sursùm elevent ad prospiciendum judicii diem, et parent se ad excipiendum illum bono suo, sed nec opinantes nec exspectantes, prorsùsque imparatos, opprimet perdetque æternùm.

Vers. 35. — Enim ; datur ratio cur attendere et meritò cavere sibi debeant.

Tanquam laqueus. Laqueo furtivè posito capiuntur aves improvidæ, atque ita capiuntur ut extricare se nequeant aut evadere. Tanquàm laqueus ergo, id est, ex improviso.

Superveniet. Syrus *illaqueabit,* involvet, scilicet dies illa, ita ut effugii aut salutis nulla sit spes.

Qui sedent, habitant, agunt. Nam habitare et sedere, utrumque uno Hebraico verbo *iasab* declaratur.

Super faciem, in superficie omnis, totius terræ, id est, in omnes homines ubicumque tandem terrarum egerint, nec scilicet prospexerint et exspectârint hunc diem, caverintque ab iis quæ reddere possint imparatos ad illum, quales erunt plerique omnes. Nam sicut in diebus Noe et Loth, edebant, bibebant, etc., ita erit et illo die instante. Vide supra, cap. 17, v. 27.

Vers. 36. — Omni tempore. Ad utrumque refertur, tam ad *vigilate,* quàm ad orantes ; nam omni tempore et vigilandum et orandum est : additur autem vigiliæ oratio, eò quod sine auxilio gratiæ Dei, nemo se semper paratum tenere queat ; idcircò illud omni tempore invocandum est ; *omni tempore,* opportuno, id est, perseveranter. Quia obrepunt frequenter variæ carnis illecebræ, quibus sopiri queant mentes, maximâ vigilantiâ opus est : quia etiam nobis ipsi non sufficimus, sed à Deo suppetias petere oportet, necessariæ sunt preces.

Ut digni habeamini, judicemini. Vigilate *ut digni habeamini,* orantes *ut digni habeamini.* Qui vigilaverint et oraverint assiduè, digni erunt qui effugiant, etc., indigni, qui vigilare et orare contempserint, ac proinde nec effugient, etc. Isti indigni erunt, suo malo merito ; illi digni, bono suo merito, suffragante Dei gratiâ comparato.

Fugere, effugere, ne instar laquei vos involvant.

Omnia, illa pericula ac mala, signanter æternum supplicium, quod reprobis irrogabitur.

Stare, consistere, scilicet intrepidè, securè, ita apparere, ut intrepidè possitis vultum et sententiam judicis sustinere. Sap. 5, v. 1 : *Tunc stabunt justi in magnâ constantiâ.*

Ante Filium hominis, ante me, ante tribunal meum, futuri omnium judicis, quandocumque tandem apparituri : qui ut nunc vilis inter homines habitus, magnâ lenitate ad pœnitentiam omnes provoco, ita tunc gloriosè revelatus, magnâ severitate omnes judicabo. Illud judicium meum confidenter sustinebunt, qui ad illud exspectatum, continuis vigiliis et orationibus paratos se tenuerint. *Hisce non erit dies ille laqueus, sed festivus,* ait Theophylactus.

Vers. 37. — Erat, scilicet à solemni suo in Jerusalem ingressu, diebus nempe dominico, Lunæ et Martis, fortè etiam Mercurii.

Diebus, id est, interdiù, non cessans benefacere iis à quibus se noverat occidendum.

Noctibus, id est, noctu.

Exiens, templo et civitate.

Morabatur, diversabatur, intentus orationi. *Noctu secedebat in montem,* ait Theophylactus, *monstrans nobis quòd oporteat, nocte quidem per quietem colloqui cum Deo, die autem morem gerere et prodesse hominibus.*

Oliveti, Græcus, *olivarum.* Syrus, *qui vocatur domus olivarum,* id est, olivetum. Atqui Matthæus, cap. 21, v. 17, scribit quòd sub vesperam diei primi, quo fuerat in civitatem solemni cum pompâ ingressus, id est, Dominici, exierit civitate in Bethaniam, ibique manserit. Respondent aliqui quòd è Bethaniâ, post sumptam cœnam, redierit orationis causâ in montem Oliveti (erat enim mons Oliveti situs medio itinere inter Jerosolymam et Bethaniam, ab utrâque distans septem circiter stadiis), quod cùm indubium sit, de diebus, Lunæ, Martis et Mercurii, de dominico non perinde statui potest, eò quòd Marcus disertè affirmet, postridie diei dominici manè, è Bethaniâ Christum rediisse in civitatem, cap. 11, v. 12. Vel igitur, id quod Lucas hìc dicit, de solis noctibus dierum Lunæ, Martis, et Mercurii, intelligendum est ; vel, si etiam de nocte sequente dominicum diem, dicendum versatum tunc in eo monte Dominum, antequàm in Bethaniam concederet, aut adeò profundo mane egressum Bethaniâ, ut bono temporis spatio hæserit in monte Oliveti, antequàm civitatem ingrederetur. Ita totum se Christus dedit, interdiù laboribus, noctu orationibus, minimùm temporis somno impartiens. « Quæ verbis præcepit, » inquit Beda, « confirmat exem« plis. Nam impendente suæ tempore passionis, do« ctrinæ, vigiliæ, et precibus instat, eos pro quibus « passurus erat, vel verbo ad fidem provocans, vel « Patri oratione commendans. »

Vers. 38. — Manicabat. Vox Latina insueta, quam plerique exponunt, *manè ibat,* seu, *diluculò veniebat ;* fortè rectiùs exponatur, *manè aderat,* diluculò præstò erat : nam vox Græca ex quâ vertitur, non tam significat diluculò venire aut surgere, quàm diluculò aliquid facere. « Si quis vidisset populum ita manè ad

« audiendum confluentem, » inquit Theophylactus, « diceret congruere illud Davidis : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, psal. 62, v. 2. » Quo loco psalmi etiam legitur ὀρθρίζω, et transfertur *de luce vigilo*. Par doctoris et auditorum diligentia.

Ad eum, id est, apud eum ; si *manicabat* interpreteris, *manè aderat* cui adjungitur id quod sequitur, *in templo?* Quòd si interpreteris *manè ibat*, seu *veniebat*, *ad eum* quidem propriè accipiendum est, sed *in templo* jungendum sequentibus est.

Audire, ut audiret eum. Syrus, *sermonem ejus*, vide supra 19, v. 48.

CAPUT XXII.

1. Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha ;

2. Et quærebant principes sacerdotum et scribæ quomodò Jesum interficerent : timebant verò plebem.

3. Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim.

4. Et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum, et magistratibus, quemadmodùm illum traderet eis.

5. Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare.

6. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis.

7. Venit autem dies azymorum, in quâ necesse erat occidi pascha.

8. Et misit Petrum et Joannem, dicens : Euntes, parate nobis pascha, ut manducemus.

9. At illi dixerunt : Ubi vis paremus ?

10. Et dixit ad eos : Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans : sequimini eum in domum in quam intrat,

11. Et dicetis patrifamiliâs domûs : Dicit tibi Magister : Ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis meis manducem ?

12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi parate.

13. Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha.

14. Et cùm facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo.

15. Et ait illis : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequàm patiar.

16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

17. Et accepto calice, gratias egit, et dixit : Accipite, et dividite inter vos.

18. Dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

19. Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem.

20. Similiter et calicem, postquàm cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

21. Verùmtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensâ.

22. Et quidem Filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit : verùmtamen væ homini illi per quem tradetur.

CHAPITRE XXII.

1. Or la fête des azymes appelée la Pâque était proche ;

2. Et les princes des prêtres, avec les scribes, cherchaient les moyens de faire mourir Jésus : mais ils craignaient le peuple.

3. Cependant Satan entra dans Judas surnommé Iscariote, l'un des douze,

4. Qui s'en alla aussitôt conférer avec les princes des prêtres et les officiers du temple, des moyens de le leur livrer.

5. Ils en furent fort aises, et ils convinrent de lui donner une somme d'argent.

6. Et il engagea sa parole ; et il cherchait l'occasion favorable de le leur livrer en l'absence du peuple.

7. Or le jour des azymes arriva, auquel il fallait immoler la pâque.

8. Et Jésus envoya Pierre et Jean, et leur dit : Allez nous préparer la pâque, afin que nous la mangions.

9. Ils lui dirent : Où voulez-vous que nous la préparions ?

10. Il leur répondit : En entrant dans la ville, vous rencontrerez un homme portant une cruche d'eau ; suivez-le dans la maison où il entrera,

11. Et dites au maître de cette maison : Le Maître vous demande : Où est le lieu où je mangerai la pâque avec mes disciples ?

12. Et il vous montrera une grande chambre toute meublée ; faites-y vos dispositions.

13. S'en étant donc allés, ils trouvèrent tout ce qu'il leur avait dit, et ils préparèrent la pâque.

14. Et quand l'heure fut venue, il se mit à table, et les douze apôtres avec lui.

15. Et il leur dit : J'ai désiré avec ardeur de manger cette pâque avec vous, avant de souffrir.

16. Car je vous déclare que je n'en mangerai plus désormais, jusqu'à ce qu'elle ait eu son accomplissement dans le royaume de Dieu.

17. Ensuite prenant la coupe, il rendit grâces, et dit : Prenez-la, et la distribuez entre vous.

18. Car je vous dis que je ne boirai plus du fruit de la vigne, jusqu'à ce que le règne de Dieu soit arrivé.

19. Puis il prit le pain, et ayant rendu grâces, il le rompit, et le leur donna, en disant : Ceci est mon corps, qui est donné pour vous : faites ceci en mémoire de moi.

20. Il prit de même la coupe après avoir soupé, en disant : Ce calice est la nouvelle alliance en mon sang, qui sera répandu pour vous.

21. Au reste, la main de celui qui me trahit, est avec moi à cette table.

22. Pour ce qui est du Fils de l'homme, il s'en va selon ce qui a été déterminé ; mais malheur à cet homme par qui il sera trahi.

23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset.

24. Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.

25. Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum ; et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.

26. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor ; et qui præcessor est, sicut ministrator.

27. Nam quis major est, qui recumbit an qui ministrat ? nonne qui recumbit ? Ego autem in medio vestrùm sum, sicut qui ministrat.

28. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.

29. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum,

30. Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.

31. Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum :

32. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

33. Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire :

34. At ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodiè gallus, donec ter abneges nôsse me. Et dixit eis :

35. Quandò misi vos sine sacculo, et perâ, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis ?

36. At illi dixerunt : Nihil. Dixit ergo eis : Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter et peram : et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.

37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me : Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent.

38. At illi dixerunt : Domine, ecce duo gladii hìc. At ille dixit eis : Satis est.

39. Et egressus, ibat secundùm consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli.

40. Et cùm pervenisset ad locum, dixit illis : Orate, ne intretis in tentationem.

41. Et ipse avulsus est ab eis quantùm jactus est lapidis : et positis genibus orabat,

42. Dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum à me ; verùmtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

43. Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agoniâ, prolixiùs orabat.

44. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

45. Et cùm surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitiâ.

46. Et ait illis : Quid dormitis ? Surgite, orate, ne intretis in tentationem.

23. Et ils commencèrent à s'entre-demander qui était celui d'entre eux qui devait faire une telle action.

24. Il s'excita aussi parmi eux une contestation, lequel d'entre eux devait passer pour le plus grand.

25. Et il leur dit : Les rois des nations les traitent avec empire ; et ceux qui ont autorité sur elles, en sont appelés les bienfaiteurs.

26. Pour vous, n'en usez pas de même ; mais que celui qui est le plus grand parmi vous, devienne comme le plus petit ; et que celui qui gouverne, soit comme celui qui sert.

27. Car qui est le plus grand de celui qui est à table, ou de celui qui sert ? n'est-ce pas celui qui est à table ? Et moi cependant, je suis parmi vous comme celui qui sert.

28. C'est vous qui êtes toujours demeurés fermes avec moi dans mes tentations.

29. Aussi je vous prépare le royaume, comme mon Père me l'a préparé ;

30. Afin que vous mangiez et que vous buviez à ma table dans mon royaume, et que vous soyez assis sur des trônes pour juger les douzes tribus d'Israël.

31. Le Seigneur dit ensuite : Simon, Simon, Satan a demandé à vous cribler tous, comme on crible le froment ;

32. Mais j'ai prié pour vous en particulier, afin que votre foi ne défaille point : lors donc que vous aurez été converti, ayez soin d'affermir vos frères.

33. Pierre lui répondit : Seigneur, je suis prêt à aller avec vous, et en prison, et à la mort.

34. Mais Jésus lui dit : Pierre, je vous déclare que le coq ne chantera point aujourd'hui que vous n'ayez nié trois fois que vous me connaissiez. Puis il leur dit :

35. Quand je vous ai envoyés sans bourse, sans sac et sans souliers, avez-vous manqué de quelque chose ?

36. De rien, lui dirent-ils. Jésus ajouta : Mais maintenant que celui qui a un sac, ou une bourse, la prenne ; et que celui qui n'en a point, vende sa robe pour acheter une épée.

37. Car je vous assure qu'il faut encore qu'on voie s'accomplir en moi ce qui a été écrit : Il a été mis au rang des scélérats ; car les choses qui ont été prophétisées de moi vont s'accomplir.

38. Ils lui répondirent : Seigneur, voici deux épées. Et Jésus leur dit : C'est assez.

39. Puis étant sorti, il s'en alla, selon sa coutume, à la montagne des Oliviers, et ses disciples le suivirent.

40. Lorsqu'il fut arrivé en ce lieu, il leur dit : Priez, afin que vous n'entriez point en tentation.

41. Ensuite il s'éloigna d'eux environ d'un jet de pierre ; et s'étant mis à genoux, il priait,

42. En disant : Mon Père, si vous voulez, éloignez ce calice de moi ; néanmoins que ce ne soit pas ma volonté qui se fasse, mais la vôtre.

43. Alors il lui apparut un ange du ciel pour le fortifier ; et étant tombé en agonie, il redoublait ses prières.

44. Et il lui vint une sueur comme de gouttes de sang, qui découlaient jusqu'à terre.

45. Il se leva ensuite du lieu où il priait, et il vint à ses disciples qu'il trouva endormis accablés de tristesse.

46. Il leur dit : Pourquoi dormez-vous ? Levez-vous, et priez, afin que vous n'entriez point en tentation.

47. Adhuc eo loquente, ecce turba; et qui vocabatur Judas unus de duodecim, antecedebat eos, et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum.

48. Jesus autem dixit illi : Juda, osculo Filium hominis tradis?

49. Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio?

50. Et percusssit unus ex illis servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus dexteram.

51. Respondens autem Jesus, ait : Sinite usque hùc. Et cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.

52. Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores : Quasi ad latronem exîstis cum gladiis et fustibus?

53. Cùm quotidiè vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me ; sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.

54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum ; Petrus verò sequebatur à longè.

55. Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.

56. Quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat.

57. At ille negavit eum, dicens : Mulier, non novi illum.

58. Et post pusillùm alius videns eum, dixit : Et tu de illis es. Petrus verò ait : O homo, non sum.

59. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens : Verè et hic cum illo erat : nam et Galilæus est.

60. Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente, cantavit gallus.

61. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : quia priusquàm gallus cantet, ter me negabis.

62. Et egressus foras Petrus flevit amarè.

63. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.

64. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus; et interrogabant eum, dicentes : Prophetiza quis est qui te percussit.

65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

66. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes : Si tu es Christus, dic nobis.

67. Et ait illis : Si vobis dixero, non credetis mihi.

68. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.

70. Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei? Qui ait : Vos dicitis, quia ego sum.

71. At illi dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus.

47. Il parlait encore lorsqu'une troupe de gens parut ; et à leur tête marchait un des douze, appelé Judas, qui s'approcha de Jésus pour le baiser.

48. Et Jésus lui dit : Quoi, Judas ! vous trahissez le Fils de l'homme par un baiser?

49. Cependant ceux qui étaient autour de lui, voyant bien ce qui allait arriver, lui dirent : Seigneur, frapperons-nous de l'épée?

50. Et l'un d'eux frappa un des gens du grand-prêtre, et lui coupa l'oreille droite.

51. Mais Jésus prenant la parole, dit : Laissez, demeurez-en là. Et ayant touché l'oreille de cet homme, il le guérit.

52. Puis s'adressant aux princes des prêtres, aux ministres du temple, et aux sénateurs qui étaient venus pour le prendre, il leur dit : Vous êtes venus comme pour prendre un voleur, avec des épées et des bâtons.

53. J'étais tous les jours avec vous dans le temple ; et vous ne m'avez point arrêté : mais c'est ici votre heure et la puissance des ténèbres.

54. Or eux se saisissant de lui, ils l'emmenèrent en la maison du grand-prêtre ; et Pierre le suivait de loin.

55. Et un feu ayant été allumé au milieu de la cour, et les gardes s'étant assis autour, Pierre s'assit aussi parmi eux;

56. Et une servante qui le vit assis devant le feu, le considéra attentivement, et dit : Celui-ci était aussi avec cet homme.

57. Mais Pierre le renonça, en disant : Femme, je ne le connais point.

58. Un peu après un autre le voyant, lui dit : Vous êtes aussi de ces gens-là. Pierre lui dit : Mon ami, je n'en suis point.

59. Environ une heure après, un autre assurait, disant : Celui-ci était certainement avec lui, car il est de Galilée.

60. Pierre répondit : Mon ami, je ne sais ce que vous dites. Aussitôt, comme il parlait encore, le coq chanta.

61. Et le Seigneur se retournant, regarda Pierre ; et Pierre se souvint de cette parole que le Seigneur lui avait dite : Avant que le coq ait chanté, vous me renoncerez trois fois.

62. Et Pierre étant sorti, pleura amèrement.

63. Cependant ceux qui tenaient Jésus, se moquaient de lui en le frappant.

64. Et lui ayant bandé les yeux, ils lui donnaient des coups sur le visage, et l'interrogeaient en lui disant : Prophétise qui est celui qui t'a frappé.

65. Et ils disaient encore beaucoup d'autres choses, en blasphémant contre lui.

66. Dès qu'il fut jour, les sénateurs du peuple, les princes des prêtres et les scribes s'assemblèrent ; et l'ayant fait amener dans leur conseil, ils lui dirent : Si vous êtes le Christ, dites-le-nous?

67. Il leur répondit : Si je vous le dis, vous ne me croirez point.

68. Et si je vous interroge, vous ne me répondrez point, et ne me laisserez point aller.

69. Mais désormais le Fils de l'homme sera assis à la droite de la puissance de Dieu.

70. Ils lui dirent tous : Vous êtes donc le Fils de Dieu? Il leur répondit : Vous le dites, je le suis.

71. Alors ils dirent : Qu'avons-nous encore besoin de témoins, puisque nous l'avons entendu nous-mêmes de sa propre bouche?

VERS. 1. — APPROPINQUABAT, dùm superiora à Jesu docerentur et gererentur.

DIES FESTUS, festum, quod quidem constabat diebus septem, sed primo solemnissimo ac celeberrimo, qui *appropinquabat,* quia non aberat nisi biduo, quod constat ex prioribus evangelistis.

AZYMORUM, in quo non licebat vesci nisi azymo pane.

QUI DICITUR, qui celebri nomine vocatur PASCHA. Tota hebdomada *Pascha* vocabatur ; vocabatur et *Azyma ;* sed prima vespera propriè *Pascha,* dies subsequentes *Azyma.* Vide supra, cap. 2, v. 41.

VERS. 2. — QUÆREBANT , dispiciebant , consultabant inter se.

QUOMODO, dolone an vi manifestâ, comprehenderent ; et si dolo, quâ doli ratione ; deinde, die festo proximo, an aliàs neci darent.

INTERFICERENT, è medio tollerent. Relinquit evangelista subaudiendum *tenerent,* seu *comprehenderent,* tanquàm necessariò prævium interfectioni.

TIMEBANT VERO, *enim,* est Græcè et Syriacè. Causa anxiè quærendi modi, erat, quòd timerent *plebem,* ne illa Jesum eriperet ex manibus ipsorum et à morte liberaret, si vel publicè comprehenderent, vel die festo interficerent eum. De cæteris jamdudùm egimus.

VERS. 3. — INTRAVIT AUTEM, etc., q. d. evangelista : Hoc modo assecuti sunt principes quod volebant. Non intravit in corpus Judæ, ita ut eum insanire faceret, aut agitaret sicut dæmoniacos solet, quod notat Euthymius : multò minùs illapsus est in animam Judæ, *quasi aditum cordis ejus introiens,* quod est solius Dei trinitatis, doctore Didymo sub finem libri 3 de Spiritu sancto : nec vi violentiâque occupavit invitum, impellens et cogens ad scelus perpetrandum, quod negat Titus in Catenâ citatus ; sed intrâsse in Judam dicitur, quia pravis suggestionibus animum illius sollicitans, et quasi ostium cordis ejus pulsans, illo sponte aperiente, locumque in se dante, Ephes. 4, v. 27 ; obtinuit animum, voluntatem, sive consensum ejus, ad scelus perpetrandum quod suggerebat. *Quomodò enim intrat in cor,* inquit Augustinus libri 3 de Consensu evangelistarum capite primo, *nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationum iniquarum ?* Hoc primum significatur hâc phrasi ; consequenter verò hoc ampliùs significatur , quòd, quemadmodùm ubi in domum tuam admiseris hostem, dominatur ille tibi, agitque tecum et cum rebus tuis sicut visum ipsi fuerit ; ita Satanas ubi obtinuerit animum alicujus, *captivum eum teneat pro suâ voluntate,* 2 Timoth. 2, v. 26, et tanquàm servo utatur, 2 Pet. 2, v. 19, *operans in filio diffidentiæ,* Ephes. 2. v. 2 ; non quidem adhuc cogens invitum, sed voluntatem ejus retinens sibi addictam, ita ut, nisi Deo illum domo cordis exigente, tyrannidem illius effugere impossibile sit. Satanas itaque, observans ex plurium operationum signis, *ad quæ potissimùm Judæ cor vitia esset proclive,* quod ait Didymus , *deprehendit eum patere insidiis avaritiæ ;* itaque *misit in cor ejus,* ut loquitur Joannes cap. 13, v. 2, ut proderet præceptorem suum, propositâ spe lucri maximi, quod ab illius hostibus consequi posset, illius loco cujus jacturam fecerat in prodigâ illâ unguenti pretiosissimi per Magdalenam profusione, Matth. 26, v. 9. Ad hanc rem, ut verè erat avarissimus Judas, facilè obtinuit Satanas consensum ejus, ita ut is victus argenti cupiditate fœdissimâ, satanicum reciperet consilium, et, everso Dei metu pudoreque excusso, apud se statueret Jesum hostibus prodere, denique Satanæ potestatem suî faceret, paratus agere quidquid ille agendum dictaret, ad hoc facinus consummandum ; hoc est Satanam intrâsse in Judam.

SATANAS , hominum adversarius. Tanta fuit hujus sceleris impietas , quantam , nisi Satanâ suggerente , non videatur Judas admissurus fuisse ; sed Deus, pro suâ admirabili prudentiâ bonitateque, malitiam adversarii hominum vertit in ministerium salutis hominum. Quod verò jam Satanam in Judam intrâsse refertur, non significat quòd Dei Spiritus Judam hactenùs rexerit : quia nisi antea etiam mancipium fuisset Satanæ, furtis addictus non fuisset, quod Joannes de ipso narrat, cap. 12, v. 6; nec longè ante dixisset de ipso Jesus , Joan. 6, v. 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est ?* Sed jam intrâsse in ipsum dicitur, quia novum et quidem cæteris omnibus immanius scelus jam ipsi persuasit. Quemadmodùm enim toties quis repleri dicitur Spiritu sancto, quoties gratiâ Spiritûs sancti agitur ad novum, ac præsertim insigne aliquod exercitium virtutis; ita toties in quempiam intrare eumve occupare dicitur Satanas, quoties ad novum peccatum, ac præsertim insigne aliquod scelus, perpetrandum obtinet illius consensum.

VERS. 4. — ET ABIIT, qui abiit proinde, secutus satanicum consilium.

MAGISTRATIBUS , ducibus, præfectis, scilicet templi. Hoc enim additur infra, v. 52, ubi etiam hi distinguuntur manifestè à principibus sacerdotum, et à senioribus, id est, magistratu populi. Quidam existimant hos fuisse duces militum ad templi custodiam ex sacerdotibus populoque Judaico electorum, quibus favere videtur Syrus vertens : *Magistris militiæ* (vel *exercitûs) templi ;* sed Romani nullam videntur militiam, hoc quidem tempore, Judæis permisisse : nam pro ipsius templi foribus , ad sedandos si qui orirentur tumultus, suos ipsorum milites collocabant , Josephus, lib. 20 Antiq., cap. 4 , præter perpetua, quæ in arce Antoniâ habebant, præsidia , de quibus Josephus, lib. 6 de Bello, cap. 6, in hæc verba : *Semper in eâ Romani milites residebant, et cum armis appositi custodes, ne quid populus festis diebus novi committeret, observabant. Castrum enim erat impositum, oppido quidem templum, templo verò Antonia.* Fieri quidem potest ut etiam sacerdotibus incubuerit templi custo-

diendi cura, sed non ne quis oriretur populi tumultus, verùm ne templum ab aliquo pollueretur, quemadmodùm illud Samaritani aliquando nocte paschæ apertum contaminaverant, clàm sparsis hùc illùc ossibus mortuorum, quod narrat Josephus, lib. 18 Antiq., cap. 6. Verùm, ut credibile est sacerdotes vicissim id muneris obiisse, ita non est credibile, qui id obirent, peculiari alicui magistratui cui non reliqui sacerdotes, subfuisse, nisi fortè quamdiù id muneris, templi, inquam, adversùs injurias custodiendi obirent. Josephus enim, lib. 7 de Bello, cap. 12, refert, à custodibus mox nuntiatum magistratui, dùm valvæ templi nocte subitò spontèque fuissent apertæ. Verosimillima est igitur Theophylacti sententia, qui *magistratus* hoc loco intelligit, præfectos ædificiis templi, tales ferè quales Romani æediles et æedituos, nos vulgò vocamus magistros fabricæ. Ut enim erat vastum templum, et innumeris ædificiis instructum; ita semper erat quòd illìc ædificaretur, sive ad restauranda et amplificanda vetera ædificia, sive ad nova construenda, adeò ut Josephus, lib. 20 Antiq., cap. 8, testetur octodecim opificum millia solita in templo ex operarum mercedibus victum quærere. Isti itaque operibus operisque præerant, locabant atque exigebant sarta tecta templi, et ædem sacram procurabant ac tuebantur. Quoniam autem magna hæc erat dignitas, præcipuorum tum ex sacerdotibus tum ex populo, probabile est (Joas enim rex, cùm in restaurandis sartis tectis templi negligentiores essent sacerdotes, transtulerat id officii in alios, aut certè alios delectis à se sacerdotibus adjunxerat, 4 Regum 12, v. 8, 10); idcircò et hi in concilium advocati fuerunt, ubi agebatur de perdendo Jesu, tanquàm templi legisque adversario. Syrus his addit scribas, hoc modo : *Et locutus est cum principibus sacerdotum, et scribis, et magistris exercitûs templi.*

Quemadmodum. Illi de modo erant solliciti quo Jesum dolo capere possent : Judas explicuit illis modum, quo id facilè facturi essent se duce.

Vers. 5. — Gavisi sunt, valdè, quòd cùm solliciti essent de modo, quo Jesum possent dolo tenere, tam opportunus ipsis offerretur modus, quàm erat iste, domestici familiarisque discipuli proditionem meditantis, quam is commodè, sine tumultu ac strepitu, videbatur perficere posse. *Gavisi* itaque *sunt*, quòd præter exspectationem invenissent tam idoneum sceleri perficiendo. *Gavisi sunt autem*, inquit Euthymius, *non solùm quia ipsum sine tumultu comprehensuri erant, opportunè à Judâ traditum, verùm etiam quia à suis discipulis odio haberi inciperet.* Ut enim ipsorum votis commoda, ita Jesu infamis fore videbatur hæc ratio, ut à quo descisceret quemque proderet proprius discipulus, quod non sine justâ causâ fieri, vulgò facilè persuasum foret.

Pacti sunt, conventione initâ promiserunt.

Pecuniam certam illi dare, se daturos.

Vers. 6. — Et spopondit. Ille verò spopondit, promisit, obligavit se, ἐξωμολόγησε, ὁμολογεῖν ad verbum declarat, paribus verbis loqui, ut ii solent qui petentibus assentiuntur. Itaque licet τὸ ἐξομολογεῖσθαι, alibi declaret palàm profiteri, hìc ad mutuam stipulationem refertur, in quâ principes rogârunt : spondes te hoc pretio traditurum eum nobis? Judas respondit : Spondeo. Euthymius : *Spopondit*, inquit, *sive firmiter pactum fecit, è corde promittendo se facturum quod statutum erat : ita enim capitur* ἐξωμολόγησε. Non absimiliter Theophylactus.

Ut traderet seu proderet illum eis sine turbis, Græcè, *sine turbâ*, id est, vel clam populo, vel sine tumultu : nam utrumque significat *turba*, multitudinem et tumultum. Sensus utrumque desiderat intelligi, cùm abesset populus qui tumultum excitare posset; hoc præfati fuerant principes. Quamobrem observavit Judas nocturnum tempus, quo Jesum solum cum discipulis in horto, et quidem extra civitatem, noverat esse.

Vers. 7. — Venit, Græcè aoristus pro præterito plus quàm perfecto, *advenerat.*

Dies primus azymorum, id est, dies decimus quartus primi mensis, à cujus vesperâ incipiebant azyma.

In qua die necesse erat, oportebat, scilicet ex præscripto legis et consuetudine populi Judaici.

Occidi, mactari, sacrificari; *immolari* vertit secundùm Marcum.

Pascha, id est, agnum paschalem: *pascha* alibi accipitur pro die festo, hìc pro agno qui eo die consueverat immolari. Ad parandum autem, erat inprimis apostolis emendus agnus masculus anniculus et immaculatus. Quod enim præcipitur Exodi 12, v. 3, ut jam inde à decimâ die mensis, unusquisque sibi seligat hujusmodi agnum, quem die decimâ quartâ ad vesperam immolet, non fuit præceptum nisi illius temporis : cùm enim sæpè repetatur præceptum immolandi phase, nusquàm hoc repetitur in lege. Quare cùm dispersus jam esset Israel per terram promissam, imò per orbem universum, iis qui habitabant extra eum locum quem elegerat Dominus, sufficiebat eò convenire die decimâ quartâ, et emptum illìc agnum immolare, ita ut non dubium sit quin cives Jerosolymitani magnam in eum diem paratam habuerint agnorum hujusmodi copiam, quos venderent foris advenientibus fratribus. Erat itaque apostolis inprimis emendus agnus; deinde erat et mactandus. Nam quamvis videatur non potuisse emi à lanionibus, mactatus, excoriatus, et ad veru paratus, sed vel à sacerdotibus vel ab ipsis familiis fuisse mactandus (*pascha* enim, quod ait Philo, sub finem libri de Decalogo, *populariter singuli sacrificant, non exspectatis sacerdotibus, ipsi permissu legis hìc fungentes sacerdotio*), non tamen necesse erat ut omnes ejus familiæ, quæ agnum comestura erat, interessent mactationi : sufficiebat eum ab aliquibus ex familiâ mactari nomine omnium (nam consistebat hoc sacrificium in manducatione magis quàm in immolatione), ut hìc videmus Jesum cum decem apostolis abfuisse,

venit enim demùm cum illis vespere jam facto, Marc. 14, v. 17; solebat autem mactari agnus horâ nonâ, die declinante, Josephus, lib. 7 de Bello, cap. 17, cùm vesperi esset comedendus. Mactata hostia assanda erat, et hoc itaque curandum apostolis fuit, simulque providendum mensæ de lactucis agrestibus, de panibus azymis, de baculis, Exodi 12, v. 8, 11, de aliis quibusdam præterea cibis, pro ratione diei festi et facultatum (nec enim agnus unus sufficiens esse poterat reficiendis tredecim viris), denique de vino. Ad hæc omnia emenda (nisi quæ fortè paterfamiliâs ille, apud quem hospitium sibi delegerat Jesus, ultrò gratisque offerret) jussit haud dubiè Jesus pecuniam à Judâ ex communibus loculis numerari, his quos ad parandum pascha amandabat.

Vers. 8. — Et misit. *Jesus* additur à Syro. *Misit* eo die manè aut circa meridiem. Ut bonus paterfamiliâs, curam gerit eorum quæ in familiâ ex legis præscripto agenda erant.

Petrum et Joannem. Discipulos maximè familiares et præ cæteris omnibus præceptoris amantes; non Judam, tametsi esset œconomus, ne insidias strueret, si nôsset cœnæ locum: jam enim ille alia meditabatur, parare Domino non convivium, sed exitium.

Euntes, in civitatem, parate nobis pascha. Hæc verba quia omiserunt Matthæus et Marcus, ideò obscuritatis nonnihil habent: Lucas clarior est.

Ut manducemus, illud.

Vers. 9. — Ubi, in quâ domo. Hìc evangelista rem clarè narrat, eo ordine quo gesta est.

Vers. 10. — Ecce. Parat attentionem ad rem novam et admirabilem quam dicturus et jussurus est.

Introeuntibus, ingressis.

Amphoram, *lagenam* vertit secundùm Marcum, sed rectiùs videtur hìc *amphoram* vertisse: nam quanquàm et lagena et amphora fictiles essent, ex usu tamen loquendi, lagena magis vino servit quàm aquæ, amphora aquam admittit non minùs quàm vinum, nisi pro mensurâ capace sextariorum 48 accipiatur, quod non est hujus loci: non enim aliud hìc intelligitur quàm vas figlinum, capax quantitatis aquæ non parvæ.

Portans, *bajulans* secundùm Marcum.

In domum in quam intrat. Hoc Syrus sequentibus jungit hoc pacto: *Et quò loci ingreditur, dicite*, etc., consentaneè Evangelio Marci.

Vers. 11.— Magister tuus et noster. Jesus familiariter à discipulis suis vocabatur *Magister*, contentusque humili hoc titulo à doctrinâ accepto, qui tamen nulli alii æquè ac ipsi congruebat, et ipse se eo appellat, eoque solo suam huic viro auctoritatem insinuat, cùm uti potuisset verbis illis magnificis: *Hæc dicit Dominus*, aut: *Filius Dei dicit*. Vocando autem se magistrum, aperit, illum cui verba hæc sua perferri jubet, esse discipulum, ac proinde penes se ut magistrum, auctoritatem esse præcipiendi ipsi tanquàm discipulo; fuit enim *discipulus Jesu*, id est, fidelis, credens in Jesum, *sed occultus*, ut multi alii, *propter metum Judæorum*. Non addit nomen suum, *Jesus magister*, quia tam discipuli mandatum perferentes, quos publicitùs notum erat esse discipulos Jesu, quàm conscientia audientis, nec alii magistro quàm Jesu adhærentis, clarè interpretabantur quis magister loqueretur.

Vers. 12. — Ipse mox obtemperans jussis meis, et quidem singulari studio.

Ostendet simul et concedet ad usum meum. Præscivit Jesus quòd paterfamiliâs ille pariturus esset præcepto ipsius, præscivit etiam quem locum esset præbiturus: ipse enim Jesus, divinâ virtute suâ, commovere animum illius, ut poterat, ita decreverat, in obsequium et obedientiam. Qui licèt priùs non ausus fuerat Jesum confiteri et hospitio accipere; ad ipsius tamen jussum, metu deposito, confidenter et studiosè illum excepit, ita ut perspicuum fieri apostolis posset, Jesu in manu esse quidquid vellet facere. Quare D. Chrysostomus in Matthæum: « Ego verò, « inquit, non id solum admiror, quòd ignotus erat; « sed illud multò magis stupeo, quòd bellum acerri« mum et inimicitias primatum hâc ex re incumbere « sibi videns, omnibus his neglectis libenter obtem« peravit. »

Cœnaculum. Interpres Origenis in Matthæum scribentis vertit, *locum in superioribus;* declarat enim vox contignationem ædium superiorem, cuicumque tandem usui destinata sit, sic dictam, quòd supra terram elevata sit. Sed quia moris erat in eâ domûs parte cœnare, ideò *cœnaculum* dici cœpit.

Grande. Hinc intelligitur amplam fuisse hujus patrisfamiliâs domum. Voluit autem magnum cœnaculum Jesus, tum quia magna erat ipsi familia, virorum tredecim, tum quia secretus agere voluit cum suis, neque mox cuivis publicari quæ suis erat commissurus.

Stratum, instructum mensis et lectis sive sedilibus aliisque necessariis, vestitum tapetibus et aulæis, ornatum floribus ac frondibus, omninòque paratum ad solemnem paschæ cœnam celebrandam: fortassis etiam stratum lapidibus aut tegulis, quoad pavimentum, refrigerii præstandi causâ. Richelius in Lucam: *Stratum, id est, dispositum et paratum seu aptum ad esum agni*. Significatur locus, non nudus, sed opportunâ supellectili et ornatu instructus, ita ut nihil deesset, nisi ut agnus reliquusque cibus appararetur. Græcè et Syriacè additur *paratum*; quod etiam Origenes et Hieronymus hunc locum ad Matthæum citantes, legunt; nisi quòd Hieronymus pro, *paratum*, scribat, *mundatum*, si non est error notarii. Existimatur autem plerisque, τὸ *paratum*, expositio esse ejus quod præcedit *stratum*. Neque verò mirum videri debet quòd vir iste (qui intelligitur non vulgaris, sed dives ac magnificus fuisse) cœnaculum hujusmodi, quo carere ipse poterat, habuerit, ita apprimè instructum, ut nihil deesset sive ad usum sive ad ornatum, celebraturis pascha: cùm enim ad pascha celebrandum Je-

rosolymam convenirent omnes, totius, non tantùm Judææ, verùm etiam orbis terrarum, per quem innumeri dispersi erant, Judæi, fiebat, ut farta hominibus civitas, quomodò Josephus alicubi loquitur, non caperet omnes eos qui aliunde advenerant diversoriis publicis, sed necesse esset, ut cives Jerosolymitani, suis ædibus exciperent singuli quos possent. Itaque cùm singuli hospites aliquos suis ædibus excipiendos exspectarent, instruebant primùm ædes suas, et præsertim superiorem fortassis ædium partem (ea enim locari solet inquilinis, retentâ à dominis parte inferiore, ut commodiore), supellectili aliisque rebus necessariis, deinde etiam exornabant eas pro facultatibus, non tantùm in hospitum gratiam, verùm etiam ad condecorandum sacratissimum et solemnissimum sacrificium, convivium et diem Paschæ. Non mirum igitur quòd vir iste habuerit cœnaculum ita aptè opportunèque instructum : sed illud mirum, quòd cœnaculum istud Jesu penè ultimâ horâ petenti reservatum fuerit. Providerat nimirùm ipse, occultâ providentiæ suæ virtute, ne cui alii illud concederetur; in quo ipse statuerat vetus quidem pascha ultimum agere, novum verò primum instituere, alia denique complura mysteria tradere; id quod noluit in loco abjecto aut vili. Hoc cœnaculum deinceps effectum est apostolorum cæterorumque discipulorum Ecclesia. Nam post accepta illic ultimæ Domini cœnæ mysteria, perrexerunt eò convenire, Act. 1, v. 13, ita ut ibi aspectu Domini Jesu redivivi fruiti sint, et die Pentecostes Spiritum sanctum è cœlis missum acceperint.

Vers. 13. — Dixit, dixerat Jesus.

Paraverunt omnia ad celebrandum

Pascha necessaria. Inter cætera autem, emptum agnum curârunt assari : quod quomodò fieret, operæ pretium est considerare, ut observetur similitudo inter assationem veteris paschæ et crucifixionem novi. Perfodiebatur corpus agni veru, pedes verò, tam posteriores qui pedum, quàm priores qui manuum sunt loco, distendebantur divaricabanturque bacillis infixis in volas; tanquàm si veru, stipitem crucis; bacilli verò, transversum lignum præsignâssent, unà cum clavis in divini agni manus pedesque infixis : nam ignis afflictionis hìc non minor fuit quàm illic flammeus. Nescio autem quid vulnerum perpetuò gerant agni in mediis pedum volis, non absimili modo quo Salvator noster ex cruce reservat in manibus et pedibus fixuras clavorum.

Vers. 14. — Et cum, cùm igitur facta esset, adesset hora, tempus constitutum esui agni, quod quidem fuit crepusculum vespertinum, occurrens eo die, qui fuit nonus calendas aprilis, inter sextam et septimam horas vespertinas, nostro more numerandi. *Horam manducandi paschæ designat,* inquit Beda.

Discubuit, cœnatus est.

Vers. 15. — Et pro *tunc*, postquàm scilicet agnus paschalis comestus esset, id enim ita apparet ex sequentibus.

Desiderio desideravi, id est, summoperè desideravi. Phrasis est Hebraica, frequenter occurrens in veteri Testamento.

Hoc pascha, hunc agnum paschalem, agnum paschalem hujus anni et diei, id est, convivium seu cœnam hanc paschæ.

Antequam patiar, supplicia et mortem mihi imminentia, ante mortem meam. Scio quòd à cœnâ hâc paschali immineat mihi mors, nec quævis mors, sed variis conjuncta cum suppliciis; verùm eam nihil moratus, desideravi admodùm hactenùs hoc pascha vobiscum edere. Alius quispiam desiderio desiderâsset pascha hoc nunquàm adesse, ne simul ipsi instaret mors : Christus mortem sitiens pro hominum salute, nihil eâ deterritus fuit, quin summo desiderio longè ante desiderârit paschale hoc convivium cum discipulis celebrare. Ratio sequitur versu proximo.

Vers. 16. — Quia ex hoc, quòd ex hoc tempore, quòd posthàc non manducabo, Græcè, *non ampliùs edam* illud, pascha, ἐξ αὐτοῦ, ex eo, scilicet paschate. Pascha intelligit cum suis appendicibus, id est, cœnam in quâ primùm à stantibus pascha, deinde ab accumbentibus alii cibi comedebantur. Non solùm enim dicere vult se agnum paschalem ampliùs non comesturum, sed nec alios hujusmodi cibos corporales : nam significat ultimum hoc esse suum cum discipulis, non tantùm pascha, verùm etiam convivium. Verisimile est autem, post esum agni paschalis, quando hæc verba dicta fuisse videntur, Dominum Jesum de aliis adhuc cibis gustâsse : quis enim discipulorum cibum ausus fuisset attingere, præceptore abstinente, et, ob propinquam mortem, jam toties significatam, mœrente? *Illud* igitur dicens, intelligit paschalem cœnam, et sub eâ omne aliud hujus vitæ convivium; quasi dicat, ait Theophylactus : *Hæc ultima mihi cœna vobiscum est.* Affirmo vobis quòd jam vobiscum comedi ultimum pascha, et convivium hoc ultimum esse ex quo hâc in mortali vitâ comesturus sim, nec aliud à me aliquando sive pascha sive edulium gustandum. Hæc igitur causa est cur tantoperè desideraverit hoc pascha cum discipulis suis edere, quia ultimum foret, non tantùm pascha, verùm etiam convivium. Solent ii quibus discedendum est desiderare convivium ultimum quo amicis sunt valedicturi, non propter convivium ipsum, sed propter argumenta amoris plurima, quæ statuunt eo in convivio amicis exhibere. Eodem modo Christus Dominus desideravit hoc pascha seu hanc cœnam paschalem, quam noverat fore ultimum suum convivium, cum apostolis celebrare, non propter pascha ipsum aut convivium, sed quòd statuisset in hâc ultimâ cœnâ insignem erga suos amorem plurimis modis declarare et testatum relinquere, id quod fecit, colloquiis illis suis divinissimis, et præsertim sacramenti corporis ac sanguinis sui institutione. Hoc pacto igitur voluit attentos reddere discipulos ad ea quæ hâc cœnâ facturus esset; facilè

enim intelligere potuerunt magna aliqua subsecutura.

Donec. Non significat se iterùm aliquando comesturum agnum paschalem aut alium aliquem corporalem cibum; sed se interea non comesturum, tunc verò multò minùs, quando suppetet pascha beatius cibusque cœlestis in regno Dei.

Impleatur, perficiatur pascha illud, in regno Dei, Patris mei, in regno cœlorum, in vitâ æternâ futuri seculi. Sic, ad futurum, inquam, seculum, referunt hoc Origenes tractatu 35 in Matthæum, Euthymius in Matthæum, cap. 26, v. 29, et Theophylactus in hunc locum alterâ quam tradit expositione. Cœna agni paschalis læta inprimis erat et jucunda, quippe instituta ob memoriam transitûs Domini, quòd Dominus interficiens primogenita Ægyptiorum, transilierit et servaverit primogenita Israelitarum, itàque liberaverit Israelitas ex Ægypto, et adduxerit in terram promissam. Sed perficitur hæc cœna in regno cœlorum, ubi longè felicior et jucundior nec unquàm finienda agitur cœna, ob servatos electos, quorum caput est Christus, permixtos tanto numero reproborum, et assertos ex omnibus hujus mundi miseriis in regnum Dei, *è servitute,* inquam, *corruptionis* et mortis *in libertatem gloriæ filiorum Dei,* Rom. 8, v. 21. Hoc igitur modo impletur pascha in regno Dei; quod quando futurum est, vult dicere Christus, manducabo ego illud impletum vobiscum in eodem illo Dei regno. Nam sic perficiendam sententiam hanc, clarum est ex simili sententiâ Matth. 26. v. 29; Ut ne enim plus æquo tristarentur apostoli, audientes hanc ultimam esse cœnam et convivium præceptoris cum ipsis, addidit, huic paschali cœnæ, aliam perfectiorem et feliciorem sibi in propinquo regno Dei successuram : cujus consortium ipsis promittit, hìc quidem tectè, paulò post autem, v. 29, 30, disertis verbis.

Vers. 17.—Et accepto, tunc accepto etiam calice, poculo pleno vini aquâ mixti. *Et hic calix,* ait V. Beda, *ad vetus illud pascha, cui finem desiderabat imponere, pertinet.* Scribunt Hebræi fuisse morem ut, comesto agno paschali, paterfamiliâs acceptum calicem vini aquâ mixti prægustaret, ac deinde in orbem mensæ ire juberet, ita ut omnes ex eo biberent; et hoc fuisse quasi libamen sacrificii agni paschalis : solet enim cum sacrificiis ferè conjungi libamen vini. Alius itaque est hic calix ab eo de quo paulò post v. 20, ut cum V. Bedâ sentiunt B. Hieronymus inter Latinos, scribens in Matth. 26, v. 26, et Theophylactus inter Græcos, hunc locum enarrans. Non quòd non potuerit idem numero fuisse vasculum, sed quòd res contentæ diversæ fuerint : hìc enim nihil nisi vinum continetur, propinatum cum esu agni veteris Testamenti; illìc sub speciebus vini sanguis Christi continetur, propinatus cum esu agni novi Testamenti.

Gratias egit, Deo ut homo, de hoc fructu vitis sibi suisque concesso in sacrificium simul et potum; sic enim consueverat gratias agere ante omnem cibum et potum, atque eum præsertim quo sacrificium perficiebatur; usus fortassis his verbis, quæ Hebræi tradunt in hoc negotio fuisse solemnia : *Benedictus sis tu, Domine, Rex mundi, qui das nobis fructum vitis.* Nam et ad ea alludere mox putatur, quando ait, *de genimine* seu *generatione vitis.* Beda gratias egisse existimat, quia vetera transitura et ventura fuerant omnia nova.

Accipite; *hoc* additur Græcè et Syriacè, scilicet poculum à me prægustatum.

Dividite inter vos, ita ut omnes sitis participes.

Vers. 18. — Enim. Reddit causam cur bibere ex hoc calice omnes debeant, non tantùm quia comesti sacrificii libamen est, verùm etiam quia valedictionis est poculum.

Non bibam, ampliùs vobiscum, multòque minùs cum aliis; q. d. : Hic ultimus est vini haustus, quem me præbibente bibetis in hoc seculo. Non habet igitur Jesus calicem illum quem postea dat, pro haustu vini, sed pro haustu sanguinis sui; nec pertinere vult panem illum et calicem benedictum ad cibum et potum corporalem, sed potiùs ea vult esse pignus novæ illius et cœlestis mensæ in regno Dei, quam hìc promiserat.

Generatione, fructu, genimine vertit secundùm Matthæum et Marcum.

Donec. Vide supra, v. 16. Sed ne despondeatis animum, aderit brevi regnum Dei, de quo orare vos docui : *Veniat regnum tuum,* Matth. 6, v. 10. illìc ego et vos mecum bibemus aliud longè nobilius vinum, cujus vis, non ex vitis virtute, sed ex Dei fruitione proficiscatur, etc.

Vers. 19. — Et, id est, postea, cùm scilicet cœnatum esset; nam et hìc intelligendum est quod exprimitur versu proximo *postquàm cœnavit;* non enim temporis distantiâ interruptum fuit mysterium unum idemque, sed continuo tenore Jesus, postquàm corpus suum distribuerat, addidit et calicem sanguinis sui. Impletis enim veteribus, novum jam agnum instituit, et novum calicem propinat.

Gratias egit. Aliam fuisse hanc gratiarum actionem, quàm eam de quâ mox, v. 17, docent circumstantiæ : nam pro varietate donorum Dei, varia est gratiarum actio.

Quod corpus meum pro vobis, pro vestrâ salute. Non dicit *vobis,* nec enim intelligit in cibum dari, quod ante dixerat his verbis; *Accipite et comedite,* quæ Paulus quoque cum aliis evangelistis exprimit.

Vers. 19. — Hoc facite; quod scilicet in hâc actione à me fieri videtis, et vos ipsi facitis. Nam antiqui Patres referunt illud *hoc,* non ad solam actionem Christi, sed etiam nonnunquàm ad actionem discipulorum, ut ex Cyrillo patet lib. 12 in Joan., cap. 58. *Hoc* igitur *facite,* id est, actis Deo gratiis frangite, corpus meum consecrate, et in sacrificium offerte, ipsi comedite, aliis distribuite. Per quod ex consequenti etiam aliis præceptum sumendi posuit; sicut constituendo apostolos judices, per illa verba : *Quorum remiseritis peccata,* etc., imposuit aliis obligationem confitendi; q. d. : Mens mea non est, ut hoc semel à

Sacrificium est quod non hominibus, sed pro hominibus datur.

Datur, id est, offertur; offertur Deo Patri à me, mox propriâ specie in cruce, jam nunc sub specie panis, per me ipsum et deinde continuè per vos, idque *in remissionem peccatorum*, quod addit Matthæus ad sanguinem. Quòd non loquatur Jesus solùm de morte suâ imminente, sed de præsenti potiùs cœnâ, quòd, inquam, significet se jam in hâc cœnâ offerre Deo corpus suum, non tantùm se mox oblaturum per mortem crucis, tribus argumentis fit clarum : Uno sumpto ex apostolo Paulo, 1 Cor. 11, v. 24, qui loco hujus verbi, *datur*, Græcè scribit *frangitur;* quod quanquàm ad crucem quoque referri possit ubi corpus Domini fractum fuit, quod ad cutem, nervos, venas et similia, aut certè ubi immolatum fuit; frangi enim est immolari; propriè tamen respicit sacramentum. Solet enim Scriptura hâc voce præcipuè uti de pane; nec tamen de nudo pane hìc loquitur (frangitur enim, nudus panis, non pro nobis), sed de corpore Christi, quod pro nobis frangitur, quandò pro nobis sub specie panis datur et immolatur Deo, de quo paulò ante Apostolus dixerat : *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 1 Cor. 10, v. 16. In cruce non ita propriè frangitur corpus Christi, præsertim cùm de eâ scriptum sit : *Os non comminuetis ex eo*, Joan. 19, v. 36. Quare D. Chrysostomus in illum locum 1 Cor. 10, v. 16 : *Cur autem*, inquit, *addidit quem frangimus? hoc enim licet videre fieri in Eucharistiâ, in cruce autem non itidem, sed utique ei contrarium. Os enim, inquit, ejus non conteretur. Sed quod non est passus in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, et patitur frangi ut omnes impleat.* Hæc Chrysostomus. Alterum argumentum sumitur ex verbis benedictionis calicis quæ omnes Evangelistæ et Paulus quoque sic recitant Græcè, ut præsenti tempore dicatur, *qui effunditur*. Tertium suggerit peculiariter hìc Evangelista, non de sanguine, sed de calice dictum referens, *qui pro vobis effunditur*. Nam in cruce, sanguis, non calix effusus est; in cœnâ autem et calix et sanguis. Hinc igitur intelligitur quòd in hâc cœnâ Christus, corpus et sanguinem suum sub specie panis et vini, Deo Patri obtulerit. Intelligitur etiam consequenter quòd non figuram corporis et sanguinis sui, sed verissimum suum corpus et sanguinem dederit : nihil enim aliud pro nobis Deo Patri obtulisse dici potest. Nam sicut addidit pronomen, *meum*, ut distingueret corpus suum à corporibus non suis, ita adjiciens, *quod pro vobis datur*, distinxit corpus suum verum et naturale, à quovis alio quod dici possit corpus ipsius, quale est corpus ipsius mysticum, quod est, Ecclesia, Coloss. 1, v. 24, quanquàm non tam distinguendi quàm docendi gratiâ hoc adjecerit. Neque verò interpretari licet : Hoc est signum corporis mei quod pro vobis datur; nam præterquàm quòd Eucharistia tam signum sit corporis Christi mystici quàm naturalis, juxta illud Apostoli, 1 Cor. 10, v. 17 : *Unus panis, unum corpus, multi sumus, omnes qui de uno pane participamus;* manifestum est, non cum obliquo, sed cum recto casu jungendam hanc additionem, *quod pro vobis datur;* quæ idcircò à Matthæo et Marco videtur non esse recensita, quòd persuasi essent, sufficere si id exprimerent de sanguine, in quo maximè relucet propria sacrificii ratio.

Hoc facite. *Quid porrò*, ait Chrysostomus, hom. 83 in Matthæum, *vetus quoque illud, inquies, facere oportet? minimè : ideò enim hoc facite dixit, ut ab illo abduceret. Hoc* igitur quod ego jam postremùm facio sive feci, et vos *facite*. Ego acceptum panem actis gratiis fregi, corpus meum consecravi, Deo Patri pro vobis obtuli, primus gustavi, vobis denique comedendum dedi : hoc idem et vos facite, acceptum panem actis Deo gratiis frangite, corpus meum consecrate, Deo Patri pro vobis aliisque offerte, primi ipsi comedite, aliis deinde edendum distribuite. Quasi dicat : Id quod jam facio sive feci, non est mens mea ut jam solùm à me semel fiat; imò verò volo vos apostolos meos, quos ad hoc ordino, hoc idem facere, atque hoc sacramentum perpetuò fieri ac celebrari in Ecclesiâ meâ. His itaque verbis ordinavit Jesus apostolos suos sacerdotes, datâ eis facultate consecrandi atque offerendi sacramentum corporis et sanguinis sui; nam quod de corpore hìc dicitur, idem mox intelligitur de sanguine. Quamvis autem dicat, *hoc facite*, non tamen simpliciter omnia semper voluit observari quæ ipse fecerat; nec enim cœnatis dari voluit sacramentum; quæ autem necessariò semper sint observanda, quæ non semper necessariò, non potest certiùs judicare, quàm Ecclesia sponsa Christi, à Spiritu sponsi sui docta; ex cujus doctrinâ, ad sacrificii hujus celebrationem, semper necessarium est, dominicis verbis confici à sacerdote sacramentum, consecrari, inquam, panem et vinum, et ea à consecrante sumi; his enim duobus perficitur propria ratio sacrificii : reliqua non sunt absolutè necessaria, quædam etiam omitti licitè possunt, ut distributio sacramenti sub utrâque specie, imò etiam omnimoda distributio, quando ita res fert.

In meam commemorationem. « Vides, inquit Chrysostomus, hom. 83 in Matthæum, quomodò ab Judai« cis abducit et avocat moribus? Nam sicut illud, in

me et vobis duntaxat fiat, sed ut perpetuò in Ecclesiâ meâ frequentetur. Nam his verbis apostolos ordinavit sacerdotes, eisque potestatem sacerdotalem dedit, quæ ad istas omnes actiones se extendit. Quid autem inter ista sit semper necessarium, quid mutationem aut dispensationem admittat, Ecclesiæ, Spiritu suo imbutæ, judicandum relinquit. In meam commemorationem, id est, in memoriam seu recordationem, ut Græcum sonat. Quid verò hoc sit, exponit Apostolus, 1 ad Cor. 11, v. 26, explicans eadem verba : *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat;* ut sensus verborum Christi juxta Apostolum sit : Hoc facite in gratam memoriam mortis meæ, quam pro vobis redimendis passus sum; non nudam et sterilem memoriam, sed ut per eam in amorem et gratitudinem erga me concitemini.

« rememorationem miraculorum quæ in Ægypto pa- « tres vestri viderunt, faciebatis; sic et hoc facite in « meam commemorationem. Et quemadmodùm Moses, « hoc æternum vobis erit memoriale, dicebat : sic et « ipse ait, in meam commemorationem. » *Hoc* igitur *facite*, inquit, non semel atque iterùm, sed quoties volueritis meminisse meî : quod quidem frequenter voletis, ac proinde etiam frequenter facietis, si me amaveritis, libenter enim et frequenter meminimus eorum quos amamus. Quid sit autem facere in Christi Domini memoriam, explicans Paulus ait : *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, 1 Corinth. 11, v. 26. Nam, quamvis Paulus non tam sacerdotes hìc alloquatur quàm populum, explicat nihilominùs hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem*. Si enim his verbis sacerdotibus præceptum est distribuere sacramentum in commemorationem Domini, consequenter et populo præceptum est accipere in commemorationem Domini. Quod ergo Christus dicit *in meam commemorationem*, id est, Apostolo interprete, in memoriam mortis meæ, ut grato animo memineritis mortis quam pro vobis redimendis et salvandis obierim. Mortem enim Domini, mysteria isthæc, etiam ipsâ suâ exteriori figurâ, repræsentant; species panis, corpus mortuum et exsangue, species vini, effusum è corpore sanguinem. Quamvis autem præcipuè ad mortis Christi recordationem facienda sint hæc mysteria ; non tamen sic ut reliqua excludantur, quæ vel præcesserunt, ut incarnatio, nativitas, vel secuta sunt mortem, ut resurrectio, ascensio ; imò verò ita ut includantur, quippe simul omnia cum morte Domini perfectam nostrî redemptionem operata. Quare Ecclesia in canone missæ, his verbis : *Hæc quotiescumque feceritis, in meî memoriam facietis*; subjicit : *Unde et memores, Domine, nos*, etc., *tam beatæ passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis*, etc. Quinimò miraculorum, doctrinæ, et quovis alio modo Christi Domini, qui meminerit, mysteria hæc peragens, non aberrabit à scopo ; sed mors præcipuè in memoriam revocari jubetur, in quâ præcipuè eluxit Domini erga nos charitas. Mors, inquit, mea non iterabitur; sufficit enim unica pro peccatis omnium seculorum. Sed vos vobis hujus meæ erga vos charitatis memoriam frequenter renovate, facientes quod nunc à me videtis fieri. Erit hoc sacrosanctum signum fœderis inter nos initi, et novi Testamenti meâ morte stabiliti efficax sacramentum. Memoriam autem seu *commemorationem* suî, non nudam simplicemque intelligit, sed ejusmodi, quâ animus gratitudine commotus redamet Salvatorem ; nec eam temporariam, sed perpetuam, *donec veniat*, ut inquit Apostolus, id est, donec redeat ad judicandum vivos et mortuos. Q. d. : Frequentabitis hæc mysteria, ut memineritis meî, quamdiù præsentiam meam visibilem vobis subtraxero : nam ubi rediero et videndum me iterùm vobis feliciter præbuero, cessabunt. Intelligitur hinc ergo quòd Christus Dominus, non solis apostolis suis in cœnâ præsentibus hoc dixerit, verùm etiam omnibus eorum legitimis in sacerdotium successoribus usque ad novissimum judicii diem ; ac proinde etiam apostolis hìc, non tantùm dederit facultatem, ut tanquàm sacerdotes consecrare possent et offerre sacramentum corporis et sanguinis sui, verùm etiam ut tanquàm episcopi communicare hanc facultatem cum aliis possent, ita ut perpetua hæc actio hujusque sacramenti usus in Ecclesiâ permaneret. Aperuit postremò Christus Dominus his verbis, in quem finem instituerit hoc sacramentum sacrificiumque, ut esset nimirùm perpetua eaque viva ipsius memoria : nec tamen suâ ipsius causâ instituit, sed fidelium suorum, quibus ita esset hoc sacramento refricanda memoria mortis ejus, ut mens quoque ornanda omnis generis gratiâ, ex morte ipsius et hujus sacramenti usu emanaturâ. Vide etiam quæ dicta sunt apud tres alios evangelistas.

Vers. 20. — Similiter, ut panem, et, etiam, calicem; supple ex versu præcedente, accepit, et gratiis actis dedit eis. Syrus : *Et similiter etiam de calice*, scilicet egit.

Postquam cœnavit. Græcè *post cœnâsse*, id est, post cœnam. Id cùm sit ambiguum ad utrumque numerum, Latinus Interpres vertit numero singulari; Syrus plurali, *postquàm cœnâssent;* quanquàm res eòdem redeat; simul enim incœptam, simul absolverunt Jesus et apostoli cœnam. Addit autem hoc Lucas, *postquàm cœnavit*, ut intelligamus sacramentum hoc non pertinuisse ad vulgarem cœnam, quæ pascendo corpori subservierat; et addit ita ut junctum etiam velit cum adverbio, *similiter*. Neque enim dicere vult calicem quidem sacrum post cœnam, panem verò ante cœnam peractam, præbitum fuisse; sed similiter calicem ut panem, post cœnam. Quare igitur hìc ad calicem potiùs addit, *postquàm cœnavit*,

Vers. 20. — Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo. Græcè deest verbum, *est*, quod Latinus claritatis causâ expressit. Sed commodiùs positum fuisset post vocem, *calix*, hoc modo : *Hic calix est novum Testamentum*, etc., quomodo Paulus posuit, 1 ad Corinth. 11. Nam calix est subjectum propositionis. Quæ verba, quia paulò obscuriora sunt, Calvinus et Beza velut regulam proponi volunt, per quam verba clarissima Matthæi et Marci exponantur, hoc est, obscurentur, contra verissimam et æquissimam regulam S. Augustini, lib. 2 de Doct. christianâ, qui vult obscura ex clarioribus esse explicanda. Cùm igitur alii evangelistæ clarissimè dicant sine ullo tropo : *Hic est sanguis meus novi Testamenti* (quæ in nullo differunt à formâ corporis apertissimâ : *Hoc est corpus meum*, nisi quòd sanguinem ad novum Testamentum pertinere dicant), verba Lucæ in eumdem sensum exponenda sunt. Et sanè vix ab illis differunt, nisi quòd verba Lucæ postponant vocem, *sanguine*, post *novum Testamentum*, Matthæus verò et Marcus præponant. Sensus igitur genuinus et simplex esse videtur : Hic calix quem manibus teneo, est instrumentum authenticum, quo sancitur et obsignatur novum Testamentum *in sanguine meo;* id est, per sanguinem, seu ratione sanguinis mei, quem calix iste continet; nam per illum propriè Testamentum novum confirmatum est. Nullus

quàm addiderit ad panem? ut distinguat hunc calicem à priore quem Christus statim post esum agni porrexerat, et sciamus res fuisse diversas, illum ex antiquo ritu inter cœnandum, de quo supra, v. 17; hunc post cœnam, causâ instituendi novi sacramenti, porrectum.

Hic est calix; τοῦτο τὸ ποτήριον, hoc poculum, hic calix. Subauditur Græcè *est,* ut et Syriacè. Interpres expressum posuit ante vocem *calix,* tanquàm *calix,* sit prædicatum hujus propositionis : *Hic est calix;* alii postponunt, tanquàm *calix* pertineat ad subjectum hujus propositionis : *Hic calix est Novum Testamentum.* His favet Apostolus, 1 Cor. 11, v. 25, collocans *est* post *Novum Testamentum,* hoc modo : *Hic calix Novum Testamentum est.* Utrovis loco colloces, res in eamdem redit sententiam. Porrò his verbis Lucæ et Pauli gloriantur hæretici, nominatim Calvinus et Beza; nam quia obscuriora sunt, ac proinde faciliùs pati possint interpretationem qualem ipsi fingere velint; ut nihil tutius improbis, quàm piscari in aquâ turbidâ; volunt ex eis interpretari verba Matthæi et Marci : *Hic est sanguis meus Novi Testamenti;* quin etiam illa omnium verba : *Hoc est corpus meum.* Atqui reipsà declarant, se non sincerè, sed malignè agere : obscuriora enim Scripturæ loca ex clarioribus interpretari oportere, non clariora ex obscurioribus, ratio ipsa dictat, etiamsi D. Augustinus non doceret, lib. 2 de Doctrinâ christ., cap. 9. Clarissima sunt hæc Christi verba, similiter à tribus evangelistis et quarto Paulo apostolo recitata : *Hoc est corpus meum;* ejusdem tum claritatis tum formæ sunt hæc à Matthæo et Marco recitata : *Hic est sanguis meus Novi Testamenti :* ex quibus constat de mente Christi, quòd his verbis, corpus suum in cibum, et sanguinem in potum, suis dare voluerit, hoc solùm addito, quòd sanguinem illum suum quem præbet, testetur ad novum Testamentum pertinere, sanciendum scilicet et confirmandum. Ex his igitur clarissimis verbis, à tot testibus repetitis, explicare oportet ista Lucæ et Pauli de sanguine paulò obscuriora : *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo;* quæ certè vix aliter differunt ab his Matthæi et Marci : *Hic est sanguis meus novi Testamenti,* quàm quòd cùm hæc præponant sanguinis mentionem mentioni novi Testamenti, illa contra postponant.

Hic calix, hoc poculum, quod manibus teneo et vobis præbeo (nulla est hìc intelligenda figura, ne continentis quidem pro contento) est novum Testamentum, id est, instrumentum sive signaculum novi Testamenti, in sanguine meo, per sanguinem meum, ratione sanguinis mei, quem scilicet continet; q. d. : Hic calix continet sanguinem meum, qui est signum seu signaculum novi Testamenti; quod quidem unum cum eo est quod Matthæus et Marcus habent : *Hic est sanguis meus novi Testamenti.* Nam sive dicat Christus, accepto calice in manus : Hic est sanguis meus; sive hic calix continet sanguinem meum, res eadem significatur. Rursùs sive dicat sanguinem suum aut calicem, sanguinis ratione, esse signaculum novi Testamenti; sive sanguinem suum esse sanguinem novi Testamenti, id est, ad obsignandum novum Testamentum pertinere, quid discriminis est? Testamentum enim duo quædam æquè propriè significat, voluntatem testatoris, et instrumentum quo voluntas testatoris declarata, probata ac sancita est, per quod monstrare quis possit jus quod habet ad legata. Priori significatione usi Matthæus et Marcus, vocârunt sanguinem novi Testamenti; secundùm posteriorem verò, Lucas et Paulus, vocârunt ipsum sanguinem et calicem sanguinis ratione, novum Testamentum, quia signum sive signaculum est, quo voluntas testatoris Dei et Christi obsignata, sancita, et testata est. Simili modo circumcisio, Gen. 17, v. 13, et Eccles. 44, v. 21, vocatur pactum sive fœdus et Testamentum; quia signum fœderis, ut ibidem vocatur Gen. 17, v. 11, inter Deum et Abraham initi. Sic igitur sanguis Christi in calice sub specie vini nec minùs corpus sub specie panis, id est, sacramentum Eucharistiæ, appellatur, novum Testamentum, sicut authenticum exemplar testamenti alicujus vocatur testamentum, quia per illud manifestum fit jus nostrum ad legata novi Testamenti, quodque erat quodammodò totius humani generis, singulis nobis accommodatur, ut modò quidem cætera, postea verò etiam hæreditatem cœlestem participemus. Quod igitur facit iterata descriptio alicujus testamenti, ut nimirùm plurium hæredum jus testatum reddat, id facit repetitio hujus sacramenti. Jam

igitur hic tropus est, neque in voce, *calix,* quasi continens ponatur pro contento (nam ipse calix in sanguine, id est, per sanguinem, seu ratione sanguinis, quem continet, phrasi Hebraicâ, est propriè Testamentum), neque rursùs in voce, *Testamentum.* Nam illa dupliciter accipitur; primò, pro voluntate seu dispositione ultimâ testatoris, quomodò sumitur in Matth. et Marco; secundò, pro instrumento in quo continetur, vel quo probatur, vel sancitur ista voluntas; et ita sumitur hic et apud Paulum. Quo sensu, Genes. 17, v. 13, dicitur circumcisio esse pactum, hoc est, ut explicatur v. 11, signum pacti seu fœderis; et de eâdem, Eccles. 44, v. 11, dicitur : *In carne ejus stare fecit Testamentum.* Ex quo patet, in eumdem prorsùs redire sensum verba Lucæ et Pauli cum verbis Matthæi et Marci. Nam sive dicas, sumpto in manu calice : Hic est sanguis meus, quo sancitur et confirmatur Testamentum novum; sive dicas : Hic calix ratione sanguinis mei, quem continet, est signaculum seu instrumentum, quo sancitur et confirmatur Testamentum novum, idem planè significatur. Qui pro vobis fundetur, Græcè, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, quæ præcedentibus juncta sic verbotenùs sonat : Hic calix in sanguine meo pro vobis effusus, nisi quòd pro, *effusus,* est participium præsentis temporis, quo Latini hìc carent; q. d. : Qui calix funditur, scilicet jam in cœnâ. Itaque clarissimè indicatur Latinum, *qui,* non posse referri ad *sanguinem,* sed ad *calicem* seu *poculum.* Unde Euthymius expressè dicit : Quod pro vobis effunditur, ad *poculum,* inquit, referendum est. Quòd si ipse calix pro apostolis, et ut Matth. ait, pro multis, seu pro multorum salute, in remissionem peccatorum, in ipsâ cœnâ effundebatur, perspicuum est verum Christi sanguinem in illo calice fuisse, cùm vinum non fuerit pro hominum salute in remissionem peccatorum fusum, et verum sacrificium tunc fuisse oblatum; non enim ait : *fundetur*

verò, si calix iste, ratione sanguinis quem continet, est novum Testamentum, liquidò sequitur non figuram, sed verum Christi sanguinem eo contineri ; neque enim nisi ipsi vero Christi sanguine novum Testamentum obsignatum et confirmatum est. Verba Evangelii Syriaci ambigua sunt, ita ut vertere liceat, et : *Hic calix est Testamentum novum,* et : *Hic est calix Testamenti novi, in sanguine meo.*

Qui, scilicet calix. Latinè tam suabudiri possit *sanguis* quàm *calix;* sed Græca non patiuntur aliud subaudiri quàm, *calix.* Τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον jungi potest cum τὸ ποτήριον, nullo modo cum τῷ αἵματί μου. Quare Euthymius : *Quod pro vobis effunditur, ad poculum,* inquit, *referendum est.* Malè id habet Bezam ; doletque non inveniri codices, qui hoc omittant, aut certè legant τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, ut ad sanguinem referri possit ; audacter tamen ita vertit contra librorum omnium fidem : *Hoc poculum est novum illud Testamentum per sanguinem meum qui pro vobis effunditur;* malens solœcismum Lucæ, Græci sermonis minimè imperito, ascribere, quàm vertere quod verba exigunt, quòd illa videret hæresi suæ obesse, et catholicæ fidei favere plurimùm. Nam si calix, in cœnâ propinatus, pro hominibus effusus fuit ; clarè sequitur, inprimis, quòd calix ille non aliud quàm ipsissimum Christi sanguinem continuerit (neque enim vinum sanguinis figura pro hominum salute effundi potuit) ; deinde quòd in cœna Christus calicem illum effuderit pro hominibus, *in remissionem* utique *peccatorum,* quod addit Matthæus, ac proinde obtulerit eum Deo Patri et sacrificaverit. Perspicua enim evadit, ex eo quod Christus hìc dicit, calicem pro nobis fundi, et veritas præsentiæ sanguinis Domini in calice, et ejusdem oblatio Deo facta in cœnâ ; denique palam fit, verbum præsentis temporis *effunditur,* quo etiam cæteri evangelistæ utuntur, non tantùm de cruce, sed de cœnâ præcipuè intelligendum esse. Nam, quanquàm verisimile sit Christum Dominum potiùs usum verbis quæ recitant Matthæus et Marcus de sanguine, quàm iis quæ recitat Lucas ; illa enim clariùs exprimunt id quod Christus agebat ; certum tamen est Lucam iis verbis scripsisse, quæ non recesserint à Christi Domini sententiâ.

Pro vobis, apostolis meis, id est, pro plerisque vestrûm, excipitur enim Judas, qui non est consecutus hujus effusionis fructum. Matthæus et Marcus habent, *pro multis;* utrumque dixit Jesus : *Qui pro vobis et pro multis,* interprete Ecclesiâ in canone missæ. Quamvis autem non pro solis Jesus in cœnâ obtulerit apostolis, illi tamen præcipuum consecuti sunt fructum, pro quibus ita oblatio facta est, ut ipsi etiam dignè sumpserint oblata.

Fundetur, jamjam, vobis et præsertim me bibentibus. Græcè et Syriacè clariùs est præsens, ἐκχυνόμενον, *effunditur.* Supple autem, *in remissionem peccatorum* ex Matthæo, sed ex ipso Lucâ hìc subaudiendum et animo repetendum est, id quod supra expressit : *Hoc facite in meam commemorationem :* nam quod de panis, id etiam de calicis benedictione, dixit aut dictum voluit Dominus, Paulo disertis verbis suffragante, 1 Corinth. 11, v. 25.

Vers. 21. — Verumtamen. Conjunctio ista declarat, hæc iis quæ proximè præcedunt subjuncta à Christo fuisse, et collata præsentia beneficia cum præsenti scelere, occulto licèt ; quasi dixerit : Verùm, quamvis hæc summi amoris erga vos meî symbola vobis largiar et relinquam, tamen *ecce* rem nefandam.

Manus. Manu fit traditio, manu traditur quis hostibus, manu rursùs ex mensâ accipitur comedendus cibus. Est igitur tanquàm dicat : Quâ manu jam infert in os suum cibum mensæ meæ, eâdem mox hostibus meis me tradet. O ingratam et impiam manum !

Tradentis me, proditoris traditorisque mei ; quanquàm præsens tempus hoc præterea significare videatur, quòd jamjam prodet, et in mensâ ipsâ proditionem meditetur.

Est, supplevit interpres.

Reliqua ex superioribus evangelistis petenda sunt.

Vers. 22. — Definitum, ordinatum, constitutum divino consilio, à Deo Patre, jam inde ab æterno, et sacris Scripturis deinde declaratum. Definierat olim Deus Pater ut Christus vaderet, id est, abiret, moreretur, et quidem à Judâ discipulo proditus ; sed non definierat seu constituerat ut Judas Christum proderet, nec sic loquuntur Scripturæ, quidquid dicat Beza in hunc locum. Nam, quemadmodùm hìc non dicitur, definitum à Deo esse ut Judas traderet seu proderet, sed ut Filius hominis vaderet ; ita, Act. 4, v. 27 et 28, non dicitur, *convenerunt facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt ut facerent,* sed *decreverunt fieri.* Præviderat Deus tantam Judæ malitiam, quantâ Christum proditurus esset, si Deus ipse permitteret ; eam volens Deus permittere, simul et convertere ad publicam hominum salutem, decreverat ut Christus toleraret, quod Judas impiâ sponte suâ facturus erat ; decreverat, inquam, ut Christus proditionem pateretur, non ut Judas proditionem operaretur. Hinc scribit Euthymius in Matthæum : *Dicunt autem quidam, culpâ carere eum qui quod præfinitum erat peregit ; quibus nos dicimus, quòd non quia prædefinitum erat tradidit, sed quia tradidit ideò prædefinitum erat, Deo prævidente quidquid eventurum erat ;*

vobis, scilicet ad bibendum, sed, *pro vobis,* nempe Deo. Malè habet hoc Bezam, qui solœcismum maluit ascribere evangelistæ quàm veritatem fateri. Unde contra omnium librorum fidem vertit : *Hoc poculum est novum istud Testamentum, per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur ;* doletque non reperiri codices qui isti corruptelæ faveant.

Vers. 22. — Vadit, id est, ultrò, non tam moriendo quàm migrando, discedit ex hoc mundo : non fortuitò aut inopinatè, non coactus potentiâ inimicorum, sed *sicut scriptum est de illo,* in lege, Psalmis, et prophetis, juxta quos oportebat Christum pati, et ita intrare in gloriam suam, ut ipse ait, Lucæ 24 ; hoc est, ut implendo Scripturas obtemperet decretis Patris sui. Ita, inquit Chrys., discipulos confirmavit, ne rem imbecillitati attribuerent.

talis enim evasurus erat, non à naturâ, sed ex voluntate. Hæc ille : quibus etiam ampliùs aliquid dici potest, nimirùm, quòd providentia, definitio et decretum Dei, de peccatis hominum sint; verùm ut ea Deus permittat inprimis, deinde et ordinet, id est, dirigat ad bonum, sed nullo modo ut homines ea faciant, nisi actionem distinguas à vitio sive peccato, quod prodendi, adulterandi, aliisque similibus vocibus, præcipuè significatur.

Vers. 23. — Et, tunc, ipsi cœperunt quærere, inter se, mutuò. Græcè additur τὸ, *hoc*, videlicet, Quis esset ex eis, ex ipsis. Quæsiverunt ex ipso Jesu, quod dicunt superiores evangelistæ; quæsiverunt et ex se invicem, aspicientes sese mutuò (quod Joannes habet cap. 13, v. 22), et rogantes quis ipsorum id facturus esset, an quis ipsorum eâ de re aliquid sciret, aut aliquod ejus rei argumentum haberet, denique testantes singuli innocentiam suam.

Vers. 24. — Et, id est, etiam, quâ voculâ duo quædam intelligenda dantur : Unum, historiam hanc suo loco narrari; alterum, occasionem huic contentioni dedisse id quod præcedit, quòd scilicet acriùs disquirerent, quisnam ipsorum foret infaustus ille proditor. Non arbitror quòd se mutuò notârint, dixerintque : Tu eris proditor, imò tu aut tui, quod quidam putant, nominatim Theophylactus; sed quòd dubiam notam à seipsis propulsare dùm modis omnibus conarentur, attulerint singuli quæ pro se facere viderentur, per quæ alieni videri possent ab hâc perfidiâ. Inter cætera autem, hoc unum erat quod quidam pro se afferre poterant quòd Dominus eos aliis aliquando prætulisset, et quidem Petrus, quòd Dominus promisisset, ipsum petram fore Ecclesiæ, et accepturum claves regni cœlorum. Hâc itaque ratione, inter tristia, in ambitiosam hanc de primatu contentionem delapsi sunt.

Videretur, quantùm intelligi posset ex dictis actisque Jesu erga singulos ipsorum.

Major, scilicet cæteris, id est, maximus, primus, quem Jesus plurimi faceret, quique primum tandem habiturus locum, et cæteris omnibus sub Christo præficiendus esset, ac proinde alienissimus esset ab hâc proditoris notâ; unusquisque autem sibi videbatur esse et futurus maximus, ex variis honoris et amicitiæ argumentis, à Christo Domino erga se declaratis. Non ita impudentes fuerunt, ut coram Christo disputârint, quis ipsorum in locum proditi interfectique Christi successurus esset, quæ Euthymii opinio est; sed sepositâ tantisper consideratione proditionis mortisque Christi, altercati sunt de obtinendo primatu in regno Christi, cujus promissionem longè altiùs infixerant animis, quàm prædictionem mortis; nec spem abjecerant, quidquid de suâ morte Christus prædicaret.

Vers. 25. — Reges, sive principes.

Eorum, masculinum genus pro feminino *earum*, scilicet gentium; et casus genitivus loco dativi *eis*, gentibus. Includit autem dominatio coactionem contemptumque inferiorum.

Qui potestatem habent super eos, sive *eas*, scilicet gentes, quibus est auctoritas in eas, primores, magnates earum.

Benefici vocantur, à munificentiâ beneficentiâque, à clementiâ, serenitate aliisque virtutibus, nomen accipiunt : vocantur *nedibim* Hebræis, à spontaneâ liberalitate, εὐεργέται, *evergetæ* Græcis (ut quidam Ægyptiorum reges nominatim) à beneficentiâ, et aliis hujusmodi magnificis titulis ornantur. Subaudi, atque in hoc sibi placent, quòd aliis dominentur, et gloriosis nominibus celebrentur; dùmque reges aut primores esse nituntur, hunc præcipuè finem sibi propositum habent, ut dominentur et præsint aliis, et clementes ac benefici, non tam sint quàm nominentur.

Vers. 26. — Vos autem non sic agere debetis, si contingat vos præfecturâ fungi, ut certè fungemini, in regno meo, Ecclesiâ, inquam, à quâ brevi in terrâ incipiet regnum meum : non debetis dominos agere in eos quibus præeritis, nec ex usu potestatis auctoritatisque vobis datæ, venari titulos gloriosos, vanâ gloriâ plenos.

Qui major auctoritate, honoratior, est, erit in vobis, inter vos aliosve regni mei filios, fiat, fieri debebit, debebit se gerere, quod ad modestiam animique submissionem, sicut minor, minimus, minimæ auctoritatis; ὁ νεώτερος, junior, quo modo et legitur in Latinis libris non paucis, id est, contemptior, abjectior, submissior; nam qui ætate junior est, ne præsit rejici solet. *Juniorem dicit postremum,* ait Euthymius. Quò major, hoc minùs sibi vindicabit sive dominii, sive gloriæ.

Et qui præcessor est, Græcè, dux, dominus, rector, sicut ministrator, sicut qui ministrat, scilicet fiat. Ministri est subsequi, ducis sive domini præcedere. Gerat se oportebit, sicut si non dominus, sed minister esset; id est, liberum esse oportebit ab omni fastu, nec suæ præcipuè utilitati commodisque intendere, sed eorum quibus præerit, idque absque ullâ quam ab eis aucupetur gloriâ, quam totam Deo debebit transcribere. Hoc si intelligeretis, non contenderetis pro primatu; nam quòd reges gentium aliique homines seculi eò aspirent, est quia in alios agere dominos, et quidvis licitum sibi fore, denique gloriam cæterasque hujus vitæ utilitates ac commoda, abundè sibi posse suppetere, putant, si eum adipiscantur. Porrò vobis sectari hæc minimè licebit, quibus lex præscribitur, non parùm ardua ac præstitu difficilis, ut dominus qui sit, tanquàm ministrum, animi demissione, imperandi modestiâ, et curâ alienorum commodorum, se gerat; ita ut manifestum sit, inferioris sive subditi inter vos conditionem, longè et tutiorem et commodiorem et feliciorem fore, propiùsque assequentem id quod ex primatu quæri solet.

Vers. 27. — Quis major, uter major dignior, potior conditione est : qui recumbit, qui mensæ accumbit, an qui ministrat mensæ? Subaudiendum relinquit : Is proculdubio qui mensæ accumbit.

Ego autem, caput licèt sim mensæ societatisque vestræ, qui meo jure possim à vobis ministerium exigere; in medio vestri, inter vos sum, gero me,

SICUT QUI MINISTRAT mensæ; vos similes estis iis qui accumbunt. Jam laverat eorum pedes, panem eis fregerat, cibum potumque distribuerat, prout jamdiù consueverat, denique à primâ horâ ostensionis suî ad Israel, unus pro omnibus sollicitus, apostolorum oviumque quæ perierant domûs Israel, adeòque hominum omnium, utilitati ac saluti, magno cum labore fatigationeque, minister serviverat, perseveraturus in eo ministerio ad vitæ usque expositionem et sanguinis effusionem. Nam sub ministerio mensæ, omne aliud ministerium, et quidquid in carne Deus gessit, intelligitur, V. Bedâ interprete. Itaque vult dicere : Cùm videatis me facere id quod præcipio, ut qui dignitate inter vos sum major et conditione dominus, habeam me tanquàm minor et servus sim; nôsse debetis hoc idem vobis præstandum esse, si quando aliis præfecti fueritis; quod præstare, cùm difficile et arduum minimèque jucundum sit, intelligere potestis nullo modo ambiendum vobis esse primatum, contendendum verò potiùs de retinendâ subjectione, ut quâ faciliùs assequi liceat id quod homines seculi ex primatu quærunt, quietem propriaque commoda, etc.

VERS. 28. — PERMANSISTIS, perseverâstis MECUM, constanter mihi adhæsistis; non deseruistis; ut illi Joan. 6, v. 67 : *Ex hoc multi discipulorum abierunt retrò, et jam non cum illo ambulabant;* neque erubuistis confiteri, ut illi Joan. 12, v. 42 : *Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagogâ non ejicerentur.*

IN TENTATIONIBUS MEIS, in persecutionibus et tribulationibus quas passus sum : quibus factum est, ut et homines adversarii mei tentârint atque explorârint, et Deus Pater tentatam, exploratam manifestamque reddiderit (idcircò enim tentationes dicuntur) constantiam meam in obeundo illo ministerio pro vestrâ cæterorumque electorum salute. Hoc alibi dicit Salvator : *Vos qui secuti estis me;* Matth. 19, v. 28.

VERS. 29. — ET, ideò, EGO, cui Pater dedit omnia in manus, DISPONO, constituo, decerno, promitto non tantùm, verùm etiam ordino, cujus ordinationi obediunt omnia.

SICUT, similitudinem significat, non æqualitatem; ipse enim regni caput et princeps constitutus erat, illi autem socii duntaxat.

DISPOSUIT, constituit, ordinavit MIHI ut homini, PATER MEUS cœlestis, REGNUM in altero seculo, æternâ hæreditate possidendum, ut possideatis in altero seculo paratum vobis regnum à constitutione mundi, quod non est aliud quàm illud idem felix ac beatum regnum, quod Pater mihi præparavit in altero seculo possidendum. Quibus igitur paratum est regnum in futuro seculo, non debent illi contendere pro vili inanique honoris titulo obtinendo in hoc misero seculo. Reliquerat haud dubium Judas societatem, cùm Christus hæc diceret.

VERS. 30. — UT EDATIS ET BIBATIS SUPER MENSAM MEAM IN REGNO MEO, dispono vobis regnum, non qualecumque, sed hujusmodi, ut aliquando *in regno meo* cœlesti et æterno, *edatis et bibatis*, id est, veris omnis generis deliciis ac voluptatibus fruamini et saturemini, SUPER MENSAM MEAM, id est, inter primos, ut primi regni principes, mecum rege mensæ meæ omnium delicatissimæ accumbentes. Hæc ferè interpretatio Græcorum est, Euthymii, Theophylacti, Titi Bostrorum episcopi, cujus verba sunt : « Hoc eâ de « causâ non asserit, quasi ullus isthìc denuò mensæ « aut esculentis locus futurus sit, sed quòd res spiri- « tales, rebus apud nos usitatis, exprimere voluerit. « Tum rursùm ut ostendat quemadmodùm ii qui pri- « mas apud terrenos reges obtinent, eâdem cum illis « domo et mensâ utuntur; ita sanctos celeberrimos- « que apostolos quoque, primis honoribus apud immor- « talem regem potituros. »

ET SEDEATIS; καὶ καθίσεσθε, sedebitis, quanquàm in aliis exemplaribus est, καθίσησθε, sedeatis, ut Latinè. Duo summa bona apostolis eo in regno promittuntur, summæ deliciæ, quales ipsi regi apponi solent, et summus honor quo reliquos omnes regni subditos, non solùm præcedant, verùm etiam unà cum rege judicent ac regant; neque enim sessio ita finienda unà cum judicio est, sed perpetua futura quod ad gubernationem. Pollicetur itaque eis summum beatitudinis gradum, vultque dicere : si hæc vos manent, quid contenditis de misero primatu in hoc seculo obtinendo?

VERS. 31. — AIT, addidit, subjunxit. Prædixerat læta, ut animos illis erigeret; subnectit tristia, ut ne ultra modum efferrentur.

SIMON, SIMON. Alloquitur eum nomine proprio, ut seipsum consideret, quid ex se sit : conduplicat autem nomen, ut attentionem excitet, affectum declarans seriò loquentis.

VERS. 29. — ET EGO DISPONO VOBIS, id est, et idcircò, quia constanter mihi in tribulationibus adhæsistis, aliis me deserentibus, ego vicissim decerno vobis in præmium REGNUM illud beatissimum cœlorum, tanquàm hæreditate possidendum, quod vobis à constitutione mundi paratum erat, SICUT DISPOSUIT MIHI PATER MEUS, id est, quemadmodùm illud idem regnum gloriosum mihi Pater in præmium tribulationum decrevit, ut ego ibi caput, vos membra sitis.

VERS. 30. — UT EDATIS ET BIBATIS, non separatim à me, ut servi solent, sed SUPER MENSAM MEAM, id est, ut tanquàm primi proceres regni mei veris omnis generis deliciis ac voluptatibus mecum perfruamini, videlicet ut laborum, ita et honoris, quietisque socii, juxta Apostolum, 2 ad Corinth. 1, vers. 7. Spectant hæc eò, ut desinant de primatu in hoc mundo aliisque rebus frivolis contendere, qui tantum sibi in futuro præmium repositum esse scirent.

VERS. 31. — AIT AUTEM DOMINUS, ut scirent ante regni illius adeptionem multas tribulationes esse adhuc sufferendas, et ita lætitiam eorum temperaret, nec securitatem sibi sponderent ex istâ permansione cum Christo : SIMON, SIMON. Quâ subitâ conversione ad solum Simonem, tacitè dirimit contentionem discipulorum de primatu, ipsum indicans futurum caput, utpote qui confirmare deberet reliquos. Repetitio autem nominis attentioni ejus excitandæ, et affectui suo tanquàm seriò loquentis indicando servit. ECCE SATA-

Ecce, quod non arbitraris.

Satanas, adversarius humanæ salutis, expetivit, depoposcit, postulavit ad afflictionem, tanquàm accusator fratrum et hostis. Sic expetiverat Job, cap. 1, v. 11, et cap. 2, v. 5. *Expetivit* autem à Deo Patre meo, sine cujus permissu nemini potest nocere sive corpore sive animà; hoc enim hic intelligendum datur, annotantibus id veteribus.

Vos, apostolos meos.

Ut cribraret, concuteret, agitaret, afflictionibus, ita ut fidem in me vobis excuteret.

Sicut triticum cribratur et agitatur in cribro aut vanno. Id speraverat Satan facere se posse, dùm curaret Jesum à Judæis comprehendi et occidi; et aliquo modo tunc est assecutus.

Vers. 32. —Ego autem, Dei Filius, sed quà parte hominis filius. Opponit se Satanæ.

Rogavi, oravi Deum Patrem, tanquàm mediator et amicus. Ut se Satanæ, ita orationem suam opponit orationi Satanæ, datque intelligendum se, infinities plus oratione posse apud Deum quàm Satanam.

Pro te, pro omnibus quidem vobis, sed singulariter pro te, per quem, constitutum à me caput cæterorum omniumque in me credentium, decrevi reliquos ad salutem adducere. Insinuat Petrum à se constitutum loco et ordine primum, pro parte regni sui in hoc seculo fluctuante.

Ut non, ne unquàm.

Deficiat, intermoriatur, exstinguatur; *finaliter* addit Lyranus.

Fides tua, fides quâ tu credis in me Christum Filium Dei vivi, doctorem veritatis in universâ quæ à me profecta sit doctrinâ; tu, inquam, credis, et credent successores tui in hoc munere regendæ Ecclesiæ meæ omnes. Neque enim ad modicum duntaxat tempus prospexit Christus Ecclesiæ suæ, sed usque ad consummationem seculi. Non oravit, ne Petrus cribraretur à Satanâ; id enim permissum Satanæ fuit paulò post, infra, v. 56, et seq.; sed ne fides ejus deficeret. Dat igitur intelligendum Jesus, permissum Satanæ postulanti esse ut cribret Petrum, sed ita permissum ut fidem ei non excutiat; quemadmodùm Job permissus fuerat arbitrio Satanæ affligendus, ita tamen ut ejus animam servaret, Job 2, v. 6. Satanâ enim impetrante à Deo ut cribrare et agitare posset Petrum; se impetrâsse, ne ita cribraretur seu agitaretur, ut fides ejus deficeret, quod maximè volebat et spectabat Satan. Defectus quidem fuit Petrus fide, quando animo vacillante deseruit primùm, deinde etiam negavit comprehensum Jesum; lege Matth. 26, v. 31; sed quia defectio illa fidei non absoluta fuit, sed imperfectior, ex animi vacillatione, minimè ex pervicaciâ, obstinatione aut assensu contrario orta, nec duravit nisi ad modicum tempus, adeò ut mox renata fides vividiùs revixerit, censetur non defecisse, id est, non esse evulsa funditùs, aut radicitùs exstirpata, imò turbata potiùs quàm vel ad tempus mortua; ut prætercam quòd promissio non defecturæ fidei respiciat potiùs conditionem capitis Ecclesiæ doctorisque fideī in Petro quàm privatæ personæ ejus. Nam et sic aliqui successorum ejus, ut privatæ personæ, potuerunt animo vacillâsse circa fidem; sed ut Ecclesiæ, tanquàm capita ejus primique doctores, proponerent aliquid credendum, quod christianæ fidei foret contrarium, minimè accidit, hâc Christi oratione prohibente.

Et tu, tu igitur, aliquando conversus, postquàm fueris conversus, à peccato derelictionis et negationis meî, quod brevi commissurus es.

Confirma, in fide, in fide christianâ et orthodoxâ, et reliquis ad salutem ducentibus quæ fides docet.

Fratres tuos, non apostolos meos tantùm, quod legitur fecisse Petrus post Domini ascensionem, Act. 1, v. 15, et 15, v. 7; verùm etiam reliquos omnes in me credentes, exagitatos persecutionibus variis, tyrannorum, hæreticorum, carnis, Satanæ. Sub officio confirmandi in fide, intelligit omnis generis confirmationem pertinentem ad salutem, cujus fundamentum est fides. Mandat officium, non dominandi, sed confirmandi in bono fidei, spei et charitatis. Porrò hoc idem vult Jesus dictum successoribus Petri, ut citò conversi à peccatis, si in quæ fortè inciderint, confirment cæteros Christianos, in fide, pœnitentiâ, etc. Idcircò enim aliquando permittit Deus ut ii quos ordinavit rectores aliorum, offendant et labantur, ut eò et submissiùs de se sentiant, et benigniùs peccatores tractent. Cæterùm, non vult Christus dicere quòd nisi conversi sint, alios confirmandi non habeant auctoritatem; sed insinuat, quòd nisi conversi sint, minùs idoneos se præstent ad alios confirmandos, et præsertim si fidem eos negâsse contigerit, quemadmodùm Petrum.

Vers. 33. — Qui, Simon Petrus intelligens se à Satanâ oppugnandum et agitandum, et tantùm non fide in Christum defecturum, arbitratus hoc indi-

nas, tanquàm adversarius vestræ omnium salutis, expetivit vos, id est, depoposcit vos à Deo ad tentandum et vexandum, sicut olim expetivit Job, nimirùm ut cribraret, id est, concuteret atque agitaret; unde Cyprianus, epistolà 8, legit, ut vexaret; ut ita videlicet fidem vobis excuteret, sicut triticum, scilicet cribratur et agitatur in vanno aut cribro: quod etiam Satanas paulò post magnâ ex parte assecutus est.

Vers. 32. — Ego autem rogavi pro te, peculiariter tanquàm pro capite cæterorum, per quem reliquos ad salutem adducere decrevi: ut non deficiat, id est, non penitùs eradicetur et extinguatur fides tua. Nam quamvis cribrandus et concutiendus esset usque ad negationem Christi, quam ore fecit, fidem tamen internam, quâ ad justitiam corde creditur, non amisit; sicut arbor folia vi tempestatis abjicit, non tamen vitam in radice permanentem, ut sentit Ambros., in v. 12 psalmi 43, et explicat. Theophyl. Et hoc quidem personale fuit Petri privilegium, de quo August., lib. de Corrept. et Gratiâ, cap. 8: Quando, inquit, rogavit ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Sed quia confirmare fratres, quod sequitur, ad officium pastoris pertinet, et proinde perpetuum esse debet, hinc juxta sensum antiquorum impetravit ei et aliud

gnum se, et meliora præsumens, promittit temerè plura quàm vires ferant.

Ire, scilicet potiùs quàm te quâvis ratione deseram aut offendam.

Vers. 34. — At ille, scilicet *Jesus*, quod addit Syrus.

Dico tibi, expressis verbis, quod modò dixi tacitis.

Petre. Syrus, *Simon*.

Non cantabit gallus, non erit gallicinium hodie, id est, hâc nocte.

Donec, priusquam.

Abneges. Compositum ponitur pro simplici *neges*.

Nossè me, quòd noveris me, et consequenter quòd discipulus meus sis.

Vers. 35. — Et dixit eis. Subjunxit Christus, sermone ad omnes discipulos verso, volens clariùs explicare conditionem instantis temporis, quo illi sic à Satanâ agitandi essent, ut Petrus eum negaturus.

Quando misi vos prædicatum Evangelium regni cœlorum per Judæam universam. Non dicit, *quamdiu mecum fuistis, numquid aliquid defuit vobis?* confert enim absentiam discipulorum à se ante passionem, cum eâ quæ cœpit à passione.

Sine sacculo, Græcè, *sine marsupio*, id est, sine pecuniâ.

Et pera, et sine cibo sive viatico.

Et calceamentis, quibus pedes toti muniti forent adversùs offendicula.

Aliquid rerum ad vivendum necessariam.

Nihil, licèt nullâ re ad iter faciendum commodâ instructi, essetis emissi, tamen nihil defuit. Quare? quia suppeditabatur quidquid esset necessarium ab iis quibus Evangelium prædicabatis, faventibus mihi, et gaudentibus in universis quæ gloriosè fiebant à me, supra 13, v. 17.

Vers. 36. — Sed nunc, verùm hoc tempore. Significat enim tempus proximè instans, juxta id quod mox dixerat Petro, v. 34, se hodiè ab ipso negandum.

Qui vestrûm; non enim de omnibus loquitur, sed de discipulis suis duntaxat.

Sacculum, marsupium pecuniâ refertum.

Tollat, secum ferat eò quò abire cogetur.

Et peram instructam cibo; scilicet qui habet, tollat.

Et qui non habet, scilicet gladium. Relinquitur enim hìc subaudiendum ex proximè sequentibus; quod quidem Syrus clariùs repetit.

Vendat; πωλήσει vendet; verùm alii codices Græci legunt, πωλησάτω, imperativum, *vendat*.

Tunicam. Græcum significat et pallium.

Emat; ἀγοράσει, *emet*; in aliis meliùs est, ἀγορασάτω, *emat*. Neque præcipit neque consulit Christus discipulis suis, ut jam aliter se gerant quàm aliàs ipsos instruxerat; ut jam de marsupio pleno pecuniâ et perâ cibo refertâ solliciti sint sibique prospiciant (quod certè Judas impiè fecerat), neque ut gladios sibi comparent, quibus hostes aut invadant aut arceant. Docet hoc Euthymius his verbis : *Quod sequitur, vendat tunicam suam et emat gladium, per emphasim dixit, solùm ostendens esse tempus ultionis, venientibus, quantùm nunquàm aliàs, persecutionibus; non quòd gladiis vim propelli vellet : nam Petrum ita ulcisci volentem postea prohibuit.* His igitur verbis describit duntaxat et explicat Christus instantis jam temporis conditionem, prorsùs contrariam conditioni temporis præteriti. Nimirùm, commodissimæ illi vivendi rationi, quâ antea discipuli usi fuerant, licèt corpore absentes à Domino, opponit acerbissimam persecutionem, quæ hâc ipsâ nocte inchoanda erat, ipso mortis supplicium adeunte, duratura ad vitam apostolorum et ampliùs; quâ non solùm non essent homines ipsis suppeditaturi vitæ necessaria, verùm etiam conaturi vitam auferre, ita ut humano judicio arma quàm maximè forent ipsis necessaria. Jam, inquit, instat alia temporis conditio, ejusmodi ut qui discipulorum meorum, humanis præsidiis niti, et hominum more sibi providere velit, non mutet locum, nisi sufficienti apparatu cibi pecuniarumque instru-

privilegium, ad successores propagandum, ut videlicet tanquàm caput Ecclesiæ nunquàm nec ipse nec successores ejus in docendâ verâ fide deficerent, juxta illud Leonis, serm. 3, de assumptione suâ ad pontificatum : In Petro omnium fortitudo munitur; et illud Bernardi, epist. 190, ad Innocent. : Dignum arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando : *Ego rogavi pro te?* etc. Et tu aliquando conversus, à peccato negationis tuæ, inquit Theophyl. Quanquàm alius percommodus possit esse sensus, ut illud, *aliquando*, jungatur cum *confirma fratres tuos*, et illud, *conversus*, non significet conversionem ad pœnitentiam, sed ad eos, quos confirmaturus erat hoc sensu : Et tu aliquando, cùm opus fuerit, et aliquos in fide nutantes videris, ad eos conversus, confirma illos, quomodo dicitur, psal. 84, vers. 7 : *Deus, tu conversus*, scilicet ad nos, *vivificabis nos*. Cùm autem Petrus, audiens se cribrandum, et in fide periclitaturum, animosiùs de se multa promitteret, negationem suî Christus ei prædixit, et mox conditiones instantis temporis clariùs explicans, dixit omnibus discipulis :

Vers. 35. — Quando misi vos, prædicaturos in Judæâ regnum cœlorum, sine sacculo et pera, id est, sine pecuniâ et cibo, seu viatico; continens enim utrobique pro contento ponitur, nam pro sacculo Græcè est, *marsupium* seu loculi. Numquid aliquid defuit vobis, scilicet ad vivendum necessarium? Q. d. : Nihil omninò, eò quòd in meî favorem et amorem omnia vobis liberaliter ab auditoribus suppeditarentur.

Vers. 36. — Sed nunc, talia instant tempora, ut in odium meî etiam vobis nocituri sint; ut meritò qui habet sacculum, pecuniâ refertum, tollat, id est, sumat illum secum, quò abire voluerit; similiter et peram, supple, qui habuerit, tollat illam, seu ferat secum. Sic enim distinguendum esse textus etiam Græcus clarè indicat : Et qui non habet, gladium scilicet, quod ex sequentibus repetendum est, vendat tunicam suam, et emat gladium. Quibus verbis non revocat doctrinam olim datam, neque præcipit sumere sacculum, aut peram, aut uti gladio, utpote quod paulò post etiam prohibuit, sed solummodò describit, ut Euthymius observat, temporis jamjam instantis et persecutionis acerbitatem, in quâ si humanâ provi-

ctus, nec eat aut moretur alicubi nisi gladio armisque munitus, etiam vestis venditione comparandis, si aliunde non possit. Hujusmodi loquendi genus frequens est apud prophetas, quo prædicunt imminentes calamitates, jubendo fieri id quod homines facere assolent in hujusmodi calamitatibus; Jer. 9, v. 17, 18; Ezech. 4, v. 2. Nec aliter hunc locum intellexerunt apostoli accepto Spiritu sancto : quòvis enim inter Evangelii hostes proficiscentes, non fuerunt solliciti de perâ aut crumenâ replendâ, multòque minùs de assumendo gladio.

Vers. 37. — Dico, affirmo, quantùmvis vobis incredibile.

Enim; dat causam mutati temporis, tranquilli in turbulentum, faventis discipulis suis in hostile.

Adhuc, emphasim habet indignitatis rei, præter cætera prophetarum vaticinia, jam in me impleta, illud quod est omnium caput, superest. Significat, nondùm se omnibus officii sui numeris defunctum esse, donec iniquis et sceleratis annumeratus fuerit, tanquàm unus ex eorum ordine.

Quod scriptum est, per Isaiam prophetam. Scriptum si est, non tam fiet hostium potentiâ, quàm voluntate divinâ; ut non tolerabitur malum ab invito, qui ut prædicere potuit, ita potuisset et cavere.

In me, de quo scriptum est : Et cum iniquis, inter iniquos sive sceleratos, qui iniquus non erat; deputatus, computatus est, tractatus more iniquorum, ut tractari solent et merentur iniqui, legumque transgressores, nimirùm publicè comprehensus, damnatus, variis contumeliis affectus et modis punitus, tandem etiam in medio latronum crucifixus. Reliqua ad hujus prophetiæ explicationem facientia, dicta sunt alibi. Jam vult hìc dicere Salvator : Hoc autem non implebitur in me, nisi mutatis erga me populi animis; qui cùm mihi, etiam principibus ægrè ferentibus, favere consueverit, jam è contrario, cum principibus suis conspirans, me tanquàm sceleratum postulabit ad pœnas omnes ac mortem, et tam vivum quàm mortuum prosequetur odio plusquam hostili. Quemadmodùm ergo cùm mihi benè vellent, benè quoque volebant faciebantque vobis discipulis meis; ita jam odientes me, odio habebunt aversaturique sunt et vos discipulos meos, nec tantùm non benefacient, verùm etiam modis omnibus persequentur, et quærent non minùs quàm me ad necem. Hoc rerum statu, discipuli proculdubio, et gladiis se armâssent, et nihil ab aliis adjumenti exspectantes, de necessariis vitæ in longum tempus sollicitè sibi ipsi prospexissent, si humana consilia secuti fuissent; sed meliùs sapientes, Deoque confisi, inermes et pauperes, perrexerunt, inter hostes, Evangelii prædicandi officium implere : nisi quod triduo proximo plus æquo turbati, neque adhuc Spiritu sancto confirmati, ad humana, verisimile est, præsidia non minimè respexerint.

Etenim. Nihil mirum illud Isaiæ in me implendum, quandoquidem omnia ea quæ sunt de me scripta et prædicta per legem et prophetas, finem habent, finem accipiunt, jam finiuntur; *jam perficiuntur,* ait Euthymius, et consummantur. Hinc clamat postridiè Jesus è cruce : *Consummatum est,* Joan. 19, v. 30.

Vers. 38. — At illi, signanter Petrus, auctore Ambrosio.

Duo gladii. Apostoli intelligentes Jesu præceptoris verba propriè, responderunt præsto sibi esse duos gladios, ut intelligerent an judicaret illos sufficere ad resistendum præsenti periculo, necne.

Satis est. Non subaudit, satis est quòd adsint duo gladii, ad repellendos videlicet hostes exspectatos, quasi velit ut gladios illos secum ferant; sed *satis est,* verborum hâc de re. Sic enim consuevimus abrumpere sermonem eorum qui non intelligunt quæ à nobis dicuntur, *satis est,* benè habet; ita rectè Theophylactus. Atqui, si non intelligebant apostoli quid sibi vellet Dominus, cur non explicuit eis Dominus; præsertim cùm Petrus potuerit occasionem hinc accepisse liberiùs exerendi gladii adversùs invasores Domini? Non judicabat Dominus verba sua tunc temporis clariùs exponenda esse, sed relinquebat suo tempore intelligenda per illustrationem Spiritûs sancti. Sive verò Petrus occasionem hinc acciperet utendi gladio, sive non, decreverat divino consilio Jesus permittere ut gladio feriret, justas ob causas.

Vers. 39. — Egressus, domo in quâ cœnam hanc celebraverat.

Ibat, Græcè, profectus est.

Secundum consuetudinem suam; vide supra 21, v. 37 : *Tradendus, ait Beda, à discipulo Dominus, consueti secessûs locum, quo facillimè reperiri possit, adit. Ubi sunt ergo qui eum mortem timuisse, invitumque contendunt esse crucifixum?*

In montem, in hortum villæ quæ dicitur Gethsemani, sitæ ad radicem montis olivarum. Syrus, *domùs olivarum,* id est, oliveti.

dentiâ nitendum esset, meritò sacculo et perâ, gladiis cum jacturâ vestium comparatis, ad vitæ tuendæ præsidium uti deberent. Causam reddit :

Vers. 37. — Dico enim vobis, quantùmvis vobis videatur incredibile, quoniam adhuc, id est, præter omnia mala, in me impleta et implenda, etiam illud, quod cæterorum caput est, oportet impleri in me; nam illud *adhuc* magnam emphasim spirat. Et cum iniquis, id est, inter iniquos et sceleratos, deputatus est, quia more iniquorum tractatus, dùm instar latronis captus, flagellatus, damnatus, et in medio latronum velut coryphæus eorum crucifixus est. Etenim ea, quæ sunt de me, prædicta scilicet per legem et prophetas, finem habent, id est, jamjam perficienda et consummanda sunt. Unde sequenti die ex cruce proclamavit : *Consummatum est.*

Vers. 38. — At illi dixerunt : Domine, ecce duo gladii hic; multi satagunt invenire, unde gladii in familiâ Christi. Sed nihil mirum, si in domo hospitis, strata cœnacula habentis, et consequenter locupletis, essent duo gladii. Satis autem patet apostolos non intellexisse verba Christi. Unde Christus etiam respondet : Satis est, non ad confirmandam eorum opinionem, quasi dicere vellet, duos gladios sufficere ad sui

DISCIPULI, apostoli undecim.

VERS. 40. — AD LOCUM montis olivarum consuetum, in quo orare noctu consueverat, vocatum Gethsemani.

NE INTRETIS, non intrare, id est, orate hoc, ne intretis.

VERS. 41. — ET IPSE. Tunc ipse, AVULSUS EST, tanquàm vi, natura enim solatium quærebat ex societate charissimorum discipulorum, sed ratio impellebat ut sequestratus tristitiæ magnitudini mederetur per orationem.

AB EIS, discipulis suis, plerisque omnibus, octo videlicet. Nam tres propiùs secum assumpsit, quod narrant priores evangelistæ.

QUANTUM JACTUS EST LAPIDIS. *Lapidis* levis subaudit Richelius, id est, quinquaginta aut sexaginta passibus, nam hujusmodi spatium projici queat lapis fundâ aut manu. Non dereliquit eos alio prorsùs loco, jam cùm persecutionis tempestas ingrueret, cujus ipsos fecerat etiam certiores, ne conciderent animis, et derelictos tempestas nullo negotio absorberet; sed tanto se ab eis separavit spatio, quanto et ipse solus tristari atque orare, et illi sic orantem, ut non perinde tristem, conspicere possent, denique facilè ad se mutuò possent ultrò citròque redire.

POSITIS, flexis humi. Non est hoc contrarium ei quod priores evangelistæ dicunt, procidisse in faciem seu terram; nam et sic cadere quis potest in faciem et terram ut flectat genua, præter hoc quòd credibile sit, Dominum primùm flexisse humi genua erecto corpore, tandem deficientibus præ teneritudine tristitiâque corporis viribus, et orationis fervore crescente, etiam corpus in terram dejecisse, ut fieri solet in secretis et valdè seriis orationibus.

VERS. 42. — SI VIS, si placet. Ita declarat affectum suæ naturæ, ut non omittat significationem reverentiæ et obedientiæ debitæ.

TRANSFER. Græcè, *transferre,* infinitivus loco imperativi; vel defectiva oratio est, quod inquit Euthymius; deficit enim *transfer*, aut potiùs *potes.*

NON MEA VOLUNTAS, naturalis.

SED TUA divina, quæ eadem est mea secundùm divinitatem tecum mihi communem : quin etiam secundùm rationem mihi homini propriam, ego eidem assentior.

FIAT. Clariùs hanc partem Lucas extulit, quàm cæteri Evangelistæ. Fiat quod tua sancta voluntas decrevit, non quod humanæ hujus meæ naturæ suadet imbecillitas.

VERS. 43. — APPARUIT, visibilis humanâ specie : erat enim humana Christi natura confortanda.

AUTEM, oratione tertiò repetitâ.

ANGELUS, Michael, quod quidam aiunt; nimirùm, summus angelorum summo Dei Filio, sed modicò quàm angeli minorato, Hebr. 2, v. 9, quod ad hominem mortalem. *Nam postquàm mortem resurgendo calcavit, etiam humanitatem suam majestatibus angelorum superposuit,* ait V. Beda.

DE COELO, id est, cœlestis, vel *de cœlo* delapsus, et à Deo Patre missus.

CONFORTANS, confirmans EUM, addens ei animum, et responsum ab orato Patre afferens. Infirmus jam erat et laborabat, extremis pressus angustiis, quod ad humanam naturam; et poterat quidem se ipse confirmare, id est, divina natura humanam, imò etiam humana natura seipsam, siquidem ipse voluisset; sed nunc quidem noluit, relinquens non solùm humanam naturam sibi, verùm etiam spontè defigens humanæ naturæ mentem in solam malorum impendentium considerationem, nec alicunde admittens eorum contemplationem quæ solamen afferre possent. Cæterùm sine omni consolatione diù esse noluit, sed voluit eam extrinsecùs advenire finitâ oratione, adeòque laboranti sibi succurri ab angelo misso à Patre, ne frustra oràsse et ad Patrem recurrisse in tribulatione videretur discipulis, spectantibus hæc aut certè legentibus; doceretur è contra, perseverantis orationis assiduique recursûs ad Deum in tribulatione fructum esse divinam consolationem confirmationemque, etiamsi non semper tribulatio ipsa auferatur. Confortavit porrò angelus Christum verbis, *videlicet dicens ei tanquàm homini, ut confortaretur ac roboraretur,* ait Euthymius. *Credi autem potest quòd non citra illustrem laudem pronamque adorationem,* quod habet Titus, *angelus eum hujusmodi oratione affatus est :* O Christe, Fili Dei vivi, audita est oratio tua à Deo Patre tuo, eaque ipsi gratissima est et acceptissima, quippe quâ, quamvis patiatur natura humana tua horrorem summum et tristitiam morte non inferiorem, ob imminentem calicem passionis ac mortis, tamen submittis eam paternæ voluntati, et paratam offers ad ferendum quæcumque Pater decreverit. Aufer igitur horrorem hunc ac mœrorem, quem spontè tibi ipse accersivisti, ut ab eo inchoares paterni consilii persione ad gloriam Patris illustrandam, et ipsi Christo, et toti humano generi sequeretur. Demonstrari verò voluit hâc angeli confortatione fructum orationis perseverantis, ne frustra oràsse videretur, quando passionis translationem impetrare non potuit. ET FACTUS IN AGONIA, id est, anxietate, timore et luctâ animi secum. Nam *agonia* propriè est ille angor animi, quo quis trepidat et æstuat, qui in certamen descensurus est. Itaque Lucas uno verbo exprimit id, quod alii dixerunt pluribus, *contristari, pavere, tædere, tristem esse usque ad mortem ;* ex horrore scilicet instantis passionis. PROLIXIUS ORABAT, quia tertiò ad orationem rediit : nam omnes tres orationes Lucas tanquàm unam perstringit.

defensionem, sed *satis est,* videlicet verborum hâc de re. Est enim modus abrumpendi sermonem, ut cùm dicimus, *Benè habet, satis est ;* quo significamus nos amplius de re nolle loqui. Quem sensum tradit Theophyl. Applicat hunc locum allegoricè Bernardus, lib. 4, de Considerat., c. 4, ad duos gladios, quos habet Ecclesia : spiritalem, manu sacerdotis ; materialem, manu imperatoris et militis exerendum.

VERS. 43. — APPARUIT AUTEM ILLI ANGELUS DE COELO CONFORTANS EUM, id est, addens ei animum in istâ extremâ angustiâ instantis passionis, quando humanam naturam, solatium tam divinum quàm humanum destituerat. Verisimile est autem confortationem istam ab angelo factam, suggerendo ei fructum, qui ex pas-

fectionem. Satisfactum hâc parte est, resume animum, quo fortiter aggrediaris et viriliter perficias reliqua, ob oculos mentis ponens, et gloriam quam tibi hâc ratione paries, et salutem quam afferes humano generi. Proposito tibi gaudio, crucem sustine, futurus auctor et consummator fidei plurimorum; Hebr. 12, v. 2. Scio quidem te id facturum, etiam non monente me, neque opus tibi esse Domino meo confirmatione meâ, qui à te ipso confirmor ut sim et vivam; sed ut gratum tibi sit hoc ministerium meum, quod Deo Patre tuo jubente dispensativè exhibeo, etiam atque etiam ero.

Vers. 44. — Et, positum pro *nam;* non enim postquàm confortator angelus apparuisset, tunc factus est in agoniâ, et sudavit sanguinem, prolixiùsque oravit; imo verò tunc, confortatus angelicis verbis, ab oratione cessâsse et surrexisse, ac præmonitis discipulis proditori obviàm ivisse, intelligendus est, tanquàm responsum à Patre et orationis suæ fructum consecutus. Sed causa apparentis angeli, agonia fuit, et orationis contentio, comitata sudore sanguineo. Est igitur hysteronproteron observandum in hâc Lucæ narratione.

Factus, constitutus.

Agonia, angore, angustiâ, anxietate animi. Significat Græcis *agonia*, illum horrorem et angorem quo corripi solent homines, jam instante atque urgente gravi discrimine; atque omninò, illud quod priores evangelistæ pluribus verbis expresserunt, contristari, pavere, mœrere seu tædere, tristemque animam usque ad mortem, id Lucas uno agoniæ verbo extulit, nullum intelligens aut certamen aut conflictum in Christo fuisse, qui spontè angorem hunc in se admisit.

Prolixius; ad verbum *extensiùs. Intensiùs* vertunt quidam. Euthymius, ut noster interpres, *protendebat orationem*, inquit. Utrumque locum habuit, nam et extensè seu prolixè oravit, quia tertiò ad orationem rediit, quod disertè narrârunt Matthæus et Marcus; et intensè, quia profundo et toto corde, ut solent ii qui in magnis versantur angustiis. Cæterùm nemo unquàm intensiùs Christo oravit, quandocumque oravit, cujus animum nulla res occurrens distrahere poterat. Discimus hinc, quò magis angimur, eò magis nobis insistendum esse orationi.

Et factus est, præ vehementiâ agoniæ anxietatisque et orationis ardore, sudor ejus, sudor è corpore ejus emanans, sicut guttæ, (Græcè, *quasi grumi.* Grumi sunt guttæ ampliores sive crassiores), sanguinis, id est, sanguineæ. Porrò *quasi* aut *sicut* addit Evangelista, non quòd non fuerint veræ guttæ, imò grumi, neque quòd non fuerit verus sanguis, sed quòd non fuerint verè guttæ sanguinis; poterant autem esse videri, quia erant tinctæ sanguine. Guttæ aqueæ erant, sed mistæ sanguine. Magnâ copiâ aqua erumpebat è Jesu corpore, cumque eâ etiam tenuis sanguis, ita ut sudaret aquam simul et sanguinem, sudorem, inquam, constantem aquâ et sanguine, quanquàm copiosiore aquâ quàm sanguine. Naturale est homini, in extremo metu et summis animi angustiis ob mortem aut alia mala impendentia constituto, sudare aquam: metus, angustia, anxietasque, animo Jesu, ob oculos sibi ponenti proximos crudelissimæ mortis cruciatus, hujusmodi fuit, ut sudârit etiam sanguinem, naturâ tantam intùs patiente violentiam, quanta per poros carnis cutisque ejecerit unà cum aquâ sanguinem. Multi illud tribuunt miraculo; sed nihil prohibet quin natura id possit, quanquàm rarum sit, in hominibus delicatissimæ optimæque constitutionis, quibus corpus rarum et sanguis subtilis est; qualis haud dubium Jesus erat, conceptus de Spiritu sancto à virgine; prodeunte nimirùm è venis sanguine simul cum aquâ. Nihil enim aliud est sudor, quàm pars sanguinis aquosa, expressa è venis. Porrò non incongruum Jesu fuisse hujusmodi mortis metum dictum est alibi, contra blasphemos nostræ ætatis hæreticos. Jam quare Jesus sudare voluerit etiam sanguinem, quid melius dicas, quàm ut copiosissimè nos redimeret, et largissimè pro nostris peccatis satisfaceret? Considerare enim licet, quàm fervidus amoris ignis occupârit cor Jesu, qui vivum sanguinem per corporis poros distillare coegerit, quemadmodùm vehementia ignis facere solet, ut aqua è rosis emanet: nimirùm volebat sacrificio Patri pro nobis mox offerendo addere hunc odorem suavitatis; hunc, inquam, sudorem sanguineum, cum lacrymis et prece validâ conjunctum.

Decurrentis abundè. *Decurrentes, descendentes,* habent plerique Græcorum codicum, ita ut ad *guttæ* referatur, non ad *sanguinis;* quanquàm eòdem redeat sensus.

In terram, è facie, manibus pedibusque orantis et humi prostrati; cùm scilicet positis genibus Patrem supplex oraret.

Vers. 45. — Et cum, cùm autem.

Et venisset. Conjunctionem *et* addit Latinus cum Syro. Quemadmodùm trinam Domini orationem, sigillatim à prioribus evangelistis recensitam, Lucas habuit pro unâ, quia ter eumdem sermonem dixit, id est, idem unum oravit; ita trinam discipulorum visitationem admonitionemque pro unâ habuit.

Præ tristitia, non ex crapulâ, non ex fluxâ carnis hilaritate, non ex stupore crasso, non denique ex

Vers. 44. — Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis, id est, sanguineæ, quia guttæ quidem veræ erant, sed aqueæ, mixtæ tamen sanguine, non purus sanguis; quod significatur illâ particulâ similitudinis; decurrentis in terram; quo indicat, sudorem illum copiosissimè fluxisse; Græcè est *grumi sanguinis*, quo significantur guttæ crassiores; ideòque putant quidam istum sudorem miraculo tribuendum. Sed quia Græcum semper usurpatur simpliciter pro guttis, non est improbabile naturaliter hoc contigisse, sive hoc fecerit anxietas ac metus in delicatissimâ complexione corporis rari et sanguinis subtilis; metus enim et æstuatio animi vehemens sudorem exprimere solet; sive potiùs animi fortitudo eum expresserit, luctando contra timorem. Animus enim fortis dùm vehementer adversùs anxietates ac timores insurgit, etiam sudorem exprimit.

contemptu, profecta fuit hæc discipulorum somnolentia, sed ex tristitiâ immodicâ; somnus fuit, non tam torporis quàm mœroris. Prædixerat illis Dominus multa tristia, sibi ipsisque eventura, quæ tristes admodùm ipsos reddiderant: nam et ipse dixerat eis Joan. 16, v. 6: *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Habet autem hoc tristitia, ut cor contrahens inque angustiam redigens, ac proinde prohibens ne vitales spiritus in sensuum meatus ejaculetur, faciat, ut meatus illos occupent atque obstruant humores grossiores, quales somni sunt causa.

Vers. 46. — Quid dormitis jam, cùm dormiendi minimè opportunum est tempus?

Surgite, expergiscimini.

Orate. Hæc dixit Christus in primâ maximè discipulorum visitatione, quod intelligitur ex Matthæo et Marco; sed Lucas, quod diximus, visitationem triplicem confundit in unam.

Vers. 47. — Adhuc, eo loquente, cum discipulis; non verba proximè præcedentia: *Surgite, orate ne intretis in tentationem*, sed alia in eamdem sententiam, quibus somnolentiam discipulis excutiebat, præsentis periculi commemoratione, à prioribus evangelistis descriptâ: *Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet.*

Qui vocabatur. Ita loquitur evangelista, quasi proditoris nomen exosum habeat.

Antecedebat, tanquàm ductor, inquit Euthymius. Nam et sic vocatur à Petro Act. 1, v. 16: *Qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum.*

Appropiavit, appropinquavit.

Ut oscularetur eum, ut primi teli loco osculum in hostem jaceret. Syrus habet, *et osculatus est eum;* apud quem etiam sequitur, ut et in Græcis quibusdam libris: *Hoc enim signum dederat eis: Quem osculatus fuero, ipse est.* Quod quidem subaudiendum hìc est, sed priorum evangelistarum, non hujus, scripturam esse crediderim. Unde V. Beda: *Quare osculetur,* inquit, *alii evangelistæ manifestant, ut hoc indicio dignoscere possint ipsum esse quem traderet.*

Vers. 48. — Juda, amice, discipule, œconome, apostole mi. Non dedignatur eum nomine proprio, quod est blandè deplorantis simul et revocantis.

Osculo, benevolentiæ signo, filium hominis, mitem, humilem, *lenem, modestum, propter te factum hominem cùm Deus sit,* ita rectè Theophylactus; qui tibi nihil nocuit, imò utilissimus tibi fuit optimèque de te meritus; tradis malevolis hostibus? Singula verba emphatica sunt plenaque doloris, quibus non aliud Jesus quàm pungit proditoris conscientiam, ostendens se non latere quo animo ille osculum præberet, ut vel tantâ lenitate motus resipisceret. D. Ambrosius ea *per interrogationem pronuntianda* annotat, *quasi,* inquit, *amantis affectu corripiat proditorem, Juda: osculo Filium hominis tradis? hoc est, amoris pignore vulnus infligis, et charitatis officio sanguinem fundis, et pacis instrumento mortem irrogas? servus Dominum, discipulus prodis magistrum, electus auctorem? Hoc est illud: Utilia vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.* Hæc Ambrosius. Similiter Theophylactus: *Non erubescis hoc proditionis genus? misces amico amplexui inimici opus proditionem?* Intelligebat Judas se non latere, noverat innocentiam Domini, toties mansuetudine inauditâ provocabatur ad mutanda consilia, omni tamen permansit ferâ crudelior, Satanâ pectus illius per avaritiam prorsùs occupante.

Vers. 49. — Qui circa ipsum. Syrus, *qui cum ipso,* erant, qui Jesu aderant.

Quod futurum erat, id est, futurum ut Jesus caperetur captivusque abduceretur ab hostibus; accurrebat enim hostium turba ut irrueret in Jesum vimque illi afferret, paulò postquàm Judas osculo ipsum indicâsset.

Dixerunt ei, rogârunt eum, zelo defensionis concitati, amoreque suppeditante audaciam.

Si percutimus, percutiemusne, placet ne percutiamus, scilicet turbam hanc irruentem in te ut vim tibi afferat. Syrus addit, *eos.*

In, superest Latinè.

Gladio, ut te defendamus? Meminerant abs Jesu dictum in cœnâ: *Sed nunc qui habet,* etc., *vendat tunicam suam et emat gladium,* supra, v. 36, sed quia non tam clara ipsis ea verba videbantur quàm desiderarent, præsertim cùm nôssent vitam simul et doctrinam Jesu ab omni usu gladii ac vindictâ alienissimam; rogant quid sibi faciendum sit irruentibus jam hostibus, testantes se ad pugnandum et ad vim hostium arcendam paratos. Nam, quamvis se ad resistendum agnoscant impares, tamen partim confidunt, animati recenti hostium prostratione quam viderant, illos à se superari posse, modò Dominus annueret, partim corpora sua pro Domino opponere et ad certam mortem objicere non dubitant, malentes perire cum ipso, quàm se vivis ac videntibus eum opprimi, tum quia noverant manifestam ipsi injuriam fieri, quem constabat vitâ et doctrinâ irreprehensibilem esse, tum quia paulò ante spontè promiserant optimo præceptori, se potiùs morituros cum ipso quàm essent ipsum deserturi, Marc. 14, v. 31. Quod ergo tunc polliciti fuerant, nunc præstare velle videntur, pugnaturi proculdubio animosissimè duobus gladiis quos habebant, sup., v. 38, et aliis armis quæ furor ministrâsset, si Jesus permisisset. Atqui nolebat Jesus ut jam pugnando, sed ut aliquando tolerando, pro ipso morerentur.

Vers. 50. — Unus, unus quidam, non exspectato scilicet responso Jesu. Commotus enim zelo propulsandæ à Domino injuriæ præsentis, suî impos, moram non patitur.

Dexteram. Hoc exprimit hìc evangelista ob historiæ certitudinem. *Nec simpliciter dexteram auriculam dicit,* inquit Chrysostomus in Joannem, *sed mihi videtur apostoli impetum velle ostendere, quod ferè in ipsum caput irruit.*

Vers. 51. — Respondens, iis qui ipsum interrogaverant: *Domine, si percutimus in gladio?*

Usque huc, hucusque, id est, non vos moveat id

quod futurum est, ita ut me gladio defendere conemini, sed permittite ut hucusque progrediantur isti mei inimici, ut hucusque in me sæviant quousque eis concessum est, id est, ut me apprehendant. Nam et plura mihi ab ipsis patienda sunt, ut impleantur quæ de me scripta sunt. Neque enim ita intelligendum est: *Sinite usque hùc,* quasi placuerit Domino Petri factum usque hùc, sed ampliùs fieri noluerit; cùm ex verbis quæ Matthæus posuit, intelligatur, potiùs totum factum, quo usus est gladio Petrus, Domino displicuisse. Hæc interpretatio, inter veteres, est D. Augustini, l. 3 de Cons. evang., cap. 5. Porrò ut Petrus percussit interea dùm Dominus hoc responderet discipulis : ita Dominus his verbis ad omnes dictis, mox subjunxit, ad Petrum conversus, ea quæ Matthæus refert Petro dicta fuisse: *Converte gladium tuum,* etc., ut Augustinus eodem loco docet.

Et cum tetigisset. Et ut reipsà monstraret Jesus, se nolle armis defendi à discipulis, resarcivit etiam damnum ab uno discipulorum illatum, Petrique errorem emendavit, nequaquàm oblitus sive potentiæ sive misericordiæ suæ. Tactu sanavit, ut ostenderet, nec in passione ipsâ infirmâ, deesse sibi virtutem illam vivificam, quâ tam multos sæpè ægrotos hactenùs sanaverat.

Auriculam ejus, scilicet qui læsus fuerat, id quod Syrus etiam exprimit. Videtur quòd ita amputata fuerit auricula, ut non quidem in terram ceciderit, sed de extremo filo pependerit.

Sanavit eum, auriculâ suo loco repositâ, sic ut nullum vulneris vestigium appareret. Vulnus erat, infame magis quàm periculosum, sed tamen insanabile, quòd cartilago semel defecta non coeat rursùs. « Comprehende, inquit Ambrosius, si potes, quomodò « ad dexteræ Salvatoris attactum fugiat dolor, et vul« nera non medicamento aspersa, sed tactu obducta, « sanentur. Operatorem suum limus agnoscit, et ope« ratricem suam Domini manum sequitur caro; quo« modò enim vult, opus suum creator instaurat. Ju« bere potuit, sed operari maluit, ut cognoscamus ip« sum esse, qui è limo terræ, corporis membra nostri, « variis apta formavit officiis, et infuso vigore mentis « animavit. » Hactenùs Ambrosius. Sanare porrò Jesus hunc voluit, ut ostenderet se nolle defendi armis, quemadmodùm diximus. *Noluit persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare,* inquit Ambrosius, lib. 3 Offic., cap. 4. Cavit deinde Jesus, ne hinc calumnia ipsi strueretur, et criminis loco objiceretur, quòd magistratui legitimo restitisset, adeòque unum è ministris justitiæ, discipulorum operâ, graviter læsisset cum manifesto cædis conamine. Potuisset enim hoc colorem omnibus calumniis dare, quibus eum hostes falsò gravabant, et infamiam ipsi ejusque doctrinæ inurere, quasi ad res novandas seditiosis conatibus usus esset. Præterea, hunc sanando monstravit, quòd non invitus caperetur, sed spontè se ipse traderet. Hoc enim miraculum tantò magis est observandum, quantò imbecillior nunc esse videtur Christus. Erat quasi adversariorum captivus, corpore, at non majestate. Etsi enim non utitur majestate suâ ad opprimendos illos, declarat tamen hàc sanatione eam sibi adesse, ut iterùm testetur, se, non humanis viribus, sed suâ ipsius voluntate captivum fieri. Nam qui poterat rem difficiliorem, aurem amputatam restituere, facile erat intelligere posse, si vellet, rem faciliorem, evadere ex hostium imminentium manibus. Insuper hoc miraculo Jesus, perfectæ modisque omnibus absolutæ mansuetudinis, et erga inimicos charitatis, exemplum omnibus reliquit. *Illi justo mortem inferebant,* inquit Ambrosius, *persecutorum vulnera iste sanabat. Erudiens nos,* ait Chrysostomus in Joannem, *quòd in persecutores nostros, beneficos nos esse oporteat.* Postremò Malchi aurem sanavit Jesus, ut resipiscendi occasionem adversariis præberet, quâ à concepto scelere possent revocari, *et ab insaniâ,* inquit Theophylactus, *absistere.* Cæterùm horribilis ac prodigiosus stupor tenuit illos quos nihil movit tanti miraculi conspectus, *quique venerati non sunt tam clementem pietatis affectum, quòd etiam hostes suos Jesus non passus est vulnerari,* ait Ambrosius. Minùs tamen mirum est, in alienâ personâ Christi virtutem non esse intuitos, cùm voce ejus prostrati furere non destiterint. Atqui erant illi animis efferatis *sensuque reprobo, venundati ut facerent malum, captivi denique Satanæ ad ipsius voluntatem, Deo pro nobis melius aliquid providente.* Verùm in servo ipso qui sanatus fuit, intolerandum exstat ingratitudinis exemplum, si nec divinâ Christi virtute subactus est, ut à duritie resipisceret, nec beneficio victus ut ex hoste discipulus fieret.

Vers. 52. — Ad se, comprehendendum.

Principes sacerdotum, scilicet præcipuè. Non aderat Caïphas, qui summus omnium tunc erat sacerdotum princeps : sed aderant aliqui ex 24 principibus sacerdotalium familiarum.

Magistratus templi, ædiles. Vide supra, versu 4.

Et seniores, et magistratus populi. Aderant cum turbâ militum ministrorumque opificum fortè etiam, quibus præerant magistratus templi, et principum aliqui, domini cum ministris (interprete Euthymio inter alios) et quidem ex omni ordine (tanti negotium visum fuit) ob causas complures; inprimis ne Judas falleret; si falleret, mox juberent illi ipsummet comprehendi; deinde ut audacior esset ad aggrediendum facinus tradendumque præceptorem, præsentiâ ipsorum nixus; tertiò ut milites ministrosque animarent, adeòque cogerent, si opus esset, ad comprehendendum Jesum, ne fortè sinerent se verborum dulcedine aut quovis alio modo vinci aut revocari, quominùs eum caperent, quemadmodùm ministri illi aliquando, qui postquàm ab ipsis emissi fuerant ad eum comprehendendum, reversi et rogati cur non adduxissent, responderant : *Nunquàm sic locutus est homo, sicut hic homo,* Joan. 7, v. 45, 46. Postremò, ut si qui ex populo Jesum defendere vellent, auctoritate præsentiæ ipsorum compescerentur. Hos igitur, cùm propiùs accessissent, tanquàm duces dominique cæterorum, hìc præcipuè allocutus est Jesus, quippe quorum au-

ctoritate res gerebatur; quanquàm et omnes præsentes convenerit, quemadmodùm dicunt priores evangelistæ.

Vers. 53.—Non extendistis manus in me, id est, *non me tenuistis,* ut dicunt alii evangelistæ; conati enim fuerant, sed *nondùm venerat hora ejus,* Joan. 7, v. 70.

Sed hæc est hora vestra, id est, hora quâ vobis permittitur agere quod libet, quodque diù optâstis, scilicet, ut extendatis manus in me, et omnem malitiæ vestræ libidinem in me expleatis. Adversativa conjunctio tantùmdem valet, quantùm si dixisset: Tunc cùm in templo docerem, non erat hora vestra, tunc vobis id non permittebatur, ac proinde nec valuistis, licèt voluntas haud deesset. Horam ipsorum intelligit, non quæ fato aut siderum necessitate adducta cogat ipsos ut hoc jam mali perpetrent; absit! sed quâ à Deo, qui tempora omnia disponit, cæterarum horarum more adductâ, permittatur ipsis agere quod diù desiderârint nec quiverint; q. d.: Hæc est opportunitas tamdiù vobis quæsita jamque tandem concessa. Simili loquendi modo vulgò utimur, si quis diù prohibitus fuerit facere quod admodùm desiderârit, tandem ubi permittitur, *hæc est,* dicitur, *hora ipsius.* Concedi autem sive permitti ipsis hâc horâ agere quod velint, intelligit Jesus, à Deo Patre et seipso; respicit enim ad permissionem divinam, à Scripturis olim prædictam, nam addit secundùm Marcum: *Sed ut impleantur Scripturæ, hæc est hora vestra et potestas tenebrarum.* Horam verò potiùs dicit quàm tempus, ut significet, hanc afflictionem ad horam, id est, ad breve tempus duntaxat, duraturam: atque *hanc horam* urgens, respicit ad præsens noctis tempus, quo illi venerant, tanquàm diceret, hæc noctis hora seu nocturnum hoc tempus, vestrum est, quippe perversitati vestræ congruum. Denique quam dicit horam ipsorum, tacitè opponit horæ suæ, non illi tantùm quâ ipse hactenùs liberè invitis ipsis egerat quæ sui fuerant muneris, quantùm illi quâ ipse aliquando judicaturus est orbem terrarum, et ultionem retributionis adducturus hostibus suis; q. d.: Hæc est hora vestra, erit vicissim aliquando mea, quâ ego me de hâc vestrâ erga me impietate justè ulciscar. Quocirca rectè hunc locum interpretatur Euthymius: *Hæc est hora vestra, in quâ à Deo potestatem in me accepistis.*

Et potestas tenebrarum; et hæc est potestas tenebrarum. Explicatio est ejus quod præcedit, *hæc est hora vestra;* nam, id est, hæc est potestas concessa tenebris, vobis impiis scilicet, qui tenebras amatis, et in tenebris agitis quod vestrum est, iniquitatem. *Reverà noctis attentatis opera,* inquit Theophylactus, *et potestas vestra tenebrarum est; atque idcircò hanc horam observatis, quæ convenit vobis et operi quo me invaditis.* Impios tenebras vocat etiam Apostolus, Ephes. 5, v. 8: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino;* et cap. 6, v. 12, cùm dæmones vocâsset *rectores mundi,* interpretatur, *rectores tenebrarum harum;* seu, ut est Græcè, *tenebrarum seculi hujus,* id est, impiorum. Vocantur autem impii tenebræ, tum quia *tenebris obscuratum habent intellectum,* quod ait idem Apostolus, Ephes. 4, v. 18; *errant enim qui operantur malum,* Prov. 14, v. 22; tum quia iniquitas cui student gaudet tenebris, fugit lucem nec videri vult, unde et ejus opera vocantur *opera tenebrarum,* Rom. 13, v. 12; Ephes. 5, v. 11. Quare et alibi Salvator: *Dilexerunt,* inquit, *homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus,* Joan. 3, v. 19, 20. *Hæc est* igitur, ait Jesus, *potestas tenebrarum;* id est, quòd vos me jam comprehendatis occidendum, potestas est à Deo et meipso vobis tenebris, hoc est, impiis concessa adversùs me lucem; quare et hæc noctis hora concessa est, nam ut tenebræ nocte dominantur, ita vobis jam permittitur ut lucem, quod in vobis est, ad tempus opprimatis, neque permissum fuit ut interdiù id faceretis, quanquàm maximè volueritis, quod non nisi nocti et tenebris congruit. *Ideò,* inquit Beda, *adversùm me in tenebris congregamini, quia potestas vestra, quâ contra lucem mundi armamini, in tenebris est.* Porrò hoc verbo evertit Christus omnem adversariorum suorum gloriam; nam utcumque se efferant ob comprehensionem inimici sui, nihil aliud esse docet quàm impios tenebriones. Subdidit autem se ipse Dominus ad tempus potestati tenebrarum, ut nos æternùm *eriperet de potestate tenebrarum;* quod factum prædicat Paulus, Coloss. 1, v. 13.

Vers. 54. — Comprehendentes. Superioribus verbis: *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum,* dederat Jesus hostibus suis facultatem se comprehendendi, nec priùs fuit ab illis detentus captivus. Simul atque autem ea facultas ipsis data fuit, efferi, nec beneficio auris Malcho restitutæ deliniti, nec verbis adeò consentaneis rationi flexi, ut erant obdurati, violentas crudelesque manus injecerunt in eum.

Duxerunt. Duxerunt et introduxerunt; ita est Græcè. Latinus interpres non legit nisi alterum horum verborum, ut neque Syrus; ac certè videri facilè possit alterum Græcè superfluere.

Principis sacerdotum, Caiphæ, ex Matthæo.

Vers. 55. — Accenso, ab his qui comprehenderant eum.

Igne; *erat enim frigus,* quod Joannes ait.

In medio atrii. Atrium intelligit quâ parte tectum est, nam sub dio non struitur ignis, nec jubentur, morari ministri, noctu præsertim. Focus autem erat in medio atrii, ubi se possent hyeme ministri, intereà dùm dominos suos opperirentur, calefacere, vel immobilis, vel asportabilis.

Circumsedentibus, Græcè, cùm unà consedissent. Syrus, *sedebant circa eum.*

Erat, sedebat, Petrus in medio eorum, id est, inter eos.

Vers. 56. — Sedentem ad lumen, *quod resplendebat ab igne,* inquit Euthymius, aut certè à lucernâ aliquâ; erant enim in atrio illo, non ignis tantùm, sed et lucernæ complures, credibile est; ita sedentem ut facies ejus esset obnoxia lumini. Resplendens enim

lumen in faciem Petri, causa fuit ut videri posset et agnosci.

Intuita diligentiùs, fixis in eum oculis : plus enim quiddam est ἀτενίζειν, quàm ἰδεῖν, nempe immotis oculis obtueri.

Dixit, de eo astantibus.

Cum illo homine erat, ex comitibus hominis illius vilissimi erat. Ita illa primùm dixit astantibus : deinde ad Petrum ipsum conversa, inquit : *Et tu cum Jesu Galilæo eras,* quod habent Matthæus et Marcus.

Vers. 57. — Non novi illum ; *neque scio quid dicas,* quod addidit secundùm Matthæum.

Vers. 58. — Post pusillum, paulò post, quadrante fortassis horæ post.

Alius quidam videns eum, reversum ex vestibulo atrii.

Et tu de illis es, ex discipulis hominis istius. Petro egrediente ex atrio, dixit ancilla quædam : *Et hic erat cum Jesu Nazareno,* quod habet Matthæus, illo paulò post revertente, prior ancilla, ostiaria, inquam, dixit quod Marcus habet, *hic ex illis est.* Huic suffragatus unus ministrorum, objecit Petro in faciem, *pertinaciùs insistens,* ut ait Augustinus, *et tu de illis es,* quod hìc habet Lucas. Primâ vice, una sola ancilla ostiaria Petrum tentavit : posterioribus autem vicibus, ut à pluribus impetitus fuisse significetur, hinc fit ut posteriores evangelistæ alios nominent quàm priores. Pressus itaque secundâ vice à pluribus Petrus, simplici negationi addidit juramentum, quod habet Matthæus.

O homo. Hoc omittit Syrus.

Non sum ex illis, neque novi hominem, Deo ipso teste ; id enim addendum est ex Matthæo.

Vers. 59. — Alius quidam affirmabat sociis suis.

Vere et hic cum illo erat, nam et Galilæus est ; unde factum est ut plures simul accesserint Petrum, eique dixerint : *Verè et tu ex illis es, nam et loquela tua manifestum te facit,* quod scribunt Matthæus et Marcus. Denique his se adjunxit cognatus Malchi, exclamans : *Nonne ego te vidi in horto cum illo ?* quod refert Joannes. Hi enim omnes, certatim, et tanquàm uno consensu, exprobrâsse videntur Petro, quòd ex comitibus esset Jesu, et quasi conclamâsse ut opprimerent.

Cum illo, Jesu Galilæo.

Vers. 60. — Homo, nescio quid dicis, non intelligo quid velis dicere, dispeream si noverim hominem istum quem dicitis, quod est Matthæi et Marci. Respondit enim Petrus, et homini illi cujus sermonem ad socios audierat, et iis qui illum secuti istud ipsi simul objectabant : præterquàm quòd in hoc negotio, quod uni à Petro respondebatur, omnibus responderi intelligi poterat ; erat enim unanime maximè malorum consortium.

Adhuc illo loquente. Vix verba finierat. Hoc factum est, in majorem confirmationem veridicæ prædictionis Jesu.

Cantavit gallus, ita ut ille audiret.

Vers. 61. — Dominus. Syrus pro *Dominus* scribit *Jesus ;* quanquàm D. Augustinus, lib. 3 de Cons. cap. 6, urgeat vocem *Dominus,* ut probatiùs reddat conversionem respectionemque, cujus hìc est mentio, non humanis oculis, sed divinis factam.

Respexit Petrum. Multi hunc locum intelligunt de corporali conversione et respectu Domini Jesu, sed minùs verisimiliter. Cùm enim Dominus Jesus fuerit intùs, Petrus autem foris in atrio, quod ex Matt. 26, v. 69, notat etiam D. Augustinus ; duo illa loca, etsi non unus supra alium, quod tamen putat Augustinus, sed contigua sibi mutuò aut certè vicina fuerint, altero duntaxat aliquot gradibus eminente Marc. 14, v. 66 : necesse est dicere fuisse à se mutuò separata, pariete ut minimùm, ne vel consilia actionesque principum temerè cuivis è vulgo paterent, vel tumultus insolentium atque irrequietorum ministrorum obesset principibus seriis negotiis occupatis. Nam *in exteriore atrio fuit Petrus,* inquit Augustinus, *inter servos qui simul se ad ignem calefaciebant ; non est autem credibile, quòd ibi audiebatur Dominus à Judæis.* Id ergo cùm ita fuerit, non potuit Dominus Petrum oculis corporis aspicere, nisi dicatur vel ostium tunc temporis ita patuisse, ut id factum sit, vel Petrum tunc ingressum fuisse in conclave, vel denique Jesum foras abductum in atrium ; quorum nihil est verisimile, nam ante suî condemnationem Jesus eductus non fuit è conclavi, ac ne quidem statim post : in conclavi autem, ubi principes sua tractabant negotia, non potuit accidisse altercatio illa ministrorum et Petri ; denique constituto in conclavi, non facilis potuit fuisse respectus in amplum atrium ; patente ostio angusto. Accedit quòd obesse potuisset Petro respectus Jesu corporalis, utpote quo facile fuisset proditus ; prodesse autem non potuisset per se solus absque respectu spiritali ; nam et Judam respexerat Jesus, qui tamen nihilo melior inde redditus fuerat. Quare præstat sequi sententiam D. Augustini loco paulò ante laudato, et interpretari hunc locum de spiritali conversione ac respectu Domini Jesu. Aversus fuerat Dominus à Petro, cui merito arrogantiæ suæ negaverat gratiam quâ tentationibus resisteret ; id enim eamdem ob causam sibi accidisse, David conqueritur psalm. 29, v. 7 : *Ego dixi in abundantiâ meâ,* etc. *Avertisti faciem tuam à me, et factus sum conturbatus,* annotante Ambrosio ; remisso autem rigore illo justitiæ conversus respexit Petrum misericordiæ et clementiæ oculis, mentem ejus gratiæ suæ radiis illustrans simul et commovens, ita ut ipsi veniret in mentem, quid Dominus ipsi prædixisset, et quoties Dominum jam ipse negâsset, utque peccato agnito salubriter pœniteret neque diù in peccato maneret. Sic orat psalmographus, psalmo 6, v. 5 : *Convertere, Domine, et eripe animam meam,* et psal. 24, v. 16 : *Respice in me et miserere meî. Respicit enim Dominus quem ex periculo aliquo vel labore divinâ misericordiâ liberat;* sic ferè D. Augustinus hunc locum explicat. Commendatur igitur hìc et divinitas et benignitas Domini Jesu, quòd absens,

quòd negatus, quòd captus et ligatus, non obliviscitur discipuli, sed intuitu pietatis ac gratiæ respicit lapsumque erigit. *O Bonitatem!* exclamat Theophylactus, *etiam cùm negaretur, non neglexit discipuli salutem. Et ligatus,* addit scribens in Joannem, *aspexit atque aspectu opprobravit ei infirmitatem, et ad pœnitentiam ac lacrymas excitavit.* Hausit hoc autem ex Chrysostomo præceptore, qui et ipse in Joannem his verbis scribit : *Tu autem admirare magistri curam et diligentiam, quòd captus et ligatus discipulo consulit, intuitu suo jacentem excitans, et ad lacrymas movens. Nec enim fieri poterat,* inquit Hieronymus Matthæum enarrans, *ut in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi.*

Et recordatus est, atque ita recordatus est, verbi Domini, *et egressus foras flevit amarè,* quod sequitur proximo versu, respectus nimirùm à Domino converso. *Lapsum enim suum,* inquit Chrysostomus in Matthæum, *non antè sensit, quàm in eum Christus respexisset, cujus inspectio vox illi facta est. Respectus Domini, quasi vox quædam Domini corripientis, auribus Petri insonuit,* ait D. Leo, serm. 3 de Passione Domini. Non est enim pœnitentiæ initium nisi à Domini respectu; *quia non solùm cùm agitur, verùm etiam ut agatur pœnitentia, Dei misericordia necessaria est,* ait D. Augustinus, Enchiridii cap. 82. Ad quem D. Augustini locum hìc alludens Beda : *Respiciente Domino,* inquit, *Petrus ad cor reversus, maculam negationis pœnitentiæ lacrymis tergit; quia non solùm cùm agitur pœnitentia, verùm etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est. Respicere namque ejus misereri est.* Hæc ille. In quam sententiam et D. Ambrosius hoc loco : *Quos Jesus respicit, plorant delictum;* et alibi : *Jesu, labentes respice, et nos videndo corrige : si respicis, lapsi stabunt, fletuque culpa solvitur.*

Sicut dixerat. Quomodò præmonitus ab ipso fuisset.

Quia, superest.

Priusquam, vide supra, v. 34.

Vers. 63. —Et viri; illi autem qui tenebant, quibus commissum erat ut tenerent, qui tenendo illo et observando et custodiendo eâ nocte erant delegati : non enim sufficiebat vinctum et funibus ligatum esse, nisi multorum præterea ministrorum, partim manibus teneretur, partim præsentiâ observaretur et custodiretur.

Illum. *Jesum* est Græcè et Syriacè, clariùs.

Illudebant *ei*, sputis ludibriisque jactis in eum.

Cædentes, eum pugnis et palmis, conviciis addentes verbera. Syrus omittit hanc vocem, *cædentes.*

Vers. 64. — Et velaverunt eum; eum, id est, oculos ejus.

Percutiebant, alapis.

Vers. 65. — Alia multa, etc., prout malitia singulis suggerebat, pro varietate affectuum varias singuli blasphemias evomebant. Unus fortè, quòd esset comessator et vinipotor, amicus publicanorum et peccatorum, supra 7, v. 34. Alter quòd in principe dæmoniorum ejecisset dæmonia, supra, 11, v. 15, nec tamen se ipse jam posset eripere è manibus; alius quòd cùm pro Christo ac prophetâ se gessisset, et principibus ac Pharisæis restitisset, non prænôsset se capiendum et interficiendum ab eis : quòd ipsius stultitia jam pateret, et fallaciæ quibus populum seducere conatus fuerat, etc. Nox illa tota insomnis ducebatur, et nullâ requie datâ transigebatur conviciis et injuriis in Dominum, quæ facilè conjicere licet, tum ex horâ et potestate tenebrarum, tum ex odio eorum à quibus damnatus, tum ex insolentiâ eorum inter quos erat, satellitum, ministrorum et cæterorum; ipse verò omnia audiebat et ferebat, tacens, patiens, *saturatus opprobriis.*

Blasphemantes, id est, contumeliosi in divinam majestatem ejus.

Vers. 66. — Ut factus est dies, simul atque illuxit. Usque ad exortum diei, donec iterùm repræsentatus est concilio, intelligitur ludificatus fuisse Dominus, quod notat Augustinus, lib. 3 de Cons. Evang., cap. 6.

Convenerunt seniores plebis. Græcè, *convenit senatus populi.* Syrus omittit *populi*, et pro *senatus* vertit *seniores*, ut plerique omnes interpretes.

Et scribæ, jam legitimi concilii formam exhibituri. Matthæus et Marcus duplicis conventûs meminerunt, nocturni et matutini; Lucas solius matutini, ut qui celebrior fuerit.

Duxerunt, ἀπήγαγον, vel potiùs, ut est in aliis libris, ἀνήγαγον, compositum pro simplici ἤγαγον, duxerunt.

Illum, solutum vinculis.

Concilium, synedrion, consessum, conventum. Syrus, *domum congregationis suæ.* Quanquàm nocte ductus fuerat in concilium, et auditus, fuerat condemnatus blasphemiæ, atque adjudicatus morti : tamen concilio huic matutino, ut celebriori magisque legitimo, iterùm eum sisti jubent.

Vers. 67. — Dicentes. Non dubium est quin et in hoc concilio, unus omnium nomine locutus sit, et is quoque Caiphas, ut summus Pontifex ac proinde concilii præses et caput, cui etiam præ cæteris cordi erat hoc negotium.

Christus, Christus ille olim à Deo patribus promissus atque hactenùs exspectatus, Rex Israel, quemadmodùm ex doctrinâ tuâ discipuli tui credunt.

Dic apertè nobis, principibus et judicibus Israel, quorum id maximè interest. Rogant tanquàm dubii et qui discere velint, quò faciliùs eliciant responsum, cùm nullâ ratione aut credere aut discere vellent, sed interrogarent duntaxat hypocritæ, expiscandi gratiâ id quod audire vellent, quodque sufficere ipsis videretur ad ipsum morte mulctandum; id quod etiam ipsis mox respondet. Rogârant hoc idem nocte, et adhibitâ adjuratione urserant responsum, quod et retulerant, propter quod etiam damnaverant eum; sed quia illud nocte gestum fuerat, ac proinde minùs legitimâ judicii specie, revocant eum in concilium hoc, quod præterquàm quòd esset diurnum, etiam

celebrius erat, à quo nullus principum vel eorum qui ad concilium pertinebant aberat, ut si hoc idem confiteatur quod nocte confessus fuerat, atque idem rursùs sibi nomen usurpet, iterùm mortis reus sententiâ non refutabili pronuntietur, et tanquàm pertinax, confidentiùs Pilato occidendus tradatur; si neget, convincatur confessione nocturnâ et multorum testimoniis. Nec tamen jam adhibent adjurationem, ut nocte, quia nocte satis facilem experti fuerant ut in hoc negotio responderet. Nec rogant ut nocte: *Si tu es Christus Filius Dei;* licèt enim pluris facerent, et majorem blasphemiam judicarent, quòd se diceret Filium Dei, quàm quòd Christum; tamen quia noverant Pilatum pluris facturum quòd se diceret Christum, quod interpretabantur esse blasphemiam in Cæsarem, id est, crimen læsæ majestatis Cæsareæ; erat enim Judæorum omnium opinio, Christum regem fore, et populum à tyrannide omni liberaturum: quàm quòd se diceret Filium Dei, utpote qui Deos multos, et patres et filios, adeòque ex hominibus assumptos heroas, crederet, prius illud Jesu proponunt: an se habeat pro Christo Rege; non neglecturi postea etiam alterum.

Si vobis dixero me esse Christum, non credetis mihi, quemadmodùm hâc jam nocte et aliàs sæpè expertus sum. Verisimile est quòd Dominus Jesus meminerit responsi sui nocte superiore dati; sed quia Lucas nocturnum conventum omisit, recitat Domini responsionem absolutè, absque significatione relationis ad responsionem nocte datam. *Mihi* non additur quidem Græcè, sed tamen Latinè ac Syriacè. *Non credetis verbis meis, qui operibus longè ad persuadendum efficacioribus, non credidistis.* Ita Theophylactus. Perstringit malitiam eorum, quòd non cognoscendi, sed condemnandi studio inquirant. Quamvis enim complura miracula conspexissent, quæ etiam Jesu tacente cœlestem ac divinam ejus potentiam assererent, adeòque clamarent Redemptorem esse olim promissum, tamen tantùm aberat ut crederent, ut etiam modis omnibus persequerentur.

Vers. 68. — Si autem et, quòd si etiam, vel si, interrogavero vos, unde convincere vos possim, et docere me Christum esse; si de hoc negotio vobiscum disserere voluerim, et allatis sacris Scripturis rationibusque veritatem vobis demonstrare;

Non respondebitis mihi, *verbum* addit Syrus, id est, non venietis mecum in disputationem eâ de re, ut nec aliàs frequenter; supra, cap. 20, v. 7, cùm rogarem *de Joannis baptismate è cœlo esset an ex hominibus;* ibidem, v. 17, cùm quærerem *de lapide ab ædificantibus reprobato;* ibidem, v. 44, cùm proponerem vobis Psalmum: *Dixit Dominus Domino meo.*

Neque dimittetis. Syrus addit, *me.* Neque absolvetis me à vinculis ac morte, etiamsi convicti innocentem agnoscere me cogamini, sed quâvis ratione interficietis. Ea est obstinatio vestra quam novi, præscius quomodò acturi mecum sitis. Cùm igitur, inquit, non hoc agatis, quod in legitimis judiciis fieri solet, ut cognitâ veritate aut condemnetis nocentem aut dimittatis innoxium, sed hoc solum, ut mortem, quam mihi inferre decrevistis, justitiæ titulo inferre videamini, indigni estis quibus respondeam: hoc tamen habete, *quòd ex hoc erit Filius hominis,* etc.

Vers. 69. — Ex hoc, scilicet tempore, post hoc tempus, *amodò,* quod habet Matthæus, *posthac.*

Autem, non additur Græcè neque Syriacè, rectè tamen supplevit interpres: subaudiendum est enim tale quid, quale additur secundùm Matthæum: *Verùmtamen dico vobis.* Hoc habete et scitote, quod verum esse reipsà comperietis: *Ex hoc erit,* etc. Non respondet disertis verbis se Christum esse, sed dat intelligendum, signo ex sacris Scripturis allato, quod ipsorum animos meritò perterrefacere debeat, ut quo asserat, judicii tempus deinceps fore, quo ipsi condemnentur, non sermonum aut doctrinæ quo doceantur quis ipse sit; expositore Theophylacto.

Virtutis seu potentiæ Dei, id est, omnipotentis Dei, constitutus eâ in dignitate quæ deceat Christum Filium Dei omnipotentis, idque vobis spectantibus, cùm à resurrectione meâ, tùm maximè in reditu meo ad judicium, et vestro malo seriùs agnoscentibus.

Vers. 70.—Omnes, in turbâ, confusè et importunè, nullo ordine servato, non valentes se continere præ lætitiâ, quòd audîsse sibi viderentur unde eum possent morte mulctare.

Tu, magnam habet contemptûs emphasim: Tu fabri filius, amicus publicanorum, sabbati prævaricator, etc. Et dixerat quidem ipse, non *ego,* sed *Filius hominis;* at noverant illi quòd eâ periphrasi intelligeret se ipsum.

Tu ergo, non tantùm es dignitate Christus, verùm etiam naturâ Filius Dei? Hoc inferunt ex eo quòd sedere à dextrâ omnipotentis Dei, non alii convenire posse videatur, quàm ipsi Filio Dei: atque eò magis id inferunt, quòd decretum ipsis erat, postquàm respondisset an esset Christus, et hoc rogare an esset Filius Dei, etiamsi hujusmodi occasionem Jesus suis verbis non dedisset; quemadmodùm superiori nocte fecerant, Matth. 26, v. 63: ut et de hoc, quod ipsi quidem gravius judicabant, apud Pilatum accusarent, si opus foret, et si quid Pilatum movere posset. Non repetunt autem: *Tu ergo es Christus Filius Dei;* sed intelligentes ipsum concedere quod minus est, se, inquam, Christum esse, qui sibi arrogaret quod majus est, se Filium esse Dei, illud solum rogant quod majus est. Dei Filium aliquem aut esse aut aliquando fore, non credebant, eò quòd Deus unus esset; atque adeò ne Christum quidem naturâ Dei Filium fore credebant, negligentes scrutari quid sibi illud vellet, quod Jesus ipsis aliquando proposuerat: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,* supra 20, v. 42.

Quia, id est, quòd ego sum; me esse. Civiliter assentientis est. Vos dicitis id quod res habet, et ex argumento jam à me pronuntiato, à vobisque observando, tandem reipsà cognoscetis ita esse.

Vers. 71. — Desideramus testimonium; ad verbum, *opus habemus testimonio.* Superiori enim nocte sollicitè quæsierant testes, qui aliquid morte dignum testarentur,

adversùs eum : *nec invenerant, etiam postquàm multi falsi testes accessissent,* quod narrant, Matthæus, c. 26, v. 59, 60, et Marcus, cap. 14, v. 55. Syrus : *Quid ampliùs requiruntur nobis testes?* Dixerat nocte hoc Caiphas : jam omnes totius concilii, etiam illi qui nocte abfuerant, hoc idem dicunt.

Ipsi judices audivimus nostris auribus de, ex, ore ejus, scilicet id quod condemnat eum, et morte dignum clamat, blasphemiæ, inquam, crimen in Deum, in Christum, in Cæsarem, quo nihil capitalius, blasphemavit coram nobis ipsis judicibus, et Dei Filium et Christum se dicens, ac proinde proprio se ore damnavit, id quod etiam omnes apud Pilatum testari possumus, si est opus. His igitur auditis, conclusit denuò Caiphas ex omnium sententiâ, judicavitque Jesum morte dignum esse.

Multa apud alios evangelistas reperire est quæ ad hujus capitis intelligentiam faciant.

CAPUT XXIII.

1. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

2. Cœperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.

3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu es rex Judæorum ? At ille respondens, ait : Tu dicis.

4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine.

5. At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens à Galilæâ usque hùc.

6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset.

7. Et ut cognovit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus.

8. Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valdè; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.

9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.

10. Stabant autem principes sacerdotum et scribæ constanter accusantes eum.

11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo; et illusit indutum veste albâ, et remisit ad Pilatum.

12. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsâ die : nam antea inimici erant ad invicem.

13. Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe,

14. Dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis :

15. Sed neque Herodes ; nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei.

16. Emendatum ergo illum dimittam.

17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum.

18. Exclamavit autem simul universa turba, dicens : Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam;

19. Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium, missus in carcerem.

20. Iterùm autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum.

21. At illi succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum.

CHAPITRE XXIII.

1. Puis toute l'assemblée s'étant levée, ils le menèrent à Pilate ;

2. Et ils commencèrent à l'accuser, en disant : Voici un homme que nous avons trouvé pervertissant notre nation, empêchant de payer le tribut à César, et se disant le Christ.

3. Pilate l'interrogea donc, et lui demanda : Êtes-vous le roi des Juifs? Jésus lui répondit : Vous le dites.

4. Alors Pilate dit aux princes des prêtres et au peuple : Je ne trouve rien de condamnable en cet homme.

5. Mais eux insistant de plus en plus, ajoutèrent : Il soulève le peuple par la doctrine qu'il a répandue dans toute la Judée, depuis la Galilée, où il a commencé, jusqu'ici.

6. Pilate entendant parler de la Galilée, demanda s'il était Galiléen.

7. Et ayant appris qu'il était de la juridiction d'Hérode, il le renvoya à ce prince qui était aussi alors à Jérusalem.

8. Hérode eut une grande joie de voir Jésus, car il y avait longtemps qu'il le souhaitait, parce qu'il avait entendu dire beaucoup de choses de lui, et qu'il espérait lui voir faire quelque miracle.

9. Il lui fit donc plusieurs demandes; mais Jésus ne lui répondit rien.

10. Cependant les princes des prêtres et les scribes étaient là, qui insistaient toujours en l'accusant.

11. Ainsi Hérode, avec toute sa suite, le méprisa ; et le revêtant d'une robe blanche, il le traita avec mépris et le renvoya à Pilate.

12. Et dès ce jour-là même, Hérode et Pilate devinrent amis, d'ennemis qu'ils étaient auparavant.

13. Pilate ayant donc fait venir les princes des prêtres, les sénateurs et le peuple,

14. Leur dit : Vous m'avez présenté cet homme, comme portant le peuple à la révolte ; et néanmoins l'ayant interrogé en votre présence, je ne l'ai trouvé coupable d'aucun des crimes dont vous l'accusez,

15. Ni Hérode non plus ; car je vous ai renvoyés à lui, et vous voyez qu'on ne l'a pas traité comme digne de mort.

16. Je vais donc le renvoyer, après l'avoir fait châtier.

17. Or il était obligé, à la fête de Pâque, de leur délivrer un prisonnier.

18. Mais tout le peuple se mit à crier : Faites mourir celui-ci, et nous donnez Barabbas.

19. Celui-ci avait été mis en prison à cause d'une sédition qui s'était faite dans la ville, et d'un meurtre qu'il y avait commis.

20. Pilate, qui voulait délivrer Jésus, leur parla de nouveau.

21. Mais ils se mirent à crier, disant : Crucifiez-le, crucifiez-le.

22. Ille autem tertiò dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, et dimittam.

23. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur; et invalescebant voces eorum.

24. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.

25. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem, missus fuerat in carcerem, quem petebant; Jesum verò tradidit voluntati eorum.

26. Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villâ; et imposuerunt illi crucem portare post Jesum.

27. Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum; quæ plangebant et lamentabantur eum.

28. Conversus autem ad illas Jesus, dixit : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.

29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt.

30. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos, et collibus : Operite nos.

31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

32. Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.

33. Et postquàm venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum, et latrones, unum à dextris, et alterum à sinistris.

34. Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. Dividentes verò vestimenta ejus, miserunt sortes.

35. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes : Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus, Dei electus.

36. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei,

37. Et dicentes : Si tu es rex Judæorum, salvum te fac.

38. Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris Græcis, et Latinis, et Hebraicis : Hic est rex Judæorum.

39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos.

40. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quòd in eâdem damnatione es?

41. Et nos quidem justè; nam digna factis recipimus : hic verò nihil mali gessit.

42. Et dicebat ad Jesum : Domine, memento meî, cùm veneris in regnum tuum.

43. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiso.

44. Erat autem ferè hora sexta, et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam.

45. Et obscuratus est sol; et velum templi scissum est medium.

46. Et clamans voce magnâ Jesus, ait : Pater, in

22. Il leur dit donc pour la troisième fois : Mais quel mal a-t-il fait? Je ne trouve rien en lui qui mérite la mort. Ainsi je vais le faire châtier, et puis je le renverrai.

23. Mais ils le pressaient de plus en plus, demandant avec de grands cris qu'il fût crucifié; et leurs clameurs redoublaient.

24. Enfin Pilate ordonna que ce qu'ils demandaient fût exécuté.

25. Ainsi il leur fit donner celui qui avait été mis en prison pour crime de sédition et de meurtre, selon qu'ils l'avaient désiré; et il abandonna Jésus à leur volonté.

26. Et comme ils le menaient, ils prirent un homme de Cyrène, appelé Simon, qui revenait de sa maison des champs, et ils le chargèrent de la croix, la lui faisant porter après Jésus.

27. Or il était suivi d'une grande multitude de peuple et de femmes qui le pleuraient avec de grandes marques de douleur.

28. Mais Jésus se tournant vers elles, leur dit : Filles de Jérusalem, ne pleurez point sur moi, mais pleurez sur vous-mêmes et sur vos enfants.

29. Car voici que les jours viendront où l'on dira : Heureuses les stériles, et les entrailles qui n'ont point porté d'enfants, et les mamelles qui n'en ont point allaité.

30. Alors ils commenceront à dire aux montagnes : Tombez sur nous; et aux collines : Couvrez-nous.

31. Car si le bois vert est ainsi traité, que sera-ce du bois sec?

32. On menait aussi avec lui deux autres, qui étaient des criminels qu'on devait faire mourir.

33. Et lorsqu'ils furent arrivés au lieu appelé Calvaire, ils y crucifièrent Jésus, avec ces voleurs, l'un à droite, et l'autre à gauche.

34. Et Jésus disait : Mon Père, pardonnez-leur, car ils ne savent ce qu'ils font. Pour eux, ils partagèrent ses vêtements, et les jetèrent au sort.

35. Cependant le peuple se tenait là, et le regardait; et les sénateurs aussi bien que le peuple se moquaient de lui, en disant : Il a sauvé les autres, qu'il se sauve lui-même, s'il est le Christ, l'élu de Dieu.

36. Les soldats mêmes lui insultaient, s'approchant de lui, et lui présentant dn vinaigre,

37. En lui disant : Si tu es le roi des Juifs, sauve-toi toi-même.

38. Il y avait aussi au-dessus de sa tête une inscription en grec, en latin et en hébreu, où était écrit : Celui-ci est le roi des Juifs.

39. Or l'un des voleurs qui étaient crucifiés avec lui, blasphémait contre lui, en disant : Si tu es le Christ, sauve-toi toi-même, et nous avec toi.

40. Mais l'autre le reprenant, lui disait : N'avez-vous donc point de crainte de Dieu non plus que les autres, vous qui vous trouvez condamné au même supplice?

41. Encore pour nous, c'est avec justice, puisque nous souffrons la peine que nos crimes ont méritée; mais celui-ci n'a fait aucun mal.

42. Puis il dit à Jésus : Seigneur, souvenez-vous de moi, lorsque vous serez arrivé dans votre royaume.

43. Jésus lui répondit : Je vous le dis en vérité, vous serez aujourd'hui avec moi dans le paradis.

44. Il était environ la sixième heure du jour, et toute la terre fut couverte de ténèbres jusqu'à la neuvième heure.

45. Et le soleil fut obscurci, et le voile du temple se déchira par le milieu.

46. Alors Jésus s'écria d'une voix forte : Mon Père,

manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit.

47. Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens : Verè hic homo justus erat.

48. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

49. Stabant autem omnes noti ejus à longè, et mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæâ, hæc videntes.

50. Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus

51. (Hic non consenserat consilio et actibus eorum), ab Arimathæâ civitate Judææ, qui expectabat et ipse regnum Dei.

52. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu :

53. Et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondùm quisquam positus fuerat.

54. Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat.

55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæâ, viderunt monumentum, et quemadmodùm positum erat corpus ejus.

56. Et revertentes paraverunt aromata et unguenta, et sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum.

je remets mon âme entre vos mains. Et en prononçant ces mots, il expira.

47. Or, le centenier ayant vu ce qui était arrivé, glorifia Dieu, en disant : Certainement cet homme était juste.

48. Et tout le peuple, qui assistait à ce spectacle, considérant toutes ces choses, s'en retournait se frappant la poitrine.

49. Tous ceux qui étaient de la connaissance de Jésus, et les femmes qui l'avaient suivi de Galilée, étaient là aussi, et regardaient de loin ce qui se passait.

50. Cependant voici qu'un sénateur appelé Joseph, homme vertueux et juste,

51. Qui n'avait point consenti au dessein des autres, ni à ce qu'ils avaient fait, qui était d'Arimathie, ville de Judée, et qui attendait aussi le royaume de Dieu,

52. Vint trouver Pilate, et lui demander le corps de Jésus;

53. Et l'ayant descendu de la croix, il l'enveloppa d'un linceul, et le mit dans un sépulcre taillé dans le roc, où personne n'avait encore été mis.

54. Or, ce jour était celui de la préparation, et le sabbat allait commencer.

55. Les femmes qui étaient venues de Galilée avec Jésus, ayant suivi Joseph, virent le sépulcre et comme on y avait mis le corps de Jésus.

56. Et s'en étant retournées, elles préparèrent des aromates et des parfums, et elles se tinrent en repos le jour du sabbat, selon la loi.

COMMENTARIA.

Vers. 1.—Et pro *tunc;* cùm probabili judicio viderentur eum condemnâsse ex confessione propriâ, quale posset etiam Pilatum movere.

Surgens, soluto concilio.

Omnis multitudo, tota turba eorum, qui concilio interfuerant, pontificum, seniorum, scribarum; nullus enim voluit abesse. Quia causâ justâ deficiuntur, multitudine se armant.

Ad Pilatum, ut ille eum crucifixum occideret.

Vers. 2. — Coeperunt, scilicet, postquàm Pilatus recusâsset condemnare Jesum ex solo ipsorum præjudicio, quod constat ex Joan. 18, v. 30, 31.

Hunc; præ contemptu haud nominant.

Invenimus; est præteritum; deprehendimus, non odio aut invidiâ in eum concitati fingimus, sed rei per nos ipsos compertæ veritatem testamur.

Subvertentem, seducentem propositis doctrinis novis, abstrahentem ab observatione legis divinitùs nobis datæ.

Gentem nostram, populum Judaicum.

Tributa dare, sive *dari*, ne tributa darentur à gente nostrâ.

Et dicentem. Græcè non additur *et*, quasi innuatur ex eo accusari quòd tributa neget solvenda Cæsari, quòd dicat, se, non Cæsarem, esse Regem Judæorum.

Christum Regem, scilicet Judæorum. Addunt *Regem,* quanquàm hoc includeretur nomine Christi, ut Pilatus meliùs intelligat crimen defectionis et affectatæ tyrannidis, crimen majestatis Cæsareæ læsæ, de quâ accusant. Molitus est principatum Judææ Cæsari ereptum, cum regni gloriâ in se transferre, quibus ferè verbis hoc Cyrillus exponit, lib. 12 in Joannem, cap. 7. Malignè arripuerunt nomen regis, quo summam invidiam apud Pilatum Jesu conflarent; sciebant enim gravissimum haberi crimen apud Romanos præsides, si quis citra Cæsaris auctoritatem regem se diceret in imperio Romano. Accusant itaque hìc Jesum, ut transgressorem legum tum divinarum tum humanarum; et quidem tria objiciunt, gradatim sese

Vers. 2. — Coeperunt autem illum accusare : cùm scilicet Pilatus eum condemnare noluisset, nisi auditâ causâ, ut constat ex Joan. 18, v. 30 et 31. Itaque tria crimina ei objiciunt, omnia politica, et magni momenti eorum judicio futura apud judicem ethnicum, qui quæstiones de sabbato, de cæremoniis, de traditionibus non multùm curaturus videbatur. Primum est, hunc invenimus, id est, non finximus nos, non audivimus ex aliis, sed reipsà per nosipsos deprehendimus, subvertentem gentem nostram : Græcè, *pervertentem,* id est, novæ doctrinæ prædicatione seducentem populum Judaicum. Secundum est, et prohibentem tributa dare, seu dari, Cæsari Romanorum. Tertium, et dicentem se Christum. Quo nomine satis intelligebatur conditio principis Judæorum; sed invidiæ creandæ causâ, quò clariùs pateret eum læsæ majestatis esse reum, addunt, regem esse, quasi videlicet utrumque molitus esset, principatum Judææ Cæsari ereptum, cum regni gloriâ in se transferre, ut loquitur Cyrillus, 12, in Joan., c. 7. Omnia tria erant falsa in ipsorum sensu. Primum neglexit Pilatus, quia videbatur spectare Judaicam superstitionem; secundum dependebat à tertio, tanquàm à causâ suâ. Unde inter illos duos articulos Græcè nulla est conjunctio, hoc modo: *Prohibentem dare tributa Cæsari, dicentem se Christum,* etc., id

mutuò gravitate excedentia, ubi Pilati, Romanorum jura tuentis, foret requirendum judicium; sed ea falsissima omnia et mendacia impudentissima. Nam quod ad primum attinet, quòd non perverterat Judaicum populum, manifestum ex eo erat, quòd summa prædicationis ipsius fuerat pœnitentiam agentibus paratum esse propinquum regnum cœlorum, quòd plurimos à peccatis quibus diù fuerant immersi ad Deum convertisset, plurimos diaboli tyrannide et animâ et corpore oppressos liberâsset, plurimorum ægritudines sanâsset, omnibus benefecisset, denique non tantùm non abstraxisset à legis observatione, ut contra exactiùs longè legem observandam docuisset, quàm nullus alius rabbinorum ante ipsum, prout testantur capita 5, 6 et 7 Evangelii secundùm Matthæum. Quòd non vetuisset tributa dari Cæsari in confesso erat, eò quòd superioribus diebus hâc de re subdolè rogatus, prudentissimè respondisset: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo,* supra 20, v. 25. Denique quòd non arrogâsset sibi regnum aliquod Cæsari adversarium; præter hoc, quòd fugerat aliquando, cùm multitudo impensiùs ipsi favens vellet ipsum regem in deserto creare, Joan. 6, v. 15; res ipsa loquebatur, eò quòd nullas opes coacervaret, nullos assisceret sibi milites, denique contrario prorsùs modo se gereret quàm reges, aut ii qui regna hujus mundi ambiunt. Nam quòd Christum Regem se dixerit, non tam dixerat quàm operibus ipsis se declaraverat ejusmodi, Christum, inquam, et eum Regem, sed non hujus mundi; nec enim terrenum, sed cœlestem se esse Regem, paulò ante confessus fuerat, ab ipsis adjuratus, cùm prædiceret ipsos visuros *Filium hominis sedentem à dextris virtutis et venientem in nubibus cœli,* supra, 22, v. 69, Matth. 26, v. 64. Porrò cùm expectarent ipsi, et quidem avidè, Christum Regem, juxta divina promissa, non debebant Jesu criminis loco objicere quod dixisset se eum esse, nisi priùs scrutati Scripturas comperissent ea quæ de Christo prophetæ prædixerant, minimè in ipsum competere. Sed Scripturas ipsi non scrutabantur, præsumptâ autem opinione falsi, persuadebant sibi Christum fore Regem hujus mundi, et quidem maximum, opibusque et armis et regno cæterisque mundi bonis florentissimum: qualem cùm viderent Jesum haud esse, rejiciebant eum et despiciebant, et invidiâ crepantes, quòd vir pauper et humilis, non absque divinis miraculorum testimoniis, pro Christo se gereret, non tantùm eum Christum agnoscere nolebant, verùm etiam de eo accusabant, quòd pro Christo Rege se haberet, tanquàm hoc ipso esset morte dignus, malentes Cæsaris idololatræ jugo æternùm se addicere, quàm hunc pro Rege sibi divinitùs promisso recipere. Porrò his malitiosis criminationibus suis hoc meruerunt, ut verè jam gens eorum perversa et subversa sit, et exul ubique sub tributo degat, denique Christo semel ab se rejecto orbata, frustra vanèque alium tot jam lapsis seculis expectet.

Vers. 3. — Tu es Rex Judæorum? Tune es Rex ille Judæorum, quem Christum seu Messiam ipsi vocant? Pilatus de primo accusationis institutæ articulo nihil interrogat, non tantùm quia curæ ipsi non sunt ea quæ Judaicæ sunt legis, verùm etiam quia novit falsum esse. Nemini dubium esse potest quin Pilatus, vir in rebus agendis acerrimus, suos ubique habuerit, qui certiorem ipsum quotidiè facerent de rebus publicis, quæ Jerosolymis et in Judæâ ac Samariâ universâ, quibus ipse præerat, quin etiam in Galilæâ vicinâ, gerebantur. Id satis monstrat historia Galilæorum, quorum sanguinem miscuit cum sacrificio, supra 13, v. 1. Intellexerat igitur jamdiù quid hominis esset Jesus, et cujusmodi esset doctrina ejus; intellexerat, inquam, hominem esse sanctum et justum, et doctrinam ejus divinam ac salutarem, quâ beneficis miraculis fultâ populum à vitiis ad pœnitentiam et ad Deum attraheret; ac proinde nullam fidem adhibuit huic principum Judaicorum accusationi, quibus, quòd eorum vitia non vereretur redarguere, æquè noverat Jesum olim esse invisum. Nec de secundo accusationis articulo quidquam movet, quanquàm maximè ipsius interérat; non quòd tertio articulo includatur (facilè enim potuisset Jesus dicere se Regem Judæorum, nec tamen mox prohibere tributa dari Cæsari, id est, Cæsaris palam se profiteri adversarium), sed quòd narratum ipsi fuisset, ab iis qui præsentes adfuerant, quid Jesus hâc de re, à paucis diebus interrogatus, respondisset: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo;* adfuerant enim Herodiani, aliique qui tradidissent eum principatui et potestati præsidis, si quid in Cæsaris præjudicium pronuntiâsset, supra 20, v. 20; Matth. 22, v. 16. De tertio autem articulo Jesum examinat, non quòd eum haberet perduellionis suspectum, quem noverat inermem et pauperem agere, et mundi ejusque gloriæ esse contemptorem, sed quòd hîc poterat verisimilitudo aliqua subesse quòd haberet se pro Rege illo Judæis olim promisso, præsertim cùm à paucis diebus, urbem solemniter multisque comitantibus ingressus, permisisset sibi illud acclamari; quod, quamvis Pilatum minimè latuerat, non tamen offenderat, postquàm omnia considerâsset; quid enim intererat ipsius, si Judæi pro Rege divinitùs sibi promisso haberent virum inopem, qui adversùs Romanum imperium nihil moliretur aut posset?

Vers. 4. — Ait autem, etc. Postquàm Jesum intùs in prætorio examinâsset, Pilatus egressus unà cum Jesu, ait ad principes sacerdotum, foris ante prætorium expectantes responsum, et ad turbas, ad populum, qui magno numero confluxerat, omnique momento accrescebat etiam.

Nihil causæ, ob quam condemnandus sit mihi ut

est, eò quòd dicat se esse Christum regem. Hoc ergo postremum nonnihil inquirendum censuit in ipso prætorio, sed mox egressus dixit *ad principes sacerdotum,* foris expectantes responsum:

Vers. 4. — Nihil invenio causæ, propter quam scilicet morte plectendus sit: Græcè expressiùs *nullum crimen,* scilicet mortis, seu morte dignum, sicut v. 22, dicitur: *Nullam causam mortis invenio.*

morte dignus, οὐδὲν αἴτιον, nullam noxam, nullum crimen; nam αἴτιον et causam et noxam utrumque significat; nullum argumentum criminis aut judicii ut de capite ejus agatur, quod genus ad meum forum pertinet.

In hoc homine, in viro isto quem vos mihi offertis morte afficiendum. Diligenti adhibito examine, nihil in accusationibus vestris solidi invenio ob quod morte iste plectendus sit; neque ego quid unquàm intellexi de ipso sinistri. Publicè accusatum publicè excusat, quia nemo erat qui illius causam ageret.

Vers. 5. — Invalescebant, clamoribus. Syrus, *clamabant*, ut vel clamoribus extorquerent, quod rationibus non poterant. Sic enim solent, quos veritas destituit, conscii sibi quòd argumentis vincere nequeant, clamores intendere, et varia undique collecta, crimina criminibus, mendacia mendaciis accumulare.

Commovet, perturbat, excitat in seditionem, nihilque aliud facit à multo jam tempore hactenùs.

Docens, docendo, doctrinis et prodigiis falsis per universam Judæam, non unius tantùm, sed omnium provinciarum Judaicarum (quod testari poterunt qui ex singulis præsentes adsunt) populum doctrinis seditiosis turbat, omnis regio et omnis populus ab eo perturbatur. Quòd enim Judæam generaliter hìc accipiant, ostendunt eò quòd subjungunt: Incipiens a Galilæa. Auspicatus fuerat Jesus Evangelii prædicationem in Galilæâ, quod vidimus supra 4, v. 15, et Matth. 4, v. 15, 17. Quare inquiunt: Ille incœpit ab extremâ regione nostrâ; si tu nihil adhuc intellexisti mali, ideò est quia non ante multos dies, hìc ubi sedes tua est, commovere cœpit gentem; alioquin si inquirere velis, intelliges in Galilæâ et in omni Judæâ per hunc omnia esse commota. Galilææ meminerunt partim quia extrema Judææ provincia est ad aquilonem, partim ut seditionis suspicionem Pilato ingerant, revocatis ei in memoriam Galilæis illis, quorum non ita pridem sanguinem cum sacrificiis miscuerat, Judâ item Galilæo, aliisque similibus seditiosis qui ex Galilæâ prodierant. Annotavit hoc Theophylactus.

Usque huc, ad hanc usque civitatem, Judaici regni metropolim, progressus, quam et ipsam cœpit commovere, signanter sexto ab hoc die. Quomodò tu innoxium declarare potes, quem universa Judæa, à Dan usque ad Bersabee, patitur jam annos aliquot publicæ quietis perturbatorem? Quin potiùs memineris plures hujusmodi homines factiosos ex Galilæâ prodiisse, maximo reipublicæ malo, qui, nisi mox è medio sublati fuissent, periculum erat ne seditio prævaluisset. In eodem rempublicam jam versari discrimine per hunc hominem, doctrinam novam, quaquaversùs spargentem, ne dubites. Cæterùm nec hanc accusationem Pilatus alicujus fecit, certior rerum omnium, prout gestæ fuerant. Rectè igitur in hunc locum scribit V. Beda: Hic accusantium sermo, magis, et eum qui accusatur innoxium, et eos qui accusant docet esse perversos. Docuisse enim populum, et à pristini torporis ignaviâ docendo commovisse, talique actu à Galilæâ usque ad Judæam, hoc est, totam à fine usque ad finem terram repromissionis pertransisse, non criminis, sed indicium constat esse virtutis. Potuit namque aliquis amator Domini, sicut etiam fecit, eamdem sententiam laudis loco ponere, dicendo auditoribus bonis: *Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam; incipiens enim à Galilæâ, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum à Nazareth*, etc., Act. 10, v. 37. Denique Pilatus nec rogandum de hoc ratus Salvatorem, se magis ipsum natâ occasione cupit ab eo judicando liberum reddere. Hactenùs Beda.

Vers. 6. — Galilæam, mentionem Galilææ. Syrus, *nomen Galilææ.* Si homo Galilæus, id est, an Galilæus, ita ut *homo* superfluat. Quidam, an hic homo, an vir iste, *esset* Galilæus.

Vers. 7. — Quod de Herodis potestate esset, quòd Galilæus esset, ac proinde de ditione jurisdictioneque Herodis, Herodis subditus, qui erat tetrarcha Galilææ; nam Pilatus Judææ præses erat, non Galilææ; vide supra 3, v. 1. Galilæus erat Jesus, educatione, et continuâ in Nazareth oppido Galilææ habitatione, *usque ad ostensionem suî in Israel;* quanquàm natus in Bethlehem, oppido Judææ, quod non perinde innotuerat.

Remisit, misit, à se ablegavit; captabat enim omnem occasionem se extricandi judicio Jesu, gnarus quòd *per invidiam* à pontificibus postularetur ad mortem, Matth. 27, v. 18.

Ad Herodem, tanquàm Herodis subditum, ac proinde ab ipso judicandum, potiùs quàm à se. Herodes iste, Antipas cognomine est dictus, estque idem ille interfector Joannis Baptistæ, de quo Evangelista supra, cap. 3, v. 19, 20; filius Herodis infanticidæ, de quo Matthæus, cap. 2. *Romanorum lex cavet,* inquit Theophylactus, *ut unusquisque à principe suæ regionis judicetur; ideò tanquàm Galilæum, Jesum mittit principi Galilææ;* quamvis hâc lege non omninò te-

Vers. 5. — At illi invalescebant, scilicet clamoribus, quemadmodùm solent ii quos veritas destituit, ut importunitate extorqueant quod ratione non possunt, dicentes: Commovet populum, ad seditionem, doctrinæ novitate, utpote docens per universam Judæam, prout totam terram promissionis comprehendit, incipiens a Galilæa, sicut patet hoc, Matth. 4, v. 13, et Lucæ 4, v. 14. *Galilææ* meminerunt, ut Pilato suspicionem affectati regni injicerent, recordando seditionis Judæ Galilæi, et nuper sectatorum ejus, quorum sanguinem Pilatus cum sacrificiis miscuerat, Lucæ 13, v. 1; usque huc, Judææ et regni metropolim, tanquàm illam crescente multitudine invasurus. Verùm nec istam accusationem magni fecit Pilatus, ut qui sciret non ad seditionem, sed ad virtutem commovisse populum. Unde ab illo molesto et invidioso judicio se liberare volens, auditâ mentione Galilææ;

Vers. 7. — Ut cognovit quod de Herodis potestate esset, id est, tanquàm Galilæus educatione, Herodi subditus, qui tetrarcha erat Galilææ, Pilatus verò præses Galilææ propriè dictæ tantùm; nativitas enim Christi in Bethleem non videtur multùm innotuisse: Remisit eum ad Herodem, quamvis non te-

neretur, cùm de judicio Galilæi in Judæâ apprehensi accusatique ageretur. Idcircò bis hìc peccavit Pilatus, semel quòd innocentem non absolveret, semel quòd insontis judicium permitteret tyranno, incestuoso, adulterio infami. Cæterùm hoc quoque gestum est dispensatione divini consilii, ut ab omnibus tribunalibus Dominus Jesus referret innocentiæ testimonium, palam traductis pontificum principumque Judaicorum criminationibus.

Illis diebus, utpote paschalibus : nam Jerosolymam, ubi templum erat, ad celebrandum paschæ solemnitatem, omnes undique Judæi convenire debebant, juxta legem Exodi 23, v. 17. Erat autem Herodes hìc natus Judæus, patre proselyto.

Vers. 8. — Viso Jesu. Nunquàm viderat, quanquàm in ipsius ditione ferè conversatum : non enim operæ pretium duxerat domo egredi, ut prophetam videret, nisi fortè (ut Joannem) captivum teneret. Inter cæteras, hanc pœnam pro nobis subiit Jesus, quòd, fatigatus licèt, à Pilati palatio, constrictus vinculis, ductus sit ad Herodis, itinere nongentorum quinquaginta quinque pedum (seu, ut Adricomius loquitur, trecentorum quinquaginta gressuum) et variis judicibus exhibitus judicandus.

Gavisus est valde, tum ob honorem sibi exhibitum, ut erat ambitiosus, tum eo quod audierat. Græcè *eò quòd audiret*, quo modo legitur et in multis libris Latinis; *audiret*, hactenùs scilicet *multa*; non vituperio, judicio aut condemnatione, sed laude et admiratione digna.

Ex multo tempore, quo fama Jesu ad eum pervenerat, supra 9, v. 9.

Et sperabat, ac proinde speraret, signum, miraculum aliquod, qualia plurima audierat ab eo edita, tum in Galilæâ, tum in Judæâ; cùm Joannes, quem ipse familiariter noverat et occiderat, nullum unquàm edidisset.

Videre, quod ipsius oculos delectaret ac pasceret; curiositate ductus, non pietate.

Ab eo, honoraturo regiam majestatem, vel eâ causâ ut liberari posset ex manibus inimicorum.

Vers. 9. — Autem, igitur.

Multis sermonibus, multis verbis, ad curiositatem vanitatemque compositis, verbi gratiâ, quisnam esset, an Joannes ex morte redivivus, an ex veteribus prophetis aliquis, undenam haberet potestatem edendi miracula illa quæ de ipso narrabantur, an non vellet in ipsius gratiam aliquod hujusmodi miraculum edere, quæ esset doctrina illa nova quam spargeret, et cætera.

Nihil respondebat; non tantùm nullum edebat miraculum, ad quod faciendum sermonibus suis eum provocare Herodis mens erat, verùm neque multis verbis verbum unum reddebat : quòd, ut crudelitas tyranni, ita verba, responso indigna essent, quæ non ad suam aliorumve salutem dirigeret, sed ad curiositatem, ut eliceret unde suos oculos auresque pascere posset. *Sed neque decebat*, inquit Titus, *ut cœlestia signa coram illo ederet, qui præstigiis spectandis, quàm divinæ virtutis miraculis cognoscendis, addictior erat.* Dat evangelista intelligendum, quòd Herodes facilè absolvisset liberâssetque Jesum, si miraculum aliquod in ejus conspectu patrare, et interrogatis ejus satisfacere voluisset; sed institutum fuisse Jesu, miraculis et sermonibus, ut non ad auditorum curiositatem aut propriam jactantiam, ita nec ad suam ipsius à morte corporis liberationem, uti, quam decreverat pro hominum salute obire.

Vers. 10.—Stabant autem, quamvis etiam starent ex adverso Jesu, coram Herode tanquàm judice. Nam et ipsi ad Herodem, cùm Jesu à satellitibus ducto, perrexerant, nolentes à se damnatum relinquere, donec è medio sublatus esset.

Constanter, continuè et pertinaciter, acriter et intento clamore, miserè metuentes ne quà elaberetur. Ægrè ferebant quòd Herodes interrogaret quæ ad rem ipsorum non facerent, ad mortem, inquam, inferendam, adeòque timebant ne, si Jesus Herodi sapienter comiterque responderet, inque ejus gratiam signum aliquod, quod non difficile ipsi esse noverant, faceret, liber ab Herode dimitteretur. Urgent itaque et repetunt pertinaciter eà quæ facere posse putant ad ejus condemnationem, qualia suprà, v. 2, coram Pilato produxerant. Atque eò magis admirandum fuit Jesu

neretur. Agebatur enim de reo in Judæâ capto et accusato de delicto, tanquàm ibidem commisso, de quo non erat Herodis extra ditionem suam judicare. Fecit hoc ergo specie honorandi Herodem, sed reverà sui ipsius causâ. Porrò Herodes iste Antipas dictus est, qui et Joannem Baptistam occidit, filius Herodis Magni infanticidæ, sub quo Christus natus fuit. Qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus, paschatis celebrandi causâ, sicut omnibus Judæis præceptum erat. Nam Herodes iste patre proselyto natus, religione Judæus erat.

Vers. 8. — Herodes autem viso Jesu, gavisus est, etc., et sperabat signum aliquod videre, id est, miraculum aliquod quo curiositatem suam pasceret; quod sibi, pro dignitate personæ suæ, et officio judicis quod sustinebat, non dubitabat sibi concedendum esse, ut faciliùs liberaretur. Quâ in re peccato tentationis Dei peccavit; nam et August., lib. 10 Confess., c. 35 : In ipsâ religione tentatur Deus, cùm signa et prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata.

Vers. 9. — Interrogabat autem eum multis sermonibus, ad ejusmodi curiositatem et vanitatem spectantibus. At ipse nihil illi respondebat; quia ad constantiam Christi pertinebat, non respondere, ubi res non postulabat, imò ubi curiositas et ineptia interrogantis responso indigna erat : Quam constantiam commendat Cyprianus, de carnalibus Christi Operibus. Non potuit, inquit, vel altitudo potestatis ad interrogata extorquere responsum. Multò minùs decebat ut cœlestia signa coram illo ederet, qui præstigiis spectandis addictior erat, quàm divinæ virtutis miraculis venerandis.

Vers. 10. — Stabant autem principes sacerdotum, etc., constanter, id est, pertinaciter, accusantes eum; verentes videlicet ne, si interrogatis Herodis, nihil ad suum scopum facientibus, sapienter responderet, vel signa faceret, dimissus elaberetur. Unde

silentium, quòd nec tanti principis auctoritas, nec adversariorum tam pertinaces criminationes, ad loquendum impulerint.

VERS. 11. — SPREVIT AUTEM, sprevit ergo. Nihil commotus est criminationibus principum, ita ut condemnaret accusatum molitionis rerum novarum, sed satis habuit contemnere à quo videbatur contemni, tanquàm semifatuum, ignarum et expertem rerum, qui cùm magna de se dici vellet, nihil ubi res postularet præstare posset.

CUM EXERCITU SUO, cum militibus suis, cum armato satellitio quo cingebatur. Intelligit comitatum Herodis constantem nobilibus, militibus, famulis; nobilibus, qui honoris causâ vel serviebant vel aderant; militibus, lateronibus, qui erant à custodiâ corporis; famulis denique et servis omnis generis. Solet aula mores sui principis imitari.

ET ILLUSIT INDUTUM ET REMISIT. Græcè, et postquàm illusisset, indutum remisit. Nostra Versio significare videtur illusionem sitam fuisse in eo quòd induerit Jesum veste albâ; Græca et Syra significant, variis aliis modis illusum fuisse; conviciis, verisimile] est, scommatis ac sannis; nec dubium quin certatim aulici contemptum principis sui ulcisci studuerint. Non est boni judicis, illudere reo, etiam convicto criminis.

VESTE, pallio sive chlamyde, ALBA, λαμπρὰν, præclarâ, splendidâ, magnificâ, illustri; *candidâ* vertit interpres, Jac. 2, v. 2; *præclara*, v. 3. Vox Græca splendoris et elegantiæ potiùs significativa est quàm coloris; interpres Latinus elegantiam in colore albo sitam fuisse putavit, ut signo innocentiæ, vel certè ambiti magistratûs; Syrus in coccineo sive purpureo colore ut regum proprio; vertit enim *zehouritho*, vocem non absimilem Gallicæ, *écarlate*, eamdem quam Matth. 27, v. 28, ex, κοκκίνην. Quòd si coccinea fuerit, potuit eadem illa fuisse quæ Jesu à flagellatione circumjecta fuit, quod narrant alii evangelistæ, qui Herodis non meminerunt. Sed sive alba sive coccinea colore fuerit, non est intelligendum novam, tersam, verèque magnificam aut elegantem fuisse; sed veterem, vilem et abjectam, ex ædium scrutis extractam, quæ referret duntaxat veteris elegantiæ vestigia. Adhibebatur enim ab Herode ejusque ministris, non ornandi aut commendandi, sed illudendi subsannandique Jesu causâ, tanquàm fatui, qui fatuâ quâdam simplicitate, potiùs quàm superbâ audaciâ, regium nomen sibi vindicâsset. Dei sapientia, ut fatua, et Rex regum, ut vanus rex, irridetur; sed quod ex mente Herodis fatuitatis sive stultitiæ signum fuit, id ex parte Dei signum fuit divini splendoris, puritatis atque innocentiæ. Solent mortis rei, atrâ veste indui; Jesus moriturus candidatus jubetur incedere, tanquàm innocentissimus. Cæterùm, *etsi totum quod Herodes hìc fecit, irrisionis tantùm causâ fecerit*, inquit Titus, *attamen idipsum quod fecit non fecisset, si quid justâ irâ dignum in eo deprehendisset;* fatuum enim judicavit, non facinorosum, et irridendam potiùs insinuavit regii nominis usurpationem, quàm severè vindicandam. Quam illius fuisse sententiam, Pilatus quoque publicè testatur infra, v. 15.

REMISIT, vinctum ut acceperat, nec ipse absolvens innocentem, contra officium justi judicis, idque ne Judæorum indignationem incurreret. Facilè passus est ut Pilatus eum judicaret, contentus honore quem Pilatus detulerat. Reductus autem putatur Jesus ad Pilatum aliâ viâ, eâque longiore, quàm venerat, ut pluribus innotesceret ejus captivitas, ac proinde plures accenderentur, qui unà cum principibus accurrerent, urgerentque et extorquerent ejus mortem.

VERS. 12. — ET, hâc occasione, quòd Pilatus Herodi, Herodes vicissim Pilato, judicium Jesu detulisset: quòd testatus esset Pilatus, se nolle sibi vendicare jurisdictionem Herodis.

FACTI SUNT AMICI. Amicitiam conciliat honore invicem prævenire; sed infaustus honor et amicitia maledicta, quæ in Christo persequendo coalescit. Impia pax quam conglutinat Dei injuria.

IN IPSA DIE, illâ ipsâ die. Additur Græcè et Syriacè, *inter se, secum mutuò.*

INIMICI ERANT. Fortè ex eo quòd Pilatus usurpâsset jurisdictionem Herodi debitam; ut quòd supra, cap. 13, v. 1, *miscuisset sanguinem* quorumdam *Galilæorum cum sacrificiis eorum.*

AD, adversùs, INVICEM. Præludebatur hìc Jesum fore *pacem nostram, qui facturus esset utraque unum, reconcilians* Judæos et gentiles *ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso;* Ephes. 2, v. 14, 16. Quem finem acceperit Herodes iste, Joannis interfector et regiæ Christi dignitatis irrisor, dictum est alibi.

VERS. 13. — PILATUS AUTEM, postquàm reductus ad ipsum est Jesus.

mirabile fuit hoc silentium, quod nec principis benevoli auctoritate, nec talium accusatorum improbitate, neque contemptu et irrisione aulicorum, mox inde secuturâ, rumpi potuit.

VERS. 11. — SPREVIT AUTEM ILLUM HERODES, tanquàm hominem agrestem, vel potiùs semifatuum, qui, cùm maximè opus esset, nihil in propriam causam ad propositum vel facere vel dicere nôsset. CUM EXERCITU SUO, id est, satellitio, quo cingebatur, seu cum comitatu, satellitibus, nobilibus, pedisequis. ET ILLUSIT INDUTUM VESTE ALBA; quo loquendi modo significatur illusionem istam sitam fuisse in eo quòd albam vestem ferret. Sed Græca sic legunt: *Et cùm illusisset, induissetque ipsum veste albâ, remisit eum Pilato:* quibus verbis, sicut et Syriacâ translatione, significatur aliis modis ante illusum fuisse, risu videlicet, sannis, scommatibus. Vox quoque Græca non significat propriè *albam*, sed *splendidam* et *elegantem*, qualis est Jacobi 2, quæ, v. 2, vertitur *candida*, et v. 3, *præclara*, et opponitur vesti *sordidæ;* unde Syrus vertit *coccineam;* sed qualiscumque coloris fuerit, adhibita videtur fuisse illudendi Jesu causâ, tanquàm fatui, non facinorosi, in quo regni affectatio potiùs ridenda esset, quàm timenda vel plectenda.

VERS. 12. — ET FACTI SUNT AMICI HERODES ET PILATUS, eò quòd unusquisque alterius jurisdictioni detulisset, et se mutuò honorâssent: nam Christus, ut significaret se reconciliaturum esse per crucem duos populos, Judaicum et gentilem, interficiens inimicitias in semetipso, ex abundanti duos istos principes

CONVOCATIS. Græcè, postquàm convocàsset, simul propiùs ad se accedere jussisset.

PRINCIPIBUS SACERDOTUM. Græcè, summos sacerdotes.

ET MAGISTRATIBUS, Græcè, et principes. Eos intelligit quos sup. 22, v. 66, vocavit *seniores plebis.* Syricum Testamentum Regiæ editionis scribit, *et principes populi*, seu, *et magistratus plebis*, omittens id quod sequitur, *et plebe;* sed manuscriptum Syriacum conforme est Latino et Græco. Omnes convocat Pilatus, si fortè vel populus, vel ex omnibus aliquis, patrocinetur innocentiæ et veritati.

VERS. 14.—OBTULISTIS. Cùm alii evangelistæ innocentiam Domini diligenter exponant, Lucas eam illustrat luculentissimè. Hùc enim narratio totius actionis Pilati, et toties tentatæ liberationis pertinet, ut intelligamus et perspicuè videamus Jesum fuisse innocentem, et nullo crimine mortem commeruisse, quin potiùs semetipsum pro aliis obtulissé.

AVERTENTEM, abducentem ab obedientiâ Cæsaris et legis vestræ.

CORAM VOBIS, ne fortè existimaretis veritatem à me celari, illo clam à me convicto. Postquàm Pilatus accusationes audisset, examinaverat Jesum solum intùs, quod testatur Joannes, cap. 18, v. 33; sed deinde, cùm adversùs productum Jesum et judicis sententiâ absolutum, repetivissent principes accusationes, examinaverat Jesum iterùm, idque coram eis, urgens nimirùm ut accusatoribus responderet Jesus, quod habent Matthæus, cap. 27, v. 12, 13, et Marcus, cap. 15, v. 3, 4.

INTERROGANS, cùm interrogaverim, examinaverim.

NULLAM CAUSAM, nullum crimen, nullam noxam, morte scilicet quam vos exposcitis dignam.

INVENI. Jesus enim non responderat ad objecta, ut falsa et nihil ad se pertinentia, Matth. 27, v. 14; Marc. 15, v. 5; sic enim interpretatus est Pilatus silentium Jesu, tanquàm negàsset objecta, ipsi verò ea testibus solidisque argumentis non probaverant.

EX HIS, ex eis. Syrus, *ex omnibus.*

IN QUIBUS, de quibus. Non reperio eum ulli eorum criminum obnoxium de quibus eum accusatis.

VERS. 15. — SED NEQUE HERODES, scilicet invenit ullam causam, seu crimen morte dignum in eo.

NAM REMISI VOS, cum Jesu, AD ILLUM, ex cujus ditione Jesum oriundum, et sub eâ præcipuè conversatum, atque adeò ab eâ doctrinam auspicatum, ipsi mihi dixeratis, ut potuerit proinde Herodes, res Jesu meliùs novisse, et cùm ipse quoque Judæus sit, de legis vestræ controversiis me certiùs judicare. Nam his de causis rejeci cognitionem ad illius tribunal.

ET ECCE, ut mirum sit vos pergere urgere viri mortem.

NIHIL DIGNUM morte, nihil quod vel verbis vel rebus ipsis significaret esse dignum morte. Indutus veste albâ tanquàm illusione dignus; sed non est sententia mortis adversùs eum pronuntiata, nec crux humeris ejus imposita, aut lapides cervici appensi, vel laqueus collo injectus; aut aliquid aliud tale *actum est ei,* scilicet Jesu ab Herode, quo his testaretur eum mortem meruisse; quod utique non omisisset, si dignum morte deprehendisset. Ex hoc loco egregiè liquet quo modo humanum consilium pudefiat, et promoveat tamen consilium Dei. Consilium Dei erat tueri Christi innocentiam; hominum, illum mille sceleribus obnoxium ostendere; quod ut fiat, hinc et inde, ab uno judice ad alium, gaudent illum ducere, ut ab omnibus dignus morte judicetur. Sed quò longiùs circumducunt, eò manifestior et testatior fit innocentia ejus.

VERS. 16. — EMENDATUM, castigatum, correptum, quo modo vertit infra, v. 22; postquàm castigavero, jussero castigari per lictores meos. Si quod leve delictum admissum erat absque crimine capitali, eum qui deliquerat solebant Romani præsides virgis aut flagellis cædere; atque hoc pœnæ genus dictum fuit coertio. Quandoquidem tam Herode quàm me judice, inquit Pilatus, nihil commisit morte dignum, non possum eum interficere, sed dimittere cogor: quia tamen vos offendit, verbis fortassè, jubebo eum verberibus cædi, ut vobis satisfaciam, ne temerè videatur à vobis accusatus; hujusmodi enim delicto puniendo, si quod sit, sufficere debet flagellatio. Hìc exorbitare Pilatus incipit, dùm consentit in castigationem innocentis. Hoc quidem agit, ut illatâ innocenti minore pœnâ, itàque placatis Judæorum animis, abstinere possit ab inferendâ majore; vult mitigare Judæorum furorem, et crudelitatem saturare innocentis flagris, ne cogatur afficere morte (furor enim iraque, cùm sit appetitus vindictæ, mitescere et quiescere solet, si egregiè punitus est is in quem fertur); nam seditionis metu non audet innocentem dimittere impunem. Sed humanum est hoc consilium, ex duobus malis minus eligentis, quod Domino non probatur. Nam *si mala facienda non sunt ut veniant bona,* Rom. 3, v. 8, multò minùs facienda sunt ut vitentur mala. Nam neque ita vitantur; postquàm enim deflectere cœperat Pilatus à justitiâ, et tentaverat quod non debuerat minus malum, majus quod voluit non effugit; nam postquàm flagellàsset

inter se dissidentes ejusdem suæ passionis occasione conciliare voluit, ut notat Ambros., in Luc. Itaque Pilatus dixit Judæis :

VERS. 14. — OBTULISTIS MIHI HUNC HOMINEM, QUASI AVERTENTEM POPULUM, à religione vestrà, à tributis Cæsari dandis, à Cæsare; et ecce ego NULLAM CAUSAM INVENIO EX HIS IN QUIBUS EUM ACCUSATIS, quia videlicet doctrina ejus populum compositum et morigerum esse facit: principum jura confirmat, Cæsari quod Cæsaris est, reddi jubens; nec regnum ejus contentiosum aut seditiosum est, sed ad testimonium perhibendum veritati.

VERS. 15. — SED NEQUE HERODES, supple, ullam invenit in eo mortis causam, seu crimen, quia NIHIL DIGNUM MORTE ACTUM EST EI, id est, nihil ab Herode factum est contra eum, quo significaverit re vel verbis esse morte dignum, sed solùm illusione.

VERS. 16. — EMENDATUM ERGO ILLUM DIMITTAM : Græcè, *castigatum.* V. 22, vertit *corripiam eum,* id est, virgis aut flagellis tanquàm pœnâ mitiori eum castigabo; quam pœnam Romani criminibus non capitalibus adhibebant. Fecit hoc Pilatus injustè quidem, sed tamen, ut Judæorum furori aliquo modo satisfaceret, quorum animos Jesus offenderat.

innoxium, tandem etiam crucifixit. Quare à principio ne tantillùm quidem recedere debuit à justitiâ ob gratiam metumve quorumvis; sed innocentem constanter defendere debuit et dimittere illæsum, nec permittere, quod in se esset, ut quisquam posthàc ei esset molestus, malis quæ timerentur, Dei providentiæ commendatis.

VERS. 17. — NECESSE AUTEM HABEBAT, scilicet ex consuetudine, Cæsaris decreto firmatâ. Syrus scripsit: *Mos enim erat.* Ubi notandum, quòd pro conjunctione *autem* legat *enim*, quasi sententia Pilati fuisset : Castigatum dimittam eum, necesse est enim ut unum vobis hoc festo dimittam. Atqui aliam fuisse Pilati mentem, satis constat ex aliis evangelistis, nempe, ut Judæi Jesum, non flagellatum aut cæsum, sed illæsum nihilque passum, festo donarent. Quare rectiùs Græcè et Latinè legitur conjunctio, *autem*, ut intelligas, Pilato, postquàm dixerat : *Emendatum ergo eum dimittam,* venisse in mentem, consuetudinem diei festi, et satius visum fuisse Jesum illæsum festo donari, quàm innocentem vel citra mortem affligi.

PER DIEM FESTUM, in die festo.

UNUM captivum. Supple ex aliis evangelistis : Rogavit igitur eos utrùm mallent dimitti ob gratiam diei festi, Jesum innocentem, an Barabbam sceleratissimum.

VERS. 18. — EXCLAMAVIT AUTEM SIMUL UNIVERSA TURBA, instar leonis rugiens. Græcè, ad verbum, *exclamârunt autem per universam multitudinem,* et principes scilicet, et plebs à principibus persuasa.

TOLLE, aufer è medio, interfice. *Gens sancta,* inquit Theophylactus, *rabie in cædem furit; et gentilis Pilatus cædem aversatur.*

HUNC, præ contemptu haud nominant.

VERS. 19. — QUI ERAT, qui quidem erat : nam verba sunt evangelistæ.

FACTAM, excitatam ipso auctore.

IN CIVITATE, Jerosolymorum.

ET HOMICIDIUM, et simul ob homicidium eâ in seditione perpetratum.

MISSUS, conjectus IN CARCEREM, ut opportuno tempore post diem festum occideretur, quâvis morte dignissimus. Hunc prætulerunt Jesu in concedendo vitæ beneficio; tanta fuit eorum perversitas.

VERS. 20. — AUTEM ; sic est et Syriacè : nam Græcè legitur *ergo*.

LOCUTUS EST, usus hujusmodi verbis : *Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* quæ à Matthæo et Marco referuntur.

AD EOS autem, scilicet principes sacerdotum et magistratus et plebem, quos supra, v. 14, convocaverat Pilatus.

VOLENS, id est, eâ mente, eo fine ut *dimitteret*.

VERS. 21. — SUCCLAMABANT, inclamabant.

CRUCIFIGE. Ingeminant crucifige, propter desiderii vehementiam.

VERS. 22. — TERTIÒ DIXIT, scilicet volens dimittere Jesum : *tertiò* autem, ex quo ab Herode reductus fuerat Jesus; primò enim egit ut festo donaretur, supra, à v. 14 usque ad v. 19; secundò, sategit ut unà cum Barabbâ dimitteretur, supra, v. 20; tertiò, hìc conatur castigatum absolvere. Sæpiùs etiam, antequàm ad Herodem misisset, tentaverat eum liberare. Non frustra circumstantias istas tam sedulò narrârunt et inculcârunt evangelistæ, quia nostrâ magnoperè interest scire, Jesum non priùs damnatum esse à Pilato, quàm tertiò et sæpiùs absolutus esset ejusdem ore, ut intelligamus, non suo ipsum nomine fuisse damnatum, sed pro nostris peccatis. Inde etiam colligere licet quàm voluntarius ad subeundam mortem fuerit Jesus, qui uti neglexit propenso illo in se judiciis affectu.

QUID ENIM, quidnam, enimverò quid MALI. *Peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus;* 1 Pet. 2, v. 22, ex Isa. 53, v. 9.

CAUSAM, crimen, ut supra, v. 4.

MORTIS, morte dignam (quo modo Syrus explicat), multò minùs cruce.

INVENIO, Græcè, *inveni,* factâ exquisitione diligentissimâ.

CORRIPIAM ERGO ET ILLUM DIMITTAM; Græcè, postquàm igitur castigavero eum dimittam. Quandoquidem nihil morte dignum commisit, et tamen vos offendit, castigabo eum per lictores meos, et castigatum dimittam. Hìc intelligendus est Pilatus fecisse, quod supra, v. 16, proposuerat, et alio consilio in mentem incidente distulerat, quemadmodùm dictum est, v. 17. Conscientiâ enim discruciante, ad varia confugit liberandi præsidia. Hìc igitur contigit, quanquàm id Lucas non exprimat, quod Joannes ait cap. 19, v. 1 : *Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit.* Nimirùm, quod Lucas omiserat, supplevit Joannes, declarans quæ fuerit ea correptio de quâ apud Lucam, flagellatio scilicet.

VERS. 23. — AT ILLI, non contenti correptione seu castigatione Jesu, flagellatione, inquam, dirissimâ, permiserunt ut Pilatus flagellaret Jesum (gratum enim eis hoc fuit, et omen præludiumque subsecuturæ crucis), sed postquàm flagellatus est, nequaquàm permiserunt ut Pilatus dimitteret eum, verùm institerunt, postulantes magnis clamoribus ut crucifigeret.

VOCIBUS MAGNIS. Videtur hoc potiùs jungendum cum *postulantes,* quàm, quod Syrus facit, cum *instabant.*

POSTULANTES. Quandoquidem præses negabat eum legibus posse damnari, quippe innoxium, curatum actumque est per principes sacerdotum et seniores ut Jesus publicè postularetur, et publicæ postulationis vi extorqueretur mors ejus.

INVALESCEBANT, increscebant, ita ut tumultus proximè secutus videretur.

VOCES insanæ EORUM, magistratuum et plebis, signanterque principum sacerdotum tanquàm ducum (additur enim Græcè atque Syriacè Euthymio suffragante, *eorum et principum sacerdotum*) quos id minimè decebat. Notavit hoc etiam Joannes cap. 19, v. 6 : *Cùm ergo vidissent eum pontifices et ministri,*

clamabant dicentes : Crucifige, etc. Interpres noster Græcè non legit illud, τῶν ἀρχιερέων.

VERS. 24. — ET PILATUS, Pilatus igitur, vel tunc Pilatus, metuens tumultum ac seditionem.

PETITIONEM, τὸ αἴτημα, postulationem seu postulatum; ut fieret quod illi postulabant et efflagitabant; non justitia, sed postulatum ipsorum. Non judicavit Pilatus Jesum ex suo animo, sed ex arbitrio Judæorum, nec judicavit esse cruce dignum, sed, ut præfectus civitatis, publicique tumultûs aversor, judicavit illum potiùs concedendum esse postulantibus, quàm ut seditionem in civitate oriri pateretur.

VERS. 25. — DIMISIT AUTEM, itaque dimisit.

EUM QUI PROPTER HOMICIDIUM ET SEDITIONEM MISSUS FUERAT IN CARCEREM. Mavult evangelista circumlocutione describere quàm nominare Barabbam, ut rei indignitatem ob oculos ponat.

QUEM PETEBANT, scilicet dimitti seu absolvi.

VOLUNTATI, manibus militum, voluntati autem EORUM, id est, ut fieret de eo quod illi volebant, ut lictores exsequerentur in illum quod Judæi volebant. *Voluntas autem eorum erat ut crucifigeretur,* ait Euthymius.

VERS. 26. — DUCERENT, abducerent, id est, cùm abduceretur, scilicet ad locum supplicii.

APPREHENDERUNT, scilicet illi qui ducebant eum, milites scilicet.

CYRENENSEM ; *Cyrenæum,* vertit secundùm alios evangelistas.

DE VILLA, ex agro, rure.

POST JESUM, ὄπισθεν τοῦ Ἰησοῦ, retrò, à tergo Jesu. ὄπισθεν adverbium est, non præpositio. *Non præcedit Jesum,* ait Ambrosius, *sed sequitur, juxta quod scriptum est : Tolle crucem tuam, et sequere me.*

VERS. 27. —ILLUM, Jesum.

MULTA; innumera haud dubium, ut erat referta hominibus civitas eo die, utpote Paschæ.

TURBA POPULI, vulgi, præter primates ; ut solet ad spectacula hujusmodi concurrere vulgus, eòque magis quò persona mortis supplicio afficienda singularior et celebrior est.

ET MULIERUM, inter quas, non dubium, erat et Maria mater Jesu, cum cæteris mulieribus discipulis, de quibus infrà, v. 49 ; sed turba erat mulierum Jerosolymitanarum præcipuè, quod datur intelligendum versu proximo.

QUÆ, etc., mulieres. Nota quòd mulieres planxisse dicantur, non viri ; vel enim viri ipsi damnaverant et ad crucem postulaverant Jesum, ac proinde sequebantur, *ut morientem læti aspicerent*, quod ait V. Beda ; vel, ut non perinde ad planctum proclives sunt ac mulieres, nec carebat periculo viris palam se monstrare amicos Jesu, non ausi sunt animi dolorem prodere. Verisimile est enim quosdam in eâ turbâ, memores doctrinæ ac miraculorum Jesu fuisse studiosos, et in miserâ illâ defectione exiguas sibi reliquias servâsse Deum.

PLANGEBANT ET LAMENTABANTUR. Lamentari est oris et oculorum ; plangere manuum. Deflebant, deplorabant modis omnibus ejus vicem, non humano solùm (nec enim latrones lamentatæ dicuntur), verùm etiam grato ac pio affectu, virum innocentem et justum, deque omnibus optimè meritum, ad crudelissimum crucis supplicium rapi. Valuit harum planctus ad damnandam impiam nefandamque virorum crudelitatem ; nec enim aliud poterat imbellis sexus adversùs conjuratam, magnatum præsertim, impietatem.

VERS. 28. — CONVERSUS, facie versâ, erant enim aut à tergo aut à latere.

AD ILLAS, mulieres lamentantes.

DIXIT, magnanimi constantia.

FILIÆ JERUSALEM. Mulieres Jerosolymitanæ phrasi Hebraicâ dicuntur *filiæ Jerusalem,* tanquàm matris, genitricis, inquam, nutricis et protectricis.

NOLITE FLERE SUPER ME, ne defleatis me, propter supplicium mortis ad quod abducor ; *me* inquàm solùm aut præcipuè. Non absolutè prohibet ne defleant mortem suam, quam ipsemet paulò ante horruerat, et luxerat, et fuerat deprecatus, supra 22, v. 42, 43 ; Matth. 26, v. 37, 38, 39 ; sed ne illam ita defleant tanquàm quæ ipsi vel soli vel præcipuè sit nocitura.

SED magis deflete vos IPSAS ET FILIOS VESTROS ; vobis enim et filiis sive liberis ac civibus vestris, quorum clamor ille fuit : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros,* Matth. 27, v. 25, plus nocebit supplicium hoc mortis quod subeo quàm mihi. Nam malum

VERS. 27. — SEQUEBATUR AUTEM ILLUM TURBA MULIERUM, QUÆ PLANGEBANT, manibus videlicet pectus vel femora tundendo, crines vellendo, et similibus signis dolorem præferendo, hoc enim propriè est plangere ; ET LAMENTABANTUR EUM, id est, fletu et lugubri sermone vicem ejus deplorabant. Solet enim sexus infirmior pro illis etiam qui morte digni sunt in lacrymas commoveri, et damnatorum exitûs, pro naturæ communis consideratione, misereri, inquit Leo, serm. 10, de Passione. Quanquàm hæc doloris testimonia ex innocentiæ et beneficentiæ ejus recordatione profluxisse verisimile sit.

VERS. 28. — CONVERSUS AUTEM AD ILLAS, corporaliter, DIXIT : FILIÆ JERUSALEM, id est, mulieres Jerosolymitanæ, usitatâ Hebræis phrasi, NOLITE FLERE SUPER ME, tanquàm impotente et miserabili, sicut eum deflebant. Unde idem Leo : Planctum qui damnatis promiscuè impenditur, dedignabatur Dominus sibi impendi, quia non decebat luctulus triumphum, nec lamenta victoriam. Adde quòd calicem passionis usque ad fæces bibere voluit, dùm et illud solatii genus rejicit, quod ex aliorum commiseratione et compassione obvenire solet. Est autem prohibitio, verbis quidem absoluta, sed sensu comparativa ; q. d. : Nolite tam flere super me, quàm SUPER VOS IPSAS, etc.; cujusmodi et illa : MISERICORDIAM VOLO, NON SACRIFICIUM, ut alibi dictum est ; ET SUPER FILIOS VESTROS, hujus peccati auctores et hæredes. Unde Scriptura : SUPER FATUUM PLORA, DEFICIT ENIM SENSU. Quanquàm præcipuè fletum imperare videatur, propter supplicii magnitudinem, quod eis impendebat. Nam rationem fletûs reddit :

VERS. 29. — QUONIAM ECCE VENIENT DIES, obsidionis futuræ per Romanos, IN QUIBUS DICENT, homines et maximè mulieres : BEATÆ STERILES ET VENTRES, etc., ET UBERA QUÆ NON LACTAVERUNT. Per hæc tria idem quidem significatur, sed cum magnâ exaggeratione, videlicet perquàm beatas esse mulieres quæ liberis

quidem quod mihi afferet, momentaneum erit, bonum verò æternum ; æterna vita ac gloria mea, æterna salus eorum qui credent in me.

Vers. 29. — Quoniam. Dat rationem quare seipsas et liberos civesque suos potiùs deflere debeant ; denuntians instare cladem non vulgarem, sed diram et priùs inauditam, in quâ palam cernatur divina ultio.

Ecce rem inexpectatam principibus et civibus vestris, nunc prosperè agentibus, et exultantibus, arbitrantibusque optimè secum agi, quòd eis detur me in crucem agere.

Venient brevi ; ἔρχονται, *veniunt,* etiam verti potest præsenti tempore : significat enim, hujuscemodi dies appropinquare et festinare, ut comprehendant eas quas alloquitur mulieres et liberos earum.

Dicent, scilicet homines, id est, dicetur ab omnibus, etiam ab ipsis mulieribus : est enim ferè muliebris hæc lamentatio.

Beatæ sunt steriles mulieres, et ventres, scilicet beati, qui non genuerunt, non pepererunt, et ubera, scilicet beata, quæ non lactaverunt. His tribus idem unum significatur, beatas esse mulieres steriles ; sed repetitio facta variis phrasibus, ad epitasin et exaggerationem facit ; modis omnibus prædicandas esse beatas, quibus nulli sint liberi ; cùm è contrario, maledictæ et infelices haberi soleant hujusmodi, beatæ verò et benedictæ, quibus numerosa est proles. Ex effectu causam dat intelligendam, tempus summæ tribulationis instare, à quâ nullus futurus sit liber ; ejusmodi, quo matres, quarum beatitudo ex copiâ liberorum æstimari consuevit, ipsæ optaturæ sint nullos sibi esse liberos, et aliorum omnium judicio à copiâ liberorum infelices censebuntur, ob malorum, quæ non solùm ipsæ, verùm etiam liberi earum patientur, magnitudinem. Steriles enim sola propria mala tolerabunt ; matres verò et propria et filiorum mala ferre cogentur ; naturâ enim, non minùs, ne dicam magis, tanguntur filiorum, quàm propriis malis ; ut nullus ab illorum dierum tribulatione immunis erit. Comparatione igitur matrum steriles beatæ erunt, quia earum calamitas non augebitur calamitate filiorum.

Vers. 30. — Tunc cùm venerint dies illi ultionis divinæ, incipient dicere, id est, dicent, scilicet homines, vos nimirùm et filii civesque vestri, montibus vicinis, vel illis in quorum fugerint speluncas à facie tribulationis.

Operite, tegite nos, suffocate, interficite nos. Assumptis verbis Oseæ prophetæ (quæ sunt vox hominum, extrema partim patientium, partim metuentium mala) adhuc amplificat Jesus rem, tribulationem adeò gravem fore, et multiplici ingentium malorum congerie ac timore constantem, ut homines, potiùs quàm illam perferant, optaturi sint vel miserabili morte præsentibus malis eripi ; judicantes satius esse montium ruinis opprimi vel absorberi, terræ chasmate, quàm inter sævos diuturni exitii cruciatus tabescere. His igitur declarat Dominus, quòd seipsas potiùs et liberos suos deplorare debeant mulierculæ istæ, utpote quibus longè graviora mala sint expectanda quàm sibi, idque propter hanc injustam suî interfectionem, quod taeitè intelligendum dat. Mens igitur ejus est ut intelligant, quod cœperamus dicere versu 28, supplicium mortis, ad quod abripitur, plus nociturum ipsis et filiis civibusque earum, quàm sibi ; utpote quibus brevi pariturum sit ingens malum, non momentaneum, sed diuturnum, adeòque æternum, excidium, inquam, civitatis ac civium Jerosolymorum gentisque Judaicæ, ex hoc seculo primùm, tum et ex altero. Impleta est enim hæc Christi prophetia, partim in ultione illâ à Vespasiano et Tito de Judæis sumptâ, quæ viventibus plerisque harum mulierum, et præsertim liberorum earum, accidit quadragesimo circiter post anno, partim in ultione à morte secutâ, cùm ex hoc mundo ad summas et quæ nunquàm deficient inferorum ærumnas, gens illa perfida est condemnata. Hæc ultio quàm sit gravis, verbis exprimi non potest ; de illâ verò Jesus discipulis suis prædixerat, Matth. 24, v. 21 : *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet ;* et supra 21, v. 23 : *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus ; erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic.* Sed nascitur hìc difficultas, quare dira adeò comminetur Dominus mulierculis istis, quæ non tantùm non erant causa mortis dominicæ, verùm etiam ægrè ferebant innocentem ac justum virum ad mortem abripi, fletu planctuque id testantes ? Respondeo quòd Dominus, occasione quidem ex earum fletu acceptâ, hæc prædixerit, sed non tam illis quàm earum liberis, sit comminatus ; nec tam earum liberis, quàm civibus Judæisque omnibus, quos in earum et liberorum earum personis perstrinxit. Nam quod ad has ipsas et earum liberos attinet, potuit fletus iste earum occultum fuisse semen ligni non prorsùs aridi, quod postea germen fidei in Christum produxerit. Ergo significat Christus, non sic se expositum impiorum libidini, quin Deo curæ sit, et in deformi illo ac sordido habitu se à Deo respici, impios verò Judæos, qui nunc quasi victores superbè triumphant, non diù insanæ lætitiæ fore compotes, quia paulò post secutura sit incredibilis conversio, ex horribili, quod impendet, Dei judicio.

careant, quorum scilicet calamitatibus non torqueantur. Nam intolerabilior solet matribus esse dolor de afflictione filiorum quàm de propriâ.

Vers. 30. — Tunc incipient dicere montibus, præ malorum tunc præsentium magnitudine, et impendentium expectatione ac metu : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos. Eadem et ista sunt, familiari Hebræis repetitione ; q. d. : Utinam vel montium ruinis opprimeremur, vel hiatu terræ absorberemur, ut, quamvis horrendo celeri tamen mortis genere, eriperemur malis. Significat enim Christus homines tunc mortem desideraturos, quæ fuit ab eis : nam, ut prædixit Matth. 24, vers. 21, erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet. Justè autem hæc passuros Judæos, declarat subjectâ pulchrâ similitudine.

VERS. 31. — QUIA. Confirmat rationi esse consentaneum id quod prædicit, nec diù stare posse Judæos, quorum matura jam sit iniquitas, quin iræ divinæ ignis illos incendio correptos devoret.

IN VIRIDI, Græcè, *in humido,* succulento.

LIGNO, arbore.

HÆC sæva ac crudelia FACIUNT, scilicet homines, id est, fiunt ; Hebraicâ phrasi ; Deo scilicet permittente.

IN ARIDO ligno seu arbore QUID FIET ? scilicet ab hominibus, quid facient homines ; id est, æquum est longè majora et graviora fieri. Metaphoricè alludit ad excisionem combustionemque arborum ; seipsum verò comparat arbori virenti, plenæ succo optimo, et optimorum fructuum feraci, ac proinde minimè dignæ igne, excisione aut morte, tum propter justitiam et innocentiam, quam ipse etiam judex Pilatus mox fuerat palàm testatus, tum propter beneficia plurima in Judæos collata, doctrinæ, sanitatis, et cætera, de quibus publicitùs constabat. Verè lignum vitæ, quod non solùm ipsum in se vivit, nullâ peccatorum aut cupiditatum carie vitiatum, sed omni virtutum genere perpetuò florens, verùm etiam aliis vitam conferre ac producere valet, donatum filiis Adæ in locum illius veteris, ut de plenitudine ejus omnes accipiant. Has autem mulieres, et præsertim liberos earum ac gentem Judæorum, confert arbori aridæ, siccæ ac sterili, quòd divinâ gratiâ destituti omnisque vivificæ justitiæ expertes, virtute carentes vitiisque scatentes, intùs Deo mortui, infideles atque impii, nullos proferrent fidei aut bonorum operum fructus, imò plurimos malorum operum, inter cæteros hoc omnium teterrimum parricidium sui Salvatoris, aptissimi proinde excisioni, combustioni, morti. Dicit ergo, usus argumento à minori ad majus : Si arbori viridi et feraci non parcitur quin igne comburatur, multò minùs tandem parcetur aridæ, ad nihil aliud quàm ut sit ignis pabulum utili. Si ego justus, innocens et omnibus utilis, diræ morti trador ac permittor, quantò magis id continget vobis et filiis civibusque vestris, impiis, injustis, nocentibus, et consummatâ præditis malitiâ ! Sic apostolus Petrus, 1 Epist. 4, v. 18 : *Si justus vix,* id est, non sine tribulatione, *salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* Et Jeremias, cap. 49, v. 12 : *Hæc dicit Dominus : Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent ; et tu quasi innocens relinqueris ! non eris innocens, sed bibens bibes.* Summa est, præposterè lamentari mulieres, nisi simul exspectent ac metuant horribile, quod sceleratis civibus suis impendet, Dei judicium.

VERS. 32. — ALII DUO NEQUAM, alii duo, non innocentes, qualis Jesus, sed *nequam ;* κακοῦργοι, malefici, facinorosi.

CUM EO. Itaque non solùm in crucifixione, quod Marcus annotavit, cap. 15, v. 28, sed et in eductione ipsâ, impletum est id quod Jesus ipse, supra, 22, v. 37, de se futurum prædixerat ex Isaiâ : *Et cum iniquis deputatus est.*

UT INTERFICERENTUR, prout fuerant meriti.

VERS. 33. — CALVARIÆ, scilicet locus. Græcè et Syriacè est nominativus *Calvaria;* sic enim locus vocabatur *Golgotha*, *Calvaria.*

LATRONES illos, τοὺς κακούργους, illos maleficos seu *nequam*, ut vertit superiore versu.

VERS. 34. — JESUS AUTEM DICEBAT, interea dùm crucifigeretur, aut potiùs crucifixione peractâ, cùm statueretur sublimis.

DIMITTE hanc injuriam, quam et in te et in me admittunt, quâ non solùm me, sed et te offendunt gravissimè. Significat displicere Deo Patri indignam hanc suî tractationem, eumque paratum pro merito ulcisci ; tamen non se desiderare ut vindicet, sed ut contra ignoscat, se enim suâ ex parte ignoscere. Hâc ratione confirmat doctrinam suam Matth. 5, v. 44, datam : *Orate pro persequentibus vos;* dùm non solùm vindictam remittit iis à quibus injustissimè simul et crudelissimè tractatur, verùm etiam, de illorum salute magis quàm de suis cruciatibus sollicitus, medetur illis à quibus vulneratur, et vitam procurat iis à quibus occiditur, salutem eorum commendans Patri. Non tamen ait disertis verbis se dimittere illis, quia actu perpetrantibus necdùmque agnoscentibus crimen, non est offerenda venia, quippe contempturis et adhuc incapacibus remissionis ac veniæ. Quare et quod Patrem orat ut dimittat, ita intelligit, ut oret eos adduci, priùs quidem ad peccati agnitionem ac detestationem, deindè verò ad abolitionem et justæ vindictæ condonationem.

ILLIS qui me crucifigunt. Non loquitur nisi de iis à quibus in crucem adigitur, sed loquitur, et de gentibus quorum jussu manibusque, et de Judæis quorum procuratione ac consensu, affigitur cruci.

NON ENIM SCIUNT. Addit rationem quâ adduci Pater queat ad ignoscendum, ignorantiam ; sed an ejusmodi ignorantiam intelligat quæ extenuet peccatum, an ejusmodi quæ aggravet, disputatur : ego, pro varietate personarum pro quibus orat, variam intelligere credo ignorantiam, nunc extenuantem, dùm gentiles respicit et quosdam è rudi vulgo Judæorum ; nunc

VERS. 31. — QUIA SI IN VIRIDI LIGNO HÆC FACIUNT, id est, si tam dira Deo permittente et judicante perpetrantur in me, qui velut arbor virens et fœcunda, gratiâ, justitiâ et bonorum operum fructibus plenus, excisione et combustione minimè dignus sum, IN ARIDO QUID FIET? id est, quid æquum est fieri in gentem istam Judaicam, quæ propter impietatem et omnis boni sterilitatem velut arbor arida non nisi ignis pabulum esse debet ? Est enim similis locutio qualis 1 Petri 4, vers. 18 : *Si justus vix salvabitur,* id est, non sine magnis tribulationibus, *impius et peccator ubi parebunt?* Porrò, quamvis nonnulli hæc supra dicta extendant ad pœnas æternas, in quibus sine dubio hæc verba etiam maximè vera sunt, directè tamen videtur Christus ad Jerosolymitani excidii calamitatem respicere.

VERS. 34. — PATER, DIMITTE ILLIS, non solùm pœnam tantæ injuriæ tam meæ quàm tuæ, sed etiam culpam. Nam his verbis impetravit Judæis non tantùm veniam, si pœnituerint, sed etiam fidem et agnitionem tanti peccati, et conversionem, ut pœniterent. Ut enim, Cyprianus, serm. de Passione, Christo

aggravantem, dùm principes majoresque Judæorum, qui ex pluribus argumentis, præsertim verò operibus, Jesum cognoscere potuissent, esse Christum Filium Dei vivi, nisi sic *excæcâsset eos malitia eorum,* quod ait de illis Sapientia, cap. 2, v. 21; ut non tantùm non se offendere Deum, verùm etiam rectè agere putarent, pro tuitione loci et gentis suæ, dùm interficerent Jesum, Joan. 11, v. 48, 50. Fuit hæc ignorantia crassa non solùm ac supina, verùm etiam affectata, procurata nimirùm voluntariis invidiæ odiique actionibus; ignorantia tamen fuit, quod testantur Petrus, Act. 3, v. 17, et Paulus, 1 Cor. 2, v. 8, et ejusmodi ignorantia, quæ adducere posset Patrem ad ignoscendum, quia prorsùs desperatum erat de horum salute, nisi singularis ejus misericordia subveniret, qui desperatis rebus libenter succurrit. Incipit igitur hìc Jesus in cruce sacerdotem agere; ante omnia, pro eorum à quibus injuriam patiebatur ignorantiâ, orans et hostiam seipsum offerens, absolutissimum patientiæ charitatisque exemplar; cujus et exauditam esse orationem tum evasit manifestum, cùm à resurrectione ipsius, quidam militum illorum Romanorum, quod habent historiæ; aliquot Judæorum millia, et multa turba sacerdotum, quod habent Acta apostolorum, cap. 4, v. 4, et 6, v. 7, in eum crediderunt, et quem sceleratè fuderant sanguinem, biberunt ad salutem.

Quid faciunt, quid faciant; nesciunt se peccare, multòque minùs quantum admittant peccatum. Nesciunt à se crucifigi Christum Filium Dei vivi, Regem gloriæ; 1 Cor. 2, v. 8.

Dividentes. Græcè, *dispertientes*, dividentes inter se.

Vestimenta ejus, tunicam exteriorem et interiorem.

Sortes, Græcè, *sortem.*

Vers. 35. — Stabat populus, magnâ multitudine, spectans successum rei, sicut fieri solet, quando supplicium publicè de aliquo sumitur.

Et deridebant. Μυκτηρίζειν, à μυκτὴρ, *nasus,* est naso suspendere, idem fortassè quod movere caput, ut loquuntur priores evangelistæ ex phrasi Hebræâ, nam Lucas Græcè peritior fuit.

Principes, intellige tam populi quàm sacerdotum. *Lucas enim,* inquit Augustinus, lib. 3 de Cons. evang., cap. 15, *quia principes dixit, nec addidit sacerdotum, magis nomine generali omnes primates complexus est, ut ibi possint intelligi et scribæ et seniores;* quos scilicet alii evangelistæ simul nominant.

Cum eis, cum populo. Hoc Syrus omittit, sed non omittit adverbium, *etiam*, ut Latinus. Non solùm igitur illi qui fortè fortunâ illàc præteribant, sed et qui spectandi gratiâ illic aderat populus, Jesum deridebant.

Dei electus. Epitheton Messiæ, sumptum ex illo loco Isa. 42, v. 1: *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.*

Vers. 36. — Et milites, ne Judæis essent dissimiles.

Accedentes propiùs ad eum.

Acetum, quasi ad sitim quam declaraverat restinguendam. Quæ crudelior possit esse illusio? nec enim ad sedandam sitim acetum valet, sed potiùs ad accendendam.

Offerentes. Unus solus obtulit, quod dicunt Matthæus et Marcus, sed Lucas pluralem numerum posuit pro singulari, sodalitio adscribens quod fecerat unus è sodalitio. Notat hoc D. Augustinus, lib. 3 de Cons., cap. 17.

Vers. 37. — Si tu es ille Rex Judæorum, à Judæis exspectatus, qui tanquàm rex potens Judæos esses servaturus. Milites sub nomine regis insultant Jesu, exprobrantes ei vanam usurpationem regii nominis; non sub nomine Christi aut Filii Dei, quem non noverant.

Salvum te fac, serva teipsum: non invoces Eliam, sed tu ipse expedi potentiam tuam, et eripe te ex hoc mortis periculo. Regis est regnare et vincere, non vinci et turpiter in cruce perire; q. d.: Non evades manus nostras, miser Rex, nec magis Elias te servabit quàm tu teipsum. *Lucas semel complecti voluit,* ait Augustinus, loco mox citato, *quod à militibus factum et dictum est.*

Vers. 38. — Et, pro *etiam,* quod scilicet majorem militibus præbuit irridendi occasionem.

Superscriptio, ἐπιγραφὴ, *inscriptio,* titulus, mortis causa.

Super eum, supra eum, collocata supra caput ejus, in superiori crucis parte.

Litteris, et linguis scilicet, Græcis et Latinis et Hebraicis. Tres istæ linguæ vel hoc nomine Christianis omnibus sunt commendatæ, etiam in sacris my-

orante, malignantium perfidia demùm credidit et intellexit; nam effectus illius orationis fuit quòd tot millia statim crediderunt, et quòd usque ad quadraginta duos annos tempus pœnitentiæ reliquis dilatum fuit, ut Hieron., quæst. 8, ad Hedibiam; ita facto munivit præceptum quod, Matth. 5, dederat: *Orate pro persequentibus vos;* sicuti, Isaiæ 53, prædictum erat: *Et pro transgressoribus rogabit.* Non enim sciunt quid faciunt, quantum scelus perpetrent, se scilicet Dominum gloriæ, Filium Dei crucifigere. Eamdem ignorantiam allegat Petrus, act. 3, v. 17: *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.* Quæ quidem in plurimis erat supina et crassissima; in multis, maximè principibus, affectata; quarum illa nonnihil culpam minuit, hæc eatenùs saltem veniæ locum facit, quia hominem reddit magis miserabilem, utpote penè desperatum; ideòque magis divinæ opis indigum, qui rebus desperatis succurrere solet. Quæ consideratio maximè in illis locum habet, si qui scientes et prudentes Filium Dei occiderunt, juxta illud quod in parabolâ dixerunt: *Hic est hæres, venite occidamus eum.* Hi enim maximè nesciebant quid facerent, quia maximè ignorabant suam in suo scelere miseriam ac cæcitatem; nam, ut Aug., serm. 61 de Tempore, nesciebant se à diabolo, horum facinorum incentore, graviorem persecutionem pati quàm Christo inferebant. Valet ergo talis ignorantia eorum, si non excusationem, saltem commiserationem.

steriis, quòd solæ pro omnibus in cruce Domini fuerint dedicatæ, à quâ, præter naturalem, alium singularem traxêre ornatum. Syrus per adverbia vertit : *Scripta super eum Græcè et Latinè et Hebraicè.* Tametsi porrò litteræ quibus Hebræi eo tempore vulgò utebantur, figurâ non differrent ab antiquis illis, quibus scripti exstant plerique omnes veteris Testamenti sacri libri ; nam quæ hodiè exstat Syriacarum litterarum diversitas, primis è Syriâ Christianis tribuitur ut auctoribus : lingua tamen diversa erat, quam alii Syram Jerosolymitanam, alii cum Nonno poetâ, Joan. 19, v. 20, simpliciter Syriacam vocant. Ut enim Hebræi exsulantes Babylone, degenerârant à veteri linguâ Hebraicâ, ita reversi in patriam usi sunt Hebraicâ linguâ mixtâ Chaldaicæ, quam tandem etiam miscuerunt Græcæ, cùm subessent Græcis, denique et Latinæ, cùm Romanis. Hujusmodi igitur erat Christi Domini tempore lingua Hebraica, veteri illi litteris quidem respondens, sed non perinde vocibus : quâ proinde Pilatus hìc usus est, utpote vulgo notâ, nam veterem soli docti callebant.

His porrò tribus linguis, Græcâ, Latinâ et Hebraicâ, præcipuis totius orbis terrarum ; oriens enim Hebraicâ, meridies Græcâ, occidens Latinâ ferè utebatur ; scribi jussit Pilatus in crucis fronte causam mortis Jesu, quia aderant eo tempore Jerosolymis, ex omnibus orbis partibus, omnis linguæ homines ; inprimis Romani equites militesque non pauci numero, qui in præsidio illic agebant, deinde *qui ascenderant ut adorarent in die festo*, ut Joannes loquitur, cap. 12, v. 20, gentiles proselyti omnis nationis ; denique Judæi ex dispersione omnium gentium, qui tametsi Judæi, non omnes Judaicè loqui et legere noverant, sed singuli linguâ in quâ nati fuerant utebantur, act. 2, v. 8. Ne quis ergo vel indigena vel peregrinus causam mortis Jesu ignoraret, cautum à præside est, eâ variis linguis evulgatâ. An autem eisdem linguis latronum causam evulgârit, incertum est quidem ; sunt qui putent eam consuetudinem magnificentiæ et magnanimitatis fuisse Romanæ, quâ ita declararent se dominos mundi, ut, si quem morte afficerent, mundum nollent celari causam ; certum est tamen quòd titulum Jesu ad Judæorum ignominiam et irritationem variis linguis publicârit, ut omnibus nationibus essent risui, quorum Rex turpiter crucifigeretur, idque ipsismet agentibus. Porrò ut in dictando titulo divinitùs actus fuerat Pilatus, ita quoque in eo triplici linguâ evulgando, idque iis linguis quæ essent omnium et perfectissimæ et frequentissimæ, ac cæterarum veluti matres, quibus proinde cæteræ facilè possent intelligi, arcano Dei impulsu actus fuit. Præsagium enim hoc fuit, quòd Jesus crucifixus prædicandus esset Rex Judæorum, id est, Christus, per universum mundum, quòdque omnis lingua, non Judæorum tantùm, verùm etiam gentium, hoc esset cognitura et confessura, denique quòd omnium linguarum populis per crucem esset regnaturus, ita ut meritò omnium linguis scriptum fuerit quod omnium intererat scire, Jesum, ideò quòd esset Christus, Judæis quidem promissus, sed exspectatio gentium, crucem pati pro omnium salute. Quâ de re Cyrillus, lib. 12 in Joannem, cap. 30 : *Titulus iste*, inquit, *per præcipuas linguas, omnium linguarum Jesum futurum principem prædicabat, et impietatis crimine Judæos arguebat, magnâ eorum voce qui legebant conclamans, quòd Dominum Regemque suum crucifixerint.* Et Ambrosius : *Solet etiam titulus subjugatarum gentium numerum designare*, etc.

VERS. 39. — UNUS. Creditur is fuisse qui à sinistrâ Jesu pendebat.

DE HIS QUI PENDEBANT. Syrus addit *cum eo.*

SI TU ES CHRISTUS, ut videri vis. Dat intelligendum se Judæum esse, utens Christi nomine.

SALVUM FAC, libera à cruce ac morte, ET NOS tecum crucifixos. Loquitur suo et socii nomine. Vult dicere : non vales teipsum liberare, multò minùs nos, quantùmlibet id optârimus, pseudochriste. Furiosæ obstinationis exemplum in hoc perdito homine describitur, qui neque inter medios cruciatus blasphemias cum ferociâ spumare desinit. Ita solent desperati homines, quæ effugere nequeunt tormenta, per contumaciam ulcisci.

VERS. 40. — RESPONDENS, respondendi partes accipiens, loco Jesu ad convicia tacentis, *sicut homo surdus non audiens, et sicut mutus non aperiens os suum, nec habens in ore suo redargutiones,* quemadmodùm de ipso prædictum fuerat, Psal. 37, v. 14, 15.

ALTER latronum, à dextro Jesu latere suspensus, quæ verisimilis est plerorumque opinio.

INCREPABAT objurgabat EUM, verso ad eum capite, quod unum movere poterat.

DICENS, id est, hujusmodi verbis.

NEQUE TU TIMES DEUM. Syrus ad verbum : *Etiam non à Deo timens tu ?* Manifesta hìc subest emphasis : eam constituunt quidam in nomine, *Deum,* ita ut Deus hominibus opponatur, q. d. : Ne Deum quidem times, si non homines ; quidam in verbo, *times ;* q. d. : Ne times quidem Deum, si non amas ; alii rectiùs in pronomine secundæ personæ, *tu*, opposito principibus, populo, et militibus, quorum mentio

VERS. 40. — RESPONDENS AUTEM ALTER, Jesu scilicet ad convicia obmutescente, INCREPABAT EUM, DICENS : NEQUE TU TIMES DEUM, hostem conviciantium, et miseris insultantium ; vel, ut aliqui, Deum, hunc ipsum scilicet Christum pendentem in cruce, quem in loci, et temporis, et omnium circumstantiarum summâ iniquitate Deum esse, non solùm admirabili fide credidit, sed etiam constantissimè confessus est. Multò enim magnificentius fuit, quòd hominem inter extrema supplicia deficientem Deum credidit, quàm si inter virtutum opera, inquit Aug., credidisset. Porrò emphaticum est illud : *Neque tu ;* q. d. : Ut non timent Deum, qui nos circumstant principes et Judæi, an non saltem times Deum, QUOD, seu *quia*, IN EADEM DAMNATIONE ES ? id est, cùm in eodem, quo ipse, sis supplicio, morti scilicet ac judicio Dei proximus ? Nam mors et judicium Dei impendens per se urget ad coercendam linguæ petulantiam, amplectendamque pœnitentiam ; consortium verò pœnæ cum ipso Deo invitat ad veniam. Itaque verba ista causam continent cur Deum præ

præcedit. Increpat socium suum ut impium et nequaquàm timentem Deum, quòd maledica convicia in Jesum evomat. Causas subjicit.

Quod, eò quòd, cùm in eadem, quâ iste, damnatione es constitutus, cùm simili pœnæ subjaceas, mortem mox allaturæ tam tibi quàm ipsi; q. d. : Si principes populusque Judæorum et Romani milites, præsentes, non timent Deum, ac proinde non verentur hunc suppliciis à se affectum ac moribundum etiam conviciis proscindere, nullâ pœnarum ejus commiseratione moti, minùs mirum est, quia nihil pœnæ, nihil adversi patiuntur, prosperè agunt, vivunt; valent, et diù adhuc victuros se sperant, itaque parùm aut nihil de Deo, ut fit, cogitant. Sed quòd tu, qui damnatus ad mortem, morte afficeris, mox moriturus et Dei judicio præsentandus, non revoceris timore Domini à maledicentiâ, eâque in socium pœnæ ac mortis, perquàm duri atque obstinati animi argumentum est. Docet timor Domini omnes compati et condolere afflictis, iisque qui morte afficiuntur, etiam justâ de causâ; quòd hoc non præstet, sed contra maledicat, qui ipse similiter afflictus est, et morti proximus meritò cogitare debet de Deo judice, ad cujus tribunal à morte sistendus est, nimis à ratione alienum est; cùm vel ipsa pœnæ communio, naturâ suâ ad excitandam condolescentiam sufficiat. Significat latro iste pœnitens se sibi cavere ab imitando exemplo maledicorum præsentium, concepto timore Domini, prohibentis ne afflicto addatur afflictio, et comminantis à morte, cui se vicinum novit, gravissimas easque æternas pœnas, iis qui mandata ejus transgressi fuerint. Observanda est hìc igitur in hoc latrone, primùm quidem fides in Deum, judicem et in vitâ futurâ remuneratorem; deinde timor Dei, initium justificationis, Ecclesiastici 1, v. 28; denique gemina charitas, erga Deum quidem, quia movetur zelo compescendæ injuriæ quæ Deo et Christo inferebatur; erga proximum verò, quem severâ castigatione satagit emendare et revocare à malâ mente.

Vers. 41. — Et nos quidem, etc. Ne eò quòd dixerat, *in eâdem damnatione es*, putaretur credere Jesum, ut supplicii, ita et peccati socium esse, occurrit Jesum omni culpæ communione eximens, et à suâ ac socii causâ secernens. Non ait autem *et tu quidem justè*, quemadmodùm dixerat, *neque tu times Deum;* quia, licèt Dei timore jam se ipse contineret à maledicentiâ in Jesum, tamen non se præfert socio suo, memor præteritorum scelerum suorum, quibus ei fuerat æqualis. Confitetur itaque peccata sua, quod initium est conversionis ad Deum; et prudenter se alteri annumerat, quamvis pœnitentem, ut correptio, quò modestior, eò sit efficacior.

Justè, scilicet in hâc damnatione sumus, meritò hâc crucis damnatione afficimur.

Factis, sceleribus nostris, latrociniis, inquam, iisque quæ sunt consecuta.

Recipimus pro meritis nostris, mercedem factis dignam. Agnoscit se justè affici morte crucis, ac proinde æquo animo tolerat eam, et accipit de manu Pilati judicis tanquàm de manu Dei; et quare non dicas quòd offerat eam Deo in satisfactionem pro peccatis suis, cùm aliam exhibere non posset, quanquàm Calvinus id nolit?

Hic verò quem tu blasphemas, nihil mali gessit, ἄτοπον, *absonum,* indecens, nihil præter officium, nihil quod virum bonum non deceat, nihil unquàm fecit quod reprehensionem mereretur, multòque minùs hanc mortem crucis; non solùm nullo scelere, sed nec ullo vel levissimo peccato contaminatus. Innocens est, et injustè in hâc damnatione constitutus, injustè hoc crucis supplicio damnatus, quippe hostium crudelitate, non proprio crimine eò raptus; ac proinde etiam hâc ratione minimè expetendus conviciis. Bis enim inhumanum est, et moribundo maledicere et innocenti. Opponit Jesum sibi ac socio, ut justum injustis, innocentem nocentibus; itaque eludit illorum consilium, qui Jesum idcircò medium inter latrones suspenderant, ut eorum similis haberetur quibus erat adjunctus, dùm manifestum testimonium innocentiæ Jesu fert ipse latro, atque eò efficaciùs, quò prudentiùs, latam à judicibus sententiam, adversùs se quidem probat, adversùs Jesum autem reprobat, ne putetur suî similem laudare. Quâ in re notanda est hujus latronis, inter alia, constantia in confessione Jesu, dùm non veretur et principes Judæorum et Pilatum judicem palàm damnare, præsentibus et audientibus eorum ministris, ut Jesum defendat. Sed unde noverat iste Jesum nihil mali gessisse? celeberrima fama beneficentiæ Jesu erga omnes jamdiù ad aures ejus pervenerat : accessit verò nunc singularis illustratio mentis, à Spiritu sancto profecta, de quâ plura versu proximo.

Vers. 42. — Et dicebat ad Jesum, postquàm in-

cæteris timere debeat. Ne autem sicut eamdem Christo damnationem, ita et eamdem damnationis causam ei tribuisse putaretur, discernendo adjicit :

Vers. 41. — Et nos quidem justè, supple in eâdem damnatione crucis sumus : nam digna factis recipimus, dignam latrociniis nostris mercedem. Hæc post fidem, est peccati agnitio et confessio, et justæ pœnæ approbatio; unde nihil vetat esse quamdam satisfactionem pro peccatis quæ includat præeuntem cordis pœnitentiam. Hic vero nihil mali gessit, id est, innocentissimus est, et consequenter injusto supplicio damnatus. Itaque verba ista continent aliam rationem temperandi à blasphemiis (bis enim inhumanum est et moribundo et innocenti maledicere), et mirabilem constantiam spirant in defensione Jesu, dùm non veretur et Pilatum, et scribas, et sacerdotes, et omnes Judæos supplicii auctores, coram astantes injustitiæ damnare. Ut meritò dixeris simul fuisse præstantissimum actum charitatis, sive erga Christum, sive erga fratrem, quem de peccato tantâ libertate corripuit, ut Greg., 18 Moral., c. 23, aliàs 25. Per tales ergo actus jam stratâ viâ ad reconciliationem, magnâ spe et fiduciâ obtinendi orans,

Vers. 42. — Dicebat ad Jesum : Domine, rerum omnium (quem enim antè Deum crediderat, nunc tanquàm Dominum summâ dominii significatione invocat), memento mei. Maxima in isto verbulo pœnitentis elucet verecundia : non enim liberationem à

signi illâ defensione viam parâsset ad conciliandam sibi ejus gratiam.

Domine, Jesu bone, quem ego judico non blasphemiis esse appetendum, sed colendum ut omnium Dominum, quippe Christum Regem, qui et possis et velis salvare.

Memento mei, unà tecum aliquando crucifixi, et abominandi quidem peccatoris, sed peccata vitæ anteactæ ex animo detestanti, ita ut mihi, pro regali munificentiâ tuâ, benefacias aliquâ ratione, quaquâ tandem visum tibi fuerit, non habitâ ratione peccatorum meorum. Non audet dicere : *Fac me participem regni tui*, conscius ipse sibi scelerum vilitatisque suæ ; sed quâ est modestiâ, sufficit ipsi, si vel minimum aliquid boni à morte impetret. Non dicit ut alter dixerat : *Salvum fac temetipsum et nos* ab hâc cruce quam patimur; ut enim credebat, possibile quidem facileque esse Jesu, semetipsum sociosque à cruce liberare si vellet, sed divinæ esse dispensationis, quòd cruce moreretur; ita non desiderabat ipse à cruce liberari, quam pro sceleribus suis libenter tolerabat, ut satisfaceret divinæ justitiæ; nec in eo constituebat salutem suam, ut ab illâ liberaretur, sed in eo potiùs, si Jesus memor ipsius à morte foret ipsique benefaceret.

Cum veneris ex hâc miseriâ in regnum tuum. Quod futurum credo, superatâ hâc morte crucis; ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, in regno tuo. Interpres rectè accepit ἐν pro εἰς, *in regno tuo*, pro, *in regnum tuum*, in regnum cœlorum quod prædicâsti, quod Dei promissione tuum est. Tu enim verè es Christus Rex (quod rident impii isti) regnum accepturus et initurus, non de cruce descendendo, sed crucem constanter perferendo. Rara, nobilis, supraque modum excellens fides hujus latronis, credere Jesum à judicibus ut malefactorem condemnatum, à tortoribus crucifixum, à præsentibus omnibus irrisum, miserè moribundum, adeòque à Deo ipso derelictum, in hoc deformi habitu constitutum, esse justum Dei, Christum Regem et Dominum, regnum à morte toleratâ initurum, potentem et se et alios in seculo futuro salvare. Quibus enim vel notis vel insignibus ornatum videbat Christum ut mentem ad ejus regnum attolleret? Hucusque apostoli ipsi hactenùs non profecerant; qui et hoc ipsum quod profecerant, penè deseruerant, quando in latrone fides ista repentè invaluit; nominatim Petrus apostolus negavit, quo tempore latro confessus est; et contradicentibus quodammodò suppliciis latro credidit quod miraculis attestantibus atque acclamantibus discipuli non didicerunt. Neque solùm fidem declarat latro iste, verùm etiam insignem fidei conjunctam fiduciam, quâ sperat se, quamvis immanem peccatorem, misericordiæ ipsius posse fieri participem. Si quæras unde hanc fidem hujusmodi cum fiduciâ conjunctam hauserit, responderi potest, quòd, ut erat Judæus, audierat frequenter antehàc famam Jesu, quâ illius miracula humanis viribus majora, doctrina cœlestis, nominatim de regno cœlorum, et vitâ immaculatâ, summâ erga omnes philanthropiâ comitata, celebrabantur, nec tacebatur haberi eum à discipulis suis Christum Filium Dei. Hæc conjungens latro iste, cum eâ quam coram cernebat inauditâ Jesu mansuetudine ac patientiâ, excitatus est ad præcipiendam animo insignem cum fide spem; quanquàm præcipuum quod eum movit, fuerit Spiritûs sancti gratia, micantibus, è dextro Christi, hominum salutem operantis, latere, divinæ virtutis radiis, immissa in ejus animum, quem singulariter purgavit, illuminavit, erexit atque accendit. Singulare enim in hoc misero homine, inopinatæ atque incredibilis Dei gratiæ, exemplum propositum est; editum, et ad hujus salutem, et ad Christi gloriam, tum ut ne omni Christus honore inter ignominias destitueretur, tum ut efficacitas passionis ejus jam tum se exerentis monstraretur; nec enim nisi merito passionis Christi, fides cæteraque Spiritûs sancti dona cuiquam contingunt.

Vers. 43. — Dixit, qui ad convicia surdum se præbebat ac mutum, orationi postulationique credentis incunctanter respondet; et memor officii sui ut sacerdos, pœnitentem absolvit ac consolatur.

Amen, asseverat firmissimè, quò perseveret latro, ad mortem usque constanter, in eâ quam conceperat fide, spe, pœnitentiâ.

Hodie. Non aliquando duntaxat, ut petis, verùm hoc ipso die, statim à morte tuâ, cui proximus es.

Mecum eris. Non solùm ero tuî memor, verùm etiam *mecum eris*, ubi et ego hodie ero, mihi socius, nunquàm deinde à me separandus ; ubi ego ero, illic et tu minister meus eris, juxta id quod aliàs promisi, Joan. 12, v. 26. *Uberior est gratia quàm precatio*, inquit Ambrosius ; *semper enim plus Dominus tribuit quàm rogatur.*

In paradiso, in æternâ futuri seculi vitâ, in quieto

cruce, non regni participationem, sed solam suî memoriam aliquam postulat. Cum veneris in regnum tuum. Ergo Regem credit, et Salvatorem, à quo salutem petit, et regnum ejus à turpissimâ crucis morte incipere, ac proinde non esse de hoc mundo, sicut coram Pilato Christus dixerat. Quæ omnia tam magna sunt, ut et apostolos ipsos fide et notitiâ superaverit, ut notat Ambr., serm. 50. Hinc non mirum, si etiam fuerit uberior gratia quàm precatio, Domino plus tribuente quàm alter rogaverat, ut idem notat. Itaque

Vers. 43. — Dixit ei Jesus, ad convicia surdus, ad preces attentissimus : Amen dico tibi, id est, asseverantissimè tibi tanquàm verum ac certum affirmo. Nimirùm, ut tam constanti affirmatione latronem ad perseverationem adversùs diffidentiam, moribundis infestam, roboraret. Hodie, id est, non aliquando, ut tu petis tantùm, sed hâc ipsâ die, non solùm tuî memor ero, sed mecum eris, tanquàm socius consolationis, qui nunc es socius patientiæ et passionis, in paradiso, id est, in loco voluptatis et amœnitatis, ubi sunt animæ justorum post hanc vitam. Nam Græcis et Latinis, *Paradisus*, Hebræis, *pardes*, propriè significat hortum fructiferis arboribus consitum, id est, pomarium, ut vertitur Eccles. 2, versu 5. Unde locus ille voluptatis, in quo Deus Adamum collocaverat, *Paradisus* à Septuaginta vocatus fuit, ubi Hebraica vox generaliùs hortum significat. Hinc itaque, extenso per

felicique justorum à morte loco, mihi socius in paradiso et gaudio, ut es socius in cruce ac pœnâ. Non dicit, *in regno meo*, ne arrogantiùs admittere videatur oblatum sibi à latrone honorem regni, sed, *in paradiso*, qui communis habebatur justorum omnium à morte locus; volens tamen intelligi illud esse regnum suum, seque mox à morte suâ in illo suo regno fore. Cœtus enim justorum, mortali vitâ defunctorum, præcipua pars regni Christi est; qui, quanquàm non semper fruitus fuerit cœlorum habitatione, et eâ, in quâ maximè beatitudo sita est, Dei visione (quæ à Christi demùm morte et ascensione concessa fuère), nunquàm tamen malo loco, imò semper bono fuit, quieto, lucido suo modo, jucundo, bonisque omnis generis abundante, nihilo inferiore, imò verò longè feliciore horto illo primo, in quo Deus protoplastos collocârat, qui paradisus vulgò appellatur. Paradisus nomen est Latino Græcoque more formatum, ab Hebræo, aut, quod alii malunt, Persico nomine, *pardes*, significans propriè locum fructiferis arboribus consitum, id est, pomarium, quo modo vertitur Ecclesiastæ 2, v. 5; unde et Cant. 4, v. 13, legis, *paradisum malorum punicorum.* Nehem. 2, v. 8, vetus interpres transfert *saltum,* alii *pomarium.* Aliis Scripturæ locis non legitur hæc vox Hebraicè; sed quia Septuaginta hoc nomine usi sunt in initio Genesis, capitibus 2 et 3; quamvis Hebraicè legatur nomen generale *gan* hortus, non speciale *pardes;* auctores fuerunt, ut hortus ille deliciosus, in quo Deus collocaverat primos homines, κατ' ἐξοχὴν, vocaretur paradisus; et ab hoc ductâ translatione, amœnissimus quisque et ad oblectandos hominum animos jucundissimus locus, eodem nomine appellaretur. Unde et factum est, ab ortu sectarum Pharisaicæ et Saducaicæ, ut, quemadmodùm inferi, locus spirituum impiorum à corporibus separatorum, ubi miserrimè tractantur illi, nominabantur gehenna, à loco quodam fœdissimo et abominatissimo juxta civitatem Jerosolymorum, ita locus spirituum justorum, in quo illi quietè, jucundè, securèque agerent, appellaretur paradisus, ab illo primorum hominum felicissimo paradiso, quòd ab omni animi corporisque molestiâ liberi, non minùs feliciter illìc agerent, quàm protaplasti ante lapsum in paradiso. Huic igitur vulgari loquendi modo cùm assuevisset latro, est Jesus eo usus, ut clarè intelligeret latro, vitam beatitudinemque æternam et locum inter justos, sibi à morte promitti. In hanc sententiam scribit Chrysostomus in Catenâ citatus: *Sed dicunt, nomine paradisi regnum cœlorum nominavit, usitato nomine utens dùm alloqueretur latronem, qui nihil audierat de arduis documentis.* Promittit ergo Jesus latroni, mox à peracto supplicio, requiem felicemque refocillationem; promittit, quod amplius est, vitam beatitudinemque æternam eo die inchoandam in paradiso, id est, eo in loco in quo justi omnes à morte requiescunt, quem alio nomine Judæi vocabant sinum Abrahæ, Luc. 16, v. 22, ab Abraham parente et capite justorum omnium; qui locus, quamvis esset inferus mortalium respectu, superus erat tamen respectu loci reproborum, magno chao inter utrumque firmato. Porrò quod promisit Jesus latroni, hoc et præstitit; postquàm enim prior ipse eo die mortuus descendisset ad inferos, in sinum, inquam, Abrahæ et limbum patrum, latronis posteriùs eodem die mortui animam, jussam eò per angelos deportari, excepit: qui locus eo tempore paradisi nomen tantò justiùs merebatur, quantò magis præsentiâ Jesu illustrabatur, ornabatur, exhilarabatur, beatificabatur: quanquàm brevi Jesus inferum eum locum, mutaturus esset latroni cæterisque omnibus justis secum, in superum, adeòque in supremum cœlum, perpetuo Dei conspectu beatum, quem justiùs etiam paradisum vocant hodiè Christiani cum apostolo Paulo, 2 Corinth. 12, v. 4. Huic interpretationi paradisi favet Justinus martyr, qui respondens quæstioni 76, paradisum latroni promissum, exponit cœtum beatorum: favet inter alios D. Augustinus, lib. 12 de Genesi ad litteram cap. 34, ubi ait: « Quantò magis ergo post hanc vitam, etiam « sinus ille Abrahæ, paradisus dici potest, ubi jam « nulla tentatio, ibi tanta requies post omnes dolores « vitæ! Neque enim et lux ibi non est, propria quæ« dam et sui generis, et profectò magna, quam dives « ille de tormentis et tenebris inferorum, tam utique « de longinquo, cùm magnum chaos esset in medio, « sic tamen vidit, ut ibi illum quondam contemptum « pauperem agnosceret. » Et paulò post: « Quapropter « animæ illius latronis, cui dixit: *Hodie mecum eris « in paradiso,* non utique inferos præstitit, ubi pœnæ « sunt peccatorum, sed aut illam requiem sinus « Abrahæ, » etc. Videmus igitur latronem non frustra orâsse, imò exauditum, longè ampliùs accepisse, quàm rogârat; rogârat ut suî esset aliquando memoria, promittit præstatque ei Jesus hodiè paradisum, et vitam

metaphoram vocabulo, sicut locus animarum impiarum post hanc vitam, vocatus est *Gehenna,* à valle filiorum Ennom Jerosolymis proximâ, ita locus beatorum, ubi quietè et firmiter vivunt, vocatus est *Paradisus,* non solùm à Judæis, sed à Christianis; sive ille esset limbus Patrum ante resurrectionem Christi, sive nunc regnum cœlorum post resurrectionem. Unde Augustinus, lib. 12 de Genesi ad litt., cap. 34, *Paradisum,* exponit, vel sinum Abrahæ, vel generaliter locum, ubi sunt animæ justorum. Is autem locus tunc erat limbus Patrum, qui propter præsentiam Christi et manifestationem divinitatis ejus, non solùm locus quietis, sicut et antea fuerat, sed etiam voluptatis et deliciarum, ac proinde regnum Christi fuit. Notat autem Augustinus, tract. 31 in Joan., Christum jam in cruce significâsse id quod facturus est cum vivis et mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram. Nam ipsa crux tribunal fuit, quia in medio judex; hinc latro qui credidit, liberatus, illinc alter qui insultavit, damnatus est. Porrò ex hoc Christi facto meritò docet Ecclesia quòd in ipso mortis articulo pœnitentiam Dei benignitas non aspernatur. Nec enim serum est quod verum est; nec irremissibile quod voluntarium, de quo apud Cyprianum, serm. de Cœnâ Domini. Unde Dominus toti Ecclesiæ hìc publicum, ut vocat Ambr., condidit testamentum, tacitè scilicet simul omnibus qui in extremis convertuntur, cum latrone pœnitentes, indulgentiam et salutem.

æternam beatam. Quod enim addit, *hodiè*, non est quòd cras diesque consequentes excludat; sed intelligendum relinquit, si hodiè ingrediatur paradisum, nunquàm ejiciendum esse paradiso, quocumque tandem locorum ille transferatur (brevi enim post in cœlum translatus est); sed perpetuò illìc secum et cum omnibus justis beatum fore; ex eo quòd nemo illinc intromittatur, nisi qui Dei judicio justus sit declaratus; qui autem semel à morte justus est declaratus, nunquàm excidere potest, aut statu justitiæ, aut cœtu justorum, aut præmiis æternæ beatæque vitæ. Quare et hoc tacitè Jesus latroni dat intelligendum, quòd, condonatis peccatis omnibus, reddat eum justum et dignum paradiso cœtuque justorum à morte. Non promittit ei levamen præsentis miseriæ, antequàm finiat mortalem hanc vitam; plerùmque enim Deus affligi sinit hoc in seculo eos quos diligit, efficiens ut omnia eis cooperentur in bonum salutemque æternam, Rom. 8, v. 28. Brevem igitur facilemque in paradisum ingressum invenit latro; sed cavendum ne quis hoc exemplo abusus, præsumat, vel dilatâ emendatione in extremum vitæ, se recipiendum nihilominùs in gratiam, ut temerarii; quanquàm incertum sit an latronem hunc non pœnituerit anteactæ vitæ, priusquàm crucifigeretur; vel admittendum se mox à morte in paradisum, absque satisfactionibus et purgatoriis ullis pœnis, ut hæretici; rarum est enim Dei donum, pœnitentia in extremis: multòque rariùs talis pœnitentia tali cum fide conjuncta, qualem observare licet in hoc latrone, cui non exstat æqualis.

VERS. 44. — FERE. Adjecit *ferè*, ut solemus cùm tempus describimus, nec magni refert præcisè punctum temporis notare. Sextam horam fuisse declarat Marcus; paulò post sextam igitur.

ET, scilicet tunc, TENEBRÆ, id est: Cùm autem esset hora circiter sexta, tenebræ *factæ sunt in universam terram.*

USQUE IN, usque ad.

VERS. 45. — OBSCURATUS EST, obscurus factus est, non quòd lux esse in sole desierit, aut caligo in sole exstiterit, sed quia sol lucem suam non fudit in terram. Nam et in quâvis eclipsi, sol ipse in se lucidus manet, non minùs quàm extra eclipsim; sed lux ejus terræ subtrahitur, itàque succedunt tenebræ. Dat ergo hìc evangelista intelligendum, quomodò tenebræ factæ sint, obscurato nimirùm sole, id quod D. Augustinus etiam annotat, lib. 3 de Cons., cap. 17, partim scilicet per interpositionem lunæ inter solem et terram, partim per retentionem radiorum solis. Quando vita in fonte vitæ abscondebatur, et fons vitæ reddebatur veluti sine vitâ, tunc lux in fonte lucis abscondita est, et fons lucis factus est veluti sine luce, idque donec fons vitæ in locum mortis descendisset, ut absorptâ morte in augustiorem prorumperet vitam, quemadmodùm lux obscurata in majorem tandem erupit lucem.

MEDIUM, in duo seu duas partes, ut Matthæus ait. *Lucas volens miraculum miraculo adjungere,* ait Augustinus, lib. 3 de Cons. evang., cap. 19, *cùm dixisset: Sol obscuratus est, continuò subjungendum existimavit: Et velum templi scissum est medium, præoccupans videlicet, quod exspirante Domino factum est.*

VERS. 46. — VOCE MAGNA. Fuit planè maxima hæc vox, profecta ex maximâ Christi virtute, maximo vehementissimoque orandi affectu, maximâ denique certitudine suî erga Patrem commendationis. Confidentissimè enim mortem advocat, et ipsas ingreditur tenebras mortis, eam intra ipsiusmet penetralia debellaturus.

PATER. Pium et Dei ad finem usque vitæ studiosum se esse declarat, minimè verò ut facinorosum aut Dei adversarium mori. Deum ad hæc patrem suum esse affirmare, in extremo etiam vitæ spiritu constitutus pergit, mortem oppetens in confessione ejus quòd Dei Filium se dixerat. Denique quantâ feratur erga Deum fiduciâ, et quàm minimè exciderit spe, animam suam salvam à morte et incolumem fore, Patrem invocans testatum facit. Euthymius Matthæum tractans: *Clamavit,* inquit, *voce magnâ, ut omnes audirent omnesque scirent quòd ad extremum usque spiritum Patrem Deum appellaret, et universa in eo reponeret, nec esset ei contrarius.*

IN MANUS TUAS, in manus providentiæ, potentiæ bonitatisque tuæ, id est, tibi; *per manus Dei intelligimus Deum ipsum,* inquit Euthymius; custodiæ, tutelæ, curæque tuæ. Versiculus iste ex psalmo 30 mutuatus, à Domino ad suum usum orationis loco aptatus est. His verbis David vitam suam, cui hostes insidiabantur, Deo commendaverat, ut ejus tutelâ protectus, et vivens et moriens tutò feliciterque ageret: eisdem verbis Christus, animam suam è corpore egredientem inexpugnabili Dei præsidio committit. Nec verisimile est quod quidam conjiciunt, nominatim Dionysius Richelius, Christum, præcedentia omnia illius psalmi, submissiori voce apud se recitâsse: mox enim ut dixerat: *Consummatum est,* subjecit: *In manus, et inclinato capite emisit spiritum,* quod ex Joanne intelligitur; q. d.: Quandoquidem, Pater, omnia jam consummata sunt, quod unum restat, in manus tuas commendo spiritum meum et morior.

COMMENDO. Syrus *pono.* Græcè ferè est, παραθήσομαι, *commendabo,* deponam. In psalmo quoque tam Græcè quàm Hebraicè futurum est παραθήσομαι, *aphkid;* quæ

VERS. 46. — ET CLAMANS VOCE MAGNA, in argumentum magni roboris, vehementis affectûs, denique summæ fiduciæ in Patrem; ne vel propter insultationes aliorum dicentium: *Confidit in Deo,* etc., vel propter orationem, quam præmiserat: *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* in desperationem actus putaretur, sicut impiè putavit Calvinus, confidentissimè ait: PATER, quæ vox est intimi amoris, et conjunctionis et fiduciæ, IN MANUS TUAS, id est, tibi, seu in manus providentiæ, potentiæ et bonitatis tuæ, COMMENDO SPIRITUM MEUM, id est, animam meam, jamjam separandam à corpore, depono, ut eam excipias, custodias, et veluti depositum suo tempore reddas. Unde Theophyl. in Matth., Ambr. hìc, et alii notant significationem

duæ voces, Hebraica et Græca, ejusdem sunt significationis : significant commendare simpliciter, aliquid scilicet curæ alicujus committere : significant quoque ita commendare, ut commendatur depositum, bonâ fide servandum ac suo reddendum tempore. Tria igitur quædam Jesus hoc verbo dat intelligenda : Primum, quòd spiritum, quem à Patre acceperat, Patri reddat : omnia enim sua Patri attribuit, à quo acceperat et naturam divinam. Secundum, quòd humanus spiritus è corpore egressus, regionem ignotam ingrediatur, ac proinde periculis possit esse obnoxius, ne erret aut incurrat mala, custodem autem et servatorem Deo meliorem nequeat habere; illi itaque spiritum suum commendat excipiendum, servandum et ducendum in viam rectam, ita ut feliciter obeat ea quæ à corpore separatus obeunda habebit. Quamvis enim ipse spiritui suo è corpore egresso non timeret ab ullis periculis, quæ à malis spiritibus aut undecumque accidere possent, præsertim cùm divina ipsius natura nequaquàm separanda esset à spiritu ipsius; tamen ut gratiæ esse doceret, quòd spiritus seu anima ipsius ab omnibus periculis esset immunis, et perpetuâ Dei præsentiâ, custodiâ, adeòque unione frueretur, orat ut egressum è corpore excipiat et servet Pater, id est, cum gratiarum actione ac laude securè eum Patri committit : eò magis quòd nos instruere velit, ut morituri hoc modo oremus, quorum spiritus egressi corporibus, nisi à Dei misericordiâ excipiantur et serventur, errent necesse est in regionibus umbræ mortis, et à malis qui illìc regnant spiritibus abripiantur in tartara. Tertiò ac postremò significat hoc verbo Jesus, quòd brevi repetiturus sit spiritum suum à Deo Patre, quippe quem deponat in paternas manus, et depositi instar commendet suo tempore restituendi. Quam ad rem optimè convenit manuum metaphora : nam cui aliquid commendamus servandum nobisque reddendum, illud ei in manus assignamus et tradimus. *Insinuat,* inquit Theophylactus scribens in Matthæum, *se illum iterùm repetiturum : depositum enim et commendatum iterùm assumitur;* et in hunc locum : *Depositum,* ait, *mortem nominavit, tanquàm iterùm recepturus animam.* Ambrosius quoque in hunc locum : *Benè commendatur spiritus qui servatur : quod enim commendatur utique non amittitur; bonum ergo pignus est spiritus, bonum depositum.* Committit itaque Patri servandum spiritum, interea dùm triduum proximum agetur, orans ut à triduo ipsi restituat eum Pater, et corpori iterùm jungat. Quâ oratione effectum est, quod præcinuerat psalm. 15, v. 10, ut *non dereliquerit* Pater *animam* Filii sui *in inferno, nec permiserit Sanctum suum videre corruptionem.* Dat ergo inter cætera Jesus hìc intelligendum, quod sæpè aliàs disertè declaraverat, se brevi resurrecturum : quemadmodùm etiam prædicit, quod non est alterius alicujus hominis, se spiritum mox exhalaturum. Nam sive præsenti tempore legas *commendo,* sive futuro *commendabo,* idem unum significatur, quòd jamjam exhalandum spiritum, priusquàm egrediatur, Patri commendet; quæ interpretatio non tam ex vi verborum accipitur, quàm ex eo quòd res ipsa mox subsequatur, quòd hoc dicto statim expiret. Erat in hâc commendatione aliquid præsens, supplicatio, inquam, et prædictio; erat aliquid futurum, sed mox spiritûs depositio seu traditio.

Spiritum meum, animam meam, quam è corpore meo emitto. Augustinus, libri de Trinitate et Unitate, cap. 7 : *Humanum,* inquit, *spiritum intelligimus Filium commendâsse Patri, quod est anima.* Secundùm carnem, ait Christus, nihil in te Pater auxilii jam sentio; non tamen id obstabit, quò minùs animam meam, quæ carnem relinquit, in manus tuas deponam, et securè recumbam in absconditâ custodiâ bonitatis tuæ, quâ futurum sit, ut animâ et carne rursùs conjunctis, brevi feliciter beatèque resurgam. Porrò voluit Dominus Jesus piè moriendi exemplum hìc nobis relinquere, ne ut bestiæ aut ut homines athei moriamur; sed persuasi animam nobis esse immortalem, quæ victura sit etiam mortuo corpore, commendemus eam Dei benignitati, ut servetur, cùm à malis spiritibus, tùm à suppliciis futuri seculi, et tandem aliquando corpori beatè restituatur. Neque exemplum tantùm Dominus hìc nobis relinquit, verùm etiam, cum suâ animâ seu spiritu, eorum omnium spiritus Patris manibus commendat, pro quibus mortem oppetit; omnium fidelium animas, quas ut spolia ex hostibus accepta ducit suas, uno quasi fasciculo complexus, paternæ committit curæ, ut simul cum suâ serventur, et egressæ corporibus rectà ascendant in manus Patris ad beatam visionem Dei, quas antea consueverat infernus retinere. « Tradidit animam suam mani« bus Genitoris, » inquit Cyrillus, lib. 11 in Joannem, cap. 36, « ut ab illâ et per illam facto initio, certam « hujus rei spem habeamus, firmiter credentes in ma« nibus Dei nos post mortem futuros. » Sic et Victor Antiochenus, Marcum tractans : « Hæc quoque Christi « commendatio in animarum nostrarum commodum « cedebat, quippe quas ille à corpore quod inhabita« verant absolutas, quasi quoddam depositum, in Dei « viventis manus eâ oratione tradebat. » Postremò Euthymius in hunc locum : « Et hoc nobis effecit Domi« nus, ait, ne deinceps justorum animæ descenderent « in infernum, sed magis ad Deum ascenderent. »

Et hæc dicens, mox ut hoc dixerat. Syrus : *Hoc dicit et finiit,* scilicet vitam, expiravit. Fecit quod

depositi in verbo tam Græco quàm Latino, quod propriè etiam voce Hebraicâ, Psal. 30, v. 6, significatur, unde hæc verba Christi sumpta sunt. Porrò tam Hebraicè quàm Græcè est futurum, *commendabo,* id est, jamjam spiritum meum deponam, et sic verba continent prædictionem rei statim futuræ, sic tamen, ut simul præsentem supplicationem involvant. Hoc autem piè moriendi exemplum Christus præbere voluit, ut credentes spiritum nostrum esse immortalem, eum quasi depositum quodam resurrectionis beneficio resumendum, ejus manibus, id est, curæ, custodiæ, defensioni contra malignos spiritus cum fiduciâ deponamus; de quo Cyrill., lib. 12 in Joan., c. 36, et lib. 2 ad Reginas.

dixerat, deposuit spiritum in manus Patris. Ita apparuit certissimo argumento ipsum esse Filium Patris invocati, et spiritum ipsius à Patre fuisse susceptum, quòd res juxta orationis sententiam eveniret. « Cùm « enim dixisset, » quod habet Euthymius Matthæum enarrans, « Pater, in manus tuas commendo spiritum « meum, tunc demùm morti permisit ut ad se acce« deret. »

VERS. 47. — VIDENS, considerans.

QUOD FACTUM FUERAT, singulare loco pluralis, *quæ facta fuerant,* sicut exponitur versu proximo. Quare et Augustinus, lib. 3 de Cons., cap. 20, dicit, Lucam his verbis, *quod factum fuerat,* includere omnia quæ in illâ horâ mirabiliter facta fuerant; signanter, haud dubium, ea quæ ipse commemoraverat solem obscuratum, et clamorem orationemque morientis Jesu, *quòd cum libertate,* ut inquit Euthymius, *Deum Patrem vocâsset, et in manus ejus spiritum suum commendare se testatus esset, ac paulò post expirâsset.*

GLORIFICAVIT DEUM, agnovit et confessus est veritatem, dixit quod res erat, nam veritatis confessio, Dei gloria est, qui est prima veritas. Sic Jos. 7, v. 19, et Joan. 9, v. 24 : *Da gloriam Deo,* id est, fatere veritatem.

JUSTUS, id est, innocens, *erat,* præter meritum interfectus est. Judæi eum occisum voluerunt, tanquàm impostorem, quia Filium Dei se dixit, sed injustè, nam veracem et justum fuisse virum Deus ipse testatus est. Lucas narrat Jesum à centurione declaratum esse innocentem : priores evangelistæ referunt causam ob quam dixerit esse innocentem, quia verè Filius Dei fuerit, tametsi eam ob causam, quia id dixerat, Judæi eum interfici curâssent. Utrumque ergo centurio dixit, et quòd justus esset Jesus, et quòd Filius Dei; quæ prior expositio est D. Augustini, lib. 3 de Cons. Evang., cap. 20; adeòque hoc ex illo ratiocinando intulit.

VERS. 48. — *Et omnis turba eorum qui simul aderant,* omnes qui ex more venerant ad supplicii spectaculum; quos solito plures fuisse constat, partim ex eo quòd fuerit dies paschæ, quo omnes undequàque Judæi convenerant Jerosolymam, partim ex celebritate nominis Jesu; alios enim odium, alios studium Jesu, alios claritas nominis ejus attraxit.

AD SPECTACULUM ISTUD, Jesu crucem patientis; nam et Jesus *spectaculum factus fuit mundo et angelis et hominibus,* 1 Cor. 4, v. 9.

ET VIDEBANT QUÆ FIEBANT, quæ facta fuerant, scilicet deliquium solis, terræ motum, etc.

PERCUTIENTES PECTORA SUA, in signum pœnitentiæ, quòd pœniteret eos in cædem Jesu consensisse, idque metu vindictæ divinæ, quam instare ominabantur ex ostentis conspectis. « Tundere pectus quid est, inquit Augustinus, nisi arguere quod latet in pectore, « et evidenti pulsu occultum castigare peccatum? » Ergo turbæ, pectora tundendo, et peccatum, injustâ innocentis cæde, à se suisque principibus, publicè contractum esse agnoverunt, et vindictam sibi suæque reipublicæ ob peccatum illud impendentem deprecati sunt. Sed qui non ultra progressi sunt, nihil illis profuit hic planctus : nam plerisque initium seu præparatio fuit melioris pœnitentiæ, quæ perfecta est die Pentecostes proximè subsecuto, quando auditâ Petri concione *compuncti sunt corde, et dixerunt : Quid faciemus, viri fratres?* Act. 2, v. 37. Ecce igitur alter fructus orationis mortisque Jesu in vulgo Judæorum; nam primates petris ipsis duriores permanserunt.

REVERTEBANTUR in civitatem et hospitia sua. « Notanda est distantia gentis et gentis, » inquit Beda. « Gentiles quippe, moriente Christo, Deum timentes, « apertæ confessionis voce glorificant : Judæi percu« tientes solùm pectora, silentes domum redeunt. »

VERS. 49. — OMNES, qui aderant; nec enim omnes aderant.

NOTI, familiares, EJUS, Jesu; discipuli, consanguinei, amici; nominatim, Maria, mater ejus, et Joannes apostolus, quod constat ex Joan. 19, v. 25. Hoc ideò est additum, ut sciamus, licèt hùc illùc fugâ dilapsi essent apostoli, quosdam tamen ex eorum cæterorumque discipulorum cœtu, retentos à Domino fuisse, ut essent testes oculati eorum quæ gererentur, nec solas adfuisse mulieres, quanquàm illæ fuerint majori numero, et viris constantiores.

ET MULIERES, præsertim verò mulieres; nam et illæ erant ex notis. Harum tres nominantur à prioribus evangelistis.

HÆC VIDENTES, dùm hæc spectarent. Hoc tam ad notos referendum est juxta sensum, quàm ad mulieres, tametsi Græcè efferatur genere feminino.

VERS. 50. — ET, tunc, simul atque Jesus exspirâsset, ECCE, præter omnium expectationem.

DECURIO, Βουλευτής, consiliarius, senator.

BONUS, pius erga Deum, et JUSTUS erga proximos, quod congruit senatori.

VERS. 47. — VIDENS AUTEM CENTURIO QUOD FACTUM FUERAT, id est, quæ fiebant, ut est versu seq. Unde, Matth. 27, versu 54, habetur : *Viso terræ motu et his quæ fiebant;* inter quæ præcipuè erat id quod Marcus expressè notat, quia sic clamans expirâsset, id est, quòd post tantum clamorem, statim expirâsset. Hoc enim signum erat eum non necessitate, sed propriâ voluntate animam deponere, sicut hoc prædixerat Joan. 10, versu 18. Unde etiam Pilato res ista, Marci 15, miraculo fuit, ut observant Augustinus, 4 de Trinit., cap. 13. GLORIFICAVIT DEUM, confitendo id quod res erat (Deus enim veritas est, et ideò confessio veritatis, maximè si fiat amore veritatis, quædam Dei glorificatio est) DICENS : VERE HIC HOMO JUSTUS ERAT, id est, innocens à calumniis ei impactis. Impositum autem ei fuerat quàm maximè quòd blasphemâsset asserendo se Filium Dei. Justum ergo fatendo, et consequenter veracem, tacitè confitetur eum esse verè Filium Dei, sicut Matth. clarè dixit. Quanquàm dici possit hanc esse confessionem distinctam ab alterâ.

VERS. 48. — ET OMNIS TURBA PERCUTIENTES PECTORA REVERTEBANTUR, in signum pœnitentiæ, de indignitate tanti facinoris conceptæ. Quid enim tundere pectus, inquit August., nisi arguere, quod latet in pectore, et evidenti pulsu occultum castigare peccatum ?

Vers. 51. — Non consenserat, nec tamen rebus ipsis se opposuerat, quia viderat frustra se id tentaturum; ut neque Deus voluerat Christi mortem impediri.

Consilio, quo decreverant Jesum perdere.

Et actibus, actis quibus procuraverant Jesu cædem.

Eorum, principum Judæorum, licèt fuisset ipse ex eorum numero et concilio. Ex hoc enim loco facilè intelligitur Josephum unum fuisse ex senioribus populi et concilio Sanhedrin, et illi etiam concilio interfuisse, quo principes Judæorum de capiendo ac crucifigendo Jesu deliberaverant; et non ivisse quidem in sententiam eorum qui Jesum oderant, non tamen palam ausum fuisse profiteri studium animi sui, ob multitudinem et potentiam adversariorum.

Ab Arimathæa, scilicet oriundus. Hoc Syrus habet versu superiori post ea verba: *Qui erat decurio.*

Judææ. Græcè *Judæorum.* Rectiùs Latina et Syriaca editiones, *Judææ; Judææ* autem strictè acceptæ, prout distinguitur à Galilæâ et Samariâ.

Vers. 52. — Et petiit, atque obtinuit.

Vers. 53. — Eum, scilicet Jesum. Græcè est *illud,* scilicet corpus.

Exciso, scilicet è lapide, ut intelligas hoc monumentum, solidum fuisse saxum, non compactile aut structile, sed excavatum suo loco nativo.

In quo nondum quisquam positus fuerat, nullius hactenùs corpus sepultum fuerat. *Sicut in Mariæ virginis utero,* inquit Augustinus Joannem enarrans, *nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumento, nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.*

Vers. 54. — Et sabbatum, id est, festus sabbati dies illucescebat, id est, incipiebat, proximum erat ut inciperet. Quia dies à solis luce incipere consuevit, et id quidem naturæ ordine, atque ideò diem illucescere dicimus cùm incipit: hinc sumptâ metaphorâ, diem festum sabbati illucescere dicit Evangelista cùm incipit, quanquàm à vesperâ, id est, à tenebris non à luce inciperet, ordine à lege præscripto. Sunt qui putent evangelistam respexisse, vel ad stellarum exortum, vel ad lumen lucernarum quæ eâ horâ solerent accendi, unde et Latini id temporis vocant primam facem. Addidit hoc autem evangelista, ut significaret, diei parasceves extremum finem imminuisse, cùm Dominus sepeliretur, neque plus temporis fuisse ad sepulturæ officium quàm necesse esset; ita ut mulieres, quæ et ipsæ libenter officium præstitissent, tempore exclusæ fuerint, finiente nimirùm parasceve, et sabbato, quo operari non licebat, succedente atque incipiente.

Vers. 55. — Subsecutæ, funus.

Mulieres, nominatim Maria Magdalene et Maria Jacobi, quas priores evangelistæ exprimunt.

Viderunt monumentum, spectârunt monumenti situm et formam tam intùs quàm foris.

Et quemadmodum positum erat, et quomodò positum seu collocatum in eo esset corpus]ejus, Jesu. Postquàm enim Joseph, sepulturâ perfectâ monumento egressus esset cum suis, concessit mulierum pietati, ut et ipsæ ingrederentur, viderentque ubi ac quo modo sepultus esset Jesus, et distulit tantisper advolvere saxum ostio monumenti. Mens autem mulierum erat ut et ipsæ exacto sabbato ungerent Jesum. *Quia religiosæ,* inquit Ambrosius, *locum diligenter observant, ut unguenta afferant et superfundant.* Et Beda: *Notis Jesu, post depositum ejus corpus, ad sua remeantibus, solæ mulieres quæ arctiùs amabant, funus subsecutæ, quomodò poneretur inspicere curabant, ut ei tempore congruo munus possent devotionis offerre.*

Vers. 56. — Revertentes, reversæ, scilicet domum.

Paraverunt, emerunt, inquit Marcus.

Aromata, siccè contusa, quibus aspergerent corpus adversùs fœtorem.

Unguenta, aromata qualia myrrha, aloe, balsamum, in liquores contusa, quibus oblinirent aut perfunderent corpus contra putrefactionem.

Et, pro, *sed,* sabbato, quod jam illuxerat, priusquàm essent domum reversæ, siluerunt, Græcè, quieverunt, nihil egerunt quod ad aromatum et unguentorum apparatum.

Secundum mandatum legis, sicut præceptum erat lege, quæ vetabat omne opus in sabbato, Exodi 20, v. 10. Paraverunt aromata, non tamen sabbato, sed scilicet simul atque transîsset sabbatum et mandatum cessaret, id est, vespere diei subsequentis: quod intelligendum dat etiam Marcus.

Multa ad hujus capitis enodationem reperire est apud alios evangelistas.

CAPUT XXIV.

1. Unà autem sabbati valdè diluculò venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata.

2. Et invenerunt lapidem revolutum à monumento.

3. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.

4. Et factum est, dùm mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secùs illas in veste fulgenti.

5. Cùm timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis?

CHAPITRE XXIV.

1. Mais le premier jour de la semaine, ces femmes vinrent au sépulcre de grand matin, et apportèrent les parfums qu'elles avaient préparés.

2. Et elles trouvèrent que la pierre qui était au-devant du sépulcre en avait été ôtée;

3. Et étant entrées, elles ne trouvèrent point le corps du Seigneur Jésus.

4. Ce qui les ayant jetées dans la consternation, deux hommes parurent tout-à-coup devant elles avec des robes éclatantes.

5. Et comme elles étaient saisies de frayeur, et qu'elles tenaient les yeux baissés en terre, ils leur dirent: Pourquoi cherchez-vous parmi les morts celui qui est vivant?

6. Non est hic, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæâ esset,

7. Dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertiâ resurgere.

8. Et recordatæ sunt verborum ejus.

9. Et regressæ à monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus.

10. Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.

11. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista ; et non crediderunt illis.

12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum ; et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit, secum mirans quod factum fuerat.

13. Et ecce duo ex illis ibant ipsâ die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.

14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant.

15. Et factum est, dùm fabularentur, et secum quærerent ; et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis.

16. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

17. Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?

18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illâ his diebus?

19. Quibus ille dixit : Quæ? Et dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo :

20. Et quomodò eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum.

21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel ; et nunc super hæc omnia tertia dies est hodiè quòd hæc facta sunt.

22. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,

23. Et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere,

24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum ; et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt : ipsum verò non invenerunt.

25. Et ipse dixit ad eos : O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ !

26. Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?

27. Et incipiens à Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.

28. Et appropinquaverunt castello quò ibant; et ipse se finxit longiùs ire.

6. Il n'est point ici, mais il est ressuscité. Souvenez-vous de quelle manière il vous a parlé, lorsqu'il était encore en Galilée,

7. Et qu'il disait : Il faut que le Fils de l'homme soit livré entre les mains des pécheurs, qu'il soit crucifié, et qu'il ressuscite le troisième jour.

8. Et elles se ressouvinrent en effet des paroles de Jésus.

9. Et étant revenues du sépulcre, elles racontèrent tout ceci aux onze et à tous les autres.

10. Ce fut Marie-Madeleine, Jeanne, Marie, mère de Jacques, et les autres qui étaient avec elles, qui rapportèrent ceci aux apôtres.

11. Mais ils regardèrent comme une rêverie ce qu'elles disaient ; et ils ne les crurent point.

12. Néanmoins Pierre se levant courut au sépulcre, et, s'étant baissé pour regarder, il ne vit plus que les linceuls qui étaient par terre, et il s'en revint, admirant en lui-même ce qui était arrivé.

13. Ce jour-là même, deux d'entre eux s'en allaient à un bourg nommé Emmaüs, eloigné de soixante stades de Jérusalem ;

14. Et ils parlaient ensemble de tout ce qui s'était passé.

15. Et il arriva que, pendant qu'ils s'entretenaient ainsi, et qu'ils raisonnaient ensemble, Jésus lui-même les joignit et se mit à marcher avec eux ;

16. Mais leurs yeux étaient retenus, en sorte qu'ils ne pouvaient le reconnaître.

17. Et il leur dit : De quoi vous entretenez-vous ainsi en marchant, et d'où vient que vous êtes tristes?

18. L'un d'eux, nommé Cléophas, lui répondit : Êtes-vous seul si étranger dans Jérusalem, que vous ne sachiez pas ce qui s'y est passé ces jours-ci?

19. Et quoi? leur dit-il. Ils répondirent : Touchant Jésus de Nazareth, qui a été un prophète puissant en œuvres et en paroles devant Dieu et devant tout le peuple ;

20. Et de quelle manière les princes des prêtres et nos sénateurs l'ont livré pour être condamné à mort, et l'ont crucifié.

21. Cependant nous espérions que ce serait lui qui rachèterait Israël ; et après tout cela néanmoins voici le troisième jour que ces choses se sont passées.

22. Il est vrai que quelques femmes de celles qui étaient avec nous, nous ont effrayés, car ayant été dès le grand matin à son sépulcre,

23. Et n'y ayant point trouvé son corps, elles sont venues dire qu'elles ont vu même des anges qui disent qu'il est vivant.

24. Et quelques-uns des nôtres, ayant aussi été au sépulcre, ont trouvé toutes choses comme les femmes les leur avaient rapportées ; mais pour lui, ils ne l'ont point trouvé.

25. O insensés! leur dit alors Jésus, dont le cœur est tardif à croire tout ce que les prophètes ont dit !

26. Ne fallait-il pas que le Christ souffrît tous ces maux, et qu'il entrât ainsi dans sa gloire?

27. Ensuite commençant par Moïse, et parcourant tous les prophètes, il leur expliquait tout ce qui avait été dit de lui dans toutes les Ecritures.

28. Et comme ils approchèrent du bourg où ils allaient, il fit semblant d'aller plus loin.

29. Et coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis.

30. Et factum est dùm recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.

31. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum : et ipse evanuit ex oculis eorum.

32. Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur in viâ, et aperiret nobis Scripturas?

33. Et surgentes eâdem horâ regressi sunt in Jerusalem ; et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant,

34. Dicentes : Quòd surrexit Dominus verè et apparuit Simoni.

35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in viâ : et quomodò cognoverunt eum in fractione panis.

36. Dùm autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis : ego sum, nolite timere.

37. Conturbati verò et conterriti, existimabant se spiritum videre.

38. Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?

39. Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum : palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.

40. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes.

41. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hìc aliquid quod manducetur?

42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis.

43. Et cùm manducâsset coram eis, sumens reliquias dedit eis,

44. Et dixit ad eos : Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me.

45. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.

46. Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die :

47. Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ.

48. Vos autem testes estis horum.

49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam ; et elevatis manibus suis, benedixit eis.

51. Et factum est, dùm benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum.

52. Et ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno :

29. Mais ils le forcèrent de s'arrêter, en lui disant : Demeurez avec nous, parce qu'il est déjà tard, et que le jour est sur son déclin. Il entra donc avec eux.

30. Et comme il était avec eux à table, il prit le pain et le bénit; et l'ayant rompu, il le leur donna.

31. En même temps, leurs yeux s'ouvrirent et ils le reconnurent; mais il disparut de devant leurs yeux.

32. Alors ils se dirent l'un à l'autre : N'est-il pas vrai que notre cœur était tout brûlant en nous, lorsqu'il nous parlait durant le chemin, et nous expliquait les Ecritures?

33. Et se levant à l'heure même, ils retournèrent à Jérusalem; et ils trouvèrent les onze, et ceux qui demeuraient avec eux, qui étaient assemblés,

34. Et qui disaient : Le Seigneur est vraiment ressuscité, et il est apparu à Simon.

35. Ils racontèrent aussi eux-mêmes ce qui leur était arrivé en chemin, et comment ils l'avaient reconnu dans la fraction du pain.

36. Pendant qu'ils s'entretenaient ainsi, Jésus se trouva au milieu d'eux, et leur dit : La paix soit avec vous; c'est moi, n'ayez point peur.

37. Mais troublés et saisis de frayeur, ils s'imaginaient voir un esprit.

38. Et Jésus leur dit : Pourquoi vous troublez-vous, et pourquoi s'élève-t-il tant de pensées dans vos cœurs ?

39. Regardez mes mains et mes pieds : c'est moi-même. Touchez et considérez qu'un esprit n'a ni chair, ni os, comme vous voyez que j'en ai.

40. Après avoir dit cela, il leur montra ses mains et ses pieds.

41. Mais comme ils ne croyaient point encore, tant ils étaient transportés de joie et d'admiration, il leur dit : Avez-vous là quelque chose à manger?

42. Ils lui présentèrent un morceau de poisson rôti et un rayon de miel.

43. Après qu'il eut mangé devant eux, prenant les restes il les leur donna,

44. Et leur dit : Voilà ce que je vous disais étant encore avec vous, qu'il fallait que tout ce qui a été écrit de moi dans la loi de Moïse, dans les prophètes et dans les psaumes, s'accomplît.

45. Alors il leur ouvrit l'esprit, afin qu'ils entendissent les Écritures.

46. Et il leur dit : Il est écrit ainsi, et il fallait que le Christ souffrît de la sorte, qu'il ressuscitât le troisième jour,

47. Et qu'on prêchât en son nom la pénitence et la rémission des péchés parmi toutes les nations, en commençant par Jérusalem.

48. Or vous êtes témoins de ces choses.

49. Et je vais vous envoyer le don que mon Père vous a promis; cependant tenez-vous dans la ville, jusqu'à ce que vous soyez revêtus de la force d'en haut.

50. Il les mena ensuite hors de la ville, jusqu'à Béthanie; et levant les mains, il les bénit;

51. Et en les bénissant, il se sépara d'eux, et fut enlevé au ciel.

52. Pour eux, après l'avoir adoré, ils s'en retournèrent à Jérusalem tout remplis de joie;

53. Et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen.

53. Et ils étaient continuellement dans le temple, louant et bénissant Dieu. Amen.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Una sabbati, Græcè sabbatorum, id est, primâ die à sabbatis, sive sabbato.

Valdè diluculo, ad verbum, diluculo profundo, id est, *aurorâ adhuc obscurâ*, ut Syrus exponit. Tempus matutinum in plures partes dividitur; ejus prima pars diluculum est, quo rarescit nox, quod tunc profundum vocatur, cùm primùm incipit et multùm adhuc diluculi superest, priusquàm discussis tenebris succedat manè, et orto sole dies; quanquàm diluculum initium est ortûs solis. Quare Dionysius Alexandrinus, epistolâ ad Basilidem: *Per* τὸ *valdè diluculò, matutinum splendorem, in primam sabbati promicantem, hoc est, primæ sabbati auroram vixdùm satis apparentem, ut probabile fit, adumbrat.*

Venerunt, pervenerunt, scilicet mulieres quæ Jesum secutæ fuerant ex Galilæâ, supra 23, v. 55.

Aromata, ad ungendum Domini corpus, quod non dubitabant esse in monumento. Sequitur Græcè, καὶ τινες σὺν αὐταῖς, *et quædam cum eis;* quod et Syrus legit in hunc modum: *Et erant cum eis mulieres aliæ.* Quo significari videtur, quòd mulieribus quæ Jesum secutæ fuerant à Galilæâ, adfuerint quædam aliæ, qualis Martha, aut aliæ Jerosolymitanæ. Nam quanquàm Græcum, τινὲς, commune sit utrique sexui, nullos tamen viros his mulieribus adfuisse constat ex Evangeliis: cæteroqui enim non dixissent, Marc. 16, v. 3: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* ut alia omittam. Verùm, ut Latina editio non agnoscit hæc verba, καὶ τινες σὺν αὐταῖς, ita notat quidam abesse ab uno vetere exemplari Græco; ac certè suspecta sunt superfluitatis. Ad alia Evangelia possint quadrare; sed ad hoc, quòd nullam feminarum nominatim hìc exprimit, quàm aptè quadrat: *Et quædam cum eis*? Videri sanè possit acceptum, ex eo quod infra, v. 10, nominatis quibusdam earum quæ Jesum secutæ fuerant à Galilæâ, subjecerit Lucas, *et cæteræ cum eis;* sed quod non est necesse de aliis intelligere, quàm de sociis quæ unà Jesum secutæ fuerant ex Galilæâ, ut, Salome, matre filiorum Zebedæi, quæ pluribus locis; et Susanna, quæ Lucæ, cap. 8, v. 3, nominatur.

Vers. 2. — Et invenerunt, scilicet præter spem.

Revolutum, de quo revolvendo fuerant maximè sollicitæ.

A monumento, ab ostio monumenti, id est, invenerunt monumentum apertum.

Vers. 3. — Et ingressæ. Itaque ingressæ in monumentum apertum, monente ducenteque angelo Domini quem invenerant insidentem lapidi revoluto, quod habet Matthæus.

Non invènerunt, viderunt locum vacuum esse.

Vers. 4. — Et factum est, simul atque exîssent monumento; nam quamdiù erant in monumento, stupor quo tenebantur ob præsentiam angeli, non perindè permittebat ut se colligerent.

Dum mente consternatæ hæsitarent, perplexæ essent animique incerti, de isto, hâc de re, de lapide revoluto, et non invento Jesu corpore, quid actum esse posset de corpore Jesu; simul et de visione angeli in monumento relicti, et eis quæ ex eo audiverant, narratis à prioribus evangelistis. *Nondùm enim*, inquit Euthymius, *credere poterant quòd resurrexisset.* Perplexæ de eo quòd corpus Jesu non invenissent, cogitabant quònam posset esse ablatum; nec persuadere facilè sibi poterant, quod ab eo qui apparuerat angelo audierant, Jesum resurrexisse, quanquàm id nuntii eas nonnihil exhilararet.

Duo viri, duo angeli virorum specie. Cùm primùm advenissent, invenerant angelum sedentem ad ostium monumenti super lapidem revolutum, quod narrârunt Matthæus et Marcus; illo angelo duce ingressæ sunt in monumentum, et viderunt locum vacuum corpore Jesu. Porrò illo angelo in monumento relicto, egressæ ut fuerunt, cùm hæsitarent, et faciliùs crederent ablatum esse Jesu corpus, quàm quod audierant, resuscitatum, adfuerunt alii duo angeli, qui suis monitis eximerent eis metum illum de rapto Jesu corpore. Fuit enim monumentum illud, quod Dominus suâ tum morte tum vitâ consecrârat, honoris Domini causâ, plenum angelis, ut non sit mirum plures apparuisse; et postea quidem rursùs duos Magdalenæ soli, *sedentes unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu,* Joan. 20, v. 12.

Steterunt secus illas, ad verbum astiterunt eis; quidam vertit, *supervenerunt ipsis.*

In veste fulgenti, induti vestibus instar fulguris relucentibus; tum ut intelligerentur esse cœlestes angeli, tum ut suâ specie resurrectionis triumphum præ se ferrent.

Vers. 5.—Declinarent, deflecterent, vultum, partim ex timore, partim ex verecundiâ, quia virili formâ apparebant, partim denique quòd ferre non possent vestium facierumque fulgorem. *Cùm novo aspectu,* inquit Euthymius, *conterritæ essent, nec possent ob vestium coruscationem in eos respicere.* Non dubium quin eodem modo se gesserint mulieres istæ erga primum angelum, quamvis alii evangelistæ id non expresserint.

Dixerunt, unus haud dubium communi nomine. *Dixerunt, non jam mansuetè,* inquit Euthymius, *ut priùs, sed objurgandi modo, propter ipsarum incredulitatem.*

Quid quæritis, etc. Quid perseveratis in eo, ut quærendum vobis putetis cum mortuis, inter mortuos, *tanquàm mortuum,* ait Euthymius, eum quem vivere jam audîstis ex fratre nostro? Paulò duriùs loquuntur et amicè objurgant, quòd non crederent primo angelo, sed adhuc hæsitarent et raptum corpus arbitrarentur.

Vers. 6. — Non est hic. Hic quidem conditus fuit nudiustertius vobis spectantibus, cùm esset mortuus; sed nunc non est hìc, non est in hoc monumento,

prout ipsæ vestris oculis vidistis; nec aliò translatus est mortuus.

Sed surrexit, revixit, et abiit hinc, relicto loco mortuorum, vivusque inter vivos ambulat, prout jam ex angelo fratre nostro audistis. Evangelista hæc non addit, sed absolutè refert verba angelorum suorum, quia primi angeli non meminit.

Recordamini qualiter, mementote eorum quæ dixit vobis. Revocant eis in memoriam ea quæ Jesus ipsis prædixerat, ut eò credibiliorem monstrent ipsius resurrectionem.

Locutus est vobis cæterisque discipulis suis; nam et feminæ istæ inter discipulos Jesu censebantur, nec facilè quid eas celabat Jesus eorum quæ docebat. Redeat vobis, inquit angelus, in memoriam, quomodò nihil eorum quæ gesta sunt non prædixerit vobis.

Cum adhuc, diù ante hoc tempus et mortem suam, priusquàm è Galilæâ in Judæam migraret : ea migratio describitur supra 18, v. 31.

Vers. 7. — Quia aut omittendum est, aut mutandum cum *quòd*. Hic versus expositus fuit supra, 9, v. 22. Cæterùm respicitur ad loca Matth. 17, v. 21, 22, et supra 9, v. 44, quæ continent acta prædictaque in Galilæâ. Porrò non tantùm resurrectionem, ut primus angelus, sed et passionem ipsumque mortis genus, à Jesu prædicta, angeli isti in memoriam revocant; ut istæ, considerantes evenisse tristia illa quæ Jesus prædixerat, fidem ipsis adhiberent affirmantibus et resurrectionem jam factam.

Vers. 8. — Et, itaque suggerentibus angelis, recordatæ sunt mulieres hujusmodi verborum à se auditorum ex ore Jesu, dùm adhuc esset in Galilæâ, quorum alioqui non recordabantur, præ mœrore et animi perturbatione. Non addit evangelista, quòd proinde crediderint angelis Jesu resurrectionem nuntiantibus; dans intelligendum, quòd his rationibus præparati quidem fuerint istarum animi ad fidem, sed nondùm omninò persuasi Jesum resurrexisse : non quòd falsò quid à Jesu prædictum arbitrarentur, sed quòd resurrectio, res esset nova nimiùm et insueta, adeòque læta, ut frustrationis metu credere non auderent, præsertim cùm Jesus ipsis non appareret; cogitabant enim, si revixit, ubi est, et cur non adest nobis quibus hactenùs convixit? Nam, ut non intelligebant verba Jesu cùm dicerentur supra, cap. 9, v. 45, et cap. 18, v. 34; ita neque adhuc modò : obscura est enim omnis prophetia donec conspiciatur impleta.

Vers. 9. — Regressæ domum *ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum*, Joan. 20, v. 19.

A monumento, à loco monumenti.

Hæc omnia, quæ viderant et audierant.

Illis undecim, apostolis.

Et cæteris omnibus discipulis, ut Cleophæ et ejus socio, infra v. 22, non quibuscumque occurrentibus. Nam extraneorum, qui ipsis in itinere occurrerant, nemini quidquam declaraverant, quemadmodùm legimus Marci 16, v. 8. « Ne perpetui reatûs, » inquit Ambrosius, « apud viros opprobrium mulier sustineret, quæ culpam viro transfuderat, transfudit et « gratiam, veterisque lapsûs compensat ærumnam re- « surrectionis indicio. Per os mulieris mors antè pro- « cesserat, per os mulieris vita reparatur. »

Vers. 10. — Erat, Græcè, *erant*, numero plurali, quo modo etiam Syrus vertit.

Maria Magdalene, Græcè, Magdalene Maria.

Joanna, uxor Chusæ procuratoris Herodis.

Maria Jacobi, mater.

Et cæteræ quæ cum eis erant, et reliquæ quæ cum eis esse consueverant, sociæ earum Jesum simul secutæ è Galilæâ et solitæ comitari, prout intelligitur ex locis supra, cap. 8, v. 3, et cap. 23, v. 55.

Dicebant, referebant apostolis hæc omnia à se visa et audita.

Vers. 11. — Ante illos, id est, illis, phrasi Hebraicâ, scilicet apostolis et cæteris.

Sicut deliramentum, similia deliramento, habita sunt ab eis pro muliebri delirio, fabulâ, somnio.

Verba ista. Existimârunt illusum fuisse mulieribus, vel à spectris apparentibus, vel à propriis phantasmatis, ut nonnunquàm is sexus, quâ est phantasiæ inconstantiâ ob mentis imbecillitatem, videre sibi videtur, quæ non videt, se imaginatur duntaxat. Cæterùm, etsi non profuit hoc mulierum nuntium ad extorquendam protinùs fidem; profuit tamen ad animos eò præparandos.

Vers. 12. — Petrus autem, *cùm cæteris esset prudentior ac ferventior*, quod ait Euthymius, non ita temerè mulierum relata rejecit, sed surgens. Superfluit hæc vox ex phrasi Hebraicâ, vixque aliud significat quàm *ex eo quo agebat loco*.

Cucurrit. Non simpliciter ivit, sed cucurrit, incitatus ardore cognoscendæ rei tam novæ quàm desideratæ.

Procumbens. *Cùm se inclinâsset*, vertit interpres, Joan. 20, v. 5. Significatur diligenter rem perscrutatus, nimirùm, quòd prono capite et propenso collo in sertoin ostium monumenti, et obliquato in eam partem quâ erat lectica sepulcralis, introspexit.

Linteamina, sindonem quâ involutum fuerat corpus Jesu.

Sola, sine corpore; linteamina vidit, non corpus.

Et abiit, quâ re visâ, abiit.

Secum; πρὸς ἑαυτὸν potest verti *ad seipsum*, et jungi verbo præcedenti, ita ut sensus sit, *rediit domum*, quemadmodùm Joannes in hâc eâdem historiâ ait : *Abierunt ergo iterùm discipuli ad semetipsos*, cap 20, v. 10, quæ est interpretatio Euthymii; vel potest verti *apud se*, et jungi participio sequenti *mirans*, ita ut sensus sit : apud animum suum cogitans et admirans; quo modo intellexerunt interpretes, Latinus qui vertit *secum*, Syrus qui, *in animâ suâ*.

Quod factum fuerat, hanc rem, quòd corpus abesset, linteamina remansissent. Cogitabat apud se, quod res erat, si quis abstulit corpus, causâ sive inferendæ ignominiæ, sive transferendi in locum honoratiorem, quare reliquit linteamina? quæ difficilli-

ma detractu, quippe copioso unguento myrrhæ et aloes corpori agglutinata, Joan. 19, v. 39, auferenti obesse non poterant; prodesse poterant, nova cùm essent et pretiosa, Matth. 27, v. 59. Cùm igitur non videret quâ ratione quove consilio, relictis linteaminibus corpus ablatum esset, mirabatur quid de eo contigisset. Hanc historiam Petri currentis ad sepulcrum fusiùs narrat Joannes cap. 20, à versu 3, deinceps.

Vers. 13. — Et ecce. Nondùm narravit Lucas Jesum alicui hominum visum : jam itaque narrat, quî visus sit duobus discipulis, rem admirandam; et Jesu resurrectionem his duobus oculatis testibus probat.

Ex illis, scilicet undecim et cæteris quorum meminerat, supra, v. 9, id est, ex numero discipulorum.

Ipsa die, illâ ipsâ die, unâ sabbati.

Stadiorum. Vox *stadii*, et Latinè, et Græcè, et Syriacè denique, eadem est. « Stadium, » inquit Beda, « quo Græci, auctore, ut dicunt, Hercule, « viarum spatia mensurant, octava est pars milliarii; « et ideò sexaginta stadia, septem millia passuum et « quingentos significant. »

Sexaginta. Cùm octo stadia conficiant unum milliare, Italicum scilicet; sexaginta stadia sunt septem et dimidium milliaria Italica, id est, iter trium circiter horarum. Tria enim milliaria Italica, non multò ampliùs sunt, quàm iter unius horæ.

Ab Jerusalem, versùs mare.

Emmaus, trisyllabum est, quod flectas *Emmauntis*, ut, Trapesus, Trapesuntis. Addit nomen evangelista, non tam ob loci celebritatem quàm ob historiæ certitudinem. Fuit enim tempore Christi Domini vicus, quod hìc disertè scribitur; qui quidem, paulò ante id tempus, mortuo Herode primo, jussu Vari Syriæ præsidis, crematus fuerat in vindictam cæsorum ibi Romanorum militum, quod ait Josephus, lib. 17 Antiq., cap. 12; postea verò excrevit in celebrem civitatem, Nicopolim dictam à Romanis, de quâ Hieronymus, libello de Locis hebraicis : *Emmaus, de quo loco fuit Cleophas, cujus Lucas meminit evangelista; hæc est nunc Nicopolis, insignis civitas Palestinæ.* Hieronymum imitatus Beda scribit hoc loco : *Emmaus ipsa est Nicopolis, civitas insignis Palestinæ; quæ, post expugnationem Judææ, sub Marco Aurelio Antonino principe, restaurata, cum statu mutavit et nomen.* Porrò quia dicit Hieronymus Cleopham, alterum horum duorum discipulorum, fuisse ex hoc loco; intelligere licet eum negotii alicujus familiaris causâ, vicinam patriam petivisse.

Vers. 14.—Et ipsi, in itinere, loquebantur, Græcè, colloquebantur familiariter, ad invicem, inter se.

Quæ acciderant, his proximis diebus circa Jesum, de ejus proditione, captivitate, accusatione, condemnatione, crucifixione, morte, sepulturâ, miraculis quæ intercesserant inter hæc, denique de nuntio mane hujus diei allato, quòd corpus ejus à sepulcro abesset. Hæc enim animos eorum ita occupaverant, ut aliis de rebus loqui non liberet. Deplorabant vicem sanctissimi viri, et indignitatem in eum admissam; dolebant amissum præceptorem optimum, nec sperabant se eo ampliùs frui posse, nisi quòd mulierculæ quædam, visione intellexisse se dicerent eum vivere, non invento corpore ejus in sepulcro. Atqui spes illa magnifica restituendi per eum Israelis, quam olim conceperant, jam animo exciderat.

Vers. 15. — Et factum est, præter opinionem eorum, dum fabularentur, dùm colloquerentur; idem enim est verbum quod mox vertit loqui.

Secum quærerent; *conquirerent*, vertit Marc. 1, v. 27, id est, se mutuò rogitarent, quæ scilicet alter altero meliùs noverat aut meminerat.

Et ipse, tunc ipse Jesus, de quo loquebantur, appropinquans eis, tanquàm viator illos à tergo assecutus ibat cum illis, quasi viæ comes, quasi peregrinus eâdem viâ proficiscens quà illi. Qui promiserat sese futurum in medio, ubicumque duo vel tres congregati essent in nomine ipsius : etiam juxta corporis præsentiam nunc exhibuit, quod juxta spiritum nunquàm facere desinit. Felix sodalitium, quoties duo nihil aliud confabulantur, nihil aliud disquirunt, quàm de Jesu : his enim Jesus socium se adjungit. Horum exemplo et nos, dùm iter agimus, fabulemur de Jesu, ut sit Jesus itineris nostri comes adeòque dux.

Vers. 16. — Oculi autem, sed oculi eorum tenebantur, etc., retinebantur, impediebantur, tenebantur certo impedimento, tanquàm si clausi fuissent, Domino ita faciente. Aderat Dominus propriâ formâ et effigie, sed tenebantur discipulorum oculi, ne eum

Vers. 13. — Et ecce duo ex illis, quos scilicet v. 9, commemoraverat, ibant ipsa die, quâ scilicet mulieres ad monumentum venerant et rediverant, hoc est, ipsâ unâ sabbati seu Dominicâ (respicit enim ad v. 1, unde dependent omnia hucusque narrata), in castellum, id est, pagum : hoc quippe Græcum, significare solet, quanquàm et villam subinde significet, quo modo vertitur Marci 16, vers. 12, ut fortassis hæc villa fuerit per modum castelli munita in pago. Quod erat in spatio stadiorum, Græcè, *quod distabat stadiis* sexaginta ab Jerusalem, id est, septem milliaribus cum dimidio, prout milliare significat mille passus. Nam *stadium* est octava pars milliaris, hoc est, continet centum et viginti quinque passus; nam sexaginta stadia continent septem millia passuum et quadringentos, hoc est, septem milliaria cum dimidio, seu iter horarum circiter duarum cum mediâ. Nomine Emmaus. Hæc postea Nicopolis dicta fuit, civitas Palæstinæ, ut Hieron. De Locis Hebraicis, ubi dicit Cleopham ex hoc loco fuisse.

Vers. 15. — Et factum est, dum fabularentur, Græcè est idem verbum, quod versu præcedente, dùm colloquerentur, et secum quærerent, id est, se mutuò rogarent de rebus illis quæ acciderant circa Jesum, et quorum alter altero meliùs meminerat. Et ipse Jesus, de quo scilicet loquebantur, appropinquans ibat cum illis, comes viæ, qui tanquàm viator paulò celeriùs incedens, eos assecutus erat.

Vers. 16. — Oculi autem eorum tenebantur, per aliquod impedimentum, ne agnoscerent. Hoc enim impedimento prohibebantur, ne dignoscerent propriam Christi speciem ad aliena, sive hoc contin-

AGNOSCERENT; quia impedimentum objiciebatur, prohibens, ne Domini effigies qualis erat, tota ferretur ad illorum oculos. Ergo ut nulla erat mutatio in effigie Jesu, ita nec in oculis discipulorum; sed, vel in aere medio, caligine in eo procuratâ, vel potiùs effigies Jesu miraculo prohibita est emittere omnes species necessarias ad hoc ut certò dignosci posset. Sed quòd dicantur oculi retenti fuisse, est, quia prohibiti fuêre ne officio suo fungerentur, non secùs ac si velamen ipsis fuisset oppositum. Quidam, Richelio referente, dicunt quòd percussi fuerint cæcitate, quali Sodomitæ, Gen. 19, v. 11, et Syri, 4 Reg. 6, v. 18; quæ Augustini sententia esse videtur, lib. 22 de Civit. Dei, cap. 19, ubi dicit, illam non fuisse propriè dictam cæcitatem, sed ἀορασίαν, quæ Græcè dicitur, *cùm aliquid non videtur, quamvis adsit, ab iis à quibus alia, quæ pariter adsunt, videntur.* Porrò ut oculi discipulorum retenti fuêre, ne Jesu effigiem agnoscerent; ita et aures, ne propriam ejus vocem ac loquelam familiarem perciperent. Cæterùm non fallendi causâ Jesus hæc procuravit, sed plures ob causas consentaneas rationi. Una fuit quòd hoc mereretur status rerum discipulorum, ut, quod Gregorius ait, *de se loquentibus quidem exhiberet præsentiam suam, sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem absconderet,* homiliâ 23 in Evangelia. *Pro merito quippe mentis eorum, adhuc ignorantis quòd oportebat Christum mori et resurgere, simile aliquid eorum oculi passi sunt, non veritate fallente, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, et aliud quàm res est opinantibus.* Sic Augustinus, lib. 3 de Cons., cap. 25. Altera fuit, ne subitò apparens obstupefaceret discipulorum mentes, ac proinde turbatiores illi minùs recognoscerent carnis resurrectionem. Certissimè simul et suavissimè se manifestavit, postquàm diù ambulâsset et collocutus cum eis fuisset; tunc enim experti, non potuerunt de redivivi corporis veritate dubitare. Postrema fuit, *ut ulcus suum discipuli detegerent,* quod ait Theophylactus, *ac pharmacum susciperent.* Nam, si seipsum statim cognoscendum præbuisset Jesus, non ausi fuissent illi aperire sententiam animi sui fluctuantis et tantùm non abjicientis spem redemptionis, olim ex Jesu promissione et doctrinâ conceptæ; quem cùm non difficulter declararent ei quem habebant pro peregrino, vicissim medicinam ab eo porrectam et eruditionem dulcissimè in animum transmiserunt.

VERS. 17. — ET AIT AD ILLOS. Cùm illi sermonem abrumperent vel aliò verterent, ob præsentiam ignoti comitis, excitat eos ad prosequendum sermonem cœptum.

QUI SUNT, quibus de rebus sunt.

CONFERTIS, sive objicitis, et inquiritis, habet Euthymius.

AD INVICEM, inter vos mutuò.

AMBULANTES, inter ambulandum seu eundum. Ita loquitur, quasi antequàm ipsos omninò consequeretur, ipsorum audîsset sermones quidem, sed quid sibi vellent non satis intellexisset.

ET ESTIS, ob quos etiam estis, ob quos etiam declaratis vos esse TRISTES, σκύθρωποι, vultu tristi et parùm alacri. Tristes erant, ob occisum præceptorem optimum et spem suam labefactatam. Interrogat autem Dominus, non ignarus, sed ut illis rem aperientibus ipse commodè medeatur. Quo autem liberiùs aperiant, insinuat se tangi illorum malo, quòd tristes essent, et desiderare consolari eos, si possit.

VERS. 18. — UNUS, alter eorum.

CLEOPHAS. Non ille maritus Mariæ, quæ vocatur Maria Cleophæ, Joan. 19, v. 25; sed civis quidam Emmauntinus nomine Cleophas, quod etiam in Epitaphio Paulæ Hieronymus sentit. Alterius nomen ignoratur.

SOLUS. Hæc vocula loco anticipata, potiùs vim suam exerit in verbum remotius, *non cognovisti*, quàm in proximum, *peregrinus es.*

PEREGRINUS ES. Loco horum duorum, Græcè legitur unum verbum, παροικεῖς, quasi dicas peregrinaris. Illud quidam simpliciter vertunt habitare aut diversari, ut Euthymius et Theophylactus; alii, more peregrini habitare, peregrinum seu advenam esse, ut noster interpres. Quia autem jam modò incolatus deseri videbatur, præsens ponitur, sed loco præteriti, advena seu peregrinus fuisti. Multi peregrini, die festo Paschæ superiori, convenerant Jerusalem, nempe, Judæi foris habitantes, ex omni Judææ adeòque mundi parte, idque juxta legem Moysi sæpè laudatam. Ex illorum peregrinorum numero existimârunt discipuli hunc esse, qui se viæ comitem ipsis offerebat, Judæum nempe, celebrato Jerosolymis die festo Paschæ (erat enim hic dies tertius azymorum), redeuntem in patriam. Quærunt ergo: Tu solus es inter omnes peregrinos qui Jerosolymæ his diebus egerunt?

IN JERUSALEM. Præpositionem *in* omittit Græca Regis editio, quam cum Latinis alii Græci libri addunt, ut vel subaudienda est.

ET NON COGNOVISTI, phrasis Hebraica, pro, qui ignoras, seu, ignorans.

HIS DIEBUS, Paschæ superioribus. Tu solus advena hoc die festo Jerosolymis egisti, qui hæc non noveris?

geret offusâ oculis caligine, sive humore, sive per aerem interjectum, sive quòd aliqua pars corporis Christi species non emitteret. Unde August., lib. 3 de Consensu, c. 25, sentit effigiem Christi non fuisse mutatam. Porrò ut oculi, ita et aures tenebantur, ne familiarem ejus vocem agnoscerent. Apparuit autem in specie hominis peregrini, appositè scilicet ad eorum animi statum quia resurrectio ejus erat ipsis peregrina, juxta Greg. in Evang. Quod fecit non fallendi causâ, sed sese occultandi, ut ulcere eorum inter colloquendum detecto, eos sanaret ac dulciùs innotesceret. Cùm ergo rogâsset, quâ de re loquerentur, et cur tristes essent, quasi tactus eorum malo et consolaturus eos,

VERS. 18. — RESPONDENS UNUS, CUI NOMEN CLEOPHAS, qui maritus fuit Mariæ, quæ dicitur Cleophæ, Joan. 19, v. 25, quanquàm alii alium, hunc Cleopham fuisse volunt; socium ejus vocatum esse Simonem docet Basil., in cap. 6 Isaiæ: TU SOLUS PEREGRINUS ES IN JERUSALEM, id est, tu solus es inter omnes pere-

Q. d. : Quomodò fieri potest ut tu veniens ex Jerusalem, nescias ea quæ omnes noverunt, qui his diebus in Jerusalem fuerunt, tam advenæ quàm incolæ, tam peregrini quàm cives? res in omnium oculis gesta est, et in omnium ore versatur. Eam si tu nescias, id tibi soli certè accidit, solus nescias oportet. Ponit Cleophas, quòd hic audiverit partem sermonum ipsorum, ita ut intelligere potuerit quâ de re agerent, si quid ex his rebus gestis novisset.

Vers. 19.— Quæ, scilicet facta sunt in illâ? Volebat Christus se ipsis agnoscendum præbere, non priùs tamen quàm suam inscitiam prodidissent.

Dixerunt, unus nomine amborum.

Fuit, floruit, fuit, nec enim ampliùs est, è vivis sublatus.

Vir, superest ex phrasi Hebraicâ.

Propheta, non tam quòd futura prædixerit, quàm quòd Dei voluntatem hominibus explicuerit, et ad sanctè vivendum omnes fuerit adhortatus. An nihil amplius de Jesu crediderint incertum est : verisimile est quòd ante mortem crediderint esse Filium Dei cum apostolis; verùm id nunc declarare veriti fuerint, ne riderentur ut falsi opinione, quòd in Filium Dei non congruerent mors aliaque hujusmodi. *Prophetam*, inquit Beda, *et magnum fatentur, Filium Dei tacent, vel scilicet nondùm perfectè credentes, vel solliciti ne in ciderentin manus Judæorum persequentium, quia nesciebant quis esset cum quo loquebantur, quod verum credidère celantes.* Hæc V. Beda. Certè paulò post, non simpliciter, in communi prophetarum ordine Jesum recensent, sed à se et aliis creditum redemptorem dicunt infra, v. 21.

Potens, valens, præstans, excellens.

In, superest Latinè loquentibus.

Opere miraculorum vitæque sanctimoniâ, et sermone doctrinæ. Valens non tantùm eloquentiâ ad docendum et persuadendum, verùm etiam virtute edendorum miraculorum, quibus doctrinam suam stabiliret, et vitæ integritate.

Coram Deo et omni populo, Dei hominumque judicio ac testimonio. Et Deus ipse testatus est, et populus universus claris experimentis agnovit, eum prophetam esse, opere et sermone præstantem. Hoc addunt quò et mirabilior et miserabilior videatur historia, virum talem ac tantum, tam indignè à summis sacerdotibus et principibus, fuisse tractatum, à quibus contra honorari debuisset. Ex hoc autem Cleophæ responso clarè discimus, quanquàm anxii et perplexi essent discipuli ob Christi interfectionem, reverenter tamen sensisse de eo ejusque doctrinâ, ita ut minimè ad defectionem propensi essent.

Vers. 20. — Et, pro *nempe*.

Tradiderunt eum, Pilato præsidi,

Principes, magistratus. Syrus *seniores*.

Nostri. Etiam de impiis magistratibus, reverenter loquuntur; eâ sunt modestiâ.

Damnationem, κρίμα, judicium. Euthymius : *Hoc*, inquit, *in loco κρίμα capitur pro condemnatione*. Tradiderunt ut morti adjudicaretur; non ut in illum inquireretur, sed ut, tanquàm convictus, morte damnaretur.

Et crucifixerunt, et crucifigi curârunt eum.

Vers. 21. — Nos autem, discipuli ejus. Quanquàm exosum et infame passim tunc esset Jesu nomen, spretâ tamen invidiâ, Cleophas eum laudat, et se profitetur ex ejus esse discipulis.

Sperabamus; q. d. : Jam ferè spe excidimus. Non enim prorsùs desperat, qui mox undique fovendæ spei argumenta colligit.

Quia, quòd, ipse esset redempturus Israel. Persuasi eum esse Messiam seu Christum, mirificam de eo spem conceperamus, quòd redempturus esset Israelem, et regnaturus juxta vaticinia prophetarum. Erat horum discipulorum opinio, ex sententiâ Theophylacti et aliorum, qualis multorum eo tempore, quòd Jesus, utpote rex Christus, liberaturus Israelem esset à jugo gentium, et restauraturus regnum populi Dei in eum statum quo erat Davidis et Salomonis tempore, adeòque meliorem et magnificentiorem; longissimèque aberat à sensu eorum, quòd Jesus Israelem suâ morte jam redemisset. Hanc spem suam plurimùm labefactatam fatentur morte Jesu ignominiosâ; nec tamen exstinctam fuisse, ex iis quæ sequuntur manifestum est, ubi scandalo mortis et crucis, opponere conantur spem resurrectionis restantem, quanquàm trepidè et instar vacillantium.

grinos Judæos, qui hoc paschali festo Jerusalem appulerunt, et non cognovisti, id est, ignoret ea quæ his diebus contigerunt? Itaque illud, *solus*, quamvis verbo tenùs jungatur cum *peregrinus*, quantùm ad sensum tamen magis conjungitur cum, *non cognovisti*. Supponunt autem eum conjicere debuisse quâ de re loquerentur, ex eo quòd res illa tam stupenda et recens et vulgata esset, ut in omnium ore versaretur; vel certè eum audivisse partem sermonis ipsorum, et tamen non intellexisse, de quo homine sermo esset.

Vers. 19. — Quibus ille dixit : Quæ? ut ita totam animi sui infirmitatem proderent, quam curare posset. Et dixerunt : De Jesu Nazareno : Græcè clarius, *ea quæ conspectant ad Jesum Nazarenum :* Qui fuit potens in opere, id est, miraculis et sanctitatis operibus, et sermone, doctrinæ scilicet auctoritate et eloquentiæ efficaciâ, ad docendum et persuadendum. Coram Deo, qui aliquoties ei testimonium perhibuerat, et omni populo; nam populus, quidquid frenderent Pharisæi, semper magni fecit Jesum, dùm passim clamaret : *Nunquàm sic apparuit in Israel, Propheta magnus surrexit in nobis, benè omnia fecit*, etc. Itaque narrant hìc publicam de Jesu existimationem, ut eò mirabilior et miserabilior appareat historia de indignâ tanti viri morte. De divinitate mortui nihil dicunt, vel quòd ipsimet fluctuarent, vel non crederent, juxta v. 21, vel ne peregrino essent risui.

Vers. 20. — Et quomodo tradiderunt eum Pilato præsidi, tanquàm executori sævitiæ suæ, non arbitrio causæ, ut loquitur S. Leo. In damnationem mortis, id est, ad mortem, ad quam eum latâ sententiâ damnaverant. Unde in initio nihil à Pilato inquiri voluerunt, sed statim velut apertè reum, et convictum, et damnatum, morte plecti.

Vers. 21. — Nos autem sperabamus, quod redempturus esset Israel, à jugo gentium, quæ spes erat vulgi

Et nunc, nunc autem; Græcè, atqui, verùmtamen. Syrus, *et ecce.*

Super hæc omnia, præter hæc omnia, scilicet mortem ejus ignominiosam ex unâ parte, spem ex probatâ ejus virtute à nobis conceptam ex alterâ parte. Syrus omittit τὸ *super hæc omnia.*

Tertia dies est, τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει, tertium hunc diem agit, scilicet χρόνος, tempus, id est, tertius dies agitur, quod Syrus dicit, *tres dies,* scilicet sunt, Latinus, *tertia dies est.*

Quod hæc facta sunt, quòd damnatus et crucifixus fuerit. Supple, si fortè inde aliquid boni exspectari possit, quod spem nostram recreet, ut qui prædixerit se tertio à morte die resurrecturum. Sermo enim est defectivus hominum anxiorum, tum inter spem et metum constitutorum, quod ad Jesum, tum ignorantium quîcum sermocinarentur, amicone an inimico; id notat etiam Glossa interlinearis : ita ut mentem liberè non aperirent, maximè quod ad spem, veriti ne exspectatione frustrati irriderentur. « Hæc « quasi dubitantes dicunt, » ait Theophylactus, « et vi- « dentur mihi viri in valdè ambiguâ esse sententiâ, et « neque valdè discredere, neque rectè credere. Ete- « nim dicendo : *Speravimus quòd redempturus sit Israel,* « incredulitatem indicant; quòd autem dicunt esse « diem tertium, hominum est qui propè recordentur « quod dixerit eis : *Die tertiâ resurgam.* » Et rursùs paulò post : « Et omninò si considerentur sermones, « humani sunt, et magnam dubitationem habent, et « hominum perplexorum. »

Vers. 22. — Sed et. Sic omnes legunt, *sed et,* seu *etiam,* quod est *ad hæc;* unde intelligitur, id quod proximè dixerant discipuli, pertinuisse ad spem non prorsùs abjectam, cùm jam aliud declarent se addere quod spectet eòdem.

Mulieres quædam, Maria Magdalene et sociæ, supra, v. 10.

Ex nostris. Græcè, ex nobis. Sed rectè interpres, *ex nostris,* id est, nostri sodalitii; discipulæ seu *fideles sicut nos,* quod habet Euthymius.

Terruerunt, ἐξέστησαν, obstupefecerunt, perculerunt, attonitos nos reddiderunt. Magis enim pertinet verbum hoc ad epitasin admirationis quàm timoris. Significatur quòd incredulitas eorum concussa fuerit, quod ait Theophylactus.

Fuerunt, adfuerunt.

Vers. 23. — Venerunt, redierunt ad nos.

Dicentes, scilicet *nobis,* quod Syrus exprimit.

Visionem angelorum. Syrus, *angelos illic.*

Vivere, resurrexisse.

Vers. 24.—Et, quo mulierum nuntio moti.

Abierunt, periculum facturi num quid veri haberet illarum narratio.

Quidam ex nostris, τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν, quidam eorum qui nobiscum, qui nostræ professionis, nobiscum discipuli Jesu, Petrus scilicet et Joannes, Joan. 20, v. 3. Quare Augustinus, lib. 3 de Cons. evang., cap. 25, scribit : *Cùm ipse Lucas Petrum dixerit cucurrisse ad monumentum,* supra, v. 12, *et Cleopham dixisse ipse retulerit, quòd quidam eorum ierant ad monumentum; intelligitur attestari Joanni, quòd duo ierint ad monumentum, sed Petrum solum primò commemoraverit, quia illi primitùs Maria nuntiaverat.*

Ita, sepulcrum scilicet vacuum; neque enim Angelos viderunt.

Ipsum, corpus ipsius non invenerunt. Interpres Latinus legit οὐχ εὗρον Græcè; nos enim legimus, οὐκ εἶδον, non viderunt, quo modo vertit et Syrus. Corpus ipsius mortuum, inquiunt, nusquàm invenerunt aut viderunt; q. d. : Id possit spem aliquam nobis præbere resurrectionis ab ipso promissæ. Ita pii discipuli, inter spem et metum dubii, spei fomenta undique conquirunt et adhibent.

Vers. 25. — Et, tunc, postquàm audisset eos, ita inter spem ac metum vacillantes.

Stulti, ἀνόητοι, sine mente, sensu, intellectu, expertes intellectûs, *insensati* vertit Gal. 3, v. 1. Velut doctior (forsan, *doctor*) quispiam in lege, duriùs objurgat eos, et objurgatione impellit dubios in spem certam. Objurgat autem quòd non intelligant, non

Judæorum; quanquàm, quia hi à Christo jam instructiores erant, intelligi posset à servitute diaboli, peccati et legis. Benè autem urget August., serm. 140 de Tempore, c. 2, verbum, *sperabamus;* O discipuli, inquit, sperabatis! ergo jam non speratis? Unde tum ibi, tum Præfat. in psalm. 96, docet eos spe suâ excidisse, adeòque arguisse quodammodò seipsos, quòd ex illo redemptionem sperâssent; sed tamen quia tristes erant, doluisse eum sine culpâ occisum quia noverant innocentem, prout loquitur, tract. 9 in Joan. Tract. verò 103, sicut et serm. cit., docet eos non tantùm spem illam, sed etiam ipsam fidem abjecisse, quâ in eum antè crediderant : nam spes illa redemptionis Israel amitti sine fidei jacturâ non poterat. Et nunc super hæc omnia, id est, præter hæc omnia, quòd scilicet damnatus, crucifixus et mortuus est; tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt, id est, ex quo hæc facta sunt, et facta perseverant, ipso mortuo remanente. Nam hæc verba videntur continere rationem cur dixissent : *Sperabamus,* quasi tacitè innuerent, se non sine ratione spem abjecisse.

Vers. 22. — Sed et mulieres quædam ex nostris, condiscipulis Jesu, scilicet Maria Magdalene et Maria Cleophæ, terruerunt nos; Græcè, obstupefecerunt, et quasi extra nos constituerunt. Pertinet enim magis ad magnitudinem admirationis quàm timoris, eò quòd referrent mulieres, quòd angeli dixissent eum vivere. Nam nec ipsæ quidem mulieres primâ vice credebant eum resurrexisse, sed ex monumento sublatum esse, ut patet Joan. 20 et 22, quod et apostoli verum esse putaverunt, ibid. v. 8. Et istud significant etiam hoc loco, dùm dicunt :

Vers. 24. — Abierunt quidam ex nostris ad monumentum, Petrus et Joannes, periculum facturi, utrùm mulieres vera nuntiarent; et ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt, scilicet de monumento, quod apertum esset, et vacuum. Ipsum vero non invenerunt, ut proinde argumentum aliquod esse posset, eum reverà vivere et resurrexisse; sunt enim verba hæsitantium, nescientium quid sentire deberent, inter exiguam spem aliquam metumque vacillantes.

Vers. 25. — Et ipse dixit ad eos, cùm jam totum animi sui statum simpliciter declarâssent : O stulti, qui dictis magis mulierum quàm angelorum movemini, magisque mortis horrore quàm tot resur-

capiant, quæ toties Christi ore prædicta, audiverant. Toties Christus de suâ morte eos præmonuerat, toties promiserat subsecuturam die tertio resurrectionem; tamen ubi ad rem ventum est, quasi nihil eorum intellexissent, ita, mortis horrore perculsi, hùc illùc dubii se versant. Hanc titubationem stultitiæ meritò tribuit, quasi sine intellectu essent. Sed quærat quis, an non hoc sit convicium dicere, *O stulti?* An non repugnans doctrinæ ipsius Christi : *Qui dixerit fratri suo : Fatue,* etc.? Matth. 5, v. 22. Respondeo : Docuit Christus gradum ad homicidium esse, si quis verbis contumeliosus sit in fratrem, et carnali affectu ac privatâ temeritate cognomen fatui in proximum jecerit. Quod autem hoc loco dixit Christus, non est convicium, sed officium : non est carnalis affectus, sed spiritualis zelus : non est privata temeritas, sed publica auctoritas objurgantis, non ex amarulentiâ, sed ex charitate, ut consulat eorum quos alloquitur saluti; nec eorum tantùm quos alloquitur, sed et cæterorum discipulorum suorum, ad quos noverat objurgationem hanc suam mox esse perferendam : erat enim commune omnium vitium. De convicio, non ex verbis judicandum est, sed ex mente et affectu.

Tardi corde, graves, difficiles, duri corde, quod ait secundùm Marcum, cap. 16, v. 14. Quòd stulti essent et insensati, ex eo fiebat quòd animo segnes essent et tardi : quòd non intelligerent seu caperent mysterium resurrectionis Christi, cæteraque hujusmodi quæ Christus ipsis exposuerat frequentissimè; causa erat quòd non magis propensi essent, et, ut oportebat, attenti, ad credendum quæ prophetæ locuti fuerant.

Ad credendum. Refertur hoc ad proximum, *tardi corde,* quemadmodùm jam dedimus intelligendum. Quia enim duri ac tardi erant ad credendum prophetis, ideò minùs intellexerant animoque infixerant quæ à Christo fuerant docti. Porrò tardi fuisse dicuntur ad credendum prophetis, non quòd fidem denegaverint dictis prophetarum, aut dubitaverint verissima esse quæcumque prophetæ prædixerint, sed quòd mortem et resurrectionem Christi non considerârint à prophetis prædicta fuisse; aut si considerârint Jesu docente, facili negotio elabi siverint è mente, turbati morte contumeliosâ, etc. Quòd si memores prophetiarum, quas frequenter Jesus ipsis enarraverat, eas, clarâ et constanti fide amplexi, ob oculos semper habuissent, scivissent illa certò evenire debere, quæcumque tandem obstacula videri possent emergere, nec ita facilè in turbationem dubitationemque incidissent.

In omnibus, phrasis Hebraica pro *omnia. Oportet in omnibus, tam in his quæ gloriæ sunt, quàm quæ ignominiæ, credere prophetis,* quod notat Theophylactus. Facilè crediderant discipuli quæ gloriæ, utpote de regno Christi supra cap. 19, v. 11, Matth. 20, v. 21, etc.; sed non ita facilè quæ exinanitionis et ignominiæ, Matth. 16, v. 22.

Locuti sunt, de Christo.

Vers. 26. — Hæc, quæ Jesum passum fuisse narrâstis.

Oportuit, Græcè, oportebat, scilicet ut satisfieret iis quæ locuti fuerant prophetæ, ut implerentur Scripturæ. Oportuit ergo, non absolutè, sed positâ prophetarum prædictione. Syrus, pro, *oportuit,* dicit, *futurum erat.* Interrogatio autem æquivalet affirmationi, quasi dicat, maximè oportuit, ac proinde turbare vos non debuêre, vel dubios aut anxios de Christo reddere, postquàm gesta sunt, quæ tot retrò seculis gerenda prophetæ prædixerant. Hinc enim intelligere debetis, non vi aut potestate hominum adactum fuisse Christum in mortem, sed suâ sponte ac divino consilio in mortem se tradidisse, ut partes Christi impleret, quas nec implevisset alioqui.

Ita, nempe passum, post passionem demùm. Græcè et Syriacè, non legitur *ita,* sed subintelligitur, ita, deinde, post, aut aliud quid simile; priùs pati, postea intrare.

Intrare, inire, obtinere, assequi.

Gloriam, resurrectionis à morte, ascensionis in cœlum, exaltationis super omnem creaturam, nominis quod esset super omne nomen, regni denique æterni.

Suam, sibi debitam, æquè nimirùm à prophetis promissam. Prædixerant prophetæ Christi passionem, prædixerant et gloriam, sed gloriam posteriorem fore prædixerant, Petro teste, ubi loquens de Spiritu Christi prophetas agente, *prænuntians,* inquit, *eas quæ in Christo sunt passiones et posteriores glorias,* 1. Pet. 1, v. 11. Dicit ergo, sicut oportuit pati, sic oportet et intrare in gloriam, ac regni possessionem inire. Qui ergo vidistis passum, non dubitetis quin sit etiam glorificandus, nec despondeatis animum, ita ut dicatis : *Nos autem sperabamus,* etc. Hoc enim addit, ut animos ipsorum erigat in spem redemptionis ac regni, de quo visi fuerant desperare supra, v. 21.

rectionis prædictionibus ducimini; nam hoc non est sapientiæ. Et tardi corde, id est, difficiles ac segnes, quia duri corde, ut est apud Marc., c. 16, v. 14, ad credendum in omnibus, id est, omnibus, Hebraicâ phrasi, quæ locuti sunt prophetæ, nempe de ignominiâ, passione, morte, resurrectione. Nam quæ de regno Christi prædicta erant, facilè credebant, ut patet Lucæ 9, v. 11, et maximè Matth. 20, v. 21. Ideò autem dicit : *Quæ locuti sunt prophetæ,* quia quæ Christus ipse de morte et resurrectione suâ prædixerat, et angeli mulieribus nuntiaverant, ea ipsa prophetæ vaticinati sunt. Pungit Judæos itaque acerbis illis verbis, ut eos attentiores redderet ad ea quæ tanquàm doctor aliquis ex prophetis dicturus erat; nec tamen adhuc se agnosci sinit, ut eorum fidem de se magis ex Scripturis firmaret, nec inter docendum mens eorum ab attentione vel fide avocaretur.

Vers. 26. — Nonne hæc, quæ vos ipsi narrâstis passum esse Jesum, oportuit pati Christum, scilicet secundùm vaticinia prophetarum, quo modo explicat illud, *oportet,* ipse Dominus, Matth. 26, v. 54, et ita, mediante morte, et consequenter resurrectione, intrare in gloriam suam, ei tanquàm Deo propriam, à prophetis prædictam, et passione promeritam? q. d. : Tantùm abest ut propter mortis ignominiam de illo diffidere ac desperare debeatis, ut potiùs è con-

Vers. 27. — Et, quod ut ostenderet discipulis suis. A Moyse, à Mosaicis libris, quo modo rectè Euthymius.

Et omnibus prophetis, phrasis Hebraica, pro, pergensque per omnes prophetas, ac deinde omnes percurrens prophetas seu sacros libros.

Interpretabatur, exponebat, explicabat, *illis quæ de ipso erant in omnibus Scripturis;* hoc enim modo construenda videtur oratio.

In omnibus Scripturis, hoc est, id quod præcedit, *Moyse et omnibus prophetis.*

Quæ de ipso erant, *ipso* Christo scilicet, quo modo ipsi Christo priùs toleranda fuerit contumeliosa mors, at tunc demùm ineunda gloria. Hoc docuit ex omnibus Scripturis. Nulla est enim Scriptura, quæ non habeat aliquid quod eò faciat : nec enim frustra Christus vocatus finis legis, Rom. 10, v. 4. Cæterùm non omnia prorsùs hùc facientia è sacris libris explicuisse putandus est, sed multa, delibans è singulis libris aliqua, et omninò quantùm posset sufficere. Quia autem de seipso loquebatur, majori cum gratiâ id faciebat ignotus, quàm si cognoscendum se præbuisset; et non tam suam quàm alienam personam agens, faciliùs persuadebat ut puderet familiares Christi discipulos de Christo dubium facere, quòd hominem ignotum, non solùm credere, sed et docere audirent. Porrò et si hæc Scripturarum enarratio à Christo facta non extet; quod optandum certè foret, quia obscura sunt quæ in Scripturis plerisque de Christo habentur; extat tamen sparsim in Evangeliis et Actis atque Epistolis apostolorum, quantùm Dominus expedire judicavit, unde de ratione reliquas Scripturas interpretandi liceat judicare.

Vers. 28. — Et, inter hos utilissimos sermones, quos maximo cum ardore discipuli excipiebant, *appropinquaverunt,* appropinquatum est.

Castello, nempe Emmaunti : quò ibant, ad quem proficiscebantur discipuli.

Et ipse, ipse verò Jesus, se finxit, Græcè, præ se ferebat, se longius ire, exhibebat gestum longiùs proficisci volentis, sic se composuit tanquàm longiùs iturus progressus fortassè passus aliquot longiùs, quasi comes itineris hactenùs fortè obvius, patriam peteret, longiùs eo tractu, mare versùs, sitam. Quærunt plerique, an huic facto admixtum non fuerit mendacium? quia nimirùm non erat mens Christi longiùs ire, sed contra manere adhuc cum his discipulis. Non magis in hoc Christi facto video mendacii speciem, quàm in eo quòd simulavit se esse peregrinum seu viatorem. Magnum discrimen est inter verba et opera : verba ex primâ institutione significandi vim habent; non item opera. Opera seu actus et gestus, etsi frequenter, non semper tamen, nec necessariò signa sunt, vel actûs subsecuturi, vel voluntatis præsentis; sed sunt per se veri actus, nec mendacii rationem habent, etiamsi ad decipiendum aliquando fiant. Quòd si verò etiam justa sit causa hujusmodi gestus præ se ferendi, multò magis à mendacio absunt. Quare rectè in hunc locum scribit Carthusianus : *Potest etiam dici quòd finxit, id est, simulavit, se longiùs ire; quia simulatio facti licita est et commendabilis, quando fit ex rationabili causâ, et bono fine. Unde et Josue cum filiis Israel simulavit fugam;* Josue, cap. 8, v. 6 et seq. Porrò Jesus quòd simulavit se longiùs proficisci, fecit non ut falleret discipulos, sed ut paulisper suspensos teneret, dùm maturum adesset se manifestandi tempus; atque interim occasionem ipsis offerret virtutis, nempe, peregrinum ad hospitium invitandi, quò digni fierent cognitione Jesu, ut certè si non invitâssent, longiùs abiisset.

Vers. 29. — Et, pro, *sed,* coegerunt illum, discipuli illi scilicet, ut maneret cum ipsis, ne longiùs proficisceretur. Non tantùm invitârunt, verùm etiam suo modo coegerunt, instantissimè rogantes, nec permittentes ut abiret. Delectati enim sermonibus ejus, et perfusi gaudio, quòd incidissent in tam probum et doctum Jesu discipulum, ignotum quidem sibi, sed tamen Jesu causâ amatum, quòd restitueret ipsorum animos fidei ac spei de Jesu diù conceptæ, quo nihil gratius esse ipsis poterat, non poterant ab eo avelli. Interim hìc animadvertendum pro moribus, quod S. Gregorius monet : *peregrini ad hospitium, non solùm invitandi sunt, sed etiam trahendi.*

Mane, hospitare hâc nocte nobiscum. Ita loquuntur, ac si ipsi fuissent domi, id quod verisimile fit. Præbuisti te nobis, aiunt, hactenùs jucundum et amicum viæ comitem, præbe te nobis et hospitem. Cur te committis itineri longiori? jam appetit vespera, et sol vergit ad occasum.

trario hoc vobis firmissimum argumentum esse debeat, eum esse verè Christum, et redemptorem Israel, cùm hæc omnia prophetæ de vero Christo vaticinati sint.

Vers. 27. — Et incipiens a Moyse, libris Moysis, et deinceps omnibus prophetis; omnes enim de ipso patenter aut latenter prophetant: *interpretabatur illis quæ de ipso erant in omnibus Scripturis;* nam isto modo videtur oratio esse ordinanda.

Vers. 28. — Et appropinquaverunt castello, quo ibant, nempe Emmaunti, ut expressum erat, vers. 13. Quo refelluntur ii qui significari hìc putant castellum multò propinquius Jerosolymis; et ipse finxit se longius ire, id est, composuit se et præ se tulit, tanquàm longiùs iturus. Excusat hoc August. à mendacio saltem facti, lib. 2 Quæst. evang., q. ult., et lib. contra mendacium, et 13, quia aliquid Christus per hoc factum significavit: nam quæ ad aliquid figurandum dicuntur, aut fiunt, non sunt mendacia, ut patet in fabulis, et parabolis, et comœdiis. Significavit autem quòd longiùs postea per ascensionem super omnes cœlos iturus esset, non tamen discipulos deserturus. Ita Augustinus; sed res faciliùs expediri potest. Nam, cùm facta pleraque de se indifferentia sint, nec ex naturâ suâ certam veritatem asserant sicut verba, ad multos fines referri possunt. Composuit ergo se ita Christus, quasi ulteriùs perrecturus, partim ut provocaret alios ad sese retinendum et hospitalitatem exercendam, partim ut reverà pergeret si eum non retinerent. Utrumque fieri potest sine ullo mendacio.

Vers. 29. — Et coegerunt illum, instantissimè scilicet rogando. Nam eodem modo componebat se quasi longiùs iturus, ut ab iis invitaretur, et difficilem

ADVESPERASCIT, ET, pro, id est, INCLINATA EST, scilicet ad occasum, ex Euthymio. Nec enim tam propinqua erat vespera quàm verba ipsorum præ se ferant; sed rem exaggerant, ut retineant gratum hospitem, et pluribus ejus colloquiis per otium frui queant; cæteroqui postea, hoc ipso die, adhuc Jerosolymam reversi sunt, per stadia sexaginta.

INTRAVIT, in domum, civiliter acquiescens eorum precibus.

CUM ILLIS, Græcè, ut maneret cum illis (quo modo et Syriacè legitur), tanquàm eâ nocte hospitaturus apud illos.

VERS. 30. — ET FACTUM EST, quod consideratione dignum est.

DUM RECUMBERET, inter comedendum; jusserunt enim mox mensam sterni hospiti suo ac sibi, ut famelicis et impransis, et comedit ipse hospes, ut verum se hominem esse monstraret, qui verè à morte resurrexisset, non phantasma.

ACCEPIT PANEM ET BENEDIXIT. Græcè, sumptum panem benedixit. Beza ablativos vertit, *sumpto pane*, subdolè, ne scilicet *panem* construat cum *benedixit*, quanquàm sic loquatur Lucas etiam supra, 9, v. 16. Quare ergo mox vertit, *et fractum dedit eis*, et non similiter supponit ablativum *fracto*, nisi quia sermonis proprietas id non fert?

BENEDIXIT, convertit in corpus suum sacrosanctum; sive expresserit verba illa : *Hoc est corpus meum*, sive non. Reliqua petantur ex institutione Eucharistiæ in ultimâ cœnâ, sup. 22, v. 19; eâdem enim hìc formâ describendi utitur evangelista, cujus usus est in Eucharistiæ institutione. Quare et his discipulis à Christo datum fuisse corpus suum sub specie panis, multi veterum sentiunt. Theophylactus scribens in hunc locum, cujus verba recitabimus versu proximo. Isichius scribens in caput nonum Levitici, ubi ait : *Invenimus autem et Christum similiter, post resurrectionem à mortuis, per mysticæ cœnæ et panis fractionem manifestatum : quod apertè quidem Lucas, planiùs tamen etiam Joannes evangelista tradit.* Auctor Operis in Matthæum imperfecti, homiliâ 17 : *Dominus in viâ*, inquit, *non solùm benedixit panem, sed de manu suâ dedit Cleophæ et socio ejus. Quod autem de manu porrigitur, non solùm sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, et sanctificat accipientem.* Inter Latinos Augustinus, serm. 140, de Tempore : *Ubi voluit Dominus agnosci? in fractione panis. Securi sumus, panem frangimus et Dominum agnoscimus. Noluit agnosci nisi ibi, propter nos, qui non eum visuri eramus in carne, et tamen manducaturi ejus carnem.* Denique Hieronymus, epistolæ 27, quæ est epitaphium Paulæ, cap. 3 : *Repetitoque itinere*, inquit, *Nicopolim* (profecta est) *quæ priùs Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in ecclesiam dedicavit.*

PORRIGEBAT ILLIS, manducandum, illique acceperunt et manducârunt. Calicis nulla est hìc mentio; adeòque sic historia hæc conjungit distributionem panis benedicti cum Domini recessu, ut nullum relinquat locum benedicendo vel distribuendo calici. Unde intelligitur, sub unâ panis specie, Christus hìc dedisse discipulis corpus suum, quemadmodùm hodiè servat Ecclesia.

VERS. 31. — ET APERTI SUNT. Græcè est *aperti sunt autem;* dùm scilicet acceptum panem benedictum manducarent. Syrus addit *statim*. Aperti sunt, *utique ad ejus cognitionem, remoto scilicet impedimento, quo tenebantur ne eum agnoscerent*, quod ait Augustinus, lib. 3 de Cons., cap. 25; fuerant hactenùs oculi eorum tanquàm clausi, quod ad cognitionem Jesu : jam aperti sunt.

ET COGNOVERUNT EUM, id est, ita ut cognoverint eum visu, propriâ ipsius effigie totâ se præbente conspiciendam. Porrò quòd nunc eum cognoverint potiùs quàm antea, factum quidem pro domini voluntate, qui agnitus est quando voluit, quando voluit non est agnitus; factum est tamen dùm benedictum panem daret, *certi mysterii causâ*, quod ait Augustinus, de Consensu evangelistarum scribens, potissimùm ut nobis Eucharistiæ sacramentum commendaret, quo oculi tam animi quàm corporis, omni remoto impedimento, aperiri queunt, ita ut Dominus agnoscatur. Lege Augustinum et serm. 140 de Tempore, cujus sermonis præcipua verba laudavimus

se invitantibus præbuit, ut magis urgeretur. Itaque exemplo suo docuerunt peregrinos non solùm invitandos ad hospitium, sed etiam trahendos, ut Greg., hom. 23 in Evang., dicentes : MANE NOBISCUM, DOMINE, etc. Unde verisimile fit coactionem illam instantiâ precum factam esse, et allatâ opportunâ ratione diei jam inclinatæ ad occasum; quo modo, 2 Reg. 13, dicitur Absalon coegisse regem ut dimitteret filios suos. Civiliter itaque acquiescens precibus eorum, INTRAVIT CUM ILLIS, Græcè, *intravit ut maneret cum illis*, videlicet eâ nocte hospitaretur. Ex quibus verbis et invitandi modo non incongruè colligunt quidam veram esse sententiam Hieronymi, qui tum lib. de Locis Hebr., tum epist. 27, dicit hanc domum fuisse Cleophæ, et à Christo Domino in Ecclesiam consecratam nempe ipsâ celebratione sacræ Eucharistiæ. Nam,

VERS. 30. — DUM RECUMBERET CUM EIS, ad mensam, ACCEPIT PANEM, BENEDIXIT, eâ benedictione de quâ sermo est apud evangelistas in institutione Eucharistiæ. Hoc enim probant, tum omnes similes circumstantiæ, acceptio panis, benedictio, fractio, distributio, effectus consecutus; tum etiam consensus antiquorum, Theophyl. hìc, Hieronymi, epistolâ citatâ; Augustin., sermone 140 de Tempore, cap. 3, et lib. 3 de Consensu, c. 35; Bedæ et aliorum.

VERS. 31. — ET APERTI SUNT OCULI EORUM, remoto scilicet impedimento quo tenebantur, ne eum agnoscerent, ibidem Augustinus. Unde etiam, libro 1 de Nuptiis, capite 5, et aliis diversis locis docet, primorum parentûm oculos post peccatum apertos dici, Genes. 3, non quòd antè nihil viderent, sed quia aliquid tunc animadvertere cœperint, quod ante non adverterant. ET COGNOVERUNT EUM, scilicet *in fractione panis*, ut est versu 35, hoc est, cùm panem de manibus ipsius porrigentis sumerent, et manducarent : hoc enim significat panis fractio, juxta illud Apostoli, 1 ad Corinthios 10, versu 16 : *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Fractionis* enim nomine Lucas reliqua intelligere solet,

versu superiori. *Magnam enim et indicibilem vim habet caro Domini,* inquit Theophylactus. Benedictum ergo panem cùm discipuli accepissent, incitati fuerunt, ut fixis oculis attentiùs Dominum intuerentur; quod dùm facerent, præbuit ipse eis nativum vultum manifestè conspiciendum, omni impedimento sublato; quemadmodùm Mariæ Magdalenæ, simul atque proprio nomine eam appellâsset, Joan. 20, v. 16.

Et ipse, sed ipse, evanuit, ἄφαντος ἐγένετο, non apparens factus est, inconspicuus, invisibilis redditus est. Interpres expressit vim nominis ἄφαντος, sed *evanuit,* non in auram, more spectri, at verum ejus corpus disparuit repentè.

Ex oculis eorum, Græcè, *ab eis.* Quòd *ab eis* dicit potiùs quàm *eis*, videtur indicare, non tantùm invisibilem redditum Jesum, verùm etiam locum mutâsse. In quem sensum Syrus vertit: *Ablatus est ab eis;* alii: *Ablatus est extra conspectum eorum.* Simul atque cognoscebatur, repentè et quasi imperceptibiliter disparebat; donoque agilitatis, una ex dotibus corporis gloriosi, aliò se transferebat. Ruituri erant in ejus amplexum, simul atque cognoverant eum, sed ipse transtulit se aliò extra conspectum eorum. Quare? quia non apparuerat eo fine, ut familiariter conversaretur cum eis, sicut ante passionem, sed duntaxat ut monstraret se verè resurrexisse. Id postquàm abundè monstravit, pedès profectus, diù collocutus, unâ aut alterâ horâ conversatus cum eis, postremò resurrectione cæterisque quæ de Christo erant Scripturæ auctoritate probatis, mox ut est agnitus, subduxit se, ut intelligerent eum, non ad mortalem, sed ad immortalem ac cœlestem vitam resurrexisse, ut paulatim assuescerent carere aspectu corporis quod brevi erat auferendum, discerent denique amare Jesum juxta spiritum. *Abscessit ab eis corpore, dùm teneretur fide,* inquit Augustinus, serm. 140 de Tempore. Tantùm enim abest ut discessus iste fidem discipulorum labefactârit, ut contrà plurimùm auxerit, certissimosque reliquerit de Jesu redivivo, prout etiam majus suî desiderium Jesus disparens reliquit, quàm si diutiùs suî copiam fecisset. Ad hæc ideò mox extra conspectum se abstulit Jesus ut discipulos istos duos incitaret ad hoc, ut mox Jerosolymam recurrerent, et visum à se Dominum apostolis cæterisque discipulis congregatis nuntiarent; eo fine ut illorum animi eò essent promptiores ad suscipiendam resurrectionis fidem, ubi ipsis esset apparituros, quod hâc eâdem vesperâ facere decreverat, quo plurium oculatis testimoniis essent præparati.

Euthymius: *Et ipse evanuit à conspectu eorum, ne ampliùs tardarent, sed citiùs ad discipulos reverterentur: volebat namque eodem die omnibus simul apparere.*

Vers. 32.—Dixerunt, simul atque ille disparuerat.

Nonne, q. d., maximè. Reliquit Dominus discipulos, non tristes, quales ante fuerant, sed gaudio ac solatio plenos; sic enim consuevit, quoties se nobis manifestare dignatus fuerit.

Ardens erat, ardebat. Euthymius, *incendebatur, saliebat, movebatur, ac vibrabat.*

Dum loqueretur; *nobis* additur Græcè et Syriacè, quod Latinè intelligendum relinquitur è proximo.

Aperiret, exponeret nobis Scripturas sacras, loca sacræ Scripturæ de passione ipsius et posteriori gloriâ loquentia. Dant isti intelligendum quòd Jesus docens, consuêsset ipsorum cæterorumque auditorum animos accendere amore spiritualium ac cœlestium rerum. *Erat enim docens sicut potestatem habens, et non sicut scribæ et Pharisæi,* quòd Matthæus ait, cap. 7, v. 29. Nec mirum: *Ignitum eloquium tuum vehementer,* ait Psalm. 118, v. 140. *Omnis sermo Domini ignitus,* inquit Sapiens, Prov. 30, v. 5. Inest igneus vigor dominicis verbis, illustrans mentem fide et amore inflammans cordis intima. Hujus vigoris efficacitatem experti fuerant isti, dùm Christo disserente illuminati sunt fide, et accensi amore eorum quæ de Christo sunt mysteriorum, spe denique ac fiduciâ erecti satiari haud potuerunt colloquii dulcedine; nec tamen observârunt unde ardor ille divinus in eorum cordibus nasceretur. Permovebantur et ex manifestâ illa Scripturarum verbique divini interpretatione, gaudio simul et amore afficiebantur, videbanturque Jesum præsentem velle agnoscere; sed tunc demùm, postquàm eum oculis conspexerant, clarè cognoverunt ipsum ardoris illius intimi fuisse auctorem. Arserant nimirùm, nec causam sciverant, quia soli adfuerant, neque noverant. Quem igitur jam visu et experientiâ cognoverant, confirmant verè esse Jesum, etiam hoc argumento: de suâ interim quærentes tarditate, quòd ejus præsentiam non ante percepisset eorum animus hoc signo adductus. Est igitur sententia illorum: Nonne cor nostrum ita rapiebatur et inflammabatur amore divinarum rerum, quas ille nobis exponebat, sicut aliàs ante mortem ipsius inflammari consueverat, cùm ipse nos doceret? Quare ergo non priùs vel hoc argumento eum cognovimus? quis torpor, quis somnus invaserat ani-

maximèque usum sacrosanctæ Eucharistiæ quæ juncta est fractioni, ut patet Actorum 2, vers. 42 et 46. Quòd autem cognoverunt Dominum tunc potiùs quàm antea, contigit quidem Domini voluntate, sed tamen certi mysterii causâ ad commendandum scilicet sanctissimum illud Sacramentum, ut notat utroque loco Augustinus, vers. 3 citatus, quia per illud, nos Dominum in agnitionem suî congregare, nullus debet ambigere, inquit epist. 19, quæst. 8. Et ipse evanuit ex oculis eorum, non quidem quòd umbra esset, aut phantasma, sed per potestatem animæ suæ gloriosæ in corpus suum, non ampliùs

apparuit. Unde Hieron., epist. 61, et Epiphan., hæresi 42, tribuunt hanc disparitionem potestati Dei; nimirùm, ut, quemadmodùm discipuli ex colloquio et factis ejus cognoverant veram resurrectionem, ita et ex disparitione agnoscerent redivivi corporis alias qualitates, quòd substantiâ quidem esset verum corpus, agilitate tamen et subtilitate spiritale.

Vers. 32. — Et dixerunt ad invicem, confirmantes sibi alio argumento, verè sibi Christum apparuisse: Nonne cor nostum ardens erat in nobis? id est, ardebat affectu? Nam omnis quidem sermo Dei ignitus est, quâ de causâ per Jeremiam dicit capite 32,

mos nostros, ut non vel ex hoc effectu ejus præsentiam perciperemus? q. d. : Certè debueramus vel ex hoc solo eum agnovisse, et adorâsse, et incredulitatis nostræ veniam rogâsse : ipsum denique nobiscum retinuisse. Insignis laus Domini Jesu, quòd sermo ipsius efficax fuerit, ad inflammandas mentes; quòd dùm ore loqueretur, intùs quoque spiritûs sui ardore corda accenderet.

Vers. 33. — Et, cùm igitur alter alteri fassus esset parem animi affectionem, nec jam dubitarent de conspecto à se Domino ex morte redivivo.

Surgentes à mensâ, relictâ mensâ, etc. Credibile est, initio mensæ, simul atque gustâsset Dominus, quantùm satis esset ad demonstrandam suæ resurrectionis veritatem et à Domino panem benedictum fractum ac porrectum fuisse, et à discipulis Dominum fuisse agnitum, nimirùm quàm citò gustaverant buccellam sibi porrectam. Famelici ergo licèt essent (nam ut impransis mensa posita fuerat, mox ut hospitium fuerant ingressi), tamen surrexerunt à mensâ, eadem hora, id est, eodem momento, et regressi sunt in Jerusalem, ut tanti gaudii apostolos reliquosque condiscipulos participes facerent, quos noverant maximâ sollicitudine teneri, ut scirent an Jesus resurrexisset. Nec debuerunt nec voluerunt apud se continere lætissimum nuntium, imò nec in alterum diem differre sustinuerunt, quanquàm *advesperasceret et inclinata jam esset dies,* quod mox dixerant, supra, v. 29; sed statim Jerosolymam recurrerunt; sic enim fides illuminando, sic fervor, sic amor movendo, sic gaudium quo erant perfusi, animando, cogebant eos ad viam capessendam, ut aliorum omnium obliviscerentur, famis mensæque positæ, vesperæ instantis, itineris longioris, negotiorum denique ob quæ Emmauntem venerant. Tanto flagrabant studio desideratissimum nuntium cum condiscipulis communicandi, tantique momenti hoc esse judicabant, ut ejus comparatione omnia nihil facienda crederent; et certè festinatio ipsa, testimonio ipsorum majus fidei pondus conciliavit.

Regressi sunt, magnâ cum celeritate, pleni lætitiâ et gaudio.

In Jerusalem. Potuerunt eò pervenisse cum primâ face, die nimirùm finiente; nec enim intelligendum est seram vesperam fuisse, cùm supra, v. 29, dicerent, *advesperascit;* nam id interpretantes addebant, *et inclinata est jam dies,* quòd hora diei nona dici poterat, præsertim hìc, ubi desiderabant discipuli retinere comitem suavissimum, et in lege doctissimum. Circa horam diei decimam Emmaunte egressi, finiente duodecimâ potuerunt Jerosolymis esse, itinere trium circiter horarum æquinoctialium, confecto duabus plus minùs, lætitiâ pedibus alas addente. Nam, quod Joannes narrat, hâc eâdem vesperâ Jesus apparuit ipsis undecim et qui cum eis erant, Joan. 20, v. 19; idque cœnantibus, quod Marcus testatur, cap. 16, v. 14.

Invenerunt congregatos domi; erat enim noctis principium. Dispersi fuerant apostoli die parasceves, Domino à Judæis apprehenso, sed paulatim iterùm convenerant sub vesperam parasceves, aut certè sabbato subsequente, cumque eis reliqui utriusque sexûs discipuli qui fuerant familiares Jesu, et quidem eam in domum in quâ pascha apostoli cum Jesu celebraverant. Ex quo enim Jesus elegerat hanc domum pro paschali suâ eâque ultimâ cœnâ, apostoli cæterique discipuli, eam pro suâ retinuerunt, non tantùm donec transissent paschales dies, quibus durantibus haud facile fuisset aliam invenire, verùm etiam usque ad Pentecosten et acceptum Spiritum sanctum; nec enim erat alia aptior, instructa cùm esset cœnaculo grandi, etc., sup. 22, v. 12.

Undecim, id est, apostolos. Verisimile est Thomam abfuisse, si ea considerentur quæ hìc sequuntur, v. 36, et quæ Joan. 20, v. 19, 24, leguntur; undecim tamen congregati fuisse dicuntur synecdochicè, quia collegium quod constabat undecim viris convenerat, tametsi unus ex numero undecim abesset.

Et eos qui cum illis erant, qui illis adhærebant, qui unà cum eis familiares Jesu fuerant, inferiores discipulos utriusque sexûs, qui arctiore fidei vinculo apostolis conjuncti erant. Quòd simul convenerant, fidei vel certè pii erga Jesum affectûs signum fuit; nam si deseruissent animo Jesum, dilapsi fuissent hùc illùc, nec alius alium voluisset agnoscere aut ausus fuisset aspicere. Cæterùm, non sine divinâ providentiâ contigit omnes simul esse, ut eò celebrior esset manifestatio Jesu.

Vers. 34. — Dicentes. Quarti casûs est ex λέγοντας : erant enim ipsi undecim et qui cum eis erant, id est, multi ex ipsis undecim et iis qui cum eis erant, qui simul atque viderent duos istos intrantes domum, non exspectatâ eorum narratione, ultrò gaudio gestientes, continuò eruperunt in hanc læti nuntii vocem : *Surrexit Dominus verè*, etc. Putabant isti duo se boni novi aliquid allaturos, Dominum resur-

vers. 20 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis?* et psal. 118 : *Ignitum eloquium tuum vehementer;* præcipuè tamen sermo quem Christus proprio ore profert. Pungit enim, rapit, urit, inflammat, relinquit scintillas et aculeos in animis auditorum. Dum loqueretur in via, etc.; q. d. : Nonne jam facile est conjicere unde iste ardor nobis afflatus fuerit, quem in ejus colloquio sentiebamus?

Vers. 33. — Et surgentes è mensâ, eadem hora, id est, sine morâ, eodem momento, regressi sunt in Jerusalem, ut quantociùs discipulorum animos suâ testificatione erigerent, desperationem ac tristitiam abstergerent : et invenerunt congregatos undecim, apostolos, et eos qui cum illis erant, id est, et cæteros discipulos qui cum apostolis tunc Jerosolymis morabantur.

Vers. 34. — Dicentes, istis duobus intrantibus, tanquàm gestientes præ gaudio : nam illud *dicentes* est Græcè quarti casûs, λέγοντας, et refertur ad eos qui cum undecim erant, non ad illos duos redeuntes ex Emmaunte. Proinde se frustra fatigant hìc aliqui, disputando unde isti duo scire potuerint Christum apparuisse Simoni, et ideò fingentes alium istum Simonem esse quàm Petrum. Quod surrexit Dominus verè, id est, realiter, in proprio corpore sine ullâ

rexisse; atqui priusquàm os aperire queant, hoc ipsum ab aliis audiunt. Ergo qui lætum visionis sibi factæ nuntium condiscipulis afferunt ad confirmandos eorum animos, vicissim de alterâ visione docentur; ita mutuæ confirmationis mercedem à Deo retulit eorum sedulitas.

VERÈ, indubitanter, significant, se, post incertam spem quam mulieres primæ omnium fecerant, ita certosfactos de Domini ex mortuis resurrectione, ut dubitare jam non ampliùs oporteat; omnem enim dubitandi ansam sibi præcidunt hâc particulâ, *verè.*

ET, pro *quia*, APPARUIT, Græcè, visus est.

SIMONI Petro. Quòd Petro Dominus à resurrectione apparuerit, legitur hìc et 1 Cor. 15, v. 5; ubi autem et quâ ratione ipsi apparuerit, nusquàm legitur. Quando apparuerit, locus iste clarè dat intelligendum quòd primâ sabbati. Marcus non minùs clarè docet, quòd postquàm apparuerat Magdalenæ, Marc. 16, v. 9. Creditur ergo Jesus Petro apparuisse, post quidem quàm apparuerat Magdalenæ, priùs verò quàm his duobus discipulis; nimirùm Petro primò apparuisse inter viros, cùm à sepulcro reversus, sollicitus apud se æstuaret quid factum esset de corpore Domini. Nam priusquàm Dominus simul omnibus se manifestaret, ostendit se quibusdam seorsùm, ut cæteri horum testimoniis instructi, faciliùs reciperent resurrectionis fidem, quando ipse omnibus esset apparitурus. Inter viros autem primò Petro apparuit plures ob causas: Unam, ut consolaretur lugentem tam lapsum suum quàm mortem Domini; alteram, ut constitutum à se Ecclesiæ caput, et amore præ cæteris flagrantem, præ cæteris honoraret. Tertiam, ut apostoli et discipuli, qui mulieribus, nuntiantibus Dominum redivivum à se visum, non crediderant, Petro, viro gravi et auctoritate pollenti, adeòque primas inter ipsos tenenti, fidem adhiberent; id quod ita accidisse docet hic versiculus, ubi discipuli mulierum ne mentionem quidem faciunt. Cæterùm non ita intelligendus est hic locus, quasi omnes undecim et omnes qui cum eis erant, Petri testimonio adducti, crediderint Jesum resurrexisse, sed quòd bona pars eorum. Nam quòd bona itidem pars, corde durior, nec Petri auctoritate persuasa sit, manifestè docet Marcus, cap. 16, v. 13, ubi narrat quòd neque duobus istis discipulis Emmauntinis creditum ab his fuerit, tantùm abest ut Petro, qui ante hos duos, eam quæ sibi contigerat visionem declaraverat. Nam *probabiliter creditur,* quod ait Augustinus, lib. 3 de Cons., cap. 25, *posteaquàm Petro apparuit, deinde apparuisse istis duobus.* Nisi enim utrinque stetisset bona pars, non poterat collegio aut societati ascribi opinio unius aut alterius, reliquis apertè refragantibus.

VERS. 35. — ET IPSI, ipsi autem duo vicissim NARRABANT QUÆ GESTA ERANT IN VIA, in itinere quo ipsi ambulaverant Emmauntem.

COGNOVERUNT, agnovissent.

EUM, Dominum.

IN FRACTIONE PANIS, in mensâ, cùm frangeret ille panem, et non antea, id est, cùm acceptum panem ille benediceret ac frangeret, ipsique porrectum sibi gustâssent. Consuevit enim Lucas, synecdochicè, fractionis nomine, reliqua intelligere, tanquàm à parte totum, Act. 2, v. 42, et 46; quibus certè locis, fractione panis, usum sacrosanctæ Eucharistiæ significat, quo modo et Paulus, 1 Cor. 10, v. 16: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Conferunt inter se discipuli testimonia resurrectionis Jesu, et credentibus quidem, duplicatur gaudium, non credentes autem paulatim ad fidem præparantur.

VERS. 36. — DUM AUTEM HÆC LOQUUNTUR. Intereadùm illi duo adhuc narrarent quæ sibi acciderant, antequàm narrationem finivissent.

JESUS, καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς. Rectè omisit interpres voculas illas, καὶ αὐτός. *Jesus* fidem faciens dictis eorum.

STETIT, id est, subitò atque inopinatò visus est, non advenire, sed stare, quasi non aliundè advenisset, sed antea præsens modo invisibili, derepentè se visibilem exhiberet. Cæterùm quòd aliunde advenerit, Joannes testatur, cùm dicit Jesum venisse et stetisse: usus igitur dote agilitatis propriâ corpori glorioso, advenit, sed invisibilis, prorsùsque ita ut adventus ejus nullo sensu perciperetur, priùs visibilem se præbens et constans in medio discipulorum, quàm ullum observatum esset advenientis vestigium. Ad eum igitur modum præsens factus est, quo solent apparere angeli, declarans se ad spiritualem ac cœlestem vitam resurrexisse. *Stetit* autem potiùs quàm sedit, ut se vivere ac valere ostenderet: honestissimus enim humani corporis situs est stare. *Stetit* denique, non alienâ, sed propriâ effigie conspicuus, *oculis eorum ab omni nube jam liberis*, quod ait Titus.

dubitatione, ita ut in posterum controversiæ causa ablata sit; ET APPARUIT SIMONI, seu Petro. Unde Augustinus, libro 3 de Consensu, capite 25: Probabiliter, inquit, creditur, posteaquàm Petro apparuit, deinde apparuisse istis duobus. Ipsi ergo vicissim narrabant quæ gesta erant in viâ, etc.

VERS. 36. — DUM AUTEM HÆC LOQUUNTUR, antequàm scilicet narrationem suam finivissent, stetit Jesus in medio eorum, adhuc recumbentium, ut Marcus; nam eadem est hæc apparitio cum eâ quam narrat Joan. c. 20, v. 19, et Marcus c. 16, v. 14. Ergo in medio stetit, tanquàm pastor in medio ovium dissipatarum, ut ab omnibus faciliùs videretur et audiretur, idque subitò sine ullo indicio prævio adventûs, ostiorum, fenestræ aut pedum strepitu; nam hoc insinuatur verbo, STETIT, ET DICIT EIS: PAX VOBIS, consuetâ salutationis humanissimæ formulâ, tanquàm largitor veræ pacis hominum cum Deo et inter se. EGO SUM, qui scilicet ex formâ corporis et sono vocis vobis notus sum. Ex quo rectè colligitur Christum eâdem corporis formâ apparuisse, vel certè eâdem voce locutum esse, quâ priùs; sic enim loquimur familiaribus, qui nos aut non vident, aut dubitant quisnam adsit. Unde simili modo Magdalena cognovit Jesum simul atque voce solitâ dixisset: *Maria*, statimque respondit: *Rabboni*, id est, magister mi: NOLITE

In medio eorum, id est, inter eos, phrasi Hebraicâ, prout consueverat ante mortem; *ut omnibus esset conspicuus*, quod ait Euthymius, ut faciliùs videretur et audiretur ab omnibus. Non enim in angulo apparuit, ut solent spectra. *In medio eorum stetit*, tanquàm pastor in medio ovium dissipatarum, Ezech. 34, v. 12.

Eorum, undecim et eorum qui cum eis, de quibus, v. 33.

Dicit, voce blandâ et familiariter eis notâ.

Pax vobis. Quid in hâc salutandi formulâ pacis nomine Hebræi intellexerint, quid item Jesus, diximus supra, 10, 5, et alibi. Quòd autem hâc usus sit Jesus etiam hoc loco, triplex ferè causa fuit. Una, ut consuetis utens, faciliùs agnosceretur. Sub mortem pacem discipulis nominatim et dederat et reliquerat, Joan. 14, v. 27; mox à morte rediens pacem eis precatur, quod notat ex Chrysostomo in Joannem scribente Euthymius; ut scirent eum esse qui pacem ipsis perpetuò et optârat et commendârat. Altera causa, ut mederetur timori, quo noverat discipulos corripiendos simul atque ab eis conspiceretur, eò præsertim quòd subitò et profunda jam vespera appareret. *Simul et voce*, inquit Chrysostomus, hom. 85 in Joannem, *fluctuantem animum confirmavit, inquiens: Pax vobis, hoc est, nolite perturbari.* Non adsum ut pœnas à vobis exigam, puniamve incredulitatem vestram, aut noceam vobis, sed pacem vobis et opto et affero, fausta, inquam, et prospera omnia, ut quos mors mea turbaverat, resurrectio lætificet, ut consoler, confortem, instruam vos veni, non ut mali aliquid vobis inferam, absit; bono animo estote. Sic Judicum 6, v. 23, angelus Gedeoni: *Pax tecum; ne timeas, non morieris.* Tertia causa, voluit Jesus discipulis suis fructum mortis resurrectionisque suæ significatum, devictis, inquam, humani generis inimicis, à se procuratum, ut pax cum Deo et à Deo hominibus parata sit, pax, inquam, et salus vera. *Molestias omnes dissolvens*, inquit Chrysostomus, *crucis merita colligit, quæ sunt pax: quoniam omnia sublata sunt impedimenta, et trophæum clarissimum statuit, et omnia meliora facta sunt.* Quare Cyrillus, lib. 12 in Joannem, cap. 54: *Decet, inquit, largitorem pacis ista salutatio: ipse namque pax omnium est, secundùm Scripturas.*

Ego quem nôstis, quem ut ex formâ, ita et ex voce cognoscitis, sum, is quem coram videtis. Loquitur tanquàm ex voce notus, sicut loqui solemus familiaribus, qui nos aut non vident aut dubitant an videant. *Ego* ipse *sum* quem nôstis, Jesus Nazarenus, qui hactenùs vobiscum conversatus, et nudius tertius per mortem crucis vobis ablatus, jam resurrexi, et in hoc vobis appareo, ut de morte meâ tristes resurrectione consoler.

Nolite timere, prout nôstis non esse vobis timendum à me, mali aliquid metuendum à me, patre, præceptore, et servatore vestro. Eadem verba: *Ego sum; nolite timere*, exposita sunt Matth. 14, v. 27, quæ quanquàm hoc loco Græcè non legantur, ubi nihil aliud exstat quàm: *Pax vobis*, ut Joan. 20, v. 19; tamen sicut Latinè, ita et Syriacè reperias: *Pax vobiscum; ego sum, ne timeatis*, ut dubitandum non sit quin Latinus interpres ea Græcè legerit.

Vers. 37. — Conturbati, nihilominùs illi, obstupefacti et perterriti, subitaneâ illâ apparitione Jesu. Non suffecit blanda salutantis vox ad eximendum timorem; ex quo factum esse indicat evangelista, ut Jesum non agnoverint; impedit enim cognitionem timor, et, loco rei, spiritum, monstra aliaque terriculamenta sibi fingit.

Spiritum, vel ipsius Jesu, vel certè angeli aut dæmonii alicujus, assumptâ effigie corporis Jesu apparentem; minimè Jesum, unitis à morte animâ et corpore redivivum. Videbant effigiem Jesu propriam, audiebant vocem, existimabant tamen spiritum esse, non Jesum; sicut homines consueverunt, si quando illi appareant, qui fuerint mortui (id quod aliquando à Deo permittitur) ad quorum conspectum expavescere, etiamsi suavissimi fuerint amici, et omnes defunctorum apparitiones horrere fragilitatis humanæ est; nam et sæpè fit ut non amici sint qui apparent, sed dæmones amicorum formam mentientes, ad hoc ut fallant ac noceant. Sed quòd hæc fuerit eorum discipulorum opinio, qui hactenùs increduli fidem abrogârant omnibus qui resurrectionis Jesu testes se præbuerant nihil mirum: verùm quòd Petrus et duo illi Emmauntini discipuli, cæterique qui illis fidem adhibuerant, de quibus actum est supra, v. 34, spiritum, non Jesum apparere existimârint, videtur à ratione alienum. Paulò ante statuerant resurrexisse Dominum, et tanquàm de re sibi probè notâ asseveranter locuti fuerant: *Surrexit Dominus verè;* nunc, dùm eum conspiciunt suis oculis, non ipsum, sed spiritum esse, sibi persuadebunt? Atqui id fecit timor, quod paulò ante dicebamus, natus, non ex eo solùm quòd appareret qui fuerat mortuus, verùm ex eo magis quòd Jesus, januis clausis, quod Joannes ait cap. 20, v. 19, ingressus fuerit; quòd, nullo ingressu patente, priùs constiterit in medio eorum, subitò atque improvisò, quàm aut adventum illius ullo sensu percepissent, aut vestigium ullum quà ingressus esset vidissent non apertas fores, non strepitum adventantis non umbram saltem appropinquantis. Hinc factum est ut admiratio ac terror et stupor omnes invaserit, sen-

timere, ex hoc repentino et inusitato aspectu meî, utpote à quo nihil vobis timendum scitis. Voluit ergo Dominus pro suâ benignitate timorem ab eis avertere; sed infirmitate suavitati salutationis prævalente,

Vers. 37. — Conturbati et conterriti, existimabant se spiritum videre, incorporale scilicet dæmonium, inquit Hieron., præfat. libri 18 in Isaiam, idque ex Evangelio Nazaræorum. Solent enim dæmones etiam amicorum simulare effigiem, vel potiùs spiritum bonum ipsius Jesu, ut qui vel corpore in spiritum conversus fuisset, vel secundùm animam phantasticè appareret. Unde infra Dominus responsione suâ non tam probat se reverà esse illum quàm se non esse spiritum. In illam opinionem lapsi videntur fuisse, eò quòd se intra clausa parietum improvisus infunderet, ut putat Ambr. Quamobrem

sumque eis excusserit spectaculi novitas, ita ut credere suis oculis non auderent, sed contra imaginarentur spiritum apparere, eò quòd spiritûs esset, non corporis, clausa penetrare. Quare Ambrosius in fine Commentariorum in Lucam : *Et si Petrus de resurrectione crediderat,* inquit, *turbari tamen potuit, cùm videret quòd se Dominus cum corpore, in ea que vestibulis obseratis et obstructis erant septa parietibus, improvisus infunderet.* Atqui meminisse debuerant Jesum, non hominis tantùm sed et Dei Filium esse, idque plurimis in vitâ docuisse miraculis præter naturæ ordinem editis. Denique hoc modo docuit illos Jesus, postquàm ostendit se spiritum non esse, corpus suum redivivum, etsi ejusdem cujus priùs naturæ, alterius tamen esse conditionis et gloriæ.

Vers. 38. — Et dixit. Dixit igitur, ut immodicum eorum timorem reprehendendo sedaret.

Quid turbati estis, quibus gaudendum est, et congratulandum tam vobis ipsis quàm mihi.

Et cogitationes variæ; à re præsenti alienæ, cogitationes disceptationesque dubiæ atque anxiæ, an ego appaream quem nôstis et jam resurrexisse intellexistis, an verò spiritus aliquis.

Ascendunt, oriuntur, subeunt indulgentibus vobis, in corda vestra, in cordibus vestris. Hebraismus, pro, et varias cogitationes volvitis animis vestris, quibus scilicet dùm laxatis habenas, vos ipsi impeditis à notitiâ meî. D. Augustinus sacræ phraseos verba urgens, serm. 69 de Diversis : *Cogitationes istæ terrenæ sunt,* inquit, *si enim cœlestes essent, descenderent in cor, non ascenderent;* et Beda, cùm eas ex corde non integro ascendere dicit, sicut herba mala oritur ex terrâ malâ. Jubet igitur Jesus ut discipuli, compositis ac sedatis animis, expendant rem præsentem, et veritatis notitiam concipiant; hâc quoque ratione Jesum se esse monstrans quòd cogitationes eorum et videat et corrigat, quemadmodùm non semel aliàs ante mortem fecerat id quod ne spiritus quidem possit. *Ostendit,* inquit Euthymius, *se cordium cognitorem, et,* quod addit Titus, *se tanquàm verum Deum* (*huic enim soli occulta cordium sensa patent*) *internam illorum conturbationem minimè ignorare.*

Vers. 39. — Videte, si non sufficit vobis faciem videre atque effigiem, manus meas et pedes, servantes vestigia clavorum crucis quâ nudius tertius coram vobis fui interfectus.

Quia ego ipse sum; et cognoscite quòd ego ipse sum ; non spiritus aut aliquis alius.

Palpate. Quòd si nec sufficiat videre manus ac pedes, etiam palpate ac contrectate eos, adeòque totum corpus meum, ut consistentiam illius et soliditatem tactu experiamini. *Probent sibi manus vestræ, si mentiuntur oculi vestri,* inquit Augustinus, serm. 69 de Diversis. Satisfacite omnibus sensibus vestris. Naturâ ita comparatum est, ut minùs tactus quàm visus, in dijudicando corpore fallatur. Nam et cùm videre nobis aliquid videmur, quod an solidum sit corpus dubitamus, manum apponimus, ut tactu quasi certiore teste rem exploremus. Corporales igitur omnes sensus eorum testes adhibet, ne umbram sibi putent pro corpore objici. Quamvis enim jam Dei dono incorruptibile esse Jesu corpus, non tamen in spiritum mutatum erat, nec desierat ejus esse naturæ cujus priùs, ac proinde palpari, id est, sensu tactûs percipi poterat; tametsi, ut spiritui omninò subjectum erat, cùm nollet ille, palpari non poterat. Hoc est illud quod D. Gregorius docet, lib. 14 Moralium in Job, cap. 31, adversùs Euticium episcopum Constantinopolitanum : *Corpus nostrum à resurrectione, non impalpabile fore, aut ventis aereque subtilius; sed subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, palpabile autem per veritatem naturæ.*

Et videte, et certò cognoscite quòd ego ipse sum, non spiritus aliquis.

Carnem et ossa, verum ac solidum corpus, corpus quod palpari possit.

Non habet, quippe incorporeus et simplex. Nam si formam corporis assumat, aerium est corpus, non humanum, tactuque dignosci potest; cedit enim apprehendere volentibus, nec magis palpari potest quàm aer.

Sicut me videtis habere, scilicet carnem et ossa, verum solidumque corpus. Expositâ corporei hominis à spiritu distinctione, probat se non esse spiritum ; ex servatis autem notis crucis probat se eumdem illum esse Jesum, qui tertio antè die fuerat cruxifixus, reliquis corporis indiciis in hoc conspirantibus; evidentiâ, non mathematicâ, sed morali atque humanâ,

Vers. 38. — Dixit eis : Quid turbati estis, velut ex apparitione spiritûs improvisò se ingerentis, et cogitationes, variæ, dubiæ, anxiæ, à re præsenti et veritate alienæ, ascendunt in corda vestra? Ascendunt, inquit misticè Augustinus, sermone 145 de Tempore, quia cogitationes istæ terrenæ sunt : si enim cœlestes essent, descenderent in cor, non ascenderent.

Vers. 39. — Videte manus meas et pedes, servantes videlicet adhuc clavorum vestigia ; nec enim alia ratio, cur potiùs manus et pedes, quàm alias corporis partes ostenderet. Unde Joan. 20, v. 20, addit etiam ostendisse latus, quod adhuc magis patet ibid. v. 27. Hinc constans antiquorum sententia est, Christum post resurrectionem in manibus, pedibus et latere ipsa vulnera servâsse, seu passionis notas, non ulcerosas et sanguinolentas, sed sanas, ut patet ex August., tract. 121 in Joan.; Cyrillo, lib. 12 in Joan., c. 58; Leone, serm. 1 de Ascensione, et aliis. Quæ vulnera etiam cœlo inferre maluit, ut Deo Patri pretium nostræ libertatis ostenderet, juxta Ambr., æternumque suæ victoriæ trophæum circumferret. Nam, ut optimè Aug., lib. 22 de Civ., c. 20, non sunt deputanda vel appellanda vitia virtutis indicia. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, et quædam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Quia ego ipse sum, id est, ipsissimus ego totus, non solùm secundùm spiritum, sed et secundùm corpus. Unde Tertull., c. ult., lib. 4 contra Marcionem : Ego sum, quem scilicet corporeum retrò noveratis. Nam eò tendit tota hæc Christi demonstratio, ut eum verum corpus habere intelligerent. Itaque adjicit : Palpate, q. d. : Si vidisse non sufficiat, etiam manibus contrectate me, ut probent sibi manus vestræ, si mentiantur oculi vestri, inquit August., et videte, id est, diligenter attendite oculis, ut veritas corporis

quæ fidem, ex altiori certiùs nascentem principio, non excludit.

Vers. 40. — Ostendit eis et contrectandos præbuit *manus et pedes* etiamnùm perforatos, ex cruce superiori parasceve toleratâ; *quia clavorum adhuc ferebant foramina*, inquit Euthymius. Ostendit eis in manibus ac pedibus manifesta clavorum vestigia, et in latere militaris lanceæ cicatricem; hoc enim Joannes addit: apertis vulneribus iisque recentibus, non sanguinolentis tamen aut ulcerosis, sed gemmarum instar lucentibus ac planè glorificatis; nec ostendit tantùm, sed et contrectanda obtulit. Non poterat aliud manifestius signum exiberi, quòd ipse qui appareret, ille esset Jesus, qui fuerat cruce interemptus, resumpto non alio, sed eodem numero corpore, redivivus, reliquis omnibus corporis lineamentis, coloribus, loquelâ, staturâ, gestibus, indiciis conspirantibus in effigiem et figuram Jesu consuetam. Ut porrò ipse obtulit, ita discipuli, haud dubium, contrectârunt ac palpârunt, Domino præsertim jubente atque urgente, ut dubitationem omnem animis expellerent. Hinc Joannes apostolus, 1 epist. 1, v. 1: *Quod perspeximus,* inquit, *et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.* Ex hoc igitur loco colligitur servâsse Dominum Jesum, à resurrectione, in manibus suis, pedibus ac latere, vulnera clavis crucis et lanceâ militis effecta; id quod manifestiùs etiam constat ex ipsius Jesu ad Thomam verbis, Joan. 20, v. 27: *Infer digitum tuum hùc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.* Quæ verba et hoc clarè intelligendum dant, quòd non cicatrices tantùm sive vestigia servârit Jesus, sed quòd ipsa etiam foramina vulnerum, quanquàm citra corruptionem ac deformitatem, quod diximus. Non enim relicta sunt, quòd ea Jesus curare non valeret, qui valuerat corpus suum mortuum resuscitare, sed ut, quod diximus, hoc argumento, discipulis suis, resurrectionis suæ veritatem faciliùs persuaderet. *Sic resurgere voluit*, inquit Augustinus, serm. 158 de Tempore, *ut quibusdam dubitantibus exhiberet in illâ carne cicatrices vulneris et sanaret vulnus incredulitatis.* Et Cyrillus, lib. 12 in Joannem, cap. 58: *Præter illud quod rerum conditio requirit*, ait, *propter utilitatem nostram, passionis notas retinuit, ut resurrectionis mysterium rectè intelligamus, non aliud corpus resurrexisse credentes, quàm quod cruciatu mortuum fuit.* Nec tamen persuasis jam et credentibus discipulis, ea vulnera Jesus abolevit, quod Calvinus asserere temerè audet, ut suo more novi aliquid adversùs antiquitatem proferat; sed *cœlo inferre maluit, ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet,* quod ait Ambrosius; *et angelis quoque ipsis virtutibusque superioribus monstraret,* quod Cyrillus; denique ut æternum victoriæ suæ circumferret triumphum. *Qui regna mortis destruxit, signa mortis oblitterare noluit*, inquit V. Beda. Nam quid mirum, si, quemadmodùm assumptæ pro hominibus carnis, ita toleratæ pro hominibus crucis, perpetuum velit gestare monumentum? Et perpetuò ante electorum oculos obversari pretium, quo redempti ad beatitudinem pervenerint, ut et in novissimo judicii die, reprobos, visis his stigmatis, pudefieri? quod ita fore imaginari, non esse stultum et inane delirium, quod Calvinus blaterat, docent, inter veteres Latinos, Augustinus, lib. 2 de Symbolo, cap. 8, et inter Græcos, auctor Operis imperfecti in Matth. 24, v. 30. Neque enim vulnera ista, vel corruptio sunt in incorruptibili, vel vitium in pulchro atque integro Jesu corpore: sed honor, decus atque perfectio corporis illius, maximo cum splendore ac gloriâ refulgentia, non jam vulnera, sed vulnerum vestigia, et victoriæ trophæa: de quibus sentiendum est, id quod de cicatricibus in gloriosis martyrum corporibus à resurrectione remansuris scribit B. Augustinus, lib. 22 de Civitat. Dei, cap. 20: *Non deformitas in eis, sed dignitas erit*; *et quædam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Non sunt deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia.*

Vers. 41. — Illis, arbitror non omnibus, sed tamen multis eorum. Quid enim obstabat, quominùs Petrus, Magdalena, discipuli Emmauntini, aliique quibus Dominus antea apparuerat, jam crederent?

Non credentibus, Jesum apparere, non spiritum.

Et mirantibus, sed mirantibus.

Præ gaudio, jungendum est cum *credentibus*, non cum *mirantibus,* quod ex Græco et Syro clarum est. Gaudium enim faciebat non ut mirarentur, sed ut non crederent. Ut mirarentur faciebat insoliti spectaculi novitas; ut non crederent faciebat gaudium conjunctum cum vehementissimo ipsius rei desiderio: quòd ita gauderent, ut tamen metu aliquo frustrationis, gaudium continerent, ne supra modum excresceret. Atqui gaudium non est nisi de bono cognito ac credito. Credere hoc loco accipit evangelista, pro firmâ persuasione, quâ quis certò credit aliquid, ut à Deo

mei visu simul et tactu vobis explorata sit. Nam illis, quibus in posterum tanquàm testibus credere debebant cæteri, voluit suæ carnis veritatem evidentissimâ veritate demonstrari, ut idem Augustinus, epistolâ 1, c. 1: *Quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt*, etc. Palpate ergo et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, non quomodolibet; nam verisimile est quòd et illa assumere possit; sed sicut me videtis habere, hoc est, non habet carnem et ossa vitaliter, et eo modo quo ego. Quod ut argumentum præbeat veræ resurrectionis in vero humano corpore, videtur discrimen corporis redivivi, et à spiritibus assumpti, visu, tactuque posse discerni, si non evidentiâ mathematicâ, saltem humanâ et morali qualis ab humanis sensibus expectari potest.

Vers. 40. — Et cum hoc dixisset, ostendit eis, id est, contrectandas præbuit, manus et pedes, habentes adhuc vera foramina clavorum, ut Euthym., Cyril. in Catenâ, et Beda. Unde, Joan. 20, Thomas jubetur etiam digitum inferre. Discipulos enim reverà contrectâsse, expressè dicit August., in Psal. 147, et lib. de Unit. Ecclesiæ, c. 10, quod ex verbis 1 Joan. 1, v. 1, jam citatis fit valdè verisimile.

Vers. 41. — Adhuc illis non credentibus, nempe præ gaudio, ut sequitur: nam istud cum verbo *non credentibus*, jungendum esse ex Græco et Syriaco perspicuum est, et ita legit August. in psalm. cit. Non

primâ veritate profectum. Vix dubitabant discipuli, imò persuasi erant, Jesum sibi apparere redivivum, eâque ex causâ gaudebant; nec tamen credebant, quia non ita certò persuasi erant, ut fide hoc apprehenderent. Cùm enim considerarent spectaculi novitatem, rapiebantur in admirationem, quæ necessariò secum affert dubitationis seu obscuritatis aliquid: et quanquàm id dubitationis libenter repulissent ab animis suis, gaudium tamen ipsiusque rei desiderium vehemens non permittebat, ne fortè postquàm certâ fide id credidissent, ac proinde immodico gaudio fuissent elati, tandem falsos se invenientes, gaudio illo suo miserè exciderent. Ita sæpè fit ut quod maximè optamus verum esse, et cujus probabilis consecutio nos lætos reddit, timeamus certò credere, ne fortè nos ipsos in falsum conjiciamus gaudium, quo, re tandem aliter compertâ, simus spoliandi. Ita ergo scribit Evangelista discipulos hìc non credidisse, ut indicet non fuisse obstinatè consultòque incredulos, sicuti qui in animum inducunt non credere: sed cùm eos ad cupidè credendum ferret voluntas, jamque non mediocriter gauderent, quòd probabiliter sibi viderentur credere posse, retractos fuisse ne certò crederent, metu majoris gaudii, quod ad summum utique excrevisset, si certò credidissent, amittendi. Non ergo perfectè credebant, sed summâ admiratione detinebantur, suspensi animis, et quasi secum ipsi dicentes: Quænam est hæc rerum conversio, ut dulcissimum Dominum nostrum, ex morte vivum, ex cruce salvum, ex sepulcro incolumem recipiamus? quàm beata hæc hora, quâ videre illud nobis datur? Sed quid si fallant sensus nostri, et quantùm nunc gaudemus, tantùm postea decepti tristemur? mira certè res est et insolita, mortuum resurrexisse.

Quod manducetur. Probabile est Dominum, ne turbaret discipulorum cœnam, in fine cœnæ apparuisse; et quamvis illi adhuc accumberent, quod Marcus ait, surrexisse tamen eos à mensâ, vel reverentiæ causâ, quando Dominum recognoscere cœperunt, ipseque ostendit eis manus ac pedes. Quare non mirum quòd rogaverit Dominus an haberent edulii quippiam: nam, quanquàm id sciret, imò videret fortassè quid restaret in mensâ, voluit tamen illud non ipse accipere, sed ab illis acceptum edere, ut eò forent certiores quid ipse comedisset, quò essent certiores quid comedendum ipse dedissent. Petiit ergo cibum non quòd esuriret (nec enim magis jam egebat cibo aut potu quàm angeli), sed ut addito argumento à comestione sumendo, fidem gaudiumque discipulorum perficeret, et quidquid dubitationis sive timoris reliquum erat, animis eorum eximeret. Nullum enim certius argumentum hominis, vivi, quàm cibum capere.

Vers. 42. — Partem piscis quæ ex cœnâ supererat, neque enim integri quid superfuerat: nam nihil ampliùs coxerat discipulorum frugalitas, quàm videretur esse necesse. Piscibus ferè vescebantur piscatores, quos vel gratis ex propriâ capturâ, vel exiguo pretio ab aliis, acquirere poterant: et quidem ferè assabant pisces, Joan. 6, v. 9, et cap. 21, v. 9; quòd ille modus coquendi, et facillimus esset, et sanissimus. Cùm ergo partem piscis Domino obtulerint, comedit ille ex eodem illo cibo ex quo ipsi comederant, ita ut societas convivii fuerit, et secum mutuò etiam jam manducaverint Dominus ac discipuli, ita ut eò constantiùs possent illi dicere: *Nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis,* Act. 10, v. 41.

Et favum mellis, Græcè, *et ex apiaro,* sive *melleo favo,* scilicet aliquid, id est mellis aliquid ex favo apiario collecti; vel, quod interpres vertit, *favum* melle plenum; nam in favis apes mel et producunt et recondunt. Victus tenuis et pauper frugalium discipulorum: cui addiderunt procul dubio etiam panem et potum. Non uno solo cibi genere, sed omni eo quod inter apostolos potuit reperiri, probavit Jesus suæ à morte vitæ veritatem.

Vers. 43. — Et cum manducasset. Versiculus iste paulò aliter, et quidem brevior, legitur Græcè ac Syriacè, in hunc modum: *Et sumens coram eis manducavit.*

Sumens, scilicet partem piscis et favum mellis sibi oblata. Latinus interpres subaudivit *reliquias.*

Coram eis, jungendum est cum *manducavit.* In conspectu eorum, ipsis sedenti circumstantibus, et manducantem attentè lætèque spectantibus. *Manducavit,* comedit ea, bibit quoque haud dubium. Non quòd esuriret aut sitiret, sed ut non spiritum, at verum ac vivum hominem se esse obstenderet;

credebant autem quòd verâ resurrectione à mortuis in vero suo corpore redivisset, quamvis spiritum Jesu sibi loqui jam crederent. Causa incredulitatis erat non obstinata voluntatis duritia, sed gaudii, et rei magnitudo, ne videlicet temerè rem tantam credendo, gaudio postea amisso miseriores fierent. Nam, ut August., ibid., optimè dicit, quæ multùm læta sunt, vix creduntur. Dubitatio quædam veluti tardiùs credentis, condit voluntatem tenentis. Necesse est ut homo plus gaudeat cùm venerit, quod desperatum est. Hinc ad ipsum gaudium quoque condiendum et augendum, noluit etiam se statim cognosci à discipulis euntibus in Emmaus. Ita August. Simile quid habemus Gen. 45, v. 26, de Jacob non credente Josephum vivere, quod maximè optabat. *Et credentibus,* præ rei novitate et magnitudine. Pulcherrimè autem docet S. Leo, serm. 1 de Ascens., Deum ideò hasce credendi hæsitationes, cunctationes ac dubitationes in apostolis permisisse, ne dubitaretur à nobis, ut tot videlicet ostensionibus roboraremur ad fidem. Discipulis igitur dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? in quo scilicet experimentum veri et vivi hominis præbeam? Et hæc humana et moralis, non metaphysica probatio est? Nam quo pacto homo inter homines se verum humanum corpus probet habere, nisi colore, figurâ, cicatricibus, carnium et ossium ostensione, tactu, sermone, esu et potu?

Vers. 42. — At illi obtulerunt ei partem piscis assi, ut qui piscatoribus familiaris esset, et ex cœnâ reliquus, et ideò partem, non integrum, et favum mellis. Mysticas utriusque cibi causas vide apud Greg., hom. 24 in Evangelia.

Vers. 43. — Et cum manducasset coram eis, circumstantibus, attentissimèque spectantibus. Vera fuit ista manducatio, quia vi corporis viventis, vivis instrumentis cibi comminutio, et in verum stomachum

non ut sedaret famem aut sitim, cui ampliùs obnoxius esse non poterat, sed ut comprobaret suæ vitæ veritatem, prout edere argumentum præcipuum est vitæ. *Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi, immortalibus corporibus auferetur,* inquit Augustinus, lib. 13 de Civit. Dei, cap. 22, et epist. 49, quæst. 11 : *Futuræ resurrectionis corpus imperfectæ potestatis erit, si cibos sumere non potuerit; imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit.* Denique, serm. 158 de Tempore : *Legitis quia manducavit Jesus, numquid legitis quia esurivit? Quòd manducavit, potestatis fuit, non egestatis. Si desideraret manducare, egeret; rursùs, si manducare non posset, minùs valeret.* Toto vitæ suæ mortalis cursu, edendi ac bibendi necessitati se subjecerat; nunc eâ necessitate exemptus, cibo in hunc solum finem utitur, ut suam discipulos resurrectionem doceat. Ita videmus ut Jesus, posthabito suî respectu, noster semper esse voluerit. Disputant hìc catholici quidam an concoctus fuerit cibus hic corruptibilis, an aliquod inde alimentum traxerit immortale Christi corpus, denique quid actum sit de excrementis; et respondent mansum ac comestum quidem verè fuisse, in stomachumque trajectum, sed nullum inde saginæ augmentum corpori accessisse (differre enim nutritionem à comestione), neque ulla excrementa producta, quòd simul atque trajectus esset in stomachum, divinâ Jesu virtute absumptus et in nihilum redactus fuerit, instar aquæ in ignem injectæ; quanquàm Calvinus impudenter, illis quidem quæstionum curiositatem, sibi verò responsionem ascribat quam ante hos omnes olim dedit inter Græcos Theophylactus, dùm in hunc locum scriberet his verbis : *Comedens divinâ quâdam virtute consumendo quod edebat;* et ante hunc inter Latinos Augustinus, epist. 49, ubi postquàm dixerat Christum post resurrectionem cibatum, et tamen in resurrectione ciborum indigentiam non futuram, subjunxit : *Aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius candens; illa indigentiâ, iste potentiâ.*

Reliquias dedit eis. Hoc etsi Græcè Syriacèque non legatur, non est tamen verisimile interpretem addidisse de suo; et facit, partim ut de comesti abs Jesu cibi veritate certiùs constet, cujus superfuerint reliquiæ, partim ut discipuli testari rursùs possint cibum cum Jesu redivivo sibi fuisse communem. Jam hìc subaudiendum est quòd, addito superioribus argumentis et signis etiam isto comestionis, Jesus modis omnibus satisfecerit discipulis suis, ita ut deinde citra omnem hæsitationem, ipsius resurrectionem læti crediderint firmissimè. Objiciat aliquis angelos humanâ formâ apparentes, etsi non homines essent, sed spiritus, comedisse ac bibisse. Exempla sunt, Genes. 18, v. 9, apud Abraham; Gen. 19, v. 3, apud Lot; Raphaelis denique apud Tobiam. Sed, præterquàm quòd comestio illa angelorum non fuerit naturalis actio viventium corporum, non dixerunt angeli homines se esse, nec in eum finem comederunt, ut hominibus dubitantibus homines se esse, non spiritus, persuaderent, prout Jesus fecit; quem etsi non singula argumenta æquè perfectè, simul omnia tamen quàm perfectissimè, confirmârunt, verè à mortuis resurrexisse, effigies, loquela, vulnera, tactus, esus, potus, progressus, conversatio, affirmatio, prædictio, miracula, testimonia angelorum, vaticinia denique prophetarum.

Vers. 44. — Et, pro *tunc*. Cùm jam sensibus eorum per omnia fecisset fidem, se non spiritum aut phantasma esse, sed verum ac vivum hominem eumdem quem ante viderant viventem et morientem; revocat eis in memoriam quòd hæc omnia quæ jam facta cernebant, ipsis diù antea prædixisset eventura, allatis in confirmationem veritatis Scripturæ sacræ testimoniis; ita ut nullâ jam ratione possent addubitare, postquàm eventum viderent consonare prædictioni et suæ et prophetarum.

Ad eos, undecim et eos qui cum illis erant, supra, v. 33.

Hæc sunt verba, etc., hæ sunt res, hæc sunt ea; notum est enim Hebraicè *verbum* pro transcendenti usurpari. Res istæ quas nunc videtis impletas seu peractas, nimirùm, passio, mors et resurrectio mea, sunt ea quæ locutus sum, vel sunt eæ de quibus locutus sum ad vos, vobis, potestis meminisse.

Cum adhuc essem vobiscum, cùm adhuc mortalis vobiscum mortalibus familiariter conversarer. Sic D. Augustinus exponit, tract. 64 in Joannem. Jam enim, commutatâ vitâ mortali cum immortali, non erat ipsius cum mortalibus conversari, et, si quando discipulis suis appareret, fiebat id dispensatoriè, ad probandam carnis resurrectionem, minimè verò continuè, familiariter, et quemadmodùm ante mortem consueverat, cum illis agebat; idcircò dicit se jam non esse cum ipsis.

trajectio, non tamen vera nutritio; vel in corpus ejus conversio, nec ex egestate seu esurie, sed potestate facta. Nam, ut August., epist. 49, quæst. 1, futuræ resurrectionis corpus imperfectæ potestatis erit, si cibos sumere non potuerit, imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit. Sed aliter absorbet aquam terra sitiens; aliter solis radius candens. Quibus verbis cibum ab immortali corpore manducatum statim consumi indicat, non in corpus verti. Porrò nulla in hâc manducatione mentio benedictionis, ut intelligeremus fuisse manducationem communem. Benedictio autem comestioni nunquàm à Christo adhibita legitur, nisi ad miraculum. Vide dicta v. 30. Et sumens reliquias, dedit eis, tum ut certiùs de comestionis veritate constaret cujus reliquias habuissent; tum ut testes essent se cum redivivo comedisse. Nam hic impletum videtur id quod Petrus ait, Act. 10, v. 41, Jesum manifestatum, *non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis.*

Vers. 44. — Et dixit ad eos. Hic duo gravissima adjungit suæ resurrectionis testimonia, prædicationem scilicet suam, quam eis ad memoriam revocat, et vaticinia prophetarum : Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, id est, hæc quæ contigerunt, et ipsi vos experti estis, de meâ passione, morte, sepulturâ, resurrectione, sunt ipsissima illa, quæ diù prædixi vobis, si recordamini. Cum adhuc essem vobiscum, in carne scilicet mortali, consortio infirmitatis humanæ, in quâ estis et vos, inquit August., tract. 64 in Joan., et Greg., hom. 24 in Evang. Unde nihil est hoc contra præsentiam Christi in sanctissimâ Eucharistiâ. Quo-

Quoniam necesse est, cùm dicerem quòd necesse esset.

Scripta, prædicta.

In lege Moysi et prophetis et psalmis. Supra, v. 27, Matth. 5, v. 17, et alibi, divisit Salvator sacros libros in Moysen seu legem et prophetas ; psalmos et cætera agiographa nomine prophetarum comprehendens : hìc dividit in legem Moysi, prophetas, et psalmos, quemadmodùm Hebræi dividere solent in legem, prophetas et agiographa. Inter quæ agiographa, ut psalmi Davidis primum obtinent locum, ita tum plures, tum clariores de Christo prophetias continent.

De me ; scatet enim tota Scriptura vaticiniis de Christo, utpote qui finis, scopus, et anima illius sit. Porrò versiculi hujus sententia est : Res quas jam circa me factas videtis, experientiâ vos docente, passio, mors, resurrectio, non debent videri vobis novæ aut inopinatæ, cùm sint eæ de quibus ante mortem frequenter prædixi vobis (potestis recordari) prædictas esse Scripturis sacris, ac proinde omninò eventuras.

Vers. 45. — Tunc, ut viderunt verum id esse quod dicebat, nempe, res circa se factas et etiamnùm faciendas, cùm à se, tum à sacris Litteris prædictas fuisse.

Aperuit, illustravit, illuminavit, divinâ virtute suâ.

Illis sensum, mentem. An usus sit certis verbis, utpote : *Accipite Spiritum sanctum*, qualibus Joan. 20, v. 22, ad aliam facultatem dandam : an verò sic reipsâ illustrârit mentes eorum, ut nihil dixerit, solâ usus invisibili potentiâ suâ ; incertum relinquitur.

Scripturas sacras. Scripturæ difficiles sunt intellectu, tum ob profunditatem earum, tum ob tenebras humanæ mentis, non assequentis mysteria Dei. Necesse est igitur, ut Deus mentem illustret, quemadmodùm hìc illustravit mentes apostolorum, ut intelligerent Scripturas ; eas præsertim quas jam ipsis, sicut mox discipulis Emmauntinis, proferre decreverat, prout narratur sequenti versu ; quas non perinde intellexerant ante passionem ejus, etiam ab ipso productas. Aperuit ergo illis mentem, quantùm opus fuit pro tempore, ut de Scripturis disserentem cum fructu audirent, et doctrinam anteà auditam cum profectu in memoriam revocarent, intelligerent denique quâ ratione eventa cum prophetiis convenirent. Nam plenam eorum illuminationem, et perfectum Scripturas intelligendi donum distulit in diem Pentecostes ; quod ita tunc ipsis datum fuit, ut omni remoto velo, Christum in lege et prophetis clarissimè conspicerent. Cæterùm non ita divina illuminatio suggerit intelligentiam Scripturarum, ut id faciat, nullo ab homine adhibito studio, conatu aut labore : id si apostolis concessum fuit, quod non credo semper eis concessum, nominatim verò scribentibus, non est cuivis exspectandum, sed tamen, omni etiam adhibito conatu, præcipuum à sacro Spiritûs sancti lumine petendum ; cujus, utinam, participes nos fieri possimus.

Vers. 46. — Et, apertis jam sensibus eorum.

Quoniam superest.

Sic scriptum est. Significatur protulisse certa Scripturæ loca ; verbi gratiâ, dixit : Scriptum est per Isaiam prophetam : *Sicut ovis ad occisionem ducetur*, Isaiæ 53, v. 7. Scriptum est item in Psalmis : *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea*, psal. 21, v. 17.

Et sic, sicut his locis scriptum est, oportebat, necessitate consequentiæ, ut dialectici loquuntur, nimirùm ut satisfieret divino consilio his Scripturæ locis declarato.

Pati mortem, et quidem mortem crucis, quemadmodùm jam evenit.

Et resurgere. Scriptum est : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, psal. 15. v. 10. Rursùs scriptum est Jonam à balenâ devoratum, tertio die evomitum fuisse, Jon. 2, v. 1, 11. Secundùm has Scripturas, oportebat Christum resurgere à morte, idque tertio die, prout jam videtis accidisse.

Vers. 47.—Et deinde, prædicari, scilicet oportet.

In nomine ejus, vice ejus, jussu ejus, ex delegatione ejus. Munus enim prædicandæ pœnitentiæ, quod Christus primus inchoaverat, Matth. 4, v. 17, à resurrectione suâ commisit aliis. Unde Apostolus : *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*, 2 Cor. 5, v. 20.

Pœnitentiam, conversionem à viis malis ad Deum, ut homines detestati idololatriam, avaritiam, impudicitiam, et cætera vitia, ad Deum se convertant. Nam et hoc scriptum est prædicandum in nomine Christi hujusmodi pœnitentiam, vel illo Jeremiæ loco : *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos : et post hæc mittam eis multos venatores, et venabuntur eos;* Jerem. 16, *v.* 16.

niam necesse est impleri omnia, etc. Deus enim, qui illa prædixit, non potest falli. Quæ sunt scripta in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me. Ubi Christus sequitur usum Hebræorum veterum, qui libros sacros dividebant, teste Hieron., in Prologo galeato, in legem, prophetas et agiographa, sub quibus inprimis continentur Psalmi : alioqui Psalmi subinde comprehenduntur sub prophetis, ut supra, vers. 27.

Vers. 45. — Tunc aperuit illis sensum, id est, mentem, ut est Græcè ; cor scilicet intùs illuminando, ut nunc tandem eventuum cum Scripturis, quas sæpè audiverant, consonantiam animadverterent, et intelligerent et gustarent. Quo datur intelligi, Scripturarum intelligentiam esse Spiritûs sancti donum. Apertis igitur sensibus discipulorum.

Vers. 46. — Dixit eis : Quoniam sic scriptum est ; quâ loquendi formulâ indicatur eum protulisse diversa Scripturæ loca ; quasi dixisset : Sic scriptum est per Isaiam, sic per Jeremiam, sic in psalmis : Et sic oportebat Christum pati, prout scilicet hæc et ista loca vaticinantur. Nimirùm Christus, ne quid fallaciter cum carnalibus discipulorum sensibus egisse putaretur, majore documento Scripturarum eos de veterum librorum testificatione formavit, ut August. notat, 4 contra Faustum, c. 2, et lib. de Unit. Ecclesiæ, cap. 10. Nam, ut idem ait tract. 2 in Epist. Joan., firmitas fidei in eo est, quia omnia quæ evenerunt in Christo prædicta sunt.

Vers. 47. — Et prædicari in nomine ejus, id est, vice, jussu, et auctoritate ejus, pœnitentiam. Nam et

Et remissionem peccatorum, scilicet prædicari in nomine ejus, id est, per meritum ejus, tanquàm redemptoris et mediatoris Dei et hominum, obtinendam scilicet ab agentibus pœnitentiam. Sic enim scribit Isaias, cap. 53, v. 11 : *Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit et saturabitur; in scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit.*

In omnes gentes, ad, seu per omnes mundi nationes, tam Græcos quàm Judæos. Hìc demùm clarè aperit Christus, quod hactenùs ferè celaverat, redemptionis à se allatæ gratiam, omnibus communiter gentibus patere; et ad hoc quoque ex Scripturâ ostendendum, potuit attulisse psalmum 21, v. 28 : *Convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium*; psalmum 2, v. 8 : *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ;* Isaiam, cap. 49, v. 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Incipientibus, scilicet iis quibus prædicandi cura mandabitur, prædicatoribus. Interpres enim Græcè legit genitivum pluralem ἀρξαμένων, pro accusativo singulari ἀρξαμένον, qui hodiè legitur, et vertitur ab aliis *incipiendo*, ab aliis *initio facto*. Syrus scribit *et exordium erit.*

Ab Jerosolyma. Nam et hoc fore prophetæ prædixerant, predicationem Evangelii Christi, exordium sumturam ab Jerusalem ; nominatim Isaias cap. 2, v. 3, et post eum Michæas, cap. 4, v. 2 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem*, etc. Rursùs Isaias, cap. 60, v. 1 : *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est*, etc. *et ambulabunt gentes in lumine tuo*, etc. Incipere autem debuit Evangelii prædicatio ab Jerusalem, primùm, quia in eâ civitate gesta fuerant præcipua omnia quæ prædicanda erant, deinde quia metropolis erat Judæorum, quibus gratia Salvatoris primùm erat offerenda, eò quòd in patribus promissiones factæ fuerant ipsis, non gentibus, ipsique juxta fœdus cum Abraham initum olim adoptati fuerant in populum Dei ; denique, quia, cùm esset Jerusalem regia Davidis civitas, oporteret Christum Davidis successorem ab eâ incipere restaurationem regni, et ex eâ egredi ad subjugationem omnium gentium. Superiora igitur omnia à prophetis fuisse prædicta, ac proinde evenire debuisse aut certè adhuc debere, mente à Christo illustratâ apostoli jam clarè intellexerunt, et undequàque ipsorum animis fuit satisfactum.

Vers. 48. — Vos autem, apostoli mei præsertim. Quamvis sic scribat evangelista, ut hic versiculus cohæreat præcedenti, ab eoque dependeat, videtur hic tamen ad diem Ascensionis pertinere, potiùs quàm, ut præcedens, ad Resurrectionis ; nec enim hactenùs meminit Evangelista nisi primi diei Resurrectionis ; si consideretur initium Actorum apostolicorum, ubi Evangelista latiùs narrat hoc idem, quod hìc breviùs. Injungit hìc autem Christus apostolis officium, quod ipso in cœlum assumpto obire deberent.

Testes, prædicatores, annuntiatores, apud omnes gentes.

Estis à me ordinati seu delegati. Vel præsens est loco futuri, quo utitur evangelista, act. 1, v. 8 : Et eritis mihi testes. Nondùm enim eos ad promulgandum Evangelium ablegat, sed admonet quò eos destinaverit, ut se præparent.

Horum omnium, quæ de me prædicanda erunt. Ac si dicat : Prædictum est Evangelium prædicandum per totum orbem ; hoc munus vos implebitis, hæ erunt partes vestræ. Vos eritis illi qui per omnes gentes prædicabitis passionem, mortem ac resurrectionem peccatorum in nomine meo, consentaneè vaticiniis prophetarum. Sic enim se ipse explicat evangelista, ubi ait, Act. 1, v. 8 : *Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.*

Vers. 49. — Et, quò autem idonei ad hoc reddamini, qui ex vobis impares tanto oneri estis, scio.

Ego mitto, brevi mittam, proximo die Pentecostes, promissum Patris mei, id quod Pater per prophetas et me promisit, id est Spiritum sanctum. Dicens : Pater promisit, ego mittam, significat se Patri æqualem, dùm in se recipit munus præstandi id quod promiserat Pater. Promiserat autem Pater Spiritum sanctum,

ipse pœnitentiam prædicare præcepit, et in hoc ipso ejus auctoritate usi sunt, juxta illud Apost., 2 ad Corinth. 5 : *Pro Christo legatione fungimur, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Et remissionem peccatorum, veluti fructum pœnitentiæ, ut passionis Christi et resurrectionis accipiendum. Nemo enim potest benè agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam, inquit Ambr., lib. 1 de Pœnit., c. 1. In omnes gentes, id est, per omnes nationes, prout tam Judæos quàm gentiles comprehendit. Nam hoc explicat, addendo : Incipientibus, prædicatoribus, ab Jerosolyma, juxta vaticinium Isaiæ c. 2 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Porrò sæpè observat. August., ut videre licet lib. de Unit. Ecclesiæ, tract. 2 in Epist. Joan., et in psalm. 147, his Christi verbis totum Christum esse expressum. Nam, cùm dixit : « Necesse est impleri omnia, quæ « scripta sunt de me, et sic oportebat Christum pati, » etc., designavit semetipsum, tanquàm Ecclesiæ suæ seu corporis sui caput et sponsum, per quem acciperetur remissio peccatorum ; illis verò : *In omnes gentes incipientibus ab Jerosolymâ*, designavit, ubi corpus capitis illius, hoc est, ubi sponsa sua seu Ecclesia sua catholica quærenda sit, in quâ illa remissio peccatorum acciperetur, nempe non in parte aliquâ, ut de illâ dicatur, ut hæretici dicunt : *Ecce hìc, et ecce illic,* sed in omnibus gentibus diffusa ; cujus fides ab Jerusalem exordium sumpsit, et paulatim totum orbem occupavit. Nam et hoc ad veram Ecclesiam discernendam certissimum signum est.

Vers. 48. — Vos autem testes estis horum. Ubi designat quod sit officium apostolorum futurum, nempe testificari ea quæ oculis suis viderant, mortem et resurrectionem Christi ; idque in Jerusalem, et in omni Judæâ, Samariâ et usque ad ultimum terræ, ut dicitur, Act. 1, v. 8. Unde videntur hæc verba, licèt à Lucâ hìc subjuncta, spectare ad diem ascensionis. Ut autem tanto muneri sitis idonei.

Vers. 49. — Ego mitto, id est, brevi in Pentecoste missurus sum, promissum, Græcè, ἐπαγγελίαν, *promis-*

olim per prophetas : Isaiam, cap. 44, v. 3; Ezechielem, cap. 36, v. 26; Joelem, cap. 2, v. 28 : *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*, etc. Non ita pridem per Filium suum, Joan. 14, v. 16 : *Ego rogabo Patrem meum, et alium Paracletum dabit vobis*; et v. 26 : *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*; denique, cap. 15, v. 26 : *Quem ego mittam vobis à Patre.*

In vos, Græcè, *super vos*, ad illuminandos, docendos, roborandos adversùs obstacula omnia.

Vos autem, *qui nunc timidi et parùm fidentes estis*, quod ait Theophylactus.

Sedete, manete ab hoc die deinceps. Syrus, *exspectate.* Constat non ante diem ascensionis hoc dictum fuisse : ante enim liberum eis fuerat abire in Galilæam aliòque quò vellent.

In civitate, scilicet Jerusalem, quod additur Græcè et Syriacè. Id clariùs effertur Act. 1, v. 4 : *Præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris.* Decreverat enim Jerosolymis dare, quem à Patre promiserat, Spiritum sanctum; prout dedit, quod legitur Act. 2 : *Sicut milites invasuros multos, nemo dux exire sinit, donec armati sint,* inquit Chrysostomus in Catenâ, *sic et discipulos, ante Spiritûs descensum, ad conflictum egredi non permittit.*

Quoadusque. Non dicit quando, ut jugiter desiderent, vigilent, et paratos se teneant.

Induamini, Græcè, induti fueritis, vestiti, instructi undequàque virtute, Græcè, fortitudine, robore, ex alto, è cœlo; *virtute non humanâ, sed cœlesti,* inquit Theophylactus, accepto nimirùm è cœlis promisso illo Patris. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos,* ait Act. 1, v. 8. Est autem Hebraica phrasis, indui virtute seu robore, qualis frequens sacris Litteris. Psal. 131, v. 9 : *Sacerdotes tui induantur justitiam.* V. 18 : *Inimicos ejus induam confusione.* Psal. 108, v. 8 : *Induit maledictionem sicut vestimentum.* Coloss. 3, v. 10 : *Induentes novum, eum,* etc. V. 12 : *Induite vos ergo viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem,* etc. Significat hæc phrasis rem aliquam habere ac possidere instar vestis, quæ sic totum hominem occupet, ut nihil contrarium aut alienum ab eâ in eo conspiciatur, quemadmodùm vestis totum tegit protegitque corpus. Ad hunc modum induti fuêre apostoli die Pentecostes cœlesti robore, dùm non tantùm nihil ampliùs infirmitatis aut timiditatis in eis appareret, ad testificandam et propagandam fidem Christi, verùm insignis constantia, instructa omnigenis facultatibus, tanquàm armis, quibus et se defendere, et adversarios superare possent. Redditi sunt fortes et invicti adversùs omnes terrores; datum est eis os et sapientia cui nulli adversarii resistere aut contradicere possent, supra 21, v. 15; muniti denique sunt virtute edendorum miraculorum, quibus hostem tantùm non prosternerent. *Induamini,* inquit Euthymius, *in modum armaturæ, virtute, ex alto cœlo;* et Theophylactus : *Non dixit accipiatis, sed induamini, declarans omninò custodiâ spiritualis armaturæ muniendos.* Cùm ergo infirmi per se essent apostoli, monet eos Christus ne priùs prodeant ad prædicandum Evangelium, quàm Spiritu sancto essent roborati. Promittit autem eis tantùm animi robur ad exequendum commissum munus, quantùm nullâ parte deficiat, nullis laboribus, molestiis, minis, aut periculis cedat, sed obstacula omnia viriliter superet, et de adversariis victoriam reportet.

Vers. 50. — Eduxit, ex vi hujus vocis colligere possis, quòd Dominus Jesus suos sit comitatus, conspicuus quidem ipsis, sed aliis invisibilis; comitatus, inquam, saltem aliquos (nec enim sine excitatione turbæ, potuissent omnes simul eâdemque viâ exire) loco cæteris indicto.

Eos, scilicet undecim, et eos qui cum eis erant, ex v. 33; non tamen omnes credibile est, sed quos idoneos judicavit; citra dubium autem, ipsos undecim, qui præcipui futuri erant testes, ut resurrectionis, ita etiam ascensionis. Sicut enim redivivus, non ab hominibus promiscuè conspici voluit, sed duntaxat à *testibus præordinatis à Deo,* teste Petro, Act. 10, v. 41; ita non quoslibet sui ascensûs in cœlum spectatores admisit, quia hoc fidei mysterium, Evangelii præconio cognosci magis quàm oculis cerni volebat.

Foras, extra Jerusalem. Ex cæteris evangelistis cum isto collatis, intelligitur istud, non primo resurrectionis Jesu die, sed quadragesimo accidisse, ut dictum est : et primo quidem die Jesum apostolis Jerosolymæ apparuisse, sed inde profectis in Galilæam, prout Jesus ipse præscripserat, sæpiùs illic, dùm fluerent dies quadraginta, visum : tandem verò è Galilæâ reversis Jerosolymam (illìc enim volebat suos expectare Spiritûs sancti adventum, et ordiri prædicationem Evangelii), die quadragesimo præsentem se

sionem Patris mei in vos, id est, Spiritum sanctum, quem et olim Pater meus per prophetas, et nuper per os meum promisi me missurum, ad vos docendos et roborandos. Vos autem sedete in civitate, id est, deinceps manete in Jerusalem, quod Græcè additur; nam inde lex seu prædicatio evangelica misso Spiritu sancto incipere debebat. Quoad usque induamini virtute ex alto, id est, donec fortitudine animi cœlitùs per Spiritum sanctum afflatâ roboremini, ablatâ pristinâ illâ infirmitate ac timiditate testificandi nomen et fidem meam. Explicantur ista verba clariùs Act. 1, v. 4 et 8.

Vers. 50. — Eduxit autem eos, saltem apostolos, illis quidem conspicuus, cæteris verò Judæis invisibilis; foras, nempe extra Jerusalem, idque in ipso, ut videtur, die Ascensionis; in Bethaniam, ubi erat domicilium Magdalenæ et Marthæ. Proinde videtur ex Bethaniâ postea in montem Oliveti, unde ascendit, reversus esse; nam iste mons erat medio circiter itinere inter Jerusalem et Bethaniam. Et elevatis manibus, non in cœlum, per modum precantis, sed super eos quibus benedictionis gratia erat impertienda : nam ille erat antiquus benedicendi ritus, ut patet Levit. 9, v. 22, sicut et nunc fit adhibito signo crucis, tanquàm fonte omnis nostræ benedictionis. Quæ cæremonia ab apostolicâ manavit traditione, et fortassis ab hoc ipso facto Christi, ut non solùm recentiores aliqui sentiunt, sed etiam S. Hieron. in v. 19, c. 66, Isaiæ, ubi dicit quòd hoc signum, *tau*, nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in frontibus nostris posuit. Benedixit eis, tanquàm sa-

rursùs Jerosolymæ exhibuisse; id quod hic tacitè indicatur, dùm dicitur *eduxisse illos foras*. Ascensurus in cœlum, egreditur civitate Jerosolymorum, ut evitet turbam, à quâ, nec suum ascensum, nec discipulorum ascendentem aspicientium conventum, videri voluit.

In Bethaniam, Græcè, usque ad Bethaniam, ut scilicet postremùm ante abitum inviseret fidelissimos charissimosque discipulos et hospites, Mariam, Martham, Lazarum, aliosque suos, qui illic poterant jam agere.

Et, è Bethaniâre versus ad vicinum montem Olivarum. Bethania Jerosolymis distabat quindecim stadiis: medio itinere situs erat mons Olivarum, ex quo (quod Act. 1, v. 12, Lucas dat intelligendum), ac proinde non ex Bethaniâ, Jesus ascendit in cœlum, ut unde ad subeundam crucis ignominiam profectus fuerat, inde ascenderet ad cœlestem gloriam, monte utens quasi gradu ad ascendendum in cœlum. Nam, etsi potuit quocumque ex loco etiam humillimo ascendere, fecit tamen humano more; ut quantùm terrâ gradiendo et cum discipulis colloquendo ascendere poterat, ascenderet, nec miraculo, quamdiù natura servire poterat, uteretur.

Elevatis manibus. Veterem fuisse morem ut benedictio fieret manibus elevatis, constat ex Levit. 9, v. 22. *Elevatis* autem, non in cœlum, habitu precantis Deum, sed super eum qui esset benedicendus, habitu quasi impartientis et infundentis benedictionis gratiam; quemadmodùm ex illo Levitici loco fit manifestum: *Et extendens* (Aaron) *manus ad populum, benedixit ei.* Si tamen unus solus benediceretur, sæpè hoc observabatur ut manus, non elevarentur tantùm super eum, verùm etiam imponerentur capiti ejus, Gen. 48, v. 14; Marc, 10, v. 16. Eadem cæremonia adhuc hodiè in more est apud nos Christianos ut ad benedictionem manus eleventur, sed addito signo crucis, quæ fons nobis est omnis benedictionis; id quod ita, ex usu et traditione apostolorum Domini, ad hæc usque tempora mânasse, certum est. Et ego quidem, post Dionysium Richelium et Didacum Stellam, non contemnendos auctores haud gravatè crediderim, etiam ab ipso Christo manâsse, et apostolos ab ipso Christo didicisse, denique primùm Christum, crucis signo in aere elevatâ manu formato, apostolis suis hìc benedixisse; id quod inter recentiores etiam credit vir doctissimus Franciscus Suarez scribens in D. Thomæ p. 3, q. 58, a. 4, disp. 52, sect. 2. Quin et ipse D. Hieronymus opinioni huic favet, dùm exponens illud Isa. 66, v. 19: *Et ponam in eis signum,* sive, juxta Septuaginta, *dimittam super eos signum,* et postquàm multa de signo dixisset, subjungit tandem: *Hoc nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in nostris frontibus posuit, ut liberè diceremus: Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Hæc Hieronymus. Et quid mirum, crucis signum formâsse, et suis commendâsse Christum dùm ascenderet, qui crucis notas in manibus pedibusque relictas cœlo inferebat; id supra, v. 40, docuimus: quippe quæ omnis, et suæ gloriæ, et suorum fidelium benedictionis, una esset scaturigo? Adhibuit porrò hanc elevatarum manuum cæremoniam, ut benedictionis verba penitiùs discipulorum memoriæ imprimeret.

Benedixit eis. Legimus, sub lege naturæ, Patriarchas Isaac et Jacob sub mortem benedixisse filiis suis, Gen. 27 et 49; sub lege et naturæ et Mosis, sacerdotes populo benedixisse, Gen. 14, v. 19; Num. 6, v. 23. Quocirca Christus auctor legis gratiæ, pater et sacerdos Ecclesiæ, abiturus ex hoc mundo, benedixit suis, ostendens benedicendi munus suum verè ac propriè esse; se enim eum esse per quem Deus Pater hominibus benedicat. *Benedixit* autem *eis benedictione spirituali,* quam vocat Apostolus, Ephes. 1, v. 3; precatus est eis, in fide et vitâ Deo dignâ constantiam, atque in oratione perseverantiam, quâ fierent idonei accipiendo Spiritui sancto; nec precatus tantùm, sed et largitus est, cujus ut dicere facere, ita benedicere benefacere est. *Benedicit discipulos,* inquit Theophylactus, *fortassis infundens eis vim, quæ custodiret usque in adventum Spiritûs: fortassis etiam nos docens, cùm peregrè proficiscimur, ut commendemus nos* (credo legendum *nostros*) *supernis benedictionibus.*

Vers. 51. — Et factum est subitò, ipsis nihil tale exspectantibus, interea dum benediceret illis, dùm benedictionem non dùm absolvisset; recessit, Græcè, disjunctus, separatus est corpore ab eis videntibus et admirantibus. Hinc intelligitur benedictionem à Christo, loco valedictionis fuisse adhibitam. Nam anteà quidem prædixerat se ascensurum ad Patrem; sed nunc cùm ascendere vellet, noluit id aperire disertis verbis, priusquàm reipsà monstraret, ne fortè discipuli audientes jam abire Dominum, tristitiâ occupati in lacrymas solverentur, et valedicere singuli desiderantes, in collum Domini procumbere, eumque osculari, aliaque hujusmodi eo rerum statu indigna admittere conarentur, quos noverat nullâ tristitiâ afficiendos, quando ipsum visuri essent ascendentem.

Et, nempe enim, ferebatur in cœlum. Græcè, sustollebatur, sursùm ferebatur, id est, sursùm movebatur; non enim ferebatur aliorum manibus, sed ascendebat, idque non volantis more, aut gradientis, at ita ac si aliorum manibus gestatus, et paulatim sursùm portatus fuisset; non enim mox è conspectu discipulorum sublatus fuit. *Ferebatur* autem viâ rectâ, quamdiù quidem ab apostolis videbatur, idque facie ad occidentem versâ, quod ii qui loca sancta visitârunt docent ex iis quæ etiamnùm supersunt ultimis vestigiis pedum ejus patet, quæ ascensurus petræ veluti ceræ impressit, et adhuc ibi cerni dicuntur.

cerdos ab illis abiturus. Quæ benedictio non inanis fuit, sed vim dedit, quæ eos usque ad adventum Spiritûs sancti custodiret.

Vers. 51. — Inter benedicendum autem recessit ab eis, et ferebatur in cœlum, non disparendo seu evanescendo, ut in cæteris apparitionibus, sed paulatim sursùm se attollendo, illis videntibus, donec tandem nubes eum secluderet ab oculis eorum, ut narratur Act. 1, vers. 9. Faciem habebat versùs occidentem, sicut ex ultimis vestigiis pedum ejus patet, quæ ascensurus petræ veluti ceræ impressit, et adhuc ibi cerni dicuntur.

giis pedum Domini, quæ ascendens petroso monti, memoriæ causâ, impresserat, teste inter alios auctore libri de locis Actorum apostolicorum, inter D. Hieronymi opera; quanquàm quod ex apostolicâ traditione refert Damascenus, lib. 4 de orthod. Fide, cap. 13, ascenderit ad ortum, id est, ex monte Oliveti in oriente sito.

Vers. 52. — Adorantes. Græcè, postquàm adorâssent eum, quo modo est etiam Syriacè. Aspexerunt fixis oculis euntem in cœlum quamdiù potuerunt, donec scilicet *nubes suscepit eum ab oculis eorum,* et angeli admonuerunt eum non ampliùs corporeis oculis requirendum, donec redeat ad homines judicandos; Act. 1, v. 9, 10, 11. Quod ubi intellexerunt, et reipsà sic esse viderunt, adoraverunt, prostrati seu inclinati reverentiæ causâ in terram (id enim notat vox adorandi), jam remotum à suis oculis et in cœlum assumptum, tanquàm Dominum suum et Deum suum, tanquàm eum qui jam modis omnibus probâsset se Filium Dei vivi. Tantùm abest ut quidquam ultra dubitârint de ejus sive resurrectione sive majestate, ut longè majore reverentiâ cœperint eum colere, quàm dùm ejus consuetudine in terrâ fruerentur; non jam ut præceptorem duntaxat aut Prophetam, aut Messiam dimidiâ ex parte cognitum, sed ut Regem gloriæ mundique Dominum, cui data esset potestas omnis in cœlo et in terrâ, ut reipsà jam probatum Filium Dei vivi, quem ante solâ fide confessi fuerant. *Adoraverunt,* inquit Beda, *discipuli in loco ubi steterunt novissimè pedes ejus,* alludens ad psal. 131, versu 7.

Regressi sunt, acti fiduciâ accipiendi promissum Patris, in Jerusalem, prout Dominus jusserat supra, v. 49, et quidem eamdem in domum idemque cœnaculum, Act. 1, v. 13; nec enim fas erat eos distrahi, *donec induti essent virtute ex alto.*

Cum gaudio magno. Licèt Dominum ex oculis amisissent, tamen tantùm abfuit ut tristitiâ ob id affecti fuerint, ut contra maximo repleti fuerint gaudio, tum quòd congratularentur gloriæ Domini sui, quem suis oculis conspexerant gloriosè ascendere in cœlum, tum quòd certissima de Jesu fide essent aucti, postquàm ea omnia quæ ille prædixerat vidissent feliciter impleta, nec minùs certâ spe, fore, ut ea etiam quæ ipsis promiserat evenirent, et inter cætera, ut brevi quidem acciperent promissum Patris, et induerentur virtute ex alto, supra, v. 49; tandem verò assumerentur ad ipsum in cœlum, Joan. 14, v. 3: *Et si abiero et præparavero vobis locum, iterùm venio et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.* Certa fides excutiebat omnem mœrorem; spes promissorum certa addebat alacritatem; nimirùm, ubi carne se subduxerat Dominus, spiritu cœpit eis adesse, ita ut solido gaudio afficerentur, et tunc demùm sentirent, quàm verè prædixisset Dominus, expedire ut carne abiret, Joan. 16, v. 7.

Vers. 53. — Et, ab eo tempore, interea dùm expectarent promissum Spiritum sanctum. Quia Lucæ propositum erat longius historiam producere, ideò breviter solummodò dicit, quid egerint apostoli, ab Ascensione Domini usque ad acceptum Spiritum sanctum.

Erant semper, id est, quotidiè, horis opportunis. Non quòd noctes diesque illìc transegerint, sed quòd frequentârint omnes conventus, statisque et solemnibus horis, *temporibus videlicet quibus congregari solent,* ait Euthymius; adfuerint ad gratiarum actionem Deo reddendam. Hæc porrò alacritas timori opponitur, qui priùs clausos et latentes domi detinuerat.

In templo, non ita ut priùs formidantes Judæos. *Nondùm Spiritus,* inquit Theophylactus, *et spiritualiter vivunt: qui enim priùs inclusi erant, nunc inter medios pontifices vivunt.* Act. 1, v. 13, dicitur *reversos à monte Oliveti in cœnaculum ascendisse, et illìc mansisse, et fuisse perseverantes unanimiter in oratione;* non quòd in cœnaculo delituerint, nec ausi fuerint exire in templum, sed quòd illo in cœnaculo simul habitantes, donec advenisset Spiritus sanctus, sive domi sive foris essent, totos se dederint laudando et orando Deo, ut digni fierent Spiritu sancto quem expectabant; foràs cùm prodirent, non aliò quàm in templum exibant.

Laudantes, privatim singuli apud se, donec accepto Spiritu id palam publicèque agerent. Nondùm prædicandi tempus advenerat, ad quod officii majori cum miraculo erant extrudendi.

Benedicentes, id est, gratias agentes, ob Christum scilicet juxta promissiones patribus factas missum, et ipsis peculiariter revelatum, cum communione summorum bonorum, qualia per Christum promissa fuerant; orantes perfici in se quod cœptum fuerat, et Spiritum sanctum in se infundi, quo instructi abirent prædicatum in nomine Jesu pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, prout Jesus ipsis mandaverat, supra, v. 47. Dùm ergo proximum exspectant Spiritum sanctum, veris exercitiis quæ pietatem decent toti operam impendunt. *Inter laudum*

Vers. 52. — Et ipsi adorantes Christum jam nubibus susceptum in cœlum, juxta mandatum Domini, regressi sunt in Jerusalem; idque cum gaudio magno, de glorificatione scilicet Domini sui, juxta illud Christi: *Si diligeritis me, gauderitis utique, quia ad Patrem vado,* itemque de imminente adventu Spiritûs sancti, cujus effectus jam prægustaverant.


Vers. 53. — Et erant semper in templo, omni scilicet die temporibus opportunis, laudantes et benedicentes Deum, quia Christum suum glorificâsset, et ejusdem gloriæ spem sibi dedisset. Quæ verba nonnulli referunt ad tempus quo jam acceperant Spiritum sanctum; nam Lucas similiter, Act. 2, v. 46, et Act. 3, v. 1, narrat apostolos perdurâsse unanimiter in templo. Quibus favet quòd ante adventum Spiritûs sancti insinuetur apostolos domi in cœnaculo mansisse. Theophyl. tamen, Beda et alii valdè verisimiliter putant hæc contigisse statim post ascensionem, etiam ante Pentecosten, quod series narrationis videtur postulare. Nec enim cogit illa Scriptura Act. 1, ut semper domi in cœnaculo delituisse credantur.


devotiones, promissum Spiritûs sancti adventum, promptis per omnia paratisque cordibus exspectant, inquit V. Beda, qui et hoc hìc annotat : *Lucam qui Evangelium suum à ministerio templi per sacerdotium Zachariæ cœpit, pulcherrimè hoc in templi devotione complere, cùm apostolos inibi, ministros videlicet novi sacerdotii futuros, non in victimarum sanguine, sed in laude Dei et benedictione conclusit.*

Amen. Vox est evangelistæ, confirmantis obsignantisque ea omnia quæ hactenùs scripserat.

INDEX RERUM.

FINIS TOMI VIGESIMI-SECUNDI SCRIPTURÆ SACRÆ.


a39003 001796357b
BS 610 .L3M5 1837 V22
MIGNE, JACQUES-PAUL.
SCRIPTURAE SACRAE CURS


U D' / OF OTTAWA
COLL ROW MODULE SHELF BOX POS C
333 10 04 02 03 06 3